



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — N
25



R. D. EUSEBII AMORT,

CANONICI REGULARIS LATERANENSIS POLLINGÆ, EMINENTISSIMI CARDINALIS *LERCARI*, nec non SERENISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI, DOMINI *JOSEPHI*, EPISCOPI AUGUSTANI, S. R. I. PRINCIPIS DARMSTADIANI LANDGRAVII HASSIÆ, &c. &c. THEOLOGI,

THEOLOGIA
ECLECTICA,
MORALIS ET SCHOLASTICA,

SUB AUSPICIIS

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

AD MENTEM

SS. PATRUM ET THEOLOGORUM INSIGNIUM, PRÆSERTIM VETERUM CONSCRIPTA.

TOMUS III.

CONTINENS

TRACTATUS

I. DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, CUM *Appendice*, UBI
I. Canones Pœnitentiales.
II. Directiones Confessariorum PRACTICÆ.

II. DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS; NEC NON DE CENSURIS.


III. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CUM APPROBATIONIBUS.





AUGUSTÆ VINDELICORUM ET WIRCEBURGI,
SUMPTIBUS MARTINI VEITH, BIBLIOPOLÆ,
ANNO MDCCLII.



INDEX QUÆSTIONUM.

Tractatus DE PŒNITENTIA.

DISPUTATIO I.

De virtute Pœnitentiæ.

(a) 2 17. An

DISPUTATIO II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DISPUTATIO III.

De Contritione.

16. An

DISPUTATIO IV.

De Confessione.

DISPUTATIO V.

De Absolutione.

DISPUTATIO VI.

De Satisfactione.

DISPUTATIO VII.

De Indulgentiis.

70. Quale

Appendix

DISPUTATIO VIII.

De Approbatione, Jurisdictione, & aliis requisitis ex parte Ministri.

QUÆSTIO 1.

Quæ sint notanda circa Ministrum Pœnitentiæ in genere.

QUÆSTIO 2.

Quid notandum circa approbationem Ministri Pœnitentiæ.

QUÆSTIO 3.

Quæ scienda circa Jurisdictionem Ministri Pœnitentiæ.

DISPUTATIO IX.

De Casibus reservatis, præsertim in Diœcesi Augustana.

DISPUTATIO X.

De obligatione denuntiandi Sollicitantes Confessarios; & de absolutione complicis.

§. I.

De obligatione denuntiandi confessarios sollicitantes in confessionali ad turpia.

§. 2.

De absolutione complicis in peccato turpi & inhonesto.

DISPUTATIO XI.

De Requisitis ex parte Ministri ad licitam & prudentem administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, præsertim de SIGILLO CONFESSIONIS.

QUÆSTIO

De Requisitis ad licitam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO 2.

De recto usu Clavium.

INDEX

INDEX APPENDICIS
ad Tractatum
DE PŒNITENTIA.

PARS I.

PARS II.

Tractatus

DE

SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS ET ORDINIS, NEC NON DE CENSURIS.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

De Sacramento Ordinis.

§. 1.

De vocatione & intentione ad Statum Clericalem requisita.

§. 2.

De Tonsura.

§. 3.

De Oſtiaratu.

§. 4.

De Lectoratu.

§. 10.

De privilegio Canonis.

§. 11.

De privilegio fori.

§. 12.

De Irregularitate.

 26. An

14. An

§. 16.

De Titulo.

Vide superius dicta §. 13. qq. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

§. 17.

De Diaconatu.

§. 18.

De Prædicatione verbi divini.

§. 19.

De Presbyteratus natura.

§. 20.

De Sacrificio Missæ.

§. 21.

§. 21.

De materia, forma, intentione & aliis requisitis ad validam consecrationem.

§. 22.

De fructu Sacrificii Missæ.

§. 23.

De Applicatione Missæ.

§. 24.

De Ceremonialibus Missæ.

§. 25.

De Rubricis Missæ.

4. Quo-

§. 26.

De Censuris,

I.

De Censuris in genere.

II.

De Excommunicatione.

III.

De Suspensione & Interdicto.

Tractatus
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

§. I.

De Sponsalibus.

§. 2.

De Matrimonio in genere.

§. 3.

De Impedimentis impedientibus matrimonii.

INDEX QUÆSTIONUM.

§. 4.

De Impedimentis dirimentibus.

42. Quid

De Impedimento vis ac metus.

De Impedimento Ordinis.

De impedimento Ligaminis.

De impedimento publicæ honestatis.

De Impedimento Affinitatis.

De Impedimento Clandestinitatis.

De Impedimento Impotentiæ.

De Impedimento Raptus.

§. 5.

De Divortio, & secundis Nuptiis.

De Divortio.

6. Quæ-

De Secundis Nuptiis.

§. 6.


De Usu Matrimonii.

De Modo, & Aliis circumstantiis requisitis ad licitum usum conjugii.

 16. An

QUÆSTIO DISPUTATA.

§. VII.



Tracta-



Tractatus
DE
SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Tractatus hic continet 7. Disputationes sequentes:

1. De Virtute Pœnitentiæ.
2. De Sacramento Pœnitentiæ.
3. De Contritione.
4. De Confessione.
5. De Absolutione.
6. De Satisfactione & Indulgentiis.
7. De Ministro Pœnitentiæ.

PROOEMIUM.

In Tractatu de Pœnitentia illud inprimis fundamenti instar præsupponi oportet; eandem ipsissimam virtutem pœnitentiæ, quæ in *Lege Naturæ*, & in *Lege Scripta* requirebatur ad obtinendam à Deo veniam, à Christo in *Lege Gratiæ* adoptatam fuisse pro materia necessaria Sacramenti. Sicut enim Salvatori placuit, in aliis Sacramentis pro materia assumere rem aut actionem quandam humanam ex suo genere in esse naturali perfectam, v. gr. *ablutionem externam* corporis per aquam elementarem in Baptismo; *contractum civilem* vitæ individuæ inter conjuges in Matrimonio; sic etiam pro Sacramento pœnitentiæ in materiam necessariam assumpsit *pœnitentiam jure naturæ perfectam*, seu quod idem est, *Virtutem pœnitentiæ* jure naturali ad obtinendam à Deo veniam requisitæ. Id certè D. Thomas, & Catechismus Concilii Tridentini observant. Angelicus 3. q. 84. a. 1. ad 1. scribit: *In illis Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia & matrimonio.* Et ad 2. *In Sacramento pœnitentiæ sunt actus humani pro materia qui proveniunt ex inspiratione divina.* Et a. 7. C. *Dicendum, quod in hoc Sacramento actus pœnitentis se habet sicut materia; materia vero etiam in aliis Sacramentis præexistit à natura, ut aqua, vel ab arte, ut panis. Sed quod talis materia ad Sacramentum assumatur, institutione indiget, hoc determinante. Sic ergo hujus Sacramenti materia præexistit à natura. Ex naturali enim ratione movetur homo ad pœnitendum de malis, quæ fecit. Sed quod hoc vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione divina.* Et ad 1. *De jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc, quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum; & quod etiam aliqua signa doloris ostendat. Sed sicut alia, quæ sunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinæ; ita etiam & pœnitentia.* Et ad 2. *Dicendum, quod ea, quæ sunt juris naturalis, diversimodè determinationem accipiunt in Veteri & in Nova Lege, secundum quod congruit imperfectioni Veteris Legis, & perfectioni Novæ. Unde & in Veteri Lege pœnitentia aliquam determinationem habuit; quantum quidem ad dolorem, ut magis esset in corde, quam in exterioribus signis; quantum autem ad remedium doloris quærendum, ut aliquo modo Ministris Dei sua peccata confiterentur ad minus in generali.* Ita S. Thomas, apertè his verbis ostendens; quod Christus adoptando pro materia necessaria Sacramenti virtutem pœnitentiæ veteris jure naturali requisitæ nihil perfectionis pœnitentiæ illi antiquæ detraxerit, sed tantum imperfectionem illius substitutione perfectionis sustulerit. Catechismus vero Tridentini part. 2. c. 5. n. 3. scribit: *Primum quidem de pœnitentia ut virtutis parte agendum est; quia hujus virtutis actiones tanquam materiam præbent, in qua materia Sacramenti versatur; ac nisi prius, quæ sit pœnitentiæ virtus, intelligatur; Sacramenti etiam vim ignorari necesse est.* Sic iste Catechismus, jussu Concilii conscriptus, & Ecclesiis universis commendatus. Verum quam

quam longe ab hoc fundamento *laxiores Theologi* neglecta traditione Patrum & veterum Theologorum recesserint, ex eo patet; quia audacter pernegant, requiri in Sacramento pœnitentiæ eam perfectionem, quæ jure naturali requirebatur in pœnitentia Veterum ad obtinendam à Deo veniam. Id eorum dogma paucis ostendo. Nam 1. in pœnitentia Veterum jure naturali requirebatur dilectio Dei. At *laxiores Theologi* in Sacramento pœnitentiæ sufficere solam attritionem sine dilectione vera Dei contendunt. 2. In pœnitentia veterum requirebatur jure naturali firmum propositum satisfaciendi Deo juxta offensi arbitrium. At *laxiores Theologi* negant, in Sacramento pœnitentiæ necessarium esse onus, satisfaciendi congruè Deo, præsertim tempore Indulgentiæ plenariæ. 3. In pœnitentia Veterum non erat facile, sibi spondere ad unum dilectionis actum imperfectum tam celerem ac certam veniam: sed requirebatur *dilectio fortis per gratiam*, quæ non conferebatur ordinariè, nisi diu aut fervidè pœnitenti. At *laxiores Theologi* in Sacramento pœnitentiæ ne quidem requirunt veram dilectionem Dei, quæ debeat aut possit vires sumere à gratia Sacramenti. Putant veniam cuivis amori divino debitam. 4. In pœnitentia Veterum ad obtinendam à Deo veniam non sufficiebat attritio concepta ex motivo naturali, utut per fidem cognito. At *laxiores Theologi* in Sacramento pœnitentiæ hanc ad justificationem sufficientem declarant. Hi itaque authores, dum ob neglectum Patrum & Theologorum Veterum ex oculis amisere grande illud in præsenti materia principium; eam Virtutem pœnitentiæ à Christo in materiam Sacramenti receptam esse, quæ in Lege Naturæ, & in Lege Moysaica requirebatur ad obtinendam à Deo veniam, reipsa totam Sacramenti naturam subvertunt. Neque in eo solum peccant, quod tollendo Virtutem pœnitentiæ, jure naturæ debitam, materiam Sacramenti corrumpant; sed ea corruptio in ipsam Sacramentalem formam, in gratiam Mediatoris, & in judiciariam potestatem à Christo Sacerdotibus collatam redundat. Cum enim in Virtute pœnitentiæ jure naturali involvatur propositum efficax satisfaciendi Deo juxta offensi arbitrium, & redintegrandi perfectam amicitiam, consequens erat, ut veteri illi pœnitentiæ inhæreret perpetua incertitudo de obtenta venia. Incertum namque pœnitentibus relinquebatur, an ea satisfactio, quam spoponderant aut solverant, par foret juxta offensi arbitrium ad obtinendam veniam; nec iis constare poterat; an ea dilectio Dei, quam animo conceperant, sat virium haberet, ut esset digna amicitia Dei. Hanc ingentem veteris pœnitentiæ imperfectionem Filius Dei per Sacramentum pœnitentiæ sustulit; dum suum arbitrium paciscendi æquas pacis conditiones, & præscribendi satisfactionis modum non solum judicio Sacerdotum veluti per compromissum reliquit, sed etiam omnibus huic sese judicio debitè subjicientibus in ipso Sacerdotalis arbitrii puncto certam peccatorum veniam, & suæ amicitiæ arrham gratiam, quæ pœnitentis & amantis bono proposito habituale robur tribuat, sua pietate immensa spopondit. Hæc est Idea Sacramentalis gratiæ, in decursu hujus Tractatus fusius demonstranda. At vero *laxiores Theologi* profunda oblivione sepelientes, aut sine attentione transeuntes; virtuti pœnitentiæ jure naturæ annexum esse propositum satisfaciendi juxta offensi arbitrium, existimant, judiciariam Sacerdotum potestatem non in eo potissimum sitam esse, ut juxta arbitrium offensi suo judicio commissum à pœnitentibus congruam satisfactionem exigerent, delictis proportionatam; sed in eo præcise, ut dijudicent, an pœnitens verè doleat de præterito cum proposito non peccandi de cætero. Hinc gravissimis delictis, præsertim tempore Indulgentiæ plenariæ, his temporibus ubivis obviæ, levissimas pœnitentias injungentes, reipsa dissolvunt etiam potestatem judiciariam, Sacerdotibus commissam, ac propriè in eo sitam, ut pœnitentibus, paratis ad satisfaciendum juxta offensi arbitrium homini incertum, nomine Dei certam satisfactionis congruæ mensuram statuant, sicque ab ulteriore obligatione præstandæ rigorosæ satisfactionis in ordine ad obtinendam remissionem offensæ divinæ absolutis, Sacramentum, gratiæ certissimæ actu collativum, impertiantur. Cum itaque Virtus pœnitentiæ jure naturæ debita Sacramenti materia sit, & ignoratis proprietatibus essentialibus hujus virtutis naturam Sacramenti ignorare necesse sit, in hac Disputatione dispiciamus, qualis pœnitentia jure naturæ requiratur ad obtinendam à Deo veniam? Et quæ illius proprietates essentiales, aut connaturales effectus sint? Accedit aliud motivum, naturam virtutis pœnitentiæ, quatenus jure naturæ exigitur, rimandi exactius. Cum enim multis Theologis verosimile sit; inter Gentiles, Turcas, Judæos, & Hæreticos reperiri laborantes ignorantia invincibili mysteriorum nostræ fidei, non otiosum fuerit investigare, ad qualem pœnitentiam, si in gravia peccata corruerint, jure naturæ obligati, aut amica cohortatione animandi sint?

DISPU-

DISPUTATIO I.

De Virtute Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Utrum ad veram pœnitentiam jure naturæ requiratur dolor de præterito?

NOTANDUM I. Hanc quæstionem potissimum respicere Lutheri asseclas, qui præfractè negant; ad veram pœnitentiam requiri contritionem, seu *dolorem de præterito*. Ea doctrina Lutheri relucet ex ejus articulis, a LEONE X. anno 1520. per Bullam: *Exurge*, condemnatis. Articuli condemnati sic habent: QUINTUS. *Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.* SEXTUS. *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam; imo magis peccatorem.* SEPTIMUS. *Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius: De cætero non facere, summa pœnitentia. Optima pœnitentia, nova vita.* Hanc Lutheri doctrinam etiamnum profitentur ejus asseclæ; caventque sollicite, ne in eorum precatiunculis pœnitentialibus appareat ulla contritionis vel doloris formula. Observo tamen, quod prævalente interdum dictamine naturæ nolentes *patiantur sanitatem* suam, prout Tertullianus loquitur de *anima naturaliter Christiana*, atque eruptionibus subitaneis naturæ testentur dolorem de commissis peccatis. Sic Lomerus, celebris Pastor Augustanæ Confessionis in l. cui titulus: **Evangelisches Kleinod**; *Margarita Evangelica*, edito Augustæ 1724. in precatiuncula finali f. 12. & 12. sic habet: **Wir müssen uns selbst schuldigen und anklagen, daß wir solche Gnadenlehre grossen Theils zur fleischlichen Sicherheit mißbraucht, ja ganz unverantwortlich auf Muthwillen gezogen haben. Dahero wir unsere Pflicht, leider! schlecht beobachtet haben.** h. e. *Accusamus nos ipsos, & reos nos fatemur, quod doctrina hac gratiæ fuerimus abusi ad carnalem securitatem, eamque ad petulantiam traxerimus. Et ideo, heu! nostræ obligationi non satisfecimus.*

NOTANDUM 2. Hanc doctrinam aperte damnatam fuisse etiam à Concilio Tridentino Sess. 14. c. 4. & Can. 4. ac 5.

NOTANDUM 3. Duplicem esse dolorem, *sensibilem* videlicet & *rationalem*. *Dolor sensibilis* est, qui oritur in appetitu sensitivo, qui nec oritur nec definit præcise ex imperio libero voluntatis, sed potius est tristitia animi, orta ex vehementi apprehensione mali quod incurritur, & boni, quod amittitur. Hic dolor licet interdum mediate dependet ex imperio voluntatis, applicantis phantasiam ad apprehensionem mali incursi, vel boni perditi. Econtra *dolor rationalis* est, qui voluntarie assumitur, & dependet liberrime ex imperio voluntatis, eum assumentis, vel deponentis. D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 1. qq. 2. ad 1. observat, quod dolor sensibilis sit potius *passio*, quam *actio* mentis. *In contritione*, inquit, *est duplex dolor, de peccato. Unus in parte sensitiva, qui passio est. Alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est, quam displicentia alicujus mali*, quæ verba S. Doctoris sic explicanda sunt, ut *dolor rationalis* dicatur *displicentia practica* mali libere contracti, qua videlicet homo vel practice tendit ad destructionem mali moralis adhuc præsentis, vel practice illud sibi ipsi exprobrat.

DICO. Ad veram pœnitentiam jure naturæ requiritur *dolor de præterito*.

PROBATUR 1. Lex Moysaica ad veram pœnitentiam supponit requiri *dolorem de præterito*. Ergo illum jus naturæ requirit. *c. patet* ex generali regula; quia omne illud, quod in lege Moysis, & in Prophetis, directe non præcipitur, sed supponitur, præsertim circa actus mere internos, ad legem naturæ, humanis mentibus aut per lumen rationis promulgatam, aut per instinctum naturalem impressam referendum est. *Ant. prob.* In Deut. c. 4. v. 29. dicitur populo idololatriæ dedito. *Cum (rursus) quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et Baruch. 2. v. 18. *Anima quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima (præ jejunio) esuriens, dat gloriam & justitiam Domino.* Et Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

PROBATUR 2. Omnes gentes, etiam barbaræ, pœnitentiam per signa externa doloris interni demonstrant. Ergo dolorem internum ad veram pœnitentiam jus naturæ requirit. *Ant. prob.* ex historia gentilium. Sic Romani & Græci habebant solennes expiationis lugubris dies; & de Ninivitis gentilibus Jonæ 2. v. 8. legitur; quod *induti saccis*, & *afflicti jejuniis*, dolentis animi signa ediderint.

PROBATUR 3. Princeps sapienter agit, nullum donando venia, nisi sua delicta agnoscentem, ac detestantem. Ergo idipsum lex sapientiæ in Deo requirit. *c. patet* ex generali regula; quod omnis perfectio, quæ instinctu naturali homini commendatur à Deo, in ipso Deo demptis imperfectionibus quærenda sit.

PROBATUR 4. Ipsemet Calvinus, Lutherus, & Chemnitius eximius inter Lutheranos Theologus, dolorem de peccatis concipiendum prædicant. Ergo confessionem doloris vox & sensus naturæ extorquent. *c. colligitur* ex eo, quia hi novatores Ecclesiæ Romanæ in omnibus opponere se solent, in quibus consensum nulla evidentia juris naturalis aut divini extorquet. *Ant. prob.* Calvinus l. 3. Institut. c. 4. §. 2. scribit: Equidem sedulo & acriter instandum esse fateor

fateor, ut quisque amare deflendo sua peccata se ad eorum displicentiam & odium magis armet. Et Chemnitius p. 2. Exam. Trid. pag. 954. pœnitentiam describens ait: Hinc sequitur dolor conscientiæ graviter dolentis; se peccasse, & peccatis offendisse Deum: incipit igitur peccatum odisse, & detestari. Lutherus vero in Articulis Smalcaldicis pariter sæpius, dolorem de peccatis concipiendum esse, inculcat.

COROLLARIUM. Hinc sequitur, quam graviter peccent Præcones Lutherani, qui populo apertas hujusmodi formulas doloris subtrahunt, & ipsam vocem naturæ supprimunt, ne etiam illi e rudi plebecula per veram pœnitentiam salvi fiant, qui ignorantia invincibili forte laborant.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Vox pœnitentiæ in textu Hebraico (שוב) nil aliud significat quam *conversionem*, seu mutationem ab uno statu in alium; & in Græco idiomate (μετάνοια) nil aliud importat, quam *resipiscentiam*, seu *reversionem ad mentem*. Ergo ad veram pœnitentiam non requiritur dolor. 2. Antiquum est Proverbium: *Optima pœnitentia, nova vita.* Sed ad novam vitam non est opus dolore de præterito. 3. Apostolus ad Gal. 6. dicit: *In Christo neque circumcisio neque præputium aliquid valet, sed nova creatura.* Ergo superflua est dolorosa circumcisio cordis.

RESPONDEO

Ad 1. tr. a. n. c. quia Ethymologia nominum non exprimit proprietates rerum. Argumentum potest retorqueri in mille vocibus. Sic v. g. nomen *Christiani*, *Lutherani*, *Prædicantis*, *Evangelici &c.* nil aliud exprimunt nisi relationem originis v. g. ad Christum, vel relationem ad unum actum officii, vel relationem ad professionem fidei. Nec tamen sequitur, in Christiano, Lutherano, Prædicante, Evangelico nil aliud requiri. Dicendum proin, illis nominibus, Hebraico & Græco, tantum significari pœnitentiam descriptive per aliquod prædicatum notius, non definitive per prædicata omnia essentialia.

Ad 2. dist. *Maj.* Optima pœnitentia est nova vita *arguitive*. c. *constitutive*. n. Ex nova vita, tanquam effectu veræ pœnitentiæ, licet arguere seu argumentari ad bonitatem præcedentis pœnitentiæ; sed nova vita non est constitutivum pœnitentiæ, utpote præcedentis essentialiter. Nemo enim novam vitam bonam instituit, aut in ea non diu perseverat, cui ante acta vita mala non displicet. Ea autem displicentia prioris vitæ, eoipso quod sit practica, est ipsissimus *dolor rationalis*, qui ad essentiam veræ pœnitentiæ requiritur.

Ad 3. dist. nil valet circumcisio carnis. c. cordis. n. Ipsemet enim Apostolus ad Rom. 2. v. 29. scribit: *Circumcisio cordis in spiritu, cujus laus ex Deo est.* Itaque posset inverti argumentum. Circumcisio cordis est grata Deo tanquam ipsa innovatio creaturæ. Ergo valet plurimum.

OBJICITUR 2. Nulla est necessitas doloris ad justificationem. Ergo non debet exigi. *Ant. prob.* 1. Christus omnes dolores à nobis subeundos in corpore suo pertulit; juxta illud Isa. 53. *Dolores nostros ipse portavit.* 2. Actus perfectæ charitatis à peccatore elicitus statim justificat, etiamsi peccator v. g. à Concionatore ad amorem Dei excitatus ne quidem cogitet de eliciendo dolore. 3. Si quis subito trahatur ad Martyrium, idque libenter pro Christo perferat, talis salvatur, etsi aliis cogitationibus occupatus non doleat de adulterio commisso. 4. Turca vel Gentilis, qui nullum ponit obicem, recipit gratiam in baptismo. Sed alienatus in posterum ab omni affectu ad peccatum, nullum ponit obicem, etsi non doleat de præterito.

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. dist. dolores nostros portavit, ut meritò suæ passionis perficiendos. c. ut à nobis removendos. n. Si enim in hoc textu sermo sit de languoribus & doloribus corporis vel animi physicis, & non potius de languoribus moralibus, seu peccatis, sensus tantum esse potest, quod suis doloribus nostros univerit, Patrique obtulerit, ut accedente nostra dispositione congrua meritorii essent vitæ æternæ.

RESPONDEO 2. dist. dolores nostros, hoc est, nostræ naturæ, & generi humano proprios, ac communes, portavit. c. cuivis homini individuales. n. Neque enim fuisset Sapientiæ legibus conforme, ut nullam afflictionis partem subeat homo, ubi patitur Redemptor. Æquum erat, ut Christus relinqueret justitiæ divinæ aliquid juris in reum, ut ubi non posset satisfacere de condigno, satisfaceret saltem de congruo, hoc est, per modum dispositionis congruæ, qua habita deceret applicari fructum passionis Dominicæ. De tali dispositione ad merendam sibi vel aliis gratiam Apostolus Col. 1. v. 24. loquitur: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Ad 2. dist. Etsi non cogitet explicite de eliciendo dolore. c. implicite. n. Qui enim Deum amat, sese Deo quoad omnes affectus implicite conjungit, inter quos etiam continetur displicentia practica seu tendentia aversativa de peccato; quæ displicentia in homine circa peccata propria est ipse dolor rationalis. Tenetur tamen homo elicere dolorem explicitum, quamprimum occurrit illi cogitatio practica de peccato, eoipso quod charitas tendat ad omnes actus bonos, Deo acceptos, præsertim jure naturali vel divino requisitos. Hinc posset RESPONDERI 2. tr. a. n. c. & suppositum, quod in tali casu, ubi nulla occurrit cogitatio practica de eliciendo actu pœnitentiæ, sed de eliciendo solo actu charitatis, pro eo instanti urgeat lex pœnitentiæ. Nos solum dicimus, actum pœnitentiæ, quocunque tempore urgeat lex pœnitendi, sine dolore esse non posse.

Ad 3. dist. a. Talis salvatur habita in animo charitate, in qua implicite ac virtualiter continetur dolor de peccato. c. sine tali charitate. n. Apostolus enim 1. Cor. 13. expresse declarat; Martyrium nihil prodesse sine charitate. *Si tradidero*, inquit, *corpus meum, ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* In charitate autem *implicite* ac *virtualiter* contineri dolorem de peccato, ita, ut quamprimum occurrit cogitatio practica de aversandis peccatis propriis, charitas & lex pœnitentiæ urgeat ad ponendum dolorem formalem ac explicitum.

Ad 4.

Ad 4. dist. *Maj.* Qui nullum ponit obicem etiam negativum. c. tantum positivum. n. Obex positivus est affectio ad peccatum. Obex negativus est omissio conditionum requisitarum ad obtinendam veniam. Inter eas autem conditiones est etiam pœnitentia. Nam D. Petrus Act. 2. expresse eam conditionem requirit dicens: *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum.* Pœnitentia autem aliud est, quam solum propositum de futuro, prout in probationibus ostensum est.

OBJICITUR 3. Non implicat, Deum remittere peccatum sine omni dolore. Ergo præsumendum est de ejus bonitate, eum sic actu voluisse. 2. Deus animabus purgatorii actu remittit peccata venialia sine omni dolore. Ergo idem potest admitti in vivis. 3. Si requireretur dolor, vel requireretur dolor sensibilis, vel insensibilis? Neutrum potest dici. Ergo. *Min. prob.* Dolor sensibilis non est in potestate liberi arbitrii; & dolor insensibilis non potest ab homine adverti, utrum adsit vel absit. Ergo.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Id non implicat in casu extraordinario ob finem, motiva, & circumstantias non facile obvias. tr. pro cursu ordinario. n. Repugnaret enim harmoniæ perfectionum divinarum, si ordinarie in suis operationibus daret omnem locum bonitati & misericordiæ, nullum sapientiæ & justitiæ. Non autem haberet locum sapientia & justitia; si generaliter proponentibus novam vitam daretur venia sine displicentia practica & detestatione vitæ præteritæ, sine qua regulariter novæ vitæ propositum nec serium est, nec firmum, nec constans, nec efficax.

Ad. 2. n. a. Contrarium monstrabitur in Quæstiunculis. qq.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dico; illum dolorem esse insensibilem; attamen *intelligibilem*, sicut intelliguntur & advertuntur omnes actus nostri interni intellectus & voluntatis, utut insensibiles per sensus materiales internos vel externos. Adverti enim facile potest ab homine, se habere displicentiam practicam de peccato, si conetur malum destruere per media efficaciter destructiva, idque vitare conatu serio ac efficaci adhibendo opportuna media præservativa.

QUÆSTIO II.

Utrum ad veram pœnitentiam jure naturæ requiratur propositum satisfaciendi pro culpa juxta offensi arbitrium?

NOTANDUM 1. Aliud esse *Satisfactionem*, & aliud *Satispassionem*. SATISFACTIO est ultronea compensatio pro damnificatione vel injuria illata. Hæc compensatio est actus justitiæ commutativæ, quæ tendit ad æqualitatem, ita ut pro damno in bonis fortunæ illato, vel pro damno in bonis famæ aut honoris causato, quantum fieri potest, reddatur æquale in æstimatione morali.

DIXI, *quantum fieri potest.* Quia, cum Deo pro honore læso & pro injuria non possit reddi simpliciter *æquale*, saltem ex obligatione hujus justitiæ reddendum est, *quantum homo potest.* Econtra SATISPASSIO, quæ est humilis perpessio vindictæ inflictæ ab eo, qui vindicandi publicam potestatem habet. Et eatenus satispassio correspondet potius justitiæ distributivæ, ac vindicativæ, quam justitiæ commutativæ.

NOTANDUM 2. Nomen Satisfactionis accipi in duplici sensu. Communiter enim à modernis Theologis accipitur pro ultronea castigatione proprii delicti in ordine ad minuendam vindictam Legislatoris publicam, ex justitia distributiva seu vindicativa peccato debitam. Verum hoc loco accipitur præcise, in quantum correspondet justitiæ commutativæ; quatenus videlicet resarcit damnum honori divino illatum, reddendo pro viribus æquivalens pro illata injuria. Ut discrimen hujus duplicis satisfactionis melius intelligatur, illud declaro in exemplo. Ponamus, quempiam plebejum viro nobili publice coram populo irrogasse calumniam, quod sit mentitus, eaque de causa ipsi inflixisse alapam. Ponamus præterea; virum nobilem ob eam calumniam non solum amisisse existimationem publicam, sed etiam officium pinque in aula principis. Hoc posito, si calumniator velit obtinere condonationem solennem offensæ seu culpæ à viro nobili, haud dubie debebit illi satisfacere pro ablato honore per deprecationem publicam & retractationem calumniæ; pro damno autem illato in bonis fortunæ debebit illi satisfacere compensatione damni, reddendo æquivalens. Utraque hæc satisfactio pertinet ad justitiam commutativam, in qua tam reus quam offensus æquo jure ad paria judicantur, verum postquam utraque hæc satisfactio completa, & offensa jam fuerit à viro nobili remissa, primum incipit vindicta publica ejus, qui curam habet communitatis, ut justitia distributiva seu vindicativa plectatur tam enormis calumnia. Quodsi ille ipsemet vir nobis gerat Præfecturam in urbe, jam non aget, ut homo privatus, exigendo æquale pro damno vel injuria; sed aget, ut vindex publicus Legum, inferendo transgressori pœnam pro ejusmodi reatu pœnæ; quam si reus effugere velit, necessum est, ut ultronee satisfaciat specialiter pro reatu seu debito pœnæ publicæ. Idem ergo contingit circa offensionem Dei, ut alia satisfactio exigatur pro obtinenda condonatione injuriæ, offensæ, seu culpæ in compensationem honoris divini læsi; & alia requiratur ad evitandam vindictam, si quis eam cupiat præcavere. Illa satisfactio debetur Deo, tanquam viro nobili, aut principi, vel patri, ex justitia aliquo modo commutativa; eaque est conditio, sine qua non, ad obtinendam remissionem culpæ. Hæc vero debetur Deo, tanquam Legislatori, & Legum vindici, non ex justitia commutativa, sed vindicativa ac distributiva. Ne autem hæc duo genera satisfactionum confundantur; illam constanter vocabo *satisfactionem compensatoriam;* istam autem vocabo *satisfactionem vindicatoriam.*

NOTANDUM 3. Hanc summam juris naturalis obligationem à *laxioribus Theologis* ferme universam subverti. Id patet ex laxissimis eorum circa satisfactionem Sacramentalem propo-

ſitionibus, in quibus manifeſte ſupponunt, ad virtutem pœnitentiæ jure naturæ non requiri propoſitum ſatisfaciendi juxta arbitrium offenſi in ordine ad condonationem offenſæ ſeu culpæ. Si enim ſupponerent; hanc obligationem jure naturæ ad virtutem pœnitentiæ exigi, eoipſo illam etiam requirere oporteret ad naturam Sacramenti, cum virtus pœnitentiæ quoad eſſentialia ſua conſtitutiva, jure naturæ exigita, a Chriſto recepta ſit in materiam Sacramenti pœnitentiæ, quo modo contractus civilis conjugum a Chriſto aſſumptus eſt in materiam Sacramenti matrimonii, prout dictum eſt in Proœmio. Propoſitiones autem laxiorum Theologorum ſequentes ſunt. 1. *Satisfactio a confeſſario data eſt neceſſaria neceſſitate non Sacramenti ſed præcepti; ideoque a Confeſſario regulariter imponenda ſecundum Suarez & Reginaldum eſt ſub mortali. Cardinalis tamen Lugo concedit, ex parvitate materiæ poſſe venialiter peccari; ut v. g. ſi ob peccata venialia levis pœnitentia injungenda foret. Ejus enim voluntariam omiſſionem venialem tantum eſſe. Ita etiam Diana.* Vide Buſenb. l. 6. c. 1. Dub. 4. a. 1. n. 1. 2. *Excuſatur aliquando Confeſſarius, ſi leviſſimam vel etiam nullam pœnitentiam injungat v. g. ſi pœnitentem vehementiſſime contritum advertat. Tutius tamen eſt, aliquam ſemper injungere.* Buſ. l. cc. 3. *Excuſatur pœnitens, ſi nullam pœnitentiam injungat, ſi pœnitens ſit morti proximus, aut valde debilis. Cui tamen prudenter imponi levem, monet Layman.* Buſ. l. cc. 4. *Poteſt & aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expedit, injungi opus alias debitum ſeu præceptum.* Buſ. l. cc. 5. *Etſi pœnitentia poſſit immediate poſt abſolutionem adhuc injungi, debet tamen fieri ante. Vide Dianam R. 136. ubi docet, etſi conſuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen non induxiſſe obligationem.* Buſ. l. cc. 6. *Pœnitens communiter tenetur ſub gravi obligatione pœnitentiam, ſi rationabilis ſit acceptare, ut habet communis contra Cajet. Silv. Navar. Quorum ſententia ad hoc ſaltem ſerviet, ut neminem non abſolutum dimittas, ſi vel leviſſimam ſubire velit, ut notat Sotus & Reginaldus.* DIXI, COMMUNITER; *quia probabile eſt, quod docet Laym; Suarez, & Diana, pœnitentiam ſub veniali tantum obligare, ſi Confeſſarius noluit obligare ſub mortali; quia cum pœnitentiam poſſit imponere libere, & ſine omni obligatione, ut probat Suarez, Henr. Fil. Fagund. Tan. contra Turr. & Vaſq. poteſt etiam ſub levi tantum imponere.* Buſ. l. cc. 7. *Eum, qui lucratur Indulgentiam plenariam, liberari ab onere pœnitentiæ, niſi ſit medicinalis, docet Diana ex Tan. Gran. Lug. contra Val. March. & Averſ.* Buſ. l. cc. 8. *Probabilius videtur, Confeſſarium peccare, ſi nullam injungat pœnitentiam, etiamſi pœnitens velit lucrari Jubilæum ſeu Indulgentias, aut videatur valde contritus.* La Croix. l. 6. p. 2. n. 1238. Probabiliſtis ergo licebit practicare oppoſitum, quia ſententia oppoſita alteri, quæ præciſe *videtur probabilior* adhuc eſt vere probabilis. 9. *Probabilius videtur, pœnitentiam non debere injungi ſub conſilio tantum, ſed ſub obligatione aliqua, uti tenent Vaſq. Turr. Con. Lug. Arr. Amic. Boſco, Gorm. contra multos. Probabilia tamen ſunt, quæ addit* AVERSA, *nempe poſſe Confeſſarium pœnitentiam de ſe gravem & pro mortalibus debitam imponere ſub obligatione tantum levi.* La Croix l. cc. n. 1249. Probabiliſtis iterum in praxi licebit utrumlibet. 10. *Confeſſarius poteſt concedere, ut pœnitentia per alium perſolvatur.* La Croix l. cc. n. 1284. ubi etiam pro ſe citat S. Thomam, & S. Bonaventuram, quamvis revera hi SS. Doctores hanc propoſitionem, ut ſonat, non doceant. 11. *Si pœnitens non repetat priora peccata apud ſecundum Confeſſarium, Suar. Vaſq. Con. aliique multi cum Lugo negant, hunc etiam in Confeſſione poſſe mutare pœnitentiam. Econtra, ſi petatur commutatio, etiam ideo, quia prior nunc nimis difficilis eſt, docent Nav. Tolet. Henriq. Rodriq. Sa. Laym. Dian. Gob. Marchant. Beia. Sporer. aliique multi, poſſe alium Confeſſarium in Confeſſione eam mutare. Prima ſententia eſt longe probabilior; hinc ſecundam eſſe improbabilem dicunt Sanch. & Arr. quamvis Lugo fateatur eſſe in praxi probabilem ſaltem per principia extrinſeca.* Has omnes propoſitiones, prout ſonant, falſas eſſe, facile patebit conſideranti, ſi ad veram pœnitentiam jure naturæ requiritur propoſitum ſatisfaciendi juxta offenſi arbitrium in ordine ad condonationem offenſæ ſeu culpæ. Si enim hoc propoſitum jus ipſum naturæ requirit, certe id requirit ipſe ordo iuſtitiæ. Et ſi hoc requiritur ab ipſo ordine juſtitiæ, non eſt præſumendum, à Deo ita jactari jura ſua & rectum ordinem juſtitiæ, ut Vicario ſuo Sacerdoti poteſtatem conſerat aut laxet, cuivis pœnitenti nomine Dei condonandi offenſam, niſi ultro per ſe, aut ex pacto, ſpondenti ſatisfactionem congruam. Itaque

DICO. Ad veram pœnitentiam jure naturæ exigitur propoſitum ſatisfaciendi juxta offenſi arbitrium pro obtinenda condonatione culpæ.

PROBATUR 1. ex Concilio Tridentino. S. Synodus Seſs. 14. C. 8. neceſſitatem ſatisfactionis probat ex ipſa natura & exigentia divinæ juſtitiæ, & quidem eam neceſſitatem non ſolùm refert ad obtinendam remiſſionem pœnæ, ſed ad obtinendam remiſſionem culpæ. Ergo propoſitum ſatisfactionis compenſatoriæ requiritur ad veram pœnitentiam jure naturæ, niſi ſpecialiter diſpenſet divina bonitas, prout fit in baptiſmo. *ant. prob.* Concilium ſic habet: *Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo* NB. *in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum deliquerint, aliter verò, qui ſemel à peccati ſervitute liberati templum Dei violare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, debent ergo Sacerdotes pro qualitate criminum & pœnitentium facultate convenientes ſatisfactiones injungere.*

PROBATUR 2. ex D. Thoma, qui expreſſè docet, de eſſentia virtutis pœnitentiæ in ordine ad remiſſionem culpæ ſeu offenſæ eſſe actum juſtitiæ commutativæ compenſatorium, quo homo proponit, pro viribus compenſare offenſam juxta ejus arbitrium ſeu acceptationem gratuitam. P. III. q. 85. a. 3. ſic ſcribit: *Pœnitentia habet, quod ſit virtus ſpecialis ex eo, quod pœnitens dolet de peccato, in quantum eſt offenſa Dei cum emendationis propoſito. Emendatio autem offenſæ contra aliquem commiſſæ non fit per ſolam ceſſationem offenſæ, ſed exigitur ulterius quædam recompenſatio, quæ habet locum in offenſis in alterum commiſſis, ſicut & retributio; niſi quod recompenſatio eſt ex parte ejus, qui offendit, ut puta cum ſatisfactione: retributio autem eſt ex parte ejus, in quem eſt*

offenſa

offensa commissa. Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet; quia utrumque est commutatio quædam. Unde manifestum est, quod pœnitentia secundum quod est virtus, est pars justitiæ. Et ad 2. *Medium justitiæ est æqualitas, quæ constituitur inter illos, inter quos est justitia. In quibusdam autem non potest constitui perfecta æqualitas propter alterius excellentiam; sicut inter patrem & filium, inter Deum & hominem. Unde in talibus ille, qui est deficiens, debet facere* NB. *quidquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem Superioris.* Et ad 3. *Sicut est commutatio quædam in beneficiis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam; vel voluntariè recompensat emendam* (hoc est, offensam), *quod pertinet ad pœnitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis. Unde manifestum est, quod utraque sub justitia commutativa continetur.*

PROBATUR 3. ex sensu SS. Patrum, qui satisfactionem necessariam esse dicunt pro obtinenda remissione peccati quoad reatum culpæ, & quidem ex ipsa natura rerum. Ergo requirunt satisfactionem compensatoriam tanquam conditionem necessariam ad obtinendam remissionem reatûs culpæ circa peccata post baptismum commissa. 1. D. Cyprianus Epist. 10. ad Clerum scribit: „Dissimulandi nunc locus non est, quomodo „decipiatur fraternitas nostra (plebs) à quibus„dam vestrum, qui, dum plausibiles esse cupiunt, „magis lapsis obsunt, ut qui possunt agentes ve„ram pœnitentiam Deo precibus & operibus suis „satisfacere, seducantur, ut magis pereant; nam „nondum pœnitentiâ actâ (imo ne quidem impo„sita aut promissa) Eucharistia illis datur. Idem „sæpe Sacerdotes Confessarios increpat, quod pœ„nitentes recipiant, eos non obligando ad con„suetam satisfactionem Canonicam. In Epist. 40. „de talibus ait: Ad lapsorum pernitiem se vene„nata sua deceptione verterunt, ut ægros & sau„cios, intermissis precibus & orationibus, quibus „Dominus longa & continua satisfactione placan„dus est, ad exitiosam temeritatem (sic absolven„di) mendacio captiosæ pacis invitent. Persecu„tiæ hæc est alia, ut post culpam criminis tollatur „& pœnitentia, nec Domino satisfiat. Et in ser„mone de lapsis: Putasne, Dominum cito posse „placari? Putas facile eum misereri tui? Orare „oportet impensius; justis operibus incumbere, „ut crimen & culpa diluatur. Si precem toto „corde quis faciat, si ad veniam delicti sui Domi„num justis & continuis operibus inflectat, mise„reri talium potest Deus, roganti potest clemen„ter ignoscere, potest in acceptum referre, quid„quid pro talibus fecerint Sacerdotes. Ecce pe„jora vulnera! Ecce majora delicta! Peccasse, „nec satisfacere." Ita D. Cyprianus; ex cujus textu id saltem evincitur; neminem ad spem absolutionis vel actualem absolutionem, nisi subierit leges satisfactionis canonicæ, judicio hujus S. Patris admittendum fuisse; idque sic fieri oportere ita exigente Sapientia & Justitia divina. Plures hujusmodi textus D. Cypriani leges in Opere de *Indulgentiis* Part. II. Sect. 3. §. 1. 2. S. AUGUSTINUS Epist. 54. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat.* 3. D. GREGORIUS q. 6. in 1. Reg. 2. *Tria in unoquoque veraciter pœnitente consideranda sunt; videlicet conversio mentis; confessio oris; & vindicta peccati.* Et in c. 15. l. 1. Reg. *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentis? Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, sed fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* 4. S. BERNARDUS de grad. humil. c. 18. *Quem veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret.* 5. S. ELIGIUS Hom. 4. ad Pœnitentes: *Si condignam Deo pœnitentiam obtulistis, verè Deo reconciliamini per Christum & per nos; qui enim peccando factus est ei inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari, ut fiat amicus.* Hi, & centum consimiles Patrum textus, id saltem ostendunt, neminem decenter posse absolvi nomine Dei à reatu culpæ, seu in ordine ad remissionem offensæ, nisi habeat propositum, satisfaciendi Deo pro injuria satisfactione compensatoria.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Deus in baptismo non requirit propositum satisfaciendi juxta ejus arbitrium. Ergo tale propositum jure naturæ non requiritur in ordine ad obtinendam remissionem culpæ. 2. Primis duodecim sæculis pœnitentiæ tantùm imponebantur de consilio, & non de præcepto. Ergo tale propositum non requiritur jure naturæ.

RESPONDEO

Ad 1. dist. a. Non requirit propositum satisfaciendi explicitum. c. implicitum. n. Ipsa enim obligatio subeundi jugum legis Christianæ in eo, qui prius pondum erat subjectus legi Christianæ, pro compensatione præcedentium delictorum haberi potest.

Ad 2. n. a: vel dist. tantùm imponebantur de consilio respectu eorum, in quibus dabatur impotentia explendi pœnitentias proportionatas. c. respectu aliorum, in quibus dabatur talis potentia. n. Contrarium enim patet ex ipsis antiquis Pœnitentialibus, in quibus jubentur subire pœnitentias præscriptas, qui habent vires eas explendi. Sic Pœnitentiale Andegavense Tit. DE REMEDIO POENITENTIS dicit: *Qui implere potuerit, quod in pœnitentiali scriptum est, impleat, quod bonum est. Qui autem non potest, consilium donamus. In primis primo die in pane & aqua quinquaginta Psalmos cantet, genua flectendo &c.* In Pœnitentiali Siculo dicitur: *Secundum quod potuerit, impone ei pœnitentiam.*

OBJICIES 2. Gravissimi Doctores non agnoscunt hanc obligationem, quod pœnitens jure naturæ teneatur habere proposita satisfaciendi juxta offensi arbitrium. Ergo non datur. *ant. prob.* 1. D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. qq. 3. c. ait: *Quantum ad satisfactionem debiti potest unus pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate. Nec exigitur, quantum ad solutionem debiti, quod ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum; quia etiam si esset potens, alio satisfaciente pro ipso ipse à debito im-*

munis esset. Ergo non est juris naturalis, ut quivis habeat propositum satisfaciendi per seipsum. 2. Idem l. cc. dicit: *Non est permittendum, ut aliquis pro alio pœnitentiam faciat; nisi defectus aliquis appareat in pœnitente vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum pœnam.* Si ergo pœnitens ignavus non tenetur acceptare obligationem satisfaciendi per seipsum: nec ad id jure naturæ tenetur. 3. Scotus in 4. dist. 15. n. 14. dicit: *Dives, qui lapsus est ad peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire, vel præsumitur, quod si sibi imponeretur, cito abjiceret, inducendus est ad orationem & eleemosynam, & illud sibi imponendum est, quod libentius recipit, & quod creditur perseverantius adimplere. Vel si omnino nullam pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen, se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & nuntianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quod eam in se vel in æquivalenti absque impositione studeat adimplere; alioquin solvet ad plenum in purgatorio.* Et in 4. dist. 19. n. 27. ait: *Si pœnitens tantummodo se velit submittere Sacerdoti, quantum ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & non quantum ad taxationem pœnæ totalis, sed quantum ad illam & illius taxationem vult se subdere manui Dei vel hic vel in purgatorio, non expediret talem sine absolutione dimittere; nec videtur propter istam voluntatem esse in peccato mortali, cum conteratur de peccato, & velit puniri pœna condigna pro eo, & ab eo, cujus est, justè eam infligere; licet nolit eam sibi infligi ab isto sacerdote, nec ipsemet velit eam recipere, ut sit minister illius infligendæ.* Idem habet in 4. dist. 17. n. 22.

Respondeo. n. a.

Ad 1. dist. Potest unus pro alio satisfacere in ordine ad remissionem reatus pœnæ. c. in ordine ad remissionem reatùs culpæ. n. a. D. Thomas hoc loco loquitur tantùm de duobus, quorum uterque jam est constitutus in statu gratiæ. Sed eam satisfactionem, quæ requiritur intra vel extra Sacramentum ad obtinendam gratiam remissivam culpæ, negat expressè ab alio persolvi, quod signum est, eam requiri jure naturæ. Hanc mentem D. Thomæ probo ex tribus. Nam docet 1. eum pro quo satisfit jam debere esse constitutum in charitate. 2. Confessarium obligari ad imponendam satisfactionem, & pœnitentem obligari ad eam acceptandam. 3. Pro pœnitentia semel acceptata non posse satisfieri ab aliis. Circa primum S. Doctor l. cc. ad 1. sic scribit: *Pœna temporalis pro peccato debita post culpæ remissionem non taxatur secundum dispositionem ejus, cui debetur; quia quandoque ille qui est melior, habet majoris pœnæ reatum, & ideo quantum ad pœnæ dimissionem unus alteri mereri potest, & actus unius efficitur alterius charitate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo.* Circa secundum in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. qq. 4. ait: *Sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum & Minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur à principali agente. Unde si quis præter istum motum divinum uti sua potestate præsumpserit, non consequeretur effectum, & averteretur à divino ordine, & incurreret culpam; & quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ ut medicinæ sunt, sicut medicinæ variandæ sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed medicinæ scientiam; ita pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut autem medicus aliquando non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper* NB. *totam pœnam injungit, ne infirmus ex magnitudine pœnæ desperet, & a pœnitentia totaliter recedat.* Quod autem ordo divinæ justitiæ compensationem offensæ exigat, ostendit in 4. dist. 15. q. 1. a. 1. & ostensum est supra. Circa tertium in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. qq. 3. a. 4. sic scribit: *Si ipsemet pœnitens ad aliquam pœnitentiam se obligasset, non prius à debito esset immunis, quam eam solvisset, & ideo pœnam ipse patietur; quamvis alius satisfactionem pro eo fecerit.*

Ad 2. dist. Nisi defectus appareat in ordine ad partem pœnæ. c. ad totam pœnam. n. D. Thomas solùm docet, infirmitati pœnitentium ex parte esse condescendendum, si timeatur, eos à pœnitentia totaliter recessuros, nisi à rigore aliquid remittatur; quæ regula verissima est, & omnibus Confessariis sequenda. Non tamen intendit, eousque omnem satisfactionis necessitatem excludere, ut nulla satisfactione compensatoria opus sit. Ea mens D. Thomæ colligitur ex eo, quia in textu proximè adducto Confessariis eam solam libertatem indulget, *ut non semper totam pœnam injungant.* Eadem colligitur ex eo, quod in 4. dist. 15. q. 1. a. 1. dicat, pertinere ad ordinem divinæ justitiæ, ut exigatur satisfactio pro offensa; & pertinere ad essentiam satisfactionis, ut primario sit compensatoria per subtractionem alicujus rei a pœnitente, quæ subtractio habet aliquid pœnalitatis; atque ut sit præservatoria ac quasi fidejussoria in futurum, quod dicit rationem medicinæ. l. cc. a. 1. qq. 1. ad 1. dicit: *Quamvis satisfacere in se sit debitum, tamen in quantum satisfaciens voluntarie hoc opus exequitur, sic operans facit de necessitate virtutem. Unde si voluntas necessitati consentit, non tollitur ratio meriti.*

Ad 3. dist. a. Dicit Scotus ista, ita ut sentiat, a Confessario posse omitti impositionem satisfactionis strictè dictæ. tr. late dictæ. *subdist.* præsupposita tamen præparatione animi satisfaciendi juxta arbitrium offensi vel ejus Vicarii. c. non præsupposita tali præparatione animi. n. Ipsomet Scoto fatente, pœnitens tenetur habere propositum, satisfaciendi Deo juxta ejus vel Vicarii arbitrium in ordine ad obtinendam remissionem culpæ. Quodsi Vicarius Dei juxta præsumptum Dei arbitrium non exigat satisfactionem strictè dictam, sed tantum late dictam, per hoc nihil decedit virtuti pœnitentiæ ex parte pœnitentis. Ac certe, a Confessario aliquando totaliter posse remitti eam pœnitentiam, quam ille vocat strictè dictam, & de qua sola se acturum testatur in textibus præfatis, adeo non nego, ut idipsum etiam Confessariis pro casu veræ necessitatis commendem, prout explicatius dicetur Disput. 6. Cæterum hanc esse mentem Scoti, ex ejus verbis ostendo. In 4. dist. 17. n. 22. sic scribit: *Confessio conjuncta esse debet cum displicentia*

peccati

peccati commissi; & cum proposito abstinendi a peccato, & obediendi Ecclesiæ in satisfactionem pro ista peccato. Intelligo, non quod oporteat eum velle pœnam vel pœnitentiam (stricte datam) suscipere a Sacerdote; quia etsi nullam (stricte dictam ac vindicativam præcise) oblatam a Sacerdote vellet recipere, haberet tamen duas conditiones præfatas (displicentiam de præterito, & propositum abstinendi de futuro) & propositum recipiendi pœnam infligendam sibi a Deo hic vel in purgatorio, talis potius esset absolvendus, quam repellendus. Sed si suscipiat aliquam pœnitentiam vel satisfactionem sibi impositam ab Ecclesia, tenetur illam servare. Et hoc propositum oportet quod habeat, ut debito modo confiteatur, scilicet ut velit obedire confessori in servando vel solvendo illam satisfactionem, quam voluntarie suscipiet ab ipso impositam, (scilicet late dictam.) In isto textu bene notandum est; quod ubi dicit; pœnitentem non teneri acceptare satisfactionem a Confessario oblatam, eam vocet *pœnam* seu satisfactionem *stricte dictam*. Sed ubi dicit, pœnitentem (voluntarie utique) debere obedire Confessario, ibi utitur nomine *satisfactionis*, videlicet *late dictæ*. Quomodo autem Scotus hæc duo satisfactionum genera distinguat, ex ejus verbis ostendo. l. cc. q. 1. n. 1. sic scribit: *Satisfactio uno modo accipitur generaliter: alio modo stricte & proprie. De prima (late dicta) quinque sunt videnda. 1. quæ ratio nominis. 2. an sit homini possibilis. 3. in quibus consistit &c. De* PRIMO *sciendum, quod satisfactionis generaliter sumptæ hæc est ratio. Satisfactio est redditio voluntaria æquivalentis alias indebiti. Et ista ratio satisfactionis est communis ad contractus, & obligationes quascunque; & potest inveniri tam in actibus liberalibus voluntatis, (v. g. si recipiens beneficium benefaciat benefacienti, & dilectus recompenset dilectionem æqualem diligenti) quam in actibus quodammodo necessariis, scilicet in contractibus, ubi est quædam obligatio quasi necessitans ad reddendum. Consimiliter, cum culpa faciat delinquentem debitorem ei, in quem peccat, potest ibi ista ratio satisfactionis inveniri, ut scilicet reddat sibi æquivalens & alias indebitum, quantum sibi abstulit per peccatum.* Et n. 4. ac 7. *De secundo potest dici, quod Deus de potentia absoluta posset dedisse peccatori post attritionem tanquam meritum de congruo gratiam, per quam motus ejus fieret contritio & sic per satisfactionem delevisse peccatum; quia per actum illum redderetur Deo æquivalens bono, quod abstulit peccatum. De potentia tamen ordinata Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam, nisi in virtute meriti Christi. Ideo de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato, nisi in virtute passionis Christi.* Et n. 8. *De tertio dico, quod satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus vel passionibus voluntariis, quam in aliis actibus bonis non pœnalibus, licet quandoque posset per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri; quia bene potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ. Sed regulariter satisfactio isto modo dicta consistit in actibus vel passionibus habentibus rationem pœnæ. Isti autem actus vel passiones voluntariæ in genere reducuntur ad actum interiorem displicentiæ; vel passionem tristitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod est valde pœnale, vel passionem concomitantem, scilicet verecundiam: & ad actum simpliciter exteriorem vel passionem scilicet macerando carnem; & omnis talis maceratio dicitur reductio ad jejunium, vel elevationem mentis in Deum, quod fit per orationem, vel eleemosynam.* Et n. 9. Ex hoc patet, quod non correspondet cuicunque peccato propria satisfactio, id est determinata secundum speciem. Et n. 11. *De Satisfactione stricte sumpta quatuor sunt videnda. 1. Definitio nominis. 2. in quibus consistit illa satisfactio. 3. si cuilibet peccato correspondet propria satisfactio. De primo dico, quod satisfactio est operatio exterior laboriosa vel pœnalis voluntarie assumpta ad puniendum peccatum: vel est passio seu pœna voluntarie tolerata in ordine ad puniendum peccatum. Isto modo accipitur satisfactio multo strictius, quam satisfactio primo modo: quia illa (primo modo accepta) potuit consistere in actu pœnalis passionis voluntariæ interiori vel exteriori: quia, ut opus exterius vel passio distinguitur contra actum vel passionem mentis, & contra actum oris, vel passionem concomitantem, non consistit satisfactio, nisi in illis tribus difficilibus, scilicet jejunio, oratione, & eleemosyna; vel in passionibus concomitantibus ista tria opera difficillima.* Ex hoc ergo textu clarum est, quod Scotus in Num. 14., ubi docet, pœnitentem non obligari ad acceptandam ullam pœnitentiam, eum loqui de satisfactione stricte dicta, seu vindicativa, ordinata ad vindictam peccati in ordine ad placandum Deum pro condonando reatu pœnæ, quem Scotus cum reatu culpæ confundit; non vero de satisfactione compensatoria, de qua sola hic est quæstio. Itaque error Scoti non consistit in eo; quod neget, *requiri satisfactionem compensatoriam ad arbitrium offensi*, quod solum in hac quæstione adstruitur; sed consistit in hoc, quod existimet, Deum nullam aliam satisfactionem compensatoriam in ordine ad obtinendam gratiam requisiisse, nisi tristitiam doloris de præterito, & verecundam confessionem oris, quod jam amplius post definitionem Concilii Tridentini defendi nequit. Condonandus hic error erat Scoto, qui ut plurimum æstimandus in rebus speculativis, quæ dependent à sola perspicacia ingenii, in materia tamen traditionis ob defectum provectioris ætatis, & ob spiritum contradictionis, quem Thomassinus l. 3. *de gratia* non injuria observat, nonnunquam deficit. Sed aliis senibus, qui juvenem, anno ætatis trigesimo sexto defunctum cœce insequebantur in rebus tam gravibus, minor venia indulgenda est.

OBJICIES 3. A sæculo 13. usque ad 16. communis erat sensus Theologorum, pœnitentias Confessario ita esse arbitrarias, ut liberum foret, aut levissimam imponere, aut omnino nullam. Ergo, cum jus naturæ prudenter non præsumatur tam rigorose insistere in istis pœnitentiarum levissimarum minutiis, præsumendum est, jure naturali nullam dari obligationem ad satisfactionem compensatoriam in ordine ad remissionem reatus culpæ. *Ant. prob.* ex Francolino l. 3. de pœnit. ubi recenset variorum Theologorum intra id temporis opiniones. 1. Robertus de Flammesburg Pœnitentiarius Parisiensis circa annum 1200. in suo *Pœnitentiali* satisfactionem totaliter relinquit arbitrio pœnitentis. Sic enim scribit: *Si pœnitens Canonicam non vult recipere pœnitentiam, admoneo, ne animam suam ullo modo lædat; & promptissimum me offero ad quantamlibet pœnitentiæ alleviationem. - - Si aliud fieri non*

 potest,

poteſt, illi dico, ceſſa a peccato, & ad libitum tuum quod volueris tibi mitigabo. 2. Petrus Pictavienſis Pœnitentiarius Pariſienſis eodem tempore in ſuo Pœnitentiali dicit: *Non videtur, quod pro peccatis occultis debeat pœnitens aliquis arctari præciſe ad aliquod genus ſatisfactionis nolens, ſed redimere poteſt vel aliter compenſare.* Similes Scriptores Francolinus l. cc. plures adducit.

Respondeo. n. a. quoad 2. m. quod videlicet unquam ſenſus communis Theologorum fuerit, *nullam* pœnitentiam ſatisfactoriam injungendam eſſe. Quoad 1. m. d. Erat communis ſenſus Theologorum, leviſſimam pœnitentiam injungendam eſſe iis, qui graviorem deprecabantur ex cauſa rationabili ſine malitia. c. aliis ex mera malitia rationabilem ſatisfactionem impudenter recuſantibus. n. Authores à Francolino relati non negant; pœnitentem in ordine ad obtinendam peccatorum veniam paratum debere habere animum recipiendi rationabilem ſatisfactionem viribus ſuis proportionatam, qui animus profecto non habetur in nonnullis pœnitentibus rationabilem ſatisfactionem recuſantibus, & ſtatim ad alios Confeſſarios laxos impudenter provocantibus. In hac autem quæſtione non quæritur, quænam ſatisfactiones rationabiliter à pœnitentibus poſſint exigi; ſed utrum ad veram pœnitentiam requiratur ſerium propoſitum ſatisfaciendi juxta arbitrium offenſi vel ejus vicarii?

Objicitur 4. Indulgentiæ usque ad Concilium Tridentinum conferebantur ſub hac formula: *Centum v. g. dies, annum, quadragenam, plenam remiſſionem &c. de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.* Ergo in caſu indulgentiæ plenariæ, aut alterius indulgentiæ partialis peccato proportionatæ ceſſabat omnis ulterior ſatisfaciendi obligatio. *Ant. patet* ex opere *de Indulgentiis* à me edito. *c. prob.* ex Declaratione Bonifacii VIII, ſicut refertur in Gloſſa Extravag. *Antiquorum* verbo, declaravit, *quod ſui Pœnitentiarii nihil debent injungere ultra injunctionem Operis in Bulla poſiti.*

Respondeo c. a diſt. c. Ceſſabat omnis ulterior obligatio ſatisfaciendi ſatisfactione compenſatoria pro condonando reatu culpæ. tr. vindicatoria pro condonando reatu pœnæ. n. Antiqui Pontifices ſapienter agebant, quod moderati fuerint rigorem multorum Confeſſariorum, qui antiquos Canones Pœnitentiales, potiſſimum taxatos pro peccatis publicis, vel denuntiatis privatim, vel ob enormitatem ſpecialiter reſervatis, Sæculo 8. 9. & 10. ad quævis peccata occulta tranſtulerant. Ea moderatio fiebat per Indulgentias de injunctis pœnitentiis, ita ut pœnitentes in ordine ad obtinendam veniam *per ſe* non adſtringerentur ad aliud, quam ad opera in Bullis Indulgentiarum præſcripta. Dixi *per ſe*; quia ad ſatisfactionem compenſatoriam etiam pertinet ſufficiens cautio de futuro, quæ habetur ordinarie per opera pœnalia abſterrentia & præſervantia in futurum, ideo etiam in Bullis Indulgentiarum præcipitur, ut præter opera ſatisfactoria per Pontificem præſcripta imponatur pœnitentia *ſalutaris*, hoc eſt, abſterrens & præſervans in futurum. Hinc patet, quam graviter errent Vicarii Chriſti in Tribunali pœnitentiæ, qui in compenſationem injuriæ Deo illatæ nullam aliam ſatisfactionem exigunt, niſi *attritionem* ex metu inferni, qua ne quidem deteſtantur offenſam ratione ſui, & *confeſſionem oris*, & unum vel alterum *Pater noſter*, non attendentes, injuriam Deo illatam neutiquam compenſari, niſi agnitione ac humili deprecatione offenſæ ratione ſui, & aſſecuratione morali de non iteranda injuria, quod in hominibus gravitatem injuriæ Deo illatæ non agnoſcentibus, vel ad relapſum nimium pronis regulariter non fit, niſi per acerbioris vel productioris pœnitentiæ humilem ſuſceptionem, ad quam niſi pœnitens paratus ſit, non eſt verus pœnitens quia non habet propoſitum jure naturæ requiſitum ſatisfaciendi Deo juxta arbitrium offenſi vel ejus vicarii in ordine ad obtinendam veniam.

Objicitur 5. Hæc obligatio juris naturalis nec ſcitur a plebeis, nec inculcatur a Caſiſtis & Parochis, nec agnoſcitur a Recentioribus Theologis. Ergo non datur. *Ant. prob.* Nullus Theologorum eximiorum poteſt oſtendi, qui hoc doceat. Ergo.

Respondeo. n. a. quoad 2. & 3. m. Inculcant enim hanc obligationem meliores Caſiſtæ & Parochi ſaltem implicite, dum vehementer inculcant, fideles obligari ſub peccato mortali ad exequendam rationabilem pœnitentiam a Confeſſario injunctam, quin iis liceat quærere alium confeſſarium, qui injunctam emolliat pro pœnitentis arbitrio. Inter Theologos autem hanc quæſtionem ex inſtituto tractat, & pro affirmativa reſolvit Suarezius, haud dubie inter Theologos recentiores eximius, Tomo 4. in partem 3. D. Thomæ Diſput. 15. art. 4. Sect. 3. ſic ſcribit: *Difficultas eſt, an præceptum pœnitentiæ ſit naturale, vel poſitivum? Quod prioris generis ſit, videtur probari. 1. quia ante legem ſcriptam nulla fuerunt præcepta poſitiva, propter quod tempus illud dicitur fuiſſe legis naturæ; in quo tempore etiam extitit hoc præceptum. 2. quia præcepta juſtitiæ naturalia ſunt; præceptum autem pœnitentiæ per ſe ac primario eſt præceptum cujusdam juſtitiæ infuſæ, quæ natura ſua obligat ad reſarciendam injuriam Deo illatam. Eſt ergo præceptum illi connaturale. 3. Si homo fuiſſet conditus in puris naturalibus, & in eo ſtatu peccaret mortaliter, obligaretur per ſe loquendo ad ſe convertendum in Deum, eique ſatisfaciendum, ut poſſet. Ergo eadem ratione in ſtatu gratiæ præceptum pœnitentiæ ſupernaturalis eſt connaturale ipſi gratiæ, ſeu homini ut illuſtrato per fidem. Favetque huic parti D. Thomas, h. q. 84. a. 7. quatenus ait:* De jure naturali esse, quod aliquis poeniteat de malis, quæ fecit. *Hoc etiam ſentit Cajetanus, Soto, Cano. Alii etiam Scholaſtici ita loquuntur, ut Alenſis, Bonaventura, Richardus, Major, Marſilius, Vega, Latomus. Contraria pars, ſcilicet hoc præceptum eſſe poſitivum, ſuadetur; quia lex naturalis vel obligaret ad actum pœnitentiæ propter naturalem rectitudinem voluntatis? Et hoc non. Quia ad hoc ſufficeret ceſſatio a peccato & nova vita, ſeu propoſitum deinceps recte operandi. Vel obligaret propter ſatisfaciendum Deo? Et hoc etiam non. Quia nulla ſatisfactio hominis etiam ex gratia operantis eſt æquivalens; ſed neceſſe eſt, ut illam Deus gratis acceptet, quod non facit, niſi per aliquam,*

qua

qua suam voluntatem declarat. Ergo sine lege positiva non potest intelligi obligatio hujus præcepti. Ita opinatus est Medina. Inter has sententias, Censeo, præceptum satisfaciendi Deo pro injuria illata per peccatum naturale esse; satisfaciendi, inquam, quantum homini possibile est. Quia omnis justitia ad alterum naturaliter obligat ad satisfactionem injuriæ illatæ, quia obligat ad æqualitatem resarciendam, quam injuria abstulerat. Ulterius dico; quamvis non possit homo condigne satisfacere; tamen excitatum & adjutum divina gratia posse aliqualiter seu imperfecte seu de congruo, ut vocant, satisfacere; ac proinde ad hujusmodi satisfactionem, supposita possibilitate, obligari ex lege connaturali ipsimet gratiæ. Quia ex vi ejusdem legis justitiæ, qua obligatur homo ad condignam satisfactionem, si potest eam exhibere, obligatur etiam, si non possit integram, saltem eam, quam possit, exhibere. Ut si quis alium infamavit, licet non possit integre infamiam tollere, si tamen potest minuere, vel efficere, ne augeatur, tenetur id facere. Et qui alteri contumeliam fecit, quamvis non possit integrè reparare honorem, tenetur tamen quod in se est, facere ad exhibenda signa honoris, quibus prior injuria, prout fieri poterit, resarciatur. Et ratio omnium est; quia justitia, quæ obligat ad æqualitatem faciendam integre, si possibilis est, consequenter vel a fortiori obligat ad faciendam illam ex parte, seu inæqualitatem minuendam, quantum possibile est. Sic igitur in præsenti judicandum est de satisfactione Deo exhibenda. Nam homo peccando quandam contumeliam Deo intulit contra ejus honorem & dignitatem ultimi finis: & quamvis non possit condigne satisfacere, potest tamen per auxilium gratiæ ad Deum converti, seque totum illi submittere, eumque ut ultimum finem, quantum potest, honorare. Tenetur ergo homo ex naturali lege justitiæ ad Deum illam satisfactionem exhibere. Et CONFIRMATUR *exemplis. Non enim potest homo condignas Deo agere gratias pro beneficiis acceptis; debet tamen referre, quas potest. Item non potest tribuere Deo adorationem & cultum condignum tantæ majestati; tenetur tamen prout potuerit colere. Sic igitur dicendum est in præsenti de satisfactione pro peccato. Est enim hic honor seu cultus Deo debitus speciali quodam & quodammodo magis rigoroso titulo justitiæ ratione injuriæ illatæ.* Hucusque eximie Suarezius.

QUÆSTIO III.

Utrum ad veram pœnitentiam jure naturæ requiratur actus dilectionis erga Deum?

DICO. Ad veram pœnitentiam jure naturali requiritur dilectio Dei super omnia. Ita rursus Suarez l. cc. n. 1. & 12.

PROBATUR 1. ratione Suarezii. Si homo fuisset conditus in statu puræ naturæ, & in eo statu peccaret mortaliter, lege naturali obligaretur ad quærendam reconciliationem, & communicationem priorem cum Deo; neque obligatio naturalis diligendi Deum super omnia per peccatum foret extincta. Ergo eoipso teneretur ponere actum dilectionis ergo Deum. *c. prob.* Nec reconciliatio, nec favor, nec gratia benevolentiæ sperari potest a Deo, nisi restituendo amorem alienatum a Deo. Ergo.

PROBATUR 2. de statu naturæ elevatæ. In hoc statu, quamdiu peccator est in vita, tamdiu tanquam viatori relinquitur adhuc fides & spes consequendæ beatitudinis supernaturalis. Ergo cum natura quemvis obliget ad quærendam suam beatitudinem; & fides doceat, in hoc statu nullam aliam beatitudinem esse obtinibilem nisi supernaturalem, quæ in lege naturæ & lege scripta deficientibus Sacramentis non potest aquiri sine dilectione Dei; eoipso lex naturæ obligat, ad amplexandum hoc medium obtinendæ beatitudinis.

PROBATUR 3. Doctores omnes cum D. Thoma docent, dari obligationem eliciendi actus charitatis erga Deum, quando in peccatore urget præceptum justificationis, & non habetur copia Sacramenti justificativi. Ergo agnoscunt, ad virtutem pœnitentiæ in lege naturæ & lege scripta requisitum fuisse amorem. Consequenter cum Christus pro materia Sacramenti pœnitentiæ receperit eam ipsam virtutem pœnitentiæ, quæ antiquitus requirebatur ad obtinendam veniam, non minuendo sed addendo perfectionem, censendum est, dilectionem Dei in omni statu requiri ad essentiam veræ pœnitentiæ.

PROBATUR 4. In hoc statu naturæ elevatæ peccator non potest justificari sine infusione gratiæ sanctificantis, & charitatis, qua Deus hominem amat amore amicitiæ. Sed amicitia Dei ad hominem haberi non potest sine reciproco amore amicitiæ hominis ad Deum; Ergo in hoc statu neque justificatio obtineri potest sine amore amicitiæ hominis ad Deum. Consequenter, cum lex naturæ obliget peccatorem in omni statu ad quærendam justificationem, utpote cujus instinctus per statum elevationis non destruitur aut suspenditur, sed tantum ad finem in suo genere perfectiorem dirigitur; necesse est, nt lex naturæ concomitanter obliget ad eliciendum actum pœnitentiæ affectum amore amicitiæ erga Deum per præsentes vires gratiæ. Hujus argumenti vis dependet ex eo, quod charitas Dei ad hominem haberi nequeat sine reciproco amore Dei, quæ doctrina ex instituto probatur in Tr. de Virtutibus. Disp. 8. de charitate; & in præsenti Tr. Disp. 3. q. 3. 4. & 5. & in qq.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si ad virtutem pœnitentiæ jure naturæ requireretur dilectio Dei, requireretur etiam dilectio justificativa. Sed hoc dici nequit. Ergo. *Maj. prob.* Justificatio in hoc statu, seu charitas Dei ad hominem nequit haberi sine reciproca dilectione justificativa hominis ad Deum.

RESPONDEO. dist. *Maj.* Requireretur dilectio justificativa in actu primo, & dispositivè. c. in actu secundo & effectivè. n. Jure naturæ præcisè requiritur talis dilectio Dei, quæ sit ejus naturæ, ut sit capax mutuæ dilectionis divinæ, non verò requiritur talis dilectio, quæ necessariò post se trahat redamationem divinam. Talis autem dilectio est illa, quæ à D. Thoma & aliis antiquis Theologis vocatur *initialis*, & quoad substantiam convenit cum dilectione perfecta. Ea

dilectio consistit in seria sed adhuc debili voluntate constituendi in Deo suum finem ultimum, eum præferendi practicè omnibus bonis creatis, eique exhibendi actus amoris practicos. Quia tamen hæc voluntas est debilis, ac de se inefficax ad præstanda promissa sine viribus habitualis gratiæ, ideo dilectio Dei initialis, nisi faciat totum quod est in se, aut nisi accedat specialis promissio, vel pactio Sacramentalis, ut fit in N. T. non necessariò & infallibiliter post se trahit redamationem mutuam. Cæterùm si quis in lege naturæ vel in lege scripta elicuit actum pœnitentiæ cum tali dilectione initiali, ad quam inflectendum fore reciprocum amorem divinum considerratis circumstantiis prudenter credidit, licet vires eousque non intenderit, ut de illo effectu certus esset, legi naturali satisfecisse censendus erit.

Objicies 2. Natura suis viribus se non extendit ad supernaturalia; ergo neque lex naturæ sua obligatione se extendit ad actum pœnitentiæ & dilectionis supernaturalis. *prob. c.* Ad impossibile nemo tenetur.

Respondeo. dist. a. Se non extendit directè ac per se. c. indirectè & concomitanter. n. Sicut natura & Deus concurrunt ad eundem effectum naturalem, licet juxta probabiliorem sententiam solus Deus sua determinatione possit attingere gradum individualem, & gradum supremum entis, sic contingit in multis effectibus supernaturalibus, ut natura attingat effectum supernaturalem sub prædicato seu gradu entibus ejusdem generis naturalibus & supernaturalibus communi; licèt gratia solùm influat determinativè in gradum illius effectûs intrinsecè ac formaliter supernaturalem. v. gr. Intellectus & voluntas humana influunt vitaliter & naturaliter in actus fidei, charitatis, misericordiæ &c. quatenus sunt actus vitalis, & in genere moris consentaneus rectæ rationi; quamvis sub esse respectivo ad motivum supernaturale non possint eò pertingere, nisi ut potentiæ informatæ per gratiam. Sic ergo etiam lex naturæ præcipit reconciliationem cum Deo, & in quantum huic reconciliationi in moderno statu annexa est proprietas excedens vires naturæ, sic quidem indiget adjutoriò gratiæ ad efficiendam proprietatem annexam; per hoc tamen non desinit instinctus & obligatio naturæ ad ponendum actum dilectionis reconciliativæ, quod prædicatum est commune cuivis pœnitentiæ tam naturali in statu naturæ non elevatæ ad finem supernaturalem quàm supernaturali in statu præsenti naturæ elevatæ. Itaque lex naturæ attingendò pœnitentiam reconciliativam sub hoc prædicato limites sui objecti non excedente *concomitanter* & *realiter* attinget etiam prædicatum supernaturale.

QUÆSTIO IV.

An facilis ac frequens sit pœnitentia justificativa extra Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ?

Notandum I. Quatuor esse posse in hac re sententias. *Prima* est, neminem justificari per infusionem gratiæ sanctificantis sine actuali susceptione Sacramenti collativi gratiæ. Hæc tamen sententia communiter rejicitur ab omnibus Theologis. Omnes enim Theologi docent, peccatorem, si per vires gratiæ faciat, quod in se est, justificari cum voto explicito Sacramenti, si illi desit copia Sacramenti. *Secunda* sententia; nemini conferri justificationis gratiam sine actuali susceptione Sacramenti, nisi tantùm in articulo mortis. Cum enim in vero articulo mortis nulla amplius supersit possibilitas suscipiendi ulterius Sacramenti, prout in casu ponitur, censent authores hujus sententiæ, Deum sua pietate omnibus verè pœnitentibus atque elicientibus contritionem perfectam conferre justificationis gratiam. Ita docuerunt Estius, & Sylvius in prima editione Operum, prout testatur Gonetus h. Disput. 3. art. 3. Etiam hæc sententia, prout Lugo refert h. Disput. 5. Sect. 8. n. 119. passa est varias Theologorum, ante Decretum Alexandri 7. *de non ferendis censuris* liberaliorum, censuras. *Tertia* sententia docet, hominem quidem justificari posse ante actualem susceptionem Sacramenti, sed non nisi per contritionem *charitate perfectam*, de qua homo non possit esse certus sine actuali susceptione Sacramenti. Putant enim ejusmodi Theologi, nullam contritionem extra Sacramentum donari seu informari gratia sanctificante, nisi intensissimam eo intensionis gradu, cujus sufficientia soli Deo perspecta sit. Huic sententiæ accedunt Plures moderni Theologi, qui ad contritionem perfectam requirunt, ut valde intensa sit, prout dicetur Disput. 3. Eandem sententiam amplexus est Silvius in posteriore editione suorum Operum. *Quarta* sententia, quam & nos amplectimur, docet, hominem justificari posse extra susceptionem vel pœnitentiæ per contritionem perfectam, cujus perfectio non soli Deo, sed etiam homini perspecta sit. Verum, quia hujus sententiæ Theologi in duas vias abeunt; in quarum una ad contritionem perfectam requiruntur conditiones difficiles, in altera autem faciles, hinc Quæritur; an pœnitentia justificativa extra Sacramentum facilis & frequens sit?

DICO. Pœnitentia justificativa extra Sacramentum, saltem in peccatore ante suum lapsum in actibus perfectæ charitatis non exercitato, nec facilis nec frequens est.

Dixi; *non exercitato.* Si quis enim per actus frequentatos contraxerit habitum aquisitum fervidæ charitatis, talis etiam, si ex infirmitate humana *in aliquo delicto præoccupatus fuerit. Gal. 6.* facile redit in actus amoris pristinos adjuvante gratia Dei, qui *non obliviscitur* tam copiosi sui amore suscepti antecedenter *operis Hebr. 6.*

Probatur conclusio I. ex Catechismo Concilii Tridentini, qui repræsentat doctrinam tempore Concilii communiter receptam à Theologis. Part. 2. c. 5. de Pœnit. §. 32. sic scribit: *Primum docendum est, Confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri; quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine*

gratudine æquari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut Clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret.

Probatur 2. SS. Patres de Catechumenis, quamvis juxta morem Veteris Ecclesiæ longa pœnitentia exercitatis, & ardentissime ad Baptismum anhelantibus, universim supponunt; eos non obtinuisse remissionem peccatorum ante actualem susceptionem Baptismi. Ergo ea universalis suppositio saltem in plerisque paucis exceptis, verificari præsumenda est. *c. patet*; quia propositiones generales ac indefinitæ non rectè fiunt, ubi fallificantur in plurimis, aut passim. *Ant. prob.* 1. D. Augustinus tr. 13. in Joan. scribit: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit.* Ibidem tr. 11. alloquens Catechumenos ait: *Sic credidistis in Christum, ut adhuc vestra peccata portetis. — Dimitti autem non possunt, nisi ei, qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* 2. Nazianzenus Orat. 39. & 40. à Catechumenis exigit, ut ad assequendam Baptismi gratiam *sedulò* se præparent: atque in eum finem vigilias, jejunia, humi cubationes, orationes, lachrymas, eleemosynas commendat, protestatur tamen; remissionem peccatorum non nisi in ipso Baptismo conferri. *Quanquam*, inquit, *hoc gratia Baptismi afferat, ut præteritæ noxæ remittantur.* 3. D. Chrysostomus Hom. 1. in *Acta*, rationem reddens, cur Catechumeni tot exercitationibus præpari debeant, universim sine discrimine se perfecte vel imperfecte præparantium, docet, gratiam primum in Baptismo post illam præparationem conferri. *Non enim datur gratia*, inquit, *nisi vigilanti. Etenim quemadmodum qui purpuram tingunt; prius id aliis coloribus præparant, quod tincturam accipiet; ita & hic animi sollicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam.* Idem seu quisquis alius est author *Operis imperfecti* in Matth. Hom. 49. docet; Catechumenos ab Ecclesiis tanquam in utero concipi, *donec formentur per singula membra pietatis. Cum autem sic formati fuerint, pariunt eos in Baptismo. — Omnis ergo Ecclesia, quæ concipit talem hominem in utero per verbum fidei, prius debet eum formare omnibus his mandatis quasi mensibus decem, & sic eum maturum parere Deo.* 4. Cyrillus Jerosol. Catechesi. 1. Mystag. loquens de Catechumeno ait: *Iste impudens improbitatis princeps dæmon ad ipsas usque salutares undas te sequebatur, Pharao in mari submersus est: iste in aqua salutis suffocatur.* 5. Ambrosius l. de initiandis c. 4. *Credit Catechumenus. Sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere peccatorum.* 6. D. Bernardus Epist. 77. docet, nunquam Catechumenum justificari per Baptismum in voto, nisi in articulo mortis, aut absolutæ impotentiæ casu. *Credo, inquit, sola fide hominem posse salvari, tum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviant.* Id ipsum docet Augustinus l. 4. c. Donat. c. 4. Cyprian. & Ambr.

Probatur 3. S. Augustinus Epist. 180. *ad Honoratum* testatur; suo tempore fuisse communem sensum fidelium, eos æternum perire, qui moriuntur sine Sacramento. Nam loquens de repentina incursione hostium, obvios quosvis trucidantium, ait: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis pœnitentiæ actionem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium; & quorundam quanta blasphemia de absentia Ministrorum.* His vero lamentis & blasphemiis opus non fuisset, si fideles illorum temporum existimassent; hominem facile salvari per seriam pœnitentiam cum Sacramento in voto.

Probatur 4. Si facilis esset pœnitentia justificativa ante actualem usum Sacramenti, tunc abstrahendo à speciali præcepto Ecclesiæ liceret contrito extra casum necessitatis accedere ad Eucharistiam sine prævia confessione, dummodo haberet propositum confitendi opportuno tempore. Sed hoc non licet, Ergo. *Min. prob.* Tridentinum Sess. 13. c. 7. docet; id non licere vi *consuetudinis*, non vero dicit, id esse prohibitum vi *Ecclesiastici præcepti*. Consuetudo autem circa actus potissimum internos, ut fit in hoc Sacramento, non inducit obligationem, nisi fundetur in ipsa natura & exigentia objecti. Verba Concilii sunt ista: *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

Probatur 5. Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. docet; Contritionem, utut ex suo genere valde vehementem, *aliquando*, non autem, *frequenter*, esse justificativam. Ergo tacitè insinuat pœnitentiam justificativam extra Sacramentum spectata ordinaria conditione hominum non valde frequentem esse. *Ant. prob.* ex Concilii verbis: *Certè*, inquit, *qui illos Sanctorum clamores consideraverit:* Laboravi in gemitu meo *&c. facile intelliget, eos ex vehementi anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendam.*

Probatur 6. Scriptura remissionem peccati post actam seriam pœnitentiam ponit adhuc in incerto; ergo est difficilis pœnitentia certò justificativa. *Ant. prob.* Jonæ 2. *Operiantur in saccis homines, & clament ad Dominum in fortitudine; & convertatur vir à via sua mala. Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus.* Et 1. Reg. 6. *Si forte relevet manum suam à vobis.* Ad quæ verba D. Gregorius l. 3. Reg. c. 8. scribit: *Quid aliud*

in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum.

Probatur 7. Si facilis esset venia per contritionem cum voto Sacramenti tacito vel expresso, non ita propriè verificarentur verba Christi, dum ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et illa: *Quæ solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Tum illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Nam Gentiles, Judæi, Hæretici materiales, & peccatores revera obtinerent veniam per contritionem cum voto implicito Sacramenti. 2. Sequeretur; Donum fidei Catholicæ non conferre ingentem prærogativam præ Acatholicis; cum & hi expeditum haberent salutis medium. 3. Sequeretur; Sacramenta ipsa non tam sollicitè quærenda fore, ut populus sentit; cum etiam per contritionem ordinaria & facilis panderetur via salutis.

Probatur 8. Peccatrix Evangelica jam elicuit actum contritionis, quando ivit ad Christum animo ejus pedes lachrymis lavandi; & tamen primum justificationis gratiam consecuta est, quando venit ad Christum. Ibi enim à Christo dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7. v. 47. Et ad mulierem dicit: *Remittuntur tibi peccata.*

Confirmatur ex S. Augustino Hom. 23. inter 50. ubi dicit: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana.*

Probatur 9. D. Paulus in sua conversione probabilius elicuit contritionem; & eam Ananias facile colligere potuit ex dispositione pœnitentis; nihilominus illi dicit: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

Probatur 10. Authoritate D. Thomæ, qui 1. 2. q. 112. a. 5. C. sic scribit: *Dicendum, tripliciter aliquid posse cognosci. Uno modo per revelationem. Alio modo per seipsum, & hoc certitudinaliter. Et sic nullus potest scire se habere gratiam. Tertio modo aliquid cognoscitur conjecturaliter per aliqua signa; & hoc modo potest aliquis cognoscere se habere gratiam inquantum scilicet percipit, se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & inquantum homo non est sibi conscius alicujus peccati mortalis.* Jam vero pauci sunt Christiani, qui habent hæc signa. Ergo etiam pauci possunt scire, se habere contritionem vere justificativam.

Objectiones.

Objicitur 1. Primis quinque Sæculis communis erat Doctrina Patrum, & sensus fidelium, hominem justificari ordinariè per contritionem dudum ante receptionem Baptismi vel Pœnitentiæ. Ergo. *Ant. prob.* 1. Eo tempore Baptismus etiam à Catechumenis probatissimis differebatur in seros annos fine ullo remorsu conscientiæ, aut reprehensione Doctorum. Sic enim Constantinus teste D. Hieronymo in Chronico distulit Baptismum usque in annos ultimos vitæ. S. Ambrosius, dum adhuc esset Catechumenus, ad Episcopatum assumptus est. S. Martinus octo annis vixit in Catechumenatu; uti & Valentinianus Imperator, pro quo in Catechumenatu defuncto Ecclesia preces & Sacrificia obtulit. Ergo non credebant, se esse in statu damnationis durante ea dilatione. 2. Eo tempore à plerisque differebatur pœnitentibus absolutio multis annis usque ad terminum Satisfactionis Canonicæ expletæ; nec est credibile, Ecclesiam suos pœnitentes voluisse tamdiu relinquere in statu damnationis. 3. Eo tempore pœnitentia Sacramentalis de gravioribus criminibus agebatur tantum semel in vita; & propterea à plerisque partim ob metum satisfactionis Canonicæ, partim ob timorem relapsus differebatur usque ad articulum mortis vel usque in senium; nec tamen credebant, se esse in statu damnationis. 4. Eo tempore omnes fideles nullis gravioribus Criminibus Canonicis obnoxii fere quotidie sumebant Sacram Communionem, sine prævia Confessione, etsi cæteroquin incurrissent varia peccata gravia partim interna, partim externa, non reservata pœnis Canonicis. Ergo credebant se justificari per contritionem. 5. D. Chrysostomus suis auditoribus sæpissime promittit peccatorum veniam statim obtinendam, quacunque hora sese serio converterent ad Deum, nullam requirendo actualem confessionem. Ergo credit, fideles justificari per cordis contritionem ordinariam, & facile à quovis parabilem. *Prob. Conf.* Quod obtineri non potest nisi per medium prorsus extraordinarium, à paucissimis obtinibile, idque fallibile, non potest promitti omnibus, nec in ejus spem certam erigi possunt omnes. Textus vero D. Chrysostomi videri possunt in *Demonstratione Critica* fol. 196. Object. 1. ubi *Hom. 9. de Pœnitent.* dicit: *Deo soli dic peccatum tuum; & dimittitur peccatum tuum.*

Respondeo n. a.

Ad 1. n. a. quoad 2. membrum. Patres enim frequenter reprehendunt eos, qui Baptismum differebant usque in senium vel ad mortem, præsertim *D. Nazianzenus. D. Augustinus* certè eorum salutem valde dubiam esse declarat; eò quod plerique prius non habuerint seriam voluntatem abstinendi à peccatis, prout dicetur quæst. sequente. Circa alios vero, qui non differebant Baptismum ex habitu peccandi; sed tantum ex timore relapsus, quia, licet vere amarent Deum, tamen difficile videbatur, perseverare post Baptismum sine peccato mortali; videtur Deus, ob amoris sinceritatem sæpe ante actualem usum Sacramenti contulisse securitatem internam de venia, & charitatem habitualem; eo modo, quo & Cornelius Centurio accepit Spiritum Sanctum ante susceptionem Baptismi. *Act.* 10. v. 44.

Ad 2. n. a. Suppono enim ex iis, quæ scripsi in *Demonstratione Critica*, fol. 235. omnes pœnitentes initio pœnitentiæ Canonicæ fuisse absolutos *Sacramentaliter*. Ita ut secunda absolutio post expletam pœnitentiam Canonicam tantum fuerit *Indulgentialis*.

Ad 3. n. a. quoad 2. membrum; quia licet *multi* pœnitentiam in mortem distulerint; non tamen id factum à *plerisque*; quia plurimi partim vincebant difficultatem Satisfactionis Canonicæ; partim ab ea lege eximebantur, ut mulieres, pueri, juvenes, Clerici, & rei occultorum tantum criminum non specialiter reservatorum pro Satis-

factione

factione Canonica. Ea enim Sacramentalis pœnitentia circa crimina non *reservata*, puta homicidii, mœchiæ, & idololatriæ &c. non semel tantum, sed millies reiterari poterat, quo modo nunc iterari permittitur, prout ostensum est ex D. Chrysostomo in *Demonstratione Critica*. fol. 235. & 251.

Ad 4. dist. a. Quotidie sumebant S. Communionem, etsi incurrissent gravia peccata, si vel ex qualitate delicti, vel ex defectu occasionis confitendi excusabuntur à præmittenda Confessione S. Communioni. c. secus. n. Eo tempore Ecclesia permittebat Laicis cum contritione existimata accedere ad S. Eucharistiam, si tantum haberent peccata minus deliberata, ut sunt frequenter actus interni, aut verba ex passione repentina prolata; ac insuper non daretur commoditas confitendi. In hoc verò casu non justificabantur per contritionem, sed per Sacramentum Eucharistiæ, ut suppono ex Tr. *de Eucharistia*.

Ad 5. dist. a. S. Chrysostomus promittit peccatorum veniam contritioni charitate perfectæ, aut etiam imperfectæ accedente Sacramento Eucharistiæ, quæ aliquando per accidens ex attrito facit contritum per infusionem Gratiæ sanctificantis seu charitatis habitualis. c. contritioni imperfectæ non accedente Sacramento Eucharistiæ. n. a. Verosimile enim est; antiquitus, cum ob paucitatem & nimiam occupationem Sacerdotum tum etiam ob incapacitatem populi recenter ad fidem in variis Provinciis conversi non expediret, fideles arcere a S. Communione sine prævia confessione, nisi haberent peccata quædam majora, specialiter reservata præcedenti cognitioni Ecclesiæ & Satisfactioni Canonicæ, poterant per accidens justificari sumptione Eucharistiæ, dummodo haberent propositum, illa ipsa peccata, utut non specialiter reservata, confitendi opportuno tempore, saltem in articulo mortis.

Objicitur 2. Scriptura jam in V. T. promittit infallibilem remissionem peccati cuivis peccatori serio se convertenti; Ergo ad remissionem peccati non requiritur pœnitentia extraordinaria nonnisi à paucissimis obtinibilis. *Ant. prob.* 1. *Ezech.* 18. v. 21. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, & omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor - - - considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet.* Ib. v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* 2. *Joannis* 14. v. 21. dicitur: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.*

Respondeo. n. a. *ad prob.* respondeo.

Ad 1. Inprimis retorquendo in attritione, seu contritione imperfecta, quæ juxta adversarios facit, ut peccator se convertat, & avertat ab omnibus iniquitatibus suis; & tamen non justificat extra Sacramentum.

Respondeo 2. dist. peccator vivet, si se à peccatis avertat cum perfecta conversione cordis ad justitiam. c. sine tali conversione. n. Perfecta conversio ad justitiam exigitur in iis ipsis textibus, qui objiciuntur; dicitur enim: *Si impius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet - - cum averterit se ab impietate sua, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Et v. 30. *Convertimini, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Ea vero *efficax intentio observandi omnia mandata*, inter quæ est amor Dei & proximi; is *amor universalis justitiæ*, & illud *cor novum*, & *spiritus novus*, non solet esse sine dono extraordinario motionis divinæ ad actus essentiales charitatis. Verum cum peccator ordinarie se non subjiciat illimitate divinæ motioni, non habebit ordinarie contritionem justificativam.

Ad 2. dist. a. Qui diligit dilectione *perfecta*. c. tantum *initiali*. n. a. Quod enim dilectio Dei initialis, non sufficiat ad justificationem extra Sacramentum, Suppono ex dicendis *Disput.* 3.

Objicitur 3. Nisi frequens esset justificatio extra Sacramentum, falleret communis sensus fidelium & praxis Ecclesiæ. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Ant. prob.* 1. Communis sensus fidelium est; posse ab existentibus in peccato mortali differri Confessionem per dimidium aut integrum annum, usque dum urgeat præceptum Ecclesiæ. Sed hoc non liceret, nisi daretur remedium contritionis justificativæ moraliter certæ. Ergo. 2. Praxis Ecclesiæ jubet; ut Confessarii differant absolutionem pœnitentibus Consuetudinariis, in quibus nulla spes emendationis apparet, quamvis ore spondeant emendationem. Sed hæc praxis non esset approbanda; nisi dimissi sine absolutione haberent expeditum medium se salvandi per contritionem justificativam. 3. In Concionibus, Catechesibus, & Libris fideles passim instruuntur, ut existentes in peccato mortali ingruente periculo mortis se salvent per contritionem perfectam. Non autem prudenter foveretur ea spes in populo, si non nisi raro a paucissimis obtineretur justificatio.

Respondeo. n. a.

Ad 1. n. *Maj.* Quod enim multi Theologi negant, non potest esse communis sensus fidelium.

Ad 2. c. *Maj.* dist. *Min.* hæc praxis non esset approbanda, nisi in ejusmodi consuetudinariis concessione absolutionis appareat majus periculum animæ. c. secus. n. Suppono ex dicendis Disput. 7., consuetudinariis non esse denegandam aut differendam absolutionem, nisi certior appareat spes emendationis & consequendæ salutis ex dilatione absolutionis, quam ex inutili iteratione absolutionis in iis, qui laborant habituali negligentia gravi, probabilius vincibili, emendandi consuetudinem per media efficacia. Interea debent ejusmodi pœnitentes abstinere a peccatis; orare, & sacrificia mortificationum offerre; exercere opera misericordiæ; & sic sese congrue disponere ad perfectæ contritionis gratiam. Verum quia hæc illorum dispositio & pœnitentia extra Sacramentum frequenter non est sufficiens ad justificationem, non diu differenda est absolutio, nec non nisi in casibus raris Disput. 7. exprimendis.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min.* quia etiam ad bravium omnes invitantur ac currunt, licet id unus accipiat. Sic & proponuntur fidelibus quotidie Indulgentiæ plenariæ, quarum tamen plenarium fructum

fructum paucissimi accipiunt. Idque eo magis locum habet in pœnitentia, ubi obtentio scopi unice dependet a forti conatu pœnitentis, nunquam ex sua parte deficiente sufficiente gratia, & ubi scopus à plurimis, saltem in amore Dei ante lapsum exercitatis, obtinetur.

OBJICITUR 4. Theologi Veteres & Recentiores obstant Conclusioni. Ergo. *Ant. prob.* 1. D. THOMAS docet, rarum esse casum, in quo pœnitens non justificatur ante actualem Absolutionem. Ergo falsum est, hominem raro justificari ante usum Sacramenti. *Ant. prob.* In Opusculo. 20. de *Forma Absolutionis* dicit: *Quandoque aliqui consequuntur justificationem in ipsa absolutione, quam ante non fuerant consecuti.* Quod autem præcise *quandoque* fit; raro fit. Idem in 4. dist. 14. art. 5. qq. 3. C. docet; *amorem Dei posse esse adeo remissum, ut non sufficiat ad rationem charitatis*, statim justificativæ; qui modus loquendi videtur supponere; casum *amoris adeo remissi* non statim justificativi esse *præcise possibilem*, seu rarum. Idem in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. qq. 1. C. scribit: *Virtus clavium operatur ad remissionem culpæ vel in voto existens, vel in actu. - - Unde si aliquis ante absolutionem non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa absolutione gratiam consequeretur, si obicem non poneret.* 2. Contritio perfecta juxta ideam, quam tradit communis Recentiorum Theologorum, non est adeo difficilis, quin facile possit elici ab homine Christiano. Ergo non est rarus casus pœnitentiæ infallibiliter justificativæ ante actualem usum Sacramenti. 3. Magister Sententiarum; Albertus M., Alensis, Bonaventura, & plerique Doctores sæculo 12. & 13. docuerunt; hominem fere semper justificari per contritionem præviam ad absolutionem; hanc vero non esse directe ordinatam contra culpam, sed tantum ad remissionem pœnæ. Ergo, cum non sit supponendum, Ecclesiam duobus illis doctissimis & Sanctissimis sæculis relictam esse in crasso errore circa virtutem Clavium & Sacramenti tam necessarii; dicendum, frequentissime peccatores infallibiliter justificari per contritionem.

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. n. a. *ad prob.* dist. a. Dicit D. Thomas, id *quandoque fieri*, sumendo in hoc loco hunc terminum *divisive*. c. restrictive. n. a. S. Doctor more suo hunc terminum *quandoque* non sumit restrictive ad casum rarum; & comparative ad individua casuum; sed tantum divisive per comparationem ad genera & species rerum. Sic enim dist. 18. q. 1. C. dicit: *Baptismus quandoque datur adultis, quandoque pueris.* Et dist. 17. q. 1. art. 3. qq. 1. ad 3. *Motus liberi arbitrii ad gratiam percipiendam quandoque sufficienter disponit, & tunc gratia infunditur statim: quandoque autem insufficienter, & tunc talis insufficientia non potest suppleri, nisi per alium actum liberi arbitrii vel per Sacramentum.* Ex quo textu clarum est; to *quandoque* non esse particulam restrictivam individuorum ad raritatem casuum; sed divisivam generum vel specierum; alioquin etiam ex hoc ipso posteriore textu sequeretur; raram esse pœnitentiam justificativam extra usum Sacramenti; & sic posset inverti argumentum: Pœnitentia tantum *aliquando* disponit ad gratiam justificationis statim consequendæ. Ergo id raro fit. Addo; etiam posito, quod esset frequens contritio justificativa extra Sacramentum loquendo in genere, non tamen esset frequenter infallibilis in individuo. Sicut enim *homo non potest esse certus de sua contritione in individuo, an sufficiat ad tollendum totum* pœnæ reatum, ut docet D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 1. qq. 1. ad 8. ita non est regulariter certus, an sufficiat ad justificationem.

Ad 2. dist. a. Non est adeo difficilis, ut possit facile elici affectu inefficaci sine viribus gratiæ habitualis. tr. efficaci. n. Discrimen inter contritionem seu dilectionem Dei imperfectam, & perfectam consistit in hoc, quod dilectio Dei perfecta sit efficax per vires gratiæ habitualis, imperfecta autem non sit efficax ad servanda promissa per vires gratiæ habitualis. Sed in actu primo illa contritio seu dilectio potest vocari efficax, quæ de congruo per modum dispositionis ultimæ meretur informationem gratiæ habitualis conferentis vires contrito seu amanti ad servanda proposita. Jam vero dilectio Dei, quæ sic proponit Deum præferre omnibus bonis creatis, ut Deum tunc solum velit præferre bonis creatis, quando id præcipit Deus sub interminatione æternæ pœnæ non meretur de congruo vires habitualis gratiæ seu infusionem gratiæ sanctificantis; econtra dilectio, quæ vult placere Deo in omnibus actionibus, & omnia præstare amoris obsequia, quæ in emersuris occasionibus sana ratio exegerit, meretur informationem habitualis gratiæ. Sed quia hæc dilectio nec facilis nec frequens est in peccatore, ideo etiam contritio seu pœnitentia justificativa extra Sacramentum nec facilis nec frequens est. Si quis velit habere exemplum ejusmodi contritionis seu dilectionis *inefficacis*, & *efficacis* in actu primo, specimen dabunt duo peccatores, quorum quilibet in sua conversione recitat Orationem Dominicam. Uterque dicit: *Pater noster sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Sed unus hoc dicit, ut velit Deum verbo & opere glorificare in omnibus occasionibus ac negotiis, non solum maximis, in quibus tenetur per se sub peccato mortali præferre emolumentum DEI commodis propriis, sed in minimis etiam, ubi sana ratio poscit, operandum esse in gloriam Dei seposito commodo proprio. Alter vero hoc præcise dicit in eo sensu, quod velit glorificare Deum præcise in iis, ad quæ per se sub peccato mortali tenetur. Prior optat nil aliud nisi regnum Dei animo fruendi Deo tanquam summo suo bono; reliqua omnia bona terrena non amplius desiderat, nisi in ordine ad illud summum bonum. Econtra posterior sic cupit regnum Dei, ut simul velit perseverare in vanitatibus hujus sæculi & terrenis delitiis nil conducentibus ad gloriam Dei aut salutem propriam, dummodo non sint determinate prohibita sub peccato mortali. Ille sic optat impleri voluntatem divinam, ut etiam ipse serio & efficaciter proponat, non tantum implere voluntatem rigorosi præcepti, ubi determinate aliquid præcipitur sub peccato mortali, sed etiam voluntatem beneplaciti divini; ubi id sana ratio exege-

exegerit, aut per instinctum internum suaserit. Iste vero in eo tantum sensu impleri voluntatem divinam vult, in quantum se resignat in dispositiones divinas, & in quantum proponit implere voluntatem rigorosi præcepti. Dico; illum peccatorem justificari extra Sacramentum; hunc posteriorem vero non justificari extra Sacramentum; quia ille prior facit quod est in se spectata morali potentia, adeoque per modum dispositionis ultimæ meretur de congruo infusionem habitualis gratiæ, qua ejus propositum redditur simpliciter efficax, quia per eam gratiam obtinet vires implendi, quod promittit. Posterior autem non facit, quod est in se, nec meretur de congruo infusionem habitualis gratiæ, qua sibi conferantur vires ad ea præstanda, quæ proponit. Ideo extra Sacramentum non obtinet gratiam sanctificantem. Aliud specimen amoris *efficacis justificativi* extra Sacramentum, & *inefficacis non justificativi* sumi potest ex Apostolo ad Philipp. 4. & 1. Cor. 13. ubi signa amoris justificativi & proprietates describit: *De cætero*, inquit, *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate; hæc agite, & DEUS pacis erit vobiscum.* Itaque peccatori, qui hæc non proponit, non promittitur pax seu reconciliatio Dei ad hominem. Similiter 1. Cor. 13. signa & proprietates charitatis justificativæ panduntur. *Charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Itaque peccator, qui tantum in confuso proponit agere ea, quæ sunt essentialia charitatis, bos autem connaturales effectus charitatis vincibiliter ignorat, aut non efficaciter intendit, extra Sacramentum sine speciali promissione, aut singulari exceptione non justificatur. Et cum illa dilectio efficax in peccatore nec facilis sit, nec frequens, sequitur, etiam pœnitentiam justificativam extra Sacramentum facilem aut frequentem esse.

Ad 3. q. 1. m. n. a. Quod si etiam contritionem de se justificativam per se requisivissent, exinde non sequitur, eam pœnitentiam esse facilem & frequentem ante actualem susceptionem Sacramenti. Potuerunt enim existimare, & in ea hypothesi reipsa existimandum esset, in Sacramento accedentibus cum contritione existimata ubertim conferri actuales gratias, quibus excitati facilius eliciant contritionem veram, ac propositum efficax placendi in omnibus actionibus Deo, qua dispositione posita justificarentur ex pacto Sacramentali, sicut etiam in contritione extra Sacramentum confertur gratia intuitu Sacramenti in voto, seu pacti Sacramentalis.

OBJICITUR 5. Ex hac sententia sequerentur varia absurda. Sequeretur enim 1. Nulli fore licitum, in casu necessitatis accedere ad sumptionem Eucharistiæ cum sola contritione; quia nemo posset præsumere, quod habeat contritionem justificativam.

2. Sequeretur, in Veteri Testamento & Lege Naturæ non frequentem fuisse justificationem, quia ex defectu Sacramenti non dabatur frequens pœnitentia justificativa.

3. Sequeretur; plerosque decedentes cum feria detestatione peccatorum & cum vera dilectione Dei æternum perire.

RESPONDEO.

Ad 1. n. a. Quia cuivis in casu necessitatis possibile est concipere propositum efficax in omnibus actionibus placendi Deo, quamvis ad hanc resolutionem, ut seria & efficax sit, intensione quadam virium opus sit.

Ad 2. n. a. Quia in Veteri Testamento omnes fideles diligentissimè exercebantur in actibus perfectæ charitatis, ut patet ex Psalterio Davidis omnibus familiarissimo; & ex perpetua memoria Legis de amando Deo, inculcata Devt. 6. & 30. & Josue 22. & 23. Exercitatis autem in amore Dei dixi facilem esse contritionem justificativam.

Ad 3. dist. Sequeretur, perire decedentes cum dilectione Dei imperfecta. e. perfecta. n. Ipsis enim ejusmodi peccatoribus imputandum est, quod noluerint elicere amorem Dei perfectum. Argumentum retorqueri potest in decedentibus cum sola attritione, in qua adversarii existimant excludi omnem affectum peccandi, & contineri propositum servandi omnia mandata.

QUÆSTIO V.

An pœnitentia, quæ differtur in articulum mortis, possit aut soleat esse sufficiens ad salutem?

NOTANDUM 1. Hanc quæstionem tractari à Magistro Sententiarum, & ab omnibus antiquis Theologis, qui scripserunt in Libros Sententiarum. Conveniunt omnes in eo; quod asserant valde incertam; disconveniunt vero, quod aliqui illorum censeant, rarò eam esse ad salutem sufficientem.

NOTANDUM 2. Quæstionem potissimum versari circa consuetudinarios, qui multis annis hærent in iisdem peccatis sine seria conversione, eò quod vel ultro perseverent in occasione proximâ, vel quod non adhibeant media idonea corrigendi consuetudinem aut negligant deponere ignorantiam crassam circa obligationes sui status; præsertim si neglectu bonorum operum se indignos reddant extraordinariis auxiliis gratiæ finalis.

DICO I. Potest elici pœnitentia ad salutem sufficiens etiam in extremo momento vitæ.

PROBATUR 1. ex Scriptura; ubi illimitatè cuivis seriò pœnitenti promittitur venia. 1. Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. — Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* 2. Ecclesiastici 2. v. 12. *Scitote, quia nullus speravit in Domino & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & re-*

& renditet in die tribulationis peccata; & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. 3. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur.*

PROBATUR 2. ex Epistola 2. S. Leonis Papæ. Resp. 5. ubi ait: *Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est.*

DICO II. Pœnitentia, quæ differtur in articulum mortis, rarò est sufficiens ad salutem.

PROBATUR 1. authoritate Patrum. 1. S. AUGUSTINI, qui *Homil.* 41. inter 50. à quibusdam attributa D. Ambrosio, sic perorat: *Dico in conspectu Dei timori vestro timorem meum. — Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit; sed non præsumimus, quia bene hinc exit. — Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. — Nunquid dico; damnabitur? Non dico. Sed dico etiam, liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio. — Si tunc vis agere pænitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* 2. Author libri *de vera & falsa pœnitentia*, quem Scriptores Sæculi XII. & XIII. unanimiter tribuerunt S. Augustino, & Navarrus eidem vindicat. c. 17. sic scribit: *Nullus exspectet, quando jam non possit peccare. Arbitrii enim quærat libertatem, ut dolere possit commissa, non necessitatem. Qui prius à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat, ea non libere, sed quasi ex necessitate condemnat. — Scriptum est; sine charitate neminem salvum esse.* (1. Cor. 13.) *Non itaque in solo timore vivit homo. Quem ergo sero pænitet, oportet non solum timere judicem, sed & justum diligere. Non timeatur pro pœna; sed ametur pro gloria. Debet dolere de crimine, & de omni ejus varietate. Quod quoniam vix licet, de ejus salute Augustinus potuit dubitare* (Benedictini tamen in editione Parisiensi S. Aug. observant; hanc citationem in antiquis Manuscriptis non reperiri) *Convertitur, qui jam totus & omnino vertitur, qui jam non tantum pœnas non timet, sed ad bonum Deum contendere festinat. Quæ conversio, si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de pænitente sero. — Fructiferam pænitentiam Deus inspirare potest, quandocunque vult; sed magnum est, cui Deus tunc inspirat.*

PROBATUR 2. authoritate & ratione Scoti, qui in 4. dist. 20. q. Unica. sic scribit: *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem, quia difficile est, tunc habere veram pœnitentiam.* 1. *Quia tunc impeditur usus liber rationis & voluntatis ex dolore vel timore. — Si dicas: quod dolor vel timor non totaliter impedit intellectum vel voluntatem; concedo; sed multum impedit, & per consequens remissius & imperfectius usus intellectus & voluntatis potest haberi, qui vix sufficit ad displicentiam sufficientem, & requisitam ad veram pœnitentiam.* 2. *Ad hoc, ut displicentia valeat, oportet, ut sit voluntaria propter Deum. Sed difficile est, tunc habere actum sic circumstantionatum. — Quia aliquid simpliciter involuntarium videtur causa istius displicentiæ; nam exspectatio mortis videtur esse causa illius displicentiæ: illa autem est involuntaria. Sed quod non fit, nisi ex suppositione cujusdam involuntarii, non est simpliciter* (id est, perfecte) *voluntarium; sicut non omnino voluntarie projicit quis merces in mari. Saltem, quod non est, nisi fit* (detur) *involuntarium, non est multum acceptum alii, nec multum videtur propter amorem ejus factum.* 3. *Quia habitus malus usque tunc continuatus multum retrahit ab actu pænitentiæ. Delectabilia* (enim, quæ illicitè quis dilexit, sive tunc sint) *præsentia in se, sive in phantasmatibus vehementer impressis, ex vehementia habitus continuati multum inclinant ad se inordinate amanda; & per consequens magnam faciunt difficultatem ad habendum magnam displicentiam de eis ad hoc, ut sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ.* 4. *Quanto aliquis est minus Dominus sui actus, tanto requiritur intensior displicentia ad hoc, quod sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ. Iste autem minus est Dominus; quia nullo modo est Dominus actus exterioris ad peccandum. Requireretur ergo secundum strictam justitiam intensior motus displicentiæ ad justificationem ejus, quam ad justificationem sani, cum vix possit habere æque intensum. Et hanc rationem tangit Augustinus: Age pænitentiam, dum sanus es &c. ideo, quantum deficit in te de libertate, tantum secundum rigorem requiritur in te motus intensior, quem vix vel nunquam poteris habere. Ideo dicit Augustinus; quod magnum est, cui Deus tunc inspirat* (si quis est) *veram pœnitentiam, quia vix, vel nunquam est aliquis, qui habeat dispositionem de congruo, ut cui inspiretur.* Hucusque Scotus.

COROLLARIUM, quod & ipse Scotus adjungit: *Infirmo jam ad articulum istum deducto suadendum est, ut secundum suam possibilitatem laboret ad pœnitentiam ordinatam, ut scilicet non obstante dolore vel timore utatur ratione quantum potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum* (obtinendum). *Et renitatur malæ inclinationi habitus & delectationum præsentium; & laboret ad displicentiam quantum poterit habere: licet brevem. Et ne in desperationem mittatur, extollenda est Dei misericordia, proponendo exemplum de latrone, cujus fuit pœnitentia sera, sed non sera indulgentia.* Ita Scotus. Magister autem Sententiarum l. 4. dist. 20. c. 1. putat, tales exhortandos ad perfectum amorem Dei, ubi ait: *Qui pœnitentiam usque in finem protrahunt, tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, sed timore mortis — quem ergo sero pænitet, oportet non solum timere judicem, sed diligere; quia sine charitate nemo salvus esse potest.*

Objectiones.

OBJICITUR 1. contra primam Conclusionem. 1. Antiochus egit pœnitentiam in articulo mortis cum firmo proposito; se templum Jerosolymitanum exornaturum, & totam terram perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem; nec tamen obtinuit veniam. Ergo. *Ant.* quoad 2. memb. *prob.* 2. Mach. 9. dicitur: *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*

2. Constitutus in articulo mortis non potest habere

habere propositum satisfaciendi. Ergo nec pœnitendi. *Ant. prob.* Non potest dari propositum ad impossibile.

RESPONDEO.

Ad 1. dist. Egit pœnitentiam ex timore pœnæ. c. ex amore Dei & justitiæ. n. Ita respondet S. Thomas in 4. dist. 20. art. 1. ad 1. bis verbis: *Veniam consecutus fuisset, si vere pœnituisset; sed non habuit veram pœnitentiam; quia non ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam exspectabat vel dolore pœnæ, quam sustinebat; & hoc etiam multis in fine pœnitentibus contingit; quia non est facile, ut affectus, quem homo toto tempore vitæ suæ inclinavit in aliquid, subito ad contrarium retrahatur. Nec tamen est impossibile, quia liberum arbitrium non cogitur ex habitu acquisito, nec providentiæ Dei potest terminus præfigi, per quam etiam in extremo vitæ veræ pœnitentiæ motus inspiratur quandoque.*

Ad 2. dist. Non potest habere propositum absolutum. c. conditionatum. n. Æger enim proponit satisfacere, si reconvalescat; quæ conditio non est ita impossibilis, ut non interdum eveniat contra omnem spem.

OBJICITUR 2. contra secundam Conclus. 1. Attritio ex metu inferni cum Sacramento sufficit ad salutem in sanis. Ergo etiam sufficit in morientibus.

2. Quod fit ex metu, est simpliciter voluntarium, & tantum involuntarium secundum quid. Ergo ratio Scoti non stringit.

3. Attritio ex metu inferni in sanis potest imperare actum charitatis non amplius respectivum motivi formidolosi. Ergo idem potest fieri in morientibus.

4. Attritio ex metu inferni in sanis excludit non solum affectum absolutum ad peccandum; sed etiam conditionatum, si Deus non puniret. Ergo idem operatur in moribundis.

RESPONDEO

Ad 1. tr. a. n. c. Disparitas est; quia homo tenetur elicere actum amoris non solum aliquoties in vita, sed etiam ac potissimum in fine vitæ. Si ergo pœnitens decederet cum sola attritione & cum Sacramento, negligendo hoc præceptum, non salvaretur. Quamvis autem ad rationem hujus præcepti sufficeret, si actus amoris eliciatur antecedenter vel subsequenter ad susceptionem Sacramenti, videretur tamen contemptus legis, si in ipsa susceptione Sacramenti, ubi forte posset suppleri aliqua imperfectio amoris, nollet evolvere præceptum necdum antecedenter impletum, nisi ad summum dubie; nec etiam residuis vitæ horis nisi dubie adimplendum.

Ad 2. dist. a. Est voluntarium *simpliciter*, sumendo to *simpliciter* pro Synonimo cum to *absolute*, prout nunc communiter sumitur. c. sumendo to *simpliciter* pro Synonimo cum to *perfecte*, prout sumebatur à Scoto. n. a. Scotus & argumentum tantum volunt; illud non esse *perfecte* voluntarium, quod non fit, nisi ex suppositione alicujus *absolute* involuntarii, nunquam eligendi ex motu proprio. Si autem non est perfecte voluntarium; non sufficit ad rationem amoris gratuiti erga Deum, necessario eligendi in articulo mortis, prout objectione præcedente dictum est; & probabitur in *Tractatu de Virtutibus.* Disput. 8. q. 5.

Ad 3. tr. a. dist. c. Ergo id potest fieri potentia physica. c. morali. n. Non nego; peccatores habituatos in articulo mortis posse elicere actum amoris perfecti; nego tamen id facile ac frequenter fieri; quia contingentia plerumque sequuntur proniorem ac fortiorem dispositionem causarum. In tali autem peccatore habituato tam ex parte phantasiæ & intellectus, quam ex parte voluntatis reperitur fortior dispositio ad amorem Dei imperfectum, quam perfectum. Ex quo patet; reprehendendos esse Parochos & Concionatores, qui tam raro loquuntur de Deo, & de amore Dei; ea enim negligentia in causa est; cur peccatores destituantur idea genuina Dei, & sensu tenero circa Deum; sicque in articulo mortis sine amore Dei pereant. DIXI. *tr. a.* Quia, ut dicetur Disp. 3., in eo casu timor est potius causa *excitans*, quam *imperans*.

Ad 4. dist. a. excludit affectum conditionatum peccati per actum imperatum dilectionis initialis. c. per actum timoris elicitum. n. Homo adhuc sanus, qui adhuc posset peccare, si vellet, dum ultro ex metu libere assumpto desistit à peccando, facile imperat seu excitat actum dilectionis initialis, qua incipit amare Deum & justitiam; quia sicut metus inferni est libere & absolute assumptus nullo adhuc apparente probabili mortis periculo; ita etiam, quæ ex illo metu consequitur ac imperatur, detestatio peccatorum, censenda est libere & absoluta volita. Econtra peccator habituatus non absoluta & perfecta voluntarietate assumit metum inferni, sed movetur à metu inferni ut aliunde incusso, seu potius movetur à *passione metus*, quam non est ipsi liberum hic & nunc deponere; ergo nec ea quæ imperantur à tali metu censentur perfecte voluntaria, prout requiritur ad rationem amoris gratuiti in eo articulo necessarii.

DICES: Ex hoc sequeretur, quod si homini sano incutitur metus inferni ex concione, lectione libri, aspectu imaginis, tempestate &c. attritio ex metu inferni non sufficeret ad deponendum affectum conditionatum peccati, adeoque nec sufficeret ad salutem cum Sacramento. Sed hoc est contra sensum communem.

RESPONDEO. dist. *Maj.* non sufficeret ratione metus eliciti. tr. ratione actus imperati, seu dilectionis initialis. n. *Maj.* In homine sano, quamvis metus inferni elicitus in tali casu sæpe potius habeat naturam passionis cui cedit, sicut elicitus actu iræ, cujus passioni homo libere cedit; & sic eatenus illi desit ratio *plene liberi*, seu *perfecte voluntarii*; potest tamen ille timor in homine sano longe facilius *imperare*, seu potius *excitare* actum dilectionis initialis, aut etiam perfectæ, quam in homine constituto in articulo mortis. In hoc enim phantasia, ratio, & voluntas præ dolore aut perturbatione aut occupatione circa alia cogitanda, puta sese juvandi, sunt impeditæ à libera applicatione ad considerranda motiva amoris. In homine vero sano, qui aut semetipsum applicat ad considerationem inferni, aut metum inferni aliunde incussum ob spem

ſpem probabilem evaſionis facile deponit & diſcutit, datur longe major facilitas ad conſideranda motiva amoris, & reſuſcitandam inclinationem naturalem ad amorem liberum Dei & juſtitiæ.

Dices 2. Ergo ſaltem peccator habituatus conſtitutus quidem in gravi infirmitate, ſed nondum in articulo mortis, ſi mature vocet Confeſſarium, facilius eliciet actum pœnitentiæ ſufficientis ad ſalutem, utpote conſtitutus in eo ſtatu, in quo poſſit libere uti ſuis potentiis, rememorativa & intellectiva; atque ob ſpem adhuc probabilem valetudinis deponere ac diſcutere metum inferni. Si ergo eum non deponit, ordinarie cenſendus eſt voluntarie aſſumptus. Hæc ipſa obſervatio eſt Scoti l. cc. n. 4. ubi ait: *Non dico aliquem eſſe in extremis, qui gravatur morbo ſecundum communem legem curabili; ut febre tertiana, vel hujusmodi, ſed qui ex cauſis evidentibus jam poſitis judicatus eſt proximus morti ſecundum cauſas inferiores operantes ut in pluribus; utpote in infirmitate, quando jam attingit gradum deſperatum judicio medicorum, vel in aliis periculis, ut ſubmerſione & hujusmodi. Et in iſtis vel eſt maximus dolor in parte ſenſitiva, vel timor maximus. Et utraque paſſio vehemens nata eſt impedire liberum uſum rationis & voluntatis.*

Respondeo. diſt. a. facilius eliciet, ita tamen, ut etiam hic partim ob ſpem reconvaleſcentiæ, partim ob defectum gratiæ extraordinariæ non frequenter eliciturus ſit ſeriam pœnitentiam & verum amorem Dei. c. ſecus. n. Quamvis enim frequentius vere pœniteant adhuc nondum deſperati à medicis, quam depoſiti, nec hi tamen ſpem firmam ſalutis præbere ſolent. Ex hac autem Reſponſione ſequuntur tria magni momenti documenta. 1. Adhortandos eſſe frequenter Parochianos in Concione & Catecheſi, ut, ſi in morbum incidant, mature vocent Confeſſarium. 2. Parochos graviter eſſe culpabiles, ſi negligant indagare in ægrotantes ſuæ parochiæ; eosque negligant inviſere, atque adhortari, ut mature confiteantur ante caſum extremi periculi. 3. Summe laudabilem eſſe morem Italiæ, introductum à S. PIO V. per Conſtitutionem 3. §. 3. ubi nullus à Medicis recipitur in euram, niſi prius fuerit confeſſus, & exhibeat teſtimonium depoſitæ confeſſionis. Ita enim fieri jubent iteratæ Conſtitutiones Summorum Pontificum, quas videre licet in *Manuali Romano Confeſſariorum.*

QUÆSTIUNCULÆ.

Quæritur 1. Unde ſumatur Etymologia Pœnitentiæ?

Respondeo. Sumitur à *pœna*, quæ pro peccato ultro à delinquente aſſumitur, aut patienter recipitur. Ita Author l. *de vera & falſa Pœnitentia.* c. 19. *Pœnitere*, inquit, *eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando.*

Quæritur 2. Quomodo Pœnitentia definiatur à SS. Patribus?

Respondeo. S. Augustinus, ſeu quisquis eſt author l. *de vera & falſa Pœnit.* c. 8. pœnitentiam ſic ſcribit: *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.* Ambrosius in Serm. Quadrag. ait: *Pœnitentia eſt; mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Et in Pſal. 27. Conc. 1. *Plena eſt definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata ſua velut quodam quotidiani ſermonis flagello caſtiget, & commiſſa ſibi delicta condemnet.* D. Gregorius Homil. 24. ſuper Lucam ſcribit: *Pœnitere eſt ante acta peccata deflere & flenda non committere.*

Quæritur 3. An peccatum mortale poſſit in hac providentia remitti ſine omni pœnitentia?

Respondeo 1. In hac providentia non poteſt remitti peccatum mortale ſine omni pœnitentia. Ita D. Thomas in 4. diſt. 14. q. 2. a. 5. C. & Scotus in 4. diſt. 14. q. 1.

Probatur 1. ex variis textibus Scripturæ. v. g. Luc. 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Probatur 2. ratione. In hac providentia condonatio peccati ſit per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ reddit filium adoptivum Dei, dilectum à Deo amore amicitiæ ac filiali. Sic autem diligi nequit, niſi qui ſe avertit à contrario amoris, ſeque conjungit Deo per amorem reciprocum.

Quæritur 4. An peccatum mortale in alia providentia à Deo poſſit remitti ſine omni pœnitentia per condonationem extrinſecam?

Respondeo. Id fieri nequit in ulla providentia etiam de potentia Dei abſoluta. Ita quoad rem D. Thomas l. cc. repugnante Scoto l. cc. Okamo, Medina, & Suarezio cum eorum aſſeclis.

Probatur. Non poteſt Deus circa creaturam rationalem verſari, niſi amore vel odio. Ergo ſublato odio ſuccedit amor, qui nunquam eſt in Deo erga creaturam rationalem rationis capacem ſine amore reciproco. *a. patet*, quia creatura rationalis rationis capax aut conſtituit habitualiter rationem ſummi boni in Deo, & ſic eſt objectum amoris; aut in creatura; & ſic eſt objectum odii. *c. prob.* quia amor Dei eſt amor unitivus, qui non poteſt eſſe circa objectum quaſi inanime ſine amore reciproco.

Quæritur 5. An peccatum veniale poſſit remitti ſine omni pœnitentia?

Respondeo. Nec peccatum veniale poteſt remitti ſine pœnitentia. Ita D. Thomas part. 3. q. 87. art. 1. *c. prob.* Peccatum veniale dicit quandam deordinationem rationis & converſionem inordinatam ad creaturam, qua minuitur affectus amoris reciprocus inter Deum & hominem. Stante autem habitualiter illa deordinatione non poteſt prudenter ex parte Dei erga hominem creſcere amoris affectus ut reſpectivus ejusdem objecti ſub eadem conſideratione, & ex eodem titulo.

Quæritur 6. Qualis requiratur pœnitentia ad remiſſionem venialium?

Respondeo. Requiritur ſaltem *diſplicentia virtualis*, conſiſtens in actuali affectione mentis erga Deum efficaciter excluſiva peccati, ſi menti occur-

occurreret. Ita D. Thomas l. cc. ubi ait: *Separatio à Deo perfectè fit per peccatum mortale; imperfectè autem per peccatum veniale. Per peccatum mortale mens omnino à Deo avertitur; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum. Requiritur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis; quia sic charitas non compateretur secum peccatum veniale; quod patet esse falsum. Unde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicentia; puta, cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.* Ita S. Doctor.

Quæritur 7. An peccatum veniale possit remitti sine peccato mortali?

Respondeo Quod non. Ita D. Thomas h. q. 87. a. 4. C. *Prob.* Remissio cujuscunque peccati est effectus gratiæ gratum facientis, seu dilectionis aliqualis divinæ erga hominem; sed hic dari nequit stante peccato mortali; quia existens in peccato mortali indignus est amore Dei. *Min. prob.* Remissio peccati ex sua natura non tendit ad efficiendum hominem sanctum. Ergo non est effectus gratiæ *prævenientis*, sed tantum gratiæ formaliter hominem *gratum facientis* Deo.

Quæritur 8. Utrum unum peccatum veniale possit remitti sine altero?

Respondeo Quod sic. Ita D. Thomas h. q. 87. a. 3. ad 2. *Prob.* Possunt assignari duo casus possibiles, ubi remittitur unum peccatum veniale sine altero. *Primo*; si quis doleat de uno veniali ex motivo particulari v. g. specialis inhonestatis reperibilis in uno peccato, non dolendo de aliis peccatis venialibus. *Secundo*; si quis doleat de venialibus ex motivo generali, ita tamen, ut actu inhæreat expresse aut interpretativè uni vel alteri determinato veniali v. g. si in se deprehendat habitum, consuetudinem, aut fortem inclinationem ad determinatum veniale v. g. gulæ, mendacitatis, otiositatis, irreligiositatis in divinis &c. quam tamen negligit reprimere idoneis mediis, aut iteratione intensioris propositi. Quia, ut patet ex Tract. *de peccatis*, qui ponit aut tolerat causam, interpretativè censetur velle effectum. Ex ista autem Responsione sequitur; eos, qui semper hærent in eodem genere peccati venialis plene deliberati, quod possent & deberent emendare; raro aut nunquam de eo genere peccati obtinere remissionem etiam in Sacramento; quia raro aut nunquam solent emendare consuetudinem mediis idoneis.

Quæritur 9. An peccata venialia quoad culpam possint adhuc remitti in purgatorio?

Respondeo Quod sic. Ita D. Bonaventura in 4. dist. 21. art. 2. q. 1. ubi dicit: *Peccata venialia etiam in purgatorio remittuntur; quoniam voluntas post hanc vitam potest gratiæ esse conformis; quamvis non possit esse adjutrix, pro eo, quod cessavit tempus meriti. — Ad deletionem peccati venialis sufficit, quod liberum arbitrium se conformet gratiæ, nec est necesse, quod adjuvet.*

Probatur 1. Hac ipsa ratione D. Bonaventuræ. In purgatorio, dum anima per pœnam excitatur ad specificam memoriam cujuslibet peccati venialis, eoipso movetur ad specificam efficacem detestationem peccati, & conformationem suæ voluntatis ad divinam. Ergo tunc potest deleri culpa. *Prob. c.* culpa seu macula peccati venialis consistit in deordinatione habituali voluntatis. Ergo hac sublata, utut per actum necessarium, & non meritorium, etiam tollitur culpa. D. Thomas vero est contrarius cum plerisque aliis Theologis, qui putant, peccata venialia remitti quoad culpam in momento mortis.

Probatur 2. ex eo, quia Patres & Doctores Ecclesiæ unanimiter docent; quod animæ in purgatorio sint *maculatæ*, & quod igne purgatorii earum *maculæ*, *scoriæ*, ac *fœditates* excoquantur ac mundentur, prout egregie docet Gregorius Nyssenus relatus à me in *Demonstr. Crit.* de purgatorio.

Probatur 3. Quia Patres, ubi scribunt de peccato in Spiritum Sanctum, de quo Christus Matth. 12. *Quod nec remittatur in hoc sæculo, nec in futuro*, docent; dari peccata, quæ remittuntur in futuro. Ergo venialia non statim remittuntur in morte.

Probatur 4. In Apocal. c. 21. v. 27. dicitur: Nonintrabit in eam aliquid coinquinatum; & Scriptores Polemici eo textu utuntur ad probandum purgatorium. Sed ea probatio non esset valida, si maculæ seu coinquinationes peccatorum venialium jam tollerentur in mortis articulo.

Quæritur 10. An peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, tunsionem pectoris, confessionem generalem, benedictionem Episcopi, Orationem Dominicam, Psalmum pœnitentialem &c.

Respondeo. Non causant remissionem peccatorum venialium formaliter, immediatè, ac per se, causant eam tamen efficienter, mediatè, aut per accidens. Id triplici modo fieri potest. Nam 1. aliqua eorum causant *impetratoriè* gratiam contritionis de peccato, vel gratiam condonationis quoad reatum pœnæ; & talia sunt oratio Ecclesiæ in benedictione aquæ pro applicaturis eam aquam ex habitu fidei; & benedictio Episcopi. 2. Aliqua eorum movent & excitant ad actum internum pœnitentiæ generalis, remissivum peccatorum venialium quoad culpam, nisi quatenus obstat actualis adhæsio voluntatis, expresse aut interpretative talis, ad aliquod peccatum veniale. Et talia sunt tunsio pectoris, confessio generalis, Oratio Dominica, Preces pœnitentiales. 3. Aliqua eorum solent conjungi cum motu fidei, spei, reverentiæ, vel amoris in Deum, ut susceptio Benedictionis Episcopalis, vel sumptio aquæ benedictæ. Ita D. Thomas h. q. 87. a. 3. C. ubi ait: *Ad remissionem peccati*



cati venialis non requiritur novæ gratiæ infusio; sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, (quam infusionem non contingit esse sine motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum). *Et hoc modo per Eucharistiam & Extremam Unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo; in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum. Et hoc modo Confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica operantur ad remissionem venialium. Tertio modo; in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas. Et hoc modo Benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis unctio, Oratio in Ecclesia dedicata, & si alia sunt hujusmodi operantur ad remissionem venialium.* Ita S. Doctor.

Ex hac autem Responsione sequitur; eos parum ex ejusmodi mediis consequi, qui non solent conjungere actum pœnitentiæ, vel motum religionis in Deum efficaciter destructivum inordinatæ conversionis habitualis ad creaturam, in hoc vel illo genere peccati venialis reperibilis; si occurreret memoriæ. Alioquin sequeretur; per quemvis actum pœnitentiæ generalem, aut per quemvis motum Religionis in Deum statim omnia venialia deleri quoad culpam.

QUÆRITUR 11. An unum peccatum mortale possit remitti sine altero.

RESPONDEO Quod non. Ita D. Thomas h. q. 86. a. 3. C. *Probatur* triplici ratione S. Doctoris. 1. In hac providentia nullum mortale peccatum remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis, qua homo adoptatur in statum filiorum Dei. Ea autem adoptio non est compossibilis cum ullo gravi peccato. 2. Non potest remitti peccatum mortale sine dilectione initiali & conversione mentis ad Deum, tanquam suum finem ultimum. Hæc autem conversio mentis ad Deum dari nequit sine detestatione universali omnium peccatorum. 3. Non potest operari sola misericordia divina sine justitia & sapientia: esset autem contra sapientiam & justitiam; homini disposito dimidiam conferre veniam, ut observat author l. de vera & falsa pœnit. c. 6.

QUÆRITUR 12. An possit agi pœnitentia pro peccato originali?

RESPONDEO. Proprie loquendo non potest dari pœnitentia de peccato originali. Ita D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. qq. 2. C. ubi ait: *Contritio est dolor respiciens & quodammodo comminuens voluntatis duritiem. Et ideo de illis solis peccatis esse potest, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proveniunt. Et quia peccatum originale non nostra voluntate inductum est, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum; ideo non potest de ipso esse contritio proprie loquendo; sed displicentia potest esse de eo, vel dolor.* Idem 3. p. q. 84. a. 2. ad 3. ait: *De peccato originali pœnitentia nec principaliter est; quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra secundum modum loquendi; quo Apostolus dicit. Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum autem large accipitur pœnitentia pro quacunque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali.*

QUÆRITUR 13. Utrum possit quis pœnitere pro peccatis alienis?

RESPONDEO. Pœnitentia, prout dicit contritionem, non potest haberi pro peccatis alienis. Ita D. Thomas l. cc. qq. 5. C. *Dicendum*, inquit, *quod illud idem conteritur, quod prius durum & integrum fuit. Unde patet, quod contritio pro peccato sit in eodem; in quo peccati duritia præcessit; & sic de peccatis alienis non est contritio.* Ex his S. Doctoris verbis patet; erroneum esse, quod in quibusdam libellis germanicis legitur, Christum pro nostris peccatis elicuisse contritionem.

QUÆRITUR 14. An possit agi pœnitentia pro peccatis ignorantiæ.

RESPONDEO Quod sic. Ita D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. qq. 3. ad 3. *Prob.* Omne peccatum ignorantiæ est *concretum* ex actu de se graviter prohibito *tanquam materiali*, & ex libertate antecedente per negligentiam liberam inductiva ignorantiæ, nondum efficaciter retractata, *tanquam formali*. Sed de tali concreto potest haberi contritio. Ergo. *Min. prob.* Tale concretum potest per contritionem attingi ratione sui formalis; quia, ut D. Thomas l. cc. ad 1. observat: *Contritio opponitur peccato ex parte illa, qua ex electione voluntatis procedit non sequentis imperium divinæ legis; non autem ex parte ejus, quod est in peccato materiale. Ant. prob.* potest quis detestari omnem negligentiam, eamque destruere in sua radice, adhibendo media generalia efficaciter in posterum destructiva omnis ignorantiæ. Talia media sunt pia vita, sedula oratio, diligens lectio, frequens auditio verbi divini, &c.

QUÆRITUR 15. Quodnam sit *subjectum* & quæ sit *materia* Pœnitentiæ?

RESPONDEO. Pœnitentia, secundum quod est passio, cum sic sit species tristitiæ, est in *concupiscibili* sicut in subjecto. Secundum autem quod est virtus, & quatenus secundum rationem specificam est species justitiæ, habet pro subjecto *appetitum rationis*, qui est voluntas. Ita quoad hanc Responsionis partem S. Thomas h. q. 85. a. 4. C. *Materia* autem pœnitentiæ alia est *circa quam*, alia est materia *ex qua*. Materia *circa quam* seu objectum pœnitentiæ sunt peccata personalia & actualia. Materia vero *ex qua* seu constitutiva pœnitentiæ est complexum actuum pœnitentis, puta contritionis, confessionis & satisfactionis.

QUÆRITUR 16. An virtus pœnitentiæ data fuerit etiam in Christo.

RESPONDEO Quod non Ita S. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. a. 3. qq. 3. ad 2. *Prob.* ratione Angelici. Materia hujus virtutis Christo nec convenit actu, nec potentia. Ergo nec habitus. *Ant. patet*; quia Christus fuit intrinsece impeccabilis.

QUÆRITUR 17. An virtus pœnitentiæ reperiatur in Innocentibus?

RESPONDEO Quod sic. Ita S. Thomas l. cc. qq. 2. C. *Prob.* ratione S. Doctoris. In Inno-

Innocentibus, quamvis non reperiatur actu materia hujus virtutis, ea tamen in eo subjecto est possibilis. Ergo etiam datur habitus infusus virtutis. *c. prob.* inprimis *à pari*. Sic enim in paupere potest dari habitus infusus virtutis Magnificentiæ; etiamsi illi desit materia hujus virtutis. *Secundo*. Dispositio recta potentiarum ad finem non debet dependere à futuris contingentibus, sed à natura potentiæ de se præparationis indigæ. Ergo nec virtus pœnitentiæ à natura liberi arbitrii humani versatilis excludenda est.

QUÆRITUR 18. An virtus pœnitentiæ remaneat in Beatis in cœlo?

RESPONDEO. D. Thomas l. cc. q. 3. C. id affirmat ex duplici ratione. Nam *inprimis* in cœlo remanebunt quatuor virtutes Cardinales, justitia, temperantia &c. Ergo & pœnitentia, quæ secundum suam rationem specificam est pars justitiæ. *Prob.* 2. Ad hoc, ut permaneat aliquis habitus, sufficit, dummodo remaneat potentia saltem ad unum aliquem actum illius habitus; sed ea potentia remanet. Ergo. *Min. prob.* Remanet saltem potentia gratias agendi Deo pro misericordia relaxante peccata. Verum, cùm dicendis supponam, pœnitentiam identificari cum complexo quatuor virtutum, *fidei*, *spei*, *dilectionis*, & *justitiæ*, inter quas duæ priores non remanent in patria; dicendum; pœnitentiæ virtutem non remanere simpliciter & adæquatè; sed tantum secundum quid, & secundum rationem inadæquatam, in quantum justitia generalis vult rectissimum ordinem divinæ justitiæ circa se. Canus vero *Relect.* 1. de Pœnit. in beatis remanere pœnitentiam, supponit tanquam certum.

QUÆRITUR 19. An pœnitentia sit virtus specialis?

RESPONDEO 1. Varias esse Doctorum in hac re sententias. Nam 1. Doctores Veteres complures identificant pœnitentiam cum habitu charitatis; quia dirigit ad Deum, tanquam suum finem ultimum, & quia detestatur peccatum ut offensivum Dei; qui actus videntur eliciti vel imperati à charitate. 2. *D. Bonaventura* in 4. dist. 14. art. 1. q. 3. docet; pœnitentiam identificari cum habitu cujuslibet virtutis; quia omnis virtus ex motivo proprio detestatur vitium sibi oppositum, & tendit ad reparationem perfectionis perditæ. Itaque actus pœnitentiæ censet modo elici ab hac, modo ab illa virtute, prout mens modo ab hac, modo ab illa virtute mota aupræoccupata fuerit. 3. *D. Thomas* p. 3. q. 85. a. 3. ad 4. docet; pœnitentiam esse *speciem justitiæ*, mixtæ videlicet ex vindicativa & commutativa, seu compensativa. 4. *Albertus M.* in 4. dist. 14. art. 8. C, refert pœnitentiam ad justitiam vindicativam. 5. *Lugo* Disp. 2. Sect. 5. pœnitentiam facit *virtutem æquativam*, seu *reconciliativam* inter Deum & hominem, cujus virtutis objectum formale sit *æqualitas quædam* jurium & obligationum, donorum & retributionum, reciprocorum videlicet inter Deum & hominem.

RESPONDEO 2. Pœnitentiam non distingui à complexo quatuor virtutum, fidei, spei, dilectionis initialis, & justitiæ initialis, ita tamen, ut ratio fidei, spei, & dilectionis, in quantum sunt particulatim respectivæ bonitatis divinæ in ordine ad peccatorum veniam, sub illo esse respectivo constituant prædicatum genericum pœnitentiæ, per quod pœnitentia cum aliis virtutibus convenit; econtra ratio justitiæ in quantum particulatim est respectiva peccatorum & actuum fidei, spei, ac dilectionis, tanquam materiæ virtutis pœnitentiæ, sub illo esse respectivo constituat prædicatum specificativum seu differentiale virtutis pœnitentiæ.

PROBATUR hæc responsio authoritate veterum Theologorum. Nam 1. ALENSIS de pœnit. q. 17. membro 4. a. 6. qq. 6. sic scribit: *Actus contritionis neque elicitur præcise imperio fidei, neque imperio amoris; vel timoris; sed exit in esse ex intellectu fide illuminato, & timore declinante à malo, & amore accedente ad bonum, & spe elevante ipsum intellectum ad cœlestia. Unde motus iste, secundum quod est in Deum, est motus affectus timentis & diligentis ex intellectu fide illuminato, ostendente, quid timendum, quid sperandum, & amandum sit. Secundum autem quod est in peccatum, est affectus contemnentis & detestantis peccatum ex intellectu fide illuminato, ostendente, quid detestandum & aspernandum sit, & de quo dolendum. Unde motus liberi arbitrii, secundum quod hic sumitur, non est motus simplex, sicut motus credendi vel diligendi, sed compositus.* Ita Alensis, qui, dum etiam timorem immiscet, eum tantum agnoscit pro parte accidentali, quæ possit abesse à pœnitentia sine ejus corruptione. 2. D. THOMAS p. 3. q. 85. a. 3. ad 4. scribit: *Pœnitentia licet sit directe species justitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet, quod participet ea, quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde pœnitentia est cum fide passionis Christi, per quam justificamur à peccatis, & cùm spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem.* Et p. 3. q. 86. a. 6. ad 2. *Dicendum, quod in justificatione impii non solum est actus pœnitentiæ, sed etiam actus fidei; & ideo remissio culpæ non ponitur effectus solum pœnitentiæ virtutis, sed principalius fidei esse & charitatis.* In his duobus textibus, ubi S. Thomas dicit, pœnitentiam esse *cum fide & charitate*, & justificationem esse *effectum pœnitentiæ*, & *fidei & charitatis*, videtur quidem virtutem pœnitentiæ distinguere à fide & charitate, tanquam membrum condistinctum ab altero; verùm idem S. Doctor se explicat, quod solùm intelligat distinctionem inadæquatam, sicut totum distinguitur inadæquate à suis partibus. Sic dicimus; Christum cum anima & corpore in cœlum ascendisse; totam urbem cum magistratu & plebe obviam processisse; operationes sensitivas non solum esse effectum naturæ animalis, sed etiam naturæ rationalis in homine. Hanc suam mentem S. Doctor aperit per hoc, quod dicat; a pœnitentia *comprehendi* virtutes theologicas; & quod dicat, hos motus realiter simul esse posse. In 4. dist. 17. q. 1. a. 3. qq. 3. C. dicit: *Omne quod natum est ex pluribus fieri, attribuitur ei, quod primum est. Sicut vita tribuitur animæ nutritivæ, quia ipsa est prior inter principia vitæ in viventibus corporaliter. Unde si justificatio sequitur ad motum liberi arbitrii in Deum,* oportet,

oportet, quod attribuatur illi motui, qui naturaliter prior in justificatione apparet. Movetur autem mens in Deum & per intellectum, & per affectum, & hi duo motus mentis simul esse possunt. Quamvis non simul cogitari non possint. Unde cum motus intellectus in Deum sit per fidem, justificatio motum fidei requirit. Et ad 1. *Motum liberi arbitrii, cum quo gratia infunditur, oportet accipi in ultima perfectione, actus autem fidei perfectus non est, nisi actu affectus perfecto. Et ideo cum actu fidei in justificatione semper adjungitur actus charitatis, & his duobus anima Deo appropinquat. Non enim potest esse dubium, quin actui charitatis semper actus fidei conjungatur, ex quo objectum per fidem charitati praesentatur.* Ex his ergo textibus colligitur, quod pœnitentia justificativa ex actu fidei, spei, dilectionis, & justitiæ componatur, ita tamen ut illi priores actus pertineant ad rationem genericam, actus autem justitiæ ad rationem formalem ac specificam virtutis pœnitentiæ. Idem declarat 1. 2. q. 13. a. 1. c. ubi sic ait: *Quandocunque duo concurrunt ad aliquid unum constituendum, unum eorum est formale respectu alterius. Est autem considerandum in actibus animæ, quod actus unius habitus recipit formam & speciem à superiori habitu. Si enim aliquis actum fortitudinis exerceat propter amorem Dei, actus ille materialiter est fortitudinis, formaliter vero charitatis.* Et ibid. q. 17. a. 4. c. *Sicut in genere rerum naturalium totum componitur ex materia & forma, ut homo ex anima & corpore, qui est unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium; ita etiam in actibus humanis actus inferioris potentiæ materialiter se habet ad actum superioris, moventis ipsam. Unde patet, quod imperium* (hoc est, actus imperans) *& actus imperatus sunt unus actus humanus.*

QUÆRITUR 20. Quid hoc loco intelligatur per nomen *justitiæ*, specificativæ virtutis pœnitentiæ?

RESPONDEO. Intelligitur triplex justitia, videlicet *commutativa*, qua homo per satisfactionem compensat injuriam, & damnificationem illatam, offerendo æquale pro viribus; juxta arbitrium offensi pro obtinenda remissione culpæ. Dein *legalis seu vindicativa*, qua homo se subjicit vindictæ divinæ seu pœnæ à Deo vel ab ejus Vicario infligendæ. Tertio *generalis*, qua homo voluntatem subjicit ordini totius rectitudinis in omnibus actionibus humanis. D. Thomas hanc triplicem justitiam in 4. dist. 17. q. 1. a. 1. qq. 1. C. sic explicat: *Justificatio importat motum ad justitiam. Justitia autem tribus modis dicitur. Uno modo est specialis virtus æqualitatem constituens in commutationibus & distributionibus bonorum. Alio modo est nomen generale ad omnes virtutes, secundum quod actus earum ordinat secundum directionem legis. Tertio modo importat quendam statum rectitudinis in homine, quantum ad partes ipsius, prout scilicet una pars animæ suo superiori subditur, sive alii parti, sive ipsi Deo. Hæc justitia generalis etiam dicitur, in quantum omnes virtutes includit, non quidem per modum totius universalis, sed per modum totius integralis. Et ad hanc justitiam motus justificatio dicitur.* Et ad 1. *Tota illa rectitudo à voluntate originaliter est; sed etiam est in aliis partibus animæ, quasi rectificatis.*

QUÆRITUR 21. Quid intelligatur per *dilectionem & justitiam initialem*, quæ ponuntur esse partes pœnitentiæ?

RESPONDEO. Intelligitur seria voluntas exercendi omnes actus essentiales charitatis & justitiæ, sed infirma, inefficax, ac imperfecta. Ea autem inefficacia ac imperfectio consistit in eo, quod nondum se disponat per modum meriti de congruo late dicti ad obtinendas vires gratiæ habitualis, sine quibus semper manebit infirma & insufficiens ad servanda proposita, ac præstanda promissa toto vitæ tempore: & hinc, quia non ponit tale meritum de congruo, faciendo moraliter, quod est in se, seque extendendo ad actus dilectionis ac justitiæ etiam accidentales, ubi illos sana ratio exegerit, saltem à potiori obeundos, extra Sacramentum non obtinet vires gratiæ habitualis per infusionem gratiæ. Vide dicta superius q. 4. object. 4. ad 2. & dicenda Disp. 3. q. 2. 3. 4. & 5.

Objectiones.

OBJICITUR 1. Contra tertiam Respons. 1. Potest homo converti ad Deum per amorem Dei perfectum, quin cogitet de peccatis præteritis. Sed talis justificatur sine pœnitentia. 2. Martyr repente invasus à persecutore potest ita occupari cogitatione & desiderio profundendi vitam pro Christo, ut nec momentum illi vacet ad cogitandum vel eliciendum dolorem de peccatis præteritis. Ergo salvabitur sine pœnitentia. 3. Dantur peccata mortalia, quæ fiunt cum actuali displicentia & detestatione voluntatis, ea nempe, quæ fiunt ex metu, ut negatio Petri, Apostasiæ tempore persecutionis, &c. Sed in his non est opus retractatione & dolore voluntatis de præcedente interno actu voluntatis.

RESPONDEO.

Ad 1. tr. *Maj.* dist. *Min.* justificatur sine potentia formali & explicita. c. virtuali & implicita. n. Qui Deum amore perfecto præfert omnibus aliis bonis, eo ipso virtualiter & implicite aversatur omnia, quæ excludunt à suo summo bono. Et talis pœnitentia *virtualis* sufficit, ut dicetur Disput. 3.

Ad 2. tr. a. dist. c. salvatur sine pœnitentia *formali*. c. *virtuali*. n. Martyr enim moriendo pro fide Deum præfert omnibus aliis bonis creatis; sicque implicite aversatur omnia, quæ impediunt ab assequendo summo bono. Aliud foret, si constitutus in peccato mortali principaliter moreretur ex alio motivo, v. g. ne apud suos incurreret infamiam, vel ut assequatur in Ecclesia gloriam Martyris. *Ex quo patet;* non esse consultum; fideles semper exhortari vel incitare ad actus virtutum heroicos aut strenuos ex meris motivis honestatis moralis vel utilitatis temporalis.

Ad 3. dist. *Maj.* Talia peccata fiunt cum actuali detestatione actus, attamen conjuncta cum habituali prædominante conversione inordinata ad bonum oppositum, quod homo timet amittere. c. secus. n. D. Petro displicuit quidem in ipso perjurio abnegatio Christi; sed tunc ei non displicuit inordinata adhæsio ad vitam propriam,

priam, quam timuit amittere. Debuit erga ea voluntatis inordinata adhæsio per pœnitentiam retractari.

Objicitur 2. contra quartam Responf. 1. Homo poteft alteri remittere offenfam fine ejus pœnitentia. Ergo & Deus. *Ant. patet;* quia tenemur diligere inimicos actuales.

2. Ceffante actu peccati, v. g. blafphemiæ ex ira, vel furti, nihil reale in voluntate remanet, quod opponatur amori & effectibus amoris Dei erga hominem. Ergo peccator præcife habitualis poteft amari à Deo.

3. Nec eft contra juftitiam nec contra fapientiam Dei, ut fuo amore præveniat peccatorem; quia hoc modo poffet peccatorem allicere ad amorem reciprocum.

4. Deus actu dilexit peccatores fine prævia eorum pœnitentia. Ergo id eft poffibile. *Ant. prob.* ex 1. Joa. 4. v. 10. *In hoc eft charitas, quoniam ipfe prior dilexit nos.*

5. Remiffio peccati nihil aliud eft, quam condonatio pœnæ; fed hæc poteft fieri fine pœnitentia. Ergo. *Prob. Min.* Deus actu condonat damnatis eorum blafphemias, utut liberas in caufa, videlicet in malitia, cui funt immortui; nec pro iis in infinitum femper infligit novas & novas pœnas.

6. Retractatio peccati nec eft meritum ad gratiam, nec conditio neceffaria ad gratiam. Ergo non effentialiter requiritur. *Ant. patet* ex infantibus, qui juftificantur fine pœnitentia.

7. Peccator tranfacto actu de quo non amplius poft longos annos cogitat, nec amplius habet affectum ad delicta juventutis, nullum ponit obicem gratiæ. Ergo poteft juftificari fine pœnitentia.

8. Gratia fanctificans & peccatum habituale poffunt omnino fimul ftare. Ergo multo magis poteft illa infundi fine retractatione peccati. *Ant. prob.* Gratia fanctificans, & peccatum præteritum vel habituale non fe habent contradictorie, ut lux, & negatio lucis, fed contrarie ut calor & frigus. Ergo.

Respondeo.

Ad 1. c. a. n. c. & paritatem. Difparitas eft; quia apud homines condonatio offenfæ non neceffario eft novum fœdus amicitiæ, aut unionis; fed poteft confiftere in fola condonatione vindictæ, & in exhibitione atque affectu benevolentiæ. Econtra apud Deum remiffio culpæ non poteft feparari ab affectu amicitiæ aut unionis; quia eft impoffibile, hominem non ordinari ad fe tanquam finem ultimum per reciprocum amorem unitivum fublato obice. *Dixi, amorem unitivum* quia in omni providentia, licet homini non debeatur unio amicitiæ intimæ, & fupernaturalis, qualis promittitur homini in ftatu naturæ elevatæ & adoptionis in filios, debetur tamen homini aliqua fruitio Dei feu unio abftractiva, quæ in Deo dari non poteft, quin ultra generalem amorem benevolentiæ omni homini etiam peccatori impenfum erga probos fuperaddat alium amorem fpecialem, unitivum unione ftatui congrua.

Ad 2. dift. a. nil remanet, quod opponatur pofitive. c. negative. n. Amori enim unitivo ex parte Dei erga hominem opponitur negative defectus amoris reciproci.

Ad 3. dift. a. non eft contra fapientiam Dei, ut peccatorem præveniat amore benevolentiæ. c. unitivo. n. Eft enim impoffibilis amor unitivus, nifi mutuus.

Ad 4. dift. Deus prior dilexit nos amore benevolentiæ. c. unitivo. n. vel *fubdift.* prioritate naturæ. c. temporis. n. quia illa charitas habitualis amicitiæ, quam Deus peccatori non ponenti obicem aliquando infundit, non eft prior tempore, fed tantum natura ad amorem reciprocum.

Ad 5. n. a. Suppono; remiffionem *reatus culpæ*, & *reatus pœnæ* prorfus inter fe diverfa effe.

Ad 6. n. a. quoad 2. membrum. v. d. non eft conditio relate ad fubjectum incapax actualis amoris. c. capax. n. In fubjecto enim capaci actualis unionis nec fapientia nec bonitas divina invenit objectum amoris fui erga hominem, nifi detur amor reciprocus hominis.

Ad 7. dift. a. non ponit obicem pofitivum. c. negativum. n. Senfus patet ex dictis. Obex negativus in homine eft defectus amoris reciproci erga Deum.

Ad 8. n. a. ad prob. dift. a. non habent fe contradictorie oppofitione relativa feu comparativa ad invicem tr. a. oppofitione relativa & comparativa ad terminos effentialiter connexos cum extremis. n. a. Nam cum gratia fanctificante effentialiter connectitur affectus habitualis amoris unitivi, ex parte Dei erga hominem, cui contradictorie opponitur negatio amoris reciproci hominis ad Deum, eo quod affectus amoris unitivi in Deo fit effentialiter refpectivus amoris reciproci, quo fublato utique ceffat effe refpectivum fe tenens ex parte amoris Dei erga hominem.

Objicitur 3. contra quintam Refponf. 1. Peccata venialia remittuntur per afperfionem aquæ benedictæ & hujusmodi. Ergo ad eorum remiffionem non eft opus pœnitentia.

2. Eadem remittuntur in Purgatorio, ubi non eft amplius locus pœnitentiæ.

3. Eadem remittuntur per fervidum actum charitatis.

4. Ille gradus amoris Dei erga hominem, qui tollitur per peccatum veniale, poteft compenfari & reftitui ex actu cujuscunque alterius boni operis. Ergo non eft opus deteftatione peccati venialis.

Respondeo.

Ad 1. dift. a. remittuntur per afperfionem aquæ benedictæ conjunctam cum actu pœnitentiæ faltem virtuali. c. fecus. n.

Ad 2. dift. ubi non eft locus pœnitentiæ meritoriæ. c. fatisfactoriæ & purgatoriæ. n. Sicut enim per peccatum mortale incurritur duplex macula; una *moralis*, confiftens in defectu decoris interni refultantis ex conformitate rationis & voluntatis ad regulas morum; altera *Theologica*, confiftens in defectu nitoris interni provenientis ex gratia fanctificante; ita peccatum veniale duplicem relinquit maculam, quarum una confiftit in habituali deordinatione rationis; altera in correfpondente diminutione amoris reciproci inter Deum & hominem. Utraque autem per retra-

ctationem voluntatis saltem virtualem in hoc vel altero mundo purgari debet, quamvis tunc in Purgatorio ea purgatio non sit amplius meritoria. De hac duplici macula scribit D. Thomas h. q. 87. a. 2. ad 3. ubi ait: *Animæ inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale. Alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale; & hoc fit per peccatum veniale; & ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ; sed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem.* His verbis S. Doctor insinuat, etiam in peccato veniali reperiri duplicem maculam, unam ex diminutione gratiæ alteram ex deordinatione rationis.

Ad 3. dist. a. Remittuntur per fervidum actum charitatis, si sua ratione specifica opponatur efficaciter huic vel illi determinato peccato veniali. c. secus. n. Sicut enim charitas stat cum peccato veniali; ita non quilibet actus charitatis efficaciter opponitur cuivis peccato veniali; nec per quemlibet actum charitatis statim remittuntur omnia peccata venialia; sed ea tantum, quibus ex suo objecto peculiari opponitur actus specificus charitatis. Sic enim zelus charitatis pro cultu Dei in templis directè opponitur peccato irreverentiæ in templo, ita ut directè & efficaciter tollat ejus deordinationem.

Ad 4. n. a. Compensatio enim debet esse in eodem genere. Sic enim pro damnificatione in bonis famæ non potest fieri compensatio in bonis fortunæ. Igitur macula habitualis tam moralis quam Theologica proveniens ex deordinatione rationis circa vitium v. g. gulæ non tollitur, nec compensatur per orationes & eleemosynas; & licet Deus intuitu harum virtutum hominem magis amet, quam prius; non tamen verum est dicere; quod sub eodem respectu & eodem titulo virtutis temperantiæ hominem denuo magis amet; nisi detur formalis aut virtualis retractatio prioris deordinationis.

OBJICITUR 4. contra sextam Responf. 1. Si ad delendum peccatum veniale sufficeret *displicentia virtualis*, etiam in Confessione non requireretur dolor formalis de peccatis venialibus; sed hoc non potest dici.

2. Si sufficeret *displicentia virtualis*, per unicum serium propositum generale, in omnibus fervidè serviendi Deo; statim delerentur omnes culpæ veniales. Sed hoc est contra communem sensum Ecclesiæ.

RESPONDEO.

Ad 1. dist. *Maj.* Dolor formalis de venialibus non requireretur in confessione ad valorem. tr. ad licentiam. n. *Maj.* Cum enim Sacramentum pœnitentiæ institutum sit per modum judicii, ubi pœnitens sumit personam rei contestantis dolorem de peccatis; peccaret graviter, si scienter & advertenter accederet ad Sacramentum sine vera displicentia de suis peccatis, aut si scienter & advertenter accederet cum displicentia dubia de suis peccatis, quando potest habere displicentiam certam; quia non licet extra casum repentinæ necessitatis Sacramentum exponere periculo nullitatis applicando materiam dubiam. Cum ergo *displicentia virtualis* de venialibus inclusa in fervido actu charitatis non semper satis efficaciter opponatur cuilibet determinato peccato veniali, *displicentia virtualis* erit reipsa materia dubia hujus Sacramenti, adeoque illicita. Si tamen alia displicentia non fuisset habita, nisi virtualis, eo quod pœnitens de formali dolore non cogitasset, confessio nihilominus esset valida, quamvis absolutio non esset fructuosa, si displicentia virtualis se ad nullum eorum peccatorum reipsa se extenderet, quæ in confessione exponuntur. Cæterum videtur esse casus metaphysicus, quod pœnitens seriò agens, seque reum profitens non habeat dolorem seu displicentiam formalem in actu exercito de peccatis præteritis venialibus, si saltem habeat propositum serium, ea vitandi seu pro viribus corrigendi in futurum. Aliud est; an habeat efficax propositum, de quo agetur Disput. 3.

Ad 2. n. a. Quia generale propositum non est semper efficaciter destructivum quarumlibet deordinationum venialium, præsertim eorum, quæ habitu firmiore & consuetudine radicata inhærent animæ.

OBJICITUR 5. contra nonam Responf. 1. Anima statim in ipso momento mortis subit judicium particulare, in quo evidenter agnoscit deformitatem omnium suorum peccatorum venialium. Ergo jam tunc habet de iis displicentiam; & consequenter obtinet remissionem culpæ.

2. Illæ animæ non habent libertatem merendi vel demerendi. Ergo non possunt elicere actum idoneum ad eluendam culpam.

3. Illæ animæ non possunt agere pœnitentiam virtuosam. Ergo nec possunt eluere culpam. *Ant. patet*; quia si possent operari virtuose, possent etiam operari vitiose.

RESPONDEO.

Ad 1. tr. a. dist. c. Habet displicentiam necessariam per modum erubescentiæ ac verecundiæ. c. liberam per modum retractationis meritoriæ. n. In judicio particulari ea displicentia, quæ habetur de peccatis, se habet potius per modum passionis erubescentiæ, quam retractatio. Quamprimum autem anima sentit pro quolibet peccato distinctas pœnas, ibi voluntas connaturaliter excitat actus vehementissimæ detestationis erga singula peccata, quorum (forte successive) subit pœnas. Et quamvis illi actus detestationis acresignationis non sunt amplius liberi ac meritorii in se, sunt tamen congrua dispositio ad immutandam voluntarie priorem deordinationem ad eam immutationem concurrente operatione divina. Posset quidem Deus statim in judicio particulari sua operatione efficere, ut anima concipiat *voluntariam*, utut non liberam, *detestationem* cujuslibet peccati venialis. Sed quia apud Deum omnia ordinata sunt, non congruit rectissimo ordini, ut speciali operatione divina in ente non libero excitetur *voluntaria retractatio* peccati nisi mediante pœna afflictiva, quæ naturaliter excitat memoriam, intellectum, & voluntatem circa peccatum commissum. Itaque primum ex pœna oritur

oritur *voluntaria* deteſtatio deordinationis præteritæ, quæ deteſtatio eſt formalis expunctio *maculæ moralis*.

Ad 2. c. a. diſt. c. Ergo non poſſunt eluere culpam per modum meriti. c. per modum diſpoſitionis requiſitæ. n. Decet enim Deum, non complecti animas ſingulari amore, quem debet animabus ab omni deordinatione habituali puris, donec ſervato ordine connaturali *voluntaria* deteſtatione retractent deordinationes præteritas. Ea autem voluntaria retractatio, quæ libere poni nequit, nec ſequitur ex ſerie cauſarum naturalium, nec ex ſpeciali operatione Dei, ſed tantum ex ſenſu pœnarum ordinatarum pro ſingulis peccatis.

Ad 3. tr. a. diſt. c. Id non poſſunt per modum virtuoſæ actionis. tr. diſpoſitionis. n. ſenſus patet ex dictis. *Dixi*. tr. quia, cum in vivis animæ ſe reſignaverint divinæ juſtitiæ in Purgatorio ſubeundæ, forte illæ pœnæ purgatoriæ, & ex iis connaturaliter ſequens voluntaria retractatio habet aliquid voluntarietatis in cauſa liberæ, & ſic non tantum rationem ſatiſpaſſionis ſed & ſatisfactionis condignæ.

Objicitur 7. contra duodecimam Reſp. 1. Peccatum originale conſiſtit aut certe dependet ab alligatione noſtrarum voluntatum ad voluntatem Adami. Ergo de illa poſſumus pœnitere; tanquam de voluntate moraliter noſtra.

2. Etiam D. Thomas l. cc. docet, quod voluntas Adami *reputetur noſtra*.

3. S. Auguſtinus l. de *vera & falſa Pœnitent*. c. 8. dicit: *Doleamus eſſe exules à patria*. Ergo datur dolor de Originali.

Respondeo.

Ad 1. n. a. Contrarium ſuppono ex Tract. *de peccatis*.

Ad 2. diſt. Reputatur noſtra *ſecundum dici*, & communione naturæ depravatæ ut originatæ ex illa voluntate. c. ſecundum eſſe, & communione voluntatum. n. Ipſemet S. Thomas dicit, quod illa voluntas ſit noſtra *ſecundum dici*.

Ad 3. diſt. a. Doleamus dolore deſiderii. c. dolore pœnitentiæ. n. Ipſemet enim S. Doctor ſe l. c. explicat his verbis: *Hic dolor magis ex deſiderio, quam ex vindicta ſit. Unde differt à pœnitentia. Omnis enim pœnitentia eſt de male uſa libertate. Ipſum autem peccatum originale ob hoc malum eſt; quia in Adam fuit ſpontaneum. Nihil enim à nobis quæritur, quod commiſiſſemus. Nihil à nobis exigitur nunc, quod feciſſemus*.

Objicitur 8. contra ℞. 2. Quæſt. 19. Pœnitentia ſimpliciter eſt identificanda cum virtute juſtitiæ ſubalterna. Ergo. *Prob. ant.* 1. D. Thomas 3. q. 85. a. 3. C. dicit: *Manifeſtum eſt, quod pœnitentia eſt ſpecies juſtitiæ*. Et ibidem ad 3. *Manifeſtum eſt, quod* (ratio pœnitentiæ tam vindicativæ, quam compenſativæ) *ſub juſtitia commutativa continetur*.

2. S. Auguſtinus in Serm. *de vera & falſa Pœnitentia* definit pœnitentiam his verbis: *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*.

3. Ipſa Etymologia *pœnitentiæ* ſumitur à *pœna*; quia, ut Magiſter l. 4. diſt. 14. ex D. Auguſtino obſervat: *Pœnitere eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando*. Hæc vero omnia pertinent ad virtutem juſtitiæ.

Respondeo

Ad 1. diſt. a. D. Thomas identificat pœnitentiam cum juſtitia inadæquate. c. adæquate. n. Ipſemet S. Doctor l. cc. ad 4. fatetur, quod pœnitentia participet etiam de habitu fidei, ſpei, & charitatis, & de aliis virtutibus moralibus imbibitis in fide, ſpe & charitate. Sic ſcribit: *Pœnitentia licet ſit directe ſpecies juſtitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea, quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim eſt juſtitia quædam hominis ad Deum; oportet, ut participet ea, quæ ſunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde pœnitentia eſt cum fide paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccatis; & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem*. Itaque D. Thomas, ubi dicit, pœnitentiam eſſe *directe* ſpeciem juſtitiæ, aliud non intendit, quam pœnitentiam ponendam eſſe in genere juſtitiæ, in quantum juſtitia ut ſpecialiter reſpectiva ac terminata ad peccata & media deſtructiva peccati, nempe ad actum fidei, ſpei & dilectionis particularis, tribuit ſpeciem illi actui complexo virtutum. In quantum refert motivum juſtitiæ, magis explicite, immediatius, & directe ſubſtare attentioni hominum, præſertim pœnitentium. Quodſi aliud vellet, hac in re inſiſterem potius authoritati *Alenſis*, quo D. Thomas Magiſtro uſus eſt Pariſiis primo ſuæ Theologiæ anno.

Ad 2. diſt. a. D. Auguſtinus ſic definit pœnitentiam definitione inadæquata. c. adæquata. n.

Ad 3. diſt. *Maj*. Etymologia pœnitentiæ ſumitur à *pœna* tanquam ab objecto hujus virtutis inadæquato. c. adæquato. 3.

Objicitur 3. Eſt impoſſibile unius actus dari plura motiva diſparata, niſi attingantur ſub una ratione formali. Ergo etiam eſt impoſſibile, actui pœnitentiæ aſſignari plura motiva formalia. *Ant. prob.* ex actionibus naturalibus, v. g. viſionis, auditionis, tactus, guſtus &c. quæ ſua objecta attingunt ſub una ratione formali colorati, ſonori, quanti, &c. 2. Unius potentiæ eſt tantum unum objectum formale, ut patet ex potentia viſiva, auditiva, &c. Ergo etiam unius habitus, qualis eſt pœnitentia, debet eſſe unum objectum formale. Atqui id fieri requiret, ſi pœnitentia identificaretur cum diverſis habitibus, fidei, ſpei &c. quorum quilibet habet ſuum objectum, ſeu motivum formale. 3. Eſt poſſibile; dari Artem ſpecialem, diſtinctam ab habitu aliarum artium, circa recuperationem ſanitatis corporalis, nempe Artem Medicam. Ergo etiam eſt poſſibile, dari virtutem ſpecialem, ſeu habitum reparativum ſanitatis ſpiritualis. 4. Neceſſe eſt; pœnitentiam inchoari ex uno aliquo motivo dominante v. g. timoris, vel amoris; ergo actus pœnitentiæ ſolum concipitur & elicitur ex uno motivo. 5. Quando actus meritorii v. g. miſericordiæ, orationis, imperantur à charitate, vocantur tantum actus imperati non vero actus elciti à charitate; Ergo etiam quando fides, ſpes, timor inferni, vel amor Dei, imperat alios actus pœnitentiæ v. g. propoſitum ſatisfaciendi & obſervandi divina mandata, hujus-

modi actus erunt potius referendi ad actus imperatos pœnitentiæ, quam ad actus elicitos. 6. D. Thomas p. 3. q. 85. art. 2. ad 1. expresse docet; dolorem de peccatis præteritis, quando ex amore procedit, esse tantum actum imperatum charitatis, non vero elicitum. Ergo universim, sive pœnitentia concipiatur ex timore, sive ex amore, omnes reliqui actus pœnitentiæ præeise ut actus imperati, considerandi sunt.

RESPONDEO

Ad 1. dist. a. est impossibile, plura dari motiva formalia actus *unius* etiam formaliter. c. tantum *unius* realiter. n. Sicut enim idem realiter actus contritionis est virtualiter aut saltem formaliter multiplex, utpote continens tendentiam aversivam, & prosecutivam relate ad diversa objecta; ita etiam idem realiter actus pœnitentiæ est virtualiter aut formaliter multiplex, utpote qui simul sit actus fidei, spei, dilectionis, & justitiæ. Illud tamen concedendum est, tendentiam justitiæ ut respectivæ ac terminatæ ad hanc peculiarem materiam esse unicum determinativum ac specificativum hujus actus complexi sub ratione pœnitentiæ, sicut in actu, qui est simul opinio, fides, & scientia, quodlibet motivum specificat eundem actum sub sua ratione formali.

Ad 2. dist. a. potentiæ formaliter unius est unum objectum formale. c. realiter tantum unius. n. a. Sic enim potentia volitiva, intellectiva, sensitiva, visiva &c. sunt in anima realiter una eademque potentia; quia juxta nos identificantur realiter cum anima; in quantum autem distinguuntur formaliter, eatenus habent diversa objecta formalia. Sic etiam idem realiter actus pœnitentiæ est realiter simul actus fidei, spei, dilectionis & justitiæ, ita tamen, ut ratio justitiæ priores actus specificet & contrahat ad rationem pœnitentiæ.

Ad 3. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quod non sit assignabilis alia ars, quæ versetur circa bonam vel malam habitudinem corporis; econtra circa bunam vel malam habitudinem animæ versantur omnes virtutes, ex quibus aliquæ immediate respiciunt bonum perfectum & adæquatum animæ, nempe virtutes generales fidei, spei, dilectionis, & justitiæ.

Ad 4. tr. a. dist. c. Ergo pœnitentia spectata in esse imperfecto elicitur ex uno motivo. tr. in esse perfecto spectata. n. Quamvis enim pœnitentia possit, & aliquando etiam soleat inchoari ab uno motivo; attamen in esse perfecto, in eo videlicet Instanti, in quo incipit esse dispositio sufficiens, aut meritum de congruo ad recipiendam gratiam, intrinsece ac immediate respicit motiva fidei, spei, dilectionis & justitiæ.

Ad 5. c. a. n. c. & suppositum, quod hi quatuor actus fidei, spei, dilectionis, & justitiæ in pœnitentia habeant se ad invicem per modum actus imperantis, vel imperati. Ut enim h. l. Albertus M. ex D. Gregorio observat; *virtutes se invicem ad convivia invitant.* Sic ergo v. g. timor, vel amor, vel alia virtus, ubi reperit objectum pœnitentiæ, virtutes alias, præsertim essentialiter requisitas, *excitat* & *invitat*, quæ proin simul ac semel ex singulis cujuslibet motivis ad actum pœnitentiæ in suo esse perfecto determinant, eumque eliciunt, ac specificant.

Ad 6. dist. a. D. Thomas docet, dolorem de peccatis esse actum imperatum charitatis, quando ex amore formaliter tanquam ex principio adæquato procedit. c. quando procedit ex amore tantum realiter tanquam ex principio inadæquato. n. a. Sicut enim actus opinionis, fidei, & scientiæ ex tribus simul motivis essentialibus procedunt, & eliciuntur; ita pœnitentia procedit & elicitur ex quatuor simul motivis, nempe fidei, spei, dilectionis & justitiæ; ita tamen, ut ille actus pœnitentiæ, in quantum est dolor & vindicta de peccatis, aut satisfactorius pro offensa, totum illum actum ex quatuor virtutibus complexum specificet in ratione pœnitentiæ, & in quantum est amor, specificat totum actum in ratione amoris; & in quantum est fides aut spes pariter specificat totum actum in ratione fidei aut spei. Ita D. Thomas, qui l. cc. sic scribit: *A charitate derivatur aliquis actus dupliciter: uno modo, sicut ab ea elicitus; & talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem; sicut diligere Deum; gaudere de eo; & tristari de opposito. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus. Et sic, quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum, actus à charitate procedens, potest etiam ad aliam virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis; sed intentio operandi deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.* In hoc textu D. Thomas illis verbis; *quasi imperatus*, innuit, non esse proprie imperatum, sed *excitatum* & *invitatum* ita, ut ille actus excitatus eliciatur simul ex motivo proprio virtutis imperatæ.

DICES 1. Potest dici, actum fidei & spei ad pœnitentiam tantum concurrere præsuppositive, non constitutive. Ergo virtus pœnitentiæ consistit in actu simplici, seu incomplexo. *Ant. prob.* Actus timoris inferni, qui ordinarie concurrit ad pœnitentiam, tantum concurrit præsuppositive. Ergo etiam fides & spes. *c. prob.* Fides præcedit timorem inferni, & spes veniæ movet ad concipiendam attritionem ex metu inferni.

RESPONDEO. n. a. *ad prob.* tr. a. n. c. *ad prob.* dist. Fides & spes inchoativa pœnitentiæ præcedunt. c. perfectiva & consummativa pœnitentiæ. n. Quando pœnitens in ultima sua resolutione ad veram pœnitentiam dicit: *Ergo fiat. Ergo volo. Sit. Consentio.* &c., iste ultimus actus, qui videtur esse simplex, reipsa est compositus, ac reipsa in actu exercito assensionalis & approbativus omnium motivorum inductivorum ad eam resolutionem. Ergo eum respiciat motivum fidei, spei, dilectionis, & justitiæ, tanquam motiva essentialia, sine quibus non ponitur vera pœnitentia, necesse est, ut ea in actu exercito approbet, affirmet, & assumat, quod nihil aliud est, quam in actu exercito ponere actum fidei, spei, dilectionis, & justitiæ. Sicut idem actus, quo homo respiciendo ad motivum opinativum, fidei, & scientificum, diceret: *ita est*, eoipso eliceret simul formalem actum opinionis, fidei, & scien-

& scientiæ. Vel, si ponatur Conclusio se reflectere supra præmissas, ille actus conclusionalis per particulam illativam *Ergo* reipsa in actu exercito erit affirmativus *Majoris* & *Minoris*. *Dixi*, *tr.* quia si vera pœnitentia eliciatur simul ex timore tanquam motivo secundario & adminiculativo, eoipso etiam concurret ad actum individuum illius pœnitentiæ constitutive; quamvis non pertineat ad rationem, seu genus veræ pœnitentiæ essentialiter, quia sine illo respectu potest dari vera pœnitentia.

DICES 2. Actus pœnitentiæ potest esse imperatus à charitate. Ergo potius dilectio specificat actum pœnitentiæ, quam justitia.

RESPONDEO. c. a. dist. c. Ergo specificat actum in ratione charitatis. c. in ratione pœnitentiæ. n. Sensus patet ex dictis ad Object. 3. n. 6. Charitas enim, ut Albertus M. loquitur, & aliæ virtutes, se *ad convivium invitant*, ut quælibet operetur ex motivo proprio. Et eatenus to *imperare* est idem, ac *excitare*, & *invitare*.

OBJICITUR 9. Pœnitentia non est virtus; ergo neque est virtus specialis, nec identificatur cum ullo habitu virtutis. *Ant. prob.* 1. Virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut docet *Arist.* 1. *Phys.* 17. Sed pœnitentia non est dispositio perfecti, utpote peccatoris. 2. Conatus ad impossibile non est virtus, utpote imprudens; sed talis conatus est pœnitentia; utpote connitens destruere peccatum præteritum, quod semel *factum infectum fieri nequit*. 3. Virtus juxta *Arist.* 2. *Ethic.* operatur cum delectatione. Sed pœnitentia non operatur cum delectatione, utpote operans cum dolore ac tristitia. 4. Objectum virtutis est bonum eligibile; sed objectum pœnitentiæ non est bonum eligibile, utpote peccatum. 5. Virtus est absolute & simpliciter appetibilis; Sed pœnitentia non est simpliciter & absolute appetibilis; sed tantum ex suppositione peccati. 6. Nulla virtus est essentialiter *informis*, hoc est, incapax gratiæ sanctificantis, & meriti ad vitam; sed talis est pœnitentia, utpote essentialiter præcedens statum gratiæ & meriti. 7. Nullus habitus virtutis est essentialiter otiosus; sed talis foret habitus virtutis pœnitentiæ; quia sub peccato teneremur illum reddere otiosum. 8. Verecundia juxta Arist. 2. Ethic. c. 7. & l. 4. c. ult. tantum ideo non est virtus; quia supponit turpe factum; ac propterea non est absolute appetibilis; sed eadem est ratio de pœnitentia. 9. Pœnitentia supponit in suo subjecto contrarium virtutis, nempe peccatum; ergo nequit esse virtus. 10. Nulla virtus pugnat essentialiter cum statu perfectæ virtutis. Sed pœnitentia pugnat cum statu perfectæ virtutis; quia non potuit existere in Christo, & in B. Virgine.

RESPONDEO.

Ad 1. dist. *Maj.* Virtus est dispositio *perfecti* perfectione naturali, & substantiali. c. aquisita & accidentali. n. Sensus enim Definitionis Aristotelicæ est, quod virtus sit recta dispositio entis quoad substantiam naturæ suæ jam perfecti seu consummati. Peccatori autem per peccatum nihil decedit perfectionis essentialis ac substantialis.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min. ad rationem.* dist. Peccatum præteritum non potest destrui, & infectum fieri *physicè.* c. *moraliter.* n. potest enim destrui in esse morali, seu in esse demeritorio in ordine ad effectus morales, quales sunt jus Dei ad indignationem & vindictam, & obligatio peccatoris ad pœnam.

Ad 3. dist. *Maj.* Virtus agit cum delectatione saltem concomitante, aut reflexa ad dolorem. c. tantum directa. n. Virtus enim, ubi per aspera rupes ad ardua scandit, inter ipsa cruenta vulnera illud Symbolicum ursi ab apibus puncti usurpat; *Mihi passio dulcis.* Hinc & D. AUGUSTINUS in Serm. *De vera & falsa pœnitentia.* c. 13. scribit: *Pœnitens de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Et eodem teste in l. Confess. *Suaviores sunt lacrymæ pœnitentium, quam gaudia Theatrorum.*

Ad 4. dist. *Maj.* Objectum virtutis primarium & adæquatum debet esse bonum eligibile. tr. secundarium & inadæquatum. n. Hæc objectio tantum urget in eorum sententia, qui docent, pœnitentiam esse virtutem specialem adæquatè, distinctam ab habitibus aliarum virtutum. In nostra vero sententia, ubi identificatur cum habitibus virtutum fidei, spei, charitatis & justitiæ initialis, manifestum est, quod istorum habituum objectum materiale primarium & adæquatum sit aliud, quam peccatum; quod ab iis habitibus tantum respicitur tanquam objectum secundarium; quod non est necesse, ut sit absolutè volitum.

Ad 5. tr. *Maj.* dist. *Min.* Pœnitentia in esse actus non est absolutè appetibilis tr. in esse habitus. *subdist.* in subjecto incapaci per naturam aut gratiam ad statum peccati, c. in subjecto capaci, n. Argumentum potest retorqueri in *Justitia vindicativa:* in *Arte Medica*; in *Arte militari &c.* SI DICAS: Omnis virtus inclinat absolutè ad exercitium sui habitus. RESPONDEO: dist. inclinat ad exercitium circa suum objectum primarium & adæquatum. c. tantum secundarium & inadæquatum. n. Cum enim juxta nos pœnitentia inadæquatè identificetur cum habitibus aliarum virtutum, eoipso habebit realiter aliud objectum primarium & adæquatum absolute volitum. Retorsio iterum fieri potest in Justitia vindicativa, in Arte Medica, & Militari, quæ utique nec vulnera, nec morbos, nec peccata absolutè volunt; nec exercitium suæ virtutis; sed tantum ex suppositione. Ipsum vero habitum, seu præparationem animi ad eventus probabiliter eventuros virtus prudentiæ exigit absolute. Sic & datur virtus Medica naturaliter infusa brutis, prout D. Hieronymus in c. 7. *Ecclesiastis* observat. *Novit*, inquit, *hirundo pullos de succo oculare chelidoniæ, & dictamnum capræ appetunt vulneratæ.* Idem observat Tertullianus l. de pœnit.

Ad 6. tr. *Maj.* n. *Min.* Quia juxta nos pœnitentia in esse habitus identificatur cum habitu fidei, spei, dilectionis & justitiæ initialis, qui omnes habitus possunt & potent informari gratia sanctificante. Ad *rationem* dist. pœnitentia formaliter, seu relativè ad objectum secundarium aut in actu secundo inadæquato spectata, essentialiter præcedit statum gratiæ. c. realiter, & relativè ad objectum primarium spectata. n. Retorsio fieri potest in actu contritionis, qui est simul amor

amor & odium; ficque formaliter in ordine ad diverfa objecta & tendentias eft prior & pofterior: eft enim prior ordine amoris ad Deum, quam ordine odii ad peccatum.

Ad 7. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dift. Tenemur habitum pœnitentiæ reddere otiofum relatè ad objectum fecundarium. tr. relatè ad objectum primarium & adæquatum. n. In noftra enim fententia habitus pœnitentiæ identificatur cum habitu fidei, fpei, dilectionis, & juftitiæ initialis. Retorfio fieri poteft in habitu charitatis, qui manet in patria, etiamfi relatè ad objecta quædam fecundaria, v. g. actus amoris congruentes ftatui viatorum, maneat æternum otiofus.

Ad 8. dift. *Maj.* Ideo verecundia non eft virtus, quia fupponit turpe factum, importando rationem inadæquatam. c. adæquatam. n. Ratio adæquata, cur verecundia non fit virtus, partim eft pofitiva, quam affignat Ariftoteles; & quæ eft illi communis cum pœnitentia, nempe fuppofitio culpæ vel defectus; altera ratio eft negativa, quia verecundia non eft habitus vera cum ratione activus; utpote quæ non dirigit ad actus alios humanos conducentes ad finem hominis fub fpeciali honeftate notabili; prout tamen dirigit virtus pœnitentiæ.

Ad 9. dift. a. Supponit fuum contrarium averfivè & deftructivè. c. profecutivè & confervativè. n. Sicut enim & formæ fubftantiales funt deftructivæ qualitatis contrariæ inhærentis fuo fubjecto; & reparativæ fuarum proprietatum deperditarum per contrarium; fic & virtus fidei, fpei, dilectionis ac juftitiæ initialis eft reparativa fuarum proprietatum, deperditarum per peccatum.

Ad 10. dift. *Maj.* Virtus non pugnat cum ftatu perfectæ virtutis oppofitione contrarietatis. c. contradictionis. n. vel *fubdift.* quoad objectum primarium & adæquatum. tr. quoad objectum fecundarium. n. Virtus enim pœnitentiæ, quatenus connexa eft cum imperfectione fui fubjecti, nempe cum peccabilitate, habet aliquam imperfectionem; & eatenus contradictorie opponitur ad ftatum virtutis perfectum, à quo tollitur; ficut lux remiffa à luce intenfa, & calor debilis à calore fummo. Itaque & habitus fidei, fpei, dilectionis & juftitiæ initialis, cum in Chrifto & B. Virgine non fint relativa ad aliquem ftatum peccati poffibilem, aut probabilem, aut metuibilem, non poffunt habere rationem reparativam & fanativam.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PROOEMIUM.

Vidimus in prima Difputatione; eam ipfam virtutem pœnitentiæ, quæ jure naturæ requirebatur ad impetrandam à Deo veniam, in Lege Gratiæ non fuiffe à Chrifto abolitam, atque in ejus locum aliam pœnitentiam longe imperfectiorem fubftitutam, fed potius eam ipfiffimam fuiffe adoptatam pro materia Sacramenti, quo non adulteraretur ejus perfectio, prout *laxiores Theologi* fomniant, fed potius imperfectio fuppleretur. Cum enim jure naturæ daretur obligatio, ut peccator, fi vellet à pietate divina fperare delictorum veniam, fatisfaceret pro viribus juxta offenfi arbitrium; de hujus autem arbitrii divini menfura ac modo nullam conjectura certa affequeretur notitiam, neceffario confequebatur, pœnitentem in incerto fluctuantem non nifi laboriofis ac diuturnis operibus pœnitentiæ ac fupplicationibus crebris interpellare debuiffe divinam mifericordiam, donec tandem verofimili conjectura crederet, Deum contentum effe fua pœnitentia, & placatum pro crimine. Hanc ergo imperfectionem feu incertitudinem veniæ Chriftus hoc fumme confolatorio Sacramento fuftulit, dum fuum arbitrium exigendi fatisfactionem compenfatoriam delegavit homini, videlicet Sacerdoti, ut, quam is à pœnitente fatisfactionem feu conditionem veniæ exigeret, hanc ipfe ratam habiturus effet in cœlo cum immediata atque indubitata condonatione veniæ. Hæc eft Idea Sacramenti Pœnitentiæ. Sed cum in eo explicando hallucinati fuerint *Theologi* non pauci, partim *laxiores*, partim jufto *rigidiores*, quatuor potiffimum veritates, quæ profundæ memoriæ committendæ erunt, ftabiliendas in hac Difputatione fufcipio; *Primo.* Effentiam hujus Sacramenti repofitam effe in poteftate judiciaria, qua Sacerdos nomine Dei æquas pacis ineundæ conditiones legesque ponit. *Secundo.* Propterea etiam vim collativam gratiæ potius abfolutioni, tanquam actui judiciali, quam actibus pœnitentis, licet proprie fint partes materiales Sacramenti effe tribuendam. *Tertio.* Ampliffimam Ecclefiæ indultam effe poteftatem à Chrifto, in fpecie infima determinandi non folum formam, fed etiam materiam hujus Sacramenti. Ex quo grandi principio regulari poffunt pleræque difceptationes circa Confeffionem, Abfolutionem & Satisfactionem. *Quarto.* Aliquando etiam in hoc Sacramento materiam dubiam adhiberi poffe, ubi fic animarum falus exigit.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An detur Sacramentum Pœnitentiæ?

NOTANDUM I. Per *Sacramentum* antonomastice sumptum, prout ab Ecclesia Catholica sumitur, intelligi *signum sensibile, stabile, à Christo institutum, modo symbolico significativum, & ex opere operato collativum sanctificantis gratiæ*, prout in Tract. de Sacramentis in genere explicatum est.

NOTANDUM 2. Per gratiam sanctificantem non intelligi ipsam rectitudinem voluntatis moralem, qua habita dicitur homo justus & sanctus moraliter; sed intelligitur donum divinitus infusum, quo homo formaliter constituitur aut conservatur in statu filiorum Dei, humanæ naturæ indebito.

NOTANDUM 3. Sacramentum pœnitentiæ *in terminis* negari à plerisque modernis dissentientibus; *quoad rem* ipsam vero ab omnibus; quia omnes negant; dari signum sensibile ex *opere operato collativum sanctificantis gratiæ*. Ita in terminis Sacramentum pœnitentiæ negant 1. LUTHERUS in l. *de Captiv. Babylon.* ad finem, ubi non obstante, quod initio libri admiserit tria Sacramenta, *baptismum, pœnitentiam, & panem*, scribit: *Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt Sacramenta, baptismus & panis.* 2. ZWINGLIUS l. *de vera & falsa religione.* c. *de Sacramentis.* 3. CALVINUS l. 4. Institut. c. 19. §. 15. 4. Multi ex Lutheranis. Quoad modum vero loquendi inter Sacramenta pœnitentiam recipiunt Lutherani addicti *Confessioni Augustanæ*, ubi expresse continentur hæc verba: *Vere sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ.* In ipso etiam *parvo Catechismo* quem Lutherus composuit, & quo Lutherani utuntur, prout refert BOSSUETUS l. 3. *variationum* c. 48., Minister audita confessione omnium peccatorum, quorum recordatur pœnitens, eum sic interrogat: *Nunquid credis remissionem, quam tibi do, esse remissionem Dei? Respondet pœnitens. Ita. Tum Minister: Et ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem affirmat LOMERUS in *Margarita Evang.* ubi f. 73. n. 10. sic scribit: Wir Evangelische lehren beständig, daß, gleichwie Christus der Kirche die Schlüssel des Himmelreichs übergeben habe zu lösen und zu binden, also die Evangelische Lehrer eben diese Gewalt von der Kirchen überkommen haben, nicht nur zu verkündigen die *Absolution*, sondern wahrhafftig die Bußfertigen zu *absolviren*, von Sünden zu entbünden, und sie frey, los, und ledig zu sprechen von aller Schuld und Straff der Sünden. Ita Lomerus Præco Augustanus anno 1724. existimans, se habere potestatem vere absolvendi ab Ecclesia, quam est evidens non fuisse ordinatam à Christo, utpote ordine Hierarchico destitutam.

NOTANDUM 4. Luthero & Calvino Sacramentum pœnitentiæ identificari cum baptismo; ita ut pœnitentia nil aliud sit quam baptismi renovatio, & gratiæ omni baptizato promissæ per fidem illius promissionis cum fiducia rememorativam attractio. CALVINUS l. cc. §. 17. dicit: *Aptissime dixeris; si baptismum vocaveris pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ & fiduciæ sigillum iis datus sit, qui pœnitentiam meditantur.* Ex bis verbis Calvini colligitur: ab istis dissentientibus baptismum spectari tanquam sigillum generale omnium gratiarum homini Christiano peccatori toto vitæ tempore conferendarum in ordine ad justificationem. Lutherus vero l. cc. scribit: *Pœnitentiæ Sacramentum aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad baptismum.*

NOTANDUM 5. Lutheranos *Confessioni Augustanæ* addictos, dum videntur admittere *Sacramentum pœnitentiæ, Absolutionem*, & *remissionem peccatorum* ministerio Ministri factam, reipsa nil aliud admittere, quam vocem Præconis, denuntiantis pœnitenti; quod Christus intuitu ejus fidei illi condonaverit peccata. Ita cum aliis Sectariis explicat MELANCHTON *in locis communibus*. Tit. de NUMERO SACRAMENTORUM, ubi ait: *Hæc Sacramenta Baptismus, Cœna, Absolutio, sunt signa totius Evangelii, & testimonia remissionis peccatorum, quæ propter Christum donatur, & in Evangelio prædicatur.*

DICO. Pœnitentia est Sacramentum, à Baptismo & aliis Sacramentis distinctum.

Conclusio hæc est definita à Concilio Tridentino Sess. 14. per sequentes Canones. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* 2. *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

PROBATUR Conclusio 1. Christus instituit *signum sensibile, stabile, modo symbolico significativum, & ex opere operato collativum gratiæ remissivæ peccatorum post baptismum commissorum, idque distinctum à baptismo.* Ergo Christus instituit Sacramentum pœnitentiæ. *Ant. prob.* Christus Joan. 20. *Cum fores essent clausæ, venit ad Apostolos, & stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo instituit signum sensibile, stabile, modo symbolico significativum, & ex opere operato collativum gratiæ remissivæ peccatorum post baptismum commissorum, idque distinctum à baptismo. *c. prob.* Singula hujus illationis membra connaturaliter sequuntur ex illis factis & verbis Christi. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione omnium earum illationum. Nam ex hoc textu

Sequitur 1. quod Christus ad impertiendam remissionem peccatorum requirat *signum externum sensi-*

ſenſibile. Remitti enim aut retineri prudenter hominibus peccata non poſſunt, niſi id hominibus declaretur ſigno externo ſenſibili.

Sequitur 2. Eam inſtitutionem eſſe *ſtabilem* usque ad finem mundi, quamdiu duratura eſt Eccleſia; ac conſequenter etiam ſequitur, ſignum remiſſivum peccatorum ex ſuu genere debere eſſe ſtabile ac perpetuum. Eam vero inſtitutionem eſſe ſtabilem, colligitur ex circumſtantiis dictorum. Chriſtus enim illa verba protulit poſt Reſurrectionem, ubi in paucis apparitionibus nullum ferme aliud cum Diſcipulis tractavit negotium, niſi ut loqueretur de regno Dei, hoc eſt, de futuro ſtatu Eccleſiæ, prout teſtatur D. Lucas *Act.* 1. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Inter eos autem ſermones de futuro ſtatu Eccleſiæ Evangeliſta Joannes nullum negotium majus enumerat, niſi hoc de remiſſione peccatorum. Ergo eſt perpetuum. Accedit; quod Chriſtus poteſtatem remittendi peccata conjunxerit & conjunctam ac connexam declaraverit cum miſſione Apoſtolica. Dicit enim: Sicut miſit me Pater (non vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam Luc. 5. v. 32.) *& ego mitto vos*, ad idem negotium. Ergo ſicut miſſio Apoſtolica eſt perpetua usque ad finem mundi, ut conſtat ex Matth. 28. v. 19. & aliis textibus, ita etiam inſtitutio hujus poteſtatis remiſſivæ debet eſſe perpetua.

Sequitur 3. Hoc ſignum à Chriſto inſtitutum eſſe *ſignificativum modo ſymbolico*, ſicut in baptiſmo externa ablutio corporis ſignificat modo ſymbolico internam abſolutionem animæ à peccato originali. Cum enim in hoc Sacramento pœnitentiæ Sacerdos habeat poteſtatem *remittendi* peccata & *retinendi*; eoipſo habet poteſtatem judicandi, examinandi, & agnoſcendi, quænam peccata ſint retinenda, & quænam, & ſub quibus conditionibus ſint remittenda? Eadem poteſtas ſapienter judicandi colligitur ex illa notabili circumſtantia inſtitutionis. Dicitur enim: *Inſufflavit in eos, dicens accipite Spiritum Sanctum.* Hujus *inſufflationis* & collationis ſpecialis Spiritus Sancti non poteſt reddi congruentior ratio; niſi quod Chriſtus voluerit inſinuare, Sacerdotes in adminiſtratione hujus Sacramenti indigere aliquo ſpeciali dono Spiritus Sancti; videlicet diſcretione in judicando. Cum igitur in hoc Sacramento interveniat verum judicium humanum, quo peccatum *remittitur* vel *retinetur*; & hoc judicio humano ſignificetur judicium divinum, quo Deus intus in anima per ſuam operationem remittit peccatum gratiam conferendo, aut illud retinet gratiam denegando, manifeſtum eſt, quod modo quodam ſymbolico per ſignum externum ſignificetur remiſſio peccati.

Sequitur 4. Gratiam conferri ex *opere operato*, hoc eſt, nullo interveniente merito de condigno. Cum enim homo non poſſit de condigno mereri remiſſionem offenſæ divinæ, præſertim in ordine ad recuperationem prioris ſtatus ſupernaturalis, & indebitæ adoptionis in ſtatum filiorum Dei; imo Deus etiam abſtrahendo ab hac elevatione in nulla providentia teneatur remittere offenſam, niſi facienti totum, quod eſt in ſe, diu lugenti, & ad ejus arbitrium rigoroſe ſatisfacienti, manifeſtum eſt, collationem gratiæ reſpectu omnium, qui præciſe ſe ſeriò ad Deum convertunt, & moderato hominis à Deo in Vicarium conſtituti arbitrio ſe ſubjiciunt, præciſe dependere à pietate divina, & promiſſo Dei, quo ſe obligat ad remiſſionem peccati, quoticscunque Sacerdos ſuo nomine illud ſignum Sacramentale poſuerit. Cum igitur hoc ſignum, videlicet ſententia judicialis à Sacerdote poſita, ex eo, quod ponatur nomine Chriſti, per modum cauſæ ſaltem moralis moveat DEUM ad condonandam offenſam, rectè dicitur, quod ipſum *opus* ſeu *actio* Sacerdotis abſolventis, movendo Deum per modum ſaltem cauſæ moralis id operetur, ut pœnitenti à Deo phyſicè conferatur gratia.

Sequitur 5. Quod hoc ſignum Sacramentale etiam ſit diſtinctum à Baptiſmo. Ratio eſt, quia nec ſignum externum hujus Sacramenti convenit cum ſigno externo Baptiſmi, nec etiam eſt rememorativum Baptiſmi; nec etiam vis hujus Sacramenti præciſe conſiſtit in reſuſcitatione aut extenſione Baptiſmi. Hæc veritas oſtenditur partim negative, partim poſitivè. *Negativè* quidem; quia nec Chriſtus nec vetus Eccleſia ſuſcipientes Sacramentum pœnitentiæ obligat ad revocandum in memoriam Baptiſmum, & ſuam fiduciam in ejus renovatione, reſuſcitatione, aut extenſione collocandam. *Poſitivè* autem hoc probatur; quia ex c. 6. ad *Hebr.* non obſcurè colligitur; Baptiſmum iterari non poſſe, & *voluntariè peccantibus poſt ſemel ſuſceptam fidei gratiam non ſupereſſe aliud baptiſma.* ib. c. 8. Quod ſi mentaliter renovari poſſet, non eſſet ratio, cur non poſſet reiterari realiter, ut faciunt Turcæ, & Gentiles.

Confirmatur ex eo; quia, ſi pœnitentia eſſet tantum renovatio ac reſuſcitatio gratiæ baptiſmalis, ſequeretur 1. non opus eſſe miniſterio externo; aut ſi requireretur; ſufficeret Miniſterium cujusvis laici, etiam fœminæ, ſicut ſufficit in Baptiſmò conferendò, aut nuntii Norimbergenſis, ſi civibus Auguſtanis per Litteras patentes annuntiaret; omnibus in Baptiſmo remiſſa eſſe peccata præterita, præſentia, & futura; ita ut ea gratia perpetuò remoto obice reviviſcat. 2. Sequeretur, fruſtra egiſſe Chriſtum, quod ea ſpeciali poſt reſurrectionem collatione poteſtatis remiſſivæ tantò cæremoniæ externæ apparatu attentionem perpetuam Eccleſiæ avocaverit ad eam poteſtatem ſpecialiter admirandam perpetuis præconiis extollendam, & à gratia baptiſmali diſtinguendam; qui effectus morales non ſuiſſent tam uniformiter ſecuti, niſi totum complexum verborum & circumſtantiarum in illa inſtitutione concurrentium traheret in ſenſu obvio omnium animos ad eam explicationem. 3. Sequeretur; fruſtra & imperitè egiſſe Evangeliſtam, qui in ſuo Supplemento trium præcedentium Evangeliorum hanc inſtitutionem tanquam aliquid ſingulare; imò tanquam præcipuum actum Chriſti poſt Reſurrectionem; & quidem in conventu Diſcipulorum ſolenniſſimo cum myſterioſa circumſtantia inſufflationis, janius clauſis, & eo tempore, quo loquebatur *de regno Dei*, ſeu futuro ſtatu Eccleſiæ, *Act.* 1. celebratum annotaret, niſi differret à Baptiſmo, diu ante paſſionem inſtituto,

ab

ab omnibus Evangelistis in aliis locis descripto, & à Pœnitentia Canonica seu solenni circa peccata aut publicè *scandalosa*, aut *denuntiata* post frustraneam correctionem fraternam privatam, de quibus actum *Matth.* 18. expresse distincto.

PROBATUR CONCLUSIO 2. Christus Matth. 16. dixit ad Petrum: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ergo in Petro & ejus Successoribus datur potestas Jurisdictionis illimitata, non solum æquis legibus ligandi, aut ab iis congrua dispensatione eximendi; sed etiam pœnitentes ad æquas veniæ conditiones juxta præsumptum offensi arbitrium pro congruentia locorum & temporum adstringendi; ac potestatem remittendi peccata à Christo immediate primis Episcopis indultam justis reservationibus, aut limitationibus pro exigentia circumstantiarum explicandi, moderandi, limitandi. *c. prob.* Hunc esse obvium illorum verborum sensum ostendit complexum verborum & circumstantiarum, illimitatio promissi, series actorum & effectuum, ac denique constans ac uniformis mens Ecclesiæ, quæ omnia in Petro recognoscunt potestatem Jurisdictionis summam ac illimitatam, nullibi restrictam ad solum forum externum.

CONFIRMATUR. Ex eo, quod Principes habeant potestatem ferendi & relaxandi leges; atque eatenus obligandi vel deobligandi in conscientia; nemo recte diceret; iis à Deo collatas esse claves regni cœlorum. Ergo claves cœlorum collatæ Petro præter jurisdictionem in foro externo Ecclesiastico addunt jurisdictionem in foro interno, quæ cum à solis Successoribus Petri administrari non possit, supponit necessariò potestatem sub æquis conditionibus remissivam peccatorum immediatè primis Episcopis à Christo indultam sed Petro subordinatam, aut supponit in Petro potestatem, eam jurisdictionem pro foro interno aliis Sacerdotibus ad genus causarum delegandi.

PROBATUR CONCLUSIO 3. ex Traditione SS. Patres potestatem remissivam peccatorum in Sacerdotibus specialiter admirantur, eam miris modis extollunt, atque à Baptismo per omnia distinctionis realis signa constanter ac uniformiter distinguunt, videlicet *definitione, institutione, proprietate, subjecto, ministro, materia, forma, dispositione, effectu, oppositione.* Ergo ea distinctio & doctrina promanat ab uniformi principio, videlicet à verbo Dei scripto vel tradito. *Ant. prob.* inprimis quoad 3. membrum; dein vero ex ipsis PP. textibus etiam quoad 1. SS. Patres Pœnitentiam *definiunt* vindictam, purgationem, satisfactionem, reconciliationem. Ejus *institutionem* referunt ad verba Christi Joan. 20. & Matth. 16. *Proprietates* illi tribuunt, quod sit laboriosa, humilis, & subdita clavibus ac judicio Ecclesiæ. Unde & vocatur ab iis *secunda tabula. Subjectum* ejus dicunt esse solos fideles baptizatos. *Ministrum* recognoscunt solum Sacerdotem. Contritionem confessionem & satisfactionem pœnitentis insinuant esse *per modum subjectæ materiæ circa quam* versatur; formam consistere in precibus Sacerdotis & impositione manuum. *Dispositiones* prærequisitas esse humiliationem pœnitentis; *Effectum* vero tantum esse remissionem peccati quoad placationem gravis iræ divinæ, seu *quoad reatum culpæ*; non quoad condonationem omnis pœnæ, seu *quoad reatum pœnæ*; quæ omnia excluduntur à natura Baptismi. Unde & perpetuam faciunt *oppositionem* inter baptismum & remedium pœnitentiæ, monstrandò diversitatem; ea comparandò ad diversa; & confusionem studiosissimè devitandò, ut ubi loquuntur de uno, nec verbulò ullum indicium aut suspicionem præbeant confusionis cum altero. Cæterum ex multis SS. Patrum textibus adducam tantum unum ac alterum.

1. AUTHOR CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM l. 2. c. 34. scribit: *Quanto anima corpore præstantior est, tanto Sacerdotium regno excellentius. Ligat enim, aut solvit supplicio vel remissione dignos.*

2. TERTULLIANUS, postquam in errorem Montanistarum lapsus fuerat, qui existimabant, crimen mœchiæ ne quidem in articulo mortis debere ab Ecclesia remitti, reprehendit morem ac definitionem Romanæ Ecclesiæ, absolvendi pœnitentes etiam ab hoc crimine: *Audio,* inquit *l. de Pudic. Edictum* (seu declarationem Apostolicæ Sedis) *esse propositum; & quidem peremptorium.* (hoc est, decisivum) *Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum* (Zephyrinus Papa) *dixit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.*

3. PACIANUS Epist. 1. *Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit:* Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt in cœlis; & quæ solveritis in terris, soluta erunt & in cœlis. *Cur hoc; si ligare ac solvere hominibus non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & gentium peccata* (per baptismum) *purgare; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est.* Ubi adverte; hoc argumentum Paciani manifeste supponere distinctionem baptismi à pœnitentia; alioquin argumentum non esset ex paritate rationis inter duo; sed duceretur ab eodem ad idem.

4. D. CHRYSOSTOMUS Hom. 5. de verbis Isaiæ. VIDI DOMINUM. *Sacerdotium principatus est ipso etiam regno venerabilius ac majus. — Si vis videre discrimen, quantum absit Rex à Sacerdote; expende modum potestatis utriusque traditæ; videbis Sacerdotem multo sublimius rege sedentem — Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est; & de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cælorum Rex:* Quæcunque ligaveritis &c. *Quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem authoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra; Dominus sequitur servum; & quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam, Dominum iratum reconcilians; & nos, qui offendimus eripiens ex illius manibus.*

Idem S. Doctor l. 3. de SACERDOTIO scribit: *Si quis consideret, probè intelliget, quanta Sacerdotes dignitate Spiritus Sancti gratia dignata sit. —*

His datum est; ut potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaveritis &c. *Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Sed vinculum Sacerdotum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque se extendit; usque adeo, ut quæcunque Sacerdotes inferne confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem à Dei Filio illis traditam?* Hæc *aurei oris* verba profectò aliud sonant, quam nudam potestatem annuntiandi Evangelicam veritatem de articulo remissionis per Baptismum, jam pueris notam ante Præconis Lutherani absolutionem, quam frustra floreno aut thalero emunt, quibus Biblia domi est. Addo aliam observationem notatu dignam, quod videlicet hostes D. Chrysostomi ex ejus concionibus captarint singula verba; in quibus videbatur recedere à communi sensu Ecclesiæ orientalis, inter quæ in *articulis accusationis* continebatur, quod *nimis facilem* sponderet absolutionem; *toties* impendendam, *quoties* pœnitens ad se accederet. Ergo quoad doctrinam non accusatam, qualis est præsens doctrina, repræsentat fidem Orientalis Ecclesiæ.

5. D. HIERONYMUS Epist. 1. *ad Heliod.* c. 7. *Absit ut de Clericis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt: per quos & nos* (baptismo) *Christiani sumus; qui claves regni cælorum habentes quodammodo ante judicii diem judicant.*

6. S. AMBROSIUS I. de pœnit. refutans Novatianos, qui à potestate remittendi peccata, quædam graviora crimina, ut est idololatria, & homicidium, excludunt, Can. 2. scribit: *Ajunt, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam inferunt, quam ei, cujus mandata rescindere volunt. Nam cum ipse Dominus dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. quis est, qui magis honorat? An qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Dominus par jus esse voluit, solvendi & ligandi. Jus hoc solis Sacerdotibus permissum est. Sed ajunt; se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi potestatem Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.*

7. S. LEO Epist. 80. *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violassent, proprio judicio se condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei sine supplicationibus Sacerdotum* (hoc est, forma absolutionis, quæ antiquitus erat deprecatoria) *nequeat obtineri.*

8. S. HILARIUS in c. 16. Matth. Can. 16. *O Beatus cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cælo; ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta; statuti ejusdem conditionem obtineant & in cælo.* Et Can. 18. ad illa verba Christi Matth. 18. QUÆCUNQUE ALLIGAVERITIS &c. *Ad terrorem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque absoluti sint aut ligati.*

Hujusmodi textus reperies multos in Coccio, Wistassio, & in *Demonstratione Critica* de Pœnitentia, & in Tournclio h. q. 2. art. 2. prob. 2. ubi recte observat, quod *sex genera* locutionum in SS. Patribus occurrant. Nam docent 1. Christum dimittere peccata ministerio Sacerdotum. 2. Sacerdotes esse veros judices, qui pronuntiandi authoritatem habent in cœlestibus negotiis. 3. A Sacerdotibus solvi peccatorum vincula. 4. Prius dimitti peccata in terris, quam in cœlis. 5. eadem authoritate à Christo accepta remitti per Sacerdotes peccata in baptismo & in pœnitentia. 6. Tantam esse necessitatem absolutionis Sacerdotalis, ut ejus defectu animæ pereant. Hæc autem omnia directè opponuntur Systemati Protestantium de natura Pœnitentiæ.

Objectiones.

OBJICITUR 1. Non datur constans & uniformis traditio de Sacramento Pœnitentiæ. Ergo non est asserendum. *Ant. prob.* 1. Potestas remittendi peccata enormia Idololatriæ, homicidii, & mœchiæ negata est à Tertulliano, alioquin in rebus Ecclesiasticis versatissimo, & traditionum tenacissimo, ut patet ex l. *de præscriptionibus.* *Ant. prob.* TERTULLIANUS irridet Edictum ZEPHYRINI Papæ, tanquam novationem, quo mœchiæ & fornicationis reos, si præscriptum tempus pœnitentiæ publicæ rite exegissent, in mortis articulo absolvi præcepit. 2. Ipsa Romana Ecclesia eodem Tertulliano teste etiam sub Zephyrino Papa necdum ausa est, in ipso mortis articulo absolvere Idololatriæ & homicidii reos. Ergo. *Ant. prob.* ex verbis Tertulliani, dum l. cc. *de Pudic.* c. 9. scribit: *Si pars adversa* (Romanæ Ecclesiæ addicta) *gestit, ut mœchiam & fornicationem pœnitentia donent, & cætera delicta pariter capitalia concedi oportebit. Quæcunque authoritas, quæcunque ratio mœcho & fornicatori pacem Ecclesiasticam reddit, eadem debebit & homicidæ & Idololatræ pœnitentibus subvenire.* Et c. 12. *Neque Idololatriæ, neque sanguini pax ab Ecclesiis redditur.* 3. HERMAS in l. qui inscribitur *Pastor*, describens disciplinam Romanæ Ecclesiæ, quæ viguit Sæculo secundo, l. 3. Similit. 8. dicit: *Fieri non potest, ut nunc Dominum suum* (Christum) *abnegans, postea assequi possit salutem. Si quis ex præcordiis inventus fuerit negasse, an vitam assequi possit, ignoro.* 4. NOVATIANI, qui in aliis videbantur observare omnia constituta Catholicæ Ecclesiæ, propterea suo Schismati colorem illiniebant, quod causarentur morem & observantiam prioris Ecclesiæ quoad recusationem absolutionis quoad graviorum criminum reos, ut Socrates l. 4. c. 23. testatur. 5. Concilium Illiberitanum in Hispania negavit in mortis articulo absolutionem lapsis tempore persecutionis. Sic enim habetur Can. 1. *Placuit inter eos, qui post fidem Baptismi adulta ætate ad templum idololaturus accesserit, & fecerit, quod est crimen*

crimen principale, nec in fine eum communionem accipere. 6. Tertullianus l. *de Pudicitia* c. 5. aperte testatur, suo tempore idololatris & homicidis in Ecclesia Africana absolutionem fuisse denegatam. Sic enim scribit: *Assistit Idololatres; assistit homicida; in medio eorum* (inter pœnitentes) *assistit & mœchus; pariter sedent in sacco, & cinere inhorrescunt &c. Quid agis? Idololatram & homicidam damnas, mœchum excipis.*

Respondeo. n. a. ac inprimis inverto argumentum: Ex omnibus adductis exemplis constat, aliis peccatis mortalibus non solum ab Ecclesia Romana, sed etiam à Montanistis, & Novatianis indultam esse absolutionem ac remissionem peccatorum. Ergo in primitivâ Ecclesia omnium, etiam ipsorum hæreticorum ac Schismaticorum consensu dabatur Sacramentum pœnitentiæ. *Ant. prob.* ab Inductione. Sic enim apud Socratem l. 7. c. 25. quidam Novatianus suorum disciplinam explicat, dicens: *Præter idolis sacrificandi peccatum sunt alia multa* (non omnia) *peccata ad mortem, ob quæ vos solos Clericos, nos Laicos etiam à Communione excludimus, potestate soli Deo illis ignoscendi relicta.* Sic & apud Ambrosium l. 1. de pœnit. c. 2. Novatiani ajunt: *se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus.* Tertullianus suorum Montanistarum disciplinam explicans c. 3. ait: *Perit & fidelis* (peccato mortali) *elapsus in spectaculum scenicæ fœditatis, in ministerium alienæ idololatriæ; aliquas artes adhibuit curiositatis* (superstitionis;) *in verbum ancipitis negotiationis impegit; ob tale quid extra gregem datus est; debet requiri atque revocari. Quod potest recuperari, non perit.*

Respondeo 2. generaliter *distinguendo.* Montanistæ, Novatiani, ac ipsæ Ecclesiæ Catholicæ denegabant quibusdam criminibus absolutionem Indulgentialem. tr. Sacramentalem. n. ut enim in *Demonstratione Critica* part. 3. ad object. 7. f. 237. ostendi; omnes pœnitentes in ipsa receptione ad pœnitentiam absolvebantur Sacramentaliter. Cum ergo ipsemet Tertullianus in textu superius num. 6. adducto testetur, etiam Idololatras, & homicidas ad pœnitentiam publicam fuisse admissos, consequens est, cos absolutos fuisse Sacramentaliter. Cæterum *absolutio Indulgentialis* nil aliud erat, quam relaxatio Satisfactionis & pœnarum nomine Dei facta cum admissione ad Eucharistiam, prout in Opere de *Indulgentiis* in *Dissert. Prælim.* & in *Supplemento* pluribus deduxi. Quod vero in ipso initio pœnitentiæ solennis Sacramentaliter absoluti sint pœnitentes, eo potissimum usus sum argumento, quod eadem sit forma precum absolutoria initio & in fine pœnitentiæ; co solo discrimine, quod initio pœnitentiæ ea pronuntiata fuerit à presbytero; in fine autem pœnitentiæ ea communiter recitata fuerit ab Episcopo, prout patet ex *Pœnitentialibus.* Tum etiam, quia D. Augustinus testatur, fideles in discrimine vitæ currere solitos ad Sacerdotes, ut reciperentur ad *actionem pœnitentiæ;* quod non tam sedulo quæsiissent, nisi illis fuisset indulta absolutio Sacramentalis; videlicet quoad *reatum culpæ.* Vide dicenda Disp. 5. q. 3.

Respondeo 3. particulatim.

Ad 1. dist. Tertullianus negat potestatem remittendi peccata enormia *absolutione indulgentiali.* tr. *Sacramentali.* n. Ipsemet Tertullianus l. de Pudicit. c. 5. manifeste ostendit, quorumcunque demum criminum reos, etiam Idololatras, & homicidas, admissos esse ad pœnitentiam solennem, ut patet ex ejus textu relato object. 1. num. 6. Præcessisse autem absolutionem Sacramentalem in ipsa receptione pœnitentiam, ostendi tum in Opere *de Indulgentiis* l. cc. tum in *Demonstratione Critica* de Pœnit. in Respons. ad Object. 7. f. 237. *Absolutionem* autem *Indulgentialem* in Ecclesiis particularibus passim denegatam esse etiam in articulo mortis circa quorundam *criminum capitalium* reos, non nego; quamvis Ecclesia Romana quoad eam *absolutionem* etiam *Indulgentialem* in articulo saltem mortis semper humanitate usa sit erga eos, qui se tempore solennis pœnitentiæ in exercitatione operum pœnitentiæ sedulos demonstrassent, prout facile erui potest ex iis, quæ scribit eruditus P. Orsius in l. *de Capitalium criminum absolutione.* Sect. 3. c. 4. à f. 229. Vide dicenda Disp. 5. q. 3.

Ad 2. dist. Ecclesia Romana Idololatris & homicidis non concessit absolutionem *Indulgentialem.* c. *Sacramentalem.* n. Sensus patet ex dictis in Responsione præcedente.

Ad 3. dist. dicit; fieri non posse *moraliter,* ut homo profligatæ conscientiæ assequatur veniam sine extraordinaria gratia actuali conversionis, præcise spectatis viribus naturæ, & auxiliis gratiæ ordinariis. tr. cum extraordinaria gratia. n. id fieri non posse *moraliter,* probat Hermes ab ipsa experientia: testatur enim; nullum eorum, qui ex mera malitia, nemine cogente, & luce Evangelii jam evidenter irradiante in toto orbe, ut nulla ignorantia excusari potuerit, nihilominus in animo ex levitate abnegassent Christum, rediisse ad Ecclesiam ac pœnitentiam postulasse; ex quo sequitur; nulli eorum, qui *ex præcordiis* Christum abnegassent, gratiam actualem conversionis, utpote indisposito, à Deo concessam esse. Cæterum Hermes in eo libro sæpius repetit; januam pœnitentiæ, quantum est ex parte Ecclesiæ, omnibus, qui pœnitentiam poscerent, apertam esse. Cum ergo in ipsa receptione pœnitentium omnibus absolutio Sacramentalis indulta fuerit, prout ex dictis suppono, impossibilitas veniæ non proveniebat ex defectu absolutionis, sed ex defectu pœnitentiæ. Addo; cum ejusmodi transfugæ sæpe prodiderint Tyrannis Christianos, & conventus Ecclesiasticos, verosimile est; eos ne quidem ad pœnitentiam solennem amplius fuisse receptos, eo quod fideles iis non fiderent. Hinc *Pastor* l. cc. dicit; *Nunc* non possunt assequi veniam; hoc est; durante ista secunda persecutione sub Trajano illi non possunt recipi in societatem fidelium, qui jam in priori persecutione apostatarunt, & postea recepti ad Ecclesiam denuo malitiose abnegant fidem. Quis enim eorum assertioni fidat, & quis fidelium eos patiatur in conventibus publicis? Id insinuare videtur Hermas l. 3. *Similit.* 8. n. 6. ubi interroganti, *cur non omnes egissent pœnitentiam,* Pastor respondit: *Quod Dominus iis, quorum aspexit dolum & nequitias, & animadvertit, fallaciter ad se reversuros,* negavit

negavit ad pœnitentiam regressum, ne rursus legem ejus nefandis maledicerent verbis - - atque etiam neminem eorum vides egisse pœnitentiam. Quo præplacet hæc secunda Responsio; poterit distinguere sic: Hermes dicit, fieri non posse, ut qui *nunc* apostatat, assequatur veniam, ex defectu Communionis Ecclesiasticæ, qua perpetuo privatur ex œconomia temporali Ecclesiæ. n. a. Ut enim dictum est, ejusmodi Apostatæ malitiosi debebant eo tempore causa securitatis publicæ perpetuo segregari à consortio fidelium; & ideo scientes hoc statutum Ecclesiæ, ac nihilominus malitiose apostantes eoipso perpetuo seipsos spoliabant Sacramentis Ecclesiæ, erantque eatenus perpetuo mortui sine ulla spe pœnitentiæ etiam Sacramentalis.

Ad 4. dist. Novatiani recusabant *absolutionem Indulgentialem.* c. *Sacramentalem.* n. Quod enim Novatiani omnes indiscriminatim peccatores admiserint ad pœnitentiam solennem, patet tum ex ipsis Novatianis, tum ex testimonio D. Cypriani.. SOCRATES Novatianus l. 4. c. 23. scribit: *Novatianus omnibus ubique Ecclesiis scribit; ut eos, qui simulacris immolassent, minime ad ministeria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet authoritatem remittendi.* D. CYPRIANUS vero in Epist. ad *Antonianum*, refutans Novatianos scribit: *O miserorum lamentantium caduca deceptio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris: plange, & lacrimas funde, & diebus ac noctibus ingemiste; & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare; sed extra Ecclesiam morieris. - - Quodsi invenimus, à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, pœnitentiæ fructus dolentibus non est negandus.* Similia habet Epist. 52.

Ad 5. dist. negavit absolutionem *Indulgentialem.* c. *Sacramentalem.* n. Sensus patet ex supra dictis.

Ad 6. dist. testatur, denegatam esse absolutionem *Indulgentialem.* c. *Sacramentalem.* n. Sensus patet ex dictis.

OBJICITUR 2. Absolutio Sacerdotis jam supponit, remissa esse peccata, ergo non est Sacramentum. *Ant. prob.* Magister Sententiarum, Albertus M., Alensis, Bonaventura, ac D. Thomas, quibus accedunt plures ex modernis Theologis, docuerunt, peccata statim remitti in ipsa contritione, & non nisi aliquando per accidens fieri, quod simul cum absolutione infundatur contritio justificativa. 2. SS. Patres comparant pœnitentiam Ecclesiasticam resuscitationi Lazari, ubi discipulis tantum injungitur munus solvendi vivum à vinculis, non tribuendi vitam. Ita D. Gregorius Hom. 26. in Evang. ubi ait: *Vera est absolutio præsidentis, cum æterni sequitur arbitrium judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ demonstrat, quia prius mortuum Dominus vivificavit; & postmodum is, qui vivus egressus fuerat, à discipulis est solutus.* Similia habet D. Aug. Serm. 8. *de Verbis Domini.* 3. D. Hieronymus in c. 16. Matth. docet; Sacerdotes N. T. codem modo mundare animas, quo modo Sacerdotes V. T. mundabant leprosos. Sed illi tantum mundabant ostendendo & declarando, quinam vere essent mundati; ergo idem faciunt Sacerdotes N. T. ut tantum declarent, quinam sint justificati. *Maj. prob.* Verba S. Doctoris sunt hæc. *Locum istum,* Tibi dabo claves regni cœlorum, *Episcopi & presbiteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis; ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant. Non quod Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos, qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates scit, qui ligandus sit, quive solvendus.* 4. Ipsemet D. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 1. fatetur, juxta communem Theologorum sententiam hunc esse sensum absolutionis Sacramentalis, quod Sacerdos *ostendat emundationem divinitus factam esse.* 5. S. Augustinus Serm. 23. inter 50. reprehendit eos, qui arrogantur dicunt: *Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Spiritus,* inquit, *dimittit, non vos.* 6. S. Ambrosius l. 3. de Spiritu Sancto c. 18. *Per Spiritum Sanctum peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent.*

RESPONDEO n. a.

Ad 1. n. a. Ostendam enim Disput. 3. authores hic citatos non esse hujus sententiæ, patebit, plerosque ex hic enumeratis Doctoribus docere, quod Sacramentum universim rite dispositos per amorem Dei initialem ex *attritis* faciat *contritos*, conferendò illis gratiam habitualem, per quam amor initialis inefficax, infirmus, ac imperfectus, fiat efficax ac perfectus. Quodsi unus & alter illorum veterum Theologorum censuerunt; pœnitentem semper justificari ante absolutionem; non tamen negarunt; id fieri *ob Sacramentum in voto*, in quantum pœnitens contritus paratus est satisfacere Deo satisfactione compensatoria offensæ juxta arbitrium offensi in hoc Sacramento à Vicario Dei sibi demonstrandum. In hac enim suppositione motivum conferendi gratiam pœnitenti apud Deum non est votum seu propositum pœnitentis, sed potius id, quod habetur *in voto* seu *proposito.* Sic enim Catechumenus, Turca, vel Gentilis, qui salvatur per *Baptismum in voto*, non justificatur *per votum Baptismi*, sed *per Baptismum in voto.* Neque enim Deus finit se moveri ad conferendam justificationis gratiam *intuitu propositi*, sed *intuitu Baptismi*, qui habetur in proposito, ita ut in mente divina in esse intentionali Deum movent ratio Baptismi à Deo instituti, non tendentia ad hunc scopum. Si *quæras*, quomodo id fieri possit, exemplum habetur in fide antiquorum Patrum in V. T. qui justificabantur per Christum, ita ut motivum amoris divini erga illos Sanctos non fuerit actio aut operatio humana ratione sui, sed ratione Christi venturi, in quem respiciebant. Itaque nec mens, nec principia veterum Theologorum excludunt necessitatem

tem aut naturam Sacramenti ratione sui & ex opere operato collativi gratiæ remissivæ peccatorum. Adde, Theologos quosdam veteres explicari posse de justificatione *morali*, quæ habetur per rectitudinem voluntatis ad Deum; non vero de justificatione supernaturali, quæ habetur per infusionem gratiæ, seu demonstrationem reciproci amoris divini erga hominem. Existimabant enim; peccatorem obligari quidem ad amandum Deum, atque ad cæteras virtutes; tanquam partem humanæ justitiæ, sibi comparandas, si sperare vellet non solum remissionem æternæ pœnæ, sed etiam restitutionem in integrum per renovationem adoptionis in statum filiorum Dei; Deum tamen non obligari eoipso ad amorem reciprocum per exhibitionem benevolentiæ specialis, præsertim per novam adoptionem in statum ac hæreditatem filiorum. Itaque animæ in hoc statu, quamvis justitiam quandam humanam adeptæ essent, nondum tamen justificationem illam supernaturalem, quæ fit per infusionem gratiæ sanctificantis & actualem adoptionem, assecutæ essent ante actualem susceptionem Sacramenti; & hujus sententiæ se aliquando fuisse, fatetur D. Thomas in Summa 1. 2. q. 87. In hac tamen explicatione, quam revocarunt Estius, & Sylvius, patet necessitas Sacramenti.

Ad 2. dist. Comparant pœnitentiam resuscitationi Lazari quoad vitam moralem, quæ habetur per exercitium virtutum præsertim dilectionis initialis. c. quoad vitam supernaturalem, quæ habetur per infusionem gratiæ adoptionis. n. In conversione enim seu resuscitatione peccatoris consideranda sunt tria. Primum est vivificatio impii ad vitam moralem, seu exercitationem virtutum, fidei, spei, detestationis peccatorum, bonorum propositorum, præsertim dilectionis initialis. Hæc vivificatio peccatoris fit ante absolutionem Sacerdotis à solo Deo per gratiam actualem internæ illustrationis & motionis. Præsupposita hac vivificatione Discipuli seu Sacerdotes solvunt pœnitentem à rigorosa obligatione satisfaciendi juxta arbitrium offensi in ordine ad obtinendam remissionem culpæ seu offensæ, eamque obligationem rigorosam commutant nomine Dei in satisfactionem compensatoriam viribus humanis valde contemperatam. Proferendò itaque sententiam absolutoriam ab illa rigorosa obligatione peccatis annexa ponunt judicium Ecclesiasticum, quod est ipsum Sacramentum seu signum practicum collativum gratiæ sanctificantis, seu vitæ supernaturalis. Itaque datur *duplex vivificatio*, una *moralis*, altera *supernaturalis*; inter utramque intermediat *solutio à vinculo*, *obligatione* seu *reatu peccati* ad rigorosam satisfactionem compensatoriam, prout fuse monstrabitur Disp. 5. q. 1. de sensu verborum absolutionis. Et sic salvatur summa analogia inter resuscitationem Lazari & justificationem peccatoris, qui a sicut Lazarus fuit ab initio vivificatus, dein solutus, ac demum exuto mortuali habitu nova stola, habitu, viribus, ac forma hominis sani indutus; ita peccator ab initio vivificatur à Deo per gratiam actualem ad operationes vitæ moralis; dein à Sacerdote authoritate divinitus concessa solvitur à peccato quoad reatum satisfactionis compensatoriæ rigorosæ per se jure naturali requisitæ ad obtinendam ab offensu considerato tanquam persona particulari veniam, prout dictum est Disp. 1. q. 2. Tertio denique sequitur vivificatio supernaturalis per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ hominis animæ novas vires, & formam, & alterius ordinis actiones, utpote respectivas finis supernaturalis, tribuit.

Ad 3. dist. Sacerdotes eodem modo mundant loquendo de mundatione morali. c. loquendò de mundatione theologica seu supernaturali. n. emundatio moralis consistit in emundatione maculæ moralis, quæ consistit in habituali deordinatione voluntatis. Hæc emundatio per conversionem seriam voluntatis ope contritionis, propositi, fidei, spei, & dilectionis initialis. Et hac emundatione Sacerdos tantum habet judicium discretionis, per clavem scientiæ discernendò, quis vere in animo sic mundatus sit. Sed emundatio theologica consistit in emundatione illius maculæ, quæ dicit privationem gratiæ sanctificantis. Hæc emundatio fit per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ ponitur à solo Deo intuitu Sacramenti. Itaque loquendò de hac emundatione immediatè non Sacerdos, sed Sacramentum emundat per modum causæ moralis, movendò Deum ad infusionem gratiæ sanctificantis. Sacerdos autem tantum ponit Sacramentum sic emundativum, sicut ponit Baptismum ablutivum animæ. Et sicut ordinariè non solemus dicere; quod Sacerdos in Baptismo abluat animam, sed quod Baptismus abluat animam, ita non solemus dicere, quod Sacerdos conferat gratiam emundativam maculæ theologicæ, sed quod Deus eam conferat. Vide dicta Disp. 1. in qq. object. 3. ad 2. ubi actum est de duplici macula; & dicenda Disp. 5. q. 1. ubi examinabitur immediatus sensus verborum absolutionis.

Ad 4. dist. D. Thomas docet; quod Sacerdos ostendat, emundationem moralem factam esse antecedenter ad absolutionem. c. emundationem theologicam esse factam antecedenter ad absolutionem. n. D. Thomas enim l. cc. expresse docet, quod, loquendò de emundatione Theologica, Sacerdos conferendò Sacramentum pœnitentiæ peccatorem non antecedenter, sed de præsenti in ipsa collatione Sacramenti sit emundatus à Deo per infusionem gratiæ, sicut in Baptismo Sacerdos conferendò ablutionem externam corporis modo symbolico ostendit, sic fieri & factam esse à Deo internam ablutionem animæ. Sic ergo etiam Sacerdos exercendo judicium Ecclesiasticum absolvendò pœnitentem à peccato quoad reatum obligationis ad satisfactionem rigorosam compensatoriam pro obtinenda remissione culpæ ostendit, in judicio divino peccatorem absolvi à peccato quoad reatum culpæ Theologicæ. S. Doctor ita seipsum explicat l. cc. ubi ait: *Sacerdotibus com[illegible] [illegible] remittendi peccata, ut oper[illegible] Dei [illegible] ostendant tanquam ministri. Sed hoc contingit tripliciter. Uno modo, ut ostendant eum non ut præsentem, sed promittant futuram, sine hoc quod a[illegible] operentur ad ipsam. Alio modo, ut significent præsentem, & nihil operentur ad eam. Et sic quidam dicunt. Tertio modo ut significent præsentem, & ad ipsam aliquid dispositivè &* *instru-*

instrumentaliter operentur, & sic secundum opinionem, quæ sustinetur communius, Sacramenta Novæ Legis emundationem ostendunt divinitus factam; & hoc modo etiam Sacerdos ostendit absolutos à culpa. Similia habet p. 3. q. 90. a. 4. C. & ad 3.

Ad 5. dist. a. quoad 2. memb. Non vos dimittitis peccatum quoad reatum culpæ directè, ac principaliter. c. indirectè ac instrumentaliter. n. Sicut enim baptizans non emundat interius, nisi tantum instrumentaliter, applicandò signum symbolicum ablutionis internæ; ita Sacerdos tantum instrumentaliter absolvit, ponendò actum judicialem Ecclesiasticum, qui est signum symbolicum practicum absolutionis internæ, quæ fit à Deo.

Ad 6. dist. A solo Spiritu Sancto peccata donantur quoad reatum culpæ directe ac principaliter, ita ut homines in peccata quoad reatum culpæ directe potestatem non exerceant. c. ita ut homines nullam potestatem in peccatum quoad reatum culpæ ostendant etiam indirecte ac instrumentaliter, quatenus potestate sibi à Christo concessa directe solvunt à peccato quoad reatum rigorosæ satisfactionis compensatoriæ jure naturali requisitæ ad obtinendam veniam culpæ. n. Sensus patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis Disput. 5. q. 1.

DICES: Ex hoc sequitur; quod verba absolutionis tanquam forma constitutiva actus judicialis Ecclesiastici pro priori ad remissionem internam culpæ, quæ fit à Deo, debeant habere aliud pro objecto immediato quam remissionem culpæ. Sed hoc dici nequit. Ergo. *Maj. patet;* quia actus judicialis in esse signi externi completo est causa gratiæ, adeoque prior suo effectu; sicut Baptismus in esse completo ex materia & forma est causa gratiæ. *Min. prob.* Non potest assignari aliud objectum verborum absolutionis immediatum nisi remissio culpæ.

RESPONDEO c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* n. a. Suppono enim ex dicendis *Disput.* 5. & ex consensu unanimi Doctorum veterum, Magistri, Alberti M., Alensis, Bonaventuræ & D. Thomæ, quod verba absolutionis tanquam constitutiva judicii Ecclesiastici circa actus internos pro objecto immediato habeant absolutionem à rigorosa obligatione satisfaciendi juxta arbitrium offensi in ordine ad remissionem culpæ seu absolutionem à peccato quoad reatum satisfactionis rigorosæ compensatoriæ in ordine ad obtinendam remissionem culpæ.

OBJICITUR 3. Quod instituitur vel abrogatur ab Ecclesia, non est Sacramentum. Sed talis est pœnitentia Ecclesiastica. Ergo. *Min. prob.* 1. Confessio, quæ est essentialis pars pœnitentiæ Ecclesiasticæ, nondum agnita fuit necessaria in Concilio CABILLONENSI anno 813. Ergo. *Ant. prob.* hoc Concilium inter opiniones Doctorum reponit, an Confessio necessariò facienda sit Sacerdoti.

2. Teste SOZOMENO l. 7. & SOCRATE l. 5. NECTARIUS Patriarcha C. P. circa annum 380. abrogavit Constantinopoli Confessionem; quod ejus exemplum pleræque Ecclesiæ orientales secutæ sunt.

3. Etiam *Magister* Sententiarum *dist.* 17. & *Gratians dist.* 1. *de pœnit.* c. 33. dist. 1. recitat opinionem Doctorum Catholicorum, existimantium, Confessionem non esse necessariam.

RESPONDEO tr. *Maj.* n. *Min.*

Ad 1. n. a. *ad prob.* n. a. Concilium enim Cabillonense non approbat quorundam novatorum sententiam, qui forte ex Homiliis D. Chrysostomi male intellectis occasionem sumentes in Discursibus, ut videtur, privatis *dicebant*, non esse necessarium ut Confessio Sacerdoti fiat, sed sufficere, si soli Deo fiat. Econtrariò hic error progerminans, statim ab hoc Concilio manifeste retunditur, quia docet, *eo solum pacto* confessionem utiliter soli Deo in secreto fieri per frequentes actus pœnitentiæ internos, si hæc pœnitentia interna conjungatur simul cum proposito, sua peccata opportuno tempore confitendi Presbytero, ita ut utrumque simul, confessio videlicet cordis coram Deo, & confessio oris coram Sacerdote facienda, conjungantur. Rectè autem ab hoc Concilio advertitur, confessionem cordis sic debere esse comparatam extra susceptionem Sacramenti, ut purget peccata; Sacerdotis autem officium in eo esse, ut nomine Dei statuat modum satisfactionis compensatoriæ ad obtinendam à Deo veniam jure naturali requisitæ. Hunc esse sensum Concilii, juxta lectionem *Bailii* in *Summa Conciliorum*, patet ex ejusdem verbis; sic enim habent: *Quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata; quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & secundum Institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra. Confessio itaque, quæ fit Deo, purgat peccata; ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet, qualiter purgentur peccata.* De hoc plura vide in *Demonstr. Crit.* part. 3. Object. 11. fol. 252.

Ad 2. dist. Nectarius abrogavit Confessionem solennem. c. privatam. n. Confessionem *solennem* voco, quæ fieri debebat publice in Ecclesia uni determinato Pœnitentiario de peccatis aut notoriis; aut privatim causa correctionis fraternæ denuntiatis; aut etiam occultis, sed specialiter reservatis Episcopo in ordine ad pœnitentiam publicam per Sacros Canones constitutam. Hoc rigidius genus Confessionis à temporibus Apostolicis usitatum longe severius introduci, & extendi cœpit Sæculo tertio ob nimis frequentes Apostasias, ac potissimum ob calumnias Novatianorum, asserentium, in Ecclesia Catholica relinqui crimina impunita. Verum ob scandalum exortum ex fractione Sigilli Confessionis, quod violatum fuerat à Pœnitentiario, totum illud genus pœnitentiæ publicæ cum munere Pœnitentiarii publici à Nectario abrogatum est; prout desumitur ex Socrate & Sozomeno, quorum testimonia exactius expensa reperies in *Demonst. Crit.* Object. 2. Cæterum quod privata Confessio, quæ illis temporibus fiebat potissimum in domibus Presbyterorum, prout colligitur ex *Pœnitentiali Romano*, non fuerit abrogata, patet ex invitatione publica D. Chrysostomi, qua in Concionibus solebat invitare peccatores, ut venirent ad se pro salute animæ. Septimus enim articulus

articulus accusationis illi objectus erat iste: *Quod licentiam peccatoribus præberet, dicens: Si iterum peccasti, iterum pœnitentiam age; & quoties peccaveris, veni ad me, & ego te sanabo.* Et Hom. in Psal. 50. dicit: *Ne cuncteris; peccasti? pœnitentiam age; millies peccasti? millies pœnitentiam age. Hæc pharmaca indesinenter applico, & tumorem comprimo.* De quo vide in *Demonst. Crit.* de pœnit. Object. 1: f. 198. & 199.

Ad 3. dist. Recitant eam opinionem, ut improbabilem, ac sufficienter refutatam per alios textus, quos pro vera sententia allegant. c. recitant eam ut probabilem. n. Ex his testimoniis *Magistri*, & *Gratiani*, & aliorum ad summum sequitur; nondum pro sententia damnata, aut hæretica habitam fuisse illam opinionem, quæ supponebat, præter peccata specialiter reservata cognitioni Ecclesiæ, in actu secundo non dari obligationem confitendi alia peccata, donec & illorum in aliquo Concilio plenario exigatur ab Ecclesia distincta Confessio. Hæc tamen opinio, licet eo tempore necdum esset hæretica, reipsa tamen erat erronea; quia potestas illimitata ligandi & solvendi à Christo Sacerdotibus concessa, quæ de se & in actu primo petit exactam peccatorum Confessionem, jam tunc statu Ecclesiæ jam satis perfecto existente per consuetudinem generalem extendebatur ad omnia peccata mortalia. Certe Magister Sententiarum eam opinionem non recitat, ut probabilem, sed ut erroneam, prout patet legenti. Sic enim eam quæstionem fuse & erudite discussam concludit: *Ex his indubitanter ostenditur; oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerri Confessionem, nec aliter posse pervenire ad ingressum Paradisi, si adsit facultas.* Gratianus etiam l. cc. Can. 61. manifeste ostendit, non sufficere Confessionem soli Deo factam.

Objicitur 4. Ex verbis Christi Joa. 20. non probatur institutio alicujus Sacramenti. Ergo. *Ant. prob.*

1. S. Cyrillus Alexandrinus in hunc locum, & D. Hieronymus in c. 44. Isaiæ ea verba Christi explicat de potestate Apostolis concessa exhortandi ad virtutes, sicque solvendi captivos diaboli. *Solvunt eos Apostoli sermone Dei, & exhortatione virtutum.*

2. S. Augustinus Tract. 121. in Joannem ea verba explicat de solutione peccatorum, quæ fit per *charitatem Ecclesiæ, quæ participum peccata dimittit, eorum autem, qui non sunt participes, peccata retinet.*

3. Si potestas solvendi peccata esset Sacramentum, etiam potestas ligandi foret Sacramentum. Sed hoc dici nequit; quia potestas ligandi non confert gratiam ex opere operato.

Respondeo. n. a.

Ad 1. dist. Solvunt ita Apostoli uno solvendi genere, c. omni solvendi genere. n. Ut enim D. Cyrillus observat; dantur solvendi genera varia, inter quæ etiam continetur exhortatio ad virtutes, per quas homo à mancipatu dæmonis solvitur. Sed in ea solutione involvi propositum baptismi aut pœnitentiæ tanquam medii ad solvendum immediate à peccatis, idem S. Doctor aperte declarat, dum sic ait: *Non erit absurdum, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum Sanctum in seipsis habeant. Nam Spiritus, qui in eis habitat, per eos remittit & detinet. Erit autem id per eos duobus modis; primum baptismo; deinde pœnitentia.* Eodem modo explicandus D. Hieronymus; aut dicendum; per exhortationum virtutum solvi etiam peccata excitando contritionem perfectam; quamvis ille modus solvendi peccata non sit unicus; nec sine voto Sacramenti.

Ad 2. dist. Charitas Ecclesiæ solvit peccata dispositive. c. efficienter aut formaliter. n. Per Chritatem Ecclesiæ D. Augustinus intelligit unitatem seu Communionem Ecclesiæ Catholicæ, quæ aperit januam ad Sacramentum Pœnitentiæ valide & fructuose suscipiendum; quia extra veram Ecclesiam ex defectu jurisdictionis & unionis cum Ecclesia absolutio nec est fructuosa, nec valida. Hic sensus D. Augustini patet legenti contextum, quia ibi respicit ad Schismaticos Donatistas.

Ad 3. dist. Potestas ligandi realiter & indivisim cum potestate solvendi esset Sacramentalis. tr. formaliter & divisim sumpta. n. Cum enim potestas ligandi sit realiter identificata cum potestate solvendi; etiam illa realiter confert gratiam ex opere operato; sicut animalitas realiter ratiocinatur, & potentia intellectiva realiter elicit volitiones. Ad rationem additam dico; etiam potestatem ligandi conferre gratiam suscipientibus hoc Sacramentum, quia, inquantum ligantur ad satisfactionem compensatoriam, in tantum solvuntur à culpa.

Objicitur 5. Scriptura & Patres tribuunt baptismo vim remittendi peccata etiam subsequentia. Ergo. *Ant. prob.*

1. Apostolus Eph. 5. universim dicit, quod Christus *mundet Ecclesiam lavacro aquæ.*

2. S. Augustinus in pluribus locis dicit; per baptismum remitti peccata etiam subsequentia, videlicet l. 2. de Gratia & peccato c. 39. & 40. l. 3. ad Bonifacium c. 3. l. 6. c. Julian. c. 13. & 58. l. 1. de nuptiis c. 33.

3. S. Fulgentius l. de fide c. 30. appellat baptismum Sacramentum fidei & pœnitentiæ.

Respondeo. n. a.

Ad 1. dist. dicit, quod Christus *mundet lavacro*, mundatione *prima* aggregativa Ecclesiæ. c. *secunda*, reparativa Ecclesiæ. n.

Ad 2. dist. dicit, per baptismum *tanquam conditionem* remitti peccata. c. tanquam *per causam*. n. sine baptismo enim non valent reliqua Sacramenta. Ita S. Doctor seipsum explicat l. 1. de nuptiis c. 33. ubi ait: *Peccata, quæ posterius contrahuntur, in baptismo remittuntur; non ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia eoipso, quod semel datur, fit, ut etiam postea peccatorum venia impetretur. Quid enim prodesset pœnitentia, nisi baptismus præcederet? Quo fructu diceretur Oratio Dominica, nisi ab eis, qui baptizati sunt, diceretur?*

Ad 1. dist. Vocat Baptismum Sacramentum pœnitentiæ respectu adultorum venientium ad Baptismum. c. respectu jam baptizatorum. n.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam sint partes Sacramenti Pœnitentiæ?

NOTANDUM 1. In hac Quæstione interea suppono; ad Sacramentum Pœnitentiæ à Christo fuisse requisitam contritionem, Confessionem, Satisfactionem, & Absolutionem; dubitatur tamen 1. An Christus omnibus his voluerit alligare vim conferendi gratiam ex opere operato? 2. An vere sint pars hujus totius; quod est *signum sensibile collativum gratiæ &c.*

NOTANDUM 2. Duas esse potissimum hac in re Sententias. Una est communis Thomistarum & Recentiorum; Actus pœnitentis, videlicet *contritionem, Confessionem, & Satisfactionem* esse *per modum materiæ*, absolutionem vero se habere *per modum formæ*. Altera est Sententia Scoti, qui in 4. dist. 14. q. 4. & dist. 16. q. 1. expresse negat, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes Sacramenti Pœnitentiæ. Censet enim; vim Sacramentalem causandi gratiam sanctificantem soli esse adscribendam absolutioni. Huic Sententiæ adstipulatur Hiquæus cum Scotistis, & Maldonatus de Sacramentis part. 3. thesi. 7.

NOTANDUM 3. Duo esse genera compositorum valde diversa. In uno enim genere partes totius participant inadæquate vel formaliter denominationem totius. Sic partes alicujus compositi corporei, materialis, gravis, corruptibilis &c. dicuntur etiam ipsæ corporeæ, materiales, graves, corruptibiles &c. Econtra datur aliud genus compositorum, ubi partes totius nec inadæquate nec formaliter participant denominationem totius. Sic Christus est æternus, & tamen ejus natura humana, cor & ossa, non sunt æterna. Sic etiam homo est mortalis, rationalis, & tamen anima non est mortalis, nec corpus est rationale. Ex quo proin sequitur, denominationem aliquando convenire toti composito tantum ratione unius partis. Hoc autem solet contingere, quando una pars totius aut toto genere excedit naturam compartium; aut quando pars una totius vim suam non habet ab intrinseca natura; sed à causa extrinseca physica vel morali. Sic homo calefit, etsi anima non calefiat.

DICO I. Partes materiales Sacramenti pœnitentiæ sunt tres; contritio, confessio, & satisfactio. Forma autem seu pars formalis hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis. Ita *communis*.

PROBATUR CONCLUSIO 1. In hoc toto, quod est *Judicium Civile* pro *parte materiali* sunt *actus Actoris & rei*, videlicet, accusatio, depositio testium, rei exceptio, vel satisfactionis oblatio; pro *parte* autem *formali* est ipsa *sententia judicis*. Ergo etiam in hoc toto, quod est Sacramentum Pœnitentiæ, pro parte materiali assignandi sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio; pro parte autem formali ipsa Sacerdotis absolutio. *c. prob.* Sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum judicii, ubi pœnitens simul sumit personam actoris, & rei, & testis; Sacerdos vero personam judicis, prout patet ex priori quæstione. Ergo.

PROBATUR 2. Concilia & Communis fere omnium Doctorum pro *materia* hujus Sacramenti assignant *actus pœnitentis*; pro *forma* autem verba absolutionis. Ergo id asserendum. *c. patet*, quia in quæstione nominis, qualis est præsens, loquendum cum communi, præsertim cum Ecclesia. *Ant. prob.* 1. ex *Decreto unionis* Eugenii 4. in Concilio Florentino, ubi dicitur: *Quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio; secunda est oris confessio; tertia satisfactio secundum arbitrium Sacerdotis. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis.* 2. ex Concilio Tridentino, ubi Sess. 14. c. 3. dicitur: *Sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.* Et ibid. Can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* 3. ex Catechismo Tridentini ubi Tit. de Sacram. pœnit. n. 17. dicitur: *Hi actus quasi materia à S. Synodo appellantur; non quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, Chrisma in confirmatione.*

PROBATUR 3. Illud in omni composito vocatur *materia*, seu *pars materialis* totius, quod secundum se est indifferens & determinabile ad plures species; illud autem vocatur *forma* seu pars formalis, quod est determinativum ad unam speciem seu specificativum rei. Sed contritio, confessio, & satisfactio sunt aliquid determinabile ac indifferens ad rationem specificam virtutis, aut Sacramenti pœnitentiæ; econtra absolutio est determinativum ac specificativum horum actuum ad rationem Sacramenti. Ergo illi actus sunt materia, & absolutio est forma hujus Sacramenti.

DICO II. Virtus collativa gratiæ immediatè est alligata soli absolutioni.

DIXI, *immediatè*; ita ut sola absolutio *ratione sui*, & *virtute propria* à Christo accepta causet gratiam. Per hoc tamen non negatur, quin effectus Sacramentalis etiam adscribi possit actibus pœnitentis, ita tamen, ut gratiam non causent *ratione sui*, & *virtute propria*, sed tantum ratione absolutionis, & tantum ratione virtutis effectivæ se tenentis ex parte absolutionis. Itaque actus pœnitentis causant gratiam tantum *mediate*, mediante videlicet absolutione, ad quam ordinantur, & cum qua constituunt unum totum significativum & collativum gratiæ. *Exemplum* habetur in omnibus compositis naturalibus, ubi activitas & virtus productiva effectuum formaliter ac immediate non convenit materiæ primæ, licet sit pars compositi, sed tantum formæ. Sic enim forma ignis urit & accendit, non materia ignis, nisi mediate ac ratione suæ formæ. Sic etiam forma plantæ ratione sui germinat, non materia plantæ.

CON-

CONCLUSIO SIC EXPLICATA PROBATUR. Christus ad solam absolutionem retulit virtutem collativam gratiæ. Ergo. *Ant. prob.* Christus Joan. 20. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

PROBATUR 2. ex SS. Patribus. SS. Patres admirantur & extollunt vim remissivam peccati in Sacerdotibus atque in actibus Sacerdotum; non vero eam admirantur & extollunt in pœnitente aut in actibus pœnitentis. Ergo ea vis Sacramentalis tantum alligatur actui Sacerdotis, hoc est, absolutioni. *Ant. prob.* ex textibus SS. Patrum in priore quæstione Probat. 3. relatis.

PROBATUR 3. ex absurdo. Si vis remissiva peccati immediatè foret alligata actibus pœnitentis, ipse pœnitens inadæquate seipsum solveret, sibipsi dimitteret peccata, & sibipsi administraret Sacramentum pœnitentiæ. Sed hoc est absurdum. Ergo. *Min. patet;* quia repugnat communi sensui Doctorum & fidelium. *Maj. prob.* Pœnitens non minus poneret partem Sacramenti remissivam peccatorum suorum, ac Sacerdos.

PROBATUR 4. authoritate D. Thomæ, & D. Bonaventuræ. Angelicus in 4. dist. 22. q. 2. a. 1. qq. 1. ad 2. sic scribit: *Pœnitentia exterior, quæ est signum Sacramentale in hoc Sacramento, repræsentat cooperationem* (internam) *recipientis* (gratiam); *& non* (repræsentat) *influentiam* (seu vim Sacramentalem causandi gratiam ex opere operato) *quæ est ex parte agentis extrinseci* (Sacerdotis videlicet); *& ideo non competit ei, quod gratiam aliquo modo causet.* Et ibid. ad 3. *Dicendum, quod Sacramentalibus signis in aliis Sacramentis adhibetur forma verborum ad eorum sanctificationem* (puta, benedictiones Ecclesiæ) *quia gratiam continent & causant. Sed exterior pœnitentia non est signum gratiam causans; & ideo non oportet, quod sanctificetur per aliquam formam verborum; sed verba, quæ à Sacerdote absolvente proferuntur, immediate feruntur ad eum, qui se subjicit Sacramento, unde ipse sanctificatur virtute absolutionis, & gratiam suscipit; non autem sanctificatur ejus confessio, ut ex ea gratiam recipiat, sicut erat in Baptismo de sanctificatione aquæ.* D. Bonaventura in 4. dist. 17. part. 2. art. 1. q. 3. in C. sic scribit: *Confessio hominis est opus pure humanum. Unde non est data virtus Sacramenti ipsi confessioni, sed absolutioni.* Et in 4. dist. 23. a. 2. q. 2. C. dicit: *Pœnitentia, inquantum est Sacramentum, sic habet rationem causæ & signi. Et ratio causalitatis residet penes id quod est formale. Formale vero est absolutio Sacerdotis.*

Objectiones.

OBJICITUR 1. contra primam Conclus. 1. In aliis Sacramentis, v. g. Baptismo, Confirmatione &c. actus recipientis Sacramentum non sunt pars Sacramenti. Ergo neque in Pœnitentia.

2. Ille solus ponit partes Sacramenti, qui est Minister Sacramenti. Sed pœnitens non est Minister hujus Sacramenti. Ergo nullas illius ponit partes.

RESPONDEO.

Ad 1. tr. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia aliud in hoc Sacramento voluit Christus, quod voluit instituere per modum judicii, in quo utique actus Actoris, rei, & testium sunt pars processus judicialis. *Dixi, tr.* quia etiam in Matrimonio actus contrahentium, videlicet consensus & acceptatio paciscentium, juxta communem sunt pars Sacramenti.

Ad 2. n. *Maj.* Sicut enim potest esse artifex, v. g. Statuarius, Sutor, etiamsi materiam v. g. lignum, aut corium, aliunde accipiat, dummodo materiam per immutationem physicam determinet ad rationem specificam, introducendò formam: ita in compositis moralibus potest esse *Minister*, seu, ut ita dicam *artifex*, compositi, etiamsi materiam aliunde accipiat; dummodo per immutationem extrinsecam ac moralem illam determinet ad rationem specificam. Hoc autem fit in Sacramento pœnitentiæ, dum Sacerdos per suos actus reddit actus pœnitentis Sacramentales, hoc est, in esse specifico actuum judicialium, & in esse dispositionis proximæ ad recipiendam gratiam.

OBJICITUR 2. contra eandem. Ex Tridentino non probatur; actus pœnitentis esse partem Sacramenti. *Ant. prob.* 1. Tridentinum actus pœnitentis tantum vocavit *quasi materiam*. Ergo non sunt proprie materia hujus Sacramenti. Ergo neque proprie pars; quia omnis pars aut pertinet ad materiam, aut formam.

2. Tridentinum studiose declinavit omnes terminos, quibus præjudicari potuisset sententiæ Scoti. Ergo ex ejus verbis nil exsculpi poterit contra sententiam Scoti, cùm verba non operentur ultra intentionem loquentium. *Ant. prob.* ex testimonio Pallavicini, qui in Historia Concilii Trid. l. 12. c. 10. scribit: *Non parum in Concilio disceptatum est, qua ratione actus pœnitentis declarandi forent partes Sacramenti, nibil ob id perstricta Scoti sententia, cui neque pariter officere voluerat Synodus Florentina.* Idem c. 12. observat; Concilium de industria noluisse actus pœnitentis vocare *materiam*, sed *quasi materiam*, ne rem inter Scholasticos controversam definiret.

3. Tridentinum non dixit; actus pœnitentis esse partem *Sacramenti;* sed tantum eos esse partem *pœnitentiæ*, quatenus est virtus.

4. Tridentinum positivè insinuat; actus pœnitentis potius considerandos esse per modum *dispositionis* ad Sacramentum quam per modum *partis*. Ergo. *Ant. prob.* ex verbis Concilii *Sess.* 14. c. 4. *Contritionis motus*, inquit, *in homine post Baptismum lapso ita demum* NB. *præparat*, (hoc est, disponit) *ad remissionem peccatorum, si voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ibidem docet: *Attritionem motum Spiritus Sancti esse, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

5. Tridentinum expresse distinguit contritionem à Sacramento tanquam re prorsus diversa. Ergo non potest esse illius pars. *Ant. prob.* partim ex adductis textibus, partim ex sequente:

Ibidem l. cc. *S. Synodus docet, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. dist. a. Vocat *quasi materiam* per oppositionem ad proprietates specificas materiæ vulgariter sumptæ. c. per oppositionem ad proprietates genericas materiæ vulgariter sumptæ. n. a. Concilium, cum ageret contra hæreticos nasutulos, qui solebant carpere quosvis etiam terminos ab Ecclesia & à Scholis usitatos, tanquam minus proprios, & barbaros, prout reipsa carpebant v. g. terminum *Sacramenti, transsubstantiationis, operis operati &c.* nolebat actus spirituales, qualis est contritio, locutio in Confessione, propositum satisfaciendi, vocare simpliciter *materiam*, ne daretur illis Sycophantis ansa, subsannandi Ecclesiam coram plebe, quod omnia confunderet, miscendo spiritualia cum materialibus. Sic etiam Evangelista Joa. 1. de Christo dicit: *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre*, non quod ea particula diminutiva, *quasi*, tollat rationem genericam *generationis unigenæ*; sed quod præscindat à Christo & Deo Patre rationem specificam generationis unigenæ materialis. Sic etiam in Tridentino per eam particulam diminutivam, *quasi*, non tollitur ratio generica materiæ, seu indifferentia ad diversas rationes specificas, sed tantum ratio specifica materialitatis vulgariter dictæ.

Ad 2. dist. Tridentinum noluit officere sententiæ Scoti directe, & ex intentione hominum in eo Concilio loquentium instrumentaliter. c. indirecte & ex intentione Dei in eo Concilio loquentis principaliter. n. a. Indirectè Concilia præjudicant sententiis alioquin apud Doctores Catholicos receptis, quando utuntur expressionibus, in sensu *obvio, magis proprio*, aut *magis usitato*, ingenerantibus sensum privatæ opinioni Doctorum oppositum. Cùm enim loquens principalis in Conciliis sit Spiritus Sanctus, qui lingua Patrum Concilii utitur tanquam instrumento, inde nascitur præsumptio, non sine speciali providentia ac directione Spiritus Sancti ita accidisse, ut Patribus Concilii phrasis potius huic quam illi sententiæ magis favens occurreret. Ex hac autem præsumptione recte ducitur argumentum Theologicum probabile. Cæterum objectio posset retorqueri in ipsos adversarios in materia de *attritione*, de *Immaculata Conceptione &c.* ubi ipsimet sumunt argumentum ex Conciliis, aut Bullis Summorum Pontificum, etsi probe sciant, Concilia & Pontifices dedita opera nihil voluisse definire.

Ad 3. n. a. Quia tam *titulus*, quam *clausula* finalis illius *Capitis* tractat de partibus Sacramenti pœnitentiæ. Titulus ita sonat: *De partibus & fructu hujus Sacramenti.* Dein, postquam per decursum Capitis actum est de *forma*, & *quasi materia* & effectibus hujus Sacramenti, subjungitur: *Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti S. Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes incussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt.* Ex quibus manifestum est; per partes Sacramenti intelligi *formam*, & *quasi materiam*, seu actus pœnitentis, contritionem, confessionem, & satisfactionem, prout oppositos *partibus* pœnitentiæ Lutheranæ.

Ad 4. n. a. *ad prob.* dist. Dicit, quod contritio *præparet* ac *disponat* ad effectum Sacramenti, nempe ad gratiam. c. ad ipsum Sacramentum. n. Contritio enim, licet sit pars Sacramenti, non tamen causat gratiam, sed tantum ad remissionem peccatorum concurrit per modum *dispositionis* ex parte recipientis gratiam, prout in *Conclus.* 2. dictum est.

Ad 5. dist. Distinguit contritionem extrasacramentalem à Sacramento. c. Sacramentalem. *subdist.* inadæquatè. c. adæquate. n. Contritio, quæ nondum est moraliter conjuncta cum actuali confessione, non est pars Sacramenti; & consequenter ea distinguitur adæquatè à Sacramento. Sed contritio, quæ moraliter conjungitur cum actuali confessione ordinata ad absolutionem, ea est pars Sacramenti, & consequenter distinguitur tantum inadæquate à Sacramento, sicut corpus vel anima Petri à Petro, licet dicatur, Petro animam infundi, & corpus ad merendum servire Petro.

OBJICITUR 3. contra eandem. 1. Nunquam Ecclesia definivit, in omni Sacramento debere esse duas res, quarum altera sit materia, & altera forma. Ergo Sacramentum pœnitentiæ potest consistere in sola absolutione.

2. In Matrimonio Sacramentum consistit in solis verbis contrahentium. Ergo idem admitti potest in Sacramento Pœnitentiæ quoad verba absolutionis.

3. Potest dici, eadem verba, ut indifferentia ad significationem Sacramentalem aut præcise judicialem, se habere per modum materiæ; vim autem eorundem determinate *significativam sacramentaliter* esse formam hujus Sacramenti. Ergo. *Ant. prob.* Non est necesse, ut in compositis moralibus materia & forma concreti distinguantur realiter, v. g. in hoc, quod est *vox significativa ad placitum.* Hæ tres Objectiones sunt Maldonati. l. cc.

RESPONDEO.

Ad 1. tr. a. dist. c. Nisi alia argumenta Theologica obstent. c. secus. n. c. Inter argumenta enim Theologica ad aliquid adstruendum vel negandum non reperiuntur solæ definitiones Ecclesiæ, sed etiam communis sensus Theologorum, eruditione & sanctitate insignium; phrases Ecclesiasticæ receptæ &c. *Dixi tr.* quia in *Decreto* Eugenii. 4. ad Armenos, adoptato pro regula à Doctoribus fere universis dicitur; *Sacramenta duobus perfici; rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.*

Ad 2. tr. a. Quod alii negant, qui pro materia hujus Sacramenti adstruunt corpora contrahentium. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia Sacramentum pœnitentiæ est institutum in forma judicii, ubi actus Actoris, rei, & testium sunt pars processus judicialis. Econtra Matrimonium est institutum in forma contractus.

Ad 3. dist. a. Potest dici, quod verba absolutionis se habeant per modum materiæ relate

ad

ad determinativum in esse Sacramentali. c. relate ad determinativum in esse judicii. n. a. Sicut enim termini sunt materia propositionis, in quantum sunt determinabiles per formam propositionis simplicis, vel per formam definitionis, ita actus pœnitentis sunt materia determinabilis per verba absolutionis ad formam judicialem in genere judicii Ecclesiastici. Sicut vero integra propositio vel definitio, hoc est, materia & forma propositionis vel definitionis, potest fieri materia Syllogismi, ita materia & ipsa forma judicii Ecclesiastici, seu absolutio fit materia Sacramenti qua talis, seu Sacramentaliter sumpti. Verum hoc loco non est quæstio de partibus Sacramenti Pœnitentiæ reduplicative, hoc est, in esse Sacramentali spectati, sed de partibus Sacramenti Pœnitentiæ denominative consideratis, hoc est, sumpti in esse judicii Ecclesiastici, quod à Christo elevatur ad rationem & vim Sacramentalem.

Objicitur 4. Contra eandem. 1. Absolutio non est pars pœnitentiæ; ergo nec est pars Sacramenti pœnitentiæ. Ita Henricus Gandav. qui docebat, solos actus pœnitentis esse partes constitutivas Sacramenti pœnitentiæ. 2. Contritio interna ex una parte nec est signum sensibile; ex altera parte nec est pars essentialis judicii. Ergo non est pars Sacramenti pœnitentiæ; sed sola confessio & absolutio. Ita Durandus, & Aureolus. 3. Satisfactio primum ponitur jam completo Sacramento; imo potest penitus abesse, ut patet ex moribundis. Ergo non est pars essentialis. 4. Tridentinum dicit, quod omnes actus pœnitentis tantum requirantur ad integritatem Sacramenti. Ergo sunt tantum pars integralis.

Respondeo

Ad 1. dist. a. non est pars pœnitentiæ in esse virtutis tantum. c. in esse judicii Ecclesiastici. n. a. Pro materia namque Sacramenti Christus non assumpsit pœnitentiam, inquantum hic terminus nominat virtutem pœnitentiæ; sed inquantum hic terminus significat judicium Ecclesiasticum, quo pœnitens spondens satisfactionem compensatoriam offenso juxta ejus arbitrium in persona Vicarii declaratum, redditur eatenus proxime dispositus ad gratiam Sacramentalem, intuitu hujus sententiæ absolutoriæ à Deo conferendam.

Ad 2. dist. contritio non est sensibilis immediate ac in se. c. mediate per aliquod signum externum. n. Confessio enim, vel in hujus defectu, aliud quoddam signum externum est protestatio doloris interni, quæ est essentialis pars *judicii Ecclesiastici*.

Ad 3. dist. Satisfactio in re subsequitur. c. Satisfactio in voto. n. a. Satisfactio in voto nil aliud est, quam propositum satisfaciendi offenso juxta ejus aut Vicarii arbitrium. Hoc autem serium propositum necessario præcedit absolutionem; alioquin absolutio foret nulla.

Ad 4. dist. Tridentinum docet, quod requirantur ad integritatem essentialem. c. tantum accidentalem. n. Cum enim Tridentinum ibi tractet de *partibus* Sacramenti, de *forma*, & *quasi materia*; nec assignet aliam materiam proprie dictam, clarum est, quod loquatur de integritate essentiali partium essentialiter constituentium totum.

Objicitur 5. Contra eandem. Etiam peccata pœnitentis debent assignari pro materia ac parte constitutiva Sacramenti; Ergo enumeratio partium est manca. Ita Card. Lugo, Haunoldus & Illsung. *Ant. prob.* 1. Illud est pars Sacramenti, quo solo non posito non ponitur Sacramentum. Sed tale sunt peccata. Ergo.

2. Catechismus Romanus docet; peccata esse partem Sacramenti. Ergo. *Ant. prob.* p. 2. c. 5. n. 12. ait: *Quod ab aliis dictum est, peccata ipsa hujus Sacramenti materiam esse; nihil plane adversum dici videbitur, si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur, ita peccata, quæ pœnitentia delentur, recte hujus Sacramenti materia vocari possunt.*

Responde o. n. a.

Ad 1. dist. Illud est pars Sacramenti, quo *formaliter ex parte recte* non posito non ponitur Sacramentum. c. quo tantum *ex parte obliqui ac realiter* non posito non ponitur Sacramentum. n. a. Sensus Responsionis patet ex Regula partis, data in Logica. Posset argumentum *retorqueri* in persona ministri conferentis baptismum, pœnitentiam &c. & in persona recipientis baptismum, pœnitentiam &c. quia his omnibus non positis non ponitur Sacramentum. Sequeretur etiam objectum visionis esse partem visionis, & Deum esse partem creaturæ; quia non posito objecto non ponitur visio, & non posito Deo non ponitur creatura. Idem contingit in omnibus entibus *relativis* & *connotativis*, quæ *in obliquo* dicunt terminos, ad quos referuntur. v. g. *cæna*, *servus*.

Ad 2. n. a. *ad prob.* dist. peccata recte vocantur materia hujus Sacramenti *circa quam*. c. *materia ex qua*. n.

Objicitur 6. Contra secundum Concl. 1. D. Thomas in *Summa* retractavit suam priorem sententiam, qua negabat influxum immediatum actuum pœnitentis in gratiam Sacramentalem. Ergo etiam actus pœnitentis sunt causa immediata gratiæ. *Ant. prob.* p. 3. q. 86. a. 6. C. dicit: *Remissio culpæ est effectus pœnitentiæ; principalius quidem ex virtute clavium, ex quarum parte accipitur id, quod est formaliter in hoc Sacramento. Secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

2. Antiqui Theologi supponunt; ab actibus pœnitentis causari gratiam sacramentaliter. Ergo. *Ant. prob.* Antiqui Theologi, ubi agunt de contritione justificativa extra Sacramentum, sibi formant objectionem, quod hoc modo Sacramentum pœnitentiæ non causaret gratiam. Ad eam vero objectionem Respondent: Sacramento adscribendum esse, quod operatur & causat saltem una pars Sacramenti, nempe contritio. Sic Albertus M. in 4. dist. 17. a. 21. c. de fide, quæ est pars Contritionis, loquens ait: *Dicendum, quod Deus fide sanat, secundum quod ipsa habet Sacramenti effectum.* Et ibid. ad 2. *Virtutes sanativæ efficiuntur, secundum quod eis conjungitur virtus Sacramentorum per susceptionem Sacramentorum.*

3. Alia Sacramenta habent vim causandi gratiam etiam ex parte materiæ, v. g. baptismus ex parte aquæ. Ergo & Pœnitentia.

RESPONDEO

Ad 1. n. a. *ad prob.* dist. remissio culpæ est effectus pœnitentiæ mediatus. c. immediatus. n. Verum est, quod pœnitentia causet aliquo modo gratiam, sed tantum mediatè, & secundario, & ratione absolutionis, quia est materia absolutionis; sicut etiam materia prima in igne, vel planta, urit, incendit, germinat &c. tantum ratione formæ. D. Thomas constanter docet, quod contritio tantum sit causa remissionis peccatorum, inquantum est *dispositio* seu materia idonea ad gratiam sanctificantem. Econtra de absolutione dicit; quod sit causa *instrumentaliter. effectiva* gratiæ sanctificantis, per quam remittitur culpa. Hinc etiam constanter observat, quod contritio non sit causa remissiva peccati *ratione sui*, sed tantum ratione *clavium*, ad quas ordinatur. In 4. dist. 18. q. 1. a. 3. qq. 1. c. & alibi sæpius dicit; quod contritio perfecta justificet, non inquantum ipsa est pars Sacramenti; sed in virtute clavium, quæ operantur, ut in voto habitæ. *Virtus clavium*, inquit, *operatur ad remissionem culpæ vel in voto existens, vel in actu se exercens.* Cæterum, si etiam videretur hoc loco aliqua intercedere antilogia verborum, mens D. Thomæ potius desumenda foret ex textu claro, & ex Tractatu de *pœnitentia* completo, qualis est in 4. Sent.; quam ex Summa, utpote quam in ipsa Disputatione de Pœnitentia vix inchoatam morte præventus reliquit. Ibi autem l. cc. expressè dicit: *Quandoque de necessitate Sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiæ, sicut est in baptismo; & tunc tota vis sacramentalis consistit in materia. Quandoque vero de necessitate Sacramenti requiritur consecratio vel sanctificatio ministri sine aliqua sanctificatione materiæ; & tunc tota vis Sacramenti consistit in ministro; sicut & in pœnitentia.*

Ad 2. n. a. *ad prob.* dist. docent, Sacramento adscribendum esse, quod operatur una pars, nempe contritio, *virtute aliena.* c. *virtute propria.* n. Illi Theologi solum docent, quod contritio ante actualem susceptionem Sacramenti sacramentaliter justificet, inquantum ea contritio ordinatur ad claves Ecclesiæ, seu ad absolutionem. Itaque ratio justificationis non est ipsa contritio ratione sui, sed absolutio, ad quam ordinatur, inquantum in voto habita refundit in ipsam contritionem quandam vim movendi Deum ad conferendam gratiam sanctificantem.

Ad 3. tr. a. n. c. & p. Disparitas est, quia in aliis Sacramentis Deus voluit benedicere ac sanctificare ipsam materiam, ut esset causa physica vel moralis collativa gratiæ. Econtra in hoc Sacramento Deus noluit ita benedicere, sanctificare, & elevare actus pœnitentis, ut ratione sui ac in se essent causa collativa gratiæ. Ratio autem, cur hoc Deus noluerit, videtur esse, quia hoc non decuit. Neque enim deceret, si homo inadæquate justificaret seipsum, & si peccator per suos actus pœnitentiæ immediate sibiipsi conferret gratiam sanctificantem. Imo id ne quidem fieri posset, nisi mediante arbitrio divino, quo Deus ultro acceptat satisfactionem compensatoriam pœnitentis. Cum ergo hoc arbitrium Dei non possit homini innotescere, nisi per Vicarium Dei, habentem jus ferendi sententiam nomine Dei, clarum est, quod virtus collativa gratiæ non possit convenienter alligari actibus pœnitentis, nisi mediate, mediante videlicet sententia & absolutione Sacerdotis.

DICES. D. Thomas p. 3. q. 86. a. 6. C. expresse dicit: *Omne Sacramentum producit effectum suum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ.* Ergo etiam contritio, & alii actus pœnitentis tanquam materia Sacramenti causant immediate, & virtute sacramentali propria causant inadæquate gratiam sanctificantem.

CONFIRMATUR. Ipsa absolutio est tantum materia partialis hujus concreti, quod est *Sacramentum* seu *signum collativum gratiæ.* Ergo non est ratio, cur forma hujus concreti, seu virtus collativa gratiæ potius afficiat *absolutionem*, quam alias partes materiales illius concreti, nempe actus pœnitentis. *Ant. prob.* Quando dico: Propositio est materia syllogismi, non solum dico, quod partes materiales propositionis seu termini, sed etiam quod ipsa forma propositionis sit materia syllogismi. Ergo idem dicendum est de forma absolutionis in casu.

RESPONDEO dist. Producit effectum mediatè, aut virtute materiæ participata ex forma. c. immediatè aut virtute non participata ex forma. n. Sensus responsionis patet ex *virtute activa* materiæ primæ in compositis naturalibus, quæ profecto nulla est, nisi ex forma ut unita materiæ.

AD CONFIRMATIONEM. dist. Absolutio est materia proxima ac specificativa materiæ remotæ in esse materiæ idoneæ ad esse Sacramentale. c. est materia remota. n. Sicut enim propositio immediate ratione suæ formæ est receptiva formæ syllogisticæ; & non est immediate receptiva formæ syllogisticæ ratione terminorum; ita etiam concretum judiciale ex actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis est tantum immediate receptivum virtutis seu formæ Sacramentalis per suam formam.

QUÆSTIO III.

An Christus materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ determinaverit quoad speciem infimam?

NOTANDUM I. Resolutionem hujus quæstionis servire pro Regula in plerisque Controversiis inter Theologos agitatis circa Pœnitentiam. Si enim Christus non determinavit materiam & formam hujus Sacramenti quoad speciem infimam, eoipso consequitur, ejus determinationem relictam esse Ecclesiæ. Cum autem ea, quæ dependent à libera determinatione Ecclesiæ, aliquando variari soleant pro diversa congruentia personarum, locorum, & temporum, mirum non videbitur, circa ea, quæ pertinent ad speciem infimam materiæ aut formæ in hoc Sacramento, variam aliquando fuisse, aut etiamnum esse posse praxin

praxin ac consuetudinem Ecclesiæ, cui tanquam tacitæ determinationi Ecclesiæ plurimum tribuendum erit, ubi deficiunt oracula Conciliorum aut Summorum Pontificum.

Notandum 2. Non paucas, nec exigui momenti esse quæstiones, circa quas dubitari posset, an pertineant ad materiam aut formam hujus Sacramenti quoad speciem infimam. Ejusmodi Quæstiones sunt 1. An circumstantiæ notabiliter aggravantes sint necessariò exprimendæ in confessione? 2. An detur obligatio confitendi peccata dubia? 3. Quænam circumstantiæ in Classem circumstantiarum speciem mutantium in ordine ad hoc judicium Ecclesiasticum moraliter referendæ sint? Ut enim observat Cajetanus Opusc. 5. *de Confessione. Species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, quarum diversitas diversitatem judicii salutaris inducit. Et tales sunt species peccatorum, quæ in communi habentur notitia, ut adulterium, fornicatio, furtum, rapina, contumelia, detractio. Quædam vero sunt species, quæ nullam videntur facere in salutari judicio differentiam, ut sunt species divinationis; & hujusmodi videntur esse species gulæ, & universaliter omnes latentes, quas forte vix Doctores discernunt. Et propterea primas species explicare oportet in confessione; secundas vero sufficit explicare in generibus subalternis; alioquin non relinqueretur millesimus quisque non errans, cum hujusmodi latentes species paucissimis sint manifestæ.* Ita Cajetanus, qui dum ait, has species explicandas esse in *generibus subalternis*, haud dubie non comprehendit species infimas, potius pertinentes ad considerationem Philosophiæ Ethicæ, aut Theologiæ Speculativæ, quam Theologiæ Moralis practicæ, & in ordine ad notabiliter variandum judicium Sacramentale, nisi dependenter à determinatione, si accedat, Ecclesiæ. 4. Qualis requiratur modus exprimendi numerum peccatorum? Canus enim l. 5. de pœnit. Propos. 3. ait: *Sit prostibulum decem annos in lupanari. Hanc non est opus solicitam reddere, ut explicet; an centum millia peccatorum commiserit, plus minusve; sed sat erit dicere; Ego decem annos in hoc vitio fui, quoslibet homines admisi, qualibet hora parata fui.* 5. Quæ requiratur integritas confessionis in rudibus, barbaris, obliviosis, scrupulosis, graviter ægris? 6. Quibus, & quamdiu, ante emendationem, restitutionem, vel satisfactionem Sacramentalem absolutio differenda sit? 7. Quales pœnitentiæ seu satisfactiones taxandæ sint? 8. An aliqua peccata occulta ad pœnitentiam publicam reservanda sint? 9. Ad quos casus se extendat Sigillum Confessionis? 10. An confessio possit fieri per Litteras, vel internuntium? 11. An confessio possit esse valida & informis? 12. An posset admitti confessio dimidiata in concursu cum onere supplendi defectum opportuno tempore? 13. An possit excipi Confessio divisim, & absolutio impendi conjunctim? 14. An Confessiones possint excipi ab uno, & absolutio relinqui alteri? 15. An aliquando possit sufficere Confessio generalis? 16. An potestas Clavium sit divisibilis à potestate Ordinis Sacerdotalis? 17. An forma absolutionis debeat esse deprecatoria, vel absoluta? Hæc & plura alia possunt venire in quæstionem, an dependant à determinatione Ecclesiæ, si semel illi agnita fuerit potestas determinandi materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ quoad speciem infimam.

Notandum 3. Hanc quæstionem à Theologis hactenus non fuisse discussam ex instituto. Quamvis enim multi admittant loquendò de Sacramentis in genere, quod Christus Ecclesiæ reliquerit potestatem, determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, plerumque tamen nullam faciunt applicationem illius principii circa materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Solus ea de re apertius scripsit P. Franciscus Hællerius, S. J., insignis Scriptor, nec confundendus cum aliis duobus Halleriis, de quo Morinus *de Pœnit.* l. 8. c. 25. n. 15. hæc refert: *Franciscus Hallerius, jam non semel à nobis laudatus in Opere de Ordinationibus, distinguit inter materiam* PHYSICAM & MORALEM; *atque, nullam esse Ecclesiæ authoritatem concessam in materiam Sacramentorum physicam; sed materias morales ab Ecclesiæ judicio & definitione pendere. Hinc colligit; Sacramentorum Pœnitentiæ, Matrimonii, & Ordinum materias, non autem cæterorum, Ecclesiæ Decretis esse suppositas, quia sunt, inquit, res morales, quæ in arbitrio Principum in quaque Republica sitæ sunt. Sicut enim Principes contractibus conditiones dicunt, cum Magistratibus jurisdictionem suam communicant, & illius authoramentum signis, quibus libuerit, significant, cognoscendis criminibus formulas præscribunt; ita, inquit, Ecclesiæ potestati Christus reliquit, ut materiam Sacerdotum cognitioni & judicio propriam determinaret; contractui matrimonii legitimas conditiones apponeret, officia Ordinum præscriberet, potestatisque in ipsis traditæ signa constitueret.*

DICO. Christus reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ quoad speciem infimam.

Probatur 1. *ex Scriptura.* Christus reliquit Ecclesiæ potestatem prorsus illimitatam ac generalissimam remittendi & retinendi peccata. Ergo reliquit potestatem etiam determinandi materiam & formam Sacramenti quoad speciem infimam. *Ant. prob.* Christus suæ concessioni nec appusuit modum, nec conditionem, nec speciem, nec clausulam, nec ullum determinativum specificum quoad speciem infimam. Ergo. *Ant prob.* ex verbis concessionis Joan. 50. & Matth. 16. & Matth. 18. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. — Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. — — Amen, dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quodcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

Confirmatur 1. Vicarius Generalis Episcopi vi officii potest omnia, quæ potest Episcopus, exceptis solum iis, quæ aut ex natura rei, aut ex intentione concedentis aliunde nota speciale mandatum requirunt. Ergo idem dicendum de Vicariis Christi. Atqui determinatio materiæ & formæ quoad speciem infimam in Sacramento Pœnitentiæ à potestate Generali Vica-

ria neque excipitur ex natura rei, neque ex intentione Christi aliunde nota, ut patebit ex Solutione Objectionum. Ergo.

CONFIRMATUR 2. In Vicario Generali Episcopi quoad omnia pro ejus potestate stat præsumptio, quæ per se competunt Episcopo, & Vicario specialiter non sunt denegata; prout colligitur ex c. 2. & fin. in 6. *de Officio Vicarii.* Ergo idem dicendum de Vicariis Christi. Atqui determinatio materiæ & formæ quoad speciem infimam in Sacramento pœnitentiæ non est specialiter denegata Vicariis Christi. Ergo.

CONFIRMATUR 3. Jurisdictio Vicarii Capitularis Sede Vacante se extendit etiam ad ea, quæ requirerent speciale mandatum vivente Episcopo, ut docet Garcias de Benef. p. 5. c. 7. n. 28. Idem dicendum de Vicario Generali Episcopi eô constitutô in exilio vel in regione longinqua, sic ut facile non possit consuli circa urgens negotium, quod differri nequit. Ergo etiam concedenda Vicariis Christi plenarie potestas determinandi materiam & formam Sacramenti pœnitentiæ, cum hoc negotium urgeat, & Christus non possit consuli, utpote qui, ut habet parabola Luc. 19. & Matth. 25. peregre profectus abiit in regionem longinquam.

CONFIRMATUR 4. Jurisdictio Vicarii Generalis, constituti ab Episcopo *cum libera*, cum *plenaria potestate*, vel cum clausula: *ut possit omnia quæ potest Episcopus*; se extendit etiam ad ponendum *modum specificum* legibus & Statutis, tantum expressis in genere, non vero in specie. Idem dicendum de Judice delegato *ad universitatem causarum*; quia hæc ampliatio potestatis est tacite contenta in concessione generali, tanquam medium necessarium ad finem. Ergo etiam Vicariis Generalibus ac Judicibus delegatis à Christo asserenda potestas determinandi materiam & formam quoad speciem infimam; quia, ut patet ex verbis Institutionis Joan. 20. & Matth. 16. & 18. sunt constituti cum *libera* &c.

CONFIRMATUR 5. Præsides Ecclesiæ tanquam *Vicarii Generales*, & *Judices Delegati* ad universitatem causarum, constituti à Christo, non possunt rite fungi suo officio sine potestate determinandi materiam & formam in Sacramento pœnitentiæ quoad speciem infimam. Ergo ea potestas eoipso continetur implicite in potestate generali illis concessa. *c. patet*; quia est generalis Regula; quod Vicarius, aut Delegatus possit omnia, sine quibus causæ debite sine positiva imperfectione expediri nequeunt, ut colligitur ex c. 5. & 7. & 29. *De Officio delegati.* & l. 2. ff. *de Jurisdict.* *Ant. prob.* Non videtur melior ratio reddi posse, cur Ecclesia plerasque ex iis quæstionibus, quas *Notando* 2. recensui, tamdiu relinquerit aut etiamnum relinquat indecisas, nisi quia agnoscit, eas dependere à determinatione Ecclesiæ, ita ut diversa praxis saltem tolerari possit pro diversitate opinionum, circumstantiarum, & temporum. Si enim in ejusmodi quæstionibus omnia sunt determinata à Christo quoad speciem infimam, mirum videtur, quod Ecclesia in re habente usum continuum, ut institutio Christi non facile abire potuisset in oblivionem, toleraverit vel etiamnum toleret tam discrepantes in praxi authorum sententias. Ergo Ecclesiæ Præsides non rite functi fuissent, ac consequenter nec fungi possent, sine potestate, eatenus determinandi speciem infimam.

PROBATUR CONCLUSIO 2. In aliis Sacramentis juxta communem Theologorum Christus reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi materiam & formam quoad speciem infimam. Ergo idem dicendum in Sacramento Pœnitentiæ. *Ant. patet* ex Tract. *de Sacramentis in genere*, ubi Theologi passim eam amplectuntur sententiam; ob quod & Tournelius ibid. q. 1. a. 4. Concl. 3. utramque sententiam, affirmativam & negativam, probabilem vocat.

PROBATUR CONCLUSIO 3. Christus reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi *formam* Sacramenti Pœnitentiæ quoad speciem infimam. Ergo idem dicendum de materia hujus Sacramenti. *Ant. prob.* Usque ad Sæculum duodecimum universim etiam in Ecclesia Latina tantum viguit forma *absolutionis deprecatoria*; prout patebit ex dicendis Disput. 5. q. 2. Ab eo vero tempore sensim ob frequentiam Confessionum privatorum non solennium, præsertim apud Regulares, invaluit absolutio authoritativa, per quam evitabatur vetus forma deprecatoria longissima, necessariò alioquin integrè adhibenda; eo quod essentialia ab accidentalibus discerni nequiverint.

PROBATUR CONCLUSIO 4. Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 2. docet: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Jam sic: Potestas determinandi materiam & formam in Sacramento Pœnitentiæ quoad speciem infimam non mutat substantiam Sacramenti. Ergo datur. *Ant. prob.* Ea potestas non mutat substantiam Sacramenti in aliis Sacramentis, in quibus juxta communem Theologorum Ecclesia habet & actu exercuit potestatem determinandi materiam & formam quoad speciem infimam v. gr. in Sacramento Ordinis, quoad attactum physicum instrumentorum. Ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ non mutat substantiam Sacramenti.

CONFIRMATUR. Illa solum pertinent ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ, quæ respiciuntur à Christo tanquam signa practica gratiæ immutabilia. Sed ea, quæ pertinent ad speciem infimam materiæ & formæ, non sic respiciuntur tanquam signa practica gratiæ immutabilia. Ergo. *Min. prob.* Leges prudentiæ suadent, ut ea non respiciantur à Christo tanquam immutabilia. Ergo. *Ant. prob.* Quod est eminenter melius & exoptabilius Ecclesiæ, id suadent leges prudentiæ. Sed longe melius & exoptabilius est Ecclesiæ, ut pertinentia ad speciem infimam hujus Sacramenti non respiciantur à Christo tanquam immutabilia. Ergo. *Min. prob.* Ecclesia primis Sæculis, præsertim primis quatuor, sensisset ineluctabiles difficultates, si voluisset obligare omnes fideles ad exprimendas in Confessione tam distincte quoad species infimas omnes species, & numeros peccatorum, prout nunc agnoscuntur à communiori Theo-

Theologorum tanquam materia neceſſaria Sacramenti. Ergo. *Ant. prob.* ex Hiſtoria illorum temporum; quia Presbyteri, quibus fuiſſet confitendum, erant reſpective pauci; & iidem in aliis laboribus Apoſtolicis occupatiſſimi; occaſiones confitendi ſtante permixtione fidelium cum infidelibus erant raræ; libri Theologiæ Moralis nulli; exhortationes & Catecheſes de modo confitendi vix aliquæ &c. Ergo.

PROBATUR CONCLUSIO 5. Eccleſia actu variavit circa materiam hujus Sacramenti quoad ſpeciem infimam. Ergo habet poteſtatem determinandi eam materiam quoad ſpeciem infimam. *Ant. prob.* ex collatione Veterum Pœnitentialium Sæculi ſexti, ſeptimi, & octavi cum Pœnitentialibus ſæculi noni, decimi, undecimi, & duodecimi; & horum cum tractatibus Moralibus ſequiorum temporum; in quibus apparebit, ſucceſſu temporum exactitudinem quoad diſtinctum numerum, & quoad ſpecies infimas fuiſſe requiſitam longe majorem, haud dubie juxta intentionem ac inſtitutionem Chriſti, qui pro ſtatu naſcente adeoque imperfecto Eccleſiæ judicio, ut ita dicam, ſummario ſuos Vicarios contentos eſſe voluit; ſed pro ſtatu Eccleſiæ provectiore reos judicio ex ſuo genere perfecto, atque, ut ita dicam, judicio ordinario judicari voluit. Id vero probatur ab inductione. Sic 1. In Pœnitentialibus latinis Sæculi VI. VII. VIII. & IX., ubi Sacerdos exquirit numerum peccatorum, in ordine ad imponendam diverſam pœnitentiam tantum quærit, an *ſemel* peccaverit? An *ſæpe* peccaverit? An ex *conſuetudine* peccaverit? Item *quanto tempore* peccaverit? An *multa*, vel *pauca* peccaverit? 2. Circa ſpecies infimas Pœnitentiale Romanum deſiderium peccandi cum ſoluta vel conjugata tunc exprimi ſpecifice mandat, quando deſiderium internum concurrit cum ſolicitatione externa. Si *quis concupiſcit mulierem, & non potuerit peccare, id eſt, quia non ſuſcepit eum mulier, dimidium annum pœniteat. Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, id eſt, non fuerit ſuſceptus, quadraginta dies pœniteat.* Itaque, ubi cum ejusmodi pravis deſideriis non concurrebat ſolicitatio externa, non præſcribitur diverſa pœnitentia. 3. In eodem Pœnitentiali Romano nulla præſcribitur variatio pœnitentiæ pro eo, qui ſemel cum una, & qui bis, ter, aut quater cum pluribus peccavit. Dicitur enim. *Si quis fornicaverit cum mulieribus, id eſt, viduis vel puellis? ſi cum viduis, unum annum pœniteat: ſi cum puellis, duos annos pœniteat.* 4. In Pœnitentiali Andegavenſi primo, quod eſt ſæculi octavi vel noni. Tit. *de Fornicatione*, pœnitentia tantum jubetur variari, ſi quis in conſuetudine ſit. Itaque in ordine ad injungendam pœnitentiam non variaverat judicium Confeſſarii, ſi quis ſemel, vel quater peccaſſet; aut ſi conſuetudinarius haberet conſuetudinem menſtruam, hebdomadariam, aut quotidianam. *Sodomitæ pœniteant annos quatuor. Si in conſuetudine ſit, annos ſeptem. - - Presbyter cum puella peccans, tribus annis vel quatuor pœniteat; & ſeptem, ſi conſuetudo eſt.* Et in Pœnit. Andegav. 2. *Si quis fornicatur inter femora ſemel, quatuor quadrageſimas pœniteat; ſi conſuevit, tres annos.* Videatur etiam Formula triplex Confeſſionis, quam ſcripſit Egbertus ſæculo octavo, cui etiam ſimilem affert Eccardus in Hiſtoria Franciæ Orientalis idiomate veteri germanico. Ex his enim Formulis colligitur, pœnitentes ab initio confeſſionis tantum pronuntiaſſe formam confeſſionis valde generalis & confuſæ, omiſſo, ut eſt veroſimile, eo genere peccatorum, cujus ſe immunem reus noverat, ita ut hac confeſſione quaſi generali Confeſſario tantum præbuerit occaſionem, circa ſpecies & numeros exactius inquirendi. Illud tamen conſequitur, quod pœnitentes diſcuſſionem conſcientiæ ad examen confeſſarii differentes vix potuerint attingere exactum numerum & ſpecies infimas. In *formula Confeſſionis* Egberti Epiſcopi Eboracenſis, qui ſuum Pœnitentiale ſcripſit ſæculo octavo circa annum 730. dicitur: *Confiteor coram Deo, & coram hoc altario ſancto, & coram te Sacerdote, quia* NIMIS *peccavi in cogitationibus nefandiſſimis, delectando eis, & conſentiendo illis, & meditando, atque diſponendo in ſenſu, & in memoria atque voluptate mea, qualiter explere potuiſſem opera, quæ male cogitabam. Confiteor, quia peccavi* NIMIS *in ſermonibus vanis, & immundis & turpibus, & otioſis &c.* Ibidem in ſecunda formula Confeſſionis: *Confiteor, quia* MULTUM *peccavi in viſu, in auditu, in manibus, & in lingua mea, atque in genitalibus membris meis. - - Pro curioſitate* MULTA *vidi oculis meis, &* MULTA *audivi auribus meis, quæ nec videre, nec audiri mihi oportuerat.* SÆPE *volui eum, qui mihi non placuit, publica increpatione confundere;* SÆPE *occulta cordis alieni male dijudicavi. —* MULTA *dixi, quæ dicere non debui* ET MULTA *non dixi, quæ dicere debui.* MULTA *cogitavi, & meditatus atque delectatus ſum, quæ cogitare, meditari vel delectare non debui.* SÆPE *palpavi, quæ palpare non debui; &* SÆPE *conſenſi, in quæ conſentire non debui. —* SÆPE *involvor in levitatibus, in vanitate, in negligentia, in prævaricatione religionis, in ſcurrilitate, in inobedientia, in detractione &c.* Ibidem in tertia Formula Confeſſionis: *Confiteor omnia odia cordis & corporis mei, detractiones, perjuria, furta, turpiloquia, carnales concupiſcentias peſſimas - - quia* MULTUM *peccavi viſu, auditu, & tactu; &* MULTA *mala cogitavi & perpetravi, & cum mala voluntate conſilia mala dedi.* Ibidem igitur, ſi Confeſſarius interrogaverat forte pœnitentem v. g. *quoties*, & *qualiter* peccaverit in cogitationibus nefandiſſimis, in ſermonibus immundis & turpibus, in palpando, in perjuriis &c. vix videtur, in hac methodo confitendi potuiſſe elici infimum numerum, & infimam ſpeciem peccatorum; ſicut nunc experientia ſatis monſtrat, quando veniunt homines rudes ad confeſſionale animo deponendi confeſſionem generalem ob præcedentes confeſſiones ſacrilegas, dicentes: *Reverende Pater, examina me.* Manifeſtum enim eſt, in ejusmodi confeſſionibus rudium ſæpe adhibendum eſſe modum ſuperius à Cano indicatum v. g. dicendo: decem annis in lupanari fui. Decem annis habeo conſuetudinem pejerandi, fornicandi &c. Cum ergo Eccleſia ſæculo octavo & nono illam methodum ſeu formulam confitendi videatur habuiſſe pro ſufficiente, ita ut exactius examen fuerit relictum confeſſario, eoipſo ſequitur, ſicut methodus confitendi dependet à determinatione Eccleſiæ, ita

ita etiam exactitudinem ultimam quoad numerum & speciem ab ea methodo dependentem relictam determinationi Ecclesiæ juxta intentionem Christi rationabiliter præsumptam.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Si materia & forma hujus Sacramenti quoad speciem infimam dependet à determinatione Ecclesiæ, posset Ecclesia suæ cognitioni tantum reservare peccata quædam enormia, aut notoria, aut denuntiata, non ligando ad confessionem peccatorum aliorum. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. patet*, quia alioquin sequeretur, confessionem Ecclesiæ posse truncari usque ad Confessionem Lutheranam.

Respondeo. n. *Maj.* Suppono enim ex Tridentino, & perpetua traditione Ecclesiæ, ex institutione divina requiri confessionem distinctam omnium peccatorum, saltem quoad substantiam. Id fuse demonstravi Part. III. Demonst. Crit. Ut omittam alios textus ibi recensitos, adducam hic tres solum ex D. Cypriano. In Epist. 10. scribit: *Cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesin veniant &c.* Et Epist. 12. *Cum in minoribus delictis pœnitentia agatur justo tempore, & Exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, quanto magis in gravissimis delictis id observari oportet.* Quod vero per minora delicta non solum intelligat homicidium & adulterium, colligi potest ex *Serm. de Lapsis*, ubi ait: *Nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes Exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt; salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Ubi advertendum, quod D. Cyprianus, ubi agit de confessione secreta peccati occulti, eam confessionem secretam vocet *Exomologesin conscientiæ*, sicut nos matrimonium occultum vocamus *matrimonium conscientiæ*. Econtra ubi agit de confessione publica per pœnitentiam solennem, eam confessionem vocat simpliciter *Exomologesin* sine addito. Eadem institutio divina ad confessionem distinctam peccatorum quoad numerum & speciem patet ex observantia primitivæ Ecclesiæ, præsertim Romanæ, & Constantinopolitanæ, seu Bizuntinæ, quam utramque D. Petrus instituit. Praxis enim Romanæ Ecclesiæ patet ex testimonio Sozomeni, S. Leonis, & Pœnitentialis Romani sæculi sexti. Sozomenus l. 7. c. 16. scribit: *Cum veniam dare Deus jusserit, & ad impetrandam veniam confiteri peccata necessarium sit, Presbyterum secreti tenacem huic officio præfecerunt. Eum accedentes altà vitæ suæ confitebantur: Ille vero pro delicto cujusque, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus absolvebat, ut à se ipsi commissorum pœnas exigerent. Id in hunc usque diem durat; solicite autem in Occidentalibus Ecclesiis, & maxime in Romana servatur.* Ita Sozomenus excunte Sæculo quarto. Et s. Leo in Epist. 136. *Constituto, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur; cum conscientiarum reatus sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta.* Et Pœnitentiale Romanum. Tract. de *Defectibus in Sacrificio.* Propter fornicationem multi nesciunt numerum mulierum, cum quibus fornicati sunt. Et in Pœnitentiali Constantinopolitano Joannis Jejunatoris sæculo sexto: *Inquirere oportet, in quam harum differentiarum incidit, & quoties, & per quantum tempus?* Idem in Formula Confessionis dicit: *Confiteor Deus cœli & terræ, confiteor coram hoc Sacerdote tuo de omnibus peccatis meis, & omnia, quidquid Dei pietas mihi ad memoriam reducit, de cogitationibus, sive sermonibus turpibus, sive immundis.* Idem in Hom. de Pœnit. dicit: *Considera, & ad calculum revoca (ἀναλόγισαι) revoca, quæ fecisti, quæ noctu, quæ interdiu, quæ sciens, quæ ignorans? Omnia coram Christo & Angelis nihil pudore reticens confidenter mihi peccatori confitere. - - Diligenter inquirendæ mulieres, quot infantulos occiderint.* Ex his manifestum est, obligationem confitendi omnia peccata quoad numerum & speciem semper agnitam fuisse in Ecclesia Dei, ut proin vehementer erret ille author, quem Francolinus l. 2. de Pœnit. c. 4. suppresso nomine refutat, asserentem, *quod salva fidei doctrina dici possit, divinum quidem esse confessionis, ut modo fit, agendæ præceptum, sed Ecclesiam per aliquot sæcula latuisse.* Certissime enim hoc falsum est de Ecclesia Occidentali ac Romana.

Objicies 2. 1. Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 7. definit; *Necessarium esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Ergo non est in potestate Ecclesiæ, excipiendi quasdam species infimas, aut statuendi modum exprimendi numerum tantum in confuso. *c. prob.* in tali suppositione non esset verum, exponi *omnes species* peccatorum, & exponi *singula* peccata. 2. Tridentinum l. cc. Can. 6. definit: *eum modum confitendi, quem Ecclesia observat, non esse inventum humanum, neque alienum ab institutione & mandato Christi.* Ergo cum nunc exponantur omnes species infimæ, & numerus distinctus, quantum fieri potest, id mutare non dependet à determinatione Ecclesiæ. 3. Tridentinum Sess. 14. c. 5. docet; *integram peccatorum confessionem jure divino necessariam existere.* Sed non esset necessaria jure divino confessio *integra*, si ex determinatione Ecclesiæ numerus posset exprimi solum in confuso, & si omitti possent *species infimæ*. 4. Ratio Tridentini evincit, jure divino exprimendas esse etiam quasvis species infimas peccatorum, & numerum exactum peccatorum. Ergo. *Ant. prob.* Concilium Sess. 14. c. 5. dicit: *Constat; Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

Respondeo

Ad 1. dist. definit, jure divino necessarium esse, confiteri *omnia & singula* peccata *quoad substantiam*, & circumstantias, quæ mutant peccati speciem *substantialem Sacramento*. c. confiteri singula peccata etiam quoad modum expressionis numericæ, vel circumstantias, quæ mutant tantum speciem accidentalem Sacramento. n. Singula peccata enumerari *quoad substantiam* dico, si in tantum exprimantur, in quantum possunt va-

riare

riare judicium confessarii in ordine ad concedendam vel differendam absolutionem & in ordine ad injungendam pœnitentiam satisfactoriam, vindicativam, & medicinalem. Similiter speciem substantialem Sacramento voco illam, quæ potest variare judicium Confessarii in ordine ad absolutionem suspendendam, vel pœnitentiam variandam. Cum igitur lex de absolutione concedenda vel differenda, & lex de modo pœnitentiarum taxando dependeat à determinatione Ecclesiæ, etiam modus exprimendi numerum peccatorum, & species infimas relative ad hunc finem consideratas dependebit à determinatione Ecclesiæ. Quid enim interest in ordine ad finem Sacramenti, utrum v. g. meretrix dicat; *ego decem annis fui in Lupanari, & semper parata fui*; prout CANUS sufficere censet; sive dicat: *ego millies circiter peccavi*. Sic etiam quid interest in ordine ad finem Sacramenti, si in consideratione scrupulosa in specie infima differant incestus in tertio, & secundo gradu; blasphemia in caput Christi, & in alia membra Christi; divinatio ex avibus, vel elementis. &c.? Certe Mercatori perinde est, sive argentei ipsi solvantur per enumerationem distinctam singulorum, sive per ponderationem totius Summæ in confuso. Sic etiam Mathematico ad finem suæ artis perinde est, sive Sphæra fit in specie infima auri, sive argenti, sive æris &c. Pari modo species infimas, quæ in consideratione Philosophiæ Ethicæ, aut Theologiæ Speculativæ erunt diversæ, si tamen ad finem Sacramenti & Theologiæ Moralis practicæ se habeant accidentaliter, non variando notabiliter judicium Confessarii, has species accidentales Sacramento esse ajo; & si ad majorem perfectionem Sacramenti seu ad melius esse judicii æqui conducere videantur, eas determinationi Ecclesiæ subjacere assero. Sicut enim in foro civili datur Processus *Ordinarius*, *Summarius*, & *Summarissimus*, ita ut in hoc salventur præcise necessaria ad æquitatem judicii jure naturæ requisita; in Summario autem addantur ad æquitatem judicii moraliter necessaria; in processu autem ordinario adjiciantur, quæ ad summam perfectionem judicii conferunt, ita determinationi Ecclesiæ in hoc Judicio Ecclesiastico quædam latitudo inter ea, quæ absolutæ necessitatis, & quæ summæ perfectionis sunt, pro diversa congruentia personarum & circumstantiarum regulanda relinquitur.

Ad 2. c. a. dist. c. Si hic præsens modus pertineat ad substantiam Sacramenti. c. si tantum pertineat ad perfectionem accidentalem vel integralem Sacramenti. n. Sensus patet ex dictis. Neque enim omnes partes integrales hominis, v. g. dentes, manus, pedes &c. utut exigantur à natura humana pro ejus statu perfecto, pertinent ad substantiam hominis; neque etiam exiguntur pro omni statu omnes, v. g. dentes pro statu infantiæ. Sic etiam licet jure divino exigantur omnia requisita ad æquitatem judicii in hoc Sacramento observandam, non tamen omnia requisita ad perfectionem accidentalem vel integralem æqui Judicii Ecclesiastici, requiruntur ad ejus substantiam, aut pro omni statu ac etiam pro incunabilis nascentis Ecclesiæ.

Ad 3. dist. Tridentinum docet, jure divino requiri confessionem integritate substantiali. c. accidentali, *subd.* pro statu Ecclesiæ perfecto, ubi conditio temporum eam admittit. c. pro statu Ecclesiæ adhuc imperfecto, ubi conditio temporum eam non facile admittit. n. Nam primis temporibus Sacerdotes idonei erant pauci; personæ ex superstitione Ethnica aut Judaica recenter conversæ non erant dispositæ ad omnem exactitudinem mandati. Itaque potius urgenda videbantur, quæ huic Sacramento conveniunt substantialia, quàm accidentalia vel integralia.

Ad 4. dist. Si non declarassent peccata in specie & sigillatim differentiâ specificâ & numerica substantiali. c. differentiâ specificâ aut numerica tantum accidentali vel integrali. n. Sensus patet ex dictis; & potest explicari ex judicio civili. Sic enim varia crimina v. gr. homicidii, furti, incestus &c. licet subdividantur in varias species infimas in consideratione Philosophica vel Theologica, si tamen à lege positiva pro diversitate specifica infima vel numerica non ordinentur ad diversas pœnas, aut alios effectus, habentur pro objecto neglecto, aut certe subjacent arbitrariæ determinationi Legislatoris, ut substent vel non substent attentioni Tribunalium.

OBJICITUR 3. Ad rectam gubernationem Ecclesiæ circa Sacramentum Pœnitentiæ sufficit, si habeat authoritatem declarandi, quid menti Christi instituentis circa materiam & formam hujus Sacramenti pro diversa congruentia temporum sit conformius. Ergo fictitia est potestas determinandi authoritative materiam & formam Sacramenti hujus in specie infima.

2. Hæc potestas Theologis hactenus fuit ignota. Ergo non datur.

RESPONDEO.

Ad 1. dist. Hoc sufficit sufficientiâ absolutâ. tr. sufficientiâ perfectâ. n. Si enim Ecclesia omnes controversias Notandô 2. enumeratas deberet resolvere per modum declarationis, illud deberet fieri per diligens examen Traditionis in Concilio, vel à Summo Pontifice, cujus tamen infallibilitatem plurimi Theologi veteres & moderni in Gallia non agnoscunt. Nemo ergò non videt; longe expeditius medium fore, ad comparandam Ecclesiæ circa essentialia Sacramenti tam necessarii certam doctrinam, si Christus Ecclesiæ relinquat potestatem potius determinandi quàm declarandi requisita hujus Sacramenti; ad illud enim opus est sola voluntate præceptiva vel permissiva; ad hoc vero requiritur Examen difficillimum. Actu autem Christum contulisse eam potestatem determinationis, colligitur ex varietate opinionum & ex varia praxi, quæ varietas non videtur ab Ecclesia prudenter admitti posse, nisi tota illa varietas pertineret ad quæstiones substantes arbitrariæ determinationi vel permissioni Ecclesiæ, in quibus solis locum habet variatio pro congruentia locorum & temporum. Acceditque quod si Ecclesia solum haberet potestatem declarandi, quid menti Christi sit conformius, sequeretur, singulis ferme Sæculis edere debere novam declarationem; quod nec factum est, nec fieri congruit. Cum enim Christus pro

pro diverſo ſtatu Eccleſiæ meritò exigere poſſit diverſam hujus judicii formam, ut inſtituatur per modum Proceſſus Ordinarii, Summarii, vel Summariſſimi, Eccleſia ſenſim variantibus circumſtantiis declarare deberet, nunc verſari eum ſtatum Eccleſiæ, pro quo Chriſtus potius hanc formam exigat, quàm aliam.

Ad 2. diſt. Non docuerunt hoc Theologi in ſpecie. tr. in genere. n. ſufficit enim, quod Theologi paſſim tanquam valde probabilem agnoſcant ſententiam, à Chriſto relictam eſſe Eccleſiæ poteſtatem determinandi materiam & formam Sacramentorum in ſpecie infima, ubi à Chriſto in ſpecie infima nihil determinatum legitur; & Tridentinum etiam aſſerat, mutari ab Eccleſia poſſe, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum non pertinent, recte infertur, dependere materiam & formam etiam hujus Sacramenti in ſpecie infima à determinatione Eccleſiæ. Id *confirmari* poteſt à pari. In Sacramento Ordinis pertinentia ad ſpeciem infimam materiæ & formæ non pertinent ad ſubſtantiam Sacramenti. Ergo nec pertinent ad ſubſtantiam Sacramenti in Pœnitentia. *Ant. prob.* ex Innocentio IV., qui in Tit. 16. l. 1. Decretalium *de Sacramentis non iterandis* ſic ſcribit: *De Ritu Apoſtolico* (in Ordinatione) *invenitur in Epiſt. ad Tim. quod manus imponebant ordinandis, & quod orationes fundebant ſuper eos; aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam; unde credimus, quod niſi eſſent formæ poſtea inventæ, ſufficeret ordinatori dicere; Sis Sacerdos, vel alia æquipollentia. Sed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſervantur, Eccleſia ordinavit; & ſunt tantæ neceſſitatis dictæ formæ, ut ſi eis non ſervatis aliquis ordinatus fuerit, ſupplendum ſit.* Innocentius IV. l. cc. ad hanc formam ordinationis etiam refert attactum phyſicum Inſtrumentorum, qui pertinet ad materiam Sacramenti. Vide plura dicenda Diſp. 4. *de Confeſſione.*

QUÆSTIUNCULÆ.

QUÆRITUR I. An Sacramentum pœnitentiæ ſit neceſſarium neceſſitate medii, vel tantum neceſſitaté præcepti?

RESPONDEO I. Sacramentum pœnitentiæ *in re* non eſt neceſſarium neceſſitate medii. PROBATUR. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo etiam inculpabiliter ignorato aut omiſſo non poteſt obtineri ſalus. Sed tale non eſt Sacramentum in re, prout oſtenſum eſt Diſp. 1. q. 4. Ergo.

RESPONDEO 2. Sacramentum Pœnitentiæ ne quidem *in voto* eſt abſolute neceſſarium neceſſitate medii. PROBATUR. Poteſt homo perſeverare poſt Baptiſmum in ſtatu gratiæ. Ergo non eſt omnibus abſolute neceſſarium hoc Sacramentum Pœnitentiæ.

RESPONDEO 3. Sacramentum Pœnitentiæ *in voto* eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſaltem ex ſuppoſitione peccati mortalis perſonalis. PROBATUR. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii in voto, quod objective in ſe continet cauſam juſtificationis independenter à merito operantis; ſed tale eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Ergo. *Maj. patet*; quia non poteſt dari melius diſcrimen inter ea, quæ ſunt neceſſaria *in voto*, & quæ ſunt neceſſaria *in propoſito*, niſi quod ea, quæ requiruntur ad ſalutem *in propoſito*, v. g. obſervantia Decalogi & Legum Eccleſiæ, non contineant in ſe cauſam juſtificationis independenter à merito operantis, nec ea ratione ſui, v. g. obſervatio jejunii, obſervatio feſti &c. moveant Deum ad conferendam juſtificationis gratiam; ſicut tamen ratione Deum movet *Baptiſmus*, *Paſſio Chriſti*, *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæ etiam ante ſui realem exiſtentiam præciſe ut exiſtentia intentionaliter in mente movent Deum ad conferendam juſtificationis gratiam iis, qui faciendô totum, quod eſt in ſe ad ea media aquirenda eatenus illa debite exoptant. Nam ea, quæ in noſtra ſunt poteſtate, dicimur *velle*, & *habere in propoſito*: econtra illa, quæ non dependent à noſtra operatione, aut nos tantum ſine noſtrorum meritorum intuitu juſtificant ex opere operato, dicuntur potius optari & voveri.

CONFIRMATUR authoritate D. Thomæ, qui in Summa 3. p. q. 84. a. 5. C. ſic ſcribit: *Dicendum, quod aliquid eſt neceſſarium ad ſalutem dupliciter. Uno modo abſolute, alio modo ex ſuppoſitione, abſolute neceſſarium eſt illud, ſine quo nullus ſalutem conſequi poteſt. Ex ſuppoſitione autem* (peccati) *neceſſarium eſt Sacramentum Pœnitentiæ; quod neceſſarium eſt non omnibus, ſed peccato ſubjacentibus. — Peccatum enim removeri non poteſt ſine pœnitentiæ Sacramento, in quo operatur virtus Paſſionis Chriſti.* Et l. 4. C. gentes. c. 72. *Claves à Paſſione Chriſti efficaciam habent; ideo, ſicut in Baptiſmo, in quo operatur Paſſio Chriſti, non poteſt eſſe ſalus hominibus, ut realiter ſuſcepto, vel ſecundum propoſitum deſiderato, quando neceſſitas, non contemptus Sacramentum excludit, ita peccantibus poſt Baptiſmum ſalus eſſe non poteſt, niſi Clavibus Eccleſiæ ſe ſubjiciant, vel actu confitendo, vel ſaltem hujus rei propoſitum habendo, ut impleatur tempore opportuno.* Et in 4. diſt. 17. q. 3. a. 5. qq. 1. C. *Liberat Baptiſmus à morte peccati, non ſolum ſecundum quod actu recipitur, ſed etiam ſicut in voto habetur. Similiter dicendum eſt de confeſſione adjuncta, abſolutione, quod ſecundum quod in voto pœnitentis præceſſit, à culpa liberavit.* Et ibid. a. 1. qq. 1. C. *Paſſio Chriſti, ſine cujus virtute nec actuale nec originale peccatum dimittitur, in nobis operatur per Sacramentorum ſuſceptionem, quæ ex ipſa efficaciam habent. Ideo ad culpæ remiſſionem requiritur Sacramentum Eccleſiæ vel actu ſuſceptum, vel ſaltem voto. Per conſequens illa Sacramenta, quæ ordinantur contra culpam, cum qua ſalus eſſe non poſſunt, ſunt de neceſſitate ſalutis. Et ideo ſicut Baptiſmus eſt de neceſſitate ſalutis, ita & Pœnitentiæ Sacramentum.*

QUÆRITUR 2. An Chriſtiano poſt Baptiſmum relapſo ad juſtificationem extra Sacramentum impetrandam neceſſarium ſit votum explicitum ſuſcipiendi Sacramenti? an vero ſufficiat implicitum?

RESPONDEO. Sufficit etiam votum implicitum in iis, qui habent invincibilem ignorantiam vel inadvertentiam de Sacramento Pœnitentiæ, v. g. Hæretici materiales, Turcæ &c. Reſponſio eſt contra Melchiorem Canum, & alios, qui

qui putant, nullum justificari sine voto explicito Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ.

Probatur ratione & authoritate D. Thomæ. Non est magis necessarium votum Baptismi, vel Sacramenti Pœnitentiæ, quàm fides in Christum. Sed sufficit fides implicita in Christum. Ergo & votum implicitum Sacramenti. *Min. prob.* tum ex iis, quæ dicta sunt in *Tract. de fide*; tum authoritate D. Thomæ, qui 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. sic habet: *Si qui salvati fuerunt, quibus revelatio* (de Incarnatione) *non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris; quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam, in divina providentia credentes, Deum esse liberatorem secundum modos sibi placitos.* De Baptismo autem vide in R. seq.

Quæritur 3. An hoc Sacramentum idem operetur in *voto*, ac in *re* susceptum?

Respondeo. Non operatur idem. Triplex enim est effectus, quem tribuit Sacramentum actu susceptum, quem non tribuit Sacramentum tantum in voto susceptum. Nam 1. Sacramentum in re susceptum confert gratiam cuivis non ponenti obicem, seque ad gratiam disponenti saltem per dilectionem Dei initialem. Econtra Sacramentum in voto non necessariò confert gratiam, nisi facienti moraliter totum, quod est in se, hoc est, sese per firmum propositum extendenti ad omne, quod Deo placet, & sana ratio exigit, verbo, elicienti tantum contritionem seu dilectionem Dei perfectam, prout explicabitur Disp. 3. Dixi *non necessariò*, quia licet Deus etiam extra Sacramentum possit, & circa rudes ex sua pietate forte soleat non raro conferre justificationis gratiam, dummodo Deum modo suis viribus & scientiæ proportionato diligant, non tamen obligatur ad eam justificationis gratiam necessario conferendam, nisi faciant moraliter totum, quod est in se, sese ad quosvis actus amoris etiam accidentales, quos sana ratio in individuo suaserit, & ex æquo exegerit, extendendo; quod an totum præstiterit, aut Deus sua pietate infirmitatem suppleverit, non satis homini certum est. Hinc 2. oritur secundus effectus Sacramenti in re suscepti, quod nempe *infallibiliter* homini non ponenti obicem, seque per dilectionem initialem ad gratiam disponenti conferat gratiam, quæ certitudo haberi nequit per Sacramentum *in voto*. 3. Denique per Sacramentum in voto non tollitur obligatio ad rigorosam satisfactionem compensatoriam in ordine ad obtinendam remissionem offensæ seu culpæ, & obligatio seu reatus ad subeundam pœnam vindicativam, in hoc vel altero mundo patiendam. Econtra per Sacramentum in re prior obligatio commutatur in satisfactionem respective levem, & *reatus pœnæ* notabiliter minuitur in judicio divino juxta æstimationem Dei.

Probatur 1. D. Leo in Epist. ad Theodorum. n. 69. docet; eos, qui decesserunt eum solo voto Sacramenti Pœnitentiæ, relinqui justitiæ divinæ, ut luant, quod alioquin per satisfactionem Sacramentalem à Sacerdote nomine Dei dictata foret ex æquo, expunxissent. *Si aliquis,* inquit, *quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia pervenerit* (hoc est, ad finem pœnitentiæ solennis;) *temporalem vitam humana conditione finierit; non necesse est, eorum, qui sic obierint, merita discutere, cum Dominus Deus, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.*

Confirmatur. Juxta sensum Patrum & sensum veteris Ecclesiæ plena remissio peccatorum etiam quoad reatum pœnæ non fuit promissa, nisi soli baptismo in re suscepto. Ergo. *Ant. prob.* tum ex variis testimoniis Patrum de *Catechumenis*, qui licet habeant baptismum in voto; *sarcinam tamen iniquitatis suæ* prout D. Augustinus loquitur supra relatus Disput. 1. q. 4. prob. 2. saltem quoad reatum pœnæ ad baptismum portant. Tum etiam ex doctrina D. Thomæ, qui solet pressè insistere communi sensui Doctorum antiquiorum sc. & Ecclesiæ. Is 3. p. q. 68. a. 2. ad 2. scribit: *Nullus pervenit ad vitam æternam, nisi absolutus ab omni culpa & pœna. Quæ quidem universalis remissio fit in perceptione baptismi, & martyrio. Si quis ergo sit Catechumenus habens desiderium baptismi, talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis. Ipse tamen salvus erit, sic quasi per ignem.* Et ibid. a. 4. ad 2. *Dicendum, quod remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicite, vel implicite. Et tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quantum ad liberationem à tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius & alii similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi & desiderium baptismi implicite vel explicite; postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiæ & virtutum consequuntur.* Idem ergo censendum de Sacramento Pœnitentiæ.

Quæritur 4. An extiterit aliquod Sacramentum Pœnitentiæ in Lege Naturæ?

Respondeo. Dabatur etiam in Lege Naturæ Sacramentum Pœnitentiæ ex institutione divina habens promissionem, sed Sacramento N. L. longe inferius. Sensus Responsionis est; quod Deus tunc promiserit veniam peccantibus, qui contrito corde, & cum humili confessione sui peccati coram Deo, & eum aliqua externa protestatione suæ pœnitentiæ obtulissent pro peccatis præscripta à Deo certa quædam sacrificia. Sed illud Sacramentum differebat à Sacramento N. L. 1. quia *non contulit gratiam sanctificantem univocam* cum gratia sanctificante N. L. Hæc enim est constitutiva adoptionis actualis in statum filiorum Dei, & tribuit jus proximum ad hæreditatem filiorum Dei, nempe ad cœlestem gloriam, quæ eo tempore non erat aperta. 2. Illud tantum conferebat gratiam sanctificantem *ex pacto & promissione*, ubi Deus non habebat pro motivo conferendæ veniæ, nisi tantum suam fidelitatem & veracitatem in servandis promissis. Econtra in Sacramento N. L. Deus pro motivo conferendæ veniæ habet institutionem Christi, & Actionem Sacramentalem ut institutam à Christo, & quasi adoptatam à Christo pro sua actione. Itaque Sacramentum N. L., in quo motivum seu causa moralis effectiva veniæ, est aliquod Concretum à Deo distinctum, dicitur conferre gratiam *ex opere operato*. Illud vero, in quo non dabatur

dabatur motivum seu causa moralis ratione sui determinativa Dei ad conferendam veniam, nisi fidelitas & veracitas, quæ non sunt distincta à Deo; tantum conferebat gratiam *ex pacto*, non vero *ex opere operato*, habente in se aliquam vim movendi Deum ad conferendam veniam. 3. Illa gratia sanctificans non erat tam fortis, nec tribuebat robur ad exercenda opera legis & perfectionis Christianæ, quæ facit hominem aliquo modo divinum imitatione perfecta virtutum divinarum tunc temporis nondum manifestatarum mundo, v. g. per dilectionem inimicorum, & oblationem sui in victimam pro salute animarum. Illa enim gratia sanctificans ante Christum tantum consistebat in *Charitate habituali infusa*; directiva & determinativa ad actus virtutum moralium, & ad fidem ac spem obscuram in Mediatorem. Responsio sic explicata

Probatur ex Scriptura. Constat in Lege Naturæ pro peccatis oblata esse quædam determinata Sacrificia cum externa confessione ac protestatione dolorosa peccati, quæ non videntur dictari potuisse à solo lumine rationis naturalis: Ergo illa signa fuerunt instituta à Deo, & vel per expressam revelationem vel per dictamen naturæ inditum promulgata. *Ant. prob.* De Job quem cum D. Chrysostomo suppono fuisse Gentilem, hoc est, non comprehensum in pacto circumcisionis, eumque vixisse adhuc in Lege Naturæ, & de ejus amicis legitur, quod obtulerint talia Sacrificia pro peccatis, [illegible] etiam de Noë. Jobi 1. legitur: *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis* (filiis) *dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei: Sic faciebat Job singulis diebus;* offerendo videlicet Sacrificium propitiatorium. Et c. 42. scribitur: *Dixit Dominus ad Eliphaz: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum; sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Ex hoc textu colligitur & *materia* & *forma* precatoria, & *minister* determinatus illius Veteris Sacramenti. Similiter postquam Noe *Genesis* 8. obtulit in altari holocausta propitiatoria de cunctis pecoribus & volucribus mundis; additur: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*, & ait: *Nequaquam ultra maledicam terræ.* &c. Hic selectus animalium, & determinatus numerus septenarius, quem Noe numero impari in arcam sumere jussus est, ut unum reservaret pro Sacrificio propitiatorio, videntur plane esse signum cujusdam institutionis divinæ.

Quæritur 5. An etiam in Lege Moysaica extiterit Sacramentum Pœnitentiæ?

Respondeo. Extitit eo modo, quo extitit in Lege Naturæ, nisi quod ritus Sacrificii propitiatorii fuerint magis determinati, & in certis peccatis requisita fuerit etiam aliqua confessio peccati coram Sacerdote, à quo postulabatur Sacrificium institutum pro certo genere, aut specie peccati. Sic *Exodi* 29. in Consecratione Sacerdotis jubebatur pro eo etiam offerri Sacrificium propitiatorium. *Carnes vituli combures foris, eo quod pro peccato sit.* Ibidem c. 30. ordinatur sacrificium annuum pro peccato cum promissione veniæ. *Deprecabitur semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo.* In Levitico c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 14. 15. 16. 19. 20. 22. 23. 24. Et in Numerorum c. 5. 7. 8. 9. 15. 16. 18. 19. 27. 28. 29. 31. 32. Plena sunt sacrificiis propitiatoriis pro peccato, & promissionibus veniæ.

Quæritur 6. An sit de fide, Christum *immediate* per seipsum confessionem instituisse? saltem *explicite*.

Respondeo 1. Non esse de fide, eam à Christo *immediate* per se ipsum saltem *explicite* esse institutam.

Probatur. D. Bonaventura censet, eam non esse *immediate* ac *explicite* à Christo *institutam*, sed tantum *insinuatam*. In 4. dist. 17. a. 1. q. 3. c. sic scribit: *Dicendum, quod duo sunt in confessione. Unum formale & completivum. Et hoc est absolutio, sive potestas absolvendi, vel medicandi. Et hanc Dominus instituit, qui potestatem clavium concessit. Et penes hoc residet virtus. Aliud autem est materiale; & hoc est detectio peccati, sive morbi. Et hoc Dominus non instituit in se, sed insinuavit. Ratio autem, quare non instituit, ut dicunt aliqui, hæc fuit, quia sufficit ægroto, exponere medicum & medicinam. Et ulterius Confessio non debet esse extorta; sed debet esse voluntaria. Ideo Dominus insinuavit, relinquens hoc in voluntate ægrotantium.-- Et hoc est, quod dicit Hugo: Medicis dixit; ut curarent, sed infirmis non dixit, ut ad medicos causa curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod ægri libenter salutem quærerent, & se curandos offerrent, si medicos invenirent. Et licet hoc sit satis probabile; potest tamen & aliter dici, quod Dominus confessionem per se non instituit, quia est in remedium recidivantium. Sed quia erat Ecclesiæ fundator, & venientibus omnium peccatorum per baptismum fiebat remissio, ideo ab eo non debuit institui confessio, ne ex verbo Domini daretur aliquibus recidivandi occasio. Cum autem Ecclesia fuit instituta, & labi homines cœperunt, tunc remedium, ne desperarent, vel contemnerent, publicari oportuit. Et ideo per Apostolos confessio debuit institui authoritate sibi à Domino in clavibus tradita, in quibus potestatem receperant sanandi, & ita imperandi modum convenientem saluti. Et hic erat per morbi detectionem, & peccantis humiliationem, & sacerdotalem absolutionem.. Et ideo confessio fuit à Domino insinuata; ab Apostolis instituta; ab Episcopo Hierosolymitano, scilicet Jacobo promulgata; sicut etiam sententia de non servandis legalibus promulgata fuit; sic & confessio omnibus peccantibus indicta & imposita fuit. Confitemini alterutrum peccata vestra.-- Unde credo, quod non per se instituit; & si dicatur instituisse, hoc est intelligendum insinuando, & authoritatem dando.* Similia docent Alensis 4. p. q. 18. membro 4. a. 2. Petrus de Tarantasio, creatus Cardinalis *Ostiensis*, dein Papa, dictus Innocentius V. in 4. Sent. dist. 17. q. 21. & Brulef. in 4. dist. 17. q. 11. Vide *Demonst. Crit. quæst.* 10. *de Confirmatione.*

Respondeo 2. Simpliciter tamen loquendo est de fide, Sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum esse.

Probatur. Est de fide, Christum contulisse potestatem remittendi peccata. Sed hoc est

est instituere Sacramentum. Ergo. *Min. patet*; ille rem instituit, qui confert substantiam rei, qualis est vis collativa gratiæ.

Quæritur 7. An & quando in hoc Sacramento liceat adhibere materiam vel formam dubiam?

Respondeo 1. Nunquam licet adhibere materiam aut formam dubiam, quando certa haberi potest.

Probatur ex propositione damnata ab Innocentio XI., quæ in Sacramento Pœnitentiæ admittit usum opinionis probabilis circa materiam aut formam Sacramenti. Propositio illa sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Dum author hujus propositionis damnatæ usum opinionis probabilis *tantum* rejicit in administratione baptismi & Ordinis Sacerdotalis vel Episcopalis, eoipso censet, quod in Sacramento Pœnitentiæ usum opinionis probabilis nec lex, nec conventio, nec periculum generale gravis damni excludat.

Respondeo 2. In Sacramento Pœnitentiæ etiam non licet adhibere materiam aut formam dubiam præcise ex eo motivo, quia ex denegatione absolutionis, Confessario imminet damnum temporale. *Casus potest esse*; si pœnitens consuetudinarius vix tenuem præbeat spem serii propositi, aut contritionis, eo quod nolit vitare occasiones propinquas ob varias excusationes, nec recipere media paulo ardua ob varias quas prætendit difficultates. In tali casu, si v. g. Confessarius timeat, ne denegando absolutionem destituatur Benefactore, Patrono, Protectore &c. revera peccabit mortaliter conferendo absolutionem dubiam, utpote collatam tantum dubie disposito sine urgente causa necessitatis spiritualis ex parte pœnitentis.

Probatur 1. Hæc praxis Confessariorum ex sui natura tendit in perniciem animarum, & fomentum infinitorum scelerum ac scandalorum in Provinciis, ut nemo diffitebitur. Ergo non licet.

Probatur 2. Christus suos Ministros præcise intentos esse voluit in ea, quæ pertinent ad gloriam Dei & salutem animarum sine respectu ad emolumenta propria. Ergo cum hic finis ab ejusmodi Confessariis vitietur graviter in re maximi momenti, sine dubio peccant graviter.

Quæritur 8. Quid agendum sit Confessario, si dubitet de sufficiente dolore vel proposito pœnitentis?

Respondeo. Distinguendum esse inter peccata mortalia, & venialia; & si peccata pœnitentis fuerint tantum venialia, distinguendum denuò est inter peccata venialia plene deliberata ac frequentata, & inter ea quæ aut rarò accidunt, aut plene deliberata non sunt. Si peccata pœnitentis fuerint mortalia, & dubium prudens fuerit de sufficiente pœnitentis dolore vel proposito, excitandus est inprimis fortioribus motivis ad concipiendum verum dolorem & propositum; & si nec ista motiva sufficiant ad formandum prudens judicium moraliter certum de sufficiente pœnitentis dolore aut proposito, tentandus erit pœnitens impositione quarundam pœnitentiarum medicinalium aliquanto difficilium, quas prudenter recusare non possit spectatis viribus, & conditione personæ. Si eas pœnitentias audacter & superbe recuset, signo id habendum est animi non vere dolentis. Si vero eas resolutò animo subeat, pro signo id habendum est serii propositi ac conatus ad emendationem. Hæc Regula notabilis probatur ex constanti traditione ac praxi veteris Ecclesiæ. Quia, prout constat ex Pœnitentialibus antiquis; omnes indiscriminatim statim recipiebantur ab Ecclesia, & imponebatur illis à Sacerdote manus sub forma absolutionis deprecatoria, quicunque se offerebant ad satisfactiones à Sacerdote præscriptas, illis temporibus valde arduas. Ergo, si pœnitens etiam nunc prompte subeat pœnitentias difficiles, quas tamen sustinere possit moraliter, ita ut prudenter se ab iis excusare neqeat, id pro signo serii conatus ad emendationem habendum est. Quod si dubium de vero dolore ac proposito versetur circa peccata venialia plenè deliberata ac ferme quotidiana, qualia apud multos sunt mendacia plenè deliberata, dicteria aut agnomina valde indecentia, monendi sunt, hæc peccata non remitti sine serio proposito, atque confessionem fore infructuosam aut omnino nullam, nisi doleant verè saltem de aliis peccatis, quæ confitentur. Interdum etiam consultum fuerit, si illis injungantur quædam leves pœnitentiæ quotidianæ rememorativæ propositi de tali peccato; aut conditionales. Quibus autem motivis possint excitari, & quæ media emendationis possint suggeri, aut quæ pœnitentiæ conditionales injungi valeant, dicetur in Disputationis 7. supplemento, ubi agitur de Ministro Pœnitentiæ. Si denique dubium versetur circa peccata venialia non plenè deliberata, v. gr. circa distractiones sub oratione non plenè voluntarias, circa repentinos motus iræ vel impatientiæ, circa negligentias brevissimas in repellendis tentationibus &c. si in pœnitente appareat displicentia de ejusmodi peccatis, & generale studium corrigendæ vitæ, dubium directum de sufficientia doloris vel propositi, tanquam imprudens abjiciendum est; quia, ut ostensum est in Disput. 1. qq. 6. ad remissionem peccati venialis sufficit *displicentia virtualis*, qua homo fertur in actiones Christianas de se destructivas affectionum ad peccata venialia. Hinc si Confessarius credat, pœnitentem sic esse dispositum, quod juxta præsentem præparationem animi nollet peccare distractione deliberata, ira deliberata, negligentia deliberata, si rediret occasio, absolvendus est.

Quæritur 9. Quid agendum Confessario, si adhibito omni conatu, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confessarii moraliter possibili, nulla tamen reperiatur materia moraliter certa sed ad summum probabilior, vel omnino strictè dubia?

Respondeo. Si pœnitens humiliter recipiat omnia emendationis media suis viribus proportionata à Confessario injuncta, & spondeat asseveranter vitare occasiones peccandi à Confessario

fario interdictas, & contestetur seriò modò propositum servandi præscripta, nec etiam stantibus iisdem indiciis jam aliàs similibus promissis Confessarii spem fefellerit, absolvendus est non obstante dubio aut formidine concomitante, ne forte propositum & contritio sit insufficiens, si absolutio nequeat differri sine periculo gravi animarum particulari, vel generali.

PROBATUR 1. In baptismo, quando moraliter non potest haberi materia certa, & baptismus sine gravi periculo animarum non potest differri, v. gr. quando simul baptizanda sunt aliquot barbarorum parum instructorum millia à Missionario transeunte, ille baptismus confertur licitè, licet prudens habeatur dubium de sufficiente dispositione omnium. Ergo etiam licitè confertur Sacramentum pœnitentiæ, si adhibito morali conatu etiam ex parte pœnitentis concurrat dubium aut formido de sufficientia dispositionis, attamen absolutio differri nequeat sine periculo animæ in pœnitente, aut animarum in genere orituro ex generali praxi differendi absolutionem ejusmodi pœnitentibus ad omnia remedia promptis.

PROBATUR 2. Christus voluit, eodem modo versari sui Vicarios in administratione Sacramenti pœnitentiæ, quo modo versaretur ipsemet, si in terris usque ad finem mundi fungeretur munere confessarii judicandò non juxta scientiam divinam, sed juxta allegata & probata, & juxta præsumptiones humanas. Sed Christus pœnitentem in casu posito absolveret. Ergo. *Min. prob.* Christus in administratione hujus Sacramenti uteretur ea methodo, quæ evidenter magis cederet in bonum animarum, & in salutem plurium fidelium, cui generali bono animarum sine dubio postponeret irreverentias irrogandas Sacramento ex nullitate absolutionum, si quando præsumptio de dispositione pœnitentis falleret. Id enim patet ex institutione Sacramenti Eucharistiæ, ubi evidenter prævidit, infinitas ferme irreverentias sibi fore irrogandas.

PROBATUR 3. Perpetua praxis Ecclesiæ, & constans traditio tam SS. Patrum, quàm Veterum Theologorum docet, pœnitentes in casu posito esse absolvendos, quod probatur ab inductione. Nam.

1. Ecclesia primitiva & sequior semper indiscriminatim omnes recepit in ordinem pœnitentium, licet inter eos non pauci fuerint, de quibus habebatur dubium & formido de eorum sufficiente dispositione. Ergo absolvebantur stante tali dubio ac formidine in casu. *conf. patet*; quia omnes pœnitentes absolvebantur Sacramentaliter statim in eorum receptione ad ordines pœnitentium, prout demonstravi in Demonstratione Critica part. 3. à f. 238. usque ad f. 249.; & ostendam inferius Disp. 5. q. 3. *Ant. prob.* In primitiva Ecclesia non rarò ad pœnitentiam, aut omnino ad communionem recipiebantur integræ communitates, quæ in persecutione apostataverant à fide; quàmvis in ejusmodi communitatibus plures fuerint, quorum erat valdè dubia & suspecta conversio. Sic D. CYPRIANUS *in Epist. ad Antonianum* scribit: *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis* (per apostasiam) *abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo & satisfaciente & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus admissus est, qui omnes ad Ecclesiam regressi non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Susceptus est ergo Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus.* In hoc textu apparet; exiguam plane & valde dubiam fuisse dispositionem in ea communitate, si non nisi Trophimo comitante ad Ecclesiam rediisset. Hac dispositione non obstante omnes recepti & absoluti sunt.

2. Idem S. CYPRIANUS in *Sermone de lapsis* loquens de nonnullis post abnegationem fidei tempore persecutionis pœnitentibus, & statim communionem poscentibus ait: *Quid de eo boni sentias? quem timorem fuisse apud eum, quam fidem credas, quem corrigere nec metus potuit? Alta & erecta cervix, nec quia cecidit, inflexa est. Tumens animus & superbus, nec quia victus est, fractus est. Jacens stantibus & integris vulneratus minatur; & quod non statim corpus Domini inquinatis manibus accipiat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Et tamen hi ipsi adeo præfracti, quamprimum se humiliter subdiderunt statutis pœnitentiæ legibus in ordinem pœnitentium recepti, ac in ipsa receptione à Presbyteris Sacramentaliter absoluti sunt.

3. D. AUGUSTINUS l. 3. contra Parmenianum C. 2., quando peccat integra multitudo, vult, ut ne quidem differatur *absolutio Indulgentialis*, quæ conferri consueverat primum post expletam satisfactionem. Multò ergò minus differi voluit *absolutionem sacramentalem*, quæ conferebatur statim in receptione pœnitentium. Et tamen in tanta multitudine ipsius D. Augustini judicio erant non solum *infirmi*, de quorum recta dispositione poterat dubitari, sed etiam præsumptivè quidam perversi, quamvis non manifesti. *Cum*, inquit l. cc. *idem morbus plurimos occupaverit, consilia separationis & inania sunt & perniciosa, quia plus turbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.*

4. Idem S. AUGUSTINUS in Enchiridio c. 65. docet: animum pœnitentis, an verè pœniteat, primùm experiendum esse durante tempore præscriptæ pœnitentiæ. Ergo supponit, in multis pœnitentibus eo tempore, quo suscepti sunt in ordinem pœnitentium, dispositionem animi verè pœnitentis adhue apparuisse dubiam. *Neque de ipsis criminibus*, inquit, *quamlibet magnis, remittendis in sancta Ecclesia Dei desperanda est misericordia Dei agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur:* Gemitus meus à te non est absconditus; *rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis ipsi Ecclesiæ*, (hoc est, ut comprobetur verus dolor) *in qua remittuntur peccata.* Ex hoc textu duo possunt colligi. Unum est, quod de pœnitenti-

tentibus, quando recipiebantur in ordinem pœnitentium, non semper habita fuerit certitudo moralis de sufficientia doloris & propositi, requisiti ad justificationem in receptione Sacramenti. Secundò sequitur, rectè pœnitentium verum dolorem & serium emendationis propositum probari per impositionem pœnitentiæ difficilis, prout in *quæstiuncula* 7. responsum est. Ex hoc enim revera agnoscitur, an gravitatem peccati mortalis agnoscant, & num gratiam Dei tantopere æstiment, ut per media etiam difficilia ad eam aspirent.

5. D. AMBROSIUS l. 2. de Pœnit. C. 9. satis ostendit, quàm suspecta fuerit multorum pœnitentia, qui illo tempore in ordinem pœnitentium recepti, adeoque Sacramentaliter absoluti sunt. *Plerique*, inquit, *futuri supplicii metu pœnitentiam petunt, & cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore.* Et C. 10. *Facilius inveni, qui innocentiam servaverint; quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Nec tamen hujusmodi peccatores ob formidinem de sinceritate propositi ab actione pœnitentiæ, cui annexa erat Sacramentalis absolutio, repulsi sunt.

6. D. CHRYSOSTOMUS l. 2. de Sacerdotio c. 4. ostendit; sive pœnitentibus imponatur pœnitentia delictis proportionata, sive imponatur non proportionata, non haberi moralem certitudinem de recta in eis dispositione animi. Suadet proin, ut imponantur tales pœnitentiæ, quas sustinere possint, ut *saltem parte aliqua* se eximant à peccatis, quibus occupantur. Atqui, si hoc præcise sperari potest à pœnitente, ut se aliqua parte peccatorum exuat, non habetur moralis certitudo de Seria voluntate vitandi omnia peccata, licet se ea vitare velle promittat. Ergo, ubi absolutio differri nequit sine majori periculo animarum, non est semper deneganda absolutio, ubi non habetur moralis certitudo de sufficiente dispositione pœnitentis. Textus D. Chrysostomi sic habet: *Complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, nisi quod digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè juxta delictorum modum oportet & medelam ipsam adhibere; sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est animus delinquentium, ne dum consuere vis, scissuram majorem facias. Nam qui infirmi sunt ac remissi, & magna ex parte mundi hujus illecebris illaqueati; quique à generis claritate, à potentia atque opibus habere se putant, unde animos magnopere tollant; ii si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possunt utique, si non penitus, attamen parte aliqua eximere se ac liberare à malis, peccatisque, quibus occupantur; quos si justa statim animadversione emendet, fiet ut minori etiam illa correctione, quam sustinere poterant, privetur. Quapropter sexcentis, ut ita dicam, pastori oculis opus est, ut rectè undique humani habitum animi circumspicere possit. Nam sicut aliquoties usuvenit, ut animum plerique despondeant, non ob aliud, nisi quod amaris medicamentis abhorreant, ita nonnullos reperias, qui hoc ipso, quod pœnas peccatis suis pares non luerint, deteriores facti majorem sibi peccandi licentiam venaverint.* Ita os aureum, tacitè insinuans, ejusmodi pœnitentes de serio emendationis proposito tentandos esse per impositionem pœnitentiæ, nec rigorosæ nimium, nec exiguæ nimium, sed eousque intensæ, *quam sustinere possint*, hoc est, quam prudenter recusare non possint. Quod attinet Theologos veteres, duo observo; *Primò*, quod ferme omnes ad valorem confessionis præcise requisierint dolorem existimatum. Hinc, si confessarius dubitabat, an pœnitens haberet dolorem sufficientem, id solùm requirunt, ut Confessarius pœnitentem moneat, in ejusmodi defectu confessionem non fore fructuosam. *Secundò*, quod ferme omnes asserant, condescendendum esse infirmitati pœnitentis, quoad pœnitentias vindicativas, usque dum pœnitens *sine* prudenti *murmure* consentiat. Ita docet S. Raymundus l. 3. de pœnit. §. 49. ubi ait: *Quid si aliquis pœnitet de peccatis, vel dicit se pœnitere, non tamen vult subire onus pœnitentiæ, dicens, se tenerum, valetudinarium, malè complexionatum, vel simile? Nunquid tales sunt admittendi ad pœnitentiam? Videtur, quod non. Quia perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. Item, quia charitas omnia vincit. Cum ergo iste non sit paratus omnia libenter sufferre, patet, quod nec habet charitatem, nec verè pœnitet. Ad hoc dico, quod si dicit, se pœnitere de peccatis, & proponit de cætero abstinere, cum allegans fragilitatem recusat satisfactionis asperitatem, debet sacerdos illum primò inducere, ut animum habeat paratum ad omnem satisfactionem. Si non potest eum ad hoc inducere, imponat ei talem satisfactionem cum voluntate sua, quam utiliter possit portare, ne postea frangendo deterius peccet. Ad hoc autem præcisè laboret, ut peccator causas & radices removeat, & omnem occasionem peccandi pro posse tollat.* Idem docet *Astesanus* in sua Summa l. 5. Tit. 31. & *Pisanus* in Summa Tit. Confessor II. & *Armilla*, quamvis hi Scriptores doctrinam S. Raymundi, quam exscribunt, suis additionibus enormiter corrumpant, asserentes, quod ejusmodi pœnitentes *suspecti* de serio proposito implendi pœnitentias injunctas, etiam sine omni obligatione ad ullam pœnitentiam sint absolvendi, quæ laxitas sæculo 14. & 15. introducta dein Sæculo XVI. à Concilio Tridentino correcta est.

PROBATUR 4. Si daretur ratio, in casu posito denegandi absolutionem ob dubium de sufficienti materia Sacramenti, ea esset hæc, quod Sacramentum exponatur periculo nullitatis ac consequenter periculo irreverentiæ. Sed hæc ratio nulla est; Ergo. *Min. prob.* Ex una parte intentio absolventis potest esse conditionata; ex altera parte, prout rectè Navarrus observat, confessio est valida in eo, qui haberet dolorem existimatum, ac consequenter absolutio habet suum partialem effectum; & ex tertia parte præsumendum est, Deum potius velle permittere has irreverentias materiales, quàm ut innumeri verè dispositi, qui intra classem illorum dubiè dispositorum comprehenduntur, effectu Sacramenti destituantur. Navarrus in *Manuali* C. 26. n. 11. sic scribit: *In absolutione multi multa verba adjungunt, quæ non solùm sunt superflua, sed etiam periculosa. E quibus sunt illa: De quibus contritus es &c. Tum quia absolutio non solum comprehendit peccata contrita, sed etiam*

quæ apparent contrita, ad effectum, ne iterum ea pœnitens confiteri teneatur. Ex his ergo omnibus sequitur; posse aliquando absolvi pœnitentem cum materia dubia hujus Sacramenti, si adhibitis congruis mediis tam ex parte Confessarii, quam ex parte pœnitentis materia moraliter certa non obtineatur, & dilatio absolutionis potius cederet in grave periculum majorum lapsuum in pœnitente. Verum de hac re redibit uberior sermo Disp. 5. 6. & 7.

DISPUTATIO III.

De Contritione.

PROOEMIUM.

Inter corruptiones Theologiæ, quas laxiores Theologi ex neglectu diligentis lectionis in scriptis veterum Theologorum invexerant, non exiguam partem implet contritio. DOCENT 1. ad justificationem in Sacramento sufficere attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium, dummodo per lumen fidei agnoscantur proficisci à Deo, etiamsi homini non displiceat *ratione sui* offensa Dei. DOCENT 2. attritionem conceptam ex metu cruciatuum inferni excludere posse *omnem* voluntatem peccandi *possibilem*, *etiam conditionatam*, qua peccator adhuc habitualiter vellet peccare, si inferni cruciatus non forent. Aut certè negant; animi propositum in homine, recipiendo in gratiam atque in amicitiam Dei, tale esse oportere, *ut sit incompossibile cum ullo* actuali aut habituali *affectu ad ullum peccatum possibile*, quale peccatum possibile sine dubio foret affectus conditionatus peccandi, si non darentur cruciatus inferni. DOCENT 3. Peccatorem per Sacramentum pœnitentiæ posse justificari, fieri amicum & filium Dei, & post mortem immediatè ruere in æternos amplexus Dei, sine ullo actu veri amoris, quo homo Deum amet super omnia. Ut simplicibus fucum faciant; fatentur quidem: neminem posse justificari sine *dilectione initiali*, sed per dilectionem initialem *actum spei, non charitatis* intelligunt, aut nudum propositum eliciendi aliquando, ubi lex sub pœna inferni urserit, actûs charitatis. Sic cum lege mandati maximi etiam verba corrumpunt. DOCENT 4. Omnem amorem Dei super omnia sufficientem esse ad infallibiliter adipiscendam justificationis gratiam etiam extra usum Sacramenti, quantumvis nec adjunctum habeat propositum placendi Deo in omnibus actionibus; nec propositum præstandi Deo congruam satisfactionem compensatoriam offensæ. Censent itaque, Deum obligari ad impertiendam cuivis peccatori adoptionis gratiam, dummodo Deum amet super omnia, hoc est, dummodo statuat, Deum in posterum præferre omnibus bonis creatis, etsi *non faciat quod est in se*, *ad promerendam banc de congruo* immensam gratiam. DOCENT 5. Omnem amorem Dei super omnia esse charitatem perfectam, etiamsi se non extendat ad ullos actus amoris cuivis supererogativos ultra eos, qui præcipiuntur sub pœna inferni. DOCENT 6. Charitatem habitualem, quæ in justificatione infunditur, nec præsupponere actum charitatis in homine, nec involvere ullum actum aut habitum amoris eliciti ab homine, pertinentis ad tertiam virtutem Theologicam charitatis. Itaque denuo cum morum corruptione etiam idiomatis sacri corruptionem babilonicam introduxerunt, dum sub *nomine charitatis*, quo antiquitùs virtus ab homine elicita vel acquisita intelligebatur, *nudam qualitatem à Deo infusam* intelligunt, in qua nec minimam quidem partem sibi vendicare permittitur libero hominis arbitrio. Hoc ergo grande Chaos in hac Disputatione aggredior, & ex traditione SS. Patrum ac veterum Theologorum luce accepta in ordinem restituo.

Quæstiones erunt sequentes:

1. An ad Sacramentum pœnitentiæ requiratur dolor supernaturalis quoad substantiam?
2. Utrum attritio concepta ex metu inferni excludat omnem voluntatem peccandi sine dilectione initiali erga Deum?

3. Utrum

3. Utrum attritio ex metu inferni concepta sine vera Dei dilectione initiali sufficiat ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam?
4. Utrum omnis amor Dei infallibiliter justificet?
5. Utrum ad amorem Dei justificativum extra Sacramentum requiratur certa intensio, aut extensio, vel duratio actus?
6. An sententia asserens in Sacramento pœnitentiæ sufficere solam attritionem ex metu inferni sine motu dilectionis initialis in Deum sit practicè tuta?

QUÆSTIUNCULÆ.

1. Unde sumatur Etymologia attritionis & contritionis?
2. An Veteres Theologi nomine contritionis semper intellexerint perfectam?
3. In quo sensu Veteres Theologi docuerint, in Sacramento pœnitentiæ attritionem fieri contritionem? Et ex attrito fieri contritum?
4. An idem numero, vel solùm idem specie actus ex attritione fiat contritio?
5. Utrum in justificatione peccatoris prior sit contritio perfecta vel infusio gratiæ?
6. Quis sit ordo actuum & causarum in justificatione?
7. Quid sit illa charitas, quæ in justificatione dicitur infundi simul cum gratia justificante?
8. Quid sit charitas habitualis seu habitus charitatis & aliarum virtutum, qui cum gratia sanctificanto infunduntur?
9. Quid sit gratia sanctificans, quæ confertur in justificatione?
10. Quæ sit in hac re verior sententia?
11. An habitus infusi in justificatione sint æqualis perfectionis & activitatis in omnibus pœnitentibus?
12. An detur status medius inter cœlum & infernum pro adultis decedentibus cum sola attritione? aut cum solo peccato originali sine peccato actuali mortali?
13. An sit de Fide, nullum talem dari statum medium?
14. An Gentiles & Turcæ per contritionem salvari possint?
15. An contritus sic debeat esse comparatus, ut potius æternùm velit esse in inferno, quàm committere culpam?
16. An contritus debeat ita esse comparatus, ut potius vellet perpeti omnia tormenta tyrannorum ac dæmonum, quàm peccare?
17. An contritio possit esse nimia?
18. An contritio debeat esse major de uno peccato, quàm de alio?
19. An pœnitens teneatur conteri de singulis peccatis distinctè? An vero sufficiat, de iis conteri in confuso?
20. An contritio de peccatis debeat durare toto vitæ tempore?
21. An contritio sit maximus dolorum, qui possunt esse in natura?
22. An contritio possit sufficere etiam ad delendam omnem pœnam temporalem?
23. Quænam formula contritionis sit præferenda?
24. Quid sentiendum de novella formula contritionis: Doleo, quod infernum & purgatorium promeruerim &c.
25. An sufficiat dolor virtualis inclusus in amore Dei?
26. An detur obligatio ponendi propositum explicitum?
27. Quid requiratur ad hoc, ut propositum dici possit efficax?
28. Quale requiratur propositum circa peccata venialia?

QUÆSTIO I.

An pro Sacramento pœnitentiæ requiratur dolor supernaturalis quoad substantiam?

NOTANDUM I. Variis ex motivis elici posse dolorem circa peccata à se commissa. Nam *primò* elici potest *ex motivo purè naturali*, nullo concurrente principio supernaturali. Sic dolet fur in scala patibuli de furto commisso ex motivo suspendii. Sic dolet Esau ob hæreditatem tantillò venditam, aut filius exhæreditatus ob injectionem violentarum manuum in patrem. Sic dolet Alexander M. ob occisum in ebrietate amicum intimum. Sic etiam dolet Ovidius ob lanienam conscientiæ, ubi scribit: *Heu dolet! & culpâ torqueor ipse meâ. Secundò* potest dolor elici ex motivo *de se ac ex genere suo* quidem naturali, concurrente tamen principio supernaturali, videlicet actu fidei. Hoc genus doloris elicitur, si quis de peccatis dolet ob temporales pœnas, ita tamen, ut per fidem agnoscat, eas à Deo esse inflictas aut infligendas. Sic doluerunt Ninivitæ ob subversionem urbis à Deo intentatam. Sic etiam Judæi in V. T. sæpe doluerunt ob pœnas à Deo immissas. Sic & dolet rusticus ob grandinem, si credit hanc à Deo sic permissam ob suas blasphemias & imprecationes. Huc revocatur dolor, quo peccator de peccatis dolet, quod offenderit Deum ut authorem naturæ, si hoc ipsum quod Deus sit author naturæ, & quod illi peccatum displiceat tanquam authori naturæ, per lumen fidei agnoscat. *Tertiò* modo potest elici do-

lor de peccato commiſſo ex motivo *de ſe & ex ſuo genere ſupernaturali.* Talis dolor eſt, ſi quis dolet de peccato, quia eſt offenſa Dei tanquam ſummi boni, habentis nobiſcum modo quodam ſupernaturali amicitiam ſeu communicationem bonorum. Si quis enim gentilis, aut homo exiſtens in ſtatu puræ naturæ, ex omnibus ſuis viribus naturalibus amaret Deum, & ex eo amore doleret, quod offenderit Deum, tanquam ſummum bonum, communicatione quadam bonorum naturali beneficum & amicum, ejusmodi dolor non procederet ex motivo *de ſe & ex genere ſuo* ſupernaturali.

Notandum 2. Primum genus doloris ab omnibus ſimpliciter vocari *naturale*, ſeu *naturale quoad ſubſtantiam.* Verùm quoad dolorem ſecundi generis authores non conveniunt. P. VIVA etiam hunc dolorem vocat ſupernaturalem *quoad ſubſtantiam.* Nam ubi ſcribit in Propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam ordine 57. explicat primùm, quid ſit dolor ſupernaturalis *quoad modum. Attritio* EXTRINSECE, *ſeu* QUOAD MODUM *ſupernaturalis*, inquit, *poteſt poni tripliciter.* Primo *ſi attritio de ſe naturalis, v. gr. concepta ex turpitudine peccatì, ſeu oppoſitione ad rectam rationem oriatur ex aliqua inſpiratione aut motione interna divina, quæ aut eſt in ſe entitativè ſupernaturalis, aut ſaltem tendit ad finem ſupernaturalem. Hoc enim modo ipſa attritio & actus aliarum virtutum moralium cauſati per ſpecialem inſpirationem Dei poſſunt vocari ſupernaturales extrinſece ratione cauſæ aut finis.* Secundò, *attritio poteſt vocari ſupernaturalis quoad modum, ſi ponatur cum ſpeciali intenſione aut duratione excedente concurſum Dei ordinarium.* Tertiò *poteſt attritio vocari extrinſecè vel quoad modum ſupernaturalis, ſi de ſe ſit quidem naturalis, v. gr. orta ex conſideratione inboneſtatis moralis, imperetur tamen ab aliqua virtute aut habitu ſupernaturali. Sic enim ſi Parochus ruſtico dicat, Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, ruſticus ex pia affectione ſupernaturali ad fidem imperabit aſſenſum ad articulum erroneum, qui articulus non erit intrinſecè ſupernaturalis, ſed tantùm extrinſecè, vel quoad modum, prout placuerit loqui.* Ita P. Viva de dolore ſupernaturali quoad modùm. Sed explicaturus dolorem ſupernaturalem quoad ſubſtantiam l. cc. n. 1. ſic habet: *Attritio dicitur ſupernaturalis, ſi procedat ex motivo cognito lumine fidei ſupernaturali; tunc enim habet conprincipium etiam ſupernaturale, & ſic eſt entitativè ſupernaturalis, v. gr. ſi quis doleat ob metum gehennæ, quæ lumine fidei cognoſcitur; & probabiliſſimè etiam, ſi quis doleat de peccato ob metum pœnarum temporalium, ut infligendarum à Deo vindice. Similiter attritio eſt ſupernaturalis, ſi concipiatur ex conſideratione turpitudinis peccati, dummodo hujusmodi turpitudo attingatur lumine ſupernaturali, v. gr. ut oppoſita virtuti ſupernaturali. Imo hæc ipſa fœditas peccati, ſi cognoſcatur lumine ſupernaturali fidei cum aliqua oppoſitione ad Deum v. gr. ſi apprehendatur furtum & homicidium ut oppoſitum divinæ voluntati, eſt etiam attritio ſupernaturalis. Univerſim autem, quoties motivum attritionis attingitur lumine fidei ſupernaturali, concurrit ad illam conprincipium ſupernaturale; & ſic eſt intrinſecè, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis.* Ita P. Viva, qui hanc ſuam doctrinam eousque extendit, ut dicat, attritionem fore ſupernaturalem, dummodo peccator per lumen fidei apprehendat peccatum, *ut oppoſitum Deo tanquam authori naturæ.* Num. 18. l. cc. ſic ſcribit: *Inquiri poteſt; num deteſtatio peccati ex motivo hujus turpitudinis, quod ſcilicet ſit contra Deum authorem naturæ, poſſit eſſe ſupernaturalis, & ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ? Negat Gonet; quia hic actus reſpiciens motivum naturaliter cognoſcibile eſt naturalis quoad ſubſtantiam. Vasquez putat, poſſe hujusmodi attritionem eſſe donum gratiæ per Chriſtum, & diſponere ad juſtificationem, etiamſi ſecundum naturam ſit ordinis naturalis. Equidem cum Scoto, Ripalda, Lugo cenſeo; actus naturales non differre à ſupernaturalibus ex objecto formali, ſed ſolum ratione principiorum, unde promanant. Quare ſicut attritio ex pœnarum temporalium metu eſt ſupernaturalis, ſi lumine fidei illæ pœnæ attingantur, ut à Deo vindice infligendæ; ita attritio ex turpitudine peccati, quatenus eſt ſcilicet contra Deum authorem naturæ, poterit eſſe ſupernaturalis, ſi hoc ipſum cognoſcatur lumine fidei.* Ita rurſus P. Viva, qui tamen diffidens de certitudine hujus ſententiæ, in fine addit: *In praxi tamen ſemper curandum, ut attritio procedat ex motivo ſupernaturali.* Quia videlicet hic auctor noverat; in Sacramentis, ubi agitur de valore Sacramenti, præſertim neceſſarii, amplectendam eſſe ſententiam tutiorem.

Notandum 3. A multis authoribus hos duos terminos confundi: Actus *entitativè* ſupernaturalis; & Actus *quoad ſubſtantiam* ſupernaturalis, prout etiam confunduntur à P. Viva in textu proximè relato. Si tamen exactè inſpiciantur, profectò idem non ſunt. Nam omnis effectus, qui eſt productus à cauſa intrinſecè ſupernaturali, habet eſſentialem relationem ſecum identificatam ad ſuam cauſam, prout communiter in Philoſophia Thomiſtæ & multi alii defendunt. Itaque talis effectus *entitativè* ſpectatus habebit aliquod prædicatum eſſentiale ſecum identificatum, quod eſt ſupernaturale; & conſequenter etiam ipſe effectus *realiter ac entitativè* erit ſupernaturalis. Et tamen nemo dicit, ejusmodi effectus eſſe ſupernaturales *quoad ſubſtantiam.* Id mille exemplis demonſtrari poteſt. Sic enim Roſa producta in hyeme per actionem ſupernaturalem, aqua producta ex petra per Moyſen actione ſupernaturali; mundus ab initio productus ex nihilo per actionem creativam toti naturæ indebitam; flores & fructus nati ex arbore ſupernaturaliter creata; verba à Chriſto prolata, motus localis vitaliter productus à Chriſto, vapores exhalati à Chriſto, ſpecies viſivæ emiſſæ à Chriſto, & receptæ in oculis intuentium oculis, vinum in Cana Galilææ producti, & panes multiplicati à Chriſto, viſio entis ſupernaturaliter producti, aut actione ſupernaturali hominibus demonſtrati, v. gr. Chriſti à D. Stephano viſi, & cœli à D. Paulo viſi, horror inferni ſupernaturaliter viſi; virtus moralis elicita dependenter à gratia vel illuſtratione intrinſeca ſupernaturali. In omnibus his exemplis juxta veriorem Philoſophiâm dátur in effectu reſpectus eſſentialis ad cauſam vel actionem productivam intrinſece ſupernaturalem; ut proin neceſſe ſit; ejusmodi effectus habere *realiter* ac *intit tivè* aliquod prædicatum eſſentiale ſupernaturale, nempe relationem

nem ad fuam caufam; & tamen nemo dicit, quod fint fupernaturalia *quoad fubftantiam*. Idem dicendum eft de actibus alicujus virtutis moralis, qui concomitanter ex alia virtute fupernaturali v. gr. fidei, vel fpei, ordinantur intrinfecè ad finem fupernaturalem. Id rectè obfervat Roncaglia tr. 19. q. 2. qq. 3. ubi ait: *Si quis ex naturali compaffione erga pauperem faciat ifti eleemofinam, poteft ex fua voluntate addere huic actui naturali finem extrinfecum fupernaturalem, ut effet, velle per ipfum etiam fatisfacere Deo pro peccatis: atque ita talis actus fit fupernaturalis quoad modum.* In tali actu evidens eft; concurrere actum fidei & fpei; & in æftimatione morali prorfus perinde effe, five mifericordiæ naturalis exercitium, & ordinatio in finem fupernaturalem fiant per duos actus, five per unum eundemque indivifibilem actum. Neque enim in æftimatione morali refert, five actua opinionis, fcientiæ, & fidei relatè ad fua motiva eliciantur divifim per actus realiter diftinctos præcisè concomitantes, five eliciantur indivifim per unum realiter actum; & tamen femper verum erit dicere, actum opinionis in ratione opinionis ex fuo genere ac quoad fubftantiam non effe actum fcientiæ aut fidei, vel viciffim. Itaque non eft exacta ea locutio, qua P. Viva in Propof. 57. ab Innocentio XI. damnata, n. 1. dicit: *Univerfim quoties motivum attritionis attingitur lumine fidei fupernaturali, concurrit ad illum* (actum) *comprincipium fupernaturale; & fic eft intrinfecè & quoad fubftantiam fupernaturalis.* Neque enim propterea vifio, & exinde confequens horror objecti mutatur *quoad fubftantiam*, five objectum videatur per lumen folis, five per lumen candelæ, five per lumen naturale, five per lumen fupernaturale, etfi ejusmodi vifiones *entitativè* quoad aliquem gradum perfectionis effentialis in individuo differant. Itaque ad vitandam omnem æquivocationem

NOTANDUM 4. Illum dolorem posthac à nobis vocandum effe fupernaturalem *quoad fubftantiam*, qui eft fupernaturalis ex objecto, feu motivo fupernaturali, ita ut ex fuo genere in nullis circumftantiis procedat ex principiis merè naturalibus. Hæc acceptio termini conformis eft ad ea, quæ fcribit SS. D. N. BENEDICTUS XIV. de Beatificatione Tom. IV. part. 1. c. 1. n. 6. & 7. *Miraculum*, inquit, *poteft unum dici majus alio, fi excedit facultates naturæ quoad fubftantiam facti; & inferius, fi excedit facultates naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi.* Dein ex Toftato defcribens miraculum *quoad fubftantiam*, & miracula *quoad modum*, docet, miraculum *quoad fubftantiam* effe illud, quod natura nullo modo poteft facere, nec in illo fubjecto (tam indifpofito) nec in alio; & nec illo modo faciendi, nec alio. Miraculum autem *quoad modum* effe illud, quod natura quidem poteft facere quantum ad fubftantiam facti, quia eandem rem in alio fubjecto & alio ordine & modo efficit. Et pro hac explicatione adduxit *Bartolum, Martinum de laude, Caftellinum, Petrafancta, Rocca, Matta, Cardinalem de Lauræa, Badum, Bellarminum, Bagatta, Magnanum, Caftaldum, Mathæuccium &c.* His itaque fic explicatis

DICO I. Ad Sacramentum Pœnitentiæ fructuosè fufcipiendum requiritur dolor fupernaturalis.

DIXI, ad *fructuosè fufcipiendum*; ut interea abftraham ab ea quæftione, quam Canus movet, an dolor naturalis faltem valeat ad valorem Confeffionis & abfolutionis.

PROBATUR Conclufio ex propofitione 57. damnata ab INNOCENTIO XI. quæ fic fonat: *Probabile eft, fufficere attritionem naturalem, modo honeftam.* Ulterior probatio habetur in Conclufione fequente.

DICO II. Ad Sacramentum pœnitentiæ fructuosè fufcipiendum requiritur dolor fupernaturalis quoad fubftantiam, feu ex motivo fupernaturali.

DIXI, quoad fubftantiam, feu ex motivo fupernaturali; quia, prout in Notandò 3. & 4. oftenfum eft, nullus actus virtuofus exactè loquendò vocari poteft fupernaturalis quoad fubftantiam, nifi in quantum procedit ex motivo fupernaturali, ita ut ex fuo genere in prorfus nullis circumftantiis elici poffit ex principiis mere naturalibus. Cæterum motivum fupernaturale foret v. gr. turpitudo peccati *theologica*, in quantum opponitur Deo tanquam fummo hominis bono, fupernaturali fruitione beatifica poffidendo; vel in quantum privat gratia fanctificante, vel alio dono perductivo ad finem fupernaturalem; vel quatenus meretur infernum, prout involvit pœnam Domini, feu æternam feparationem ab ultimo fine fupernaturali.

PROBATUR Conclufio, quæ eft principalis, 1. Ad Sacramentum pœnitentiæ fructuosè fufcipiendum non fufficit attritio naturalis; fed omnis attritio, quæ non eft fupernaturalis quoad fubftantiam, eft fimpliciter naturalis. Ergo. *Maj. patet* ex propofitione damnata, adducta in Conclufione prima. *Min. prob.* Omnis attritio, quæ non eft fupernaturalis quoad fubftantiam, eft ad fummum fupernaturalis quoad modum, fed attritio tantùm fupernaturalis quoad modum fimpliciter loquendò eft naturalis. Ergo. *Min. prob.* Attritio, quæ tantùm eft fupernaturalis quoad modum, eoipfo eft naturalis quoad fubftantiam. Sed attritio naturalis quoad fubftantiam fimpliciter loquendò eft naturalia. Ergo. *Min. prob.* In omni denominatione, ubi controverfia poteft effe de ipfa fubftantia rei, attentio & intentio loquentium potius fertur ad ipfam fubftantiam rei, quàm ad modum rei. Sic enim, ubi quæritur, utrum angeli fint corporei, utrum moneta fit aurea, utrum ad merendum vitam æternam, & operandum bene prout oportet, opus fit gratia fupernaturali, Theologi refpondent, angelos effe corporeos; nummularius refpondet; non effe auream, Concilia contra Pelagianos refpondent, opus effe gratia fupernaturali; In quibus omnibus locutionibus fermo eft de fubftantia controverfa rei.

CONFIRMATUR. In exemplis Notandò 2. adductis, nemo fimpliciter loquendò dicit, rofam in hyeme per creationem productam, aut vifionem dependenter à fpeciebus à Chrifto emiffis productam, aut actum virtutis moralis depen-

denter ab illustratione supernaturali aut motione elicitam, aut vitam Lazari resuscitati, aut horrorem inferni in homine, cui Deus illum videre concessit per lumen supernaturale infusum &c. esse supernaturalem, sed omnes simpliciter respondent, esse rem naturalem. Ergo in ejusmodi denominationibus, ubi controversia aut quæstio etiam movetur de substantia rei, attentio loquentium & audientium potius refertur ad substantiam quàm modum rei.

PROBATUR 2. Attritio in Sacramento sufficiens debet esse destructiva totius malitiæ reperibilis in peccato; sed attritio tantùm supernaturalis quoad modum non est destructiva totius malitiæ reperibilis in peccato. Ergo. *Maj. patet*, quia nisi homo detestetur totam malitiam in peccato reperibilem, non decet Deum, ut illi infundat gratiam adoptionis in statum filiorum Dei. *Min. prob.* Talis attritio non attingit peccatum sub ratione culpæ theologicæ, in quantum privat fine supernaturali ultimo. Ergo nec eatenus detestatur peccatum, nec consequenter eam malitiam, quantum est ex parte sua destruit. Hoc argumentum est Goneti h. Disp. 7. a. 4.

PROBATUR 3. Attritio in Sacramento pœnitentiæ sufficiens est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis quoad substantiam. *c. prob.* Ultima dispositio ad effectum & ipse effectus sunt ejusdem ordinis intrinseci ad finem, habentque summam proportionem in ordine naturæ. Ergo etiam in ordine gratiæ idem præsumptivè sic ordinatum est à Deo, ut ordinario effectui supernaturali quoad substantiam præordinet dispositionem supernaturalem quoad substantiam, ubi commodè potest haberi, sicut contingit in præsenti. Hoc argumentum pariter est Goneti l. cc.

PROBATUR 4. Attritio sufficiens in Sacramento est speciale *donum Spiritûs Sancti*, prout donum opponitur cuivis alteri dono divino generaliter & latè dicto. Ergo debet esse supernaturalis quoad substantiam. *c. patet*; quia dona tantùm supernaturalia quoad modum non comprehenduntur sub septem donis Spiritus sancti. Neque enim virtus moralis, v. gr. temperantiæ vel reverentiæ erga parentes, simpliciter refertur ad septem dona Spiritûs sancti; quamvis eliciatur dependenter à speciali gratia actuali, seu illustratione & motione divina supernaturali quoad substantiam in casu extraordinario. *Ant. prob.* ex constanti testimonio Scripturæ, & ex doctrina Concilii Tridentini Sess. 14. c. 4. ubi docet, eam attritionem, quæ ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit, *donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*, & unanimi consensu veterum Theologorum, ubi tractant de septem donis Spiritûs sancti, in specie de timore; quâ de causâ tractatum de pœnitentia trifariam dividunt, videlicet, *in quantum est virtus; in quantum est donum; & in quantum est Sacramentum*, prout in ALENSI, ALBERTO M. & D. BONAVENTURA observare licet. Scriptura sic habet: *Servum Domini oportet mansuetum esse ad omnes, ne quando* (si forte) *Deus det illis pœnitentiam.* 2. Tim. 2. v. 15. *Converte me, & convertar.* Jerem. 31. *Converte nos Domine, & convertemur.* Thren. 5. *Deus converte nos, & ostende faciem tuam.* Ps. 79. *Domine Deus virtutum converte nos.* Ibid. *Converte nos Deus salutaris noster.* Ps. 84. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut judicia mea custodiant.* Ezech. 11. v. 19. Inter Theologos autem veteres D. THOMAS *de timore* in 3. dist. 34. q. 2. a. 1. qq. 2. sic scribit: *Cum timor in fuga mali consistat; malum autem est pœnæ & culpæ; erit timor quidam; qui consistit in fuga mali culpæ tantum, per quam a Deo separatur, scilicet timor castus seu filialis. Alius autem consistit in fuga mali pœnæ. Pœna autem est duplex. Una pro cujus vitatione peccatum quandoque committitur, sicut sunt temporales pœnæ. Et hanc pœnam refugit timor mundanus vel humanus. Alia est, pro cujus vitatione nunquam fit peccatum, sed magis vitatur; sicut pœna, quæ erit post hanc vitam. Et hanc pœnam fugit timor servilis. Alius autem est timor, qui fugit utrumque malum, pœnæ scilicet & culpæ; scilicet timor initialis, qui habet oculum ad utrumque.* Et ad 2. *Timor servilis & initialis eandem pœnam respiciunt; sed servilis tanquam principale objectum; initialis autem non; sed magis malum culpæ.* Hac terminorum explicatione præmissâ, S. Doctor docet, quod timor mundanus & humanus non sint *donum*, sed tantùm timor initialis & castus. Ibidem qq. 3. c. sic scribit: *Timor mundanus & humanus, cum sint inordinati, non possunt esse donum Spiritus sancti. Similiter etiam timor servilis non pertingit ad perfectionem doni. Timor enim servilis operatur bonum non propter fugam turpis, sed propter fugam tristis. Timor autem castus & initialis habet rationem doni; cujus ratio est, quia facit abstinere à malis propter fugam inconvenientis, quod est in separatione à Deo.* Ex his D. Thomæ verbis manifestè sequitur, eam pœnitentiam, quæ est donum, debere pro suo motivo habere privationem visionis beatificæ, ac malitiam culpæ, seu offensæ divinæ.

DICO III. Hinc attritio concepta ex motivo pœnarum temporalium, quamvis per lumen fidei agnoscantur esse inflictæ à Deo, non sufficit ad Sacramentum fructuosè suscipiendum.

PROBATUR. Ista attritio non est supernaturalis quoad substantiam. Ergo non sufficit, *c. patet* ex Conclusione præcedente. *Ant. prob.* 1. Timor pœnarum temporalium ex suo genere non transcendit vires naturæ in omnibus circumstantiis. Ergo.

Idem *Antecedens* PROBATUR 2. Timor istarum pœnarum ex suis prædicatis genericis ac specificis non mutatur, sive agnoscatur per lumen fidei, sive per lumen rationis, ut inflictæ à Deo. Ergo non fit per hoc alterius naturæ supernaturalis quoad substantiam.

Idem *Antecedens* ex propositione 57. damnata

PROBATUR 3. Hæc attritio immediate ante damnationem Propositionis 57. ab Innocentio damnatæ ex usu Theologorum illius temporis vocabatur simpliciter tantùm supernaturalis *quoad modum*. Ergo juxta dicta in *Arg.* 1. *Concl.* 2. erat simpliciter naturalis *quoad substantiam*. *Ant. prob.* ex testimonio P. CARDENAS, qui scripsit anno 1684., hoc est, quatuor annis post condemnationem præfatæ propositionis; ut proin optimè potuerit scire sensum Theologorum illius tempo-

temporis circa usum terminorum. In Crisi Theologica in damnatas propositiones in propos. 57. n. 8. sic scribit: *Observavi, esse aliquos Theologos, qui propugnant dari attritionem entitative naturalem ex motivo supernaturali, quæ ideo est supernaturalis quoad modum.*

Idem *Antecedens* PROBATUR 4. Quando elicitur attritio ex motivo pœnarum temporalium, quas homo per fidem intelligit esse inflictas à Deo, reipsa concurrunt duo actus, realiter vel saltem formaliter distincti, nempe actus fidei, & actus detestationis, quorum duorum actuum neuter formaliter respicit ad motivum proprium alterius virtutis. Ergo sicut actus fidei ex additione alterius actus detestativi non fit formaliter ac ex genere suo detestativus, ita vicissim actus detestativus peccati ex metu pœnarum temporalium ob additionem actus fidei formaliter ac ex genere suo non fit supernaturalis actus fidei; ac consequenter nec fit supernaturalis quoad substantiam.

CONFIRMATUR. Si per duos actus realiter distinctos in primo instanti dicerem: Hæc grando est immissa à Deo ob meas frequentes imprecationes. Et dein in secundo instanti dicerem: Nolo ulterius imprecari, ne iterum veniat grando; ac profectò me affligit, quod per meas imprecationes fuerim causa tanti damni; in actu secundo nulla interveniret supernaturalitas quoad substantiam. Ergo etiam in actu uno indivisibili quo dico: Quia Deus ob meas imprecationes vastavit segetes, nolo amplius imprecari, actus conclusionalis non erit supernaturalis quoad substantiam in ratione attritionis seu actus detestativi.

CONFIRMATUR 2. Quando in uno eodemque indivisibili actu concurrit actus *opinionis, scientiæ & fidei*, ex ea unitione nec actus opinionis evadit formaliter ac ex genere suo scientificus, nec actus scientiæ propterea evadit formaliter ac ex genere suo obscurus. Ergo etiamsi ad talem attritionem concurrat actus fidei, non tamen propterea ipsa attritio evadit formaliter ac ex genere suo supernaturalis.

CONFIRMATUR 3. Hic actus blasphemiæ; quia Deus vastavit segetes, sit maledictus, non est supernaturalis quoad substantiam, sed actus fidei se tantum habet concomitanter, aut præsuppositivè & impertinenter. Ergo idem contingit in alio actu, quo dico: Quia Deus vastavit segetes ob meas imprecationes, ex metu ulteriorum grandinum nolo amplius imprecari.

CONFIRMATUR 4. In hoc discursu, quo dico: Quidquid Deus dixit, est verum. Sed Deus dixit: Panem triticeum esse sanum. Ergo panis triticeus est sanus. Jam verò jussu Medici à me comedendus est panis sanus; sed panis triticeus est sanus. Ergo jussu Medici à me comedendus est panis triticeus. In hoc, inquam, discursu ultimus actus conclusionalis non est supernaturalis quoad substantiam. Ergo nec est supernaturalis quoad substantiam in hoc discursu: Quidquid Deus dixit, est verum; sed Deus dixit: Venite grandinem ob imprecationes, juxta illud: Dilexit maledictionem & veniet ei. Ps. 108. Ergo venit grando ob imprecationes. Jam verò ex præscripto rationis debeo vitare causas grandinis. Sed imprecationes sunt causa grandinis. Ergo debeo vitare imprecationes. *Ant. prob.* Ultimus actus conclusionalis se non reflectit supra motivum *Minoris*, sed eam considerat per modum *Postulati*, aut *Principii*, alioquin deberet se reflectere supra centum Syllogismos, prout nonnunquam fit in disputationibus, ex quibus deducitur ultimus actus Conclusionalis.

Cæterum Conclusio etiam probari posset ex eo, quia talis attritio non excludit conditionatam voluntatem peccandi, si non poneretur ejusmodi motivum pœnæ temporalis, quod tamen fieri necesse est, prout ostendetur in sequenti quæstione.

DICO IV. Hinc ad Sacramentum pœnitentiæ fructuosè suscipiendum nec sufficit attritio concepta ex turpitudine peccati præcise moralí, prout solùm opponitur rectæ rationi, vel Deo tanquam authori naturæ, quantumvis ea oppositio agnoscatur per lumen fidei.

PROBATUR. Hæc attritio non est supernaturalis quoad substantiam. Ergo non sufficit. *c. patet* ex Conclusione secunda. *Antecedens* autem probatur iisdem argumentis, quibus probatum est in Argumento prioris Conclusionis, quæ proin revidenda & applicanda sunt.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra primam Conclusionem. 1. Juxta Tridentinum Sess. 14. c. 4. ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam sufficit attritio concepta ex turpitudine peccati. Sed hæc attritio juxta dicta in Conclusione 3. est tantùm dolor naturalis. Ergo dolor naturalis sufficit ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam. 2. Concilium Tridentinum l. cc. ad sufficientem attritionem plus non requirit, quàm ut voluntatem peccandi excludat, & sit conjuncta cum spe veniæ; sed hoc præstat etiam attritio naturalis. Ergo. 3. Sacramenta N. T. juxta Tridentinum Sess. 7. Can. 6. *non ponentibus conferunt* gratiam. Sed attritus attritione naturali non ponit obicem. Ergo. 4. Tridentinum l. cc. dum asserit, attritionem ex turpitudine peccati, vel ex metu inferni esse donum Dei, potest sic explicari, quod tantùm loquatur de dono Dei latè dicto, prout omnis actio honesta est donum Dei. Ergo ex Tridentino nihil probatur; quod dolor debeat esse supernaturalis. 5. Potest dici, à Tridentino attritionem *concretivè* sumptam, in quantum est conjuncta cum actu spei supernaturalis, vocari donum Dei. Ergo attritio secundùm se non necessariò est supernaturalis. 6. Qui facit, quod est in se, est sufficienter dispositus ad gratiam justificationis. Sed qui ex viribus naturæ amat Deum super omnia, & ex eo amore naturali detestatur peccatum, facit, quod est in se. Ergo.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Sufficit attritio concepta ex turpitudine peccati theologica. c. morali. n. Sensus patet ex dictis in Conclus. 3. prob. 2.

DIXI. tr. Patebit enim ex dicendis proxima quæstione, & ex quæstione tertia, voluntatem peccan-

peccandi non excludi, nisi attritio consideret peccatum tanquam offensam Dei, idque detestetur tanquam offensam Dei, quod solùm fit per dilectionem Dei initialem. Hinc Tridentinum non dixit, quod ejusmodi attritio ex turpitudine peccati elicita *sufficiat*, sed quod ad Sacramentalem gratiam *disponat*.

Ad 2. n. a. Eoipso enim, quod voluntas peccandi non possit excludi nisi per dilectionem Dei initialem, prout patebit ex dicendis quæst. 2. & 3. à Concilio Tridentino plus requiritur, quàm sola attritio ex turpitudine peccati præcisè morali. Imo cum non detur peccatum philosophicum, eoipsò, quod pœnitens detestetur peccatum ut oppositum rectæ rationi, illud detestatur ut oppositum Deo. Si ergo pœnitens detestatur omnia peccata, quia sunt òppofita rationi tanquam præconi legem divinam promulganti, eoipso detestatur omnia peccata, quia sunt offensa, quod pertinet ad dilectionem Dei initialem, prout quæst. 2. & 3. explicabitur. Aliud foret, si pœnitens detestaretur ea, *quæ* sunt offensa Dei, *non quia* sunt offensa Dei, sed *quia* causant *pœnam temporalem* in hoc mundo, vel *pœnam sensus* in altero mundo. Talis enim attritio non agnoscitur à Tridentino pro dono Dei speciali, aut pro dispositione sufficiente ad gratiam sacramentalem; quia præcisè est naturalis quoad substantiam.

Ad 3. dist. Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem nequidem negativum. c. tantùm positivum. n. Obex positivus est adhæsio voluntatis ad aliquod peccatum. Obex negativus est defectus seu negatio alicujus congruæ dispositionis ad gratiam. Inter dispositiones autem congruas ad gratiam est dilectio Dei initialis, & dolor de offensa Dei, *quia* est offensa Dei, *non quia* est inflictiva pœnæ temporalis, vel pœnæ sensus, prout dicetur quæst. 2. & 3. Itaque defectus hujus dispositionis est obex negativus.

Ad 4. n. a. quia manifestum est, quod Tridentinum loquatur de dono Dei speciali, ad quod concurrit specialis motio Spiritus sancti, cui attribuuntur opera gratiæ & sanctificationis. Neque enim alia est magis obvia ratio, cur statim subjungat; ejusmodi attritionem esse *impulsum Spiritùs sancti*, nisi quia ad hanc attritionem influit motio extraordinaria gratiæ, cui motioni homo per pœnitentiam seu attritionem consentit; & quia præ oculis habuit textus Scripturæ supra in Concluf. 3. prob. 4. allegatos.

Ad 5. n. a. quia Concilium dicit; quod *attritio sit donum Dei*; per hoc autem, quod conjungeretur dono Dei, non fieret donum Dei; sicut ens naturale per hoc quod conjungatur cum ente supernaturali, v. gr. anima cum gratia, non fit supernaturale; nec ens corporeum v. gr. corpus humanam ob unionem cum ente spirituali, quale est anima, fit spirituale.

Ad 6. dist. Talis est sufficienter dispositus ad gratiam justificationis præcedente actu fidei ac spei implicito, quo ejusmodi homo implicitè se ordinet in Deum eo modo fruibilem, quo placuerit Deo. c. sine tali præcedente actu implicito fidei ac spei. n. Suppono enim contra Canum, cujus est hoc Argumentum in Tract. de Pœnit., quod ad salutem sufficiat fides implicita in Christum, & in Deum tanquam finem supernaturalem, prout ex D. Thoma ostendi in *Tract. de Fide*. Cum ergo talis homo habeat *fidem & spem* supernaturalem, quamvis implicitam, eo ipso etiam dilectio Dei super omnia fertur in Deum tanquam in finem supernaturalem implicitè cognitum; & sic ista dilectio est supernaturalis ex objecto ac motivo implicito, ita ut sit verè donum & impulsus Spiritùs sancti, qui tanquam causa universalis semper vires naturæ excitat, & movet & elevat ad actiones supernaturales, sic ut universim, quando cedunt seu consentiunt motioni gratiæ, eæ actiones per partialem influxum gratiæ reddantur supernaturales quoad substantiam.

Objicitur 2. contra 3. & 4. Conclusionem. 1. Actus procedens ex motivo fidei supernaturalis est supernaturalis intrinsecè ac quoad substantiam. Sed attritio procedens ex metu pœnarum temporalium in casu, quo agnoscuntur per lumen fidei, procedit ex motivo fidei supernaturalis. Ergo. *Min. prob.* Talis metus pœnarum est actuale exercitium fidei circa divinam immissionem talium pœnarum. Ergo. 2. Talis attritio agnoscit pro suo principio saltem partiali ipsum lumen fidei, ex quo credit, pœnas esse infligendas à Deo. Ergo etiam ipsa est supernaturalis quoad substantiam. 3. Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. attritionem conceptam ex metu inferni vocat *donum Dei*, supernaturale sine dubio quoad substantiam. Ergo etiam attritio concepta ex metu pœnarum temporalium in casu est donum Dei supernaturale quoad substantiam. *c. prob.* Est eadem utrinque ratio. Ergo. *Ant. prob.* Utrumque agnoscitur per lumen fidei, & utrumque, undecunque cognitum, timetur naturaliter. 4. Etiam timor servilis quoad substantiam est donum Dei, & impulsus Spiritùs sancti. Ergo etiam attritio concepta ex timore servili pœnarum temporalium est tale donum supernaturale quoad substantiam. *Ant. prob.* ex D. Thoma in 3. dist. 34. q. 2. a. 2. qq. 2. C. ubi ait: *Servilis timor secundum essentiam suam est à Spiritu sancto.* 5. Lumen fidei immediatè influit in attritionem controversam; econtra actio creativa supernaturalis causæ alicujus physicæ, v. gr. arboris, non influit immediatè in effectum talis arboris, v. gr. in pomum. Ergo ex eo, quod hujusmodi effectus non sit supernaturalis quoad substantiam, non sequitur, attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium non esse supernaturalem quoad substantiam, prout tamen in Notando 3. & probationibus Concluf. 4. supponitur.

Respondeo

Ad 1. c. Maj. dist. Min. Talis actus attritionis est supernaturalis sub ratione actûs fidei. tr. sub ratione attritionis. n. Si enim actus attritionis velit se reflectere ad motivum fidei, eo ipso constat ex duobus actibus saltem formaliter inter se distinctis, sicut assensionalis actus, qui respicit ad motivum opinionis, scientiæ & fidei, constat ex tribus actibus formaliter inter se distinctis, nempe ex actu opinionis, scientiæ & fidei. Dicendum proin, quod ille actus attritio-

nis

nis in ejusmodi casu sit supernaturalis ex genere suo, seu quoad substantiam, sub ratione actûs fidei; & quod sub ratione attritionis formaliter non sit supernaturalis. Accidit enim in individuo, quod hic & nunc sit identificata cum actu fidei, quæ identitas realis tantùm facit, ut ea attritio sit supernaturalis *realiter entitativè: in individuo* sui generis aliquo, seu *quoad modum*; non verò sequitur, quod sit supernaturalis *ex suo genere, formaliter, & in omni individuo* sui generis, quod intelligitur per *esse supernaturale* quoad substantiam; prout in Notando 3. & 4. & in probat. 3. Concluſ. 3. dictum est.

Dixi tr. Quia non est de essentia talis attritionis, ut respiciat ad fidei motivum; sed potest existentiam pœnarum temporalium credere ob sui evidentiam, reipsa quidem à præcedente actu fidei relictam, sed cognitam sine respectu ad eam causam evidentiæ. Sicut et nos, dum fit sermo de urbe *Roma, Londino, &c.* indubitanter existentiam earum urbium credimus, & eam existentiam pro principio nostrarum consultationum præsupponimus, quamvis nesciamus, unde existentiam earum urbium didicerimus.

Ad 2. tr. a. dist. c. Ergo erit supernaturalis quoad substantiam sub ratione actûs fidei. c. sub ratione attritionis. n. Sensus patet ex dictis in Responsione præcedente.

Dixi *tr.* Quia attritio non necessariò respicit ad præcedens motivum fidei, prout dictum est in responsione præcedente; & in probat. 4. Concluſ. 4.

Ad 3. dist. Tridentinum docet, attritionem ex metu inferni spectati in suo esse adæquato tam quoad pœnam damni, quàm pœnam sensûs, esse donum Dei. c. spectati tantùm in suo esse inadæquato quoad pœnam sensûs. n. Tridentinum enim eo modo metum inferni in attritione vocat donum Dei, quo modo voluntatem omnem peccandi excludit. Quod verò attritio ex metu inferni, in quantum præcisè respicit pœnam sensûs, omnem voluntatem peccandi non excludat, ostendetur in proxima quæstione.

Cæterùm, si supponatur, æternitatem pœnarum sensûs in inferno non posse agnosci nisi per fidem, & eam agnosci per fidem, de quo posset esse quæstio, sequeretur, etiam attritionem ex metu inferni præcisè ut respectivam ad pœnam sensûs esse supernaturalem quoad substantiam, quia ejusmodi attritioni essentialiter conveniret actus fidei, ita ut ex genere suo in nullis circumstantiis sit elicibilis sine actu fidei præcedente, aut concomitante; quòd non contingit circa attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium, utpote quas à Deo immitti, à Deo etiam à quovis homine per lumen naturale rationis cognosci potest; ut proin talis attritio ex genere suo elicibilis sit sine actu fidei præeunte vel concomitante.

Ad 4. dist. Timor servilis reduplicativè sumptus est à Spiritu sancto. n. denominativè sumptus. *subdist.* Est à Spiritu sancto per modum doni latè dicti. c. strictè dicti. n. Ipsemet D. Thomas ita semetipsum explicat, ut dicat, timorem servilem *reduplicativè* sumptum seu *qua talem serviliter* acceptum, non esse à Deo, quia *servilitas* dicit negationem amoris gratuiti erga Deum saltem initialis. Hinc quando *timor servilis* transit in *timorem initialem*, non mutatur timor servilis quoad *esse positivum*, quod est timere infernum, sed tollitur tantum forma hujus concreti, nempe servilitas seu *negatio timoris initialis.* Ita Angelicus se explicat in 4. dist. 34. q. 2. a. r. qq. 1. C. ubi ait: *Servilis timor secundum essentiam suam est à Spiritu sancto, non tamen donum Spiritûs sancti, nisi communiter loquendò, ut dicimus: Omne quod à Spiritu sancto datur, donum ejus esse.* Et ibidem ad 3. *Timor ille, ex quo nascitur timor servilis pœnæ, quantum ad actum suum non est timor inordinatus, qui est radix peccati, sed est timor naturalis, quo quis omne nocivum refugit.* Et ibidem qq. 2. C. *Cum servilitas timoris habitui accidat ex imperfectione subjecti, non oportet, quod actus ejus semper conditiones servilitatis habeat; sed poterit habere bonitatem proportionatam substantiæ sui habitus, non scilicet meritoriam, sicut nec habitus habet bonitatem gratuitam. Et quia defectus alicujus debitæ bonitatis sive deordinatio* (seu negatio ordinis in finem ultimum) *non repugnat substantiæ habitus, propter hoc timoris servilis actus potest esse & bonus & malus.* Et qq. 3. C. *Timor servilis manet adveniente charitate quantum ad substantiam, sed non quantum ad servilitatem. Constat enim, quod homo charitatem habens timet pœnas æternas, quod erat proprium ejus quantum ad substantiam habitus. Quod enim hæc plùs quàm alia* (nempe offensam divinam & separationem à Deo) *timeat, non est de ratione habitus, sed de ratione servilitatis.*

Ad 5. dist. Lumen fidei in attritionem immediatè influit, spectatam sub ratione actûs fidei. c. sub ratione attritionis. n. Sensus patet ex dictis *ad* r. & 2. Ex omnibus ergo hucusque dictis colligitur, attritionem ex timore pœnarum temporalium secundum se, & ex suo genere esse indifferentem ad bonum & malum, adeoque ex suo genere tamdiu manere naturalem quoad substantiam, donec efficaciter excludendo voluntatem peccandi se & hominem ordinet in finem ultimum, quod fieri non potest sine amore initiali, quo plus timet culpam seu offensam divinam, quàm ullam pœnam, prout dicetur in proxima quæstione.

QUÆSTIO II.

Utrum attritio concepta ex metu inferni excludat omnem voluntatem peccandi sine dilectione initiali erga Deum?

Notandum i. Hoc loco ex Polemica contra Lutherum supponi, attritionem conceptam ex metu inferni ex suo genere esse *actum honestum;* quia ex suo genere nunquam inclinat ad peccatum committendum, sed ex sua naturâ semper inclinat ad peccatum fugiendum, quamvis illud efficaciter non præstet sine dilectione Dei initiali, ad quam eliciendam animum pulsat, excitat & monet. Hinc in Scriptura Deut. 30. dicitur: *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum; & è contraria mortem & malum, ut diligas Dominum Deum tuum.* Et Ec-

Et Ecclesiastici 25. *Beatus homo, cui donatum est, habere timorem Dei. Timor Dei initium dilectionis ejus.* Et S. Augustinus *Serm. 18. de verbis Apostoli c. 8.* dicit: *Serviliter times? Sed time tamen; ut ista formido custodiat te, & perducat ad dilectionem.*

NOTANDUM 2. Hoc loco etiam non examinari; utrum attritio ex metu inferni concepta ex genere suo, & formaliter sumpta sub ratione attritionis, sit supernaturalis quoad substantiam? Sufficiat enim; quod ab Alexandro VIII. damnatæ sint duæ sequentes propositiones. Una, quæ est 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Altera, quæ est 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Et quamvis dubitari posset, an propositiones loquantur de supernaturalitate *extrinseca, quoad modum*, vel de ea, quæ convenit attritioni sub ratione actûs fidei, videtur tamen omnino tenendum, ejusmodi metum *ex suo genere* esse supernaturalem, seu *quoad substantiam*, quia *per se*, & *semper* ex suâ natura tendit ad fugiendum omne peccatum, & disponit, quamvis remotè, ad assequendum finem ultimum, prout D. Thomas relatus q. 1. Concluf. 2. probat. 4. observat.

NOTANDUM 3. Neque quæstionem esse de metu inferni, quatenus dicit pœnam damni, seu privationem æternam visionis beatificæ. Sub hac enim consideratione attritio haberet pro motivo doloris æternam separationem à Deo, quam timere jam est actus timoris seu amoris initialis, prout D. Thomas in textu superius Concluf. 3. probat. 4. relato explicat. Quæstio ergo solùm est de metu inferni quoad pœnam sensûs, prout hic terminus communiter sumitur.

NOTANDUM 4. Voluntatem peccandi aliam esse *absolutam*, aliam verò esse *conditionatam*. Voluntas peccandi *absoluta* est, quæ fertur in objectum modo tendendi absoluto, in quantum objectum consideratur in statu præsente actu existente. Econtra voluntas peccandi *conditionata* est, quæ fertur in objectum sub modo tendendi *conditionato*, in quantum objectum consideratur sub conditione actu non existente. Sic quando peccator dixit: *Nolo peccare stante periculo incurrendi pœnas inferni*, talis non habet *voluntatem*, sed potius *nolitionem absolutam* peccandi. Econtra, si diceret: *Si infernus non esset, non curarem offendere Deum;* talis haberet voluntatem peccandi *conditionatam*. Exemplum habetur in mercatore, qui exorta tempestate ob præsens periculum amittendæ in naufragio vitæ projicit merces in aquas voluntate *absolutâ;* econtra eas retinet voluntate habituali *conditionatâ* dicendo intra se: Si abesset periculum naufragii, non projicerem merces in mare.

NOTANDUM 5. Voluntatem peccandi posse excludi *negativè* & *positivè*. Voluntas peccandi dicitur excludi *negativè*, in quantum in aliquo actu humano *non includitur* voluntas peccandi. Et sic voluntas peccandi excluditur *negativè* etiam in somno liberè assumpto, in studio, aut quocunque negotio de se non peccaminoso. *Positivè* autem dicitur voluntas peccandi excludi, quando elicitur actus aut directè detestativus omnis peccati possibilis, aut saltem incompossibilis cum quocunque peccato possibili. Hinc sequitur, in eo actu, quo excluditur voluntas peccandi, non solùm excludi voluntatem peccandi circa peccata actu commissa, sed etiam circa omnia alia peccata, quæ ab homine committi possunt. Si quis enim diceret: *Ego detestor, parricidium à me commissum*, abstrahendô ab aliis peccatis, quæ ab homine committi possunt, talis non diceretur excludere omnem possibilem voluntatem peccandi. Ex quo ulterius sequitur; quod, si quis excludat tantum voluntatem peccandi *absolutam*, non verò voluntatem peccandi *conditionatam*, actualem, virtualem, habitualem, interpretativam, aut saltem possibilem, nec iste quidem excluderet *omnem possibilem* voluntatem peccandi. Manifestum enim est; quod inter omnes voluntates possibiles peccandi sit etiam voluntas seu affectio conditionata peccandi. Itaque nisi homo aut *directè* detestetur *omnem possibilem* voluntatem peccandi, aut eliciat actum incompossibilem cum ulla voluntate peccandi etiam conditionata, non potest dici, quod *positivè* excludat omnem possibilem voluntatem peccandi.

NOTANDUM 6. Quod ubi excluditur omnis possibilis voluntas peccandi, non solùm excludatur omne possibile peccatum commissionis, sed etiam omissionis. Et hinc in voluntate exclusiva omnis peccati necessariò etiam debet excludi omissio dilectionis erga Deum, ut per se patet consideranti.

DICO I. Attritio ex metu inferni, præcisè respectiva ad pœnam sensûs, prout communiter sumitur, non excludit positivè omnem voluntatem peccandi per seipsam, seu per actum suum elicitum.

PROBATUR 1. Si attritio ex metu inferni concepta per actum elicitum excluderet omnem voluntatem peccandi, tunc etiam excluderet *omissionem* primi mandati de amore Dei. Sed hanc omissionem non potest excludere per actum elicitum. Ergo. *Min. prob.* Omissio primi mandati non potest excludi ex motivo timoris. Ergo. *Ant. prob.* Observatio primi mandati non potest fieri ex formali motivo timoris. Ergo illius omissio nec potest excludi ex formali motivo timoris. *Ant. patet* ex natura perfecti amoris, quem omnes Theologi cum D. Thoma asserunt, habere motivum distinctum à motivo timoris servilis juxta illud Joannis Ep. 1. c. 4. v. 18. *Timor non est in charitate, quoniam timor pœnam habet. c. prob.* quia contrariorum eadem est ratio, idem motivum.

PROBATUR 2. Ad hoc, ut dicatur; per ejusmodi attritionem excludi omnem voluntatem peccandi, non sufficit excludi *voluntatem absolutam;* sed etiam excludenda est voluntas *conditionata* peccandi. Sed hoc fieri nequit per actum elicitum ejusmodi attritionis. *Maj. patet* ex ipsa confessione adversariorum, dum ad paritatem ductam à mercatore projiciente merces in mare cum actuali desiderio mercium volentes assignare disparitatem respondent; in attritione deponi affectum etiam conditionatum peccati. *Min. prob.* Deponi voluntatem conditionatam peccandi nihil aliud est, quàm nolle se peccare etiam absente motivo timoris. Sed hoc fieri nequit per actum elicitum ejusmodi attritionis. Ergo. *Min. prob.*

Est

Est impossibile ac Chymæra maxima, ut aliqua virtus dicat, vellem elicere actum ex motivo meo formali etiam absente meo motivo formali. Ergo etiam fieri nequit, ut contritio concepta ex formali motivo timoris dicat; vellem per actum elicitum excludere omne peccatum etiam absente meo motivo formali timoris.

PROBATUR 3. Testimonia Patrum Ecclesiæ, & Patrum Theologiæ Scholasticæ, Conclus. 2. referenda, ostendunt; timorem gehennæ esse compossibilem cum affectu conditionato ad peccandum. Ergo per se, & ex motivo proprio non excludit positivè omnem voluntatem peccandi, etiam conditionatam, aut aliquando præteritam & habitualiter permanentem, aut saltem ponibilem ac possibilem stante tali timore, ac motivo.

DICO II. Attritio ex metu inferni concepta neque excludit omnem voluntatem peccandi per actum imperatum, nisi hic eliciatur ex motivo proprio *filialis timoris initialis* vel amoris initialis.

DIXI *Timoris initialis*; quo termino intelligitur *timor filialis* displicendi Deo, ne incurratur aversio à summo bono, ita tamen, ut licet oculus ponatur *principaliter* ad Deum, ut amittendum; simul tamen etiam *secundariò* ac minus *principaliter* oculus habeatur ad pœnam sensûs à Deo infligendam; prout D. Thomas & alii hos terminos explicant in textibus infra referendis, & jam explicatum est superius quæst. 1. Concl. 2. probat. 4. Pari modo *amor initialis* est voluntas præferendi Deum tanquam summum hominis bonum omnibus bonis creatis, eique præstandi actus essentiales amoris, attamen adhuc debilis & restricta, quia non se extendit ad actus amoris accidentales.

PROBATUR 1. Si attritio ex metu inferni concepta excluderet voluntatem peccandi per actum à se imperatum, tunc ille actus imperatus deberet eam voluntatem excludere ex motivo sibi proprio, distincto à motivo actûs imperantis. Sed hoc fieri nequit sine timore aut amore initiali. Ergo. *Maj. patet.* Quia si actus ab ejusmodi attritione imperatus non ageret ex motivo peculiari sibi proprio, ac distincto à motivo actus imperantis, totus actus ex imperato & imperante compositus esset formaliter actus timoris; & consequenter voluntas peccandi excluderetur per actum elicitum talis attritionis; quod fieri non posse jam in prima Conclusione ostensum est. *Min. prob.* Non est assignabile ullum motivum proprium actûs imperati ab ejusmodi attritione per se & ex proprio motivo excludens omissionem primi mandati, nisi motivum timoris, vel amoris *filialis*. Ergo fieri nequit, ut per actum imperatum talis attritionis excludatur omnis voluntas peccandi sine timore aut amore initiali. *Ant. prob.* Non est assignabile ullum motivum ex quo possit poni observatio primi mandati, nisi solum motivum timoris, vel amoris, *filialis*; Ergo etiam nullum aliud est assignabile motivum excludens omissionem illius mandati, nisi motivum timoris vel amoris filialis, quia, ut dictum est supra, oppositorum, præsertim affectuum animi, eadem est ratio, ac idem motivum formale; sic enim & amoris, & odii erga oppositum, unum idemque motivum est, nempe motivum amoris. Nam quamvis voluntas feratur in malum qua malum, non tamen fertur in illud sine actuali amore oppositi tanquam imperante odium mali oppositi.

PROBATUR 2. Si actus imperatus ab attritione concepta ex metu inferni excluderet voluntatem peccandi ex motivo sibi proprio, deberet etiam excludere *voluntatem conditionatam* peccandi secluso omni motivo boni aut mali creati, ita ut dicat; quamvis nullum metuerem malum pœnæ, nec ullum sperarem commodum temporale distinctum à fruitione Dei, tamen nollem peccare in ullo casu possibili, ne offendam Deum. Sed hanc non potest excludere sine timore vel amore initiali. Ergo. *Maj. patet* ex concessione ipsorum adversariorum, ut supra observatum est *Conclus.* 1. *arg.* 2. *Min. prob.* Nullus actus imperatus ab attritione, & principaliter aut æquè principaliter elicitus simul ex motivo proprio boni vel mali creati potest dicere; ego nihilominus elicerer cessante motivo meo proprio, vel actus imperantis. Ergo voluntas conditionata peccandi, posita sub hac conditione, si non daretur infernus, aut si non daretur aliud motivum boni vel mali creati, non potest excludi per ullum actum imperatum præcise elicitum ex motivo boni vel mali creati.

PROBATUR 3. Dantur innumeri textus Patrum, præsertim S. Augustini & Gregorii M. quibus docent, timore pœnæ *non observari legem*, in abstinentibus à peccato adhuc *vivere peccatum*, non peccantes præcise ex metu inferni adhuc *velle peccare*; *si infernus non esset*; eos abstinere à peccato operis externi, *non cordis*; eos velle *non esse infernum*; eos agere *coactè*, *ac necessitate*, non sponte, non dari medium inter affectum conditionatum peccandi, & inter amorem Dei ac justitiæ, &c. JAM SIC: Formulæ loquendi, & discurrendi, in hac re à SS. Patribus adhibitæ, non recipiunt ullam expositionem Catholicam, tam obviam, tam facilem, & tam adæquatam, nisi dicatur, eos loqui de *peccato habituali* omissionis, qua *habitualiter* omittitur positivus actus ultroneus à metu ex suo motivo essentialiter exclusivus omnis affectûs peccaminosi, etiam conditionati. Ergo debent sic explicari. *Ant. prob.* In omni alia expositione aut elicitur sensus erroneus à Luthero, Bajo & Quesnello expressus, quod talis actus ex timore pœnarum elicitus sit *novum actuale peccatum*, ac consequenter actus inhonestus; qui sensus non potest supponi fuisse intentus à Patribus. Aut elicitur sensus *longè quæsitus* per ratiocinationes ac suppositiones paucis obvias; vel *implicatus* multis *dubiis suppositis*; aut tandem eruitur *sensus*, *in quo non redditur* generalis verosimilis *ratio totius connexionis & systematis* omnium textuum. In nostra autem expositione *per explicationem unius vel alterius termini* hæc omnia obtinentur; quod probatur ex attenta ac indifferente consideratione sequentium textuum.

CONFIRMATUR. In textibus Patrum, qui in sensu obvio videntur referre sensum hæreticum, aut propinquum hæresi, inter omnes expositiones Theologorum aliunde probabiles, illa præse-

præferenda est, quæ plus tribuit verborum emphasi, tantumque quantum salva dnctrina cathnlica tribui potest. Sed hnc fit in nnstra expnsitinne, ubi ejusmodi actus cnusque agitur reus, quantum permittit dnctrina fidei, dum ecoutra ab adversariis totaliter absolvitur.

1. *S. Augustinus* sic scribit: in Concinne 25. in Psal. 118. ait: *Quid sibi vult, quod cum dixisset: Confige timore tuo carnes meas; addit: A judiciis enim tuis timui? Si enim jam timuerat, cur adhuc, ut à timore suo Deus crucifigeret carnes suas, orabat? An addi sibi volebat timorem, ut tantùm timeret, quantum sufficeret crucifigendis carnibus suis, id est, concupiscentiis, affectibusque carnalibus? Est hic altior sensus. Confige, inquit*, timnre tun *carnes meas, hoc est, timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia mea desideria comprimantur. A* judiciis enim tuis timui, *cum mihi lex minaretur pœnam; sed hunc timorem, quo metuitur pœna, consummata charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas*; (habitualis) *quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum verò pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim* (habitualiter) *licere; & dolet non licere, quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter inalum metuit, quod minatur. Timore autem casto carnes crucifiguntur, quoniam carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potius quàm vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur.* Si in hnc textu prn *voluntate peccandi*, & prn *malle* substituatur *habitualis omissio libera actûs positivi excludentis voluntatem peccandi etiam conditionatam* nnn pnsitâ pœnâ, quod fieri nequit nisi amnre saltem initiali, omnia plana & verissima sunt.

2. *Idem* Serm. 18. de verbis Apnstoli c. 8. *Timor id agebat, ne faceres* (mala); *charitas id agit, ne velis facere, etiamsi impunè possis admittere.*

3. Concinne 11. in Psal. 118. *Qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, profectò invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi; ac per hoc legis, quam* (habitualiter) *vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate.*

4. *Idem* in Epist. 144. *Inaniter putat, victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas* (habitualis) *intus est hostis. Et quis coram Deo innocens inventur, qui* (habitualiter) *vult fieri, quod vetatur, si subtrahas, quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate* (habitualiter) *reus est, qui* (habitualiter) *vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est* (habitualiter) *mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique, si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam si posset auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem, vel judicantem ferat. Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit; quod non poterit lege terrente per Litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.*

In his duobus posterinribus textibus S. Augustini bene nbservandum est; qund *omnibus universim* sine ulla exceptione, qui soln timore inferni non peccant, tribuat *voluntatem peccandi conditionatam*; & hanc *voluntatem peccandi conditionatam* asserat esse sequelam illius attritinnis *universalem*, & *per se* per modum prnprietatis inseparabilis connexam, ac enipsn sine mediante alio actu libern cnntingente cnnsequentem ex illa attritinne. Atqui *actualis voluntas conditionata* non habetur *ab omnibus, nec semper*; nec ea *per se* ac *necessariò* sequitur ex attritione concepta nb metum inferni, alioquin foret actus inhonestus & peccaminosus, quod docet Lutherus & Quesnellus. Igitur cum hic sensus errnneus nnn pnssit tribui S. Augustinn, in tnt textibus adeoque præmeditatis hoc adstruenti, saltem sensus expressionibus tam emphaticis nmnium fortissimus, quem sana Ecclesiæ dnctrina sine gravi præjudicio veritatis tolerat, tribuendus est. Nullus autem congruentinr ac fnrtior, majnremque malitiam actûs universalem salva fide exprimens assignari pnteft, quàm si dicatur, per *voluntatem peccandi* à D. Augustinn intelligi *habitualem omissionem liberam actûs positivi*, quo per aliud motivum destrueretur omnis affectus pnssibilis ad peccandum, etiam conditinnatus. Ratin autem, cur ista habitualis nmissin libera à D. Augustinn vocetur *voluntas* peccandi, pnteft esse, quia ipsi, sicut Thomistis, videri pnterat; nullam dari omissinnem puram liberam sine pnsitivn actu vnluntatis, saltem præcedente, & habitualiter permanente. Hinc, cum etiam peccata nmissinnis à Patribus & Theologis adscribuntur voluntati; mirum videri non debet, quòd à S. Augustinn *omissio habitualis libera actûs positivi*, qnn deberet positivè destrui affectus habitualis peccandi etiam conditionatus, vocetur *voluntas peccandi*.

5. *Idem* lib. de Nat. & Grat. c. 57. *Sub Lege est, qui timore supplicii, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate* (habituali) *peccandi. In ipsa enim voluntate* (habituali) *reus est, qua* (habitualiter) *mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè desiderat*, (habitualiter) per nmissionem videlicet habitualem liberam actûs pôsitivi, qun ex alio mntivn universali deberet affectivè destrui etiam pnssibile desiderium cnnditinnatum peccandi. Sicut enim omittens auditinnem sacri, aut restinctinnem incendii, aut gubernationem navis dicitur *velle* transgressinnem; *velle ac desiderare* incendium aut submersinnem navis; ita mirum nnn est, qund D. Augustinus nmissionem liberam habitualem actûs pnsitivi tendentis ad destructionem desiderii cnnditinnati peccaminosi vncet *voluntatem ac desiderium*.

6. *Idem* l. 3. cnntra duas Epistnlas Pelagiannrum c. 4. *Illi* (in V. T.) *terrena promissa sectantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta* (scripta videlicet, Legi naturali superaddita) *servabant. Imo non servabant, sed sibi*

sibi servare videbantur. - Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis. Sic autem praecepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim (habitualiter) *in animo omnino non facere, si secundum ea quae cupit & metuit, permittatur impunè; ac per hoc in ipsa voluntate* (habituali) *intus est reus, ubi ipse, qui praecipit, inspicit Deus.* In hoc textu, tò *mavult*, non sumendum est pro actu positivo affectûs conditionati ad peccandum; hoc enim est erronea doctrina Lutheri & Quesnelli; sed pro habituali omissione libera actûs positivi, quo deberet virtualiter destrui omne desiderium peccati, etiam conditionatum, quale implicitè involvitur in omni peccato mortali, seu abjectione summi boni & finis ultimi contemptu praecedente.

7. *Idem* l. 21. de Civit. c. 16. *Vitia, si vincere consueverunt, laboriosa difficultate superantur. Neque id fit veraciter, atque sinceriter, nisi verae delectatione justitiae. - Tunc vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.*

8. *Idem* l. 2. *C. adversarium Legis* c. 7. *Desiderium peccandi non extinguitur, NB. nisi contrario desiderio faciendi rectè, ubi fides per dilectionem operatur. - Non extinguitur per jubentem Litteram timore poenae, sed per juvantem Spiritum dilectione justitiae.* In hoc textu D. Augustinus satis apertè insinuat, à se malitiam habitualem concomitantem actum puri timoris poenarum constitui non in actu voluntatis positivo, seu desiderio positivo peccandi actualiter aut virtualiter interveniente, prout docent Lutherus & Quesnellus; sed in negatione seu omissione habituali libera actûs positivi, quo deberet destrui omnis affectus etiam conditionatus peccandi, compossibilis cum tali actu timoris.

9. *Idem* de verbis Apostoli c. 6. *Qui timore poenae non concupiscit, puto, quia* (habitualiter) *concupiscit. Terrore ingenti armorum etiam Leo revocatur à praeda, & tamen Leo venit; Leo rediit; praedam non rapuit; non malitiam posuit. - Quid magnum est, poenam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis; quod latro timet leges hominum; tu autem leges ejus times, ejus poenam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus. Latratu canum & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus. Ipse tamen semper est lupus.*

Hae paritates cum propositione generali, quod omnis timore poenae non concupiscens sit concupiscens, forent imperitissimae, si S. Augustinus supponeret aut affirmaret, omnem eum, qui timore poenae non concupiscit, habere affectum positivum conditionatum peccandi; id enim experientiae & veritatibus revelatis repugnat. Itaque si SS. Patres in eo sensu explicandi sunt, qui omnium minimè sanae rationi, & veritatibus praejudicatis, & emphasi verborum, & ordinato ratiocinio repugnat, dicendum; vim argumenti ducti à paritate seu simili, in eo consistere; quod sicut in brutis manet habitualis affectus, objectivè conditionatus, ad praedandum &c. sic in peccatore, qui praecisè ex unico motivo timoris non peccat, maneat habitualis omissio actûs positivi, quo esset excludendus affectus etiam conditionatus peccandi: & quod sicut leo, postquam desperat à consequenda praeda, retinet habitualem affectum praedandi, sic attriti praecise ex metu inferni intelligi debeant habituales peccatores ob omissionem actûs positivi, quo excluderetur ille affectus possibilis, conditionatus peccandi, in praecedenti actuali peccato implicitè inclusus.

10. *Idem* in Psal. 77. ad illa verba v. 10. *In lege cujus noluerunt ambulare*, sic discurrit: *Poterat putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea, quae praecipiuntur, forinsecus fiunt ab eis hominibus, qui* (habitualiter) *mallent non praecipi, quae non ex corde faciunt, & tamen faciunt; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei; sed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit poenae, non dilectione justitiae. Nam quantum ad facta, quae forinsecus aguntur, & qui timent poenam, & qui amant justitiam, non furantur; & ideo pares sunt manu; dispares corde; pares opere, dispares voluntate.* In hoc textu universalis enuntiatio, quod *omnes*, qui operantur formidine solâ poenae, referendi sint in eorum classem, qui *mallent* non praecipi, quae operantur, non esset vera, nisi verificetur saltem generaliter quoad omnes per omissionem actûs positivi, quo esset excludendus omnis positivus possibilis affectus ad peccandum, etiam conditionatus. Neque enim potuisset D. Augustinus prudenter supponere, ab omnibus, qui timore poenae non peccant, haberi *actualem* affectum conditionatum peccandi.

11. *Idem* l. cc. paulo post verba relata. *Non potest esse rectum cor sine Deo, ut incipiant homines non tanquam servi sub lege ambulare metuentes, sed in lege tanquam filii volentes, in qua illi ambulare noluerunt, & sub illa rei remanserunt. Hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet.* In hoc textu S. Augustinus docet, *reos remanere*, quicunque ex motivo solius timoris ambulant, reos videlicet non peccatô commissionis per *actualem* affectum conditionatum peccandi, sed ob *habitualem* omissionem actûs positivi, quo deberet destrui etiam affectus possibilis conditionatus peccandi.

12. *Idem* l. 2. C. *duas Epist. Pelagianorum* c. 9. *Quando timore poenae, non amore justitiae fit bonum, nondum bene fit bonum: nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando* (habitualiter) *mallet homo non facere, si posset impune.* Et lib. de Spiritu & Littera c. 8. *Qui & quicunque faciebant, quod Lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiae, timore poenae faciebant, non amore justitiae, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus* (habitualiter) *malle, si fieri posset impune, committere. Circumcisionem autem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quod non fit littera docente, & minante, sed Spiritu adjuvante atque sanante.* In hoc textu iterum omnis voluntas procedens ex solo timore poenarum refertur ad illicitam concupiscentiam ream, non peccato commissionis; alioquin contineret sensum à Luthero & Quesnello intentum; ergò *peccato habituali* omissionis, quo omittitur actus positivus in esse affectivo destru-

ctivus omnis affectûs peccaminosi possibilis, etiam conditionati.

13. *Idem* Concione 1. in Psal. 32. *Imple legem; quam Dominus non venit solvere, sed adimplere. Implebis enim amore, quod timore non poteras. Qui enim timore non facit malè*, (habitualiter) *mallet facere, si liceret. Itaque etsi facultas non datur, voluntas* (habitualis) *tenetur.* -- *Delectet vos ergo, & rogate Dominum, ut delectet. Dominus enim dabit suavitatem; & terra nostra dabit fructum suum; ut per charitatem impleatis, quod per timorem implere difficile est. Quid dico, difficile est? Non potest adhuc animus :. mallet* (habitualiter) *non esse, quod præcipitur, si ad faciendum amore non ducitur, sed timore coarctatur.* Et in Epist. ad Gal. de Judæis loquens: *Quædam opera Legis implebant, quæ in Sacramentis* (cæremoniis) *sunt, illa verò, quæ ad bonos mores pertinent*, (solo timore) *implere omnino non poterant. Non enim implet ea nisi charitas.* Et quæst. 6. inter 83. *Præcepta Legis per charitatem impleta sunt, quæ per timorem non poterant.* Dum in hoc textu S. Augustinus docet, non impleri legem, nisi amore; & quod sola charitas impleat legem, hoc non sic intelligendum, quod omnis actus humanus observatorius legis debeat esse *formaliter* actualis amor Dei, vel *actualis* charitas, qui sensus est à Quesnello expressus ac intentus; sed in hoc sensu, quod nulla detur perfecta ac meritoria observantia legis, nisi procedat saltem *virtualiter* ex charitate habituali; hoc est, habitu per actum præcedentem amoris à Deo infusi aquisito, per gratiam sanctificantem informato, & *per modum artis*, seu habitûs artificialis, prout D. Thomas loquitur, operativo bonorum operum sine nova reflexione ad motivum amoris, prout fusè ostensum est q. 5. in Tract. *de charitate.*

14. *Idem Enchiridii* c. 117. *Sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, jubere lex poterit, non juvare, & prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim* (habitualiter) *carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* In hoc iterum textu intelligenda est *cupiditas* & *charitas habitualis* in sensu explicato; quatenus videlicet *cupiditas* hoc loco dicit *omissionem habitualem liberam* actûs positivi, quô in esse affectivo deberet destrui omnis possibilis voluntas peccandi, etiam conditionata; quæ *habitualis omissio* non specificat actus nostros honestos, præsertim supernaturales, v. gr. fidei, spei, misericordiæ, &c. sed eos tantùm concomitatur, sicut omissio sacri ex motivo acediæ aliunde præstabilita non inficit nec specificat actum aliàs bonum, v. gr. lectionem pii libri, nec illum reddit peccaminosum mortaliter, prout in Tractatu *de peccatis* ostensum est.

15. *Idem* in c. 5. Epist. ad Gal. *Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur; quod nisi charitate spirituali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratiâ donavit, fieri non potest.* In hoc iterum sermo est de *charitate habituali*, quæ ex præcedente actu amoris per modum habitûs aquisiti, seu artis, in anima relicta est, ut ex ea, tanquam principio operativo, per gratiam sanctificantem informato *virtualiter* sine nova reflexione ad motivum amoris bona opera procedant.

2. S. Gregorius M. l. 1. Mor. c. 27. scribit: *Sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat, cui tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit; quia eo ipso* (habitualiter) *peccat, quò peccare* (habitualiter) *vellet, si peccare inultè potuisset. Rectè ergo, cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam à malo perhibetur; quia dum metum charitas sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur.*

Idem l. 3. Pastor. Admonit. 14. *Admonendi sunt, qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore permaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant. - Nam qui* (primariò) *propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut audacter illicita committat. Unde luce clarius constat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos desiderio peccatur.* Quæ verba Gregorii sic intelligenda sunt, ut desiderio actuali conditionato peccandi peccetur actualiter ab iis, qui sic animo comparati sunt, ut nolint ullum bonum operari, nisi metu pœnarum. Ex hoc tamen inferri debet; eam actualem voluntatem præteritam tamdiu manere habitualiter, donec affectus conditionatus peccandi destruatur positivo actu contrario; qualis non est novus actus timoris.

3. S. Bernardus Epist. 11. de charitate loquens ait: *Puto de illa dictum: Lex Domini immaculata convertens animas; quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui, & mundi avertere possit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum* (habitualem) *nunquam.*

Probatur Conclusio 4. Authoritate D. Thomæ. Hic S. Doctor, prout in omnibus procedit ordinatè ponit *inprimis* definitionem terminorum explicandô, quid intelligatur per nomen *timoris initialis*. Timorem servilem vocat, quo magis timetur pœna, quàm culpa, seu offensa Dei. Econtra timorem initialem vocat, quo magis timetur culpa seu offensa Dei, quàm pœna peccati. Hac explicatione terminorum præmissâ docet; cum timore servili semper conjungi *voluntatem conditionatam peccandi*, non quidem actualem, sed *habitualem* & *radicalem*, quia ex ejusmodi timore prædominante pœnarum *actualis voluntas conditionata* peccandi consequitur connaturaliter per modum affectûs & proprietatis, sicut ex actu formidoloso opinionis per se consequitur actualis formido de opposito, nisi impediatur per actum concomitantem scientiæ. Hinc docet ulterius; ipsam *servilitatem* timoris, seu *habitualem voluntatem peccandi*, si non dареtur pœna, consistere præcisè in concomitante negatione timoris initialis seu amoris initialis, quia hoc solo timore initiali excluditur voluntas conditionata peccandi. Hæc mens D. Thomæ clare elucet ex ejus sequentibus textibus.

1. *Ponit definitionem terminorum.* In 4. dist. 34. q. 2. a. 1. qq. 2. C. ait: *Cum timor in fuga mali consistat; malum autem est pœna & culpæ; erit timor quidam, qui consistit in fuga mali culpæ tantùm, per quam homo*

homo à Deo separatur; scilicet timor castus vel filialis. *Alius autem, qui consistit in fuga mali pœnæ. Pœna autem est duplex. Una pro cujus vitatione peccatum quandoque committitur, sicut sunt temporales pœnæ. Et hanc pœnam refugit* timor mundanus vel humanus. *Alia est, pro cujus vitatione nunquam fit peccatum, sed magis vitatur; sicut pœna quæ erit post hanc vitam. Et hanc pœnam fugit* timor servilis. *Alius autem timor est, qui fugit utrumque malum, pœnæ scilicet & culpæ, scilicet* initialis, *qui habet oculum ad utrumque; & ideo est medius inter servilem & castum.*

2. Docet, quod timor servilis, quà talis ac serviliter sumptus, dicat præcise *negationem*, seu *omissionem* concomitantem dilectionis initialis; atque eatenus involvat habitualem affectum conditionatum peccandi. L. cc. art. 2. qq. 1. C. sic scribit: *Dicitur aliquis aliquid facere timore servili, quod facit coactus metu pœnæ, & per consequens cum tristitia. Mallet enim non facere, nisi pœna timeretur. Patet igitur, quod servilitas ex illa parte consequitur timorem, quo ad aliquid faciendum vel omittendum inclinat. Hæc autem inclinatio non intrat essentiam timoris, sed est effectus ejus. Unde servilitas est accidens timoris & non intrat essentiam ejus. Unde servilis timor secundum essentiam suam est à Spiritu sancto. Sed illa servilitatis conditio, qua includit privationem voluntatis justitiæ, non est à Spiritu sancto.* Et ibid. ad 1. *Quædam sunt à Spiritu sancto, quæ non sunt cum Spiritu sancto: sicut fides informis, & timor servilis; quod quidem non est, nisi propter defectum concomitantem.*

Probatur Conclusio 5. authoritate Alberti M. In 4. dist. 16. art. 7. ad 5. sic scribit: *Timor judicii dicitur dupliciter; scilicet, quod principaliter oculum habet ad judicium; & ille causatur à fide informi; & vivit in eo secundum Gregorium peccandi voluntas; & sequeretur, si speraretur impunitas. Et iste est servilis, & non est in contritione, sed attritione. Sed contritio est timor potius judicis, quàm judicii, qui principalem oculum habet ad vitam æternam, scilicet ad Deum, à quo propter dilectionem horret separari, & ex illa separatione incidere in pœnas judicandorum. Et ille est timor initialis, qui est in contritione. Dicit enim Gregorius: Cum sic pœna timetur, quod facies judicis non ametur, timor ex timore est, non ex amore. Cum autem sic timetur, quod facies judicis amatur, timor ex amore est, non ex timore.*

Idem in 4. Dist. 17. art. 10. *Dicendum, quod hæc quatuor requirantur ad justificationem.* Unum, *quod est agens per habitum, quem creando dat in corde contrarium peccato, & hoc est Deus.* Alterum, *quod est ut disponens & præparans subjectum, & obediens operanti primo. Penes autem dispositiones duo accipiuntur;* unum *penes terminum* à quo, *& hoc est motus liberi arbitrii in peccatum detestando & expellendo ipsum.* Alterum *autem penes terminum* ad quem, *gratiam recipiendo & amplectendo; & hoc est motus liberi arbitrii in Deum. Impossibile est in anima induci gratiam, nisi solvatur mala voluntas tenens peccatum; & hæc non solvitur, nisi moveatur in peccatum & in Deum.* Idem ibidem ad 1. qq. 3. ad 2. testatur, præfatum motum in Deum esse motum dilectionis in Deum. *Motus liberi arbitrii in Deum, & in peccatum compositus est, secundum quod consequitur ex intellectu per fidem illuminato, & per timorem casum fugientem, & amorem spe elevante affectum; & ideo motus in Deum est motus affectionis timentis & amantis, qui supponit fidem ostendentem, quidquid timendum & amandum sit.* Cum ergo Albertus M. in priore textu docuerit, non solvi malam voluntatem, nisi motu isto composito in peccatum, & in Deum, clarum est, quod doceat, voluntatem peccandi non excludi, nisi amore Dei saltem initiali.

Probatur Conclusio 6. authoritate D. Bonaventuræ, qui testatur; timorem servilem semper concomitantem habere aut actualem aut habitualem voluntatem peccandi. In 3. dist. 34. part. 2. dub. 1. C. sic ait: *Dicendum, quod sex differentiæ timoris habent distingui secundum differentiam suarum originum. Timor enim est aut* ex natura, *aut* ex libidine, *sive concupiscentia, aut* ex gratia. *Si est ex natura, tunc est timor* naturalis. *Si ex concupiscentia, hoc est dupliciter. Aut est ex nimio amore sui, sic est* humanus. *Aut ex nimio amore suorum; sic est* mundanus. *Si verò ex gratia, aut ex gratia gratis data, sic est* servilis; *aut ex gratia gratum faciente incboata; sic est* initialis. *Aut est ex gratia perfecta, & sic est* filialis. *Ad illud quod objicitur, quod Magister non ponit nisi quatuor timores, dicendum: quod Magister hic intendit agere de timore dono. Timor autem donum habet quadrupliciter considerari, aut per comparationem ad oppositum quod expellit, & hoc est timor malus, qui opponitur dono Spiritûs sancti, ut* mundanus *&* humanus, *quos Magister non dividit, quia sub una ratione considerat, in quantum videlicet habent oppositionem ad donum timoris. Aut per comparationem ad objectum minus principale; & hoc quidem est objectum minus principale, & hoc quidem est malum pœnæ. Et sic est timor* servilis. *Aut per comparationem ad objectum magis principale, quod quidem est malum culpæ seu offensæ; & sic est timor* initialis. *Aut per comparationem ad objectum maxime principale; quod est excellentia majestatis divinæ; & quantum ad hoc est timor* filialis. Ibidem art. 1. q. 1. C. *Dicendum, quod absque dubio timor servilis est donum Spiritûs sancti. Et ratio hujus est, quoniam sicut donum Dei est, nosse sive credere pœnas futuras, pro eo, quod ibi est quædam cordis illuminatio & directio; sic donum Dei est, illas pœnas refugere & timere, pro eo, quod ex tali dono est quædam cordis emollitio, & fluxus concupiscentialis restrictio, & in hoc quædam rectificatio. Quod innuit Propheta cum dicit: Confige timore tuo carnes meas. Quod non solum fit timore casto, sed etiam servili, quo timentur æterna supplicia, & timetur divina justitia. Et* NB. *propter illorum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione, licet non omnino cesset à voluntate, sicut dicit Glossa. Quod totum est ex divino munere. Ad illud, quod objicitur, quod timor servilis non manet cum Spiritu sancto; posset dici, quod timor servilis, etsi in quantum servilis est, non possit stare cum Spiritu sancto propter annexam imperfectionem, quæ dicit repugnantiam ad statum gratiæ; tamen quantum ad aliquid sui nihil prohibet, ipsum cum Spiritu sancto stare; sicut infra melius manifestabitur.* Cæterum hujus rei explicationem Doctor Seraphicus

subjungit in immediatè subsequente *quæst.* 2. ubi declarat: In timore servili duo reperiri; nempe *actum timoris*, qui adveniente dilectione initiali manet; & *concomitantem habitualem voluntatem peccandi*, seu potiùs *omissionem* actûs destructivi affectionis compossibilis conditionatæ ad peccandum. Itaque l. cc. C. sic scribit: *Ad prædictorum intelligentiam notandum, quod cum dico timorem servilem, duo dico; videlicet ipsum habitum, quo anima disponitur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui prævaricantur, & ulterius nomine servitutis importatur deformitas peccati, quæ annexa est illi habitui in eodem homine, ratione cujus ille homo dicitur esse servus peccati, & timor in eo existens dicitur esse timor servilis. Per hunc etiam modum, cum dico, aliquem timere serviliter, duo dico; videlicet actum ab illo habitu egredientem, & voluntatis servilitatem, sive deformitatem* NB. *concomitantem. Sed attendendum, quod hoc potêst esse dupliciter: Aut ita, quod deformitas illa voluntatis concomitetur quantum ad habitum; aut quantum ad actum. Si concomitatur solùm quantum ad habitum; sic potest esse, quod aliquis serviliter timeat, & tamen motu illo non peccabit; quia si ex recogitatione pœnarum aliquis abhorret offendere Deum, hoc potest præter omne peccatum. Si autem concomitatur in actu, quamvis ipsum timere secundum se non sit malum, tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur; sicut aliquis, qui timet pœnas, & timendo dolet, quod tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa pœna. Et hoc modo timere serviliter est peccatum, & malum. Hoc autem non est semper, cum quis movetur timore servili; alioquin per usum illius doni magis se homo à gratia elongaret, quàm præpararet; quod planè falsum est. Et ideo concedendum est, quod usus timoris servilis potest esse bonus. Ad illud, quod objicitur, quod in timore servili vivit voluntas peccandi; & quod dolet de eo, quod lex vetat; dicendum: quod illud verbum Augustini non intelligitur, quod semper, quando timet, doleat actu, & similiter quod voluntas peccandi semper sit in actu; sed hoc dicit: Quia manet in habitu & radice. Ad illud, quod objicitur:* Timor ex tumore est, non ex amore, *dicendum, quod* ex *non dicit causam, sed concomitantiam; & cum dicit concomitantiam in actu, tunc deformat actum timoris servilis. Cum dicit concomitantiam in habitu, non oportet, quod deformet, sed tamen facit ipsum deficere à meriti perfectione. Ad illud, quod objicitur, quod actus incompossibilis charitati est malus, dicendum, quod aliquis actus potest esse incompossibilis alicui ratione circumstantiæ propriæ, quam habet ex habitu proprio, vel ratione alicujus annexi. Cum ergo dicitur, quod actus timoris servilis est incompossibilis charitati, hoc non est ratione ipsius actus per se & secundum se, quia habens charitatem potest bene timere Deum ratione pœnæ, sed hoc intelligitur ratione annexi, quod facit ipsum deficere à merito charitatis. Ad illud, quod objicitur, quod timere serviliter est timere cum circumstantia peccati, dicendum, quod illa circumstantia sive deformitas peccati potest poni circa actum timendi ratione ipsius actus, vel ratione timentis. Et si ponatur ratione ipsius actus, tunc utique actus deformatur, & efficitur malus ratione annexi. Sed si ita sit, quod ponatur ratione ipsius timentis, sic potest esse, quod actus non sit deformatus, sed quia deformitas est circa timentem, licet secundum illam deformitatem non actualiter moveatur; & propterea non est opportunum, quod timere serviliter semper sit peccatum; imo hoc potest esse utile, & præparatorium respectu gratiæ.* Ex hoc textu Doctoris Seraphici clarum est, quod Sententiæ nostræ Patroni rectè asserant, per attritionem conceptam præcisè ex metu gehennæ excludi voluntatem peccandi *ab actu* attritionis, non verò *ab animo* attriti. Ibidem *quæst.* 3. ubi quæritur, an timor servilis expellatur à gratia, sic respondet: *Cum dico timorem servilem, duo dico: videlicet ipsum donum, & defectum deformitatis eidem dono annexum, non ratione ipsius doni, sed ratione ejus, in quo est. Cum ergo gratia supervenit, expellit ipsum quantum ad defectum deformitatis annexum; non autem in quantum est donum divinitùs gratis datum. Alius dicendi modus est, quod timor servilis omnino expellitur adveniente gratia. Ex his dicendi modis potest elici tertius modus. -- Et propterea possumus dicere, quod timor servilis habet tres conditiones. Unam sicut materialem & substratam; & hæc est timere pœnam æternam. Alteram sicut formalem & completivam; & hæc est principaliter intueri illam pœnam æternam. Tertiam sicut annexam, & hæc est habere voluntatem deformem conjunctam. Cum igitur gratiæ donum superinducitur, timor servilis quantum ad hoc, quod materiale in ipso, manet cum gratia. Quantum verò ad alias duas conditiones pellitur à gratia. Quia cum gratia supervenit, nec principaliter intuetur pœnam, nec habet annexam voluntatem malam.* Ibidem ad 6. *Timor initialis addit supra servilem, quia aufert ei defectum concomitantem, qui est voluntas deformis.* Ex his omnibus D. Bonaventuræ verbis manifestum est, juxta ejus mentem cum timore servili semper concomitari voluntatem peccandi conditionatam, non *actualem*, sed *habitualem*. Præterea ex his ipsis textibus liquet; timori servili servilitatem, seu concomitantem *habitualem* affectum peccandi non detrahi, nisi per timorem seu amorem initialem, quem in sequente Articulo 2. fusè explicat. Idem S. Doctor in 4. dist. 14. art. 1. q. 3. tantùm agnoscit duos modos doloris: *Unum ex motivo naturæ læsæ*, ad quod etiam refert timorem inferni, quamvis supernaturaliter cognitum. *Alterum ex motivo divinæ offensæ.* Et in priore modo dicit, vivere voluntatem peccandi. *Agere pœnitentiam*, inquit, *seu dolere de culpa, est dupliciter; aut propter læsionem naturæ; aut propter offensionem Majestatis divinæ & ipsius justitiæ. Primam pœnitentiam habere quis potest ex sola natura sine aliqua gratia. Sicut enim homo se naturaliter diligit, ita etiam odit omne, propter quod malum incurrit. Sed in hac vivit & regnat mala voluntas, cum sit proprii boni amica. Ideo eam Deus non acceptat, nec quis sic pœnitens invenit veniam.* Ostendendum jam est, quod S. Doctor in hanc classem referat attritiouem ex metu inferni conceptam. In 3. dist. 34. part. 2. art. 1. q. 2. ad 4. sic scribit: *Timor servilis potest habere ortum ex amore naturali* (ex suo genere). *Amor enim naturalis dupliciter dicitur. Uno modo ille, qui est cum ipsa natura plantatus. Alio modo ille, qui est ex naturali affectu & voluntario exercitio aquisitus sine gratiæ dono. Et ex tali amore potest homo peccator seipsum amare, & mala sua fugere sive præsentia sive futura. Et ex tali amore timor servilis habet procedere. Si enim*

homo

homo seipsum amat, ut aquirat salutem, & extimeat æterna tormenta incurrere, talis affectio amoris, quamvis non sit ex charitate, potest tamen esse absque libidine (seu affectu inordinato). *Aliter potest dici, quod timor servilis, cum aliquis timet incurrere æterna tormenta, est ex amore salutis & beatitudinis; & iste amor quantum est de se, non est culpabilis, sed est vel naturalis, vel gratuitus à gratia gratis data, vel gratuitus à gratia gratum faciente; & timor servilis bene potest esse ex amore salutis primo vel tertio modo ex prædictis* Ex his ergo verbis sequitur, quod nisi sit ex gratia gratum faciente, timor servilis sit ex affectu naturali, non obstante quod sit donum, & dependeat à lumine fidei, & à gratia actuali cor emolliente, prout ibidem docuerat q. 1. ad 2.

Idem in 3. p. 2. a. 2. q. 3. ad 5. *Timor servilis principaliter intuetur pœnam; Timor autem initialis non principaliter intuetur pœnam, sed principaliter intuetur divinam offensam.* Et ad 7. *Timor initialis addit super servilem, non solùm complendò, sed etiam distrahendò, quia aufert ei* defectum concomitantem, *qui quidem est voluntas deformis, & conditionem etiam complentem* (seu specificantem in esse timoris servilis) *quæ erat, principaliter intueri pœnam.* Et ad 8. *Timor servilis peccatum habet annexum.* Et ibidem in 3. p. 2. dub. 1. C. *Aliter timor potest quadrupliciter dividi: quia timor aut est* oppositus *simpliciter* dono, *& sic est mundanus & humanus. Aut est donum, tamen* cum opposito *doni. Et sic est timor servilis. Aut est donum cum opposito, tamen* cum quadam approximatione *ad oppositum. Et sic est timor initialis. Aut est donum perfectum. Et sic est timor filialis.* Ex his textibus sequitur; juxta D. Bonaventuram tam in timore initiali, quam in servili, dari aliquid oppositum dono Spiritûs sancti, eo tamen discrimine, quod in timore servili concomitanter detur *habitualis* voluntas conditionata peccandi; quæ non datur in timore initiali. In hoc enim tantùm datur concomitans omissio amoris perfecti, quæ omissio non opponitur dono *contrariè*, nec potest vocari *voluntas peccandi*, utpote de se sufficiens ad recipiendam gratiam sufficientem saltem in Sacramento, aut etiam extra Sacramentum ex speciali misericordia divina.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra dicta in Notando primo. 1. Attritio ex metu inferni concepta involvit voluntatem conditionatam peccandi, si infernus non esset. Ergo non est actus honestus. 2. Attritio ejusmodi oritur ex inordinato amore boni creati tanquam finis ultimi. Ergo est intrinsecè peccaminosa. *Ant. prob.* Omnis timor oritur ex amore boni oppositi ad malum quod timetur; ex altera vero parte illud bonum in attritione non amatur tanquam medium ad finem ultimum. Ergo. 3. Attritio ex metu inferni concepta est actus essentialiter incompossibilis cum perfecto amore Dei. Ergo non potest esse actus honestus. *Ant. prob.* ex 1. Joan. 4. ubi dicitur: *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.* 4. Spiritus timoris est alienus à Spiritu Evangelii. Ergo. *Ant. prob.* Apostolus *Rom.* 8. v. 15. dicit: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* 5. Attritio ejusmodi est proles *ancillæ*, quæ ejicitur. Ergo non est honesta. *Ant. prob.* Apostolus omnes actus humanos in duo genera dividit, quorum unum est *filiorum*, clamantium *Abba Pater* ex amore filiali, alterum vero servorum, qui sunt ex *ancilla*. Gal. 4.

Respondeo

Ad 1. Attritio illa involvit voluntatem peccandi conditionatam concomitanter & habitualiter. tr. formaliter & actualiter. n. a. Fuga enim peccati ex metu inferni non dicit actualem voluntatem peccandi, si infernus non esset; sed præcisè compatitur & secum habet omissionem actûs positivè exclusivi conditionatæ voluntatis peccandi. Et ea omissio non est pars formaliter constitutiva timoris. Itaque ea concomitans omissio est tantùm peccatum *concomitans* timorem; ac solùm *habituale*; quales omissiones habituales concomitantur innumeros actus honestos in peccatoribus, quin reddant eos *ex suo genere* inhonestos. Sic enim lectio pii libri, eleemosina, aut preces, quæ fiunt tempore Sacri, quod ob difficultatem aliqualem viæ omittitur, non fiunt actus inhonesti ob concomitantem omissionem Sacri. Si verò ejusmodi opera bona spectentur in individuo, distinguendum est inter actum in individuo *physico*, & in individuo *morali*. In individuo physico sumitur, prout abstrahit à circumstantiis à se distinctis, quæ actum contrahunt ad esse morale individuum. In individuo physico illa bona opera non fiunt mala ob concomitans peccatum omissionis vel commissionis illicitæ.

Ad 2. n. a. Quamvis omnis timor & attritio fiat ex amore boni creati oppositi malo, quod fugitur; falsum tamen est, quod in illo bono constituatur ratio finis ultimi. Potest enim cum ejusmodi timore consistere timor initialis & amor Dei initialis quo homo principaliter timet culpam,& principaliter amat Deum. Ergo ejusmodi attritus ex suo genere non est ista comparatus, ut constituat rationem finis ultimi in bono creato. Quod si ejusmodi attritus negligat, se & omnia sua ordinare in Deum tanquam finem ultimum, ea concomitans omissio erit quidem peccatum veniale, quia non datur actus indifferens in individuo; sed hoc peccatum concomitans omissionis non inficiet actum de se bonum, *ex suo genere* spectatum, seu, *in suo individuo physico* spectatum; si circumstantiæ actus, quæ tribuunt moralitatem actui, sunt realiter distinctæ ab actu, quod pertinet ad quæstionem magis philosophicam. Benè tamen distinguendæ sunt *duæ omissiones* concomitantes attritionem, nempe *omissio contritionis seu dilectionis perfectæ*, justificativæ in actu secundo, ac infallibiliter; & *habitualis omissio* hujus dilectionis non superaddit actui novum peccatum actuale, nisi quando urget obligatio ponendi contritionem perfectam, prout fit in periculo mortis. Altera omissio actum attritionis concomitans est omissio dilectionis seu timoris initialis. Et hæc omissio est semper peccatum veniale, quia, cum non detur actus indifferens in indivi-

dividuo, homo tenetur semper & pro semper se & omnes suos actus ita ordinare in finem ultimum, ut Deum appretiet & practicè præferat omnibus bonis creatis, sicque in Deo constituat rationem finis ultimi; sicque se reddat capacem justificationis à misericordia divina impetrandæ, quamvis nondum omnia præstet, per quæ certò possit sibi spondere, & Deus teneatur conferre justificationis gratiam. Quamvis autem omissio hujus dilectionis initialis, nisi actualiter aut saltem virtualiter influat in actum, semper cuivis actui superaddat novum peccatum actuale veniale, ipsum tamen actum de se moraliter bonum non ita inficit, ut fiat malus ex suo genere, aut in individuo præcisè physico, prout abstrahit ab aliis circumstantiis moralibus actum concomitantibus, si tamen ordo ad finem ultimum possit esse circumstantia physicè distincta ab actu. Si enim hæc circumstantia individualis in esse morali non potest physicè esse distincta ab actu, prout principiis D. Thomæ conformius est, sistendum est tamen simpliciter in hoc genere locutionis, quod hæc circumstantia individualis consistens in negatione ordinis in ultimum finem, seu in omissione dilectionis initialis, non inficiat nec dehonestet actum *ex suo genere* spectatum.

Ad 3. dist. Talis attritio est essentialiter incompossibilis cum charitate perfecta oppositione præcisè negativa ac defectiva, seu contradictoria. c. positiva, obstativa seu contraria. n. omne imperfectum non est perfectum, quia deficit à perfecto; & sic excludit rationem perfecti *contradictoriè*; non tamen excludit perfectum *contrariè* &*obstativè*, quia potius tendit ad perfectum, & disponit ad perfectum, prout patet ex gradu caloris remisso & intenso. Nam gradus caloris ut duo est contradictoriè incompossibilis cum calore ut septem, supposito quod gradus caloris sint heterogenei. Idem patet in omnibus virtutibus imperfectis, quæ & ipsæ sunt incompossibiles cum virtutibus perfectis in eodem subjecto, saltem naturaliter.

Ad 4. n. a. Apostolus non dicit, spiritum timoris esse alienum à spiritu Evangelii, sed tantum dicit; *spiritum servitutis* esse alienum à Spiritu Evangelii. *Spiritus* autem *servitutis* consistit in servilitate timoris seu in defectu concomitante timorem; nempe in defectu amoris saltem initialis, quo defectu stante actualiter vel saltem habitualiter vellet peccare, si infernus non esset, prout *D. Thomas* & *D. Bonaventura* superiùs relati observant. Sed dempto illo defectu concomitante, à quo specificatur in genere moris ille timor servilis, spiritus timoris adeo non est alienus à Spiritu Evangelii, ut ipsemet Salvator suos etiam Apostolos ad eum adhortetur, Matth. 10. dicens: *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Ad 5. dist. Est proles ancillæ, honestæ tamen, & agnoscentis communem prolis parentem, & recipientis sua munera ab Abrahamo. c. inhonestæ. n. Quamvis enim Ismael ex ancilla conceptus non fuerit hæres, recepit tamen à suo parente munera. Sic & timor servilis, & attritio proles timoris, non pertingunt quidem ratione sui ad hæreditatem, sunt tamen à Deo authore, & disponunt ex suo genere ad perfectiora.

Objicitur 2. contra 2. & 3. Conclusionem.

1. Scriptura testatur; per timorem Dei excludi voluntatem peccandi. Ergo etiam attritio concepta ex timore inferni excludit voluntatem peccandi. *Ant. prob.* Sic enim *Exod.* 20. dicitur: *Venit Deus, ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Et *Ecclesiastici* 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et Psal. 111. *Qui timet Dominum, in mandatis ejus vult nimis.* Et Prov. 8. *Timor Domini odit malum.* Et Prov. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo.* Et Prov. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Et Prov. 16. *In timore Domini declinatur à malo.*

2. Timori Dei adscribuntur omnia bona, quæ non possent illi adscribi, nisi excluderet voluntatem peccandi. Ergo idem asserendum de attritione ex metu inferni. *Ant. prob.* Prov. 14. dicitur: *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* Et Ecclesiastici 1. *Plenitudo sapientiæ timere Deum, & plenitudo à fructibus illius.* Et Eccles. 15. *Qui timet Deum, faciet bona.* Et Eccles. 25. *Non est super timentem Deum.* Et Prov. 19. *Timor Domini ad vitam.* Et Eccles. 23. *Nihil melius est, quàm timor Domini.*

Respondeo

Ad 1. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia *timor Dei* in Scriptura sacra simpliciter dictus, nisi ex circumstantiis & subjecta materia restringatur ad objectum timoris servilis, semper sumitur in tota sua latitudine, & in significatione plena, prout involvit *omnem timorem*, quem Deus meretur, quo Deus timeri potest. Itaque *timor Dei* simpliciter dictus involvit etiam *timorem castum*, aut *initialem*, quem monstrabat David dicendo: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Psal. 50. Hoc timore frequenter concussit suum populum comminandò, se projecturum prævaricatores à facie sua. Sic dicitur 4. Reg. 20. *Projecit Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, donec projiceret eos à facie sua.* Et 4. Reg. 24. *Irascebatur Dominus contra Jerusalem & contra Judam, donec projiceret eos à facie sua.* Et 1. Paralipp. 28. *Si dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* Job. 8. *Deus non projiciet simplicem.* Et Job. 32. *Deus projecit eum, non homo.* Et Psal. 30. v. 23. *Dixi: projectus sum à facie oculorum tuorum.* Et Psal. 70. v. 9. *Ne projicias me in tempore senectutis.* Et Psal. 76. v. 8. *Nunquid in æternum projiciet Deus.* Et Psal. 79. *Quousque irasceris? ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Et Isa. 2. v. 6. *Projecisti populum tuum.* Et Isa. 51. v. 20. *Filii tui projecti sunt, pleni indignatione Domini.* Et Jerem. 6. v. 30. *Argentum reprobum vocate eos; quia Dominus projecit eos.* Et Ibid. 7. v. 15. *Projiciam vos à facie mea. - Projecit Dominus & reliquit generationem furoris sui, quia fecerunt malum in oculis meis, dicit Dominus.* Et ibid. 23. v. 33. *Projiciam vos, dicit Dominus.* Et ibid. 52. v. 3. *Furor Domini erat in Juda; usquequo projiceret eos à facie sua.* Hujusmodi textus ostendunt, in V. T. objectum & motivum timoris explicitum, quod substabat attentioni hominum, non tam fuisse pœnas sensuum, quàm indi-

indignationem Dei, & exclusionem à paterno Dei amore, quæ exclusio à paterno amore vel amicitia Dei, in quantum jam ratione sui est & considerabatur tanquam maximum ac acerbissimum malum, haud dubiè erat motivum partiale saltem doloris, & quidem ordine appretiationis virtualis principale, licet forte simul respexerint ad pœnas temporales. Ex quo patet, timere Deum in genere ac indefinite longè aliud esse, quàm præcise timere pœnas inferni; ibi enim timetur indignatio Dei ut mala in se absolutè & in imperfectis simul etiam relative ad universitatem malorum, damni & sensûs. Econtra in posteriore timore tantùm timetur malum determinatum sensûs, quà tale, sine respectu principali ad pœnam damni.

Ad 2. dist. ut prius. Timori *filiali* & *casto*, aut *initiali* adscribuntur omnia bona. tr. servili tantùm. n. a. Nisi enim adsit timor saltem *initialis*, quo simul cum pœnis timetur indignatio Dei, & projectio ab ejus facie, seu paterna dilectione ac gratia, non est super omnia æstimandus, & compendium bonorum, prout ibi in Scriptura dicitur. Hoc autem discrimen inter timorem Dei, & timorem pœnarum etiam observarunt Doctores Ecclesiæ, & Patres Theologiæ Scholasticæ. Sic enim Albertus M. in 4. dist. 16. art. 7. ad 5. dicit: *Timor judicii dicitur dupliciter; scilicet, quod principaliter habet oculum ad judicium, & ille causatur à fide informi, & vivit in eo secundum Gregorium peccandi voluntas, & sequeretur, si speraretur impunitas; & iste est servilis; & non est in contritione sed attritione. Sed contritio est potius timor judicis quàm judicii, qui principalem oculum habet ad vitam æternam scilicet ad Deum, à quo propter dilectionem horret separari, & ex illa separatione incidere in pœnas judicandorum. Et ille est tantùm* initialis, *qui est in contritione. Dicit enim Gregorius, cum sic pœna timetur, quod facies judicis non ametur, timor ex timore est, & non ex amore. Cum autem sic timetur, quod facies judicis amatur, timor ex amore est, non ex timore.*

Objicitur 3. contra eandem. Etiam Concilia & Patres docent, per timorem inferni excludi voluntatem peccandi. Ergo. *Ant. prob.* 1. Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 8. dicit: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit.* Ergo supponit, per metum inferni à peccatis abstineri posse.

2. Idem Concilium Sess. 14. c. 4. declarat: *Attritionem, quæ ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, donum Dei esse* &c. Ergo iterum supponit, per talem attritionem excludi voluntatem peccandi.

3. Catechismus Tridentini expressè adscribit timori exclusionem voluntatis peccandi pro priori ad suppositionem dilectionis erga Deum. Ergo. *Ant. prob.* Part. 2. c. 5. n. 7. sic scribit: *Præterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate proposita animus à peccatis revocatur. Huc deinde accedit spes impetrandæ à Deo misericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare constituimus. Postremò charitate corda nostra accenduntur, ex quo liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur.*

Respondeo n. a.

Ad 1. dist. a. Dicit hoc Tridentinum de aliqua attritione, ac restrictivè ad qualificatam dilectione initiali. c. de omni attritione & ampliativè. n. Quod enim Tridentinum non omni attritioni conceptæ ex metu inferni attribuat eam exclusionem peccati, patet ex Sess. 14. c. 4. ubi de eadem attritione loquens ait: *Si voluntatem peccandi excludat.* Itaque non est verum; quod omnis attritio ex metu inferni eam voluntatem excludat; neque est verum; quod ea exclusio sit proprietas essentialis talis attritionis, sicut lux est proprietas solis, prout Author *Discussionis Theologicæ* c. Le Nrox fol. 302. existimat. Proprietates enim essentiales non tribuuntur subjecto *sub conditione*, sed absolutè; neque dicimus; sol sua præsentiâ causat diem, si est luminosus, si est illuminativus, si est causa necessaria lucis. Si ergo voluntas peccandi non excluditur ab omni ejusmodi attritione, duo exinde consequuntur; *primò*, quod talis voluntas non excludatur ab ejusmodi attritione per actum elicitum timoris, quia si excluderetur per actum elicitum, excluderetur vi sui motivi proprii, quod est essentiale omni tali attritioni; consequenter ea exclusio foret proprietas essentialis ejusmodi attritioni. *Secundò* quod talis voluntas neque excludatur per actum imperatum sine concursu alterius motivi generalis; quia si non accederet aliud motivum, ipse actus imperatus esset formaliter actus talis timoris; adeoque iterum ea exclusio esset essentialis tali attritioni. Ergo manifestum est, in hoc textu Tridentini particulam relativam, *quæ*, sumi *restrictivè* ad aliquam attritionem qualificatam, quæ videlicet sua peculiari adnexione alterius motivi voluntatem etiam conditionatam peccandi explicitè aut implicitè, positivè tamen, excludat. Sicut si dicimus, *argentum, quod est septies purgatum*, commendatur in Scriptura. Non quod omne argentum sit purgatum septies, & propterea commendatum; sed quod prædicatum restringatur ad argentum in propositione illa incidente peculiariter qualificatum.

Ad 2. dist. a. Dicit, si voluntatem peccandi excludat accessione alterius motivi distincti à metu gehennæ. c. a. ex motivo proprio sine accessione alterius motivi. n. a. Si enim Tridentinum supponeret, à metu inferni in tali attritione per se ac necessariò excludi voluntatem peccandi, ridiculè apponeret particulam conditionalem *si*, ut dictum est.

Ad 3. dist. Timore à peccatis revocatur inefficaciter, ac impulsivè. c. formaliter, efficaciter, ac elicitivè. n. Si enim timor ratione sui sufficeret ad revocandum efficaciter à peccatis, cur primùm hoc spei adscribitur, quod vita & mores emendentur? Vel dist. sic: Timor revocat à peccatis per modum gratiæ actualis suadendô, excitandô, impellendô. c. per modum causæ ipsam revocationem efficacem efficiendô, ac eliciendô. n.

Objicitur 4. In attritione concepta ex metu inferni excluditur etiam affectus conditionatus peccandi. Ergo. *Ant. prob.*

1. Si non excluderetur affectus etiam conditionatus peccandi, ipse actus esset inhonestus, sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Qui non excludit, sed concomitatur furem, est particeps criminis. Ergo.

2. Exclusio etiam affectûs conditionati ad peccandum est medium absolutè necessarium ad evitandum infernum. Ergo voluntas efficax vitandi infernum est eopsò exclusiva omnis affectûs etiam conditionati ad peccandum.

3. Actus attritionis est separabilis à voluntate illa conditionata peccandi, si infernus non esset. Ergo attritio ex metu inferni non essentialiter ac necessariò continet voluntatem conditionatam peccandi. Si autem eam non necessariò includit, præsumendum est, eam aut semper aut saltem ordinariò excludi; cum quilibet velit infernum fugere modo meliore, quo potest.

RESPONDEO. dist. a. In attritione excluditur affectus conditionatus peccandi ab ipso actu attritionis. tr. ab animo attriti. *subdist.* excluditur ab animo attriti exclusione negativa. c. positiva. n. a. Sensus distinctionis est, quod nec ipse actus attritionis, nec animus attritus dicat actuale desiderium conditionatum peccandi; sed uterque se habeat tantùm negativè, & abstractivè; eam voluntatem conditionatam nec actu eliciendo, nec illam positivè excludendo, sed compatiendo. Ad hoc autem, ut peccator dicatur recedere à peccato, requiritur actus detestationis positivus, excludens positivè omne genus affectûs peccaminosi tam conditionati quàm absoluti, hoc est, ex sua natura ac intrinsecè incompossibilis cum quocunque possibili affectu peccandi tam conditionato quàm absoluto; prout superius ex verbis D. Bonaventuræ, & D. Thomæ ostensum est. Ex his enim ista distinctio deprompta est.

Ad 2. Inprimis *retorqueo* in actu dilectionis perfectæ, quæ in casu necessitatis, ubi non potest suscipi Sacramentum, etiam est medium necessarium ad vitandum infernum; & tamen non potest elici præcisè ex motivo inferni.

RESPONDEO autem directè, dist. a. Exclusio affectûs conditionati est medium necessarium ponibile ac intendibile ex alio motivo. c. a. ponibile ac intendibile ex ipso motivo talis attritionis. n. a. Esset enim chymæra, si quis diceret: cessante motivo timoris inferni tamen agam ex motivo timoris inferni. Ergo evidens est; quod si quis velit positivè excludere voluntatem conditionatam peccandi, debeat habere hunc modum tendendi: cum ex solo metu inferni non possim evitare infernum, excitabo omnes meas potentias, ut confiderent bonitatem Dei, & motiva amoris; sicque sine respectu ad pœnas eliciant actum amoris.

Ad 3. dist. Actus ille attritionis est separabilis à voluntate conditionata peccandi in homine justo. c. in peccatore *subdist.* Est separabilis interveniente alio motivo. c. non interveniente. n. a. Ex dictis enim constat: in homine peccatore cum illa attritione semper concomitanter poni in animo attriti omissionem habitualem liberam actûs positivi ex sua natura incompossibilis cum affectu possibili conditionato peccandi; quod tamen requiritur, ut dici possit, excludi omnem voluntatem peccandi.

DICES 1. Potest timor inferni imperare actum positivum, in proximo instanti vel alio tempore ex alio motivo eliciendum, quo positivè excludatur affectus etiam conditionatus peccandi. Ergo voluntas exclusiva peccati etiam conditionati ad peccandum debet adscribi ipsi timori inferni. In antecedente non apparet implicantia. c. *prob.* Valor actus imperati debet adscribi actui imperanti. Ergo. *Ant. prob.* Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati; præsertim in moralibus. Sic enim, si Petrus suo famulo imperet dare eleemosynam, actus famuli imperatus adscribitur imperanti.

RESPONDEO dist. a. Timor inferni potest imperare talem actum, exclusivum affectus conditionati ad peccandum, *liberum arbitrium excitandò, ac suadendò.* c. liberum arbitrium pro instanti proximo *necessitandò.* n. Cum enim unus actus liber non possit cogere liberum arbitrium, ut pro instanti subsequente non agat liberè, manifestum est, quod actus præcedens non possit influere in actum subsequentem, nisi liberum arbitrium *excitando, pulsando, inclinando, & suadendò.* Qui autem liberum arbitrium præcisè *excitat; pulsat, inclinat,* aut *suadet,* participat quidem aliquid de merito operis, non tamen meritò sibi totum opus aut primarium fructum adscribit. Sic enim Concionator, qui adhurtandò populum ad eleemosynas, & alia bona opera excitat, immeritò hæc omnia bona opera in solidum in thesaurum suorum meritorum transcriberet. Nec est paritas cum Hero & famulo; quia formale constitutivum ejusmodi actus misericordiæ, quod est volitio subveniendi indigentibus ex bonis propriis soli Hero in solidum appropriandum est.

DICES 2. Spes piscandi pinguem hæreditatem potest imperare actuale propositum ineundi post aliquot dies contractus sponsalitii, vel alterius contractus proficui. Ergo etiam timor inferni potest imperare efficax propositum, post horam eliciendi actum positivum exclusivum affectus etiam conditionati ad peccandum.

RESPONDEO c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia motivum spei ingreditur etiam actum imperatum, videlicet ipsum contractum sponsalitium; ita ut actus ille imperatus possit elici ex unico motivo spei etiam tempore præsente. Itaque nil refert, sive illum actum respiciat pro tempore futuro, sive pro tempore præsente. Econtra actus positivus exclusivus affectus conditionati ad peccandum non potest de præsenti elici ex unico motivo timoris inferni, prout ostensum est. Itaque neque poterit à solo timore ex motivo proprio unico respici in tempus futurum.

DICES 3. Possum mane in meditatione ex solo motivo honestatis habere propositum efficax, post duas horas ad S. Communionem eliciendi actus trium virtutum Theologicarum. Ergo etiam timor inferni potest habere propositum; in proximo instanti, die, mense, vel anno eliciendi actum dilectionis erga Deum, exclusivum omnis affectus etiam conditionati ad peccandum.

candum. Atqui tale propositum est actus positivus exclusivus omnis affectus conditionati ad peccandum. Ergo. *Antecedens* subsumpti *prob.* actuale propositum placendi Deo per actus amoris practicos est actualis amor Dei. Ergo etiam actuale propositum annexum Timori inferni eliciendi suo tempore actum dilectionis exclusivum affectus conditionati ad peccandum est actus positivè exclusivus omnis affectus conditionati ad peccandum.

Respondeo tr. a. & c. n. a. subsumpti. Sicut enim propositum emendationis aliquando suscipiendæ non est actualis emendatio, ita propositum eliciendi aliquando actum exclusivum affectus conditionati ad peccandum non est actualis exclusio. *Ad probationem.* c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est; quia actualis amor Dei neque ratione *objecti*, neque ratione *motivi* dicit aliud, quam actualem affectum amicitiæ erga Deum, qui affectus exprimitur per voluntatem seu propositum placendi Deo per actus amoris practicos. Econtra actualis exclusio affectionis conditionatæ ad peccandum dicit motivum distinctum à motivo timoris, quod motivum non reperitur in proposito elicito unicè à motivo timoris. Si enim hoc propositum esset tantum imperatum animo *suasivè* & *excitativè*, sicut superius explicatum est, ita ut propositum eliceretur ex alio motivo positivè exclusivo omnis affectus conditionati ad peccandum, eoipso haberetur dilectio saltem initialis, quia non est assignabile aliud motivum exclusivum ejusmodi affectus conditionati, nisi motivum amoris, ut ostensum est.

Dices 4. Affectus conditionatus ad peccandum ne quidem excluditur per ipsum motivum dilectionis. Ergo non est necesse, ut ille affectus conditionatus excludatur etiam à timore inferni. *Ant. prob.* Etiam stante motivo dilectionis verum est dicere, non fore eliciendum actum dilectionis, si non daretur Deus, seu motivum dilectionis. Ergo.

Respondeo n. a. *ad prob.* dist. Verum est dicere, non existente Deo non fore eliciendum actum dilectionis, ita ut in ea hypothesi nec esset possibilis actus humanus contrarius Deo, ac peccaminosus c. ita ut foret possibilis. n. a. Si enim non daretur Deus, non daretur actus humanus respectivus summi boni; adeoque pro ea hypothesi non potest dari affectus conditionatus ad peccatum *theologicè* tale. Aut siquis pro ea hypothesi, si non daretur Deus, actu haberet affectum conditionatum ad aliquid repugnans rectæ rationi; manifestum est, quod non consideret Deum tanquam objectum & motivum amoris sed solum tanquam motivum timoris, quo cessante non duceretur ex motivo universalis justitiæ convertibilis cum Deo, sed liber metu ageret, quod luberet. Et talis affectus conditionatus, cum tacitè optet non dari Deum, eoipso esset actuale peccatum; idem enim est, ac si diceret; si non daretur Deus, agerem contra rectam rationem; quæ tendentia, utut quoad modum tendendi conditionata reipsa tamen est actualis ac gravis deordinatio rationis.

Objicitur 5. Si attritio ex metu inferni non excluderet omnem voluntatem peccandi, eoipso redderetur vitiosa ex circumstantia. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. patet;* quia alioquin incideretur in errores Lutheri & Quesnelli. *Maj. prob.* Juxta Thomistas & D. Thomam omnis actio redditur vitiosa ex circumstantia omissionis culpabilis, v. g. eleemosyna, oratio, aut lectio pii libri, peracta tempore, quo urget obligatio audiendi Sacrum. Ergo etiam attritio redderetur vitiosa ex concomitante culpabili omissione actus destructivi affectus conditionati ad peccandum.

Respondeo n. *Maj. ad prob.* dist. Omnis talis actio redditur vitiosa in individuo. tr. ex suo genere. n. Sicut enim omnis actus humanus, ut ut ex suo genere bonus, v. g. recitatio Breviarii, cantus in Choro, redditur in individuo vitiosus, si tantum fiat ex consuetudine, & non ordinetur in finem ultimum saltem virtualiter; ita etiam omnis humana actio, v. g. actualis formido inferni, si nullo modo saltem per dilectionem initialem ordinetur in finem ultimum, est vitiosa in individuo; ita tamen ut ipsa actio de se bona non vitietur ex suo genere & quoad substantiam. Aliud enim est ipsa actio bona; & aliud est ipsa omissio concomitans. Aut si quis contendat, vitiositatem circumstantiæ ingredi ipsam entitatem actus; respondeo; non esse absurdum, in uno indivisibili realiter actu, v.g. datione eleemosynæ ex intentione simul pia, & simul ex intentione vanæ gloriæ, reperiri rationem meritoriam & demeritoriam, prout in Tract. de Actibus humanis ex D. Bernardo ostensum est.

Objicitur 6. Non datur affectus conditionatus peccandi in attritione concepta ex metu inferni. Ergo attritio excludit omnem affectum peccandi. *Ant. prob.* Non datur affectus conditionatus sub conditione impossibili impossibilitate absoluta in omni providentia, sed talis foret ille affectus conditionatus. Ergo. *Min. patet;* quia in nulla providentia aut hypothesi possibili peccati potest dari negatio inferni. *Maj. prob.* Non potest dari seria promissio sub conditione physicè impossibili; v. g. si digito cœlum tetigeris. Ergo neque potest haberi affectus conditionatus sub conditione absolutè impossibili.

Respondeo n. a. *ad prob.* dist. *Maj.* Non datur talis affectus conditionatus practicus. c. speculativus. n. *Maj.* Apud Deum non solum rea est affectio conditionata *practica*, tendens in objectum ut possibile, sed etiam *speculativa*, seu sola complacentia optativa circa objectum intrinsecè prohibitum, quale est, non obedire Deo. Hinc patet etiam responsio ad *probationem.* Omnis enim promissio est tendentia *practica* circa objectum saltem in aliqua hypothesi possibile, quæ tendentia *practica* seriò non potest dari circa objectum physicè impossibile.

Objicitur 7. Actus attritionis ex metu inferni concepta excludit voluntatem peccandi ab actu attritionis. Ergo eandem etiam excludit ab animo attriti. *c. prob.* Quando infidelitas per actum fidei excluditur ab actu fidei; eadem excluditur etiam ab animo credentis. Ergo à pari, quando actus attritionis &c.

Respondeo tr. a. n. c. *ad prob.* c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia, sicut supra respon-

respondi circa amorem conditionatum, sublata veracitate Dei non daretur nec posset dari infidelitas. Itaque talis infidelitas chymærica non debet excludi per actum fidei.

OBJICITUR 8. Actus procedens ex metu objecti conformis ad inclinationem aut approbationem agentis non fovet voluntatem habitualem ac conditionatam ad oppositum. Sed talis est attritio procedens ex metu inferni. *Maj. patet*; quia talis actus non est actus agentis *inviti*, aut secundum quid *involuntarii*, qui non libenter vellet habere illud objectum timoris. *Min. prob.* Attritus approbat providentiam Dei ordinantis pœnas inferni ad absterrendos peccatores à peccatis; ac consequenter non vult, eas pœnas non esse; sed vult eas esse, ut absterreatur à peccatis. Alii hoc argumentum aliter proponunt, dicendò: Solum metum *à creaturis* incussum tollere *voluntarietatem* seu *spontaneitatem* actus; non verò eam tolli per metum *à Deo* incussum, utpote ultrò volitum & approbatum à quavis creatura rationali.

RESPONDEO tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. Attritus approbat hanc providentiam Dei ex motivo distincto à metu gehennæ, & convertibili cum dilectione initiali. c. indistincto & non convertibili. n. Si enim ipse infernus, & ipse metus inferni, & Decretum Dei circa infernum placent & approbantur; clarum est, quod hæc omnia sint objectum materiale illius complacentiæ approbativæ. Itaque debent placere & approbari ex motivo aliquo formali distincto, & ex fine quodam distincto ab ipso motivo ac fine timoris; alioquin ipsa complacentia illa approbativa esset potius objectum materiale reflexum ac medium *volitum ex motivo* timoris, & *ex fine timoris*, quod est devitatio malorum pœnæ. Aliud autem objectum ac motivum formale illius complacentiæ approbativæ ostendi non poterit, quam malum culpæ Theologicæ ut fundans indignationem & aversionem Dei ab anima, quod motivum est convertibile cum motivo dilectionis initialis.

DICES. Imprimet Patroni adversæ sententiæ fatentur; cuicunque attritioni inesse interpretativam dilectionem ultimi finis. Sic enim scribit Author Discussionis Theologicæ p. 4. punct. 2. n. 13. f. 293. *Inde venit, quod S. Augustinus & alii Patres à nobis optime contententur, quandoquidem semper & cuilibet honestè metuenti gehennam insit saltem interpretativa dilectio ultimi finis, ac amor mandatorum & legis.*

RESPONSIO dist. Admittunt talem dilectionem, chymæricam, consistentem cum omissione actus destructivi affectus conditionati ad peccandum, aut non reperibilem nisi in paucissimis attritis. c. verè talem & reperibilem in omni attrito ex metu inferni. n. a. Evidens est, quod attriti ex metu inferni aut non habeant plerumque eam approbationem positivam inferni, aut si eam habent, plerumque eam non habent *pro objecto & motivo formali*, sed pro objecto *materiali*, hic & nunc assumpto tanquam medio ad effugiendum infernum; ita ut tacitè dicant; quia non possum evitare infernum, nisi approbem & velim infernum, ideo ex metu inferni approbo & volo esse infernum; quò positò redditur in idem; quod cessante hoc motivo formali non reperiatur actus positivus absolutus exclusivus positivè omnis affectionis conditionatæ ad peccandum. Addo, si hæc complacentia approbativa inferni absoluta non est essentialis attritioni, eoipso contingenter illi inest vel non inest. Si contingenter inest, non omni inest. Si non omni inest; non potest ratione illius attritioni universim ac indefinite in materia Dogmatica adscribi voluntas exclusiva omnis affectionis etiam conditionatæ ad peccandum, utpote cui ea non conveniat per se ac essentialiter.

OBJICITUR 9. Hæc doctrina convenit cum doctrina Lutheri damnata à Leone X. Ergo. *Ant. prob.* In Serm. *de Pœnitentia*, ex quo desumpti sunt *articuli* à Leone X. proscripti Lutherus sic scribit: *Contritio duplici via paratur, scilicet per discussionem, collectationem, detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos in amaritudine animæ suæ, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possent tristitiam & dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam & magis peccatorem, quia solum timore præcepti & dolore damni id facit; & tales omnes indignè absolvuntur, & communicantur; & si liberè deberent remoto præcepto & minis pœnarum, confiteri; certè dicerent, sibi non displicere illam vitam. Imo quo magis timore pœnæ & dolore damni conteruntur, eo magis peccant & afficiuntur peccatis suis, quæ coguntur, non autem volunt odisse.*

RESPONDEO n. a. ad probationem dist. a. Dicit hoc Lutherus, asserendò, ipsum actum attritionis *ex suo genere* continere inhonestatem & malitiam actualem. c. præcisè asserendò, attritionem ejusmodi præcisè in individuo continere inhonestatem propter omissionem ordinis debiti in finem ultimum. n. Contrarium patet ex ejus verbis comparatis cum textibus D. Thomæ, & D. Bonaventuræ supra relatis, in quibus expressè adstruunt, ejusmodi concomitantem defectum seu omissionem habitualem, ita tamen ut non inficiat, aut vitiet honestatem actus attritionis, quem comitatur, *ex suo genere spectati.*

OBJICITUR 10. Doctrina S. Augustini formalissimè coincidit cum doctrina Lutheri, nisi loquatur S. Doctor de timore inferni *serviliter servili*, seu habente actualem intentionem peccandi, si infernus non esset. Ergo authoritas S. Augustini non debet adduci pro Conclusione. Ita Author *Discussionis Theologicæ* l. cc. n. 7. f. 290. usque 302.

RESPONDEO n. a. & suppositum, idem esse; *timorem serviliter servilem*, & *timorem cum actuali voluntate peccandi, si infernus non esset.* Nam, prout supra ex D. Thoma, & D. Bonaventura vidimus, *timor serviliter servilis* quoad suum formale constitutivum non consistit in actuali voluntate peccandi, si infernus non esset, sed consistit præcisè in eo; quod primariò ac principaliter habeat oculum ad pœnam, & quod habeat concomitantem defectum seu omissionem dilectionis initialis. Si itaque D. Augustinus *de omni timore serviliter servili* affirmat, quod habeat volunta-

luntatem peccandi, & quod vellet infernum non esse, manifestum est, quod in omni timore habente principaliter oculum ad pœnam, & habente concomitantem omissionem dilectionis initialis lateat voluntas conditionata peccandi; non actualis; ergo habitualis. Idem sensus D. Augustini patet etiam ex aliis duobus argumentis. Nam si D. Augustinus loqueretur *de timore serviliter servili* in eo sensu, quod timor serviliter servilis sit ille, qui habet annexam actualem voluntatem conditionatam peccandi, si infernus non esset, ejus propositiones forent identicæ, ac ridiculæ, utpote quarum prædicatum jam importaretur explicitè ex parte subjecti. Esset enim hic sensus: In eo, qui habet actualem voluntatem conditionatam peccandi, vivit voluntas peccandi; & sic timens, ut velit infernum non esse, vult infernum non esse. Cum ergo hæc sint absurda, manifestum est, per timorem serviliter servilem intelligendum esse præcise eum qui habet principalius oculum ad pœnam, quam ad culpam, seu, qui habet concomitantem omissionem dilectionis initialis, prout S. Thomas, & S. Bonaventura explicant. Alterum argumentum est; quia si juxta adversariorum expositionem explicarentur propositiones D. Augustini; illæ non forent universales ac indefinitæ, sed tantum particulares, & restrictæ ad subjectum valde limitatum. Esset enim hic sensus: *Aliquis singulariter malitiosus*, qui inter alios mille honestè timentes infernum, eo modo extraordinario timeret infernum, ut actu velit peccare, si infernus non esset, aut qui actu vellet, infernum non esse, talis adhuc gereret voluntatem peccandi. Cum ergo evidens sit; propositiones D. Augustini esse indefinitas, ac consequenter, cum versentur in materia necessaria, cui æquiparatur materia Dogmatica, eas esse universales, falsa erit ea D. Augustini. Nec sequitur, D. Augustinum coincidere cum Luthero in nostra expositione; quia Lutherus docuit, attritionem ex metu inferni conceptam ex suo genere esse vitiosam, quod nec D. Augustinus nec nostra expositio admittit. Vitiositas autem duplex tali attritioni solum accidit concomitanter. Una videlicet habitualis, quæ consistit in *habituali omissione* dilectionis perfectæ altera quæ attritioni accidit in individuo ex *actuali omissione* virtualis ordinis in finem ultimum. Illa prior omissio vocatur habitualis, quia non addit attritioni novum peccatum actuale. Neque enim peccator tenetur omni momento elicere contritionem seu dilectionem perfectam, hoc est, infallibiliter justificativam. Altera omissio vocatur actualis; quia addit attritioni in individuo spectatæ novum peccatum actuale concomitans, videlicet omissionem debiti ordinis in finem ultimum. Cum enim non detur actus indifferens in individuo, manifestum est, in omni actu humano urgere obligationem, ordinandi hunc actum in finem ultimum, quæ ordinatio non habetur, nisi per dilectionem saltem initialem, prout dictum est in Tract. de Virtutibus Disp. 8. q. 2. Cæterum, quod D. Augustinus non reprehendat sed potius commendet metum inferni ex suo genere, imò etiam in individuo physico spectatum, abstrahendo à circumstantia omissionis concomitante, patet ex ejus duobus sequentibus textibus: 1. Tractatu 9. in Joan. scribit: *Timor quasi præparat locum charitati; sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Si nullus timor; non est, qua intret charitas.* Et Serm. 18. de Verbis Apostoli: *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo; ardere timeo; in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? male times? vane times? Non audeo. Quandoquidem & ipse Dominus ait: Eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis. Ita dico vobis; hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & repetendo verbum comminationem ingeminaverit; dicturus ego sum? male times? Ista non dicam. Plane time. Nihil melius times. Nihil est, quod magis timere debeas. Sed interrogo te; si te non videret Deus, quando facis; nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Inspice teipsum. Faceres? Si faceres; ergo pœnam times; castitatem nondum amas; charitatem nondum habes; serviliter times; formido est mali; nondum dilectio boni. Sed time tamen; ut ista formido custodiat te; ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis; continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Custodiat te timor iste, dum non facis timendo, & veniat charitas. Timor enim id agebat, ne faceres. Charitas id agit, ne velis facere, etiam si impune possis admittere.* Ex quibus ultimis verbis explicantur antecedentia; dum ait, cohiberi timore *animum interiorem*, continetur animus interior à voluntate *actuali absoluta* peccandi; sed non purgatur ab omissione actus positivi excludentis omnem affectum etiam conditionatum peccandi possibilem. Aliud enim est, quod absolutus affectus peccandi actu non detur; aliud est, quod conditionatus non sit compossibilis eum actu timoris. D. Augustinus per verba posteriora affirmat; conditionatum esse compossibilem. Ergo solum in verbis immediatè præcedentibus intelligendus est de affectu peccandi absoluto, quod excludatur ab *animo interiore*. Ratio est, quia, ut dictum est, foret chymæra; ex metu inferni excludi voluntatem etiam pro hypothesi, quo cessaret hoc motivum; quia actus formaliter sub hac tendentia conditionata spectatus non haberet motivum.

QUÆSTIO III.

Utrum attritio ex metu inferni concepta sine vera Dei dilectione initiali sufficiat ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam?

NOTANDUM I. A plerisque Theologis, qui defendunt simpliciter, in Sacramento Pœnitentiæ sufficere attritionem ex metu inferni conceptam, admitti necessitatem alicujus *dilectionis initialis*, vel ut alii vocant, *virtualis*, *interpretativæ*, seu *amoris spei*. Verum, si bene eorum verba ponderentur, patebit, ab iis non admitti verum actum dilectionis, qui pertineat quoad substantiam ad virtutem *charitatis* potius, quam spei; seu ad substantiam mandati primi ac maxi-

 mi

mi de amando Deo super omnia. Id colligitur ex proprietatibus, quas illi suæ dilectioni initiali subjiciunt. Nam 1. non concedunt, eam *dilectionem initialem* convenire quoad substantiam seu essentiam actus physicam cum amore Dei perfecto, prout tamen id affirmant D. Thomas cum Theologis antiquis, & modernis plurimis. 2. Docent quoad rem, eam suam *dilectionem initialem* posse elici ex unico motivo timoris inferni considerati præcise quoad pœnam sensus, aut ex motivo spei circa gloriam accidentalem. 3. Docent; eam *dilectionem initialem* identificari cum proposito observandi mandata suo tempore, quo urgebit eorundem obligatio; ita tamen, ut illud propositum observandi mandata circa actus internos, v. g. dilectionis Dei, vel proximi, nondum possit dici actualis dilectio, actualis observatio illorum mandatorum, actuale exercitium illorum mandatorum. 4. Docent, eam *dilectionem initialem* potius consistere in *actu concupiscentiæ* seu *desiderii* ad vitam æternam, qui actus ab ipsis vocatur *dilectio* seu *amor spei*, quia existimant, omne desiderium summi boni pertinere ad virtutem spei; amorem autem Dei perfectum consistere formaliter in puro amore benevolentiæ erga Deum sine admixtione commodi seu interesse proprii. 5. Eoipso quod dilectio initialis requisita tantum consistat in *amore spei*, seu *concupiscentiæ*, non verò in amore benevolentiæ, quidam nuperus author scribere ausus est, ad attritionem in Sacramento Pœnitentiæ, ac consequenter ad *dilectionem initialem* requisitam non requiri propositum placendi Deo per actus amoris practicos mandato dilectionis proprios. Ex authoribus oppositæ sententiæ, qui admittunt in Sacramento Pœnitentiæ necessitatem *dilectionis initialis*, aut *virtualis* in sensu explicato, adducam verba *P. Josephi Mayr*, *P. La Croix*, & *P. Antonii Mayr*. P. JOSEPHUS MAYR in Thesibus Theologicis editis Ingolstadii anno 1716. sub titulo: *Quæstiones Theologicæ de Contritione*, quæst. 9. num. 38. sic scribit: *Etsiamsi transmittatur, aliquam dilectionem Dei necessariò requiri ad justificationem etiam in Sacramento, tamen verba illa* (Tridentini) DILIGERE INCIPIUNT *non necessariò intelligi debent de dilectione formali ac perfecta, sed intelligi possunt etiam de dilectione virtuali & imperfecta, seu* INITIALI, *cujusmodi dilectio est ipsa etiam attritio ex metu pœnæ æternæ concepta; tum quia per se est dispositio aliqua saltem remota ad dilectionem formalem etiam benevolentiæ; tum propter universalem ordinem ac relationem virtutum omnium ad Deum, tanquam ultimum finem, & ad amorem illius seu charitatem, quæ est* FORMA OMNIUM VIRTUTUM; *tum denique, quia includit propositum saltem virtuale implendi totam legem, cujus* PLENITUDO EST DILECTIO, *& servandi omnia præcepta, inter quæ præcipuum est præceptum diligendi Deum. Denique, etsiamsi verba illa intelligenda essent de dilectione etiam formali, tamen non necessariò intelligenda sunt de dilectione seu amore* BENEVOLENTIÆ aut AMICITIÆ, *quo Deum amamus propter se, quique saltem partialiter procedat ex motivo charitatis perfectæ; sed intelligi possunt de amore etiam* CONCUPISCENTIÆ, *seu de actu aliquo* SPEI THEOLOGICÆ, *quo nimirum desideramus & amamus Deum non ut bonum in se, sed ut bonum nobis, scilicet ut Remuneratorem, Auxiliatorem, Largitorem gratiæ, & ut Concilium loquitur,* TANQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM, *illius præcipue, de qua Concilium ibi agit, scilicet ipsius justificationis; cujusmodi amor ac desiderium juxta communem Theologorum prærequiritur ad omnem justificationem etiam in Sacramento Pœnitentiæ; prout videtur colligi ex eo, quod in iis Scripturæ locis, quibus Concilium Doctrinam suam confirmat, nulla prorsus fiat mentio amoris benevoli, aut dilectionis Dei propter se. In idem fere recidit, si cum Gormaz & aliis dicatur; dilectionem, quam Concilium ad justificationem requirit, præscindere ab eo, utrum sit solus* AMOR SPEI, *vel amor etiam charitatis; & hanc quidem ad justificationem requiri extra Sacramentum; illam verò sufficere in Sacramento.* Hucusque P. Josephus Mayr. P. LA CROIX l. 6. p. 2. dub. 2. n. 792. sic scribit: *Ut attritio ad justificationem disponat, debet esse quædam* INCEPTIO DILECTIONIS DEI, *ut habet Trid. Sess. 6. c. 6. Item debet esse conversio ad Deum; quia cum peccatum sit aversio à Deo, qui iterum ad Deum non convertitur, non habet veram pœnitentiam; sed si non attingat suum motivum cum aliquo respectu ad Deum, non poterit dici conversio ad Deum.* Et n. 837. *Quando Trid. Sess. 4. c. 4. dicit; hominem per fidem, spem,* INCHOATAM DILECTIONEM, *detestationem peccati, disponi ad justificationem in baptismo, loquitur de dispositione proxima.* Et n. 840. *Tridentinum non requirit actum, quo perfectè diligamus, sed quo incipiamus perfectè diligere; atqui incipimus perfectè diligere per actum cujuscunque virtutis, quo Deum ut ultimum finem nobis concupiscimus. Unde Tridentinum non dicit, nos debere incipere diligere Deum tanquam summum bonum in se, sed* TANQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM, *id est, gratiæ nobis dandæ; sicque diligimus Deum ut nobis bonum. Ergo cum omnis nostra attritio fit spes, vel fundetur in spe; etiam est actus, quo incipimus diligere Deum.* Hucusque La Croix. P. ANTONIUS MAYR in Theologia edita Ingolstadii 1732. de Pœnit. Disp. 1. q. 2. n. 150. sic scribit: *Permisso etiam quod Concilium* (Sess. 6. c. 6.) *loquatur de necessariis ad Sacramentum, non tamen sequitur, quod exigat actum charitatis super omnia; quia tantum exigit dilectionem Dei initialem, &* PARTICIPATIVAM, *qualis est quilibet actus virtutis, ut ait Esparza, qui ait: Omnes aliæ virtutes participant aliquid à charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.* Et n. 151. DICES: *Ergo etiam fides in eo, qui Deum odio habet, erit initium dilectionis.* RESPONDEO. OMITTO (hoc est, transmitto) *illatum in dicto sensu. Ubi tamen nota, quod talis habens fidem cum odio Dei, non possit dici diligere Deum; quia actus fidei in iis circumstantiis odii Dei non potest tribuere denominationem diligentis. At verò si fides sit in aliis circumstantiis, & disponat remotè ad dilectionem, potest dici initialis dilectio Dei, & pariter potest attritio dici initialis dilectio, quia & ipsa disponit ad dilectionem.* — *Juxta hanc Responsionem* NEGO *primam partem Minoris; cum etiam timor gehennæ sit amor, seu dilectio Dei initialis. At secundam partem distinguo. Requiritur dolor ex dilectione Dei, qua sit strictè actus charitatis.* NEGO MINO-

MINOREM. *Quæ tantum sit initialis, & aliquo modo participativa charitatis.* CONCEDO. *Respondere potest 4. cum Haunoldo, Gormaz & aliis, ad justificationem intra Sacramentum tantum requiri aliquam dilectionem Dei, sive dein sit charitatis & benevolentiæ, sive saltem spei & concupiscentiæ. Ut enim supposito, actus Spei Theologicæ in se continet duas formalitates, nimirum fiduciæ, & desiderii. Desiderium autem non est aliud, quam amor objecti. Potest autem amor spei, qui est amor concupiscentiæ, seu tendens in rem ut nobis bonam, ferri tam in bona creata, quam in ipsum Deum, tanquam beatitudinem nostram objectivam. Et sic possumus diligere Deum, ut fontem omnis justitiæ seu largitorem gratiæ, condonatorem peccati, fontem gratiæ sanctificantis, & reddentem nos capaces beatitudinis, qua ratione diligimus Deum ut nobis bonum.* Ita P. Mayr, qui eadem in illa quæstione repetit v. gr. 154. 166. 168. 176. 178.

Fusius tamen hæc recensenda erant; ut exactè intelligeretur adversariorum mens, dum tot textus Scripturæ & Conciliorum & Patrum termino *dilectionis initialis* eludunt. Patebit enim ex dicendis; quod, dum centum illis objiciuntur textus ex Scriptura & Patribus de necessitate amoris erga Deum, omnes illi textus ab ipsis eludantur honesto nomine dilectionis initialis, ita tamen, ut sub nomine dilectionis ad salutem necessariæ nil aliud quam *actum spei*, aut *observantiam mandatorum aliorum ex metu inferri* intelligant.

NOTANDUM 2. Per *amorem Dei initialem* intelligi amorem Dei imperfectum, qui, licet per modum dispositionis congruæ sufficiat ad impetrandam à Deo in Sacramento justificationis gratiam, nondum tamen ea perfectione est præditus, ut extra Sacramentum illi debeatur certò ac infallibiliter gratia justificationis. Ea enim infallibilitas remissionis extra Sacramentum solùm habetur per amorem Dei ex toto corde, ac totis viribus, & per propositum satisfaciendi Deo pro offensa per satisfactionem rigorosam, quantam humanæ vires permittunt, prout dicetur in quæst. 4. Hinc amor Dei justificativus extra Sacramentum debet se extendere ad plures actus amoris, nempe etiam accidentales. Discrimen inter dilectionem Dei *initialem*, & dilectionem *perfectam* juxta D. Thomam non consistit in *actu elicito*, sed tantum in *actu imperato*. Actus *elicitus* tam dilectionis initialis, quam perfectæ consistit in eo, quod Deum tanquam summum suum bonum omnibus bonis creatis practicè præferat, eique actus omnes essentiales amoris exhibere cupiat. Ad hoc autem actus amoris elicitos pertinet etiam *timor initialis*, & *castus* seu filialis, quo principaliter timetur *separatio à Deo*, seu *culpa* & *offensa Dei*, tanquam separativa à Deo. Itaque amor Dei initialis, & amor Dei perfectus *quoad substantiam actus*, seu quoad actum elicitum non differunt. Verum *quoad actus imperatos* distinguuntur. Nam amor Dei *perfectus* nullum actum imperat, nisi *ex unico motivo* consequendi summum bonum, eique placendi in omnibus actionibus. Econtra amor Dei *initialis* suos actus quidem imperat *ex motivo principali* consequendi summum bonum & fugiendi omnem gravem culpam, seu offensam, separativam à summo bono, quia tamen adhuc secundariò ducitur inordinato amore temporalium, & timore pœnarum sensibilium, non rarò imperat actus inordinatos, procedentes ex ejusmodi amore vel timore inordinato, utut reservata semper habituali, vel actuali intentione, nihil agendi, quod possit separare à Deo. Hanc esse ideam D. Thomæ circa dilectionem initialem, & perfectam, patet ex iis, quæ scribit de *timore initiali*, & *timore perfecto*. Nam timorem esse ejusdem naturæ cum amore, & ejusdem rationis, non semel declarat. Sic in 3. dist. 34. q. 1. a. 1. qq. 3. ad 3. ait: *Timor Dei est amor Dei, non essentialiter, sed per causam, quia amor est causa timoris.* Et 1. 2. q. 113. a. 5. ad 1. *Dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet, prosequi unum oppositorum, & refugere aliud. Et ideo sicut ad charitatem pertinet, diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo.* Cum ergo D. Thomas *amorem* & *timorem initialem* ad eandem virtutem referat, videamus, quomodo timorem initialem à timore casto, seu perfecto distinguat. In 3. dist. 34. q. 2. qq. 2. C. sic scribit: *Cum timor in fuga mali consistat; malum autem sit duplex; pœnæ & culpæ; erit timor quidam, qui consistit in fuga mali culpæ tantum, per quam homo à Deo separatur, scilicet timor castus vel filialis. Timor autem, qui fugit utrumque malum, pœnæ scilicet, & culpæ, est timor initialis, qui habet oculum ad utrumque.* Ibid. ad 2. *Timor servilis & initialis eandem pœnam respiciunt; sed servilis timor tanquam principale objectum; initialis autem non; sed magis malum culpæ.* Et ibid. a. 3. qq. 2. C. *In quolibet dictorum timorum est considerare duos actus. Unum principalem, quem timor elicit. Alius est secundarius, quem timor imperat, scilicet facere vel dimittere hoc vel illud propter fugam illius mali, cujus est timor. Timor ergo initialis, quantum ad primum actum non differt à timore casto; quia timere pœnas æternas non est actus timoris initialis, sed compatitur secum istum actum, sicut & timor castus. Sed actus timoris initialis est timere separationem, sicut & casti, quamvis non ita perfectè. Sed in secundo actu different timor castus & initialis; quia initialis non solum imperat actum aliquem vel omissionem actus propter separationem, sed etiam propter pœnam, quod non contingit in timore casto, qui ad solam separationem oculum habet.* Et ibid. ad 2. *Timor initialis & castus dividuntur ratione perfectionis vel imperfectionis in actu elicito, & quantum ad motivum in actu imperato, ut dictum est.* Et ibid. qq. 2. C. *Timor initialis & castus sunt idem in substantia habitus. Differunt tamen accidentaliter, ut dictum est.* Ita D. Thomas, qui, dum explicavit timorem initialem, per hoc ipsum explicavit dilectionem Dei initialem. Ex omnibus autem dictis sequitur; quod dilectio initialis quoad substantiam conveniat cum dilectione perfecta, inquantum utraque Deum tanquam suum ultimum finem ac summum bonum præfert practicè omnibus bonis creatis, eique vult exhibere omnes actus essentiales amoris, quibus non positis sequeretur separatio à summo bono. In hoc ergo dilectio initialis cum perfecta convenit; & hoc ad præsentem quæstionem sufficit. Quomodo enim dilectio initialis & perfecta differant, exactius discu-

discutietur in Quæst. 4. & 5. Simpliciter autem *Dilectio initialis* definiri potest quod sit *constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiæ practicos.* In hac definitione, quæ semper præ oculis habenda est, licet non exprimatur reflexe motivum amoris, directè tamen per se involvitur.

NOTANDUM 3. Hæc duo valde inter se diversa esse; *attritionem ex metu inferni conceptam non sufficere sine dilectione initiali;* &: *attritionem, ad hoc ut sufficiat, debere procedere ex motivo dilectionis initialis.* Priorem propositionem in hac quæstione defendo. Alteram propositionem nisi addatur; quod debeat procedere ex motivo dilectionis *saltem virtualiter*, non defendo. Ratio est, quia dilectionem initialem magis refero ad *propositum* annexum attritioni, quam ad ipsam *attritionem.* Nam attritionis nomen dicit *dolorem* satis explicitum *de præterito;* econtra propositum dicit dispositionem animi *circa futurum.* Dico proin; in Sacramento pœnitentiæ ex *parte propositi* animum pœnitentis sic debere esse comparatum, ut Deum præferat omnibus creaturis, ut velit ei placere, quo modo id exigit natura amoris & amicitiæ; & quod displicentiam constantem habeat de offensa Dei, qua tali. Et quamvis hæc displicentia de offensa Dei qua tali *explicitè* tantum respiciat peccata vitanda *de futuro; virtualiter* tamen ac *implicitè* respicit etiam peccata commissa de *præterito*, ita ut omne ejusmodi propositum sit *virtualis* detestatio peccatorum etiam de præterito ex motivo dilectionis initialis. Sed quia hæc propositio: Attritio debet procedere *ex motivo dilectionis*, videtur nunc ex usu importare motivum *explicitum*, & non tantum *virtuale*, abstinui ab hac secunda propositione. Ex quibus patet, meam, quam pono sententiam, in modo explicandi posse videri inter extremas mediam.

NOTANDUM 4. In hac re cuivis liberum esse tuêri sententiam affirmativam aut negativam. Ita declarat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in suo libro, *de Synodo Diœcesana*, edito Romæ 1748. ubi l. 7. c. 13. sic scribit: *Ex Concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa attritio, quæ ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. — Contritionem imperfectam visum est Scholasticis vocare attritionem. Porro ex multiplici capite potest hæc contritionis imperfectio dimanare. Primo loco valde imperfecta est contritio, quæ non est supernaturalis, sed unicè movetur ab objecto naturali. — Imperfecta pariter est contritio, quæ ab aliquo duntaxat peccatorum genere, non ab omnibus, voluntatem avertit. — Alia est contritio supernaturalis & efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus aliis nominibus dicitur imperfecta, & in quam unicè cadit controversia, quam proposuimus. Et primò quidem potest contritio esse imperfecta, imperfectione merè negativa, quia scilicet licet concipiatur ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur contritio perfecta, ad istius tamen intensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, & remissa. Secundò dicitur imperfecta, quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, hoc est, dilectum, non quatenus est in se summè bonus, sed quatenus est bonum nobis, seu quatenus est nostra felicitas, beatitudo, & finis ultimus. Tertiò & plerumque nomine contritionis imperfectæ intelligitur dolor de peccatis, unicè conceptus atque elicitus, propter eorundem turpitudinem, aut solum metum pœnarum & gehennæ absque ulla Dei dilectione. Verum hæc eàdem contritio imperfecta potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur cum aliquo amore Dei initiali, quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nondum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est, explicare hunc amorem initialem, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu. Ac proinde hæc quarta species contritionis imperfectæ videtur fere coincidere cum prima ex enumeratis, neque in alio ab ea differre, nisi quod illa sit ex solo charitatis motivo, hæc verò ad mixtum etiam habeat timorem pœnarum. His positis, quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam satis esse contritionem imperfectam, quam jam tunc attritionem nuncupabant, attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis aliunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei, sicuti testatur doctissimus Morinus l. 8. c. 4. n. 2. — Cum itaque versemur in quæstione ab Ecclesia hactenus non definita, caveant Episcopi, ne in suis Synodis, aut in Instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum pœnitentiæ sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate. Adhuc quippe subjudice lis est: adhuc impune pro una & altera sententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus Theol. Tom. 3. sententiam propugnavit non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ assequendam. Hac ipsa in Urbe typis recusum est Opus* CLAUDII FRASSEN, *inscriptum:* SCOTUS ACADEMICUS; *cujus author defendit, attritionem ex solo metu pœnarum esse sufficientem dispositionem ad Sacramenti pœnitentiæ fructum in se derivandum. Contra verò Cardinalis Denoff in sua Instructione Pastorali aliqualem amorem in attritione requirit, ut sit sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia. Franciscus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit Dissertationem, in qua totis viribus conatus est demonstrare necessitatem aliqualis amoris Dei, saltem imperfecti & initialis, &* PETRUS LAMBERTUS LE DROU, *Episcopus Porphyriensis, Apostolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem pervulgatam vidisset Dissertationem, à Rivio exaratam, in qua author decertat pro sufficientia attritionis, omnis charitatis expertis, eidem statim se contradictorem præbuit, aliisque editis Dissertationibus nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam. Hinc rectè intulit* BERTI *Theol. Tom. 7. l. 34. c. 5. nihil hactenus à Sede Apostolica de hac quæstione decisum, sed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi & docendi, quam maluerit. Sed non ideo prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut pœnitentes ad veram & perfectam contritionem hortentur & excitent.*

excitent. Id siquidem faciendum suadent etiam præcipui authores, qui pro sufficientia doloris ex solo metu gehennæ steterunt. Et quod magis est, id fieri præcipit Rituale Romanum, cui consonat Argentinense. Hucusque SS. D. N. Benedictus XIV. referens sententias & explicationes Theologorum utriusque sententiæ, qui his temporibus novissimè scripserant, quamvis nec genuinam notionem amoris amicitiæ, nec illius efficaciæ per extensionem ad actus practicos tradiderint.

DICO. Attritio concepta ex solo metu inferni sine dilectione initiali non sufficit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.

PROBATUR 1. Attritio concepta ex solo metu inferni non excludit positivè omnem possibilem voluntatem peccandi. Ergo non sufficit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. *Antecedens patet* ex dictis in quæstione præcedente, ubi ostensum est; peccandi voluntatem habitualem, si non daretur infernus, compossibilem esse cum ejusmodi attritione. *c. prob.* Non decet, ut Deus alicui suam amicitiam offerat, nisi promittat, se *nunquam* facto, verbo, aut etiam solo affectu peccaturum. Ergo etiam non sufficit ad gratiam in Sacramento impetrandam, nisi pœnitens positivè excludat omnem possibilem voluntatem seu affectionem peccandi, etiam conditionatam.

PROBATUR 2. Præceptum diligendi Deum obligat pro eo momento temporis, quo homo, etiam barbarus, incipit aquirere usum moralem rationis. Ergo multo magis obligat pro eo momento, quo homo peccator post vitam gratiæ perditam à Deo petit resuscitari ad novam internam vitam gratiæ. *Antecedens* est D. Thomæ, & fere omnium Theologorum. D. Thomas 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3. sic scribit: *Dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere, sed à peccato omissionis prædictæ* (qua omittit, *seipsum secundum quod in se est, ordinare in debitum finem, quod pertinet ad charitatem) non liberatur, nisi quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti, est, quod cogitet de ipso, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me; & ego convertar ad vos.* Zach. 1. Nemo non videt; hæc omnia multò magis urgere in peccatore, qui est in actuali conversionis negotio, & rogat, Deum denuo ad se converti per amicitiæ pristinæ amorem, infundendum per gratiam sanctificantem. Similia habet S. Thomas q. 28. de veritate, a. 3. ad 4. ubi ait: *Cum quilibet teneatur peccatum vitare; & hoc fieri non possit, nisi præstito sibi debito fine; tenetur quilibet, cum primò suæ mentis est compos, ad Deum se convertere, & in eo finem constituere.* Quod autem seipsum totum ordinare in Deum, sit proprius actus dilectionis, ANGELICUS multis in locis declarat. Sic in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6. dicit: *Non oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, sed sufficit, quod aliquando actualiter omnes fines (particulares actionum) in finem ultimum referantur, sicut fit, quando aliquis cogitat, se totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Quia quandocunque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum.* Et ibid. dist. 38. q. 1. a. 1. C. *Quia res referuntur in finem ultimum mediante fine proximo, ideo secundum diversitatem finis proprii efficitur diversa relatio rerum ad finem ultimum. Sic ergo dicendum est, quod sicut rerum omnium unus est finis ultimus, scilicet Deus, ita & voluntatum omnium est unus ultimus finis, scilicet Deus. Nihilominus tamen sunt alii fines proximi; & si secundum illos fines servatur debita relatio voluntatis in finem ultimum, erit recta voluntas; si autem non; erit perversa. Debita autem relatio voluntatis ad finem ultimum salvatur; secundum illum finem, quo voluntas nata est, ultimum finem participare, & hic est charitas* (in hac vita) *vel beatitudo* (in altero). Et 1. 2. q. 114. a. 4. C. *Vita æterna in fruitione Dei consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur à charitate.* Ex his ergo patet, quod ordinare seipsum in finem ultimum dicat ordinationem charitatis.

PROBATUR 3. Nemo potest justificari, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, nisi seipsum ordinet in finem ultimum; nisi Deum tanquam summum bonum velit practicè præferre omnibus bonis creatis, si alterutro carendum esset; & nisi velit exhibere actus essentiales amoris atque amicitiæ, ubi eos occasio, & sana ratio exegerit; sed hæc voluntas est actualis dilectio Dei initialis. Ergo nemo potest justificari sine dilectione initiali. *Min. patet* ex definitione dilectionis initialis, quæ data est *Notando* 2. & ex verbis D. Thomæ proximè relatis; & CONFIRMATUR specialiter quoad tertium. Propositum exercendi actus essentiales justitiæ, misericordiæ &c. est actualis virtus *justitiæ, misericordiæ* &c. Ergo etiam propositum, exhibendi Deo actus essentiales amoris, est actualis dilectio Dei. *Ant. patet*; quia justitia nil aliud est, quam *constans & perpetua voluntas, cuique tribuendi jus suum.* Misericordia nil aliud est, quam *constans & perpetua voluntas subveniendi proximo indigenti.* Hinc eatenus circa actus internos, qui habentur in proposito, verum est illud Senecæ: *Quodcunque imperavit sibi animus, impetravit.*

PROBATUR 4. Ea ipsa virtus pœnitentiæ, quæ exigebatur jure naturæ in statu legis naturæ & in lege Moysaica adoptata est à Christo in materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ. Sed virtus pœnitentiæ jure naturæ requisita essentialiter exigit dilectionem Dei initialem; Ergo etiam materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ essentialitor exigit dilectionem initialem. *Min. patet* ex ipsa confessione adversariorum; ipsimet enim fatentur, quod in Veteri Testamento, in quo tamen vigebat lex timoris, nullus fuerit justificatus sine amore Dei. *Maj. prob.* ex D. Thoma, qui 3. p. q. 84. a. 7. C. sic scribit: *Dicendum quod in hoc Sacramento actus pœnitentis se habet sicut materia. Materia verò etiam in aliis Sacramentis præexistit à natura, ut aqua* (in Baptismo) *vel ab arte, ut panis* (in Eucharistia). *Sic ergo hujus Sacramenti materia præexistit à natura. Sed quod homo hoc vel*

illo modo pœnitentiam agat, est ex institutione divina. Et ad 1. *De jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis. Sed sicut alia, quæ sunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinæ, ita etiam & pœnitentia.* Et ad 2. *Dicendum, quod ea, quæ sunt juris naturalis, diversimodè determinationem accipiunt in Veteri & in Nova Lege, secundum quod congruit imperfectioni Veteris Legis, & perfectioni Novæ.* Post hæc verba D. Thomas infert; quod propterea Confessio, tanquam expressio doloris interni, fuerit in Veteri Testamento imperfectior utpote magis generalis, quam in Novo Testamento.

Confirmatur 1. D. Thomas agnoscit; nullam aliam determinationem circa materiam necessariam Sacramenti factam esse, nisi quod externa doloris contestatio per confessionem requiratur expressior ac distinctior. Ergo natura doloris interni relicta est à Christo invariata sine nova determinatione.

Confirmatur 2. Si in Veteri Testamento Deus requisivit ad justificationem actum dilectionis, & Christus determinando modum virtutis pœnitentiæ tantum requisivit attritionem ex metu gehennæ, sequitur, quod Christus virtutem pœnitentiæ jure naturæ requisitam mutaverit in dispositionem animi eminenter imperfectiorem; sed hoc non potest dici; quia ut D. Thomas in adducto textu testatur; ea, quæ jure naturæ ad pœnitentiam requiruntur, accepisse determinationem à Christo, *prout congruit imperfectioni Veteris Legis, & perfectioni Novæ.*

Confirmatur 3. Si in Veteri Lege omnes fuerunt à peccatis actualibus justificati per dilectionem Dei, & in Nova Lege omnes possunt justificari sine dilectione per solam attritionem ex metu inferni, sequitur, rectius vocari Vetus Testamentum *Legem amoris*, & Novum Testamentum *Legem timoris*. Sed hoc est absurdum, & repugnat communi sensui SS. Patrum, & Ecclesiæ, prout patebit ex textibus infra adducendis.

Probatur 5. Si homo posset justificari sine dilectione initiali, & dein sic justificatus sine actu dilectionis subita morte præoccupatus moreretur, sequeretur, quod Deus talem hominem tanquam amicum, sponsum, & filium adoptivum complecteretur amore suo divino amicitiæ, sponsalitio, & paterno in tempore & in æternitate sine amore reciproco. Sed hoc non decet divinam sapientiam, nec convenit cum Decretis divinis. Ergo. *Antecedens* quoad *primum membrum* patet ex dictamine naturæ etiam in humanis, dum nemo amore amicitiæ, aut sponsalitio aut adoptivo hominem adultum rationis capacem sapienter complectitur, nisi in quo supponit reciprocum amorem. Quoad secundum autem membrum id patet ex Scriptura, ubi Deus tantum declaravit, se dilecturum diligentes se. Sic Joan. 14. v. 21. dicitur: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Et Prov. 8. *Eg diligentes me diligo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me.* Et Sapientiæ 7. *Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat.* Quales autem cultores sapientiæ Scriptura intelligat, explicatur Ecclesiastici c. 3. his verbis: *Filii sapientiæ Ecclesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio.*

Confirmatur. Si talis attritus sine dilectione initiali post absolutionem moreretur, de eo salsificaretur, quod fides & spes evacuetur, charitas autem sola maneat in patria. Sed hoc non potest dici, quia repugnat communi sensui SS. Patrum & Theologorum, qui eam oppositionem faciunt inter tres virtutes Theologicas, quatenus sunt virtutes elicitæ, seu actus humani. Et probatur ex illo Apostoli 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive scientia destruatur. Cum venerit perfectum, evacuabitur, quod ex parte est. Maj. patet*; quia talis attritus nunquam elicuisset actum charitatis, quæ in ratione virtutis aquisitæ, & habitualiter permanentis posset manere in patria. *Neque possunt adversarii dicere*; in patria mansuram *charitatem habitualem infusam*; quia ipsi per charitatem habitualem infusam non intelligunt simul etiam dilectionem hominis erga Deum, prout nos intelligimus; sed tantum dilectionem Dei erga hominem.

Probatur 6. Communis sensus fidelium & constans traditio Ecclesiæ usque ad Sæculum XVI. semper judicavit, & major pars fidelium etiam nunc judicat; dolorem in Sacramento pœnitentiæ eliciendum esse sub hac vel consimili formula: *De his & omnibus aliis meis peccatis doleo, quod Deum summum bonum offenderim.* Certè hanc formulam docentur pueri in Catechismo. Sed hæc formula continet dilectionem initialem. Ergo. *Min. patet* ex definitione dilectionis initialis; quia prout ex D. Thoma in *Notando* 2. dictum est; timor initialis, ac consequenter etiam dilectio initialis, est ille, qui magis habet oculum ad malum culpæ, quam ad malum pœnæ. *Timor initialis*, inquit, *magis malum culpæ respicit*, quam malum pœnæ. in 3. dist. 34. q. 2. a. 1. qq. 2. ad 2.

Probatur 7. Nemo potest justificari sine serio proposito servandi omnia mandata. Ergo etiam nequit justificari sine dilectione initiali erga Deum. *1. prob.* Serium propositum servandi omnia mandata in homine bene instructo, quid essentialiter exigat obligatio singulorum mandatorum, involvit dilectionem initialem actualem. Ergo. *Ant. prob.* Serium propositum servandi omnia mandata involvit etiam propositum exhibendi Deo actus essentiales amoris & amicitiæ, sed hoc propositum in homine bene instructo circa actus essentiales amoris & amicitiæ erga Deum est actualis dilectio initialis. Ergo. *Maj. patet*; quia nemo potest habere serium propositum servandi omnia mandata, nisi etiam habeat serium propositum observandi primum & maximum mandatum dilectionis. Sed propositum serium observandi primum mandatum haberi nequit, nisi quis habeat serium propositum observandi omnes obligationes seu actus essentiales amoris & amicitiæ. *Min. prob.* ad obligationes seu actus essentiales amoris amicitiæ erga Deum pertinet, ut Deum practicè præferat omnibus bonis creatis, ut studeat ei placere in actibus gratuitis à metu gravium malorum liberis, utque commoda Dei præferat commodis propriis, ubi id ordo charitatis & sana ratio exegerit. Sed propositum

positum ferium hæc omnia præstandi est actualis dilectio initialis. Ergo. *Min. patet* ex definitione dilectionis initialis, quæ data est *Notando* 2. & ex paritate cum actuali virtute justitiæ, misericordiæ &c. quæ nil aliud est, *quam constans & perpetua voluntas* tribuendi cuique jus suum, subveniendi proximo indigenti &c. *Major* autem supponitur ex *Tractatu de Fide, Spe, & Charitate*, ubi ostensum est, quod virtus charitatis habeat objectum materiale distinctum ab omni objecto materiali aliorum mandatorum jam aliunde sub pœna inferni obligantium.

PROBATUR 8. Nemo potest justificari, nisi qui se subjicit gratiæ; sed nemo se subjicit gratiæ sine dilectione initiali. Ergo. *Min. prob.* Nemo se subjicit gratiæ, nisi qui se subjicit & consentit motibus primariis gratiæ; sed nemo se subjicit ac consentit motibus primariis gratiæ sine dilectione initiali. Ergo. *Min. prob.* Gratia infundenda à Deo primario suo fine & motu movet animam ad actus essentiales amoris reciproci. Ergo, cum assensus voluntatis ad motus gratiæ in ordine ad actus essentiales amoris sit actualis dilectio initialis, non potest fieri, ut homo se subjiciat & consentiat motibus primariis gratiæ sine dilectione initiali. Hoc argumentum quoad rem est desumptum ex textibus D. Thomæ infra referendis.

PROBATUR 9. Charitas habitualis infusa nihil aliud est, quam constans & perpetua voluntas exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiæ, orta ex dono gratiæ prævenientis, & informata per gratiam sanctificantem permanentem. Ergo, cum impossibile sit, hominem justificari sine infusione charitatis habitualis, etiam impossibile est, hominem justificari sine constanti ac perpetua voluntate, exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiæ, quæ voluntas, prout jam superius ostensum est, formalissimè est actualiter dilectio initialis. *Ant. prob. Charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. nihil aliud est, quam ejusmodi constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus essentiales amoris amicitiæ, orta ex dono gratiæ prævenientis, & informata per gratiam sanctificantem permanentem. Ergo etiam charitas habitualis infusa nihil aliud est, quam talis constans & perpetua voluntas, ut informata per gratiam sanctificantem. *Antecedens* supponitur ex iis, quæ dicta sunt in Tractatu de Fide, Spe, & Charitate, Disput. 8. quæst. 4. & patebit etiam ex textibus SS. Patrum, & Veterum Theologorum infra referendis, præsertim D. Thomæ, qui docet, gratiam *informantem* esse simul natura priorem & posteriorem actu dilectionis, prout inferius explicabitur.

PROBATUR 10. Patres & Theologi Concilii Tridentini unanimiter, vix unô aut alterô exceptô, supposuerunt tanquam rem certissimam, sine motu dilectionis initialis in Deum non sufficere attritionem in Sacramento pœnitentiæ. Ergo hæc sententia sola est conformis sensui & traditioni Ecclesiæ. *Ant. prob.* ex triplici argumento. Nam *primò* PALAVICINUS in Historia Concilii Tridentini infra referendus testatur, quod *post discussiones Theologorum & Patrum* jam concepta fuerit formula Decreti, in quo declarabatur; ad Sacramentum sufficere *attritionem ex pœnarum metu, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem de peccatis exprimat, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat.* Ergo eoipso supposuerunt; attritionem ex metu pœnarum non sufficere, si foret sine motu dilectionis in Deum. *c. prob.* Quando Ecclesia declarasset, sufficere Baptismum hæreticorum, *eo quod vix esse queat, ut hæreticus non baptizans habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia*, eoipso supposuisset, ad Sacramentum Baptismi requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo etiam in illo Decreto Patrum propositio causalis importat causam *sufficientiæ*, quæ affirmatur in propositione principali. *Secundò.* ANDREAS VEGA, qui erat inter insigniores Theologos in Concilio Tridentino, cujus præclarum opus *de Justificatione* Petrus Canisius cum Præfatione recudi fecit in Germania, l. 6. c. 30. de justificatione sic scribit: *Dilectionem Dei necessariam esse ad nostram justificationem, apud omnes Theologicos Tractatores, quos legerim, receptissimum est: Confirmataque est hæc Doctrina à Patribus Concilii Tridentini. — Et qui agnoscunt, Deum nostris peccatis offendi, nunquam certè ad ipsius gratiam pervenient, nisi & de ipsis doleant, quatenus offensæ illius fuerunt, & amore in ipsum redeant.* Et c. 35. *Scriptura & Ecclesia, cum hortantur ad pœnitentiam de præteritis peccatis, quatenus fuerunt offensæ Dei, & ad propositum servandi mandata propter Deum; hoc ipso ad dilectionem Dei super omnia hortantur. Nam hæc virtute in se claudunt aliquam dilectionem Dei super omnia.* In hoc textu Andreas Vega manifestè docet, eam dilectionem Dei, quæ in Sacramento requiritur, se tenere *ex parte propositi*; eam esse amorem Dei super omnia, non tamen *ita perfectum*, ut ad justificationem sine Sacramento perducat, prout ipsemet in textu fusius infra referendo explicat. *Tertiò* MELCHIOR CANUS, qui & ipse interfuit Tridentino, & durante Concilio ad Episcopatum promotus est, in l. de pœnit. *Relect.* 1. sic scribit: *Vera pœnitentia non est sine actu charitatis; sed per actum charitatis volumus Deo in omnibus placere, & in nullis displicere. Quod & nunc in Concilio Tridentino Sess. 6. definitur. Nunc ea quæstio est pertractanda; an dolor, detestatioque peccati, quia est contra Deum, sit de ratione pœnitentiæ? Cui quæstioni eodem omnes ore respondent, de ratione pœnitentiæ esse. Nam ne homo quidem justus placaretur, cum is, qui læsit, nullam ipsius haberet in dolore rationem; nec redintegraretur amicitia, dum, qui eam violavit, jacturam propriam sentit, non amici offensionem. Sed existit quæstio non parva, an illa ratio formalis ac motiva pœnitentiæ sine dilectione possit haberi? Sit* PRIMA CONCLUSIO. *Primus actus pœnitentiæ nunquam est sine charitate. Nam alias non doleremus de peccato, qua ratione offensa Dei est; sed qua malum nostrum est. Id tandem modo in Concilio Tridentino Sess. 6. definitum est.* SECUNDA PROPOSITIO. *Prior natura est actus charitatis, quam actus pœnitentiæ; quia pœnitens detestatur peccatum, ut offensam Dei. Ergo prius natura amat Deum.* TERTIA PROPOSITIO. *De ratione veræ pœnitentiæ est, quod displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Ita Canus, cujus textus infra fusius recur-

ret. Ubi tamen notandum est, quod Canus ejusmodi amorem Dei super omnia, quatenus præcise ex viribus naturæ pro priori ad infusionem gratiæ sanctificantis requiritur, vocet tantum *attritionem*, quæ sine gratia Sacramentali non sufficit ad justificationem.

PROBATUR 11. Si homo adultus posset justificari in Sacramento sine actu dilectionis Dei super omnia, saltem imperfecto & initiali, non potest dari ratio, cur nec Scriptura, nec Patres, nec antiquiores Scoto Theologi non solum non determinent tempus eliciendi actus dilectionis, sed eam quæstionem ne quidem attingant. Econtra in nostra sententia hujus rei facilis est ratio; quia videlicet Scriptura, Patres, & Concilia, & Veteres Theologi supponunt, obligationem primi mandati esse perpetuam, ita ut semper debeat operari actualiter aut virtualiter; quò supposito ferme supervacanea est illa quæstio, à centum annis à laxioribus Theologis tantopere ampliata. Ergo Scriptura, Patres, & Veteres Theologi supponunt, non posse dari hominem justificatum seu justum sine dilectione Dei actualiter, aut virtualiter operante; adeoque neminem justificari posse sine dilectione Dei super omnia.

PROBATUR 12. Si in justificatione hominis non requiritur dilectio Dei super omnia, saltem imperfecta & initialis, quæ per modum habitus aquisiti informati tamen à gratia sanctificante, maneat, sicque *virtualiter* in actus bonos influat, sequitur; legem primi mandati quoad obligationem in actu secundo esse essentialiter indeterminabilem. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. patet*; quia lex essentialiter indeterminabilis in actu secundo est irrationabilis, ac consequenter eoipso nulla. *Maj. prob.* Nullus hactenus Theologorum oppositæ sententiæ circa attritionem addictorum potuit, vel ausus est primo mandato metas aut tempora ponere; imo Suarez ingenuè fatetur, se ignorare, quandonam incipiat obligatio primi mandati, prout Sirmondus recenset. Imo plerique, qui terminos hujus obligationis ad spatium totius vitæ, vel ad quinquennium ampliarunt, Romæ condemnati sunt, prout ex propositionibus damnatis ab Alexandro VII. & Innocentio XI. elucet. Novissimè autem SS. D. N. Benedictus XIV. in Bulla: *Etsi minimè.* etiam *angustos* nimium *fines* censet, si obligatio hujus mandati ad annos singulos restringatur. Ex quibus omnibus elucet, etiamnum nihil certi constare de die, & hora implendi mandati maximi, si ejus obligatio non perpetua, sed certis solum terminis temporum alligata dicatur.

PROBATUR 13. Christus declarat, dilectionem Dei esse necessariam ad vitam æternam. Hoc autem non esset verum, si non requireretur in Baptismo & Pœnitentia. Lucæ 10. Legisperito interroganti; *quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit: *In Lege, quid scriptum est? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum, sicut teipsum. Dixitque illi Jesus: Rectè respondisti: Hoc fac, & vives.* Nunc autem Christus ex ore laxiorum Theologorum peccatori responderet: Ad hoc ut vitam æternam possideas; non est necesse, ut nunc ante lapsum termini peremptorii, quem probabile est, ante unum vel alterum annum non exspiraturum, Deum diligas. Solum ex metu inferni à peccatis taxatis ad æterna supplicia abstineas; & vives. Itaque *hoc non faciendo vives.*

PROBATUR 14. Christus declarat; totam Legem pendere ex observatione primi mandati. Quis ergo credat, à Deo peccatorem recipiendum in gratiam, & in amicum, & in filium, nisi statim in ipsa sua conversione proponat, se observaturum omnes actus essentiales hujus mandati, & illud, quantum in ipso est, actu observet diligendo Deum? Matthæi 22. v. 35. *Pharisæo interroganti: Quod est mandatum magnum in Lege? respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.* In opposita sententia lex amoris solum regnaret & imperaret aliquot momentis vitæ nostræ. Toto reliquo vitæ tempore lex timoris præciperet, & ab ejus imperio tota ferme hominis vita, & aliarum legum observantia penderet. Imo lex pœnitentiæ non tam penderet à charitatis lege, quam lex charitatis penderet à lege pœnitentiæ.

PROBATUR 15. Scriptura in pluribus locis declarat, obligationem primi mandati non esse restrictam ad certa tempora, sed eam esse perpetuam, ita ut obliget *semper* & *pro semper*. Ergo cum non possit hæc perpetua obligatio intelligi de exercitio dilectionis actuali, necessariò intelligenda est de exercitio virtuali, quod in homine recens justificato dari nequit, nisi elicuerit actum dilectionis in ipsa justificatione. *Ant. prob.* Præcepta affirmativa, quibus nec dies scribitur, nec materia externa limitata loco & tempore ponitur, si versantur præcise circa affectionem internam animi ex sui natura perpetuam, necessariò intelligenda sunt de habituali præparatione animi obligante *semper* & *pro semper*. Sed tale est primum mandatum. Ergo. *Maj. prob.* partim ex eo, quia alioquin lex non esset rationabilis, utpote in particulari indeterminabilis in actu secundo; *secundò*, quia materia legis, seu affectio amoris eam habitualem perpetuitatem exigit. *Tertiò*, quia in lege alia affirmativa simillima idem observare licet. Sic enim Apostolus illam legem Salvatoris explicans: *Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est*, Matth. 5. dicit: *Induite viscera misericordiæ.* Col. 3. *Quartò*, quia, ubi in quarto præcepto præcipitur amor erga parentes, ridiculum esset quærere, quoties in vita teneamur elicere actum amoris erga parentes? an singulis quinquenniis? an singulis annis? Ergo manifestum est; præcipi affectionem internam, & præparationem seu promptitudinem animi perpetuam, quæ non potest esse habitualis, nisi prius aliquando fuerit actualis. *Quintò.* Quando in Scriptura dicitur: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Sap. 1. ridiculum foret, investigare tempora, quibus elicienda esset dilectio justitiæ? Num enim Reges, Principes, Judices &c. tenentur solum singulis quinquenniis, vel semel annis singu-

singulis elicere actum dilectionis erga justitiam? *Sextò*. Quia per se absurdum, & lumini naturali repugnantissimum est, quod filius reus, & meritò exhæreditatus, dum à patre supplex postulat veniam, & humiliter petit restitutionem in jus hæreditatis, expresse dicat; Pater, non doleo, quod peccaverim in te, sed quod hæreditate exciderim, & in pœnas ac miserias inciderim; nec etiam spondeo tibi ullum actum dilectionis filialis, nisi quinquennis singulis, vel ad summum semel annis singulis, forte pro Xenio. Ergo cum apud Deum idem sit, sive peccator hoc verbo, sive ipso facto declaret; eadem erit absurditas, nisi actualem amorem declaret, dicendo: *Pater, peccavi in te*, & affectionem amoris perennem promittat. Ex his ergo omnibus manifestum est, quod præcepta affirmativa indefinita, quæ versantur circa affectiones internas, dum illis nec dies, nec materia externa loco & tempore præfixo circumscripta ponitur, obligare *semper* & *pro semper*. Ipsos itaque jam textus Scripturæ, qui de mandato dilectionis tractant, perlustremus, & videamus, an loco & tempore indefiniti sint. Si enim indefiniti sunt, eoipso sequitur, eos obligare *semper* & *pro semper*, ita ut dilectio Dei perennet vel *actu*, vel *habitu*, seu præparatione ac dispositione positiva animi ex præcedente actu dilectionis relicta, per gratiam sanctificantem informata.

I. DEUTERONOMII 6. v. 3. dicitur: *Audi Israel, & observa, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo; & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque & movebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in liminibus & ostiis domus tuæ. Custodi præcepta Domini Dei tui, & fac, quod placitum est & bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi.* Ex his verbis TRIA INFERO. 1. Quod observantia hujus mandati debeat esse perpetua, tum quia illud perpetuo præ oculis haberi & manibus versari vult. Cum ergo non possit esse perpetua actu; debet esse perpetua habitu habitualitate dependente à lege & libero arbitrio, ea videlicet quæ supponit actum dilectionis præcedentem. 2. Quod idem sit diligere Deum, & *facere, quod placitum ac bonum est in conspectu Domini*. 3. Quod promissio illa, ut bene tibi sit, referatur ex testimonio Christi ad vitam æternam per modum conditionis etiam approbatæ ac confirmatæ pro nova Lege. Meretur proin & exigente divina sapientia debet repelli à vita æterna ac spe hæreditatis filiorum Dei in ipsa actuali adoptione sacramentali, qui diceret: *Non volo nunc amare Deum, sed post annum, ubi urgebit lex sub comminatione inferni.*

II. *Deuteronomii* 30. Deus suo populo dicit: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm; sed juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrariò mortem & malum; ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius, & vivas. Testes invoco cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut vivas, & diligas Dominum Deum tuum, & obedias voci ejus, & illi adhæreas; ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.* In hoc textu OBSERVO TRIA. 1. Quod dilectio Dei vel actualis, vel saltem habitualis, habitualitate aquisita ex actu præterito non retractato, requiratur tanquam essentialis conditio ad obtinendam vitam æternam. 2. Quod observatio hujus mandati præcipiatur *in continenti*; quia Deus vitam & mortem æternam apponit, ut actu ex iis aliquid eligatur & quia Deus expresse monet, se nullam pati excusationem dilationis in futurum. 3. Quod propriè hoc loco sit sermo de *dilectione initiali*, tum quia simul excitatur per motiva timoris & spei; tum etiam, quia pro ejus objecto constituitur ipse Deus, fruitione beatifica possidendus. Dicitur enim: *Ipse est vita tua*, quæ verba Christus Luc. 10. & Matth. 22. & Joannis 14. & 17. explicat de beatitudine essentiali.

III. *Josue valedicturus* Tribubus trans Jordanem relictis hoc unum inculcat, ut diligant Deum. Sic enim c. 22. v. 4. ait: *Ite in tabernacula vestra trans Jordanem, ita duntaxat, ut custodiatis attentè, & opere compleatis mandatum & legem, quam præcepit vobis Moyses, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus & observetis mandata illius; adhæreatisquè ei, ac serviatis in omni corde, & in omni anima vestra.* Eandem repetiit moriturus admonitionem ad omnes Tribus c. 23. *Ego senui*, inquit, *estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis, & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram; — hoc tantum diligentissimè præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.* In his textibus OBSERVO 1. Quod Josue totam legem ferme in uno mandato dilectionis includat. 2. Quod majorem sollicitudinem & attentionem circa hoc mandatum, quam circa omnes alias leges, requirat. Ex quo colligitur, hoc mandatum esse speciale, nec includi in observatione aliorum mandatorum. 3. Quod velit hoc observari *in toto corde, & in tota anima*, qui modus loquendi quandam habitualitatem affectionis ex actu præcedente relictam ostendit. Ex quo sequitur, perfectam hujus mandati observantiam non consistere in actu transeunte speculativo, & præcise appretiativo intellectuali, quin inferat praxin distinctam à praxi aliorum mandatorum. 4. Quod hoc mandatum declaret esse *practicum*, dum ait: *Custodiatis attente, & opere compleatis.* 5. Quod huic dilectioni non præfigat annum, mensem, diem, aut circumstantiam aliam determinatam; quod signum est, observantiam hujus mandati debere esse perpetuam, vel actualiter, vel virtualiter, vel saltem habitualiter eò modò habitualitatis, qui poterat esse materia præcepti; dependente videlicet ab exercitio libertatis, & substante cognitioni hominum; qualis non est *charitas habitualis infusa*, prout describitur ab adversariis.

IV. *Apostolus* 1. Cor. 13. De charitate infusa loquens ait, quod sit ipsissima *virtus illa Theologica*, quæ contradistinguitur cum *fide* & *spe*, & est habitus

habitus practicus essentialiter in adultis dependens à præcedente actu charitatis, à gratia sanctificante informatus; additque sine ea nullam dari justificationem, ne quidem cum Martyrio. Itaque c. 12. sic ait: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Æmulamini autem charismata meliora; Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (utpote communem & necessariam omnibus, de qua assequenda omnes magna æmulatione contendere debent.) *Si linguis* (namque) *hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est; benigna est; charitas non æmulatur; non agit perperam; non quærit, quæ sua sunt* (sed quæ Jesu Christi, ac Dei) *non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati; omnia suffert; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (causa summi boni, quod assequi vult) *charitas nunquam excidit; Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* In hoc textu TRIA OBSERVO. 1. Quod Apostolus loquatur de illa charitate, quæ est virtus Theologica, condistincta à virtute fidei, & spei. Ergo cum omnis virtus non solum moralis sed etiam Theologica v. g. fidei, & spei, in adultis dependeat ab actu elicito fidei, vel spei, etiam Apostolus loqui debet de charitate *divisiva ejusdem generis*, nempe de charitate, quæ dependet à præterito actu dilectionis elicito, ac simul inclinat ad actus charitatis. Sicut enim in baptismo habitus fidei, & spei nemini infunditur sine præcedente actu fidei & spei, ita nec potest adulto infundi hahitus charitatis sine actu elicito charitatis, saltem initiali. 2. Dicit Apostolus, ut omnes *æmulentur* assequi hanc charitatem; ea autem æmulatio locum non habet per nudam attritionem ex metu inferni, sed per exercitationes versantes in eodem genere virtutis, *hoc est*, per actus *elicitos* saltem *initiales* dilectionis, circa quam datur *æmulatio*. Sic enim sumitur hoc nomen æmulationis in omni alia materia, ut centum exemplis per inductionem potest ostendi. 3. Dicit Apostolus; quod nec Martyrium valeat sine hac charitate; Ergo loquitur de charitate hominis ad Deum vel actuali vel virtuali, juxta illud Christi Joa. 15. v. 13. *Majorem dilectionem*, (seu, prout Ecclesia in Officio de Apostolis vertit, *charitatem*) *nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* 4. Apostolus claudit eam ipsam Epistolam his verbis: *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu.* Ubi clarum est, quod hoc nomen sumat pro virtute Theologica elicita, qua omnes in Christo Jesu amore complectitur, & non est sermo de otioso habitu seu qualitate infusa, qualem fingunt adversarii sine authoritate veterum, & sine ulla necessitate. 5. Apostolus in omnibus suis Epistolis nomen *charitatis* constanter sumit pro virtute elicita, practica, & operativa actuum charitatis. Ergo cum nomen hoc jam habuerit ex illo communi usu loquentium, & acceptatione audientium notionem fixam ac stabilem, moraliter certum est; hoc nomen isto loco non fuisse sumptum in nova aliqua significatione hactenus incognita alicujus qualitatis ignotæ, de cujus existentia non solum nulla constabat authoritate vel ratione, sed nec suspicio quidem à plebe Corinthiorum haberi poterat. *Antecedens probatur* ab inductione. Sic enim Apostolus dicit 1. *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Rom. 5. v. 5. 2. *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo.* Rom. 8. v. 35. *Charitas Christi urget nos.* 2. Cor. 5. v. 14. *In Christo neque circumcisio aliquid valet, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Gal. 4. v. 6. *Fructus Spiritus sunt, charitas, patientia, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Gal. 5. v. 22. Cum hic reliquæ virtutes dicant habitum operativum dono Spiritus *radicatum*, dependentem tamen a præcedente exercitio virtutis, idem censendum de charitate; ut prius, per gratias actuales eliciatur, ac ponatur in esse habitus *initiali*, & per infusionem gratiæ sanctificantis transeat in *radicatam, fundatam, stabilem*, seu *habitualem*. *Ut essemus sancti & immaculati in charitate.* Ephes. 1. v. 4. *Ut det vobis, virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiori homine Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati.* Ephes. 3. v. 16. Hæc corroboratio per spiritum propriè explicat quomodo dilectio initialis imperfecta per corroborantem gratiam sanctificantem transeat in habitualem infusam. *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Ephes. 4. v. 16. *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, ut probetis potiora.* Phil. 1. v. 9. *Instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus.* Col. 2. v. 2. *Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam — super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Coloss. 3. v. 14. *Sobrii simus induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* 1. Thess. 5. v. 8. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* 2. Thess. 3. v. 4. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* 1. Tim. 1. v. 5. *Exemplum esto in charitate, in fide, in castitate.* 1. Tim. 4. v. 12. *Sectare justitiam, pietatem, fidem charitatem, patientiam, mansuetudinem.* 1. Tim. 6. v. 11. Hæc omnia ostendunt; Apostolum constanter huic termino *charitatis* subjecisse eam notionem, quod dicat *actum* vel *habitum* dilectionis, nulla alia proprietate diversum ab habitu aquisito, nisi quod in justificatis sit *radicatus, fundatus, roboratus* per gratiam sanctificantem, sicque ob influxum gratiæ sanctificantis elevatus in rationem habitus infusi. Cum tamen Apostolus terminum *charitatis* promiscuè sumat pro amore Dei & proximi, colligitur, hoc termino explicitè, & di-

rectè

rectè importari amorem Dei tanquam significatum primarium; amorem verò proximi implicitè ac indirectè, quia est una eademque utriusque amoris ratio, nempe bonitas Dei, ita ut amor proximi aut eliciatur aut imperetur ab amore Dei.

V. *S. Joannes* 1. Epist. 3. v. 14. de dilectione proximi loquens ait: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Jam sic. Ille manet in morte, qui non diligit proximum actu, aut habitu perpetuo ex actu dilectionis præcedentis relicto. Ergo etiam manet in morte, qui non diligit Deum actu vel habitu amoris consimili. *Antecedens* patet ex Propositione decima, damnata ab Innocentio XI: quæ sic sonat: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. c. prob.* Non potest elici formalis actus dilectionis erga proximum sine actu dilectionis erga Deum. Ergo. *Ant. prob.* Juxta Apostolum PAULUM, & juxta AUGUSTINUM, est una charitas unitate ordinis erga Deum & proximum. Et D. Joannes idipsum ex instituto probat bis verbis c. 4. *Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est; & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas est. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus* (hoc est, amor noster erga Deum, dum etiam extenditur ad proximum) *in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Nos ergo diligamus Deum. Si quis dixerit; quoniam diligo Deum & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere; & hoc habemus mandatum à Deo; ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et c. 5. *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei* (nempe homines) *cum Deum diligamus.* Ex his patet, non posse verò amore supernaturali diligi proximos, nisi eos diligamus tanquam filios Dei, seu propter Deum. Propter Deum autem diligi nequeunt, nisi amore Dei; quia diligitur Deus eorum Creator, Redemptor, Sanctificator. *Quia propter quod unumquodque* (amatur), *illud magis tale.* Quod confirmatur verbis D. Augustini l. de fide & operibus c. 10. ubi ait; *Ista duo præcepta ita connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum; nec dilectio proximi, si non diligit Deum.* Et in Epist. ad Gal. ad illum v. OMNIS LEX IN UNO SERMONE IMPLETA EST; ait: *Cum in duobus præceptis dilectionis Dei & proximi charitas perfecta sit, cur Apostolus solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines; in dilectione autem proximi facilius convincuntur. Consequens autem est, ut qui diligit Deum, diligat & proximum. Item diligere proximum quis potest, nisi diligat Deum? Cum ergo neutrum præceptum possit sine altero teneri, unum commemorare sufficit.* Si ergo *manet in morte* omittens positivum actum dilectionis erga proximum, etiam manet in morte omittens actum dilectionis erga Deum; cum actus dilectionis erga proximum in pœnitentibus neque elici possit sine amore Dei in actu exercito; neque implicitè contineri in alio actu nisi in amore Dei, quo homo amat *Deum*, & omnia *quæ Deus amat*, & *quæ Dei sunt.* NEQUE DICI POTEST; hæc verba: *Qui non diligit*, sumi in sensu positivo, ita ut sensus sit, *qui odit*, aut qui committit aliquid graviter contrarium charitati. Nam 1. Apostolus hoc loco significat omnem violationem secundi mandati; ea autem violatio non solum fit per actum positivè contrarium charitati; sed etiam per omissionem positivi actus interni dilectionis erga proximum. 2. Si Apostolus loqui voluisset de peccato positivo commissionis contrariæ charitati, & non de omissione actus interni dilectionis, dixisset potius; *talis incurrit mortem* etsi prius fuerit justus; & non hoc modo: *is manet in morte, manere* enim non dicit novam commissionem, sed continuatam omissionem. Ex quo proin sequitur; ad justificationem requiri positivum formalem dilectionis actum erga Deum & proximum; ergo Deum quidem *directè & explicitè* sub termino convertibili cum amore Dei: erga proximum verò *indirectè & implicitè*, inquantum amantur cum Deo & in Deo omnia, quæ amantur à Deo, & quæ sunt Dei.

VI. DEUS TESTE SCRIPTURA excludit à suo amore charitatem refrigescentem. Ergo nec assumit in suum amorem animam omni prorsus destitutam amore incipiente, & habitualiter per modum habitus aquisiti, à gratia sanctificante informati, permanente. *c. patet;* si enim intolerandus Deo videtur, qui tantum habet gradum remissum amoris; quomodo amore prosequi poterit destitutum prorsus omni gradu etiam initialis amoris? *Ant. prob.* in Apocal. 3. v. 36. dicitur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Et c. 2. v. 4. *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem, movebo candelabrum tuum de loco suo.* Quod est signum gravis indignationis divinæ. Similiter Christus tanquam gravissimum malorum respicit refrigescentiam charitatis Matth. 24. v. 12. *Quoniam*, inquit, *abundabit iniquitas* (in apertè scelerato) *refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem* (sine refrigescentia charitatis) *hic salvus erit.*

VII. *D. Paulus* 1. Cor. 22. dicit: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Ergo etiam attriti sine dilectione initiali adhuc manent sub anathemate. *c. prob.* Est eadem ratio circa amorem Christi & Dei. NEQUE ITERUM DICI POTEST; ea verba: *non amat*, intelligenda esse in sensu positivo, quatenus important actum positivè contrarium dilectioni erga Christum, & positivè exclusivum illius dilectionis. Quia hoc anathema vibratur in omnes violatores dilectionis Christo debitæ; violatur autem illa dilectio non tantum *per actum positivè contrarium:* sed etiam *per omissionem* actus positivi dilectionis erga Christum. Si enim tenemur diligere proximum *actu positivo interno ac formali;* multò magis adstringimur ad ejusmodi actum dilectionis positivum erga Christum. Itaque sine tali actu positivo nemo potest justificari, nisi aut

pona-

ponatur explicitè, aut involvatur in alio actu implicitè, qui tamen in pœnitentibus generaliter assignabilis non est; nisi in omnibus supponatur actus dilectionis initialis, quo diligimus *Deum, & omnia quæ Dei sunt.*

VIII. *D. Paulus* dicit Rom. 8. *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum; qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita & pax. Vos autem in carne non estis; sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Ex hoc tota contextu elucet quidem satis apertè; agi de spiritu dilectionis, sine quo nemo est Christi; Spiritus autem dilectionis humanæ erga Deum sine dubio dicit aliquam dispositionem animi stabilem ac perpetuam, seu habitualitatem ex præcedenti actu dilectionis relictam. Quia tamen Tridentinum vult, ut verba Scripturæ, ubi sunt ambigua, intelligantur in sensu unanimi SS. Patrum; addo expositionem S. Augustini, quem in articulis fundamentalibus fidei & morum, præsertim sæpius discussis ac repetita vice inculcatis, tota Ecclesia Latina semper secuta est. Serm. 13. de V. A. c. 13. dicit: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; quia qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur; charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum — Jam ergo non in timore, sed in dilectione, ut non servi, sed filii simus. Qui adhuc ideo bene agit* (ex hoc unico vel primario motivo) *quia pœnam timet, Deum non amat; nondum est inter filios.* Ex omnibus hucusque Scripturæ textibus patet; semper, ubi agitur de mandato dilectionis, sermonem esse vel de actu dilectionis, vel de habitu perpetuo, ex præcedente actu dilectionis relicto, per gratiam sanctificantem informato, & ex præcedente gratia orto, sic ut meritò habitus infusus dici possit. Itaque nemo justificari potest sine actu dilectionis initialis.

Probatur 16. D. Paulus non tradit nobis aliam veræ pœnitentiæ ideam, nisi quæ conjuncta est cum dilectione initiali. Ergo alia veræ pœnitentiæ idea non datur. *Ant. prob.* D. Paulus non tradit nobis aliam veræ pœnitentiæ ideam, nisi quæ fit ex motivo offensæ divinæ. Sed talis pœnitentia est conjuncta cum dilectione initiali. Ergo *Min. patet* ex *Notando* 2. *Maj. prob.* Apostolus 2. Cor. 7. scribit: *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum,* SECUNDUM DEUM *contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos negotio.* Ex his verbis satis colligi potest, à D. Paulo per *tristitiam secundum Deum* intelligi tristitiam conjunctam cum amore Dei, utpote cujus effectus proprii sunt ingens solicitudo, desiderium, & æmulatio placendi Deo, ac timor displicendi Deo. Verum si quis timeat huic expositioni subscribere, habemus expositorem D. Thomam; qui Lect. 3. in c. 7. præfatum sic scribit: *Duplex est amor, unus* QUO DILIGITUR DEUS, *& ex hoc causatur tristitia, quæ est secundum Deum. Alius, quo amatur sæculum, & ex hoc causatur tristitia sæculi. Amor, quo diligimus Deum, facit nos libenter servire Deo, solicitè quærere honorem Dei, & vacare Deo dulciter; & quia peccando impedimur à servitio Dei; & ideo ei non vacamus; nec ejus honorem quærimus, ideo amor Dei causat tristitiam de peccato; & hæc est tristitia secundum Deum.* Eadem est expositio D. Basilii in Regulis brev. Interrog. 192. 193. & 194. *Tristitia secundum Deum est,* inquit, *cum quis ex neglecto mandato Dei afficitur dolore. Gaudere iis, quæ secundum mandatum Domini ad Dei gloriam fiunt, gaudium in Domino est. Tristitia secundum Deum est, cum lugemus ob peccata, aut ob contumeliam Deo illatam, ex eo quod quis Deum ignominia afficiat per legis transgressionem, aut ob periclitantes in peccato.* In hoc textu postremo D. Basilii duo notari merentur. Primò; quod non solum designet objectum materiale hujus luctus, nempe peccatum, sed etiam rationem formalem in peccato reperibilem, *sub qua,* & *ratione cujus* elicitur luctus seu tristitia de peccato, nempe *quia offendit Deum. Eo quod per transgressionem legis quis Deum ignominia afficiat.* Secundò, quod titulus Interrogationis 194. sit iste: *Qualem luctum suscipiamus, ut beatitudini digni efficiamur.* Ex quo colligitur; hoc genus tristitiæ ad salutem esse necessarium etiam in Sacramento; quia Patres nullibi distinguunt inter necessaria in Sacramento & extra Sacramentum.

Probatur 17. Quando Christus paucissimis verbis complecti voluit totam ac ultimatam causam damnationis Pharisæorum ac Judæorum, id unum assignavit, quod careant dilectione Dei. Ergo omnes, qui carent ea dilectione, sunt & manent in statu damnationis. *Ant. prob.* ex illo Joan. 5. v. 40. & 42. *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Sed cognovi vos; quia dilectionem Dei non habetis in vobis.*

Probatur conclusio 18. ex Traditione Patrum Ecclesiæ, qui unanimiter docent, dilectionem Dei esse ad salutem necessariam sine exceptione ulla ex usu Sacramentorum.

I. Basilius l. de vera fide: „Baptizamus ex mandato Christi; qui dixit: Euntes, „docete gentes, baptizantes eos, & docentes, „servare omnia, quæcunque mandavi vobis. „Quæ servantes & charitatem erga illum habere „nos demonstramus, & digni efficimur, ut in „ea maneamus. Econtra si ea non servemus, „redarguimur longè aliter affecti esse. Qui enim „non diligit me, inquit Dominus, sermones „meos non servat. Et rursus. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. „Miror autem; quod cum Apostolus in omnibus

„bus charitatis necessitatem demonstret, dicens: „Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non babeam, nihil sum; quomodo homines res perituras tanto studio & affectu prosequantur; quomodo verò ea quæ „manent, & præsertim charitatem, rerum omnium „maximum, & Christianorum characteristicon, „non modo nullatenus ipsi curent, sed & curantibus adversentur!" Ita Basilius etiam adversæ Sententiæ Patronos hoc sua sententia pungens, utpote, qui & ipsi *curantibus* obligationem primi mandati adversantur.

2. *Idem* in Regulis Brev. Interrogatione 257. „Quinam sint paleæ, quæ æterno igne comburuntur; *Respondet:* Ii nimirum, qui utiles quidem sunt iis, qui digni sunt regno cœlorum, „perinde ut paleæ frumento, nec tamen affectu „dilectionis erga Deum & proximum hoc faciunt „sive in spiritualibus donis, sive in corporalibus beneficentiis.

II. D. Gregorius Nyssenus in Ecclesiasten Hom. 8. „Unum solum natura sua diligendum est, id nempe quod verè est. De quo „etiam dicit Lex Decalogi: Diliges Dominum „Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota „mente tua, & ex tota anima tua Tempus diligendi Deum est tota vita; & tempus abalienationis ab adversario est totum tempus vitæ. „Si quis autem parvo aliquo spatio vitæ suæ est „remotus à dilectione Dei; eum esse extra lucem, „utpote qui sit extra Deum, necesse est; quin „etiam extra vitam & incorruptionem, quæ omnia „Deus est. Qui enim non est in his, omnino „est in contrariis. Eum itaque, qui est ejusmodi, excipiunt tenebræ & interitus, & exitium. „Nemo enim, inquit Dominus, potest duobus „dominis servire; aut enim unum odio habebit, „& alterum diliget. Docet hæc distinctio; quis „sit, qui malè dominatur, à quo oportet alienari per odium; & quis sit, qui dominatur in „ejus bonum, cui imperat, cui oportet conjungi per charitatem.

III. D. Ambrosius in c. 7. Lucæ ad illum versum: „*Remissa sunt ei peccata multa quia dilexit multum*, ait: Defer mihi & tu post peccata pœnitentiam. Ubicunque audieris Christi „nomen, accurre. Cum repereris sapientiam; „cum repereris justitiam in alicujus penetralibus „recumbentem, accurre ad pedes; hoc est, vel „extremam partem quære sapientiæ. Noli fastidire pedes. *Non cessavit osculari pedes meos.* „Ut aliud nisi sapientiam loqui nesciat; ut aliud „nisi justitiam diligere nesciat; ut aliud nisi castitatem libare nesciat; ut aliud nisi pudicitiam „osculari nesciat. Osculum enim mutui amoris „indicium est: osculum est pignus charitatis. „Et tu plurimum dilige, ut & tibi plurimum remittatur. *Duo debitores erant.* Non materialem huic fœneratori debemus pecuniam, sed „æra virtutum, quarum meritum gravitatis pondere, justitiæ specie, sono confessionis expenditur. Væ mihi, si non habuero, quod accepi! Væ mihi, si non petiero concedi mihi debitum! Sed per misericordiam causa mutatur, „ut amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen „gratiam consequatur. Et ideo, quoniam nihil „dignum Deo referre possumus, væ mihi si non „dilexero! Audeo dicere; non reddidit Petrus; „& ideo plus dilexit. Reddamus ergo amorem „pro debito, charitatem pro munere." In hoc textu D. Ambrosius satis aperte à pœnitentibus requirit amorem initialem, dum eos ad pedes Jesu, hoc est, ad osculum justitiæ & sapientiæ dirigit conditionem obtinendæ gratiæ amorem designat; præsertim cum hoc ipso in loco, in Magdalena repræsentari totam Ecclesiam in suis pœnitentibus dicat.

2. *Idem* in c. 11. Lucæ ad illa verba: *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentam & rutam, & omne olus; & præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere:* sic scribit: „Totus hic locus pulcberrimus ad hoc dirigitur, „ut superflua Judæorum & terrena condemnet, „quoniam ea, de quibus nobis nullus usus est, „observant, ea autem in quibus nostræ spei fructus est, negligunt, & ideo peccatum grande „committunt, dum meliora despiciunt. Breviter autem vitia eorum multa perstringit, qui „vilium fructuum decimis conferendis omne studium intendant suum; nec ullum futuri judicii „metum, nec aliquam Dei habeant charitatem. „Prætereunt enim judicium & charitatem Dei: „charitatem ideo, quia non ex affectu Deum diligunt." Hic non habere dilectionem S. Doctor inter magna vitia ponit.

IV. D. Chrysostomus in Epist. ad Rom. Hom. 5. „Dei offensio nullo non supplicio gravior est. At nunc tam miserè affecti „sumus, ut nisi gehennæ timor esset, ne propositum quidem nobis sit, bono aliquo opere defungi. Quapropter si nullam aliam ob causam, „certè ob hanc unam, gehenna digni sumus; „quod videlicet plus gehennam, quam ipsum „Christum timemus. At non sic B. Paulus. Nos „autem ob id, quod diversum affectum gerimus, „gehennæ suppliciò damnamur; qui si Christum „sic amaremus ut amare certè oportet, judicaremus utique amati offensionem gehenna esse „graviorem — ob hoc & gehennam comminatus „est, & cœlorum regnum promisit, ut à nobis „ametur. Petrus, dum illum abnegasset, non „ob supplicium luxit, sed quod quem amabat „eum abnegasse se videret, id quod nullo non „suppliciò amarius illi erat. Omnia enim ipse „illi erat, ac neque cœlum, neque regnum amato præferebat: Tu enim mihi illa omnia, inquit. Acquid miraris, quod Petrus erga Deum „esset ita animatus; quandoquidem & Propheta „dicit: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* ac si dixisset: Nullius prorsus alterius rei, nec cœlestis, nec terrestris; sed tui „unius desideriò teneor. Hoc sanè amor est; „hoc amicitia. Hoc modo si amaverimus, nec „præsentia bona nec futura quidquam esse præ „amore eo arbitrabimur, atque sic cœlestis regni „fructum decerpemus, copiosa atque abundanti „Dei charitate affluentes." Hic æs aureum gehenna dignum censet, qui non amat.

2. *Idem* in 1. Epist. ad Corinth. Hom. 26. „Cum animo perpenderimus; quod neque facultatum abdicatio, neque Martyrium, neque „quidquam aliud nos poterit defendere, nisi summam

„mam habeamus charitatem (ἥκειν), eam præ „aliis conservemus." Vocat charitatem *summam*, quia est summa seu suprema virtutum juxta illud: *Major autem horum est charitas.* 1. Cor. 13.

3. *Idem* in Epist. ad Ephes. Hom. 11. „Duæ „sunt divisiones à corpore Ecclesiastico. Una „quidem, quando refrixerimus in charitate. Se„cunda autem, qua ausi fuerimus ea facere, quæ „sunt indigna, ut simus in illo corpore. Utro„que enim modo nos separamus ab impletione „(πληρώματος).

4. *Idem* in Epist. ad Timoth. Hom. 2. ad ea verba: *Scimus, quod bona est lex, si quis ea legitimè utatur.* sic scribit: „Tunc ea legitimè utitur quis„piam, cum illam refert ad Christum. Alio „modo utimur legitimè lege, cum eam magna „præstantia servamus. Quid est magna præstan„tia? Quemadmodum frænis non legitimè uti„tur is equus, qui lascivit, vel mordet, sed qui „illo pulchrè agitur; ita & is legitimè lege uti„tur, non qui Literæ necessitate sobriè ac justè „agere cogitur. Quis autem? Qui novit, quod „illa non indigeat. Nam qui ad illud virtutis „culmen evasit, ut non legis metu rectè factis „insistat, sed virtutis tantum gratia, hic ea legi„timè utitur. Si quis ea sic utitur, ut non eam „timeat; sed potius redargutionem sibi facien„dam à futuro supplicio perpetuò ante oculos „habeat (κατάγνωσιν) hic ea legitimè utitur. -- „Quicunque servorum more à malis abstinent, „legis finem non adimplent.

5. *Idem* in eandem Epist. Hom. 3. „Plurimi „sunt, qui Christum nun diligunt, neque chari„tatis jura custodiunt. Nam quæ dilectionis no„stræ argumenta proferimus? Habet quispiam „amicum, quem ardenti amplectatur affectu; vel „sic saltem Christum diligat. Nos autem ipsum „ne ut amicum quidem diligemus? Et quæ jam „erit nobis salutis spes? Et quomodo, inquis, „Christum ne quidem ut amicum diligimus? Ego „tibi conabor ostendere. Pro his qui revera „amici sunt, plurimi sæpe perpeti damna elege„runt. Pro Christo autem ne dicam sustinere „detrimenta, sed contenti esse præsentibus pau„ci sustinent. Pro amicis sæpe contumelias & „inimicitias suscipimus: Christi vero gratia nul„lus inimicitias suscipit. Amicum fame confe„ctum nunquam omnino despicimus: Christum „vero quotidie venientem ad nos nec pane di„gnamur. Amicis nunquam invidemus; at in „Christo hoc patimur -- Laudatur aliquis virtu„te probatus quæ ad sanam doctrinam pertinent „loquens, & Ecclesiam ædificans; Nos huic pro„tinus invidemus; dum ædificationem illam non „per alios sed per nos fieri volumus, non pro„pter Christum, sed nostri gratia. Nam si Chri„sti urgeret affectus; sive id per alios, sive per „nos fieret, nihil moveremur. Rursus cum ami„cum afflictum videmus, soliciti ad eum pergi„mus. At cum Christus in carcere in suis mem„bris sæpe moriatur, eum ne visitamus quidem. „Ad amicos autem fideles, non quia fideles sunt, „sed quia amici sunt, proficiscimur. Vides ut „nihil Dei metu, nihilque ipsius amore perpe„tretur à nobis, sed omnia partim amicitia, par„tim consuetudine. -- Deseramus tandem, quæ „salutem nostram lædunt, ac penitus violant, „ut eis perfruamur bonis, quibus frui amicos „decet." In hoc textu S. Doctor præcise omissionem actuum charitatis à salute excludit.

V. S. Augustinus docet, in Catechumenis requiri dilectionem Dei per modum dispositionis. Nam in l. *de fide & operibus* refutans eos, qui primum præceptum, non autem secundum Catechumenis explicandum ac inculcandum esse putabant, c. 10. ait: „Primum Præceptum: *Di„liges Dominum Deum tuum &c.* pertinere ad ba„ptizandum, secundum autem ad baptizatos pu„tant; sed si diligenter consideretur, ista duo „præcepta ita connexa sunt, ut nec dilectio Dei „possit esse in homine, si non diligit proximum; „nec dilectio proximi, si non diligit Deum. *Et „c. 6.* Si tunc tempus non est discendi, quæ vita „congrus tanto, quod accipere desiderant, Sa„cramento; quando erit? Et l. *de catechizandis „rudibus* c. 4. Dilectione tibi tanquam fine pro„posito, quo omnia referas, ita narra (instrue „Catechumenum) ut audiendo credat, creden„do speret, sperando amet. *Et ibid. c. 5.* De „ipsa etiam severitate Dei charitas ædificanda „est, ut ab eo quem timet amari se gaudens, „eum redamare audeat; ejusque dilectioni, etsi„amsi impune posset, tamen displicere vereatur. „*Et c.* 27. Itaque credens conjungaris bonis, „quos inventurus es facile, ut simul colatis & „diligatis Dominum gratis, quia totum præmium „ipse erit, ut in illa æterna vita bonitate ejus & „pulchritudine perfruamur. Sed amandus est, „non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut „amatur sapientia, & justitia, & veritas, & san„ctitas, & charitas, & siquid aliud tale dicitur, „non quemadmodum ista sunt in hominibus, sed „quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibi„lis & incommutabilis sapientiæ. Quoscunque „ergo videris hæc amare, illis conjungere, ut „per Christum reconcilieris Deo. Bonos imita„re, malos tolera, omnes ama; quia non solum „dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dile„ctio proximi, in quibus duobus præceptis tota „lex pendet & Prophetæ; quam non implet, nisi „qui Dominum acceperit Spiritum Sanctum." Ex his ergo clarum est, quod D. Augustinus à Catechumenis ad obtinendam justificationem seu *reconciliationem* requirat dilectionem. Et eam sufficere, si fuerit *initialis*, insinuat l. cc. c. 17. ubi in consortium ejusmodi dilectionis adhuc admittit timorem inferni. „Qui propter beatitudinem „sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post „hanc vitam sanctis promittitur, vult fieri Chri„stianus, ut non eat in ignem æternum cum dia„bolo: sed in regnum æternum intret cum Chri„sto, verè ipse Christianus est, qui etiam profi„ciendò perveniet ad talem animum, ut plus „amet Dominum, quam timeat gehennam (nul„lo modo, nec partialiter habendo oculum ad „infernum); ut etiamsi dicat illi Deus; utere „deliciis carnalibus sempiternis, quantum potes, „pecca; nec morieris; nec in gehennam mitte„ris; sed mecum tantummodo non eris; exhor„rescat, & omnino non peccet, non jam ut in „illud, quod timebat, non incidat; sed ne illum, „quem sic amat, offendat, in quo una est re-

„quies,

„ quies, quam oculus non vidit, nec in cor bo„ minis ascendit.

2. *Idem* l. 15. de Trinit. c. 17. & 18. „Cum „ Spiritus Sanctus fuerit datus homini, ipsum „ accendit in dilectionem Dei & proximi. Pro„ pter quod dicit: Nos diligamus, quia prior di„ lexit nos. Et Apostolus: Dilectio Dei diffusa „ est in cordibus nostris. Nullum est isto dono „ Dei excellentius. Solum est, quod dividit in„ ter filios regni æterni, & filios perditionis æter„ næ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum mu„ nera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi er„ go tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus, „ ut eum Dei & proximi faciat amatorem, à fini„ stra non transfertur ad dexteram. Nec Spiri„ tus dicitur propriè donum, nisi propter dile„ ctionem, quam qui non habuerit, si linguis ho„ minum loquatur & Angelorum, factus est æs „ tinniens. Quantum ergo bonum est, fine quo „ ad æternam vitam neminem bona tanta perdu„ cunt? Ipsa vero dilectio, sive charitas, nam „ unius rei est utrumque nomen, perducit ad re„ gnum." Ex hoc textu patet, quod D. Augustinus loquatur quidem de charitate habituali, sed ea, quæ dono Spiritus ex actu præcedente dilectionis transiit in habitualem.

3. *Idem* Serm. 72. de Tempore c. 8. explicans illud Apostoli: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis.* Et alterum textum: *Fides, quæ per dilectionem operatur.* „Quo„ modo, *inquit*, fides per dilectionem operatur? „ Et quomodo justificatur homo per fidem sine „ operibus legis? Intendite fratres. Credidit ali„ quis; percepit fidei Sacramenta (Baptismum, „ vel Pœnitentiam) in lecto & mortuus est. De„ ficit illi operandi tempus. Quid dicimus? Quia „ non est justificatus? Plane dicimus justificatum. „ Ergo ille justificatus est, & operatus non est? „ Impletus sententia Apostoli dicentis: Arbitra„ mur justificari hominem per fidem sine operi„ bus legis. Nam fides, quæ per dilectionem „ operatur, etsi non sit, in quo exterius opere„ tur, in corde tamen illa fervens servatur. Nam „ erant quidam in Lege, qui de operibus Legis „ gloriabantur, quæ fortasse non dilectione sed „ timore faciebant; Apostolus autem ait; quia „ potest homo justificari ex fide sine operibus le„ gis; ut illi magis non fuerint justi, qui quod „ faciebant, timore faciebant; cum fides per di„ lectionem operetur in corde, etsi amfi foris non „ exit in opere." In hoc textu D. Augustinus manifestè ad justificationem etiam cum Sacramento requirit dilectionem.

4. *Idem* Tract. 5. in Epist. Joan. „Dilectio „ sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. „ Signent se omnes signo Crucis. Baptizentur „ omnes; intrent omnes Ecclesiam. Non discer„ nuntur filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate. „ Qui habent charitatem, *nati sunt ex Deo.* Qui „ non habent; non nati sunt ex Deo." In hoc textu iterum loquitur de dilectione actuali, quæ dono Spiritus ex unico actu transiit in habitualem. Loquitur enim de illa dilectione & charitate, de qua loquitur D. Joannes, qui certo loquitur de actuali transeunte in habitualem practicam & operativam.

5. *Idem* Serm. 53. de Tempore docet, nec Martyrium prodesse sine dilectione Dei practica, habitualiter inhærente, quod fieri nequit, nisi præcesserit actualis dilectio, qua homo se gratiæ recipiendæ subjicit, actu voluntatis ejus motibus assentiente, & se conformante. „In omni„ bus præceptis, *inquit*, Dei charitas obtinet prin„ cipatum, sine cujus perfectione Deo nihil pla„ cere posse Paulus Apostolus testatur; quia nec „ Martyrium, nec eleemosynarum largitionem „ sine charitatis officio quidquam proficere posse „ ostendit. Unde & Dominus à Scriba interro„ gatus, quod esset maximum mandatum, respon„ dit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo." In hoc textu S. Doctor evidenter loquitur de charitate actuali transeunte in habitum; quia loquitur *de officio charitatis*, & de illa charitate, quæ est objectum præcepti, quale non est *charitas infusa*, prout ab adversariis describitur. Similia habet Tract. 6. in Joan. „Audi, *in„ quit*, quid dicat Apostolus: Si tradidero cor„ pus meum, ita ut ardeam, charitatem autem „ non babeam, nihil sum. Si tradidero, inquit; „ utique pro nomine Christi. Sed quia sunt mul„ ti, qui jactanter id faciunt, non cum charita„ te; ideo nihil prodest." Et Conc. 21. In Psal. 118. ad illa verba: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, sic ait: „Omnis „ consummatio mihi videtur hoc loco intelligen„ da, usque ad mortem pro veritate certare, & „ pro vero ac summo bono mala omnia tolerare. „ Quod autem addidit: Latum mandatum tuum „ valde; non intelligo nisi charitatem. Quid „ enim profuisset inter quæcunque tormenta illa „ martyria confiteri, si charitas in confitente non „ esset? Audiamus Apostolum: Si tradidero cor„ pus meum, ita ut ardeam, charitatem autem „ non habeam; nihil mihi prodest. Charitas au„ tem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spi„ ritum Sanctum, qui datus est nobis. In hac „ diffusione latitudo est; in qua sine angustiis via „ quoque ambulatur angusta." Ex his iterum patet sermonem esse de charitate practica, & habituali dependente ab actuali præterita vel concomitante.

6. *Idem* Serm. 43. de Verbis Domini, ad illa verba: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, ait: „Christus dedit dona hominibus. „ Quæ dona? Spiritum Sanctum. Quid nobis „ præstitit Spiritus Sanctus? Apostolum audi. „ Charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus no„ stris. Quid, aut in quo charitas Dei diffusa est „ in corde humano? Habemus, inquit, thesaurum „ istum in vasis fictilibus. Quare ne putaret „ quisquam, à se sibi esse, quod diligit Deum, „ continuo addidit: Per Spiritum Sanctum, qui „ datus est nobis. Ut ergo ames Deum, in te „ habitet Deus, & amet te de te, id est, ad amo„ rem suum moveat te, accendat te, illuminet „ te, excitet te. — Delectat adulterium? Con„ tradicatur; resistatur; repugnetur. Non enim „ non habes, unde pugnes. Deus tuus in te est; „ Spiritus bonus datus est tibi. Spiritus Dei est, „ qui

„ qui pugnat in te adversus te, adversus illud, „ quod est in te contra te. Nam ut noveris ad „ Spiritum Sanctum hoc officium pertinere, Apo„ stolus dicit: Si Spiritu facta carnis mortificave„ ritis, vivetis. Quo Spiritu? meo an Dei? „ Sublata est quæstio sequentibus verbis: Conti„ nuo enim addidit: Quotquot Spiritu Dei agun„ tur; hi sunt filii Dei. Agis, si agaris; & bene „ agis, si à bono agaris. Ergo, quod ambiguum „ erat, ex sequentibus intellige. Redemptor tibi „ dedit Spiritum, quo mortifices facta carnis. „ Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. „ Non sunt filii Dei, si non aguntur Spiritu Dei. „ Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia „ magnum habent adjutorem." Idem Serm. 13. de verbis Apostoli c. 13. „Quot Spiritu Dei agun„ tur, hi sunt filii Dei; quia qui Spiritu Dei agun„ tur, charitate aguntur. Charitas enim diffusa „ est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, „ qui datus est nobis. Adjunxit: Non enim ac„ cepistis spiritum servitutis iterum in timore. -- „ Jam ergo non in timore, sed in dilectione; ut „ non servi, sed filii simus. Qui enim adhuc „ ideo agit, quia pœnam timet, Deum non amat; „ nondum est inter filios." Ex his duobus textibus D. Augustini sequitur, quod illa charitas, quæ saltem *causaliter* ac *dispositivè* discernit inter filios Dei, sit dilectio actualis; eamque esse à Spiritu Sancto non tunc solum, quando per donum S. Spiritus & per habitum infusum transit in habitualem, sed etiam per gratiam actualem Spiritus Sancti, qui datus est Ecclesiæ non solum per gratiam sanctificantem, sed etiam per gratiam *illuminantem*, *accendentem*, *excitantem*, *adjuvantem*, prout in hoc textu S. Doctor explicat.

7. *Idem* in Psal. 79. ad illa verba: *Vivificabis nos. Converte nos. Ostende faciem tuam; & salvi erimus*, sic discurrit: „Ad omne rectè factum „ amor & timor ducit. Ut facias bene, amas „ Deum; & times Deum. -- Bene tu nihil aliud „ vis, quam ut bene tibi sit. Nam in eo quod „ amas, vis ut bene tibi sit; nam & sine indigen„ tia vis esse, & sine molestia. Amor inflam„ mat; accendit & bonus amor. De igne boni „ amoris Dominus dicit: Ignem veni mittere in „ terram, quo igne inardescant Spiritu ferventes, „ & Dei ac proximi charitate flagrantes. Vetus „ Testamentum hoc videtur facere, ne gratis co„ latur Deus; sed quia aliquid dat in terra, ideo „ diligitur. Mortui ergo erant; qui propterea „ Deum colebant, ut eis secundum carnem bene „ esset. Sapere enim secundum carnem mors est, „ & mortui sunt, qui non gratis Deum colunt, „ id est, quia ipse bonus est, non quia dat talia „ bona, quæ dat & non bonis. Pecuniam vis à „ Deo? habet & latro. Ergo ista omnia dat et„ iam malis; se solum servat bonis. *Vivificabis* „ *nos*; vitam interioris hominis dabis nobis; & „ nomen tuum invocabimus, id est, te diligemus: „ tu eris dulcis remissor peccatorum nostrorum; „ tu eris totum præmium justificatorum." Ex hoc textu iterum clarum est; eos à D. Augustino universim sine exceptione *inter mortuos* reputari, qui non diligunt Deum amore & *concupiscentia* & *benevolentia*,

8. *Idem* in l. de patientia c. 17. 18. 21. & 22. circa patientiam Job sic scribit: „Quisque justo„ rum tanto est ad mala perferenda fortior, quan„ to in eo est major charitas Dei. Charitas au„ tem Dei diffusa est in cordibus nostris, non uti„ que ex nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui „ datus est nobis. Proinde ab illo est patientia „ justorum, per quem diffunditur charitas eorum; „ charitas autem qua fit, ut rectè viventes omnia „ fortiter patiantur, ex Deo est. Et ideo falsæ „ patientiæ potest sine adjutorio Dei voluntas hu„ mana sufficere. Huic autem, quæ vera patien„ tia est, ideo voluntas humana, nisi desuper „ adjuta & inflammata, non sufficit, quia Spiri„ tus Sanctus est ignis ejus, quo nisi accensa dili„ gat impassibile bonum, ferre non potest quod „ patitur malum. Deus charitas est; & qui ma„ net in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. „ Quisquis ergo contendit, posse Dei charitatem „ haberi sine adjutorio Dei, quid aliud conten„ dit, nisi haberi Deum posse sine Deo. Exul„ tans ergo apud Apostolum vera patientia dicit „ in ore Sanctorum! Quis nos separabit à chari„ tate Christi? Tribulatio? an angustia &c. In „ his omnibus supervincimus per eum, qui dile„ xit nos, non per nos. Deinde sequitur: Cer„ tus sum; quia neque mors, neque vita &c. po„ terit nos separare à charitate Dei, quæ est in „ Christo. Hæc est illa charitas, quæ diffunditur „ in cordibus nostris, non ex nobis, sed per Spi„ ritum Sanctum, qui datus est nobis. -- Unde „ & antiqui justi ante Incarnationem Verbi in hac „ fide Christi justificati sunt. Quomodo autem „ possent esse alieni à fide Christi, quorum chari„ tate nobis prænuntiatus est Christus? -- Quod „ cum ita sit, quid est homo utens in hac vita „ propria voluntate, antequam eligat & diligat „ Deum, nisi injustus & impius? Quid est homo „ aberrans à Deo, nisi Creator eum diligat gra„ tis. Sed quomodo Deus prius diligit iniquos „ & justificat? Quomodo, nisi miro modo! Me„ dicus bonus ægrotum odit & diligit. Odit, „ quia ægrotat; qui diligit, ut ægritudinem pel„ lat. Hæc propter charitatem dicta sunto, sine „ qua in nobis non potest esse vera patientia, „ quia in bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia." Ex hoc textu iterum clarum est, quod loquatur de dilectione & charitate actuali transeunte in habitum dono Dei in ipsa justificatione; sine qua dilectione dicit manere *injustum & impium*.

9. *Idem* in Epist. ad Galatas: „Non aufert „ peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem „ operatur. -- Hinc (Apostolus) incipit demon„ strare, quemadmodum gratia fidei sufficiat ad „ justificationem sine operibus Legis. Sed ne „ quis fallatur ambiguo, scire debet; opera legis „ bipartita esse. Nam partim in Sacramentis, „ partim vero in moribus accipiuntur. Ad Sa„ cramenta pertinent Circumcisio, Sacrificia &c. „ Ad mores autem; *Non occides*, *non mœchaberis* „ &c. Omne Sacramentum, cum intelligitur, „ ad contemplationem veritatis refertur, aut ad „ bonos mores. Contemplatio veritatis in solius „ Dei dilectione fundata est; boni mores in dile„ ctione Dei & proximi. -- Ille justificatur apud „ Deum; qui eum gratis colit, non scilicet cupi„ditate

„ ditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, „ aut timore amittendi. In ipso enim solo vera „ est nostra beatitudo atque perfecta. -- Christus nos liberavit à maledicto Legis, ut non jam „ timore justificaremur in operibus Legis, sed „ fide apud Deum, quæ non per timorem sed „ dilectionem operatur. -- Dominus ait: Non „ veni solvere Legem, sed adimplere; quia erat „ ablaturus timorem carnalem; spiritualem au„ tem charitatem daturus, qua sola Lex impleri „ potest. Plenitudo enim Legis charitas, ut „ quando fides impetrat Spiritum Sanctum, per „ quem charitas Dei diffusa est in cordibus ope„ rantium justitiam, nullo modo quisquam ante „ gratiam fidei de operibus glorietur. . Quapro„ pter Apostolus ostendit, opera ad bonos mo„ res pertinentia non impleri, nisi dilectione, per „ quam fides operatur. -- Tertia est vita sub „ gratia, quando nihil temporalis commodi justi„ tiæ præponitur, quod nisi charitate, quam Do„ minus exemplo docuit, & gratia donavit, fieri „ non potest. -- Illam custoditionem Legis; „ Non occides, non mœchaberis, & si quæ hu„ jusmodi, ad bonos mores pertinere manifestum „ est, quæ nisi charitate & spe bonorum æterno„ rum impleri non posse manifestum est." Ex hoc textu denuo colligitur, sine dilectione Dei actuali, transeunte in habitum dono Dei, justificationem nunquam obtineri.

10. *D. Augustinus* negat; per attritionem solam ex metu inferni excludi voluntatem peccandi sine dilectione Dei. Ergo. *Ant. patet* ex textibus in Quæst. 2. adductis.

VI. *S. Petrus Chrysologus* Serm. 94. "Licet „ fueris in ista (vitia) desolutus, vide, ne de„ speres. Homo remansit tibi, unde piissimo sa„ tisfacias Creditori. -- Absolvi vis? Ama. „ Charitas cooperiet multitudinem peccatorum."

VII. *S. Gregorius M.* l. 1. Mor. c. 11. "Ec„ clesia rectitudinis vias timore inchoat, sed cha„ ritate consummat; cui tunc est funditus à malo „ recedere, cum ex amore Dei jam cœperit nolle „ peccare. Cum verò adhuc timore bona agit; „ à malo penitus non recessit; quia eoipso peccat, „ quo peccare vellet, si inultè potuisset." Rectè „ ergo, cum Deum timere Job dicitur, recede„ re etiam à malo perhibetur; quia dum metum „ charitas sequitur, ea quæ metu relinquitur, „ etiam per cogitationis propositum culpa cal„ catur.

VIII. *S. Isidorus* l. 2. Sentent. c. 3. "Sine „ amore charitatis, quamvis quisque rectè cre„ dat, ad beatitudinem pervenire non potest; „ quia tanta est charitatis virtus; ut etiam Mar„ tyrium fine illa nihil esse credatur." Et in Cantica ad illud: „*Recti diligunt te.* Nullus te diligit, „ nisi rectus; & nullus est rectus, nisi qui te di„ ligit.

IX. *Burchardus* l. 19. Decreti c. 32. "Propter „ nudum gemitum; & propter nudum nomen „ pœnitentiæ nullus salvabitur; sed per veram „ confessionem; sed per Sacerdotis intelligentis „ consilium, & per charitatis affectum peccato„ rum moles obruitur.

X. *S. Bernardus* Epist. 11. "Puto, quod cha„ ritas sola sit, quæ ab amore sui & mundi con„ vertere possit animam, & in Deum dirigere. „ Nec timor quippe, nec amor privatus conver„ tunt animam; mutant interdum vultum vel „ actus; affectum nunquam.

PROBATUR CONCLUSIO 19. Authoritate veterum Theologorum, qui unanimiter docent; quod Sacramentum ex attrito faciat contritum, & quod attritio in Sacramento fiat contritio, in hoc unicè inter se disputantes, an idem numero, an vero solum idem specie actus ex attritione transeat in contritionem, in quantum in Sacramento ille actus attritionis per informationem gratiæ sanctificantis fit charitas seu contritio perfecta. Plerique illorum etiam docent; quod ad Sacramentum requiratur contritio saltem *existimata*, per quam intelligunt dolorem conceptum ex motivo dilectionis. Fusiores eorum textus, præsertim *Magistri Sententiarum*, *Alberti M.*, *Alensis*, *D. Thomæ*, *D. Bonaventuræ* &c. partim recurrent Quæstione sequente; partim legi possunt in iis quæ scribunt in 3. Dist. 29. 30. 31. 32. 33. 34. Et in 4. Dist. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

PROBATUR CONCLUSIO 20. authoritate D. Thomæ, qui ad virtutem pœnitentiæ universim, etiam relativè ad Sacramentum Pœnitentiæ spectatam, requirit dilectionem erga Deum. Ergo requiritur ea dilectio etiam ad virtutem pœnitentiæ, inquantum est materia Sacramenti. *c. patet;* quia malè assignarentur proprietates virtutis pœnitentiæ *genericè* spectatæ, quæ non reperirentur in quovis contento sub genere. *Ant. prob.* ex conbinatione textuum & ex Systemate doctrinæ, quam propterea nuda recensione textuum in compendio refero, exinde ad finem argumenta convincentia deducturus. Itaque in *Summa* p. 3. q. 84. in Præfatione sic scribit: „ I. Consequenter (post tractationem de Sacra„ mento Eucharistiæ) considerandum est de Sa„ cramento Pœnitentiæ. Circa quod consideran„ dum est primò de ipsa pœnitentia. Secundò „ de effectu ipsius. Tertiò de partibus ejus. „ Quartò de suscipientibus hoc Sacramentum. „ Quintò, de potestate Ministrorum. Sexto, de „ solemnitate hujus Sacramenti. Circa primum „ duo consideranda sunt. Primò, de Pœnitentia „ secundum quod est Sacramentum. Secundò de „ Pœnitentia secundum quod est virtus. Circa „ primum quæruntur decem. Primò, an Pœni„ tentia sit Sacramentum? Secundò, an peccata „ sint materia hujus Sacramenti? Tertiò quæ sit „ forma hujus Sacramenti. -- Decimò, an hoc „ Sacramentum possit iterari?

II. „ Circa primum (art. 1.) sic proceditur. „ Videtur quod pœnitentia non sit Sacramentum, „ quia in pœnitentia non adhibentur res corpo„ rales. Præterea pœnitentia non exhibetur à „ ministris, sed interius à Deo inspiratur. Ad „ primum dicendum; quod in illis Sacramentis, „ quæ habent effectum correspondentem humanis „ actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, „ ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio. Ad „ secundum dicendum, quod in Sacramento Pœ„ nitentiæ sunt actus humani pro materia, qui „ proveniunt ex inspiratione interna. Unde ma„ teria non adhibetur à Ministro. Ad secundum, „ an

„an peccata sint materia hujus Sacramenti, dicendum, quod duplex est materia, scilicet proxima & remota. Dictum est autem, quod materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, cujus materia sunt peccata, de quibus dolet.

III. (art. 7.) „Ad Septimum, an hoc Sacramentum fuerit convenienter in nova Lege institutum? sic proceditur. Videtur quod hoc Sacramentum non fuerit convenienter in nova Lege institutum. Etenim pœnitere de malis est de jure naturali. Non enim potest aliquis bonum diligere; quin de contrario doleat. Præterea etiam in Veteri Lege fuit pœnitentia. Respondeo dicendum, quod in hoc Sacramento actus pœnitentis se habet sicut materia. Id autem quod se habet ex parte Sacerdotis, se habet ut formale & completivum Sacramenti. Materia verò etiam in aliis Sacramentis præexistit à natura, ut aqua, vel ab arte, ut panis. Sed quod talis materia ad Sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sic ergo hujus Sacramenti materia præexistit à natura: ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis, quæ fecit. Sed quod hoc vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione divina. Ad primùm dicendum, quod de jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc, quod doleat se fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum; & quod etiam aliqua signa doloris ostendat. Sed sicut alia, quæ sunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinæ, ita etiam & pœnitentia. Ad secundum dicendum, quod ea, quæ sunt juris naturalis, diversimodè determinationem accipiunt in Veteri & in Nova Lege, secundum quod congruit imperfectioni Veteris Legis, & perfectioni Novæ. Unde & pœnitentia in Veteri Lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut magis esset in corde, quam in exterioribus signis. Quantum autem ad remedium doloris quærendum, ut aliquo modo Ministris Dei sua peccata confiterentur, ad minus in generali. In hoc ipso enim, quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur. Nondum autem erat instituta potestas clavium; & per consequens nondum erat institutum, quod aliquis doleret de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem & satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ virtute Passionis Christi.

IV. „Ad decimum; (art. 10.) Utrum Sacramentum pœnitentiæ debeat iterari? Respondeo dicendum; quod circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicentes; non posse hominem per pœnitentiam secundò consequi veniam peccatorum. Quorum quidam, scilicet Novatiani, hoc in tantum extenderunt, ut dicerent, post primam pœnitentiam, quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per pœnitentiam restitui. Alii verò fuerunt hæretici, qui post baptismum dicebant quidem, esse utilem pœnitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum. Videntur autem hujusmodi errores ex duobus processisse. Primò quidem; quia errabant circa rationem veræ pœnitentiæ. Cum enim ad veram pœnitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata, credebant, quod charitas semel habita non possit amitti; & per consequens pœnitentia, si sit vera, nunquam per peccatum tollatur. Sed hoc improbatum est in secunda parte, ubi 2. 2. q. 24. a. 11. ostensum est, quod charitas semel habita propter libertatem arbitrii potest amitti, & per consequens post veram pœnitentiam potest aliquis peccare mortaliter." Ita *D. Thomas* quæst. 84. Dein quæst. 85. sic pergit:

V. „Deinde considerandum est de pœnitentia secundum quod est virtus. Et circa hoc quæruntur sex. Primò, utrum pœnitentia sit virtus? Secundò, an sit virtus specialis? Tertiò, an pœnitentia sit species justitiæ? – Quintò, an principium pœnitentiæ sit ex timore? Sextò, de ordine ejus ad alias virtutes. Ad primum, utrum pœnitentia sit virtus, sic proceditur. Videtur quod pœnitentia non sit virtus. Pœnitentia enim est Sacramentum. Sed nullum aliud Sacramentum est virtus. Respondeo dicendum; quod manifestum est, quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis. Ad primum dicendum; quod, sicut dictum est, in Sacramento pœnitentiæ materialiter se habent actus humani; quod non contingit in baptismo vel confirmatione. Et ideo pœnitentia est virtus vel cum virtute.

VI. „Ad secundum articulum; an pœnitentia sit specialis virtus? sic proceditur: Videtur, quod pœnitentia non sit specialis virtus. Ejusdem enim rationis videtur esse, gaudere de bonis prius actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius facto non est specialis virtus, sed est quidam affectus laudabilis ex charitate proveniens. Ergo nec pœnitentia est specialis virtus, sed est quidam affectus ex charitate proveniens. Respondeo dicendum; quod species habituum distinguuntur secundum species actuum. Et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, inquantum est offensa Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Ad primum dicendum, quod à charitate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo sicut ab ea elicitus. Et talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem præter charitatem; sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de opposito. Alio modo aliquis actus à charitate procedit, quasi à charitate imperatus. Et sic, quia ipsa imperat omnibus virtutibus utpote eas ordinans ad finem suum, actus à charitate procedens potest NB. etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet; sicut & gaudere de bonis præteritis. Sed intentio ope-

„randi

„ randi deletionem peccati præteriti, requirit „ specialem virtutem sub charitate.

VII. „Ad tertium Articulum: Utrum virtus pœnitentiæ sit species justitiæ? Dicendum „ (ad 4.) quod pœnitentia licet sit directè species „ justitiæ, comprehendit tamen quodammodo „ ea quæ pertinent ad omnes virtutes. Inquantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, „ oportet; quod participet ea, quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro „ objecto. Unde pœnitentia est cum fide Passionis Christi; per quam justificamur à peccatis: „ & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod „ pertinet ad charitatem. Inquantum verò est „ virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, „ temperantiæ, & fortitudinis.

VIII. „Ad quintum Articulum; Utrum „ principium pœnitentiæ sit ex timore? sic proceditur. Videtur quod principium pœnitentiæ non sit ex timore. Pœnitentia enim incipit in displicentia peccatorum. Sed hoc pertinet ad charitatem. Ergo pœnitentia magis „ oritur ex amore quam ex timore. Respondeo „ dicendum; quod de pœnitentia loqui possumus „ dupliciter. Uno modo, quantum ad habitum. „ Et sic immediatè infunditur à Deo sine nobis „ principaliter operantibus; non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus. „ Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantum ad (illos præfatos) actus, quibus Deo „ operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum „ actuum primum principium est operatio Dei „ convertentis cor; secundum illud *Threnorum; Converte nos, & convertemur*. Secundus actus „ est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis „ retrahitur. Quartus motus est: actus spei, „ quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit „ propositum emendandi. Quintus motus est „ charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia. „ Sextus actus est motus amoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo „ voluntariè offert. Sic igitur patet; quod actus „ pœnitentiæ à timore servili procedit sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato; è timore „ autem filiali sicut ab immediato & proximo „ principio. Ad primum dicendum; quod peccatum primo incipit homini displicere, maximè „ peccatori, propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel „ peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem.

IX. „Ad sextum Articulum: Utrum pœnitentia sit prima virtutum? Respondeo dicendum; quod in virtutibus non attenditur ordo „ temporis quantum ad habitus; quia cum virtutes sint connexæ, omnes simul incipiunt esse „ in anima. Sed dicitur una eorum esse prior „ altera ordine naturæ, qui consideratur ex ordine actuum, secundum scilicet, quod actus „ unius virtutis præsupponit actum alterius virtutis. Secundum hoc igitur dicendum est, „ quod actus quidam laudabiles etiam tempore „ præcedere possunt actum & habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei & spei informium, & actus „ timoris servilis. Actus autem & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & habitibus aliarum virtutum. Nam, „ sicut (1. 2. q. 113. a. 3. & 8.) habitum est, in „ justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem „ formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, „ qui est actus pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei, unde primus actus „ est ratio & causa secundi. Sic igitur pœnitentia non est simpliciter prima virtutum nec ordine temporis, nec ordine naturæ; quia secundum ordinem naturæ simpliciter præcedunt „ ipsam virtutes Theologicæ. Ad tertium dicendum, quod pœnitentia aperit aditum virtutibus expellendo peccatum per virtutem fidei „ & charitatis, quæ sunt naturaliter priores; ita „ tamen aperit eis aditum, quod ipsæ simul intrent cum ipsa; nam in justificatione impii simul cum motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum est remissio culpæ & infusio gratiæ, cum „ qua simul infunduntur omnes virtutes.

X. Dein Quæstione 86. *D. Thomas* sic pergit: „ Deinde considerandum est de effectu pœnitentiæ. Et primò quantum ad remissionem peccatorum mortalium. Secundò, quantum ad remissionem peccatorum venialium. Circa primum quæruntur sex. Primò; utrum omnia „ peccata mortalia per pœnitentiam auferantur? „ Secundò; utrum possint sine pœnitentia tolli? -- „ Sextò; utrum auferre peccata sit effectus pœnitentiæ, inquantum est virtus, an inquantum „ est Sacramentum? Ad secundum Articulum: „ Utrum sine pœnitentia peccatum remitti possit? „ Respondeo dicendum, quod impossibile est; „ peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendò de pœnitentia, quæ est virtus. „ Cum enim peccatum sit offensa Dei; eo modo „ Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem peccati „ mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad „ aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur „ ad Deum cum detestatione aversionis prædictæ, „ & proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, secundum quod est virtus.

XI. „Ad sextum Articulum, utrum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ? Respondeo „ dicendum, quod pœnitentia est virtus, secundum quod est principium quorundam actuum „ humanorum. Actus autem humani, qui sunt „ ex parte peccatoris, materialiter se habent in „ Sacramento pœnitentiæ. Omne autem Sacramentum producit effectum suum non solum „ virtute formæ, sed etiam virtute materiæ. Unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum „ virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, „ ex qua & ipsa aqua virtutem recipit; ita & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent „ ministri, ex quorum parte accipitur id, quod „est

„ est formale in hoc Sacramento, secundario autem ex vi actuum pœnitentis, tamen prout hi aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ. Et sic patet, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Ad primum, (ubi objicitur, quod humanus actus non operatur ad remissionem culpæ, utpote qui ipsemet est effectus gratiæ operantis) dicendum, quod effectus gratiæ operantis est justificatio impii, in qua non solum est gratiæ infusio & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Hi tamen actus humani sunt ibi, ut effectus gratiæ operantis, simul producti cum remissione culpæ. Unde remissio culpæ non fit sine actu pœnitentiæ virtutis, licet sit effectus gratiæ operantis. Ad secundum, (ubi objicitur, quod remissio culpæ non sit effectus nobilioris virtutis, quam est pœnitentia; ergo multo minus videtur esse effectus pœnitentiæ) dicendum, quod in justificatione impii non solum est actus pœnitentiæ, sed etiam actus fidei; & ideo remissio culpæ non ponitur effectus solum pœnitentiæ virtutis, sed principalius fidei & charitatis.

XII. Quæstione 89. *D. Thomas* sic pergit: „Deinde considerandum est de recuperatione virtutum per pœnitentiam. Ad primum Articulum; utrum virtutes restituantur per pœnitentiam? sic proceditur: Videtur, quod per pœnitentiam virtutes non restituantur. Pœnitentia enim, cum sit virtus, non potest esse causa omnium virtutum; præsertim cum quædam virtutes sint naturaliter priores pœnitentia, scilicet fides, spes, & charitas. Dicendum, quod eodem modo pœnitentia restituit virtutes, per quem modum est causa gratiæ. Est autem causa gratiæ, inquantum est Sacramentum. Nam inquantum est virtus, magis est gratiæ effectus. Et ideo non oportet, quod pœnitentia secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum; sed quod habitus pœnitentiæ simul cum habitibus aliarum virtutum per Sacramentum pœnitentiæ causentur. Ad secundum, (ubi objicitur; quod pœnitentia consistat in quibusdam actibus; virtutes autem gratuitæ non causentur ex actibus nostris, quia, ut dicit Augustinus, Deus virtutes in nobis sine nobis operatur) „dicendum; quod in Sacramento pœnitentiæ actus humani se habent materialiter; sed formalis vis hujus Sacramenti dependet ex virtute clavium. Et ideo virtus clavium effective causat gratiam & virtutes, instrumentaliter tamen. Sed actus primus pœnitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam; scilicet contritio. Alii verò actus pœnitentiæ procedunt jam ex gratia & virtutibus.

Hucusque *D. Thomas* in Summa. Ex his autem ejus verbis colligere licet; quod in pœnitentiæ virtute, quatenus est pars Sacramenti, involvatur pro priori ad remissionem culpæ motus dilectionis erga Deum. Nam 1. docet q. 84. a. 7. C. (N. III.) eandem pœnitentiam nunc esse materiam Sacramenti, quæ fuit requisita antiquitus in Veteri Testamento. Cum ergo tunc fuerit requisitus motus dilectionis in Deum etiam nunc requiritur. 2. Dum l. cc. comparat pœnitentiam Veteris Testamenti cum pœnitentia Novi Testamenti, discrimen nullibi constituit in eo, quod pœnitentia nunc sit facilior; eò quod nunc sola sufficiat attritio sine dilectione; ibi autem requisita fuerit contritio cum dilectione, sed tantum dicit, quod tota diversitas consistat in annexo proposito; quia tunc solum requirebatur propositum alicujus confessionis valde generalis, nunc autem distinctæ. 3. l. cc. docet; pœnitentiam Veteris & Novæ Legis differre tantum quoad determinationem circa confessionem, nullum assignando discrimen circa contritionem. 4. Assignando l. cc. discrimen inter pœnitentiam Veteris & Novæ Legis non dicit, quod ibi propterea pauci fuerint justificati nunc autem multi; eò quod facilius sit elicere attritionem ex metu inferni, quam cum motu dilectionis, sed potius ea de causa, quod in V. T. requisita fuerit dilectio *extensivè* magna, se extendens ad actus multos practicos amoris, satisfactorios seu compensatorios pro peccato, cum nulli actui, determinato per Deum aut ejus Vicarium, ut nunc, fuerit promissa venia. Stante enim incertitudine de quantitate, quam Deus vellet acceptare, plus præstandum erat. 5. Docet l. cc. pœnitentiam in V. & N. T. requiri à Deo, prout congruit conditioni temporum & statuum. Fuisset autem incongruum; ibi ad justificationem requiri motum dilectionis; nunc autem solam sufficere attritionem ex metu inferni. 6. Dum Novatianos redarguit; quod existimaverint, charitatem non posse amitti, & ideo pœnitentiam iterari non posse, male contra eos argumentaretur ex eo, quod *ex amante Deum* possit fieri *non amans*, si non requireretur in pœnitentia amor Dei. 7. Docet; specificativum virtutis pœnitentiæ esse, ut doleat de peccato, *quatenus est offensa Dei*; sub qua consideratione est tantum amoris objectum. Cum ergo specificativum rei debeat convenire *omni* & *soli*, clarum est; quod illa tendentia pœnitentiæ debeat convenire omni pœnitentiæ tam Sacramentali, quam extrasacramentali. 8. Ubi enumerat (N. IX.) omnes motus virtutis pœnitentiæ, genericè sumptæ, inter eos non enumerat motum timoris servilis denominativè sumpti, sed tantum reduplicativè sumpti; Ergo signum est, quod non detur realiter ac practice medium inter timorem servilem qua talem, qui non sufficit; & inter timorem initialem, qui est conjunctus cum actu charitatis, saltem imperfectæ. 9. Ibidem (N. IX.) manifestè supponit; quod habitum charitatis præcedat actus charitatis; ac proin, quod dilectio actualis dono Dei transeat in habitualem. 10. Docet; (N. X.) quod peccatum mortale in nulla providentia possit remitti sine detestatione peccati, *quatenus est offensa Dei*, & *quatenus est aversio à Deo*; quæ tendentia formalissimè est tendentia amoris erga finem ultimum. Ergo multo minus peccatum sine illa tendentia remitti poterit in Sacramento. 11. Ibidem (N. XI.) docet; remissionem culpæ etiam in Sacramento esse effectum pœnitentiæ virtutis, *quatenus simul est fidei & charitatis*; ergo sicut loquitur de

de actu fidei, & non de habitu, ita intelligendus est de actu, & non de habitu charitatis. 12. Ubique (N. XII.) & in prioribus concedit, quod pœnitentia in Sacramento requisita, & inquantum est dispositio ad gratiam, præsupponat *actum fidei, spei, & charitatis*; & quod debeat esse *contritio*. 13. Manifestum est; quod in his omnibus locis, ubi loquitur de propriet atibus pœnitentiæ necessariis, de ea loquatur relativè etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ, prout tituli Quæstionum & Articulorum ostendunt.

ULTERIUS HÆC EADEM MENS D. THOMÆ probatur etiam ex ejus Idea, quam habet de Justificatione homiois. Dum enim examinat *naturam justificationis in genere*, hoc est, prout convenit omni & soli, adeoque etiam Sacramentali, apertè dicit; in ea requiri motum charitatis io Deum, qui motus excitatur ab auxilio gratiæ actualis, ita tamen, ut coipso momento, quo ille motus gratiæ actualis ab homine per consensum acceptatus, statim per infusionem ac ioformationem gratiæ sanctificantis transeat in charitatem habitualem, seu charitatem iosusam. Nam prout in Tract. *de charitate*, dictum est, charitas infusa nil aliud est, quam *amor Dei gratia sanctificante informatus*: ita ut charitas infusa sit aliquod compositum seu concretum, cujus materia seu pars materialis sit ipse amor hominis erga Deum; pars autem formalis seu forma hujus concreti sit ipsa gratia sanctificans, amorem hominis erga Deum in esse meritorio dignificans, & in esse habituali conservans. Hæc mens D. Thomæ patet ex ejus sequentibus textibus:

Io SUMMA 1. 2. q. 113. sic scribit: (I.) „Deinde considerandum est de effectibus gratiæ. „Et primò de justificatione impii, quæ est effectus gratiæ operaotis (seu actualis). Secundò „de merito, quod est effectus gratiæ cooperaotis (seu habitualis). Circa primum quæruntur „decem. Primò, quid sit justificatio? Secundo, „utrum ad eam requiratur infusio gratiæ? Tertiò; utrum ad eam requiratur aliquis motus liberi arbitrii? Quartò; utrum ad justificationem requiratur motus fidei? Quintò; utrum „ad cam requiratur motus liberi arbitrii contra „peccatum? Sextò; utrum præmissis annumeranda sit remissio peccatorum? Septimò; utrum „io justificatione sit ordo temporis, aut sit subito? Octavò; de naturali ordine eorum, quæ „ad justificationem concurrunt. Ad primum „Articulum; utrum justificatio impii sit remissio „peccatorum? Respondeo dicendum; quod justificatio passivè accepta dicit motum ad justitiam. Cum autem justitia importet rectitudinem ordinis, dupliciter accipi potest. Uno „modo, secundum quod importat ordinem rectum in ipso actu hominis. Alio modo prout „importat rectitudinem quandam ordinis in ipsa „interiori dispositione hominis, prout scilicet „supremum hominis (seu ratio) subditur Deo; „& ioferiores vires animæ subduntur rationi. „Hæc autem justitia in homine potest fieri dupliciter. Uno modo per motum simplicis generationis, qui est ex privatione ad formam. Et „hoc modo justificatio posset competere ei, qui „non esset in peccato, sicut Adam dicitur acce- „pisse originalem justitiam. Alio modo potest „fieri hujusmodi justitia secundum rationem motus de contrario in contrarium; & secundum „hoc justificatio importat transmutationem quandam de statu iojustitiæ ad statum justitiæ prædictæ. Et hoc modo loquimur hic de justificatione impii.

(II.) „Ad secundum, (ubi objicitur, quod „remissio peccatorum præcipuè fit per fidem & „per charitatem. Ergo remissio peccatorum magis debuit denominari à fide & charitate, quam „à justitia) dicendum; quod fides & charitas dicunt specialem ordinem mentis humanæ ad „Deum secundum intellectum vel affectum; sed „justitia importat generaliter totam rectitudinem „ordinis. Et ideo magis denominatur hujusmodi transmutatio à justitia, quam à charitate „vel fide.

(III.) „Ad secundum Articulum: Utrum ad „remissiooem culpæ, quæ est justificatio impii, „requiratur infusio gratiæ? Respondeo dicendum, quod offensa oon remittitur nisi per hoc, „quod Deus nobis pacatur, quæ quidem pax „consistit in dilectione, qua Deus diligit oos. „Effectus autem divinæ dilectionis est gratia, „qua homo fit dignus vita æterna.

(IV.) Ad tertium Articulum: Utrum ad „justificationem impii requiratur motus liberi „arbitrii? Respondeo dicendum; quod justificatio fit Deo movente hominem ad justitiam. „Deus autem movet omoia secundum modum „uniuscujusque. Ideo non fit motio à Deo ad „justitiam absque motu liberi arbitrii, sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam „simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui suot hujus motionis capaces. Ad secundum (ubi objicitur, quod Salomon in somno obtiouerit donum sapientiæ sine motu liberi arbitrii) dicendum, quod non est cadem ratio de dono sapientiæ & de dono gratiæ justificantis. Nam „donum gratiæ justificantis præcipuè ordinat hominem ad bonum, quod est objectum voluntatis, & ideo ad ipsum movetur homo per motum voluntatis, qui est motus liberi arbitrii. „Sed Sapientia perficit intellectum, qui præcedit „voluntatem.

(V.) „Ad quartum Articulum: Utrum ad „justificationem impii requiratur motus fidei? „Respondeo dicendum; quod motus liberi arbitrii requiritur ad justificationem impii, secundum quod mens hominis movetur à Deo, Deus „autem movet animam hominis convertendò „cam ad seipsum. Ideo ad justificationem impii requiritur motus mentis; quo convertitur „in Deum. Prima autem conversio in Deum fit „per fidem. Et ideo requiritur ad justificationem impii motus fidei.

(VI.) *Ad primum*, (ubi objicitur, quod homo etiam justificatur per timorem; item per charitatem; secundum illud Luc. 7. Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum; & iterum per humilitatem; & per misericordiam. Ergo motus fidei non magis requiritur ad justificationem impii, quam motus prædictarum virtutum). „dicen-

„ dicendum, quod motus fidei non est perfectus, „ nisi charitate informatus. Unde simul in justificatione impii cum motu fidei est etiam motus charitatis. Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, quod ei se subjiciat. „ Unde etiam concurrit motus timoris filialis, „ & actus humilitatis. Contingit enim unum & „ eundem actum liberi arbitrii diversarum virtutum esse, secundum quod una imperat, & alia „ imperatur.

(VII.) „Ad quintum Articulum: Utrum ad „ justificationem impii requiratur motus liberi in „ peccatum? Respondeo dicendum; quod, sicut „ dictum est, justificatio impii est quidam motus, „ quo humana mens movetur à Deo à statu peccati in statum justitiæ. Oportet igitur; quod „ humana mens se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arbitrii. Unde „ oportet; quod mens humana dum justificatur „ per motum liberi arbitrii, recedat à peccato, „ & accedat ad justitiam. Recessus autem & Accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem & desiderium. Dicit enim „ Augustinus; progrederis animo cum appetis; „ fugis animo cum metuis. Oportet igitur; quod „ in justificatione impii sit motus liberi arbitrii „ duplex. Unus, quo per desiderium tendat in „ Dei justitiam; & alius, quo detestetur peccatum. Ad primum (ubi objicitur, quod sola „ charitas sufficiat ad deletionem peccati. Sed „ charitatis objectum non est peccatum. Ergo „ ad justificationem non requiritur motus liberi „ arbitrii in peccatum) dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud. Et ideo, sicut ad „ charitatem pertinet, diligere Deum, ita etiam „ detestari peccata, per quæ anima separatur à „ Deo.

(VIII.) „Ad tertium (ubi objicitur, quod „ dentur etiam peccata oblita, quæ homo non „ potest detestari. Ergo ad justificationem non „ requiritur motus liberi in peccatum) dicendum, „ quod in tempore præcedente justificationem „ oportet, quod homo singula peccata quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet; & „ ex tali consideratione præcedente subsequitur „ in anima quidam motus detestantis universaliter omnia peccata commissa, inter quæ includuntur etiam oblita. Et iste motus concurrit „ ad justificationem.

(IX.) „Ad sextum Articulum: Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea, „ quæ requiruntur ad justificationem impii? Respondeo dicendum; quod quatuor enumerantur, quæ requiruntur ad justificationem impii, „ scilicet gratiæ infusio; motus liberi arbitrii in „ Deum per fidem; & motus liberi arbitrii in „ peccatum, & remissio culpæ. Ratio est, quia „ ut dictum est, justificatio est quidam motus, „ quo anima movetur à Deo à statu culpæ in statum justitiæ. In quolibet autem motu, quo „ aliquid ab altero movetur, tria requiruntur. „ Primò, motio ipsius moventis. Secundò motus mobilis. Tertiò consummatio motus, seu „ perventio ad finem. Ex parte igitur motionis „ divinæ accipitur gratiæ infusio. Ex parte vero liberi arbitrii moti accipiuntur duo motus „ ipsius secundum recessum à termino à quo, & „ accessum ad terminum ad quem. Consummatio „ autem sive perventio ad terminum hujus motus importatur per remissionem culpæ. In hoc „ enim justificatio consummatur.

(X.) „Ad secundum (ubi objicitur, quod „ idem sit gratiæ infusio & remissio culpæ) dicendum, quod gratiæ infusio & remissio culpæ „ dupliciter considerari possunt; Uno modo secundum ipsam substantiam actus; & sic idem „ sunt: eodem enim actu Deus & largitur gratiam „ & remittit culpam. Alio modo possunt considerari ex parte objectorum; & sic differunt „ secundum differentiam culpæ, quæ tollitur, & „ gratiæ, quæ infunditur. Sicut etiam in rebus „ naturalibus generatio & corruptio differunt; „ quamvis generatio unius sit corruptio alterius.

(XI.) „Ad septimum Articulum: Utrum justificatio impii fiat in instanti, vel successivè? „ Respondeo dicendum; quod tota justificatio „ impii originaliter consistit in gratiæ infusione. „ Per eam enim & liberum arbitrium movetur, „ & culpa remittitur. Gratiæ autem infusio fit „ in instanti absque successione. Ad hoc autem, „ quod Deus gratiam infundat animæ, non requirit aliquam dispositionem, nisi quam ipse facit. „ Facit autem hujusmodi dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiæ quandoque quidem „ subito, quandoque autem paulatim & successivè, sicut supra (1. 2. q. 112. a. 2. ad 2.) dictum „ est. Cum enim virtus divina sit infinita, potest quamcunque materiam creatam subitò disponere ad formam, & multo magis liberum arbitrium, cujus motus potest esse instantaneus secundum naturam. Sic igitur justificatio impii „ fit à Deo in instanti." Ita *D. Thomas* de justificatione formali; de dispositiva vero scribit 1. 2. q. 112. quod fiat quandoque subito in instanti, quandoque, imo ordinariè tantum successivè.

(XII.) „Ad primum (ubi objicitur, quod „ in justificatione impii interveniat deliberatio, „ quæ non fit in instanti) dicendum, quod motus liberi arbitrii, qui concurrit ad justificationem impii, est consensus ad detestandum peccatum, & ad accedendum ad Deum, qui consensus subito fit. Contingit autem quandoque, quod præcedit aliqua deliberatio, quæ non „ est de substantia justificationis, sed via in justificationem.

(XIII.) „Ad secundum (ubi objicitur, quod „ motus in Deum, & in peccatum indigeant „ diversis considerationibus, quæ non possunt „ fieri in uno instanti) dicendum, quod nihil „ prohibet; duo simul intelligere, secundum „ quod sunt aliquo modo unum; sicut simul intelligimus subjectum & prædicatum, inquantum uniuntur ordine affirmationis. Et per „ eundem modum liberum arbitrium potest in „ duo simul moveri, secundum quod unum ordinatur in aliud. Motus autem liberi arbitrii „ in peccatum ordinatur ad motum liberi arbitrii „ in Deum. Propter hoc enim homo detestatur „ peccatum, quia est contra Deum, cui vult adhærere. Et ideo liberum arbitrium in justificatione impii simul detestatur peccatum, & „ con-

„ convertit se ad Deum; sicut corpus recedendo „ ab uno loco accedit ad alium.

(XIV.) „Ad octavum Articulum: Utrum „ gratiæ infusio sit prima ordine naturæ inter ea, „ quæ requiruntur ad justificationem impii? Respondeo dicendum; quod prædicta quatuor „ (infusio gratiæ, motus in Deum, motus in peccatum, & remissio culpæ) quæ requiruntur ad „ justificationem impii, tempore quidem sunt simul; sed ordine naturæ unum eorum est prius „ altero. Et inter ea naturali ordine primum est „ gratiæ infusio. Secundum, motus liberi arbitrii in Deum. Tertium est motus liberi arbitrii in peccatum. Quartum verò est remissio „ culpæ. Cujus ratio est, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis. Secundum autem est dispositio materiæ, „ sive motus ipsius mobilis; ultimum vero est „ finis seu terminus motus. Ipsa igitur Dei moventis motio est gratiæ infusio, ut dictum est, „ (ad *sextum* Articulum). Et ideo primum in justificatione naturali ordine est gratiæ infusio; „ secundum est motus liberi in Deum; tertium „ verò est motus liberi arbitrii in peccatum. Propter hoc enim ille, qui justificatur, detestatur „ peccatum, quia est contra Deum. Unde motus liberi arbitrii in Deum præcedit naturaliter „ motum liberi arbitrii in peccatum, cum sit causa & ratio ejus. Ad primum (ubi objicitur, „ quod prius sit, removeri malum, quam recipi „ gratiam) dicendum; quod ex parte mobilis recessus à termino naturaliter præcedit accessum „ ad terminum. Sed ex parte agentis est econverso. Agens enim per formam, quæ in eo „ præexistit, agit ad removendum contrarium; „ sicut sol per suam lucem agit ad removendas „ tenebras. Ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras removere; ex parte autem „ aëris prius est purgari à tenebris, quam consequi lumen. *Ibidem Titulus:* CONCLUSIO. In „ opere justificationis primum est infusio gratiæ; „ cum sit ipsa Dei moventis motio.

(XV.) „Ad decimum Articulum: Utrum „ justificatio impii sit miraculosa? Respondeo dicendum; quod in operibus miraculosis invenitur aliquid præter solitum & consuetum ordinem causandi effectum. Et quantum ad hoc „ justificatio impii quandoque est miraculosa, „ quandoque non. Est enim iste communis & „ consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam homo convertatur ad „ Deum, primò quidem conversione imperfecta, „ ut postmodum ad perfectam perveniat; quia „ charitas incoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ut Augustinus dicit. Quandoque autem tam vehementer Deus animam movet, ut statim quandam perfectionem justitiæ „ assequatur; sicut fuit in conversione Pauli; & „ ideo conversio Pauli tanquam miraculosa commemoratur.

(XVI.) Et 1. 2. q. 112. art. 2. C. „Gratia dicitur dupliciter; quandoque ipsum habituale „ donum Dei; quandoque autem auxilium Dei „ moventis animam ad bonum. Primo modo „ accipiendo gratiam præexigitur ad gratiam ali„ qua gratiæ præparatio, quia nulla forma potest „ esse in materia indisposita. Sed si loquamur de „ gratia secundum quod significat auxilium Dei „ moventis ad bonum; sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quasi præveniens divinum auxilium. Ad primum dicendum, quod „ præparatio hominis ad gratiam habendam quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ. Et „ talis operatio est meritoria, sed non gratiæ; „ sed gloriæ. Ad secundum; quod cum homo „ ad gratiam se præparare non possit, nisi Deo „ eum præveniente & movente ad bonum, non „ refert, utrum subitò vel paulatim aliquis ad „ perfectam præparationem perveniat. Contingit autem quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam.

Ex his omnibus textibus iterum clarum est; quod in *omni justificatione*, utpote *ex natura ipsius justificationis*, genericè sumptæ, requiratur motus in Deum, qui à D. THOMA vocatur & est, motus dilectionis; & ea de causa motus in peccatum, quatenus opponitur Deo. Patet etiam; quod ille motus voluntatis in Deum & in peccatum consistat in eo ultimo assensu, quo homo se perfectè subjicit Deo & gratiæ. Patet denique quod infusio gratiæ sanctificantis sit revera aliqua *motio actualis*, qua Deus animam movet ad illum motum animæ erga Deum & erga peccatum, quæ divina motio, inquantum recipitur ab anima, illo ipso instanti transit in dispositionem & charitatem *habitualem*, seu permanentem.

IDEM SYSTEMA D. THOMAS FOVET in præclarissimo Opere, quod scripsit *contra Gentes*, ubi l. 4. c. 72. sic habet Titulus: *De necessitate pœnitentiæ & partium ejus;* „Si aliquis post baptismum „ peccet, institutum est aliud Sacramentale remedium. Et hoc est pœnitentiæ Sacramentum, „ quod est quædam spiritualis sanatio. In spirituali vero curatione fieri non potest, quod spiritualis curatio sit totaliter ab exteriori. Non „ enim restitueretur sanitas mentis, nisi ordinati „ motus in voluntate causarentur. Oportet igitur in Sacramento pœnitentiæ spiritualem salutem & ab interiori & ab exteriori procedere. „ Hoc autem sic contingit. Primum detrimentum, quod homo ex peccato sustinet, est deordinatio mentis, secundum quod mens avertitur, ab incommutabili bono, scilicet à Deo. „ Secundum est, quod reatum pœnæ incurrit. „ Tertium est quædam debilitatio naturalis boni. „ Primum igitur, quod in pœnitentia requiritur, „ est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato, dolens „ de commisso & proponens non committendum, „ quod est de ratione contritionis. Hæc verò „ mentis reordinatio sine gratia esse non potest. „ Nam mens nostra debitè ad Deum converti „ non potest sine charitate; charitas autem sine „ gratia haberi non potest. Ut patet ex his, quæ „ in l. 3. c. 15. dicta sunt. Sic igitur per contritionem & offensa Dei tollitur, & à reatu pœnæ æternæ liberatur, qui cum gratia & charitate esse non potest. Non enim æterna pœna „ est, nisi per separationem à Deo, cui gratia „& cha-

„ & charitate homo conjungitur. Hæc enim „ mentis reordinatio, quæ in contritione consi„stit, ex interiori procedit, id est, à libero arbi„ trio cum adjutorio divinæ gratiæ.

Ibidem l. 3. c. 150. 151. 152. explicans, quid sit *gratia gratum faciens*, & *charitas infusa*, sic discurrit: „Cum divinum auxilium homini exhibi„ tum omne meritum humanum præveniat, con„ sequitur, quod hoc auxilium homini *gratis* im„ pendatur; & ex hoc *gratiæ* nomen acceperit. „ Est autem & alia ratio, propter quam prædi„ ctum Dei auxilium gratiæ nomen accepit. Di„ citur enim aliquis alicui gratus, quia est ei di„ lectus; unde qui ab alio diligitur, dicitur gra„ tiam ejus habere. Est autem de ratione dile„ ctionis, ut diligens bonum ei velit, quem di„ ligit, & operetur. Et quidem Deus bona vult „ & operatur circa omnem creaturam; sed spe„ cialis ratio divinæ dilectionis ad illos conside„ ratur, quibus auxilium præbet ad hoc, quod „ consequantur perfectam fruitionem suiipsius. „ Hoc igitur auxilium convenienter dicitur gra„ tia, quia homo speciali prærogativa redditur „ Deo gratus. Oportet autem hanc gratiam ali„ quid in homine gratificato esse, quasi quandam „ formam, & perfectionem ipsius. Quod enim „ in aliquem finem dirigitur, oportet, quod ha„ beat continuum ordinem in ipsum. Nam mo„ vens continuè, mutat, quousque mobile per „ motum finem sortiatur. Cum igitur auxilio „ divinæ gratiæ homo dirigatur in finem ultimum, „ ut ostensum est, oportet, quod continuè ho„ mo illo auxilio potiatur, quousque ad finem „ perveniat. Hoc autem non esset, si prædi„ ctum auxilium homo participaret secundum ali„ quem motum aut passionem, & non secundum „ aliquam formam manentem in ipso. Motus „ enim & passio talis non esset in homine, nisi „ quando actu converteretur in finem, quod non „ continuè ab homine agitur, ut præcipuè patet „ in dormientibus. Est ergo gratia gratum fa„ ciens aliqua forma & perfectio in homine, et„ iam dum non operatur. Præterea est hic mo„ dus proprius hominibus, quod ad perfectio„ nem suarum operationum oportet eis inesse su„ pernaturales potentias & habitus, quibus quasi „ connaturaliter & faciliter & delectabiliter bo„ num, & bene operentur. Igitur auxilium gra„ tiæ, quod homo à Deo consequitur ad perve„ niendum in ultimum finem, aliquam formam „ homini inesse designat." Dein c. 151. cujus Titulus est: *Quod gratia gratum faciens causat in nobis dilectionem Dei*, sic pergit: „Ex præmissis ma„ nifestum fit, quod per auxilium gratiæ divinæ „ gratum facientis hoc homo consequitur, quod „ Deum diligat. Gratia enim gratum faciens est „ in homine divinæ dilectionis effectus. Pro„ prius autem divinæ dilectionis effectus in ho„ mine esse videtur, quod Deum diligat. Hoc „ enim est principium in intentione diligentis, ut „ à dilecto redametur. Ad hoc enim præcipuè „ studium diligentis tendit, ut ad sui amorem di„ lectum attrahat; & NB. nisi hoc accidat, opor„ tet dilectionem dissolvi. Igitur ex gratia gra„ tum faciente hoc in homine consequitur, quod „ Deum diligat. Adhuc. Eorum, quorum est „ unus finis, oportet aliquam unionem esse; in„ quantum ordinantur ad finem. Finis autem ul„ timus, ad quem homo per auxilium divinæ „ gratiæ perducitur, est visio Dei per essentiam, „ quæ propria est ipsius Dei. Et sic hoc finale „ bonum communicatur homini à Deo. Non „ potest igitur homo ad hunc finem perduci, nisi „ uniatur Deo per conformitatem voluntatis, qui „ est proprius effectus dilectionis. Nam amico„ rum est idem velle & nolle, & de eisdem gau„ dere & dolere. Per gratiam ergo gratum fa„ cientem NB. homo constituitur Dei dilector, „ cum per eam homo dirigatur in finem ei com„ municatum à Deo. Amplius; cum finis & bo„ num sit proprium objectum appetitus sive affe„ ctus, oportet quod per gratiam gratum facien„ tem, quæ hominem dirigit in ultimum finem, „ affectus hominis principaliter perficiatur. Prin„ cipalis autem perfectio affectus est dilectio. „ Cujus signum est, quod omnis motus affectus „ ab amore derivatur. Nullus enim desiderat aut „ sperat, aut gaudet nisi propter bonum amatum. „ Similiter autem neque aliquis refugit aut timet „ aut tristatur, aut irascitur, nisi propter id, quod „ contrariatur bono amato. Principalis ergo „ effectus gratiæ gratum facientis est, ut homo „ Deum diligat. Item; forma, per quam resor„ dinatur in aliquem finem, assimilat quodammo„ do rem illam fini. Per gratiam ergo homo effi„ citur Dei dilector. Præterea ad perfectionem „ operationis requiritur, quod aliquis constan„ ter, & promptè operetur; hoc autem præci„ puè facit amor. Cum igitur ex gratia gratum „ faciente oporteat hominis operationes perfe„ ctas fieri; necessarium est; quod per eandem „ gratiam Dei dilectio constituatur in nobis. Hinc „ est, quod dicit Apostolus Rom. 5. *Charitas Dei* „ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum San*„ *ctum, qui datus est nobis*. Dominus autem di„ lectoribus suis visionem suam repromittit di„ cens Joa. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, „ *& ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. „ Unde patet, quod gratia quæ ad finem divinæ „ visionis dirigit, dilectionem Dei causat in nobis." Hucusque *Angelicus*. Ex his efficitur 1. quod D. Thomas l. 4. c. 72. loquatur de dilectione Dei actuali, dum docet, in Sacramento Pœnitentiæ sine charitate salutem non obtineri, quia ad hunc locum remittit. 2. Quod gratia sanctificans dari nequeat sine assensu & conformatione actuali voluntatis ad motus gratiæ in ordine ad finem ultimum & ad actus amoris practicos. 3. Quod revera Dei dilectio actualis transeat in habitualem, sicut motio auxilii actualis moventis ad actum amoris per assensum, conformationem, & acceptationem voluntatis transit in habitualem, seu in formam permanentem, non in eo sensu, quod actus transiens charitatis idem numero manens fiat charitas habitualis infusa, seu habitus charitatis, sed quod actus charitatis gratia informatus relinquat post se habitum inchoatum, seu virtutem à se relictam, gratia informatam, quæ est charitas habitualis. 4. Quod charitas habitualis sit practica, *inclinans*, *excitans*, *facilitans*, *adjuvans*, per modum alterius habitus infusi vel acquisiti. 5. Quod assensio & acceptatio libera hujus

gratiæ

gratiæ non possit esse sine proposito exercendi actus amoris practicos, & sine actuali tendentia amoris; cum juxta D. Thomam ea conformatio voluntatis ad divinam sit proprius ac formalis effectus amoris.

Possem addere plurimos alios consimiles textus D. Thomæ ex iis, quæ scribit in 3. & 4. librum Sententiarum; sed sufficiant adducti in præsenti quæstione. Alios in quæstionem sequentem reservo. Plura de natura charitatis infusæ seu habitualis vide in Tractatu de Virtutibus in genere & specie.

PROBATUR CONCLUSIO 21. ex Concilio Tridentino. Hoc enim Concilium, cum ex professo, & inter primaria negotia statim ab initio tractaret de justificatione, declarat, semper in omni justificatione etiam in ipso Baptismo requiri dilectionem Dei initialem, distinctam ab exercitio seu actu spei, adeoque pertinentem ad actum charitatis. Idem declarat; in omni justificatione essentialiter requiri detestationem peccati respicientem ad offensam Dei tanquam objectum seu motivum formale. Ergo. *Ant. prob.* Sess. 6. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. sic scribit: „Cum hoc tempore „non sine multarum animarum jactura erronea „quædam disseminata sit de justificatione doctri„na, S. Synodus exponere intendit veram sa„namque doctrinam ipsius justificationis. Pri„mum declarat S Synodus, ad justificationis do„ctrinam probe & sincere intelligendam, opor„tere ut unusquisque agnoscat, quod cum omnes „homines in prævaricatione Adæ innocentiam „perdidissent, usque adeo erant servi peccati, „& sub potestate diaboli ac mortis, ut non mo„do Gentes per viam naturæ, sed ne Judæi qui„dem per Literam Legis Moysis inde liberari aut „surgere possent, tametsi in eis liberum arbi„trium minimè extinctum esset, viribus licet at„tenuatum & inclinatum. Quo factum est, ut „Cœlestis Pater filium suum miserit, ut Judæos, „qui sub Lege erant, redimeret, & Gentes, quæ „non sectabantur justitiam apprehenderent, at„que omnes adoptionem filiorum reciperent. „Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non „omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, „sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus „communicatur. Nam sicut revera homines, „nisi ex semine Adæ nascerentur, non nasceren„tur injusti, ita nisi in Christo renascerentur, „nunquam justificarentur. Pro hoc beneficio „Apostolus gratias nos agere hortatur Patri, qui „nos transtulit in regnum filii dilectionis suæ. „Quibus verbis justificationis impii descriptio „insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo „homo nascitur filius primi Adæ, in statum gra„tiæ, & adoptionis filiorum Dei. Quæ quidem „translatio post Evangelium promulgatum sine „lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non „potest. Declarat præterea, ipsius justificatio„nis exordium in adultis à *Dei* per Christum *præ„veniente gratia* sumendum esse, hoc est, ab ejus „vocatione, ut qui per peccata à Deo aversi „erant, *per ejus excitantem atque adjuvantem gra„tiam* ad convertendum se ad suam ipsorum justi„ficationem *eidem gratiæ liberè assentiendo & co„operando* disponantur. Disponuntur autem ad „ipsam justitiam, dum *excitati divina gratia & „adjuti* fidem ex auditu concipientes liberè *mo„ventur in Deum*, credentes vera esse, quæ divi„nitus revelata & promissa sunt; atque illud in„primis, à Deo justificari impium per gratiam „ejus per redemptionem quæ est in Christo; & „dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ „justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad „considerandam Dei misericordiam se conver„tendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi „propter Christum propitium fore, illumque „tanquam *omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*; „ac propterea moventur adversus peccata per „odium aliquod, & detestationem, hoc est, per „eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi „oportet; denique dum proponunt suscipere „baptismum, inchoare *novam vitam*, & *servare „divina mandata*. Hanc dispositionem seu præ„parationem justificatio ipsa consequitur; quæ „non est sola peccatorum remissio, sed & *sancti„ficatio, & renovatio interioris hominis per volun„tariam susceptionem gratiæ & donorum*; unde ho„mo ex injusto fit justus. Hujus justificationis „causæ sunt, *finalis* gloria Dei & vita æterna; „*efficiens* Deus; *meritoria* Christus; *instrumentalis* „Sacramentum Baptismi; *formalis* justitia Dei, „non qua ipse justus est, sed qua nos justos fa„cit, qua videlicet ab eo donati renovamur spi„ritu mentis nostræ, justitiam recipientes unus„quisque suam secundum mensuram, quam par„titur Spiritus Sanctus singulis prout vult, & „secundùm propriam cujusque dispositionem & „cooperationem; quamquam enim nemo possit „esse justus, nisi cui merita passionis Christi com„municantur; id tamen in hac impii justificatio„ne fit, dum ejusdem Passionis merito *per Spiri„tum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus* „eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret, „unde in justificatione hæc omnia simul infusa „accipit homo, *fidem*, *spem*, & *charitatem*. Nam „fides, nisi ad eam spes accedat, & *charitas, ne„que unit perfectè* eum Christo, neque corporis „ejus *vivum membrum efficit*; qua ratione verissi„mè dicitur; in Christo neque circumcisionem „aliquid valere, neque præputium, sed *fidem „quæ per charitatem operatur*. Hanc fidem ante „baptismi Sacramentum Catechumeni petunt, „cum petunt fidem, vitam æternam præstantem, „*quam sine spe & charitate fides præstare non potest*. „Unde & statim verbum Christi audiunt: Si vis „ad vitam ingredi, *serva mandata*.

Alter textus Tridentini habetur Sess. 14. cap. 1. ubi dicitur: „Fuit Pœnitentia universis homi„nibus, qui se mortali aliquo peccato inquinas„sent, quovis tempore ad gratiam & justitiam „assequendam necessaria, illis etiam, qui bapti„smi Sacramento ablui petivissent, ut perversi„tate abjecta & emendata, tantam Dei offen„sionem cum peccati odio & pio animi dolore „detestarentur.

Circa priorem textum, qui editus est anno 1547. observare licet 1. quod Concilium insistat vestigiis, doctrinæ, ac ipsis terminis D. Thomæ, prout manifestum est comparanti textus Angelici supra adductos, & Concilii. Itaque explicandi sunt in sensu à D. Thoma intento, superius explicato

plicato in contextibus S. Doctoris. 2. Quod Concilium manifestè faciat oppositionem inter actus *spei*, *& dilectionis*; ut proin certum sit; per eam *dilectionem initialem* non intelligi actum spei. 3. Quod illa dilectio initialis feratur *in omnis justitiæ fontem*, prout est objectum dilectionis seu charitatis condistinctæ à virtute Theologica *fidei ac spei*. Ergo nomen justitiæ necessario sumendum est pro justitia generali, seu rectitudine universali, prout sumit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. a. 1. C. & ibid. ad 1. & qq. 3. ad 1. non pro beneficio particulari justificationis. 4. Ex Actis Concilii constat, quod Patres Concilii revera intellexerint verum actum charitatis ut condistinctæ à virtute fidei, & spei. Nam PALAVICINUS Cardinalis in Historia Concilii Tridentini ex ipsis Actis originalibus jussu Papæ conscripta l. 8. c. 13. sic scribit: „Quod attinet ad id, quod dicitur de „dilectione Dei, advertendum est, per tenorem „Decreti ab initio delineati nullam fieri dilectio„nis mentionem; sed Salvatorem Alepium Ar„chiepiscopum Turritanum, Claudium Jajum „Societatis Jesu, Lipomanum Veronensis Adju„torem, & Pium Franciscanorum Præsidem ad„monuisse, ut aliquis charitatis actus insereretur; „cumque id ad omnium judicium relatum fuerat „cum aliis præcipuis Notis, viginti tres ex ipsis „disertè comprobasse, adeoque fuisse insertum „Decreto; sed postea aliis haud probatum, ve„rùm à Theologis strenuè propugnatum, & per „hæc verba retentum esse. Non est sermo eo „loco de habitu charitatis; sed cum in particula, „quæ loquitur de Pœnitentia, nulla fiat mentio „amoris, visum est, cum fide & spe jungere ali„quem dilectionis actum, quia si pœnitentia esset „ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset „propter pœnam tantum, non propter Dei offen„sam, infructuosa esset." Ita *Palavicinus*, qui addit: „Quibusdam advertentibus, charitatem „capite sexto memoratam recenseri ad initium „pœnitentiæ inter ea, quæ præparant animum „ad justitiam consequendam; postea vero capite „septimo tanquam ipsius justitiæ formam poni; „responderunt Decreti formatores; in primo lo„co, (nempe c. 6.) sermonem esse de quodam „actu charitatis, cum insit aliqua dilectio in ho„mine, non quidem obtinente, sed exoptante „justitiam; & in secundo loco (c. 7.) significari „habitum charitatis." Hucusque Palavicinus; ex quo manifestum est, juxta Tridentinum ante infusionem charitatis habitualis ac gratiæ sanctificantis requiri actum dilectionis initialis distinctæ ab actu spei. Idem

CONFIRMATUR ex Confessione SUAREZII & TANNERI. Prior part. 3. Disp. 4. Sect. 8. sic scribit: *Nec verò dicit Concilium; hunc amorem pertinere ad spem, sed potius supponere spem; per eum erigi hominem, & sublevari ad diligendum Deum, utique propter seipsum. Nam amor concupiscentiæ non sequitur propriè ex spe, sed ad illam potius supponitur.* Ita *Suarez*, qui dicere debuisset; præsupponi ad actum spei actum concupiscentiæ necessarium, ex instinctu naturæ elicitum erga Summum bonum; prout D. Thomas expresse in pluribus locis explicat; non liberè elicitum, qui est intrinsecus virtuti charitatis. TANNERUS verò Tom. 4. Disp. 6. quæst. 2. dub. 4. num. 74. sic scribit: *Certum est; sermonem esse de amore charitatis; tum quia constat, D. Thomam, cujus vestigia sequi voluit Concilium, de hoc amore locutum, ut superius dictum est; tum quia amor concupiscentiæ erga Deum natura sua prior est spe, non posterior.* Ita Tannerus; in quo idem observandum, quod in Suarezio.

Circa secundum textum Concilii ex Sess. 14. c. 1. sic argumentor: Quamvis Concilium in hac Sessione, celebrata primùm anno 1551. de industria abstrahere voluerit à controversia Theologorum circa necessitatem contritionis amorosæ, & cautè evitare studuerit, ne præjudicaret nova aliqua phrasi, nondum canonizata à tota Ecclesia alterutri sententiæ, agnovit tamen ex constanti traditione, objectum doloris debere esse *offensam ac offensionem Dei*, non materiale; objectum enim materiale est peccatum in concreto; ergo formale seu motivum. Ergo canonizandò hanc doctrinam pro recepta ac tradita indirectè declaravit, motivum formale in contritione debere esse *offensam Dei*. Dein *secundò* ex HERMENEVTICA constat; quandocunque subjecto aut objecto tribuitur denominatio sub peculiari proprietate specifica illius subjecti, præsumendum est, eam proprietatem specificam esse rationem formalem, *sub qua & ratione cujus* illi tribuitur forma denominans. Sic enim quando dicimus de Deo; credimus *æternæ veritati*, amamus *bonitatem infinitam*, terret *justitia* vindicativa, timendus est *Deus fortis*, fidendum est *fidelitati* divinæ &c. semper importatur ratio formalis objecti, sub qua illi tribuitur forma denominans, v. g. fides, amor, terror, timor, spes &c. *Tertiò*, in eo sensu à Concilio assignatur *offensio Dei* pro objecto detestationis, in quo sensu ab antiquioribus Theologis, præsertim à D. THOMA, eadem offensio fuit assignata pro objecto detestationis; sed ab iis præsertim à D. THOMA fuit assignata in hoc sensu, quod sit objectum ac motivum formale. Ergo. *Maj. patet*; quia hic est perpetuus mos Conciliorum, ut premendò vestigia traditionis rigorose insistant phrasibus loquendi semel receptis ab universali Ecclesia; qui mos non serviret ad finem à Conciliis intentum, nisi eas loquendi formulas sumerent etiam in sensu constanter ac uniformiter tradito earum phrasium. *Min. prob.* partim ex textibus D. Thomæ supra adductis; partim ex sequentibus. Sic part. 3. q. 86. art. 1. dicit: *Antiochus non verè pœnituit; dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei.* Et q. 85. art. 5. ad 1. *Peccatum primò incipit homini displicere propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quàm propter Dei offensam, quod ad charitatem pertinet.* *Quartò* id probatur ex eo; quia videtur positiva deordinatio rationis; si quis reflexa attentione facta ad offensionem patris, tanquam ad objectum materiale suæ attentionis, ratione sui idoneum ad movendam detestationem illatæ injuriæ, hoc tamen motivo neglecto detestaretur tantùm injuriam patri illatam ob pœnam corporalem subeundam. Ergo idem dicendum circa *detestationem offensionis divinæ*, si peccator reflexione facta ad hoc objectum ratione sui tam idoneum ad movendam detestationem confugeret

ret ad aliud motivum formale, ab eoque se fineret determinari, v. g. pœnas inferni. Hoc planè esse indecens observat S. CHRYSOSTOMUS Hom. 4. in 2. Epist. ad Cor. ubi ait: *Ingemisce cum peccas, non quod es castigandus; nam id plane nihil est; sed quod offenderis Dominum Deum tuum usqueadeo mansuetum, qui sic te amat* &c. Itaque non est præsumendum, quod Concilium Tridentinum offensionem Dei statuat pro objecto detestationis præcise materiali.

PROBATUR CONCLUSIO 22. ex Catechismo Tridentini, qui part. 2. c. 5. n. 2. sic scribit: *Docendum est, multiplicem esse hujus nominis Pœnitentiæ significationem. Primum enim pœnitentia de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante placuerat, nulla habita ratione hujus, bonumne, an malum sit. Altera est pœnitentia, cum quis ex scelere admisso dolorem non Dei, sed suiipsius causa concipit. Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, verum unius Dei causa in eo mœrore sumus.* Et n. 3. *Prima acceptio in vitio ponenda est. Altera est quædam commoti & perturbati animi affectio. Tertiam tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum esse dicimus. Ac primum quidem de ipsa ut virtutis parte agendum est, quia hujus virtutis actiones tanquam materiam præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramentum versatur; ac nisi prius, quæ sit pœnitentiæ virtus intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Concilium Tridentinum definit; in Sacramento pœnitentiæ sufficere attritionem ex solo metu inferni, aut ex turpitudine peccati conceptam sine motu dilectionis initialis erga Deum. Ergo ejusmodi dilectio initialis non requiritur. *Ant. prob.* ex verbis Concilii Sess. 14. c. 4. ubi sic habet: *S. Synodus, illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit.* Jam sic. Tridentinum non requirit dilectionem initialem. Ergo definit, eam non esse necessariam. *c. prob.* Concilium in Præfatione hujus Sessionis promittit doctrinam exactam de requisitis ad Sacramentum pœnitentiæ. Ergo si non requirit dilectionem initialem, signum est, eam non esse inter requisita. *Ant. prob.* In ea præfatione dicit: *Tanta est circa Sacramentum pœnitentiæ hac nostra ætate diversorum errorum multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis & convulsis universis erroribus Catholica veritas perspicua & illustris fieret.*

RESPONDEO 1. n. a. *ad prob.* tr. a. n. c. *ad prob.* dist. Vult tradere exactam doctrinam circa *errores* fidei oppositos. tr. circa quæstiones in Scholis controversas. n. Contrarium enim patet tum ex tenore verborum; dum dicit: *Errorum multitudo, convulsis erroribus, ut Catholica veritas* perspicua fieret; tum ex constanti testimonio PALAVICINI infra referendo, qui testatur; Concilium universim noluisse definire quæstiones in Scholis inter ipsos Catholicos Doctores controversas. Itaque ad summum ab adversariis formari posset argumentum Theologicum; quod Concilium usum fuerit terminis, phrasibus, aut expressionibus, quæ in sensu magis *obvio, magis trito*, & *famosiori* sunt magis familiares ac usitati in ore & Schola Doctorum oppositorum ad explicandam eorum mentem; quam in ore & Schola nostrorum; quod ipsum foret signum, à Concilio potius faveri illorum sententiæ ac nostræ. Verum ex hac ipsa pharetra sumimus tela in adversam sententiam, prout patebit ex Responsione tertia.

RESPONDEO 2. dist. Concilium definit, sufficere attritionem ex motivo gehennæ & turpitudinis, consideratæ quoad malitiam suam perfectam ac adæquatam. tr. consideratæ quoad malitiam tantùm inadæquatam, ac imperfectam. n. In gehenna datur malum seu malitia pœnarum sensûs, & malum pœnæ damni. Similiter in peccato datur duplex turpitudo seu macula, nempe *moralis* ex oppositione ad ordinem rectæ rationis; & alia turpitudo seu macula *theologica* consistens in privatione gratiæ sanctificantis, amicitiæ divinæ, ac juris ad fruitionem summi boni. Siquis ergo dolet ex metu gehennæ, præcipuè quia involvit *pœnam damni*, atque æternum separat à summo bono ac fine ultimo; aut si dolet ex turpitudine peccati theologica, eo quod privet amicitia Dei, prout D. Thomas sumit in textu superius adducto; & si insuper habeat propositum, exhibendi Deo actus amoris essentiales, seu quod idem est, servandi mandata, præsertim primum dilectionis, talis revera justificatur in Sacramento, quia talis eòipso habet dilectionem initialem. Verùm in præsenti quæstione tantùm controvertitur, utrum sufficiat attritio ex metu inferni considerati quoad pœnam sensus, aut ex morali turpitudine peccati.

RESPONDEO 3. dist. Concilium definit, attritionem ex metu inferni, vel ex turpitudine peccati sine dilectione initiali sufficere ad rationem dispositionis remotæ, seu sufficientia remota. c. dispositionis proximæ, seu sufficientia proxima. n. Quod enim Tridentinum ejusmodi attritioni tantùm tribuat rationem dispositionis remotæ, & sufficientiam solùm remotam, colligitur ex variis indiciis. Nam *primò* dicit; quod talis attritio *viam paret ad justitiam.* Ergo nondum stat ad ostium gratiæ. Qui *viam parat Athenas*, non ipsemet jam tendit Athenas, sed vel alteri eam parat tendenti Athenas, àut, si ipsemet eo tendit, multis aliis actionibus intermediantibus eo tendit. Ergo si & timor inferni *viam parat ad justitiam*, aut amori eam parat subsequenti, aut, si ipse timor eo tendit, mediante timore *initiali, vel filiali* eo tendit. *Secundò*, Concilium dicit; attritionem ejusmodi disponere non ad ipsam gratiam, sed ad NB. *impetrandum gratiam*, prout habetur in antiquis editionibus non corruptis. Ergo attritio talis non est immediata ac

proxima

proxima dispositio ad ipsam gratiam, prout adversarii contendunt; sed est tantùm dispositio proxima ad impetrationem gratiæ, quæ necessariò est distincta à tali attritione, eademque perfectior. Si autem est perfectior; eoipso jam transiit ad minimum intra terminos dilectionis initialis. *Tertiò*, Tridentinum dicit; *Si talis attritio voluntatem peccandi excludat*. Ergo supponit; quod non omnis ejusmodi attritio voluntatem peccandi excludat. Ergo ea exclusio non convenit tali attritioni ex sua natura, seu ex motivo proprio. Quod enim actui *ex natura sua*, *per se*, & *ex motivo proprio* convenit, id convenit actui essentialiter, ac *omni*. Ergo ea exclusio tali attritioni convenit ex alio motivo; non imperfectiore, sed perfectiore; quale assignari non potest, nisi motivum dilectionis initialis; sicut certè evincitur, quod ejusmodi attritio non sit immediata ac proxima dispositio ad gratiam sine medio alterius motivi. *Quartò* docet Concilium, quod hæc attritio sit membrum condividens *contritionis* in genere, quæ dividitur in *perfectam* & *imperfectam*. De contritione autem in genere prius dixerat; *eam non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*, seu prout Sess. 6. c. 6. declaraverat, in ea contineri propositum *inchoandi novam vitam*, *& servandi divina mandata*. Ergo inter illam attritionem, & inter infusionem gratiæ intermediat *propositum servandi mandata*, præsertim primum ac maximum; quod propositum exhibendi Deo actus amoris formalissimè est dilectio initialis, prout argumento tertio, septimo, & decimo quinto ostensum est. Eodem modo debet intermediare *odium peccati* tam absolutum quam conditionatum, si infernus non esset; quod fieri non potest sine dilectione initiali, prout in quæstione 2. ostensum est. *Quintò*, quia Tridentinum immediatè post præfatam doctrinam de Attritione subjungit: *Hoc timore concussi Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*. Cum ergo certum sit; illam pœnitentiam Ninivitarum non fuisse justificativam sine dilectione Dei, prout rectè *Palavicinus* l. 12. c. 10. observat, nec ista attritio justificabit sine dilectione Dei.

RESPONDEO 4. n. a. *ad prob.* dist. a. Concilium non requirit dilectionem initialem modo tendendi *abstractivo*, & *exponibili* in utramque litigantium partem. c. modo tendendi exclusivo dilectionis initialis, & determinativo controversiæ. n. a. Quod enim Concilium non tantum nullam habuerit intentionem exclusivam dilectionis initialis, sed etiam debita opera selegerit *terminos indifferentes*, *exponibiles*, ac *genericos*, qui neutram partem condemnent, aut offendant, certissimum est ex historia Concilii, & ex sensu Theologorum, qui Synodo interfuerunt, aut eo tempore vel proximè post Concilium scripserunt; quod demonstro

PRIMO. *Alexander VII.* in Decreto, emanatò 1667. die 5. Maji excommunicat eos, qui sententiæ requirenti actum dilectionis erga Deum inferunt *censuram Theologicam*, *injuriam*, aut *contumeliam*. Ergo Concilium Tridentinum in hac re nihil definivit, aut docuit, quod in *sensu obvio*, aut ulla morali certitudine referret doctrinam huic sententiæ adversam. Verba Decreti sunt ista: „Feria 5. Die 5. Maji MDCLXVII. SS. „D. N. Alexander Papa VII. Cùm acceperit „non sine gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere; an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem „peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ requirat insuper „aliquem actum dilectionis Dei; asserentibus quibusdam; negantibus aliis; & insuper adversam „sententiam censurantibus; Sanctitas sua enixè „cupiens pacis vinculum inter fideles servari, „omnemque scissuræ fomitem extinguere, audi„tis votis Eminentissimorum & Reverendissimo„rum DD. Cardinalium adversus hæreticam pra„vitatem Generalium Inquisitorum, nec non „DD. Consultorum & Qualificatorum S. Con„gregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc „præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ „& sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ „huic sanctæ Sedi reservatæ aliisque pœnis ejus„dem S. Sedis arbitrio taxandis præcipit cunctis „& singulis fidelibus, quocunque gradu ac digni„tate, etiam Episcopali & majori, imo & Cardi„nalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia „Attritionis præfatæ scribent, vel libros aut Scri„pturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, „vel alio quovis modo pœnitentes aut Scholares, „cæterosque erudient, non audeant alicujus „Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut „contumeliæ Nota taxare alteram sententiam, „sive negantem aliqualis dilectionis Dei in præ„fata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ „hodie inter Scholasticos communior videtur, „sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, „donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in rede„finitum." Hucusque Decretum Papæ.

SECUNDÒ, Palavicinus Cardinalis, cui præfatus Papa Alexander VII. pro conscribenda Historia Concilii Tridentini ex Archivio Romano consignavit omnia Acta Originalia, expresse testatur; Patres ex concepta Decreti formula, in qua scriptum erat; *attritionem ex metu gehennæ sufficere ad constitutionem Sacramenti*, ea verba expunxisse. Ergo non potuit esse intentio Concilii, ut sufficientiam talis attritionis definiret. *Secundò*, testatur idem Cardinalis; Concilium semper conceptam formulam Decreti correxisse, quotiescunque monebatur, in ea contineri doctrinam, adversantem sententiæ aliquorum Theologorum insignium; & in hac ipsissima quæstione Theologos ac Patres in Concilio acriter inter se disputasse. Ergo non potuit esse mens Concilii, ut necessitatem dilectionis initialis directè vel indirectè condemnaret. Verba Palavicini l. 12. c. 10. sunt sequentia: „In ordine ad Formandam Sessionem 14. „præparabantur materiæ expediendæ. In Libel„lo, qui singulis Patribus & Theologis tradeba„tur, hæreticorum articuli de Sacramentis Pœ„nitentiæ & Extremæ Unctionis exscripti erant. „Articuli de Pœnitentia erant hujusmodi: 1. Pœ„nitentiam non esse propriè Sacramentum. 2. „Non esse tres pœnitentiæ partes, Contritionem,

„Con-

„ Confessionem, & Satisfactionem. 3. Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, non præparare ad gratiam Dei, nec remittere peccata, „ sed facere hominem hypocritam. 4. Confessionem Sacramentalem secretam Juris divini non „ esse; nec apud antiquos Patres ante Concilium „ Lateranense ejus factam fuisse mentionem &c. „ de fundamentis, supra quæ Patres ac Theologi „ statuere deberent suas resolutiones, repetebatur Decretum, ut ea sumerentur ex S. Scriptura, ex traditionibus Apostolicis, & approbatis Conciliis, ex Constitutionibus Romanorum „ Pontificum, ac denique ex consensu Patrum & „ Ecclesiæ. Tria dein cuncti admonebantur primò, ut breviter verba facerent. Secundò, ut „ inutiles quæstiones præciderent. Tertiò, ut in „ protervis contentionibus haud persisterent. In „ eodem Libello dicendi ordo præscriptus est, ut „ primus ad differendum locus daretur Theologis à Pontifice missis; tum iis, qui à Cæsare, „ dein qui à Regina Maria Belgii moderatrice, „ postea verò iis, qui cum septemviris erant; „ quintus Clericis non Regularibus Doctoratis; „ postremus Regularibus pro antiquitate Ordinum. Ingens volumen conficerem; si vellem „ recensere ea, quæ ibi à Theologis dicta compendiò in Acta relata sunt. Quædam magis „ singularia perstringam, quibus palam fiat partim sententiarum discrepantia in Congregationibus ante Sessionem habitis, partim mens Patrum in aliquo Decreto. Didacus Lainius, qui „ primo loco inter minores Theologos sermonem „ habuit, damnans posteriorem secundi articuli „ partem dixit: Sacramento esse necessaria, pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter tanquam necessariam enumeravit Jacobus Ferrusius Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus. „ Exigebat is ante omnia quandam motionem in „ Deum, postea actum fidei. Inde, ajebat, in „ homine oritur peccatorum detestatio, assurgit „ que in spem animus, & amoris initium habetur. „ At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis „ Episcopi Theologus, postea Quadicensis Episcopus, dixit; prius nos propter pœnæ metum „ dolere; dein propter Deum; postea verò peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus „ Dominicanus, Foro-Liviensis Episcopi Theologus, tanquam necessaria numeravit timorem, „ detestationem, ex fidem, ex qua spes oriatur, „ & ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit Franciscus Contreja ex Ordine Minorum Observantium. At verò, quantum ex Actis conjicio, „ Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestum reprobantium pœnæ timorem; non autem, ut ferrent sententiam de Scholastica quæstione, an „ hujusmodi timor non solum absque contritione „ animi perfecta, de quo controversia vix erat, „ sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor „ imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. In Patrum Conventu id „ pauci attigerunt. Aliquod duntaxat vestigium „ reperio opinionis negntis necessitatem amoris „ in iis, quæ Granatensis disputavit. At verò „ Joannes Æmilianus Hispanus, Tudetensis Episcopus, extremum sententiæ oppositæ tenuit; „ hoc est, opus esse contritione perfecta, quæ „ remissionem peccatorum præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur. Præterea scire oportet; post eas discussiones Theologorum & Patrum formulam Decreti complectentis doctrinam sic fuisse conceptam. *Illam „ contritionem, quam Theologi Attritionem vocant, „ quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis „ peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum „ metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si „ voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commissis delictis exprimat, statuit hæc „ Sancta Synodus & declarat, non solum non facere „ hominem hypocritam & magis peccatorem, ut quidam blasphemare non verentur, verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum „ Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum verissimum, „ non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad „ justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Sed laudatus Episcopus monuit, falsò dici, hujusmodi dolorem „ sine amore *vix unquam* concipi posse; quod autem hæc Attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare auctorum sententias; adeoque id esse tollendum. „ Quamobrem Decretum, sicut nunc est, reformatum est." Hucusque PALAVICINUS; ex cujus proin relatione constat. 1. Expunctam esse a Patribus sufficientiam ejusmodi attritionis ad constitutionem Sacramenti. 2. Patres in priori concepta formula propterea voluisse definire sufficientiam attritionis ad constitutionem Sacramenti; quia existimabant eam attritionem *vix fieri posse* sine dilectione Dei, ut proin habita attritione simul habeatur moralis certitudo de interveniente actu dilectionis. 3. Eos Patres saltem plerosque necessarium existimasse, ad impetrandam gratiam etiam in Sacramento opus esse aliquo actu dilectionis, utpote cui sententiæ unieus Granatensis contradixerat.

TERTIÒ. Theologi Concilium præcedentes, & proximè subsequentes, docuerunt, attritionem etiam in Sacramento non justificare sine actu dilectionis erga Deum. Ergo non est verosimile, oppositam sententiam à Concilio fuisse definitam. *Ant. prob.* ab inductione. Nam ejusmodi dilectionem requirunt: 1. Richardus à S. Victore. 2. Hugo à S. Victore. 3. Robertus Pullus. 4. Magister Sententiarum. 5. Innocentius III. 6. Guilielmus Antisidorensis, & Guilelmus Parisiensis. 7. Albertus M. 8. Alensis. 9. D. Bonaventura. 10. D. Thomas. 11. S. Raymundus de Pennafort. 12. Vincentius Bellvacensis. 13. Robertus de Sorbona. 14. Scotus. 15. Paludanus. 16. Okamus. 17. Joannes Bacho. 18. Thomas Argentinensis. 19. Marsilius. 20. Gerson. 21. Joannes Nider. 22. S. Bernardinus Senensis. 23. Gabriel Biel. 24. Joannes Major. 25. Adrianus VI. Papa. 26. Cajetanus Cardinalis. 27. Ekius. 28. Pighius. 29. S. Thomas à Villanova. 30. Driedo. 31. Fridericus

dericus Nausea. 32. Viguerius. 33. Stephanus Paris. 34. Medina. 35. Melchior Canus. 36. Vega. 37. Ludovicus Granatensis. 38. Tapperus. 39. Petrus Soto. 40. Dominicus Soto. 41. Catechismus Romanus. 42. Navarrus. 43. Michael Medina, & multi alii, quorum textus videre potes apud Wittassium.

Quarto. Ipsimet insigniores Theologi oppositæ sententiæ, qui scripserunt post Tridentinum, fatentur, dubium esse, an non requiratur in Sacramento actus dilectionis, Ergo non est à Tridentino contrarium definitum. *Ant. prob.* ex testimonio trium Theologorum S. J. 1. Suarez in 3. p. q. 90. a. 4. dist. 15. Sect. 4. n. 17. ita sibi objicit: „Licet sit opinio probabilis, attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa. Ergo qui sciens & videns ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo æternæ damnationis." Hanc vero objectionem in sua responsione non refutat, sed tantum indirectè solutione declinat. 2. Comitolus l. 1. Responsorum Moralium q. 32. n. 7. & 8. „Huc, *inquit*, adde, quod plures magnique Theologi in pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt. Neque usque adeo certum est, attritionem pœnitentis esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ esse debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentique cohortatione eum urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia. Hoc modo affectum fidenter absolvat, cum ab eo confessionem expresserit; propter Deum dolere se de peccatis, & propter eum illa se in reliqua vita osurum." Ubi observandum, quod Comitolus hanc cautelam velit universim *præcipuè urgendam*. Ex quo colligitur; ab eo oppositam sententiam non judicari *practicè tutam*, ita ut ejus *probabilitas* in praxi contemni possit aut debeat. 3. Sanchez in Summa l. 1. c. 9. n. 34. „Non peccabit Sacerdos; si pœnitentem pro sola attritione per ipsum cognita absolvat, sequendo opinionem probabilem, sustinentem eam sufficere ad Sacramenti pœnitentiæ valorem, & ut gratiam conferat. Hoc tamen intelligerem, nisi pœnitens in articulo mortis esset, atque habere posset contritionem. Tunc enim mortale esset & recipere & ei cum sola attritione cognita Sacramentum ministrare propter grave damnationis periculum, cui ille exponeretur, si forte hæc sententia non esset vera." Ubi adverte, à Sanchezio præcise agnosci *probabilitatem*, non *certitudinem* sententiæ oppositæ; quamvis in hoc ipso puncto teneat sententiam, Probabilistis prius communem, jam à Sede Apostolica condemnatam, quod nempe liceat sequi sententiam probabilem, ubi agitur de valore Sacramenti.

Quinto. Ipsimet Theologi, qui interfuerunt Concilio Tridentino, agnoverunt necessitatem dilectionis saltem initialis in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo oppositum non fuit definitum. *Ant. prob.* 1. Andreas Veoa, qui Concilio interfuit, & durante Concilio scripsit insigne opus *de justificatione*. l. 6. c. 28. sic scribit: „Patres Concilii Tridentini inter dispositiones ad justitiam connumerarunt dilectionem Dei, ut fontis omnis justitiæ, & eam causam esse asseverarunt odii & detestationis peccatorum. Sapientissimè verò post timorem & spem dilectionem Dei commemorarunt. Ita enim Spiritu Sancto inspirante *Ecclesiasticus* c. 2. ubi timentes Deum ad spem hortatus est, subjunxit: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Et naturâ sic comparatum est; ut spes dilectionem generet, & eos continenter diligamus, quos in nos benignos fore confidimus. Porro S. Synodus non statuit hoc loco; an dilectio Dei, quæ disponit ad justitiam, sit dilectio Dei super omnia (simpliciter, in omnibus actionibus, distinctè cognita, & voluntate de se efficaci.) Qua ex definitione colligi non potest, dilectionem Dei super omnia antecedere justificationis gratiam. Potest quippe dici; & minorem illa sufficere ad obtinendam gratiam. *Et c.* 30. *ponit hunc titulum:* „Justificari possunt homines absque dilectione Dei super omnia; non tamen absque dilectione Dei. *Dein sic pergit:* Dilectionem Dei necessariam esse ad nostram justificationem, apud omnes Theologicos tractatores, quos legerim, receptissimum est. Et id quidem testimonia *Pauli*, *Augustini*, & *Bernardi* citata manifeste efflagitant. Et Paulus ubi asserit, alias virtutes nihil esse, & nihil nos juvare sine charitate, potissimum videtur ad eam retulisse, qua parte sub se dilectionem Dei comprehendit. Confirmataque est hæc doctrina à Patribus *Concilii Tridentini*, cum in *Canone* 3. statuerunt; necessarium esse Spiritus Sancti auxilium, ut diligamus Deum sicut oportet, ut justificationis gratia nobis conferatur. Siquidem hæc verba apertè docent, necesse esse diligere Deum, ut justificationis gratia nobis conferatur. Et qui agnoscunt, Deum nostris peccatis offendi, nunquam certè ad ipsius gratiam pervenient, nisi & de ipsis doleant, quatenus offensæ illius fuerunt, & amore in ipsum redeant, à quo se male averterunt. Non tamen perinde certum est, & incontroversum, qualis & quanta debeat esse hæc dilectio Dei, quam necessariam esse affirmamus ad justificationem nostram. *Et c.* 35. Scriptura & Ecclesia, cum hortantur ad pœnitentiam de præteritis peccatis, quatenus fuerunt offensæ Dei, & ad propositum servandi mandata propter Deum, hoc ipso ad dilectionem Dei super omnia hortantur. Nam hæc, ut jam diximus, virtute in se claudunt aliquam dilectionem Dei super omnia. *Dicet quispiam:* Nunquam igitur per pœnitentiam (in Sacramento) obtinebitur remissio peccatorum; sed semper per dilectionem, quæ antecedit Pœnitentiam. Verum hoc ex dictis non sequitur; quia dilectio Dei requisita & prævia ad veram pœnitentiam non tanta neque tam perfecta est, atque ista dilectio, quam sufficere ad gratiam contendimus." Ita Andreas Veoa, quem Petrus Canisius S. J. cum insigni elogio recudi fecit in Germania anno 1572.

2. Mel-

2. Melchior Canus, qui & ipse interfuit Tridentino, suumque Tractatum *de Pœnitentia* publicavit Compluti anno 1548. postquam Concilium jam Sessionem decimam finierat; docet expresse, quod licet ex parte attritionis non requiratur motivum amoris, sed sufficiat *attritio efficax* ex metu inferni, qua de causa ab authoribus oppositæ sententiæ pro se citari solet; ex parte tamen propositi requiratur actus charitatis, quamvis fateatur, nec illam quidem sententiam de sufficientia attritionis ex metu esse certam; ac præterea censeat, cum actum charitatis se tenentem ex parte propositi plerumque primum elici per vires gratiæ Sacramentalis. *Relectione* 1. sic scribit: „Principio statim quæstio illa „veniet in medium, quæ fundamentum est cæ„terarum. An pœnitentia sit dolor de peccatis, „qua ratione contra Deum fuerunt commissa? -- „Princeps quæstio ea erat; an pœnitentia sit do„lor de peccatis, quia contra Deum fuerunt „commissa? -- Tenenda est primum ipsius vo„cis origo. Pœnitentiam à pœna derivari, ne„mo est, qui ambigat. Pœna autem vindicta „quædam est præteritæ culpæ. Justæ autem vin„dictæ duo sunt genera, alterum publicum, al„terum privatum, in quo reus sponte pœnas eli„git. At vero cùm nemo in malum aspiciens „operetur, qui volens prudensque pœnas eligit, „eum alicujus boni gratia, quod tanquam finem „sibi præstituat, hoc facere, necessum est. Fi„nis autem primus justæ vindictæ is habetur, ut „qui læsus per culpam est, ei per pœnam satis„fiat. Sic igitur & pœnitens ob eam causam vin„dicat culpam, quam admisit, ut Deo quem of„fendit debitam satisfactionem impendat. Sed „enim per offensam culpæ non solum justitia Le„gislatoris, sed & amicitia violatur. Quapro„pter alter finis pœnitentis est placare Deum, „quem offenderit, eumque sibi conciliare. Cum „autem amicus pœnis amici non delectetur; ter„tius pœnitentiæ finis est salus animi. Objicit „Lutherus, quod pœnitentia in usu Scripturæ „non sit dolor ac pœna, sed mutatio consilii, seu „propositum instituendi animum ad vivendum „rectè. Sed Catholici quidam contrario penitus „sensu in dubium vocant, an ad veram pœniten„tiam præter dolorem de peccato præterito pro„positum exigatur deinceps futura vitandi? Nos „vero recentem hanc Theologiam paulisper ex„oremus, ut sileat. — Sit ergo Prima Con„clusio. In pœnitente semper hæc duo con„juncta sunt, detestatio vitæ veteris, & propo„situm vitæ novæ. Quæ probatur ex Apostolo „Eph. 4. Deponite veterem hominem; renova„mini autem spiritu mentis vestræ, & induite no„vum hominem. Ezechiel c. 18. inquit: Si im„pius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis „suis, & custodierit omnia præcepta mea, omnium „iniquitatum ejus non recordabor. Custodire „autem omnia præcepta ad animi propositum sine „dubio referendum est; quoniam non omnia „præcepta custodienda simul occurrunt, cum „homo pœnitentiam agit. Utrumque igitur pœ„nitens simul præstat; & quod dolet de omni„bus peccatis suis, & quod omnia præcepta cu„stodire proponit. *Et infra eodem Cap. Converti„mini, ait, & agite pœnitentiam, & facite vobis cor „novum & spiritum novum*; quod est, novam vi„tam animo concipere & velle. --- Præterea „primum, quod ab eo qui fecit injuriam postu„lamus, est hujusmodi propositum. Parentes, „cum liberos puniunt, propositum melioris vi„tæ ab illis per pœnas extorquent. Præterea in „omni motu non est recessus à termino aliquo „sine accessu ad oppositum. Ergo nec aversio à „peccato erit sine conversione ad justitiam. „Quare sicut pœnitens detestatur vitam injustam „antecedentem, ita voluntate complectitur fu„turam justam consequentem. Prætcrea vera „pœnitentia non est sine actu charitatis, ut mox „definiemus. Sed per actum charitatis volumus „Deo in omnibus placere NB. & in nullis displi„cere. Quod & nunc in Concilio Tridentino „Sess. 6. c. 5. & 6. definitur. Secunda Con„clusio. Hujusmodi propositum est de ratione „pœnitentiæ. — Nunc ea quæstio est à nobis „pertractanda, an dolor detestatioque peccati, „quia est contra Deum, sit de ratione pœniten„tiæ? Cui quæstioni eodem omnes ore respon„dent, de ratione pœnitentiæ esse. Quippe si „quem peccata contristant, vel quod turpia sunt, „vel quod infamiæ notam inusserunt, aut aliud „damnum dedere peccanti, hujus dolor idoneus „non est nec delicto adversus Deum commisso „compensando, nec infenso Deo placando & „conciliando. Nam ne homo quidem justus „placaretur, cum is qui læsit nullam ipsius habe„ret in dolore rationem; nec redintegraretur „amicitia, dum qui eam violavit, jacturam pro„priam sentit, non amici offensionem. Item „nisi hac ratione & sine peccator pœnitentiam „ageret, ad Deum, minimè per suam pœniten„tiam converteretur; cum tamen Christiani pœ„nitentem, & conversum ad Deum, eundem „prorsus intelligamus; quoniam & arcanæ Lit„teræ pœnitentiam sine peccatoris ad Deum con„versione penitus ignorant. Joel 2. Ezech. 18. „Psal. 118. Sed existit hoc loco quæstio non „parva; an illa ratio formalis & motiva pœni„tentiæ sine dilectione possit haberi? Quod in „hanc formam alii quærunt, an in pœnitentiæ „NB. *finitione* oportcat contineri, quod sit do„lor de peccatis, quia sunt contra Deum supra „omnia dilectum? Et suadetur non oportere „1. quia dilectio est actus sufficiens ad remissio„nem peccatorum; quare si semper cum pœni„tentia interveniret, aut neutra esset idonea, aut „altera superflueret. 2. Si actus charitatis ne„cessariò in peccatoris conversione inveniretur, „tunc charitas potius diceretur secunda tabula „post naufragium, quam pœnitentia, quod est „inauditum. 3. Puer fugit ignem tanquam ma„lum, etiamsi oppositum bonum actu non velit. „Ergo & homo potest fugere peccata, quamvis „Deum actu non amet. 4. Si dilectio esset pœ„nitentiæ conjuncta, dilectio pœnitentiam ante„cederet, quoniam attingit finem rationemque „formalem pœnitentiæ. At consequens est fal„sum. Hic sit PRIMA PROPOSITIO. „*Primus actus pœnitentiæ nunquam est sine charitate.* „Magister, S. Thomas, Durandus, Capreolus, „Paludanus. Probatur hæc Conclusio testimo„nio

„nio D. Augustini 14. de Civit. c. ult. ubi asserit „neminem pertinere ad civitatem Dei, nisi per „amorem Dei. Et l. de vera pœnit. c. 9. pro absurdo habet, quod aliquis sine amore Dei consequatur indulgentiam, sine quo nullus invenit gratiam. Præterea conversio ad Deum requiritur ad habendam gratiam, Zach. 1. Ezech. 18. & 33. Sed conversio ad Deum non fit, nisi per actum charitatis; cum in Christo Jesu sola *fides* valeat, *quæ per dilectionem operatur*, Gal. 5. Item omne agens agit propter finem. Anima ergo cum movet se, ad finem se movet. At velle efficaciter finem, pertinet ad charitatem. Namque si per spem solam finem appeteremus, nec spes mortua ad justificationem sufficeret, nec de peccato doleremus, qua ratione offensa Dei est; sed qua malum nostrum est. Idtandem modo in Concilio Tridentino Sess. 6. c. 6. & 7. definitum est. SECUNDA PROPOSITIO. *Prior natura est actus charitatis, quam actus pœnitentiæ.* Probatur 1. quia pœnitens detestatur peccatum, ut offensam Dei. Ergo prius natura amat Deum. Nam nisi quem amore prosequimur, ejus mala exhorrescere non solemus. 2. Primus actus voluntatis circa proprium objectum est, scilicet circa bonum. Deinde sequitur odium oppositi mali. Prior ergo actus est, quo Deo volumus bonum, quam actus, quo ejus malum abhorremus. 3. Velle mihi conciliare Deum prius est, quam velle emendare injuriam commissam; cum illud sit finis hujus. At illud ad charitatem pertinet; hoc ad pœnitentiam. Id postremo Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 6. definivit his verbis: *Peccatores ad justificationem se disponunt; incipientes diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem; ac propterea moventur adversus peccata per odium & detestationem, hoc est, per pœnitentiam.* TERTIA PROPOSITIO. *De ratione veræ pœnitentiæ est, quod displiceat peccatum, quia est contra* DEUM *supra omnia dilectum.* Id patet ex prioribus Conclusionibus." Huc-usque CANUS; qui ad objectionem 1. & 2. respondet, charitatem requiri etiam ad justificationem illius, qui nunquam peccavit mortaliter. In eo verò, qui peccavit mortaliter, præter charitatem etiam requiri pœnitentiam; ideo neutram esse superfluam; & pœnitentiæ potius convenire, quod sit secunda tabula. Ad 3. respondet, etiam puerum vi & potentia amoris naturalis, quem aliquando habuit, postea malum naturæ fugere. Quin etiam non necesse esse, ut habeamus duas differentes operationes amoris & pœnitentiæ. Sed potest unus & idem actus à charitate & pœnitentia proficisci, sicut media & finem unico actu complectimur; & præmissis & conclusioni unico actu assentimur. Ad 4. respondet, quod actus charitatis & actus pœnitentiæ habeant mutuam prioritatem in diverso genere. Actus enim pœnitentiæ & dilectionis erga Deum excitatus à gratia actuali est prior actu charitatis, per gratiam habitualem formato, *in genere dispositionis*; econtra actus charitatis ut jam formatus à gratia habituali est prior actu pœnitentiæ NB. *finito* ac *completo* in genere causæ meritoriæ. Hinc eodem loco bene observat; triplicem esse *conversionem in Deum*, unam per dilectionem perfectam, qualis datur in Beatis. Alteram, quæ est meritum beatitudinis, & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. *Tertia conversio est, per quam aliquis se præparat ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei animam ad se convertentis.* Ex his omnibus sequitur, quod *Canus* etiam in Sacramento pœnitentiæ requirat dilectionem Dei. NEC OBSTAT; quod in *Relectione ultima* CANUS dicat: *Attritio efficax ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentorum baptismi & pœnitentiæ gratiam percipiendam; ut cum quis detestatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in infernum ignem conjiciatur.* Nam CANUS signanter addit: Attritio *efficax*. Eam autem efficacem non esse sine *proposito serio & absoluto placendi Deo*, & servandi mandata, ac consequenter exhibendi Deo actus essentiales amoris, ipsemet in immediate præcedente paragrapho, & in textibus proximè adductis apertè declarat. Hoc autem propositum esse ipsam actualem dilectionem Dei, in *Argumento* 3. 7. & 15. satis ostensum est. Hac ipsa de causa in Conclusione non posui; quod attritio non sufficiat, si procedat ex metu pœnarum inferni, tanquam *motivo explicito*, quod substat attentioni pœnitentis. Sed hoc solum posui; quod attritio ex metu inferni concepta non sufficiat ad gratiam Sacramentalem recipiendam *sine dilectione initiali*, saltem se tenente ex parte propositi, ubi debet reperiri *displicentia de offensa divina* qua tali, cum *explicita relatione* ad vitanda peccata *in futurum*, & solum *virtuali* ad peccata *præterita*; prout in NOTANDO 3. præmonui. ADDO TAMEN; hunc ipsum modum loquendi, quod attritio non debeat procedere *ex motivo dilectionis* nisi *virtualiter*, non esse certum. Hinc CANUS p. 3. ad 3. scribit: *Contritio ponitur pars Sacramenti, quia est certa & indubitata materia; quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen certum & indubitatum.*

3. PETRUS DE SOTO, primarius Theologus Papæ in Concilio Tridentino, in *Instructione Sacerdotum*, scripta pro *Diœcesi Augustana*, & per OTTONEM CARDINALEM in ea Diœcesi præscripta, Lect. 14. scribit: *Ex his intelligamus, quam necessaria sit perfecta contritio ad remissionem peccati, etiam cum ipso Sacramento Pœnitentiæ.* Intelligit autem per *contritionem perfectam* initialem dilectionem Dei, quæ per modum dispositionis præcedit infusionem gratiæ, sed per infusionem gratiæ fit *perfecta* sicque ex *attritione fit contritio.*

4. MICHAEL MEDINA, Theologus Regis Hispaniæ in Concilio Tridentino, *de pœnitentia*, quæst. 4. scribit: *Videtur tenendum, quod Pœnitentia neque cum Sacramento possit de lege ordinaria ad salutem animæ valere, nisi in Deum summe dilectum sit relata.* Plures ejusmodi Theologi, qui interfuerunt Concilio, possunt videri in Wittasio.

SEXTÒ. Ipsemet Cardinalis PALAVICINUS, qui omnia Acta Concilii diligentissimè excussit, docet necessitatem dilectionis initialis ac benevolæ in Sacramento pœnitentiæ. Ergo nil reperit

reperit in Concilio suæ sententiæ adversum; aut si quidpiam serius reperisset, eam sententiam retractasset.

SEPTIMÒ. LAMBERTUS le DROU Episcopus, ac Sacrista Apostolicus, in opere *de Contritione* Dissert. 4. c. 1. testatur, sententiam Lovaniensium requirentium formalem actum amoris, ab Innocentio XI. contra imputationes ac censuras temerarias quorundam Theologorum se præsente fuisse absolutam. Ergo multo magis censura vacat sententia nostra tantum requirens actum dilectionis initialem præcise se tenentem ex parte propositi. *Ant. prob. Le Drou* l. cc. sic scribit: „Constat, eandem opinionem Romæ „à Supremo S. Officii Senatu coram Innocentio „XI. pluries discussam evasisse censura immunem. „Cum enim nonnulli in Belgio adversus quasdam „Lovaniensis Scholæ opiniones multum obstreperent, collegit hæc anno 1677. palmares do„ctrinæ suæ articulos: & quo certius intelligeret, „quidquamne suspectum, aut regulis fidei & mo„rum, Constitutionibusve Apostolicis non satis „consonum, quod ultra doceri par non esset, „forsitan complecterentur, subjecit illos censu„ræ Romanæ Sedis per suos Deputatos Franci„scum Van Vianen, Christianum Lupum Ord. „Erem. S. Augustini, & Martinum Steyaert, S. „Theologiæ Doctores, quibus & me aliud Romæ „agentem tunc adjunxit. Doctrina de contri„tione tribus his propositionibus comprehensa „erat. *Prima.* Servilis gehennarum metus ne„quaquam in sua substantia malus est, sed bonus „& utilis. Attamen ipsi soli insistens attritio, „etiam cum Sacramento non sufficit ad justifica„tionem. Quia ad accipiendam hanc gratiam „oportet credere, sperare, ac Deum propter se „diligere. *Secunda.* Vera attritio debet esse do„lor animi ac detestatio de peccato commisso, „cum proposito non peccandi de cætero, exclu„dens voluntatem peccandi. Attamen non de„bet includere perfectam charitatem, quæ homi„nem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacra„mentum actu suscipiatur. *Tertia.* Nihilominus „esse debet, licet imperfecta, tamen vera Dei „charitas, qua pœnitens Dominum Deum tan„quam omnis justitiæ fontem diligat, idcoque „peccata sua detestetur & oderit. Eam aliqui „appellant charitatem affectu super omnia. Por„ro hi articuli iterum iterumque à selectis per „Antefatum Innocentium Qualificatoribus, & ab „Eminentissimis S. Officii Patribus quam diligen„tissime expensi prorsus incolumes dimissi fuere, „quod profectò abundè sufficit, ut donec Apo„stolica Sedes aliter statuerit, deinceps defendi „& doceri possint.

OCTAVÒ. Ipsa Roma publicè hanc doctrinam laudat & approbat. *Le Drou* l. cc. sic scribit: „Ipsa Roma non solum impune fert libros, qui „illam tuentur, sed ut suis etiam prælis excudi „possint, licentiam concedit. Cujus rei recens „exemplum habemus ex editione Tomi 6. Scho„læ Ægidianæ P. Gavardi Ord. Erem. S. August. „quem SS. D. N. Innocentius XII. suo nomini „inscribi passus est. Estque aliud consimile ex„emplum quoad Tomum 4. Cardinalis de Lauræa „in quatuor Sent. Scoti, Romæ pariter excusum, „& Innocentio XI. nuncupatum. Et Cardinalis „Capisuccus, dum Magistri S. Palatii Officio Ro„mæ fungeretur Theologiam Moralem Genetti „non solum approbavit, sed etiam hoc elogio „commendavit: *Hæc Theologia Moralis sanam, „solidam, ac tutam doctrinam continet.* Pari quo„que indies libertate dictam Thesin propugnari „in publicis Congressibus *Academiæ Dogmaticæ* in „Archigymnasio Urbis, vulgò, *Sapientia*, toti „Urbi notissimum est.“ Ita le Drou, qui in Refutatione MICHELII testatur, primam partem Genetti jussu ipsius Clementis XI. editam esse. Addo, Manuscriptum MICHELII, quo præfatam *Refutationem* denuo refellere conabatur, quodque Romam pro approbatione obtinenda miserat, sine approbatione remissum esse. His accedit P. Joannes Laurentius Berti, Ord. Erem. S. Augustini, qui Romæ cum approbatione Magistri S. Palatii anno 1740. excusus Tom. 4. l. 23. c. 14. ad justificationem requirit dilectionem Dei super omnia, quamvis nondum adhuc justificativam. His accedit Declaratio SS. D. N. BENEDICTI XIV. posita *Notando* IV.

OBJICITUR 2. Doctrina præter attritionem ex metu inferni conceptam exigens actum dilectionis initialis est contra sensum & praxin communem fidelium. Ergo non est vera. *Ant. patet*, ex instructionibus Catecheticis, ac etiam ex praxi confitentium, ubi omnes censent, se satisfacere, si eliciant attritionem ex solo metu inferni. *c. prob.* Ecclesia non posset tolerare errorem tam universalem, & praxin tam perniciosam, si esset falsa.

RESPONDEO. dist. Hæc doctrina est contra sensum & praxin fidelium fictè pœnitentium. c. verè pœnitentium. n. Verè pœnitentes voco, qui habent serium propositum servandi omnia mandata. His autem deesse non potest actus *dilectionis initialis*, si ritè fuerint instructi circa obligationes & actus essentiales primi mandati, atque ad eas obligationes servandas sufficienter se extendat eorum intentio. Ratio est; quia propositum servandi omnia mandata, præsertim primum ac maximum, in se involvit propositum exhibendi Deo actus essentiales amoris practicos. Cum ergo omnes verè pœnitentes, quamvis suam pœnitentiam inchoent per detestationem peccati ex metu inferni, eandem tamen finiunt per *propositum* absolutum servandi omnia mandata, & serviendi Deo, quo modo id Deus requirit, eoipso volunt *placere Deo per actus essentiales amoris practicos.* Quod si hoc aut non seriò, efficaciter, & absolutè velint, aut sic Deo serviendum esse ignorent, hoc eorum culpæ aut miseriæ est, ut ea nolint aut non intelligant, quæ lumen naturæ & gratiæ dictat. Itaque hæc doctrina non est *contra*, sed potius *juxta* sensum & praxin fidelium *verè* pœnitentium, quorum numerum dum adversarii sua *laxa ac perversa* doctrina imminuunt, *non instruendo de natura veri propositi in Sacramento, aut de natura primi mandati*, cujus totam essentiam constituunt in actu amoris desinteressato, habente pro objecto materiali practico nil aliud, nisi observationem reliquorum mandatorum ab amore distinctorum, ita ut ex parte objecti materialis aliis mandatis nil practicum superaddat, hoc

ipſum eſt, de quo ſeveram dabunt Deo rationem.

Hæc Reſponſio CONFIRMATUR ex antiqua & univerſali per totam Eccleſiam recepta formula contritionis, quam pœnitentes peracta confeſſione recitare hucuſque conſueverunt, ubi dicunt: *De his & omnibus aliis meis peccatis ex corde doleo, quod Deum ſummum bonum offenderim &c.* Siſtendo enim præciſe in hoc motivo *quod Deus ſit offenſus*, eoipſo in actu exercito amatur Deus, gratia, & amicitia Dei, qui amor indefinitus eſt formaliſſimè actus dilectionis initialis, prout dictum eſt in Argum. 3. 7. & 15.

OBJICITUR 3. Hæc doctrina repugnat communi Doctrinæ Theologorum, qui docent, ſufficere ſolam attritionem ex metu inferni ad obtinendam in Sacramento gratiam.

RESPONDEO. diſt. Repugnat hoc communi Doctrinæ Theologorum, quoad conſiderationem ſpeculativam. tr. practicam. n. Ipſimet enim Theologi, qui videntur eſſe oppoſiti, in praxi requirunt propoſitum abſolutum *ſervandi mandata*, præſertim primum, & *ſe ſalvandi*, quod propoſitum in iis, qui norunt, quid ſit ſervare mandata & quinam ſint actus eſſentiales primi mandati tam ex parte objecti materialis quam ex parte objecti formalis, conſtituendò *objectum formale* in bonitate Dei adæquata & *materiale* in ORDINE CHARITATIS erga Deum, exigente, ut homo in negotiis gravis momenti commoda Dei ſeu divinæ gloriæ præferat commodis propriis, & quæ ſit vera beatitudo hominis, eoipſo per terminos convertibiles ac implicitè eſt propoſitum exhibendi Deo actus eſſentiales amoris, & conſtituend ultimum finem in ſummo bono, quod eſt formaliſſimè actus dilectionis initialis. Cæterum ſi illi Theologi ſupponant; hunc actum non eſſe actum charitatis initialis, quæ reddatur perfecta per vires gratiæ Sacramentalis, ſed eum eſſe ſolum *amorem* & *actum ſpei*, hic eorum error ſpeculativus eſt, non practicus. Idem eſt; ſi tale propoſitum exhibendi Deo actus eſſentiales amoris practicos cenſeant, non eſſe actum dilectionis initialis, ſed nudum propoſitum eliciendi ſuo tempore actus dilectionis, dum urgebit obligatio primi mandati, idipſum denuo error ſpeculativus eſt, non practicus, quamvis ſumme *deteſtandus*, quia contrariatur quoad modum loquendi Scripturæ, Patribus, & fere omnibus anterioribus Theologis, requirentibus univerſim dilectionem actualem Dei ad juſtificationem. Quod ſi Theologorum oppoſitorum aliqui adeo *deſipiunt*, ut negent, ad juſtificationem requiri propoſitum placendi Deo per actus eſſentiales amoris practicos, aut ſi exiſtiment, quod primum mandatum pro ſuo objecto materiali non habeat & requirat actus practicos ſibi proprios, & diſtinctos ab obſervatione aliorum mandatorum determinatè ſub pœna inferni obligantium, ita ut homo independenter ab ullo alio mandato commoda Dei in negotiis arduis debeat præferre ſuis commodis propriis, hoc non communi doctrinæ adverſariorum adſcribendum eſt, ſed paucorum *impietati*, quam modis omnibus execramur. Hæc enim doctrina eſt, quæ perdit orbem.

OBJICITUR 4. Si ad juſtificationem in Sacramento obtinendam requireretur actus dilectionis initialis, vel hic actus differret ab actu perfectæ charitatis tantum accidentaliter, vel eſſentialiter? neutrum poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* Si dicatur eum differre tantum accidentaliter; erit eoipſo juſtificativus ante abſolutionem, quod nequit dici. Aut ſi differt ab actu charitatis ſeu dilectionis theologicæ eſſentialiter, eoipſo erit tantum *actus* ſeu *amor ſpei*.

RESPONDEO. tr. *Maj.* n. *Min.* & dico, actum dilectionis initialis non differre in *conſideratione phyſica* ab amore Dei perfecto, niſi tantum accidentaliter; quia amor Dei perfectus amori initiali tantum ſuperaddit extenſionem, ad actus amoris etiam accidentales, ita ut homo *faciat* moraliter totum *quod eſt in ſe*, & ſic Deum moveat ad conferendam gratiam etiam extra Sacramentum. In æſtimatione verò theologica per ordinem ad ſuum effectum, qui eſt collatio gratiæ, dilectio initialis, & dilectio perfecta differunt eſſentialiter, prout in proxima quæſtione declarabitur ex D. Thoma.

OBJICITUR 5. Si propoſitum ſervandi ſuo tempore primum mandatum eſſet actualis dilectio Dei, tunc etiam propoſitum ſervandi reliqua mandata, v. g. charitatis erga proximum, miſericordiæ, obedientiæ erga parentes &c. eſſet actualis amor proximi, actualis miſericordia, actualis amor parentum & obedientia &c. Sed hoc non poteſt dici. Ergo. *Min. prob.* quia alias ſequeretur, quod unicum propoſitum peccatoris ſe convertentis eſſet actuale exercitium omnium virtutum cadentium ſub præcepto; quod eſt abſurdum.

RESPONDEO. n. *Maj.* & paritatem. Diſparitas eſt, quia motivum actualis dilectionis erga Deum per terminos ſaltem convertibiles actu ſubſtat attentioni pœnitentis. Econtra motiva charitatis erga proximum, miſericordiæ, obedientiæ &c. ne quidem per terminos convertibiles actu ſubſtant attentioni pœnitentis. Itaque hujusmodi actus aliorum mandatorum non continentur in propoſito generali *formaliter actu* in terminis ſynonimis aut convertibilibus, ſed tantum *virtualiter*, in quantum effectus neceſſarius latet in ſua cauſa. Econtra pœnitens actu cogitat de Deo, actu à Deo petit veniam, actu dolet, quod Deum offenderit, aut certè actu habet diſplicentiam de offenſa Dei, *qua tali*, in poſterum committenda, utpote ſeparativa à ſuo fine, ſalute, beatitudine, Deo ut amico actu à Deo, per Deum, & in Deo quærit ſuam ſalutem, actu ſe ſubmittit mandatis divinis, actu vult modo Chriſtiano ſervire Deo, ut oportet; actu vult ſervare ordinem charitatis erga Deum, ita ut velit ſemper in negotiis arduis commoda Dei præferre ſuis commodis propriis. Hæc omnia in homine, qui ſcit, quid ſit ſervire Deo, & obedire ejus juſſis, dicunt reipſa actu per terminos convertibiles voluntatem actualem exhibendi Deo actus eſſentiales amoris practicos. Id verò non contingit circa alia mandata, de quorum partim materialibus partim formalibus objectis, aut eorum motivis, v. gr. de proximis, de pauperibus, de parentibus &c. pœnitens *explicitè* non neceſ-

necessariò cogitat. Quamvis responderi posset 2. tr. *Maj.* dist. *Min.* tale propositum est actuale exercitium omnium virtutum internum & implicitum. tr. externum & explicitum. n.

Objicitur 6. D. Thomas docet; non requiri actum dilectionis in Sacramento. Ergo. *Ant. prob.* in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 5. dicit: *Ut homo se præparet ad gratiam in baptismo recipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.*

Respondeo n. a. *ad prob.* dist. non exigitur charitas & contritio perfecta. c. initialis ac imperfecta. n. Contraria enim mens Angelici patebit ex dicendis quæstione proxima, & satis patet ex dictis *Argum.* 20.

Objicitur 7. Scriptura & Patres quandocunque loquuntur de universali necessitate charitatis, vel amoris, tantum possunt intelligi de *habituali infusa.* Ergo nihil probatur pro necessitate universali amoris actualis.

2. D. Paulus 1. *Cor.* 12. manifestè charitatem reponit inter dona habitualia; quia postquam enumeraverat varias gratias gratis datas, v. gr. prophetiæ, curationum &c. addit: *Æmulamini charismata meliora; & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*

3. D. Augustinus *in Epistolam ad Galatas*, & alibi passim, per amorem Dei nil aliud intelligit, quam amorem honestatis, virtutis, justitiæ, veritatis, felicitatis, beatitudinis &c. Sed hic amor non est ille initialis, quem nos requirimus, nempe amicitiæ.

Respondeo *ad* 1. dist. a. Loquuntur de charitate infusa dependente simul ab exercitio libero dilectionis actualis. c. independente. n. Ex probationibus enim nostris, & ex sequenti quæstione patebit, charitatem infusam non esse aliquid adæquatè distinctum ab habitu aquisito amoris, sed tantum inadæquatè, inquantum superaddit habitui aquisito amoris *formam gratiæ sanctificantis*, & relationem intrinsecam ad finem supernaturalem, tam actui quam aquisito habitui dilectionis identificatam ex partiali influxu gratiæ; ita ut dispositio animi ex actu præcedente relicta permaneat ex viribus Sacramentalis gratiæ, per modum qualitatis stabilis seu habitus permanentis in anima ad actus amoris perfectos inclinantis ac determinantis, & in eosdem influentis, prout in Tract. de Virtut. ostensum est.

Ad 2. dist. a. D. Paulus loquitur de dono habituali simul ab exercitio libero actualis amoris dependente. c. independente. n. Sensus patet ex dictis in Responsione præcedente.

Ad 3. dist. D. Augustinus intelligit amorem virtutis, justitiæ &c. *originantis, fontalis & participantis.* c. *originatæ*, ac *participatæ* à creaturis. n. Quod enim D. Augustinus familiari illa sua phrasi intellexerit *justitiam* indefinitam, quæ est in Deo, ipsemet declarat l. de *Catechizandis rudibus* c. 27. ubi ait: *Sicut amatur sapientia & justitia, & veritas, & sanctitas, & charitas, non quemadmodum ista sunt in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis Sapientiæ.*

Respondeo 2. dist. Intelligit amorem justitiæ vel alterius virtutis per relationem ad amandum Deum. c. sine tali relatione. n. Sic enim in *Epistolam ad Gal.* in illa verba *fructus Spiritus sunt*, scribit: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Ut v. g. occurrit forma speciosa feminæ, & movet ad delectationem fornicationis. Sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam Christi secundum hanc operamur, ut regnante justitia per charitatem cum magna delectatione faciamus; quidquid in ea NB. placere Deo cognoscimus. Quod autem de castitate & fornicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui.*

QUÆSTIO IV.

Utrum omnis amor Dei super omnia infallibiliter justificet?

Notandum 1. Per amorem Dei super omnia hoc loco intelligi actum tertiæ virtutis theologicæ nempe charitatis, quo homo Deum tanquam summum bonum & ejus commoda non solum appretiatione speculativa sed etiam appretiatione practica vult præferre omnibus bonis creatis, si alterutrum ex his bonis amittendum foret, idque non suppliciorum alioquin incurrendorum metu, sed ex affectu amicitiæ, quo omne suum bonum constituit in fruitione solius Dei. Hujus amoris *objectum materiale* sunt *omnia bona tam intrinseca quam extrinseca* Dei, illa tanquam summum bonum amplexandô, ista verò, quæ consistunt in gloria Dei extrinseca, propriis commodis, ac ubi opus est, propriæ etiam vitæ, præferendo, & in Dei honorem procurando juxta rectissimum ordinem charitatis. *Objectum* autem *formale* hujus amoris est *bonitas* Dei *adæquata*, nempe tam *absoluta* quam *relativa* ad nos, videlicet ut *beatificativa* hominis & *unitiva* secum.

Notandum 2. Ejusmodi amorem Dei super omnia posse esse *perfectum* & *imperfectum.* Imperfectus esse potest *quadruplici* potissimum modô. Primô modô est imperfectus *ex defectu virium.* Quamvis enim homo *seriò* velit, Deum & ejus commoda in negotiis arduis ferre omnibus bonis creatis, id tamen *moraliter* implere non potest sine gratia Dei ipsi indebita, quam proin præsupposita ordinatione Dei gratuita elevandi hominem ad statum supernaturalem obtinere debet dispositione sua congrua, seu ut alii præsertim antiquiores loquuntur mereri *meritô de congruo latè dictô*, seu conatu quodam extraordinario, & studio bonorum operum, ita ut *faciendô quod est in se* meritô de pietate divina sperare possit perpetuam assistentiam gratiæ, quæ sibi possibile fiat, quod per vires naturæ sibi moraliter impossibile est. Itaque si homo Deum sic amet, ut eum & ejus commoda quidem seriò velit præferre bonis omnibus creatis toto vitæ tempore, sed non proponat sibi procurare necessaria subsidia gratiæ per conatum extraordinarium & studium bonorum operum, ejusmodi homo habebit quidem *amorem Dei super omnia*, sed *imperfectum ex defectu virium*, utpote destitutum *morali potentia* ad exequendum, quod proponit; quam moralem potentiam comparare negligit. Hujusmodi amorem authores nostri dicunt esse super omnia *affectivè*, sed non *effectivè*; eò quod ex ipsa dispo-

dispositione ac præparatione non sit ita *efficax*, ut possit præbere spem prudentem observationis constantis toto vitæ tempore circa primum mandatum. SECUNDÔ MODÔ ille amor est *imperfectus extensivè*, eò quod suô propositô se quidem extendat ad omnes *actus amoris essentiales*, toto vitæ tempore observandos, non tamen se extendat *ad actus amoris accidentales*. Ejusmodi amans vult quidem Deum & ejus commoda in negotiis arduis juxta ordinem charitatis & leges amicitiæ divinæ præferre commoda Dei præferre commodis propriis in negotiis levioribus, ubi non dissolvitur amicitia vult vitare *omnia incompatibilia cum voluntate rigorosi præcepti*, non tamen vult vitare *omnia incompatibilia cum voluntate beneplaciti divini*: vult evitare omnes actiones graviter peccaminosas; non tamen adhibet diligentiam aut curam ad evitandas actiones leviter peccaminosas: vult Deum præferre bonis omnibus creatis, quæ æternum separant à Deo; non tamen vult Deum sedulò præferre bonis aliis creatis, quæ non æternum separant, sed tantum elongant ad tempus a Deo: vult implere mandata expressè ac determinatè obligantia sub pœna inferni; non tamen solicitè curat mandata obligantia tantum sub pœna purgatorii: vult amare Deum super omnia incompossibilia cum salute æterna; non tamen vult amare Deum super omnia incompossibilia cum beneplacito divino: horret actiones cum statu gratiæ in individuo non compossibiles; non horret alias actiones non referibiles in gloriam Dei: vult esse amicus Dei, & vult agere ea, quibus determinatè non positis existimat se excidere gratiâ & amicitiâ Dei; non tamen ultra ea, quæ in individuo absolutè sunt necessaria ad amicitiam, vult præstare grata obsequia amicitiæ: vult curare requisita essentialia ad obtinendam æternam vitam; non tamen vult curare studium bonorum operum, quibus placeat Deo: vult esse Filius Dei, & vitare omnia, quæ habent annexam pœnam exhæreditationis æternæ; non tamen curat in aliis placere Patri: vult placere Deo *in aliquibus actionibus*, quarum omissio in individuo causat exclusionem à regno, & gravissimam iram divinam; non tamen vult placere Deo in *omnibus suis actionibus* juxta præsentes suas vires. Omnis ejusmodi amor vocatur *imperfectus extensivè*. TERTIÔ MODÔ dicitur amor *imperfectus ex defectu conditionis* requisitæ ad redintegrandam amicitiam cum Deo. Ista conditio consistit in natura veræ pœnitentiæ, seu in voluntate satisfaciendi congruè juxta offensi arbitrium. Cum enim Deus non teneatur, hominem inimicum denuò recipere in statum pristinum intimi amici, & filii adoptivi, etsiamsi Deum amet de novo super omnia, nisi verè pœniteat de præterito, & compenset offensam juxta offensi arbitrium, profectò amor ille, quo homo paratus est ad præferendum Deum practicè bonis omnibus creatis de futuro, erit *imperfectus ex defectu conditionis*, nisi homo studeat satisfacere, & compensare offensam juxta offensi arbitrium. Hanc conditionem pœnitentiæ justificativæ rectè observavit SUAREZ de Pœnit. Disp. 15. Sect. 3. n. 4. ubi sic scribit: *Dicendum censeo, præceptum satisfaciendi Deo pro injuria illata per peccatum, naturale esse, satisfaciendi, inquam, quantum homini possibile est, quia præcepta non dantur de rebus impossibilibus. Ratio à priori est, quia omnis justitia ad alterum naturaliter obligat ad satisfactionem injuriæ illatæ. Ulterius dico; quamvis non possit homo condignè satisfacere, tamen excitatum & adjutum divina gratia posse aliqualiter seu imperfectè seu de congruo, ut vocant, satisfacere, ac proinde ad hujusmodi satisfactionem obligari ex lege connaturali ipsi gratiæ; quia ex vi legis justitiæ, qua obligatur homo ad condignam satisfactionem, si potest eam exhibere, obligatur etiam, si non possit integram, saltem eam, quam possit, exhibere.* Ita Suarez, qui hanc sententiam probat à pari in materia satisfactionis pro honore læso. Nam licet non possit restitui ex integro, debet tamen restitui ex parte pro viribus. Hoc autem principio posito manifestum est, non omnem actum amoris erga Deum esse justificativum, si desit animus sic satisfaciendi, & cum mensura satisfactionis competentis homini non possit esse certa, necesse est, etiam remissionem peccatorum, utut posito actu amoris, incertam relinqui extra Sacramentum, in quo solo Deus compromisit in Confessarium tanquam arbitrum, ut qua satisfactione ipse nomine Dei contentus fuerit, etiam ipse Deus contentus esse velit, ita ut pœnitens interveniente judicio Confessarii nomine Dei satisfactionem imponentis moraliter certus sit, posito actu amoris eatenus relativè ad satisfactionem imperfectam imperfecti, sibi remissa esse peccato. Hæc radix imperfectionis in amore Dei summopere notanda est, quia hæc sola sufficeret ad solvendas omnes difficultates in hac materia, atque ad commendandam utilitatem ac necessitatem Sacramenti pœnitentiæ. QUARTÔ MODÔ amor Dei super omnia potest esse *imperfectus ex defectu intensionis*, eò quod posset esse *ardentior ac ferventior*, si homo vellet magis applicare memoriam & intellectum ad consideranda motiva inflammandi amoris.

NOTANDUM 3. Hôc locô non institui quæstionem; utrum *omnis* amor Dei super omnia quamvis quatuor præfatis modis sit imperfectus, sit *justificativus in actu primo*, hoc est, an sit de se sufficiens dispositio ad recipiendam justificationis gratiam, si eam Deus ex sua pietate conferre voluerit. Cùm enim Deus eam justificationis gratiam actu conferat sic dispositis in Sacramento pœnitentiæ, non est dubium; quin eandem justificationis gratiam sic dispositis etiam conferre potuerit extra Sacramentum. Itaque solum quæstio est; an Deus in præsente providentia seu in statu naturæ elevatæ *semper*, & *infallibiliter* amantibus Deum super omnia conferat, aut conferre teneatur justificationis supernaturalis, seu adoptionis gratiam? Cæterùm, an Deus ex *speciali sua pietate* extra Sacramentum hominibus sic dispositis *frequenter* impertiri soleat justificationis gratiam, humana quidem scientia assequi non licet; nonnisi paucis tamen, intuitu forte præcedentium bonorum operum, aut intuitu bonæ voluntatis in personis rudibus, saltem in Novo Testamento habitam opportuna occasione recipiendi Sacramenti, eam gratiam concedi, colligi poterit ex dictis Disput. 1. quæst. 4.

NOTAN-

NOTANDUM 4. Variam esse Doctorum hac in re sententiam. PRIMA est eorum, qui docent, justificari *infallibiliter* omnes, qui eliciunt actum amoris Dei super omnia, & ex motivo ejusmodi amoris peccata sua præterita detestantur. Et hæc sententia à centum annis valde erat communis inter Theologos. SECUNDA SENTENTIA ad amorem Dei justificativum requirit aliquam *intensionem amoris ex parte actus*, gravitati & malitiæ peccatorum præcedentium proportionatam. Huic sententiæ adstipulantur Lovanienses, Parisienses, ac etiam alii Theologi in Italia non pauci, inter quos *Le Drou*, Episcopus & Sacrista Apostolicus, *Genettus*, Cardinalis *Denof*, *Serrius*, *P. Milante*, *Bertius*. TERTIA SENTENTIA ad amorem & dolorem *infallibiliter* justificativum requirit, ut ille amor insuper in corde sit *prædominans*; ita ut homo sit dominus suarum passionum; quod existimant non contingere, nisi Deus speciali sua gratia peccatori contulerit cum intensione voluptatem prædominantem ad bonum. Authores hujus sententiæ sunt Theologi Augustiniani; inter quos multi ex Ordine Eremitarum S. Augustini v. g. *P. Girken*, *P. Piette*, *Le Drou*, *Berti*. QUARTA SENTENTIA ad amorem Dei justificativum exigit quandam *intensionem virium*, quæ intensio se non tenet ex parte actus; neque consistit in habituali dominio supra suas passiones, sed consistit in actuali conatu arduo superandi habitualem adhæsionem voluntatis ad vitia, & in forti resolutione præstandi omnia amoris officia erga Deum, quantumvis humanæ voluntati valde difficilia. Hæc sententia videtur esse *Scoti*, & apertè defenditur ab *Hiquæo*, ejus commentatore. QUINTA SENTENTIA quæ est mea, ad amorem justificativum requirit, ut sit *perfectus extensivè*, & *efficax*. EXTENSIVE PERFECTUS dicitur, qui se extendit non solum ad actus amoris essentiales, sed etiam accidentales, prout in NOTANDO 2. explicatum est. EFFICAX autem vocatur, qui proponit assumere idonea media acquirendi extraordinarias gratias ad constantem observationem mandatorum toto vitæ tempore necessarias, ita ut sibi moraliter possibile fiat, quod per vires naturæ moraliter est impossibile. In eadem amoris efficacia includitur, ut pœnitens efficaciter velit compensare offensam satisfactione congrua juxta offensi arbitrium. Prout NOTANDO 3. explicatum est. Nemo autem non videt; quartam & quintam sententiam, quæ videtur esse D. Thomæ, non multum diversam esse; imo etiam authores secundæ & tertiæ sententiæ, si explicatius loquerentur, facile in hanc quintam sententiam concessuros.

NOTANDUM 5. Hoc loco nondum examinari, in quo differentia *amoris perfecti justificativi*, & *amoris imperfecti non justificativi* exactè constituenda sit? Hoc enim discutietur in quæstione sequente. In hac autem quæstione unicè quæritur, an omnis amor Dei super omnia, seu dolor ex ejusmodi amore profectus, semper & infallibiliter extra Sacramentum justificet?

DICO. Non omnis amor Dei super omnia, nec omnis dolor ex ejusmodi amore profectus justificat infallibiliter extra actualem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

PROBATUR 1. Non omnis ejusmodi amor aut dolor habet promissionem gratiæ. Ergo non justificat infallibiliter. *Ant. prob.* inprimis negativè, quia ejusmodi promissio non potest ostendi, prout patebit ex solutione objectionum.

PROBATUR 2. positivè. Gratia justificationis in Scriptura solum promittitur iis, *qui* moraliter *faciunt* totum, *quod est in se*, ad obtinendam justificationis gratiam. Sed non omnis pœnitens eliciens ejusmodi amorem Dei super omnia, *facit moraliter totum quod est in se*. Ergo non omni hujusmodi pœnitenti promittitur gratia justificationis. *Min. patet* ex *Notandò* 2. & 4. quia non est moraliter impossibile, ut homo pœnitens *saltem proponat* seriò; comparare sibi conatu extraordinario gratias ad constantem observationem mandatorum necessarias; exhibere Deo sedulò actus amoris gratuitos alias non præceptos in individuo; omnes suas actiones & se totum ordinare in gloriam Dei; & studiò bonorum operum compensare offensam juxta offensi arbitrium. Hæc omnia moraliter non excedunt vires humanas, ut saltem non possint haberi in proposito serio. Ergo pœnitens, quamvis amet Deum super omnia in sensu explicato in *Notandò* 1. si tamen negligat elicere ejusmodi proposita, non facit moraliter totum quod est in se, in ordine ad obtinendam justificationis gratiam. *Maj. prob.* ex Scriptura. Nam Deut. 4. v. 29. Populo Judæorum dicitur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et c. 30. *Si ductus pœnitudine cordis tui reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & in tota anima tua, Dominus Deus tuus miserebitur tui.* Et 3. Reg. 8. v. 48. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, exaudies in cœlo, & propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum.* Et Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et 2. Paralip. 30. v. 18. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum.* Hi omnes, & plures ejusmodi textus planè ostendunt quendam conatum *faciendi, quod est in se*, in ordine ad obtinendam gratiam remissivam peccati.

PROBATUR 3. D. Thomas supponit & ponit tanquam principium indubitatum, quod Deus nulli teneatur conferre gratiam justificationis, nisi facienti, quod est in se. Ergo cum pœnitens eliciens præcise amorem Dei super omnia sine proposito comparandi sibi gratias necessarias pro constanti observatione primi mandati, & compensandi offensam juxta præsumptum offensi arbitrium, & exhibendi Deo actus amoris gratuitos, seque totum & actiones suas omnes sedulò ordinandi in Deum, non faciat moraliter quod est in se, non tenetur illi Deus extra Sacramentum conferre justificationis gratiam. *Ant. prob.* ex variis textibus D. Thomæ. Nam 1. 2. q. 112. a. 3. sic quærit: *Utrum necessariò detur gratia se præparanti ad gratiam, vel facienti quod est in se?* Quæstionem autem hanc sic resolvit, ut dicat, gratiam necessariò conferri *facienti, quod est in se*, non ob meritum rigorosum actionis humanæ; sed

sed ob ordinationem divinam, qua Deus tam in ordine gratiæ, quam in ordine naturæ cuivis subjecto congruè disposito præordinavit congruam formam. Idem l. cc. respondet ad objectionem primam, quæ sic sonat: *Videtur, quod ex necessitate detur gratia se præparanti ad gratiam, vel facienti quod est in se.* Consimiliter in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 1. quærit: *Utrum præparatio, per quam aliquis facit, quod est in se, ad justificationem præexigatur?* Et respondet: *Oportet, quod voluntas cooperetur ad suam perfectionem; & hæc cooperatio dicitur præparatio ad gratiam, quæ facit quod est in se.* Ibidem ad 1. sibiipsi sic objicit: *Videtur, quod præparatio, per quam aliquis facit, quod est in se, ad justificationem non præexigatur. Sicut patet de Paulo.* Respondet, quod in D. Paulo *perfecta cooperatio* statim conjuncta fuerit cum vocatione. *Unde non sequitur, quod talis gratiam habeat non faciens, quod in se est.* Ibidem qq. 2. C. dicit: *Per displicentiam peccati, & affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparat. Et quando hæc duo NB. efficaciter facit, dicitur facere quod in se est, & gratiam recipit.* Ibidem qq. 3. ex instituto examinat quæstionem; *an necesse sit, eum justificari, qui facit, quod est in se?* Respondet: *Loquendò de necessitate, quæ est ex suppositione divini propositi, quo Deus voluit gratiam communicare unicuique secundum suam capacitatem, necesse est, quod cuilibet materiæ præparatæ forma infundatur.* Ex his ergo textibus D. Thomæ liquet; quod supponat, homini in ordine ad obtinendam gratiam necessarium esse, ut faciat, quod est in se. Ex quo sic licet argumentari. Homo non potest scire, utrum in æstimatione divina homo censeatur facere, quod est in se, quando præcisè amat Deum super omnia, se non extendendo ad actus amoris accidentales. Ergo amor Dei super omnia non justificat infallibiliter.

PROBATUR 4. Si omnis amor Dei super omnia infallibiliter justificat, quilibet homo potest facile scire, & esse moraliter certus, an sit in statu gratiæ vel non. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. patet;* quia teste Scriptura: *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.* Eccles. 9. *Maj. prob.* Facile non solum probi, sed etiam peccatores resipiscentes possunt scire; utrum velint, Deum practicè præferre omnibus bonis creatis. Vide dicta ex D. Thoma Disp. 1. q. 4. argum. 10.

PROBATUR 5. Omnis pœnitentia veterum habebat diu annexam incertitudinem de obtenta venia. Sed hanc non habuisset si infallibiliter justificaret quivis amor Dei super omnia. Ergo *Min. patet;* quia plerique potuissent scire, an parati sint potius amittere vitam, & alia bona terrena, quàm peccare contra Deum. *Maj. prob.* ex variis textibus Scripturæ. Sic Jonæ 3. dicitur: *Convertatur vir à via sua mala. Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus?* Et Joel. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra. Quis scit, si convertatur, & ignoscat?*

PROBATUR 6. Si infallibiliter justificaret quivis amor Dei super omnia, non rarò, sed ordinariè contingeret, hominem justificari ante absolutionem. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Omnis pœnitens debet ita esse constitutus, ut Deum præferat appretiatione practica omnibus bonis creatis. Ergo si amor Dei super omnia consistit in tali amore appretiativo, omnes tenentur habere hunc amorem. *Min. patet* ex Tridentino, quod Sess. 14. tantum dicit; quod contritionem *aliquando* charitate perfectam esse contingat, prout Disp. 1, q. 4. observatum est.

PROBATUR 7. Catechismus Tridentini p. 2. c. 5. §. 32. dicit: *Primum docendum est, Confessionis institutionem nobis summopere utilem, atque adeo necessariam fuisse. Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri; quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut Clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret.*

PROBATUR 8. SS. Patres testantur, Catechumenis ordinariè non remitti peccata ante actualem susceptionem baptismi, prout ostensum est Disp. 1. quæst. 4. argum. 2. Ergo non omnis amor Dei super omnia infallibiliter justificat. *c. prob.* Non potest prudenter dubitari, si non plerosque, saltem plurimos Catechumenos jam ante baptismum elicuisse actum amoris Dei super omnia, quia, ut supra Disp. 3. q. 3. argum. 18. N. V. ex D. Augustino ostensum est, Catechumeni solicitè instruebantur de observatione primi mandati; & per se videtur evidens esse, quod in totali conversione vitæ fuerint obligati ad eliciendum actum amoris Dei super omnia. Si enim pueri ad hoc obligantur statim, ubi primò adepti fuerunt usum rationis, quanto magis obligati sunt Catechumeni post commissa tot peccata, ut se totos convertant in Deum?

PROBATUR 9. Si omnis amor Dei super omnia justificaret infallibiliter, non opus fuisset tanta lamentatione primorum Christianorum, si qui eorum sine actuali susceptione Sacramenti pœnitentiæ ex hac vita migraverant, prout testatur D. AUGUSTINUS Ep. 180. *ad Honoratum,* relatus Disp. 1. q. 4. argum. 3. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Facile ab ejusmodi morientibus potuisset elici actus amoris Dei super omnia, quo Deum appretiatione practica vellent præferre bonis creatis, ita ut potius vellent mori, quam graviter peccare. Ea enim voluntas requiritur in omni vero pœnitente, etiam in Sacramento.

PROBATUR 10. Si quivis amor Dei super omnia justificaret infallibiliter, falsa esset hæc propositio causalis, qua Christus Luc. 7. de S. Magdalena dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed hoc non potest dici. Ergo. *Prob. Maj.* Sola dilectio ratione sui, sive sit modica, sive multa, esset causa remissionis peccati. Ergo.

CONFIRMATUR. Falsa esset hæc propositio causalis: Dies est, quia sol intense lucet. Solutus est Petrus à vinculis, quia celerrimè est solutus. Liberatus sum ab obligatione solvendi debitum, quia in duplo solvi. Frustra enim & falsò

falsò allegatur pro causa modus rei, qui non exercet causalitatem.

PROBATUR II. Scriptura ad justificationem per modum conditionis *sine qua non* requirit propositum satisfaciendi & compensandi offensam juxta offensi arbitrium. Ergo ubi amor Dei super omnia hac conditione destituitur, non sufficit ad justificationem. *Ant. prob.* ex variis textibus Scripturæ:

I. Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.*

II. Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

III. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

IV. Matth. 3. & Luc. 3. S. Joannes præcursor dicit: *Progenies viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Luc. 3. dicitur: *Fructus dignos pœnitentiæ.* Et D. Paulus Act. 26. v. 20. *Annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentia opera facientes.*

V. 2. Cor. 7. Apostolus describens naturam veræ pœnitentiæ ab exemplo Corinthiorum dicit: *Si contristavi vos, non me pœnitet. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum tristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed indignationem, sed timorem, sed æmulationem, sed vindictam.*

PROBATUR 12. SS. Patres nec illorum pœnitentiam in tuto collocant, qui in Sacramento pœnitentiæ nolunt acceptare proportionatas peccatis pœnitentias à Confessariis impositas vel ab Ecclesia taxatas. Ergo multo minus extra Sacramentum infallibiliter justificationem conferet quivis amor Dei super omnia destitutus illo proposito satisfaciendi & compensandi offensam.

I. TERTULLIANUS l. de pœnit. c. 11. irridens talem pœnitentiam destitutam serio proposito satisfaciendi offenso pro culpa, ait: *Num in coccino & tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis. Si quid ficti nitoris, siquid cocti ruboris, in labia aut genus urgeat. Exquirito balneos lætiores. Conquirito altilium enormem saginam. Cumque quis interrogavit, cuinam ea largiaris? Deliqui, dicito, in Deum. Itaque nunc maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi! Si ambientes magistratum non pudet, neque piget, incommodis animæ & corporis, & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum, castigationem victus & cultus offenso Deo præstare cessabimus? Qui ista recusant, hi sunt, de quibus Scriptura commemorat: Væ illis, qui delicta sua procero fune nectunt!*

II. S. CYPRIANUS de lapsis. *An lamentari eum putamus ex toto corde; jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Quis hilaris & lætus incedit, quando mortem suam deflet? An ille ingemiscit, & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit, cogitare? Accipere pretiosa ornamenta & monilia, nec divini & cœlestis damna deflere? Animam tuam miserè perdidisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera; ecce majora delicta, peccasse, nec satisfacere.*

III. PACIANUS Epist. 3. *Paterer hoc credi* (iterata absolutione dari incentivum liberius delinquendi) *si pœnitentia delitiæ putarentur, cui tantus labor impenditur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lachrymæ, cui gemitus sempiterni.*

IV. S. AMBROSIUS l. 2. de pœnit. c. 6. *Audiant, qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua intentione, qua intimorum concussione viscerum? qua cordis conversione? Vide, inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo; conversum est cor meum in me. Cognovisti intentionem animi, fidem mentis, cognosce & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, defecerunt in lachrymis &c.* Et c. 10. *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis? ubi vini effusio? ubi ipsius copulæ conjugalis usus?*

V. S. AUGUSTINUS Epist. 54. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod malè fecerit, impunitum esse non sinat.*

VI. S. GREGORIUS Hom. 2. in Evang. *Vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta.*

VII. S. BERNARDUS de grad. humilit. c. 18. *Quem veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret.* Plures ejusmodi SS. Patrum textus vide Disp. 1. quæst. 2. & Disp. 6. q. 1. Ex his autem omnibus patet, amorem Dei super omnia extra Sacramentum non justificare infallibiliter, si destituatur ejusmodi proposito compensandi offensam juxta offensi arbitrium.

PROBATUR 13. S. FRANCISCUS SALESIUS non quemlibet amorem Dei super omnia ad salutem sufficientem esse declarat, sed valde efficacem. L. 10. de amore c. 6. sic scribit: *Primum mandatum amorem inter mille electum præscribit. Est amor, quem omnes amores nostros vincere, & omnibus nostris affectibus, regnantis in morem, dominari necesse est. Et hoc à nobis exigit Deus, ut sui amor præ reliquis nostris amoribus altius cordi impressus toti cordi præsit ac imperet, ut ardentiori affectu animam nostram obtineat, & majori amplitudine omnes nostras facultates ad opus adhibeat, ut omnem nostram mentem impleat, ut denique sit fortior & robustior, omnemque nostram fortitudinem & vigorem exerceat. In summa; est amor excellentiæ, qui omnibus mortalibus mandatus est; & hic amor à primo momento, quo incipiunt uti ratione, sufficiens cuilibet & necessarius est.* Itaque extra Sacramentum, ubi gratia sacramentalis vires confert ad extensionem amoris, non quilibet amor Dei super omnia sufficit ad justificationem.

PROBATUR 14. Ille amor non sufficit extra Sacramentum ad obtinendam justificationis gratiam,

gratiam, qui nec habet vires ad præstanda sua promissa, nec sibi procurat vires gratiæ ad præstanda promissa. Sed talis est amor Dei super omnia, nisi sit extensivè perfectus, ita ut majori studio bonorum operum conetur comparare gratias actuales ad constantem observationem mandatorum necessarias. Ergo. *Maj. patet* qui enim vult efficaciter finem, etiam vult efficaciter media ad finem. Hinc & D. Thomas in Opusculo 16. pag. 2. c. 3. dicit: *Quidquid actuali, absoluta, & plena voluntate nihi volo, id, si possum acquirere, acquiro.* Hinc & S. Augustinus tr. 28. in Joan. dicit: *Qui recusat viam, quid requirit patriam?* *Min. prob.* Si amor Dei super omnia non est extensivè perfectus, non potest prudenter sperare gratias actuales extraordinarias, ad constantem observationem mandatorum necessarias; ergo non vult efficaciter procurare vires gratiæ ad præstanda promissa.

CONFIRMATUR I. Non omnis voluntas præferendi Deum omnibus bonis creatis, licet sit seria, est tamen satis efficax in actu primo, spectata præparatione causarum, ad prudenter sperandum aut promittendum effectum. Ergo etiam non omnis amor Dei super omnia, qui consistit in tali voluntate appretiativa, est sufficiens ad justificationem. *Ant. prob.* S. AUGUSTINUS, seu quisquis alius est author *Serm.* 127. *de tempore.* circa illa verba Petri ad Christum: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ait: *Dilectionis est quod dixit; fuit tamen in voluntate, sed non fuit in virtute.* Et l. de natura & gratia, idem S. Doctor ait: *Charitas parva & imperfecta ipsi non deerat; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.*

CONFIRMATUR 2. D. Thomas supponit, in hac re dari voluntatem efficacem & inefficacem, & asserit; ad justificationem tantum sufficere voluntatem efficacem. In 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 2. C. ait: *Per displicentiam peccati, & affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparat; & quando hæc duo efficaciter facit, dicitur facere, quod est in se, & gratiam recipit.* Et 1. 2. q. 20. a. 4. dicit: *Non est perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur.*

PROBATUR 15. authoritate D. Thomæ. Nam DOCET 1. quod amor remissus non sufficiat ad rationem charitatis. In 4. dist. 17. q. 1. a. 5. qq. 3. dicit: *Contritio habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est displicentia peccati commissi. Et hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem contritionis. Ut si minus ei displiceret peccatum, quam debeat displicere separatio à fine.* (prout contingit in iis, qui magis dolent ex metu pœnarum, quàm ex amore) *Sicut & amor potest esse adeo remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis.* DOCET 2. modum amoris & contritionis sufficientis ad justificationem, exactè loquendò, esse homini ignotum, & solum ex effectu conjecturaliter eum agnosci posse; hoc autem non contingeret, si amor justificativus præcise consisteret in seria voluntate præferendi Deum omnibus bonis creatis. *De veritate* q. 24. a. 5. dicit: *Non qualiscunque motus voluntatis est sufficiens ad remissionem peccati; sed oportet esse aliquem motum, qui quidem homini notus esse non potest.* Et 1. 2. q. 112. a. 5. C. *Dicendum, tripliciter aliquid posse cognosci. Uno modo per revelationem: Alio modo per seipsum, & hoc certitudinaliter. Et sic nullus potest scire, se habere gratiam. Tertio modo aliquid cognoscitur conjecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo potest aliquis cognoscere, se habere gratiam, inquantum scilicet percipit; se delectari in Deo, & contemnere res mundanas &c.* DOCET 3. cum actum voluntatis, quo homo justificatur sine successiva præparatione, debere esse intensum. In 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 1. C. dicit: *Non semper oportet, quod talis præparatio ad gratiam, quæ facit quod est in se, tempore justificationem præcedat, quia actus voluntatis principio potest esse tantùm intensus, quantum sufficit ad præparationem.* DOCET 4. attritionis actum ante absolutionem nondum formatum gratia; & actum contritionis post absolutionem formatum gratia, seu motum charitatis, ut centies vocat, prout in præcedente quæstione ostensum est, secundum se esse ejusdem naturæ, sicut v. gr. aqua calida vel colorata est secundum se ejusdem naturæ cum aqua frigida vel non colorata. In 4. dist. 17. q. 1. a. 4. qq. 2. C. sic scribit: *Cum motus liberi arbitrii sint quasi dispositio ultima ad gratiæ susceptionem, suo modo præcedunt gratiæ infusionem in via causæ formalis. Sicut qualitates, quæ introducuntur simul cum formia substantiali, quodammodo formantur per formam substantialem. Sed sicut qualitas ejusmodi ante suam consummationem & formæ introductionem non erat formata sed informis; ita etiam est de motu liberi arbitrii, si tamen continuatus in fine perficiatur per gratiæ infusionem. Nec est inconveniens* (quod idem ex suo genere actus sit formis, & informis) *quia, etsi sit aliquo modo idem secundum genus naturæ, non tamen est idem secundum genus moris*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Charitas perfecta infallibiliter justificat; sed omnis amor Dei super omnia est charitas perfecta. Ergo. *Maj. prob.* S. Pius V. damnavit inter propositiones Bajanas sequentes: 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Et 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Et 70. *Homo existens in peccato mortali seu in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.*

RESPONDEO c. *Maj.* n. *Min.* Quod enim non omnis amor Dei super omnia sit charitas *perfecta*; patet ex probationibus. Datur namque amor Dei super omnia *affectivè* talis, seu talis appretiatione practica inefficaci; utpote conjuncta cum morali impotentia servandi actus amoris essentiales toto vitæ tempore, quam moralem impotentiam tepidè pœnitens non vult deponere nisi per intensionem virium extraordinariam, aut per proposita extraordinaria actuum amoris habentium annexam spem certam gratiæ actualis extra-

extraordinariæ. Itaque non omnis amor Dei ſuper omnia, tantum *affectivè* aut *inefficaciter* talis, eſt juſtificativus extra Sacramentum.

Objicitur 2. ex Scriptura. 1. Prov. 8. v. 17. dicitur indiſcriminatim. *Ego diligentes me diligo.* 2. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. v. 8. 3. *Omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* 1. Joa. 4. v. 7. 4. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Chriſtus Joan. 14. v. 23. 5. *Cum ingemueris, tunc ſalvaberis.* 6. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

Respondeo ad 1. diſt. Diligo diligentes dilectione perfecta. c. imperfecta. n. Idem reſpondeo ad 2. 3. & 4. Manifeſtum enim eſt; per nomen *dilectionis* vel *charitatis*, ubi conjungitur cum donis vel promiſſis ſoli juſto convenientibus, intelligi eam dilectionem, ſeu charitatem, quæ exigitur in primo mandato, utpote cujus ſolius habetur certa, determinata, fixa, atque omnibus *obvia* notio. Hanc autem eſſe dilectionem perfectam, patet ex Deuteronomio & Evangelio, ubi deſcribitur, quod ſit dilectio ex toto corde, tota fortitudine, & ex totis viribus. Cæterum illud etiam adverto non omnem dilectionem Dei erga homines eſſe dilectionem amicitiæ, ac juſtificativam, quia frequenter in Scriptura etiam ſermo eſt de dilectione benevolentiæ, ſeu beneficentiæ; ſic enim dicitur etiam diligere peccatores. *Deus prior dilexit nos.* 1. Joan. 4. v. 10. & v. 19. *Diligis omnia, quæ ſunt.* Sap. 11. v. 25.

Ad 5. & 6. reſpondeo retorquendo hos textus in attritione.

Respondeo 2. diſt. Cum *ingemueris*, vel *converſus* fueris converſione perfecta, aliunde explicata in Scripturis. c. imperfecta. n. Clarum eſt; quandocunque de re aliqua fit ſermo, ſubintelligi modos, qualitates, aut conditiones intrinſecas rei, quæ aliunde ſupponuntur notæ eſſe aut ex natura ſubjectæ materiæ, aut ex voluntate loquentis alibi manifeſtata. Atqui ad obtinendam remiſſionem peccati requiri converſionem valde perfectam ex toto corde, & gemitus amoris perfecti, patet ex probationibus Concluſionis. Alias, cum attritio ex metu gehennæ juxta adverſarios ſit perfecta converſio cordis, ſequeretur, quod vi horum textuum juſtificaret etiam extra Sacramentum. Miror proin, quod adverſarii objicere malint duos hos textus, qui potius ſerviunt contra ipſos per modum retorſionis; inquantum ex his manifeſtè liquet, terminos *converſionis*, & *dilectionis*, dum illis promittitur venia extra Sacramentum, intelligendos eſſe de *qualificata* debitis conditionibus aliunde notis, & expreſſis in Scriptura.

Objicitur 3. authoritate Patrum. 1. *D. Auguſtinus* tr. 1. in Epiſt. Joan. ſcribit: *Si quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit, quia tranſiit de morte ad vitam; jam in dextra Dei eſt.* 2. Idem tr. 5. in Joan. dicit: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli.* 3. Idem tr. 9. in Joan. *Anima amando Deum pulchra efficitur.* 4. *S. Chryſoſtomus* Hom. 7. in Epiſt. 2. ad Tim. *Sicut ignis, ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit, ita charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit atque perrumpit. Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala.* 5. *D. Bernardus* Epiſt. 170. *Nemo ſe amari diffidat, ſi jam amat; neque enim redamare pigebit eum, qui nos amavit necdum amantes.* 6. Idem Serm. 83. in Cant. *Anima, ſi perfectè diligit, nupſit.* 7. *S. Leo* Epiſt. 91. ad Theodorum: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio.*

Respondeo *ad* 1. diſt. Qui invenerit ſuo in corde charitatem perfectam. c. imperfectam. n. qui enim in corde ſuo invenit charitatem, certus jam eſt, ſe debitè amare Deum; hoc autem non ſciunt, niſi jam valde perfecti in charitate, qui amant ſeriò ordinem totius juſtitiæ, & omnia quæ placent Deo.

Ad 2. diſt. Dilectio perfecta diſcernit. c. imperfecta. n. Videbimus in proxima quæſtione, quod D. Auguſtinus ad veram dilectionem juſtificativam requirat, ut ſit prædominans.

Ad 3. diſt. amando amore perfecto. c. imperfecto. n. Ratio diſtinctionis patet ex dictis, quia hi termini *amor*, *dilectio*, ſimpliciter ac ſine addito in ſuo ſignificato obvio important eum *amorem* ac *dilectionem*, qui objicitur humanæ attentioni in primo mandato dilectionis ac in Evangelio, ubi ſemper eſt ſermo de amore procedente ex totis viribus, ac tota fortitudine, & de obſervante *efficaciter* ſermones Chriſti. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Joan. 14. v. 23. utique totum & toto vitæ tempore, cujus rei præſtandæ moralis potentia, ac conſequenter propoſitum de ſe efficax plerumque non habet ſine gratia extraordinaria, aut ſine conniſione virium extraordinaria, extendente ſe ad cautelas & fontes gratiarum, puta, ad actus amoris etiam accidentales.

Ad 4. c. a. n. c. Quia D. Chryſoſtomus hoc loco apertè loquitur de charitate fervida, hoc eſt perfecta. Mirum proin, quod Adverſarii non videant, hunc ipſum textum validè in ipſos retorqueri poſſe, dicendo: *Os aureum veniam tantum ſpondet charitati fervidæ. Ergo remiſſa ac tepida non juſtificat.*

Ad 5. diſt. Si amat amore perfecto. c. ſi imperfecto. n. vel *ſubdiſt.* Non diffidat ſe amari amore ſaltem benevolentiæ & beneficentiæ diſponente per gratias actuales ad amorem perfectum. c. amore amicitiæ. n. Senſus patet ex ipſo textu, qui adducitur N. 6. ubi amorem amicitiæ & ſponſalitium tantum promittit illi, qui *perfectè diligit.*

Ad 6. c. a. n. c. Textus enim apertè loquitur de amore perfecto, non de imperfecto; & retorquetur in adverſarios dicendo: *Amor ſponſalitius Dei ad animam tantum promittitur diligenti perfectè.* Ergo non promittitur diligenti imperfectè.

Ad 7. diſt. Nullas patitur veniæ moras vera converſio per amorem Dei perfectum. c. imperfectum. n. Si enim vera converſio qualiscunque ſufficeret, juſtificaret etiam attritio ex metu inferni, quam adverſarii habent pro vera converſione. Si autem non ſufficit quævis vera converſio, ſed qualificata, veritas illa & modus qualifica-

lificationis non ex hoc ipso textu discitur, sed supponenda est aliunde nota. Itaque si reditur ad principia nota aliunde, textus in utramque versatilis est, ac eoipso se solo probat in neutram partem.

Objicitur 4. D. Thomas constanter docet, quod dilectio initialis & dilectio perfecta non differant quoad substantiam. Ergo sicut infallibiliter justificat charitas perfecta ita etiam infallibiliter justificat dilectio initialis. *Ant. prob.* D. Thomas docet, quod timor initialis, & timor castus non differant quoad substantiam. Ergo etiam docet, quod amor initialis, & amor perfectus non differant quoad substantiam. *c. prob.* S. Doctor expresse docet, quod timor aut fit realiter amor, aut certè realiter fit ex amore.

Confirmatur. S. Doctor, ubi enumerat motus liberi arbitrii in ordine ad justificationem, post actum fidei, timoris servilis, & actum spei, statim ponit actum perfectæ charitatis. Ergo signum est, quod actum dilectionis initialis in ordine ad justificationem non distinguat à charitate perfecta. *Ant. patet* ex 3. q. 85. a. 5. ubi ponit hunc ordinem motuum animi. 1. *motum fidei.* 2. *motum timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.* 3. *motum spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi.* 4. *motum charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia.* 5. *motum timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis Emendam Deo voluntarius offert.*

Respondeo

Ad 1. dist. Docet, quod conveniant in *genere naturæ* & quoad considerationem physicam. tr. *in genere moris*, & quoad considerationem Theologicam. n. Dilectio initialis, & dilectio perfecta habent idem objectum, & inadæquatè ac principaliter idem motivum. Utraque vult *constanter* toto vitæ tempore servare mandata; utraque vult seriò agere, quæ requirit lex amoris & amicitiæ erga Deum; utraque vult compensare offensam juxta offensi arbitrium. Et ideo juxta D. Thomam conveniunt *aliquo modo in genere naturæ*, seu quoad *essentiam* & *substantiam* actus. Sed differunt in *genere moris*. Dilectio enim perfecta vult *efficaciter* toto vitæ tempore servare; vult *efficaciter* ea agere, quæ requirit lex amoria & amicitiæ erga Deum; vult *efficaciter* compensare offensam juxta arbitrium offensi. Ea autem *efficacia* dilectionis *habitualis* non habetur nisi per *gratiam habitualem*, quæ in Sacramento confertur ex *opere operato*, extra Sacramentum autem infallibiliter non confertur, nisi ex opere seu merito congruo operantis, *latè dicto*, quo homo facit moraliter totum quod est in se. Et ideo, nisi dilectio Dei extra Sacramentum se extendat ad actus amoria etiam accidentales, & ad compensationem offensæ rigorosam proportionatam delictis, non promerebitur merito congruo latè dicto gratiam sanctificantem, quia non erit verum dicere, quod homo faciat totum quod est in se. Ratio hujus expositionis patet ex textibus D. Thomæ adductis *Argum.* 15.

Ad confirmationem c. a. dist. c. Ergo signum est, quod D. Thomas dilectionem initialem & perfectam in ordine ad justificationem non distinguat, si dilectio initialis fuerit *efficax*: c. si non fuerit *efficax*. n. Sensus patet ex dictis.

QUÆSTIO V.

Utrum ad amorem Dei justificativum extra Sacramentum requiratur certa intensio, aut extensio, vel duratio actus?

Notandum 1. Intensionem actus ex parte amoris consistere in quodam gradu fervoris manente eodem objecto actus. Sicut v. g. distinguuntur diversi gradus caloris, vi quorum calor dicitur intensus vel remissus.

Notandum 2. Aliud esse *intensionem actus*, proximè descriptam, & aliud *intensionem virium*. Intensio enim virium consistit in forti resolutione ad superandas difficultates in objecto reperibiles. Hæc *intensio virium* potest esse inæqualis ob inæqualitatem virium in agente, etsiamsi in ipso actu ponatur eadem intensio actus. Sic impetus requisitus ad movendum lapidem bilibrem quoad intensionem motus idem est, quamvia requirat intensionem seu applicationem virium, si movendus ab infante, ab ægro viribus exhausto, & à viro robusto.

Notandum 3. Per extensionem actus hic intelligi respectum ad plures actus amoris aut pœnitentiæ. Talis extensio fit potissimum triplici modo. Primò, dum pœnitens proponit assumere plura & efficaciora media obtineudæ constantiæ circa observationem mandatorum Dei toto vitæ tempore. Secundò, dum pœnitens non solum proponit, exhibere Deo actus amoris *essentiales* seu *decretorios*, quorum vel unico neglecto tollitur amicitia Dei; sed etiam actus amoris accidentales, ita ut velit in omnibus suis actionibus, aut certè in plerisque placere Deo, prout humana infirmitas finit. Tertiò, dum pœnitens proponit studiò bonorum operum & operibus pœnitentiæ congruè Deo satisfacere pro offensa juxta præsumptum offensi arbitrium; & juxta gravitatem suorum criminum.

Notandum 4. Ab authoribus doctrinæ Augustinianæ addictis ad *amorem justificativum* etiam requiri, ut sit *prædominans*. Verum hic terminus de se valde æquivocus potest in duplici sensu aceipi. *Primò* potest accipi pro *inclinatione prædominante* in appetitu rationali, qua homo vult superare omnes difficultates, quæ occurrunt in domadis pravia concupiscentiis, & in constanti observatione mandatorum, & in continuo exercitio actuum amoris accidentalium, & in congrua satisfactione compensatoria pro offensa. In hoc sensu amor prædominans reipsa nil aliud est, quam amor Dei *efficax* extensivè perfectus. In alio sensu *amor* prædominans consistit in *promptitudine omnium* potentiarum ad exercendos actus amoris & pœnitentiæ quoscunque, ita ut voluntas non solum velit ea omnia, quæ perfecti amantis & pœnitentis sunt, præstare fortiter, sed etiam alacriter, & cum voluptate, & sine difficultate moraliter insuperabili, aut valde gravi. Hæc posterior acceptio videtur intelligi à non-

nonnullis eorum Theologorum, qui ad justificationem amorem prædominantem requirunt.

NOTANDUM 5. Aliud esse, quod *intensio* vel *extensio* actus requiratur ad amorem justificativum *per se*; & aliud, quod requiratur *per accidens*. PER SE dicitur requiri, si requiritur in omni contritione seu dilectione justificativa extra Sacramentum, & respectu cujuscunque pœnitentis, sive multa sive pauca, sive enormia, sive non enormia habeat peccata. Quod enim *omni inest*, *per se*, seu *ex natura* inest. PER ACCIDENS autem diceretur requiri ejusmodi *intensio*, aut *extensio*, si requireretur tantum in aliquibus pœnitentibus, prava consuetudine infectis, aut mole enormium criminum oppressis, aut vinculo naturæ depravatæ mancipatis; quorum amor tantum per accidens deberet esse intensior, aut extensior, quia alioquin nec ad amoris efficacis substantiam pertingent.

DICO I. Ad amorem justificativum non requiritur intensio ex parte actus.

PROBATUR I. Hæc obligatio nec sufficienter probatur authoritate, nec ratione. Ergo non datur.

PROBATUR 2. Intensio ex parte actus non singulis momentis, nec respectu cujusvis est in potestate liberi arbitrii. Ergo cum peccator omni momento, dummodo velit, possit à Deo invenire veniam, prout Disp. I. q. 4. ostensum est, non potest convenienter ad justificationem exigi ejusmodi intensio. *Ant. prob.* ab experientia; quia ejusmodi intensio dependet à viva apprehensione objecti, quæ non potest haberi quovis momento, nec à quolibet. Hinc D. Thomas docet quod ejusmodi intensio se tenens ex parte actus potius pertineat *ad passionem*, quàm *ad electionem*. Ad passionem autem refert omnes affectiones non solum malas, sed etiam bonas, quæ veniunt ex dono Dei, quia ad illas homo se habet passivè, ac receptivè, quando præveniunt electionem liberi arbitrii. In tertium Sent. dist. vigesima septima, art. primo sic scribit: *Amatio addit super amorem intensionem quandam amoris, quasi fervorem quendam. Amicitia verò addit, ut* (amici) *ex electione operentur, non tantum ex passione. Unde Philosophus dicit, quod amicitia similatur habitui, amatio autem passioni.*

PROBATUR 3. Si requireretur talis intensio ex parte actus, vel requireretur *absoluta summa?* vel proportionata gravitati delictorum? vel proportionata viribus? Neutrum potest dici; *Non primum*; quia nullus gradus intensionis est ponibilis, quo posito non possit poni major, prout suppono ex Philosophia. *Nec secundum*; quia dantur crimina gravissima, v. g. negatio Christi in Petro, abnegatio fidei coram tyranno &c. quæ adeo nullam habent intensionem, ut etiam displiceant in actuali commissione. Ergo non potest eorum gravitati commensurari intensio amoris in pœnitente. Quæ enim sunt in diverso genere, v. g. sonus, color, odor, sapor, voluptas &c. quoad *suavitatem*, vel alia prædicata non communia, sunt incommensurabilia. Nec etiam *tertium* dici potest, quia alioquin sequeretur, quod habens unicum peccatum ex infirmitate, aut ignorantia vincibili commissum, si præditus sit viribus majoribus, teneatur intensiorem contritionem seu amorem elicere, quam alius, qui totam vitam in flagitiis ex malitia commissis transegit, & ob hanc ipsam pravam consuetudinem robur virium internarum perdidit. Hoc autem est absurdum.

PROBATUR 4. authoritate D. Thomæ, ac simul ejus ratione, in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. qq. 3. ad quæstionem: An parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum, sic respondet: *Contritio habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est in displicentia peccati commissi, & hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiet ad rationem contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio à fine; sicut etiam amor potest ita esse remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis. Alium dolorem habet in sensu, & parvitas hujus non impedit rationem contritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem. Sic ergo dicendum, quod quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Idem ibidem confirmat ad I. & 2.

PROBANT ALII hanc conclusionem etiam ex *Concilio Agathensi.* Verùm in Concilio Agathensi, quod extat in Collectione omnium Conciliorum, ea de re nec verbum reperitur. Synodus autem Diœcesana Agathensis recentior non continetur in Collectione Conciliorum, nec Synodi Diœcesanæ authoritatem generalem præstant in rebus Theologicis dogmaticis.

DICO II. Ad contritionem seu dilectionem Dei justificativam nec requiritur certa duratio actus.

PROBATUR I. Hæc obligatio nec probatur sufficienter ratione, nec authoritate. Ergo non datur.

PROBATUR 2. Illa obligatio non datur, quæ est absolutè indeterminabilis ab homine in actu secundo, sed talis est ista obligatio. Ergo. *Maj. patet*; quia talis lex esset irrationabilis. *Min. prob.* quia nemo posset determinare, quanto tempore durare debeat actus.

PROBATUR 3. authoritate Patrum. I. *S. Leo* Epist. 91. dicit: *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.* 2. *D. Chrysostomus* Epist. 5. ad Theod. lapsum: *Deus quantulamcunque & quantumlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam — nec patitur etiam exiguæ pœnitentiæ perire mercedem.* 3. *D. Ambrosius* Serm. 46. *Sine ullo intervallo conjunguntur & lachrymæ peccatorum, & misericordia Salvatoris.* 4. *S. Augustinus* in Enchir. c. 63. *Non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non despicit.* 5. Author Serm. de Cœna Domini, qui extat inter opera D. Cypriani, ait: *Nec quantitas criminis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas excludit à venia.*

PROBATUR 4. Exemplo Davidis, qui Psalmo 31. dicit: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et 2. Reg. 12. v. 13. Nathan ad vocem pœnitentis regis, *peccavi Domino*, statim subjungit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

DICO

DICO III. Ad amorem justificativum extra Sacramentum per se requiritur *intensio virium*, & *extensio* ad actus amoris etiam accidentales.

PROBATUR 1. Extra Sacramentum gratia justificationis non confertur ex opere operato sed ex opere operantis seu ex meritò de congruo latè dicto, quo *homo moraliter totum facit quod est in se* in ordine ad obtinendam à misericordia divina veniam. Sed hoc fieri nequit sine intensione virium, & extensione ad actus amoris accidentales. Ergo. *Min. prob.* Homo non facit moraliter totum, quod est in se, nec de congruo meretur justificationis gratiam, nisi hæc tria observet, *primò*, ut velit constanter servire Deo, & perseverantiæ donum promereri studio bonorum operum. *Secundò*, ut velit placere Deo moraliter in tota vita & moraliter in omnibus actionibus, quantum humana fragilitas sinit. *Tertiò*, ut velit Deo compensare offensam satisfactione congrua. Sed hæc fieri nequeunt sine intensione virium, & extensione etiam ad actus amoris accidentales. Ergo.

PROBATUR 2. S. Paulus ex natura rei probat, ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum exigi pœnitentiam fortem, & fervidam, quæ haberi non potest sine intensione virium, & extensione ad actus amoris accidentales. Ergo non sufficit nudus actus amoris sine intensione virium, & extensione ad actus amoris accidentales. *Ant. prob.* In Epist. ad Heb. c. 10. dicit: *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia* (quæ ex operato omnes reatus sicut in baptismo expungat. Sed) *terribilis exspectatio judicii. Irritam quis faciens legem Moysi sine miseratione moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in manus Dei. Rememoramini pristinos dies, in quibus magnum certamen sustinuistis. Nolite itaque omittere confidentiam: patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. — Ideo deponentes omne circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; ut ne fatigemini animis deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Itaque serviamus placentes Deo cum metu & reverentia. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se.* JAM SIC. Peccator ista negligens non agit ea, quæ congruunt pœnitenti. Ergo hæc negligens non meretur de congruo gratiam justificationis.

PROBATUR 3. Omnis vera pœnitentia operatur ingentem solicitudinem pro obtinenda perseverantia in bono, pro adimplendo divino beneplacito in omnibus actionibus, & pro compensanda offensa. Sed hoc fieri nequit sine intensione virium, & extensione ad actus amoris accidentales. Ergo. *Maj. prob.* ex Apostolo 1. Cor. 7. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, indignationem, timorem, desiderium, vindictam!* Hanc Apostoli propositionem indefinitam universaliter intelligendam esse, probatur inprimis ex *Michea* 6. ubi dicitur: *Indicabo tibi, quid Dominus requirat à te. Utique facere judicium & justitiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Dein probatur ex S. Thoma de Villanova. Conc. in fer. 6. post Dom. 4. Quod. ubi ait: *Apostolum audiamus. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, indignationem, vindictam! Hæc omnia bona, tristitia quæ secundum Deum est, operatur in homine.*

PROBATUR 4. Tridentinum testatur; ne quidem Sacramento pœnitentiæ integrè remitti reatum pœnæ *sine magnis fletibus & laboribus*, ad quos haud dubiè requiritur intensio virium & extensio ad actus amoris accidentales. Ergo nec congruit divinæ justitiæ, extra Sacramentum ob purum respectum *ad opus operantis* remittere reatum culpæ sine ejusmodi magnis fletibus & laboribus, saltem *in proposito*, & *quasi ex voto* oblatis Deo. *Ant. prob.* Tridentinum Sess. 14. c. 2. sic scribit: *Alius est baptismi & pœnitentiæ fructus. Per baptismum nova efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus divina id exigente justitia pervenire nequaquam possumus: ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.*

PROBATUR 5. SS. Patres agnoscunt; non esse conforme divinæ justitiæ, ut gratia remissionis peccatorum conferatur sine proportionata peccatis satisfactione compensatoria offensæ, & sine seriò studio bonorum operum, ne quidem in ipso Sacramento pœnitentiæ, ubi gratia confertur ex opere operato. Ergo multo minus illud erit conforme divinæ justitiæ extra Sacramentum, ubi gratia præcisè confertur ex opere operantis ob meritum de congruo latè dictum. Consequenter cum nec congrua satisfactio compensatoria offensæ, nec studium bonorum operum haberi possit sine intensione virium, & extensione ad actus amoris accidentales, ex mente SS. Patrum requiretur tam intensio virium, quam extensio prædicta. *Ant. prob.* ex variis textibus SS. Patrum, quorum aliquos jam attuli quæstione præcedente, ubi videri possunt, *argum.* 12. Illis addi possunt textus sequentes:

I. *S. Basilius* Hom. super illud: *Attende.* scribit: *Magnum est & grande peccatum, à te commissum? Multa opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum; indivulso & continuato jejunio.*

II. *S. Augustinus* Serm. 34. de diversis c. 12. *Gravia & mortifera per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur.* Et Serm. 58. de temp. *Si in aliqua crimina, vel capitalia peccata aliquis fuerit diabolica calliditate prostratus, cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliare contendat.*

III. *Vigilius* Papa in Epist. ad Cæsarium Arelat. *Tale commissum non parva cordis afflictione valet expiari.*

IV. *Cæsarius Arelatensis* Hom. 1. de peccatis capitalibus seu mortalibus loquens ait: *Homo ipse se decipit, si cum in medullis suis sibi fervere sentiat morbum,*

morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu & gemitu & fonte indigent lachrymarum, atque per lachrymas clamandum est cum Propheta: Rugiebam à gemitu cordis mei. Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita super extinctam animam dari planctus; & quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari; ita convenit super unicam suam, sed sub spe reparationis affligi. Et Hom. 29. *Non putemus tam facile remitti posse admissa semel crimina; multum opus est fletu, multo gemitu. Tota incumbendum est spiritus compunctione. Non sufficit summis labris dicere; peccavi, parce, remitte. Et* SAUL *dicebat; peccavi; & non obtinuit veniam. Et quare? Quia non compensabatur cum magnitudine criminis levis humiliatio supplicantis. Non levi agendum est contritione, ut debita illa solvantur, quibus mors æterna debetur.*

V. *Eucherius Lugdunensis.* Hom. 5. *Non putemus, tam facile remitti posse inusta semel crimina. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores.*

VI. *Petrus Blesensis* l. de Confess. *Non horaria & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur.* Et Epist. 61. *Non leviter culpa remittitur, nisi cum quantitate peccati humilitas pænitentiæ compensetur.*

VII. *S. Cyprianus* Serm. de lapsis: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pænitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? Putas, facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, *stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari, justis operibus incumbere, ut crimen & culpa redimatur. Si precem toto corde quis faciat; si veris pænitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat; si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest Deus, potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille inflectere; pænitenti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus fecerint Sacerdotes.*

VIII. *S. Ambrosius* in Epist. ad corruptam: *Secundum conscientiæ molem exhibenda est pænitentiæ magnitudo. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Audiant, qui agunt pænitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione? Vide Domine*, inquit Thren. 1. *quoniam tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, conversum est cor meum in medio mei &c.* Idem S. Doctor l. cc. ait: *Facilius invenitur qui innocentiam servaverit, quam qui congruè pænitentiam egerit.* Idem ad Virginem lapsam: *Qualis & quanta, putas, est necessaria pænitentia? Quæ aut æquet crimina aut excedat: Dicit enim Deus: Convertimini ad me in toto corde vestro. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus.*

IX. *D. Gregorius* in 1. Reg. 6. l. 3. c. 8. ad illa verba: *Si forte relevet manum suam à vobis,* sic scribit: *Quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Unde & per Jonam dicitur: Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus? Quia ergo, si forte relevet manum, dicitur, commoveri ad pænitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus, quia etsi ii, qui pænitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inveniunt, negligentes solis fieri quando possunt?* Idem in c. 8. l. 3. Reg. *Difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum. Ergo commoveri ad lachrymas cum magna fortitudine debemus.*

X. *D. Bernardus* c. 1. de modo vivendi: *Compunctio lachrymarum remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad se; quia cum Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. Nihil pejus est, quam culpam agnoscere, neque deflere.* Et c. 27. *Quanta fuit intensio ad peccandum, tanta sit ad pænitendum devotio. Grandia peccata grandia lamenta desiderant.*

XI. *S. Isidorus* c. 12. de summo bono: *Sunt, qui pænitentibus securitatem cito pollicentur; quibus bene per Prophetam dicitur: Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, & non erat pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti & non legitimè pænitenti promittit securitatem. Quamvis per pænitentiam propitiatio peccatorum fit, sine metu tamen hoc esse non debet; quia pænitentis satisfactio divino pensatur judicio, non humano.* Idem l. 2. de off. c. 16. *Quantò in peccando fuit ad malum promptior mentis intentio, tantò devotior debet esse in pænitendo.*

XII. *D. Augustinus, D. Chrysostomus,* & *D. Gregorius*, quando loquuntur de contritione justificativa, semper addunt modum quendam *intensivum* virium, aut *extensivum.* Ergo ille modus ab iis exigitur tanquam essentialis aut tanquam per se requisitus ad contritionem justificativam. Ubi enim causæ qualificatæ tribuitur effectus constanter sub ea qualificatione, ea qualitas causæ præsumenda est non tribui otiose ac impertinenter, sed per modum conditionis aut causalitatis requisitæ per se. *S. Augustinus* Enchiridii c. 65. scribit: *Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus pænitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem pænitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.* S. Chrysostomus Hom. 27. in Gen. considerans celerem veniam, latroni in cruce indultam, ait: *Nam ubi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, & ferventi nos desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt, sed accelerat.* Et D. Gregorius M. Hom. 33. in Evang. de S. Magdalena scribit: *Quid esse dilectionem Dei credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; ac si apertè dicat: Incendit plenè peccati rubiginem; quia ardet validè per ignem amoris.* S. Doctor hunc terminum *validè* Hom. 25. exprimit per tò *fortiter. Dimissa sunt ei peccata multa*, inquit, *quia dilexit multum. Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat.*

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra primam Conclusionem. Scriptura in pluribus locis ad contritionem justificativam requirit magnam intensionem. Ergo. *Ant. prob.* Deut. 4. v. 29. dicitur: *Cum quæsieris Deum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* 2. Michææ 4. v. 10. *Dole, & satage filia Sion, quasi parturiens.* 3. Joelis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* 4. Isaiæ 31. v. 6. *Convertimini, sicut in profundum recesseratis filii Israel.* 5. 2. Paralip. 30. v. 18. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum.*

Respondeo. dist. requirit intensionem *ex parte virium.* c. *ex parte actus.* n. Intensio in Scripturis requisita solum se tenet *ex parte virium*, inquantum requiritur *fortis* resolutio ad compensandam offensam per opera pœnitentiæ luctuosa; atque ad eligendam vitam in omnibus actionibus acceptam Deo; & denique ad conquirenda media constantis perseverantiæ in bono. Hinc in præfatis textibus directè potius est sermo de *extensione* amoris seu contritionis, quam de *intensione.* Eam enim *extensionem* satis apertè significant illa verba: *Ex toto corde*; & *enumeratio* omnium actuum pœnitentiæ luctuosæ.

Objicitur 2. SS. Patres requirunt pœnitentiam gravitati criminum commensuratam. Ergo requiritur intensio. *Ant. prob.* 1. *S. Cyprianus* Serm. de lapsis dicit: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus.* 2. *S. Ambrosius* ad virg. lapsf. c. 8. *Quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.* 3. *Hugo de S. Vict.* l. 2. de Sacram. c. 2. *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuerit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus.* Plures ejusmodi textus reperiuntur recensiti supra *argum.* 5.

Respondeo. dist. requirunt pœnitentiam gravitati criminum commensuratam quoad extensionem amoris. c. quoad intensionem actus. n. SS. Patres tantum volunt, quod pœnitentia in æstimatione morali debeat se extendere *ad eò plures* actus supererogatorios amoris, & satisfactionis quò quis p ura deliquit; & quod debeat se extendere *ad eò diuturniores* actus compensatorios offensæ, quò diuturnior erat malitia peccatorum; & quod debeat se extendere *ad eò præstantiores* actus satisfactionis compensatoriæ; quò turpior & abominandior erat actio peccaminosa; ac denique quod se debeat extendere *ad eò efficaciora media perseverantiæ*, quæ spondeant securitatem moralem promissi, quo tenacior contractus fuerit habitus vitiosus. Ea enim *extensio* per se requiritur jure naturæ ad rationem contritionis seu veræ pœnitentiæ, prout in Disput. 1. quæst. 1. & 2. & ex his ipsis SS. Patrum textibus ostenditur; præsertim ad eam, quæ gratiam justificationis extra Sacramentum impetrat non *ex opere operato*, sed *ex opere operantis*, adeoque per modum *meriti de congruo latè dicti, quo homo facit, quod est in se.*

Objicitur 3. D. Thomas requirit *intensionem ex parte actus* ad justificationem. Ergo requiritur. *Ant. prob.* 1. in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. qq. 3. C. dicit: *Amor potest ita esse remissus, quod non sufficiat ad rationem charitatis.* 2. De Veritate q. 28. a. 8. ad 3. dicit: *Dicendum, quod contritio ab attritione præcedente non differt solum secundum intensionem doloris, sed etiam secundum informationem gratiæ.* 3. In 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 1. C. dicit: *Non oportet, quod talis præparatio* (ad gratiam, quatenus homo facit, quod est in se) *tempore justificationem præcedat; quia actus voluntatis principio potest esse tantum intensus, quantum sufficit ad præparationem* (justificativam). 4. Ibidem art. 3. qq. 4. ad 1. ubi in objectione asseritur; *fervore charitatis* deleri peccata; non negat, ad remissionem culpæ requiri fervorem charitatis, sed potius eum requiri supponit. Sic enim scribit: *Fervor dilectionis de necessitate secum conjunctum habet odium contrarii. Et ideo fervor dilectionis ad dimissionem culpæ non operatur sine detestatione.*

Respondeo n. a. Contrarium enim patet ex textu D. Thomæ adducto in *probatione* 4.

Ad 1. dist. potest ita esse remissus remissione *ex parte virium* quoad extensionem. c. remissione ex parte actus quoad intensionem. n. D. Thomas hunc terminum, *remissus*, sumit pro synonimo cum tò *laxus*, *debilis*, *infirmus*, ita ut se non extendat ad actus accidentales amicitiæ cum Deo, atque ad omnes actus totius justitiæ, seu rectitudinis universalis omnium actionum ad Deum; sicut & nos communiter de agentibus vitam tepidam dicimus; quod valde *remisse* vivant. Hanc esse mentem D. Thomæ ex eo colligitur, quia ubi loquitur *de contritione justificativa*, ejus perfectionem magis explicat per *extensionem*, & *intensionem virium*, quam per *intensionem actus.* Constanter enim docet, quod *contritio justificativa* debeat *se extendere ad totam justitiam*, ad *totam rectitudinem*, hoc est, ad rectitudinem *omnium actionum* eliciendarum, & *omnium potentiarum*, quam rectitudinem universalem quando voluntas *efficaciter* vult, statim gratiam recipit. Hæc autem omnia potius dicunt *extensionem amoris*, aut intensionem virium, quam intensionem ex parte actus.

Ad 2. dist. Dicendum, quod attritio & contritio differant non solum per intensionem doloris ex parte virium, sed etiam per informationem gratiæ. c. per intensionem doloris ex parte actus. n. Sensus enim verborum D. Thomæ est iste; quod attritio non solum differat à contritione per hoc, quod contritio se extendat ad plures actus amoris, & satisfactionem magis proportionatam delictis, atque ad media magis efficacia perseverantiæ, prout contingit in contritione justificativa extra Sacramentum; sed potest differre per solam informationem gratiæ, prout contingit in Sacramento, ubi attritio fit *contritio.* Quia licet in ejusmodi contritione Sacramentali non concurrat *actualis* extensio ad omnes illos actus amoris & pœnitentiæ, habetur tamen habitualis extensio amoris ad actus practicos amoris saltem essentiales & ad satisfactionem à Deo per ejus Vicarium acceptatam, & ad efficacia media perseve-

severantiæ obtinenda per informationem gratiæ, cujos motibus & imperio se homo voluntariè subjicit.

Ad 3. eodem modo. dist. potest ita esse intensus intensione se tenente ex parte virium. c. se tenente ex parte actus. n. Quod enim D. Thomas, ubi agit de *remissione* vel *intensione*, loquatur de remissione vel intensione virium, quæ versatur circa extensionem amoris ad plures actus amoris, justitiæ, & pœnitentiæ, colligitur ex eo, quia perfectionem contritionis semper desumit à proposito forti *totius justitiæ*, & *totius rectitudinis*, prout dictum est.

• *Ad* 4. dist. D. Thomas supponit fervorem charitatis consistentem in extensione amoris, & intensione virium. c. consistentem in intensione actus. n. Sensus patet ex dictis.

Cæterum hanc esse mentem D. Thomæ, quod nempe perfectionem contritionis extra Sacramentum desumat ab *extensione amoris* ad omnes actus *justitiæ*, & *rectitudinis*, & quidem *efficaci*, probatur ex his textibus:

I. In 4. dist. 17. q. 1. qq. 2. C. sic scribit: *Vocatio est duplex; quædam exterior per prædicationem. Et hæc non est justificatio. Quædam verò interior, & hæc quandoque non pertingit ad finem suum ex vocati defectu. Et hæc vocatio nihil est aliud, quam aliquis instinctus vel motus ad bonum à Deo intentus. Et hæc etiam vocatio non est idem quod justificatio, sed via ad illam. Quandoque autem pertingit ad finem, quando scilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Christum. Et hæc vocatio idem est quod justificatio secundum substantiam, sed differt* RATIONE; *quia* VOCATIO *dicitur, secundum quod per infusionem gratiæ & auxilium homo à peccato retrahitur; sed justificatio respicit terminum ad quem, scilicet rectitudinis statum. Et sic* VOCATIO *sumitur ad Rom. 8. Auxilium enim fidei, quod nos vocando Deus præstat, est gratia, quæ facit fidem per dilectionem operari.* Ex hoc notabili textu manifestè sequitur; quod juxta D. Thomam contritio perfecta seu amor justificativus nil aliud sit, quam motus animi ad totius rectitudinis statum in omnibus actionibus humanis toto vitæ tempore. Quis autem neget, ad suscipiendum totius *rectitudinis statum* requiri intensionem virium? & extensionem amoris?

II. Ibidem qq. 1. C. dicit: *Justificatia de sui ratione importat motum ad justitiam. Justitia autem tribus modis dicitur: Uno modo est virtus specialis, æqualitatem constituens in commutationibus. Alio modo est nomen generale ad omnes virtutes, secundum quod actus earum ad bonum commune ordinat secundum directionem legis. Tertio modo importat quendam statum rectitudinis in homine, quantum ad partes ipsius, prout scilicet aliqua pars animæ suo Superiori subditur, sive alii parti, sive ipsi Deo. Hæc autem rectitudo per quodlibet peccatum tollitur, & per gratiam reparatur. Unde hæc justitia generalis etiam dicitur, inquantum omnes virtutes includit, non quidem per modum totius universalis, sicut præcedens justitia; sed generalis dicitur per modum totius integralis. Et ad hanc justitiam motus justificatio dicitur. In quolibet autem motu est recessus à termino; & hoc tangitur in hoc, quod dicitur remissio peccatorum; & accessus ad terminum, qui tangitur in hoc, quod dicitur, consummatio bonorum operum.* Ex hoc iterum notabili textu manifestè sequitur, quod juxta D. Thomam contritio justificativa sit motio animæ ad totam justitiam, & ad plenitudinem bonorum operum. Quis autem non videt, ad eam motionem animæ, si efficax sit, opus esse intensione virium & extensione amoris.

III. *Ibidem ad* 1. ubi objicitur; quod justificatio fit in sola voluntate, quia juxta Anselmum justitia est rectitudo voluntatis, respondet: *Dicendum, quod tota illa rectitudo à voluntate originaliter est; sed etiam est in aliis partibus animæ quasi rectificatis, sicut in subjecto.*

Ibidem ad 3. ubi objicitur; quod justificatio fit effectus justitiæ generalis, in qua de impio fit pius. Remissio autem peccatorum non est effectus justitiæ, sed gratiæ. Ergo justificatio non est remissio peccatorum; sic respondet: *Justificatio potest sumi dupliciter; vel secundum quod respondet* AD JUSTIFICARI; *& sic dicit motum ad justitiam prædictam. Vel secundum quod sumitur* AD JUSTIFICATUM ESSE, *& sic est effectus formalis justitiæ prædictæ, quia ea aliquid formaliter justificatum est, sicut albedine albatur. – Prædictæ justitiæ causa prima est* GRATIA, *& consequenter* CHARITAS, *quæ voluntatem ad finem perficit, à quo est rectitudo prædicta. Et propter hoc ipsa justificatio, & peccatorum remissio est effectus justitiæ generalis, sicut causæ formalis proximæ; sed charitatis & gratiæ sicut causarum causæ proximæ. Sicut aliquis deæquatus dicitur & æqualitate, & quantitate, quæ est æqualitatis causa. Et quia à proximis causis vel terminis aliquid denominari debet, ideo prædictus motus, vel terminatio motus magis denominatur à justitia, quam à charitate vel gratia.* Ex his duobus textibus iterum evidentissimum est, à gratia actuali excitari dilectionem seu charitatem actualem, à charitate actuali poni *rectitudinem seu justitiam generalem* in voluntate & aliis potentiis; illam autem rectitudinem seu justitiam generalem inquantum per modum dispositionis congruæ informatur & conservatur à gratia sanctificante, esse formalem causam, quæ denominat justum, sicut albedo album; denique remissionem peccatorum esse effectum hujus justitiæ generalis. Quis igitur non videat; dilectionem justificativam extra Sacramentum sine *intensione virium* & *extensione amoris* objectiva ad totalitatem justitiæ esse non posse?

IV. Ibidem qq. 2. C. *Ad hoc, quod voluntas se ad gratiam justificantem præparet, oportet, quod se in debita proportione ad Deum, & ad gratiam ponat. Sed proportio ad Deum per naturæ similitudinem non est in potestate voluntatis, similiter nec proportio capacitatis gratiæ. Unde relinquitur, quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum & desiderium; & ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti, quod est peccatum. Et ideo per displicentiam peccati & affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparat. Et quando hæc duo* NB. EFFICACITER *facit, dicitur facere, quod est in se, & gratiam recipit.* Quod D. Thomas in isto textu per tò *efficaciter* plus velit dicere, quam præcise *seriò*, patet ex ipsa proprietate adverbii; & ex fine loquentis. Si enim præcise voluisset dicere, *seriò*, nil dixisset nisi quod per se subintelligitur in omni actu voluntatis;

tis; ac proin hoc adverbium redundaret. Si autem plus voluit dicere, quam præcise ſerietatem, non eſt aliud aſſignabile, quam *efficaci*: proveniens ab *intenſione virium*, & *extenſione objectiva*.

V. Ibidem a. 3. qq. 2. C. *Gratia quæ datur ad rectè vivendum, & peccatorum remiſſionem, per prius reſpicit voluntatem, quam alias potentias. — Unde requiritur actus voluntatis ad gratiam ſuſcipiendam, animam ad datorem ordinans.* Quod D. Thomas in hoc textu requirat ordinationem animæ perfectam ad Deum, cognoſcitur ex qq. 3. C. & ad 1. ubi ait: *Movetur mens in Deum & per intellectum & per affectum. — Cum actu fidei in juſtificatione ſemper adjungitur actus charitatis.*

Objicitur 4. Catechiſmus Romanus ad contritionem juſtificativam requirit intenſionem ex parte actus; eamque doctrinam ſupponit eſſe omnium Theologorum ac fidelium. Ergo. *Ant. prob.* p. 2. c. 5. n. 32. ſic habet: *Quis ignorat illam* (contritionem juſtificativam) *adeo vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? Et quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet.*

Respondeo n. a. *ad prob.* diſt. Docet, contritionem juſtificativam debere eſſe *vehementem, acrem*, & *incenſam*, per vehementiam, acrimoniam, & incenſionem intelligendo intenſionem virium, & extenſionem amoris ad actus amoris accidentales, atque ad ſatisfactionem compenſatoriam offenſæ. c. intelligendo intenſionem actus circa idem objectum. n. Catechiſmus enim rectè vocat contritionem vehementem, acrem, & incenſam, etſi nulla ſupponatur intenſio actus reſpectivè ad idem objectum. Poteſt enim contritio vocari *vehemens*, quia debet eſſe *fortis* & cum *intenſione virium* ad ſubeundas difficultates, quæ reperiuntur in obſervatione totius juſtitiæ ac rectitudinis quoad omnes actiones toto vitæ tempore. Debet etiam eſſe *acris*; quia continet propoſitum ſatisfaciendi congruè juxta gravitatem delictorum, haud dubiè per opera compenſatoria, quæ in ſe continent acrimoniam, & luctum. Et hinc eoipſo debet eſſe incenſa, quæ animum inſtar ignis omnia in ſe convertentis ſtimulet.

Objicitur 5. Ad perfectam charitatem requiritur actualis obſervantia primi mandati; ſed talis non eſt ſine intenſione actus. Ergo. *Min. prob.* 1. primum mandatum requirit, ut ametur Deus *ex tota mente*, *ex totis viribus*, *ex tota fortitudine*, Matth. 22. & Marci 12. & Luc. 10. Hoe autem importat intenſionem actus.

2. Amor Dei debet eſſe appretiativè ſummus. Ergo etiam debet eſſe intenſivè ſummus. *c. prob.* Eadem eſt ratio ſummæ appretiationis & ſummæ intenſionis; quia ſicut ob infinitam ſuam perfectionem meretur appretiari ſuper omnia; ita ob infinitum ejus amorem meretur amari intenſiſſime.

3. Eſt inconveniens, ut creatura ametur intenſius, quam Deus. Ergo datur ſaltem obligatio, comparativè ad creaturas intenſius amandi Deum.

4. *Charitas perfecta foras mittit timorem*, 1. Joan. 4. ita ut hominem reddat intrepidum ad ſuſtinenda potius omnia ſupplicia hujus & alterius mundi, quam ut offendat Deum; ſed ad hunc actum opus eſt intenſione.

5. Charitas perfecta debet eſſe amor Dei ſuper omnia non tantum *affectivè*, ſed etiam *effectivè*, hoe eſt, talis, ut homini juxta præſentem cordis diſpoſitionem conferat vires ad ſuperandam quamvis tentationem; ſed talis non eſt, niſi valde intenſa, quia ſicut aqua, niſi ſit calida in gradu valde intenſo, citò deficit.

Respondeo c. *Maj.* n. *Min.*

Ad 1. n. a. q. 2. m. Amare enim Deum *ex toto corde*, *tota virtute* & *totis viribus*, tantum dicit *intenſionem omnium virium* & *extenſionem* amoris ad omnes actus etiam accidentales amoris, ut in omni actione placeamus Deo. Ita explicat D. Chryſoſtomus in c. 22. Matth. Hom. 42. ubi ait: *Quid eſt diligere Deum ex toto corde? Id eſt, ut cor tuum non ſit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quam ad Dei; nec delecteris in aliqua ſpecie mundi amplius, quam in Deo; non in honoribus, non in auro &c. ſed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Quid eſt in tota anima diligere Deum? Id eſt, animam firmam eſſe in fide; ut credat omne bonum eſſe in Deo, & omne bonum credat eſſe Deum, & extra Deum non credat eſſe bonum. Quid eſt tota mente diligere Deum? Id eſt, ut omnes ſenſus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent. Cujus intellectus Deo miniſtrat, & cujus ſapientia circa Deum eſt, cujus cogitatio ea, quæ Dei ſunt, tractat; cujus memoria quæ ſunt bona recordatur, tota mente diligit Deum.* Hæc autem omnia dicunt potius *intenſionem virium & extenſionem amoris*, quam intenſionem actus.

Ad 2. c. a. n. c. *ad prob.* n. a. Aliud enim eſt, quod eadem ſit ratio meriti objectivi ad amorem appretiativè & intenſivè ſummum; & aliud eſt; quod ſit eadem ratio *debiti* ad utrumque. Nam amor appretiativè ſummus eſt materia legis prudentis, utpote *abſolutè* ac *determinatè obſervabilis*, ſed non amor intenſivè ſummus.

Ad 3. diſt. Eſt inconveniens, ut creatura ametur intenſius, ſi paritas aut exceſſus intenſionis rationalis ſit in poteſtate hominis. c. ſecus. n.

Ad 4. tr. *Maj.* n. *Min.* Poteſt enim homo concipere ſpem de perſeverantiæ dono firmam, ſi ex parte ſua ſtatuat, aſſumere omnia media ad obtinendum donum perſeverantiæ requiſita. Ad concipiendum autem hoc propoſitum, non eſt opus intenſione actus, ſed tantum extenſione amoris, & intenſione virium.

Ad 5. tr. *Maj.* n. *Min.* Si enim homo faciat quod eſt in ſe; ſe extendendò ad actus amoris etiam accidentales, & ad omnia media pro obtinendo dono perſeverantiæ requiſita, eoipſo jam habet efficaciam in actu primo, & amor ejusmodi non eſt tantum efficax affectivè, ſed etiam *effectivè*, efficientia ſpectata in actu primo, conſiſtente in præparatione cauſarum.

Objicitur 6. contra tertiam Conclusionem. 1. Textus Patrum in probationem adducti ſolum probant, quod pœnitentiæ *medicinales* debeant eſſe proportionatæ delictis; non autem, quod in ordine ad remiſſionem culpæ & in ordine

ad

ad justificationem debeant esse proportionatæ. Ergo non opus est intensione virium & extensione amoris ad contritionem justificativam.

2. Si opus esset intensione virium & extensione amoris, id propterea requireretur, quia alioquin non posset dari efficax propositum præponendi Deum constanter omnibus bonis creatis. Sed hoc non potest dici. *Min. prob.* Si solum ideo requireretur, tantum requireretur per accidens ob ordinariam imperfectionem hominum, ac consequenter adhuc simpliciter verum esset; quod amor appretiativè summus, quo Deus præfertur efficaciter omnibus bonis creatis, sufficiat ad justificationem.

3. Si ad serium propositum servandi mandata toto vitæ tempore requiritur conatus extraordinarius ad assumenda media efficacia pro obtinendo dono perseverantiæ, idem requiretur etiam in Sacramento. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Contritus extra Sacramentum posset æquè sperare vires gratiæ, conferendæ contrito per amorem appretiativè summum; sicut eas vires gratiæ sperat attritus in Sacramento.

4. SS. Patres loquuntur de pœnitentia requisita in Sacramento pœnitentiæ. Ergo si ad pœnitentiam, de qua agunt, requireretur extensio amoris, aut intensio virium, sequeretur, eandem requiri etiam in Sacramento, quod est nimium.

5. Si ad contritionem seu dilectionem justificativam requireretur extensio ad actus amoris etiam accidentales, ita ut pœnitens proponat, in omnibus suis actionibus toto vitæ tempore placere Deo, seu omnes suas actiones referre in Deum, sequeretur, quod contritio perfecta non posset stare cum affectu ad ullum peccatum veniale, & quod contritus debeat habere propositum, vitandi omnia peccata venialia toto vitæ tempore. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Min. prob.* quia hæc sententia Cajetani est contra communem Theologorum.

6. Si contritio perfecta deberet habere extensionem & intensionem virium in sensu explicato, vix ullus salvaretur ope contritionis extra actualem susceptionem Sacramenti. Sed hoc non potest dici salva misericordia divina. Ergo.

7. Hæc sententia non nititur sufficiente authoritate veterum Theologorum. Ergo non est admittenda.

RESPONDEO.

Ad 1. n. a. Quia manifestum est, quod non solum requirant *satisfactionem medicinalem*, sed etiam *compensationem* offensæ, quæ *culpam* & *pœnam æternam* redimat juxta prudens arbitrium Confessarii, in cujus judicium quoad mensuram satisfactionis compromisit Deus. Dein illa ipsa *satisfactio medicinalis*, de qua Patres loquuntur, non est *meri consilii*, aut *præcepti positivi*, sed est *juris naturalis*, inquantum absolutè requiritur ad perseverantiam in bono, & cavendum relapsum, quæ necessariò habentur in proposito pœnitentis. Cum igitur illa ipsa satisfactio medicinalis involvatur in ipso proposito, constanter toto vitæ tempore observandi mandata, & hoc propositum involvatur in contritione seu dilectione justificativa, clarum est, contritionem seu dilectionem justificativam non posse dari sine extensione ad ista pharmaca amara, & sine intensione virium.

Ad 2. dist. id propterea requireretur tanquam ob causam inadæquatam. c. adæquatam. n. Sunt enim præter hanc causam si loquamur de peccatore constituto extra Sacramentum pœnitentiæ, etiam duæ aliæ, videlicet ut compensetur offensa congruè pro viribus humanis, atque *ut homo faciat, quod est in se* ad promerendam à Deo veniam per modum meriti de congruo latè dicti. Imò etiamsi ea *extensio & intensio virium* unicè requireretur ad conciliandam proposito constantiam, non tamen sequeretur, eam solum requiri *per accidens*; quia ea est debilitas naturæ humanæ, ut nullus sibi possit promittere constantiam in bono sine mediis humanæ naturæ arduis, ad quæ utique requiritur *extensio* propositi & *intensio* virium. QUOD SI DICAS; per amorem Dei super omnia jam intelligi *amorem Dei efficacem*, & omnia requisita ad ejus efficaciam. Itaque veram esse hanc propositionem: *Omnis amor Dei super omnia justificat.*

RESPONDEO. Ne sic quidem explicatam propositionem admittendam fore; quia, cum varia sit authorum hujus termini, *propositum efficax*, explicatio, utpote multis authoribus efficaciam amoris solum constituentibus in *serietate* voluntatis, non in *extensione* propositi ad media efficacia, statueretur propositio indifferens ad sensum verum & falsum, sanum & erroneum; adeoque veritas communicaret cum falsitate, & Theologia sana cum Theologia non sana; quæ dissimulatio veritatis non decet eo tempore, quo laxiores Theologi terminis de se bonis sensum non bonum admiscuerant.

Ad 3. dist. Requiritur talis conatus extraordinarius, quando perseverantia in bono prudenter sperari nequit per vires gratiæ Sacramentalis conferendæ ex opere operato. c. quando sperari potest per solas vires gratiæ Sacramentalis. n. In consuetudinariis enim, & aliis habentibus naturam valde depravatam, in quibus recurrit pugna quotidiana vehemens, haud dubiè requiritur etiam in Sacramento *extensio* propositi ad media perseverantiæ supererogatoria, & *intensio virium*, quia nequeunt prudenter sperare aut Deo promittere perseverantiam in bono per solas vires gratiæ habitualis, quæ tribuit solum jus ad gratias actuales ordinarias proportionatas dispositioni pœnitentis. Verum id in Sacramento solum requiritur *per accidens*, non *per se*, ac *universaliter*.

Ad 4. dist. SS. Patres loquuntur de pœnitentia Sacramentali directè. c. indirectè. n. Si enim SS. Patres censuerunt, in ipso Sacramento pœnitentiæ gratiam Sacramentalem non conferri, nisi a pœnitentibus Sacerdos nomine Dei per modum conditionis exigeret satisfactionem compensatoriam offensæ valde arduam juxta Canones pœnitentiales; multò magis censuerint, ejusmodi satisfactionem partim compensatoriam offensæ, partim medicinalem ac sponsoriam perseverantiæ, requiri extra Sacramentum, ubi gratia justificationis non confertur ex opere operato, sed

fed præcise ex opere operantis, & ex meritò de congruè latè dicto.

Ad 5. dist. Sequeretur hoc spectatò rigore justitiæ. c. spectatò ordinario cursu divinæ clementiæ. n. Verum est, quod Deus spectatò rigore justitiæ non teneatur reassumere in filium Dei adoptivum, si quis ita velit placere Deo in tota sua vita, hoc est, in omnibus suis actionibus, ut tamen simul per actualem affectum ad peccatum veniale dicat; non volo Deo placere in omnibus actionibus. Ratio est, quia talis homo non facit moraliter, quod est in se ad promerendam de congrùo veniam & gratiam. Quia tamen pauci sunt homines, qui non habent varios affectus habituales ad peccata venialia, quos vel non cognoscunt, vel ad quos actu non advertunt, quamvis ea ignorantia vel inadvertentia sit vincibilis, præsumendum est de divina clementia, quod catenus gratiam justificationis ordinarie etiam iis contritis conferat, licet non *totum* rigorose *faciant*, *quod est in se*, fed in confuso proponant, placere Deo in omnibus &c.

Ad 6. n. *Maj.* Non enim excedit vires humanas, velle instituere vitam gratam Deo; velle Deo placere in omnibus actionibus; velle compensare offensam studio bonorum operum congruè; velle perseverare; id unicè laborandum est, ut hæc efficaciter fiant.

Ad 7. n. a. Ea enim sententia est D. Thomæ, prout jam ostensum est, & Alensis, & D. Bonaventuræ, & Scoti, & Cajetani, & Vegæ, & aliorum, quos vide in Wittassio, Morino, & Thomassino. Aliquos autem horum authorum textus subjicio.

I. *D. Thomas*, præter alios textus jam supra relatos in Responsione ad *Objectionem* 3. expresse etiam docet, quod charitas ad Deum haberi non possit sine proposito extirpandi vitia, quod propositum virtuale in Sacramento pœnitentiæ potest fieri efficax per vires gratiæ Sacramentalis conferendæ ex opere operato; fed extra Sacramentum propositum, ad hoc ut promereatur gratiam habitualem per modum meriti de congruo latè dicti, jam debet esse efficax *de se*, ex *opere operantis*, pro priori ad collationem gratiæ, utpote primum promerendæ. Hoc autem fieri nequit sine extensione ad actus supererogatorios, & sine intensione virium. In 4. dist. 17. q. 1. a. 4. qq. 1. C. loquens de dispositione requisita ad infusionem gratiæ, ad eam refert extirpationem vitiorum, & præparationem animi ad universim omne genus virtutum. „Infusio gratiæ, *inquit*, „est causa remissionis culpæ per modum causæ „formalis, fed extirpatio vitiorum dicitur ope„rari ingressum virtutum infusarum per modum „causæ materialis. *Ibidem a.* 3. *qq.* 1. C. Necessi„tas ponendi virtutum habitus infusos est ex hoc, „quod actus illi, qui homini necessarii sunt ad „vitam æternam consequendam, sunt supra na„turæ humanæ facultatem." Ex hoc textu infero; quod, cum infundantur habitus omnium virtutum, eoipso à D. Thoma supponi, quod habitus omnium virtutum exigantur ad assequendam vitam æternam, pro aliquo videlicet casu vel circumstantia, ubi eam virtutem poscit ordo charitatis. Atqui voluntaria subjectio ad habitus omnium virtutum non potest fieri sine *intensione virium*, & *extensione objectiva*. *Ibidem a.* 5. *qq.* 3. C. „Contritio habet duplicem dolorem. „Unum rationis, qui est displicentia peccati com„missi, & hic potest esse adeo parvus, quod non „sufficiet ad rationem contritionis, ut si minus „displiceret ei peccatum, quam debeat displicere „separatio à fine; sicut & amor potest ita esse „remissus, quod non sufficit ad rationem chari„tatis." In hoc textu bene advertendum est, quod D. Thomas non dicat; tunc contritionem non fore sufficientem, quando minus *displicet* peccatum, quam *displicet* separatio ab ultimo fine; sed dicit; *quam debeat*, hoc est, *quam mereatur* displicere. Separatio enim ab ultimo fine sic *debet* & *meretur* displicere, ut *bono omnia faciat, quæ sunt in se*, ad eam evitandam, ad gratiam & perseverantiam impetrandam, ad offensam compensandam, ad amicitiam Dei optimo modo conservandam. Hinc infero; in omni dilectione justificativa requiri aliquam *intensionem* virium, & *extensionem*, ubi enim datur magnum & parvum, remissum & intensum, his differentiis ingredientibus ipsam *rationem* seu *naturam* rei, manifestum est, naturam & ipsam substantiam rei non consistere in indivisibili, sed in aliqua quantitate molis aut virtutis, quæ recipit magis & minus intensivè vel extensivè.

II. *Alensis* part. 4. quæst. 17. art. 1. §. 3. C. „Ex illa parte contritionis, quæ dolor est, pot„est dubitari, utrum minima sufficiat ad quodli„bet peccatum delendum. Potest igitur dici, „quod actus displicentiæ potest esse nimis par„vus, nec sufficiens ut gratia contritionis infor„metur. Si enim alicui displiceret, quod Deum „offendisset per peccatum, & illa displicentia „non excederet displicentiam amissionis unius „oboli; nulli est dubium, quin illa displicentia „insufficiens esset ad hoc, quod esset dolor con„tritionis. --- Cum enim confessio & satisfactio „de peccatis gravibus gravem pœnam importent, „parvus dolor ex se non exercet firmum propo„situm satisfaciendi. --- Dolor habet certam „mensuram qui contritionis dici debet; quæ au„tem sit illa? Ille novit, quem nihil latet." In hoc textu Alensis ad minimum requirit intensionem virium, & extensionem objectivam ad opera satisfactoria supererogatoria proportionata delicto, licet homo de debita proportione ac satisfactione certus esse nequeat, nisi habeat voluntatem faciendi omnia quæ Deo placent pro suis viribus, ad quod tamen requiritur magna intensio virium, & extensio objectiva. Aliud est in Sacramento, ubi arbitrium suum offensus relinquit Sacerdoti, paciscendi circa pœnitentiam delictis proportionatam cum pœnitente.

III. *D. Bonaventura* in 4. dist. 17. art. 2. q. 1. „In quantum dolor dicitur displicentia rationis, „sic dico, quod displicentia mensuratur secun„dum quantitatem charitatis. Quantitas autem „charitatis dupliciter potest accipi; vel in se, vel „in comparatione ad alios amores. In se, sic „dico, quod est parva, & major, & maxima. „In comparatione ad alios amores, sic dico, quod „vendicat sibi dominium in corde, quamdiu est;

„nec

„ nec unquam ibi est, nisi sit domina. *Et ad* 3. „ Nunquam gratia informat, quin vendicet sibi „ in corde dominium, quoad actum vel motum „ voluntatis." Hoc verò dominium S. Bonaventura sic explicat, quod pro nullo damno vel incommodo velit offendere Deum, nec graviter utique, nec leviter. Sed ad hoc ipsum propositum requiritur intensio virium & extensio; si sit expeditum ad operandum, & morali potentia præditum ad hoc, ut *Dominium* vocari possit.

IV. *Scotus* in 4. dist. 20. q. un. loquens de peccatore habituato in articulo mortis constituto; negat; facile ab eo elici posse contritionem perfectam, quia dolor talis hominis difficulter pertingit ad debitam intensionem. „Quantò, *inquit*, aliquis est minus Dominus sui actus, tanto requiritur intensior displicentia ad hoc, quod „ sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ. „ Iste autem minus est Dominus, quia nullo modo est Dominus actus exterioris ad peccandum. „ Requireretur ergo secundum strictam justitiam „ intensior motus displicentiæ ad justificationem „ ejus quam ad justificationem sani; cum vix possit habere æquè intensum. Ideo quantum deficit de libertate, tantùm secundum rigorem „ requiritur motus intensior. — Hinc infirmo „ ad istum articulum deducto suadendum est, ut „ secundum suam possibilitatem laboret ad pœnitentiam ordinatam, ut quantum potest nitatur „ habere displicentiam propter Deum, & laboret „ ad displicentiam quantum poterit habere." *Idem in* 3. *dist*. 27. *num*. 16. *sic scribit*: „De primo „ dico, quod illud, diligere Deum super omnia, „ potest intelligi *extensivè*, puta quod plus diligat „ Deum, quam omnia alia; & *intensivè*, puta ex „ majori affectu. De primo conceditur communiter, quod nihil aliud, nec omnia simul sunt „ æquè appretianda sicut Deus. De secundo „ ponitur distinctio, quod amor excedit amorem „ vel quia *ferventior* sive *tenerior*; vel quia *fortior* „ sive *firmior*; sicut mater dicitur tenerius & ardentius diligere filium; pater verò fortius, & „ firmius, quia majori periculo se exponeret pro „ amore filii. Hoc modo dicitur, quod dilectio „ Dei debet esse super omnia, quia quantum ad „ firmitatem, ne scilicet aliquid aliud possit ab „ hoc evellere. Sed non oportet, quod sit super omnia quantum ad fervorem & teneritudinem & dulcedinem, quia aliquando invenit se „ quis ferventius diligere creaturam, quam alias „ Deum. Dico; quod illud, *super omnia*, debet „ intelligi utroque modo. Sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia *extensivè*, ita etiam majori affectu. Et dico *majori* simpliciter, „ quia scilicet magis repugnat affectui opposito, „ quia facilius posset inclinari ad oppositum dilectionis cujuscunque alterius quam Dei. — Dico igitur, quod illud præceptum, diligendi „ Deum super omnia, *extensivè* & *intensivè* potest „ secundum viam prædictam (dilectionis firmioris) impleri in vita. Sed non quantum ad „ omnes conditiones: *Ex toto corde, & ex tota anima*, quia non potest in hac vita esse tanta recollectio virium, ut amotis impedimentis posset voluntas tanto conatu ferri, quanto posset, „ si vires essent unitæ & non impeditæ. *Et ibidem n*. 19. Dico, quod habitus charitatis, quantum ad substantiam actus, dat aliquam intensionem ulteriorem, quam eadem potentia & ex „ æquali conatu dare non posset actui suo; & „ quantò potentia creata est perfectior, tantò „ plus deficit in actu, si non habeat charitatem „ correspondentem sibi secundum proportionem." Idem docet in 1. Sent. dist. 17. q. 3. n. 23. §. *oportet* & q. 4. Ex hoc textu Scoti denuò sequitur; quod ad dilectionem Dei perfectam, ac contritionem justificativam requiratur intensio virium, & extensio objectiva, proportionata viribus, qualis descripta est in *Prænot*. 4. Hiquæus, Commentator Scoti, in 4. dist. 14. ex instituto hanc sententiam defendit, & plures alios textus Scoti, atque authores citat.

V. *Cajetanus Cardinalis*, qui vocatur *alter Thomas* ob præclara ejus Commentaria in S. Thomam, vixitque usque ad initium Concilii Tridentini, in Opusculo *de Contritione Quæst*. 1. sic scribit: „Quæritur: an attritio possit fieri contritio? Videtur; quod non. Quia contritio & „ attritio differunt penes principia; quoniam „ contritio est à charitate; attritio autem est à „ voluntate sine charitate. Ad hujus evidentiam „ notandum, quod attritio sonet imperfectam displicentiam peccati; contritio autem sonat displicentiam perfectam peccati. Ex tribus autem cognoscitur hujusmodi perfecta displicentia. Primum est displicentia peccati. Secundum est propositum de cætero non peccandi „ mortaliter. Tertium est, quod sit charitate „ informata. Si primum defecerit totaliter, nec „ attritio, nec contritio est. Si verò defecerit „ secundum quid, puta, quia adest displicentia „ peccati modica, seu levis, tunc attritio esse „ potest. Si verò secunda defecerit conditio, „ scilicet propositum de cætero non peccandi „ mortaliter, tripliciter hoc contingere potest; „ vel per positionem contrarii propositi actu, puta quia actu intendit peccare mortaliter. Et „ tunc non habet locum attritio. Vel per positionem habitualiter tantum, puta, quia non intendit actualiter committere peccatum mortale, „ nec tamen intendit mutare statum suum, quo „ detinetur in peccato mortali, ut patet in usurariis & concubinariis, & aliis similibus, qui „ confitentur peccata sua, displicetque eis peccasse, habentque velleitatem relinquendi peccatum, non tamen deserunt concubinatum, aut „ restituunt usuras. Et hæc displicentia cum hujusmodi velleitate attritio dici potest. Vel per „ negationem *propositi expliciti*, puta quia pœnitens est sic dispositus, quod displicent ei peccata præterita, & non intendit peccatum aliquod mortale committere, & intendit tanquam „ in confuso cavere à peccatis; ita quod duo „ prima, scilicet affirmatio displicentiæ, & negatio intentionis peccandi habentur explicitè; „ tertium autem, scilicet affirmatio propositi de „ cætero non peccandi mortaliter non nisi in „ confuso habetur, pro quanto in voluntate non „ peccandi confunditur & tempus proximè futurum & totum tempus vitæ suæ, ad quod non „ explicitè extendit se hoc debile propositum, de „ quo est sermo. Et talis displicentia forte est „ valde

„ valde communis, & illa quæ communiter vo-„ catur attritio. Circa defectum verò tertiæ con-„ ditionis advertendum est, quod in conditione „ illa includuntur duo, quorum unum est in po-„ testate nostra, & de eo certi esse possumus. „ Alterum est ex divina gratia, & nobis incertum. „ Horum primum est diligere Deum super omnia; „ Secundum est; quod hujusmodi diligere sit in-„ formatum charitate diffusa à Spiritu Sancto in „ cordibus filiorum Dei. Et siquidem defecerit „ primum, scilicet dilectio Dei super omnia, at-„ tritio, non contritio est. Si verò primum af-„ fuerit, contritio vocatur. Esse autem hanc „ dilectionem in potestate nostra, ex eo patet; „ quod sicut in potestate nostra est constituere „ nobis pro ultimo fine delectationem veneream, „ aut lucra, aut regnum; ita in potestate nostra „ est, habere Deum etiam ut beatitudo est San-„ ctorum pro ultimo fine, ita quod intendamus „ præferre ipsum omnibus quæ desiderari possunt. „ Quod etiam hujusmodi dilectio exigatur ad con-„ tritionem, & distinguatur ab attritione, ex eo „ patet, quod sine hujusmodi dilectione non pot-„ est esse informatio charitatis. Substernitur „ enim hujusmodi dilectio aquisita charitatis for-„ mationi; & tum tam sapientes quam boni fide-„ les tam seipsos quam alios habent pro contritis, „ cum hæc dilectio testimonium perhibet. Quod „ demum hujusmodi tam dilectio quam contritio „ possit esse sine charitate, ex eo patet, quod mul-„ ti sciunt se habere hanc dilectionem, & nesciunt „ se esse in charitate. Si enim hujusmodi tam „ contritio quam dilectio non posset esse informis, „ manifestè sequeretur, quod scire possemus evi-„ denter, nos esse in Dei gratia; quia evidenter „ certi sumus de nobisipsis, quod habemur hanc „ voluntatem deliberatam præferendi omnibus „ Deum &c. Et hæc est dilectio similis charitati „ infusæ intantum, quod propter similitudinem „ actuum censet D. Thomas non discerni à nobis, „ an dilectio nostra, qua Deum diligimus & pro-„ ximum, sit ex infusa gratia vel non? Et hinc „ habere potes terminos quantitatis tam displicen-„ tiæ peccati, quam propositi non peccandi. „ Quantificatur enim utrumque horum ex quan-„ titate amoris Dei; ita quod sicut amor Dei est „ super omnia amabilia, ita propositum vitandi „ peccata debet esse super omnia evitabilia; & „ similiter displicentia peccati super omnia odibi-„ lia. Ac per hoc displicentia modica, quæ non „ pervenit ad displicentiam contritionis, est illa, „ qua minus odio habemus peccatum, quam ali-„ quod aliud damnum. Et similiter propositum „ illud est debile ac deficiens à proposito contri-„ tionis, quo plus proponimus cavere ab aliquo „ alio malo, quam à peccato mortali. Ex qui-„ bus omnibus colligere possumus; duplicem esse „ attritionem, & duplicem contritionem. *Prima* „ *attritio* est displicentia peccati cum velleitate „ non peccandi, in statu tamen peccati. Et hæc „ est *attritio meretricum*, usurariorum, & aliorum „ hujusmodi. Et hæc vocatur attritio impœni-„ tentium. *Secunda attritio* est displicentia pec-„ cati cum non voluntate peccandi, & cum vo-„ luntate non peccandi in confuso. Et hæc est „ attritio pœnitentium, qui sic in confuso tam

„ totum tempus futurum, quam comparationem. „ peccati ad alia odibilia, quam etiam compara-„ tionem Dei ad alia amabilia in voluntate sua „ habent. Et hæc vocatur *attritio imperfectorum*. „ Prima verò *contritio* est aquisita displicentia pec-„ cati supra omne odibile cum proposito vitandi „ peccatum supra omne vitabile ex amore Dei „ super omne amabile. Et hæc vocatur *contritio* „ *informis*. Secunda autem contritio est hæc ea-„ dem displicentia cum dicto tam proposito quam „ amore, charitate (infusa, quæ in Sacramento „ ex opere operato, extra Sacramentum ex ope-„ re operantis aut ex speciali pietate divina, qua „ per gratiam actualem extraordinariam pœniten-„ tes movet ad efficaciter volendum ea, quæ sunt „ veri amantis & pœnitentis, confertur) infor-„ mata. Et hæc vocatur contritio formata. „ CONCLUSIO. Attritio imperfectorum & im-„ pœnitentium non potest fieri contritio; infor-„ mis tamen contritio, quæ perfecta attritio di-„ citur, Dei munere fit contritio. Ad hujus „ evidentiam prænotandum; quod aliud est quæ-„ rere, an de attrito fiat contritus, & an attritio „ fiat contritio? Prima enim quæstio clara est; „ quoniam constat, multos peccatores paulatim „ ad pœnitentiam converti, & ex imperfecta di-„ splicentia ac ex imperfecto proposito, imper-„ fectoque Dei amore ad perfectionem contritio-„ nis deduci, ita ut verè contritionem charitate „ formatam assequantur. Secunda autem quæ-„ stio, an attritio fiat contritio, non est usque-„ quaque clara; quoniam permanentia actuum „ interiorum in identitate numerali satis occulta „ videtur. Verumtamen dicendum, quod attri-„ tio impœnitentium non potest fieri contritio, „ quia actus unius speciei non transit in actum al-„ terius speciei. Attritio quoque imperfectorum „ non fit contritio, quia cognitio confusa non „ fit cognitio distincta. De aquisita autem con-„ tritione, quæ contritio informis dicitur, dicen-„ dum est, quod potest fieri contritio formata. „ Quoniam potest continuari idem numero actus „ aquisitæ contritionis usque ad charitatis infu-„ sionem inclusivè, & sic charitate informari. „ Et quia hujusmodi contritio, antequam chari-„ tate informetur, vocatur etiam quandoque at-„ tritio; ideo hoc tertio modo sumpta attritio „ potest fieri contritio. Et hoc jam habere potes „ à D. Thoma in q. 89. ubi dixit, quod contritio „ est ultima dispositio ad charitatem. Sed occur-„ rit dubium; per quid, seu quomodo hujusmodi „ attritio seu contritio aquisita sit ultima disposi-„ tio ad gratiam? Est enim quandoque non ulti-„ ma dispositio, ut patet ex eo, quod potest esse „ informis. Si enim semper esset ultima disposi-„ tio, cum Deus tam in naturalibus quam in gra-„ tuitis dat semper ultimò dispositis formam, pro „ qua sunt ultimò disposita, sequeretur, quod „ homo habens hujusmodi contritionem aquisitam „ certus esset, se esse in gratia. Si dicatur; quod „ hujusmodi transitus sit per motum intensionis, „ ita quod ejusmodi displicentia si est remissa est „ attritio; si autem intenditur, est contritio. „ CONTRA. Minimus gradus hujusmodi displi-„ centiæ sufficit ad charitatem. Unde non est „ verum, contritionem & attritionem differre „ secun-

„ secundum magis & minus in eadem specie, licet „ sit verum secundum magis & minus in diver„ sis speciebus. Aliter ergo dicendum mihi vi„ detur, quòd gratuita Dei motio est, quæ hu„ jusmodi aquisitam contritionem efficit ultimam „ dispositionem ad gratiam seu charitatem; ita „ quod ex hoc ipso, quod Deus non per aliquod „ superadditum donum habituale sed per gratui„ tam dilectionem, qua dignatur uti nostra aqui„ sita contritione ut dispositione ultima ad suum „ opus, quod est charitas, quæ infunditur, trans„ fertur nostra contritio in ultimam dispositio„ nem pro gratia habituali juxta illud Hieremiæ: „ Postquam convertisti me, egi pœnitentiam." In hoc textu Cajetanus docet INPRIMIS; non omnem amorem Dei, utut attingat Deum, ut summum amabile, & peccatum ut summum odibile, non semper statim justificare: SECUNDÒ; differentiam contritionis justificativæ, & non justificativæ non dependere *ab intensione actus.* TERTIÒ, eam differentiam desumendam esse à *speciali motione seu gratia actuali*, qua Deus voluntatem movet ad charitatem perfectam, ac efficacem, seu assensionem voluntatis ad omnes actus veri & constantis amantis ac pœnitentiæ, toto vitæ tempore exercendos, sese extendentem ad omne genus virtutum, in ordine ad quas simul cum charitate infusa infunduntur omnes habitus virtutum. In hac autem expositione nemo non videt; opus esse *intensione virium*, & *extensione objectiva*, ad hoc, ut voluntas suo assensu perfectè tendat ad totam latitudinem justitiæ sine mixtione positivæ deordinationis. Hanc esse ideam Cajetani circa illam charitatem, ad quam Deus illa speciali ac extraordinaria sua gratia movet animam, patet ex iis, quæ scribit in 1. 2. q. 109. a. 3. ubi sic habet: „Adverte cautè, quòd non „ est idem habere Deum pro ultimo fine alicujus „ actus, & diligere Deum super omnia; quia ad „ illud sufficit; implicitè ferri in Deum; ad hoc „ autem requiritur explicitè ferri in ipsum. Se„ cundò, quod diligere Deum super omnia pot„ est dupliciter contingere. Uno modo simpli„ citer. Aliò modo secundum præsentem statum. „ Diligere Deum super omnia simpliciter est Deum „ diligere ut finem omnium, id est, propter quem „ diligat omnia. Diligere Deum secundum præ„ sentem statum, est diligere Deum ut finem „ omnium referibilium in ipsum Deum. Diffe„ runt hi duo modi in hoc, quod primô modô „ diligendi Deum super omnia repugnet omne „ malum culpæ; secundò autem non. Ad ha„ bendum actum diligendi Deum super omnia „ simpliciter oportet omnia sua habere talia ut „ possint in Deum referri. Si enim aliquid sic di„ ligit, ut non sit referibile in Deum, ut impe„ dimentum ponit ad hoc, ut suorum omnium „ possit Deum habere finem, ac per hoc impo„ tentem se reddit ad diligendum Deum super „ omnia simpliciter. Et quia malum culpæ, quod„ cunque sit illud, repugnat referibilitati in Deum „ ut finem, ideo omne malum culpæ repugnat „ observationi hujus præcepti; Diliges Deum su„ per omnia simpliciter. Sed ad habendum actum „ diligendi Deum super omnia referibilia in ipsum, „ non reddit impotentem hominem quodcunque „ malum culpæ, ut experientia testatur in haben„ tibus charitatem; & tamen habent multa mala „ culpæ & in voluntate faciendi, puta, dicendô „ mendacium officiosum, comedendô nimis, & „ hujusmodi. His præmissis dicitur, quod licet „ homo in statu naturæ corruptæ quantum est ex „ sufficientia sua, possit ex puris naturalibus di„ ligere Deum super omnia referibilia in ipsum, „ quæ tunc sunt in sua potestate, non tamen pot„ est Deum diligere super omnia simpliciter; quia „ non potest non peccare ac per hoc non potest „ non ponere impedimentum dilectioni Dei super „ omnia, sicut potest in statu naturæ integræ, in „ quo potest se præservare ab omni peccato. — „ Hoc non potest natura corrupta nisi adjutorio „ gratiæ sanantis, in præsenti vita inchoativè per „ charitatem viæ, qua nihil contra Dei dilectio„ nem admittimus, & super omnia nostra non „ simpliciter sed referibilia ipsum diligimus: con„ summatè autem in patria, in qua omnia simpli„ citer dirigentur in Deum." Ex his Cajetani verbis sequitur PRIMÒ, quod homo se subjiciens motioni divinæ ad charitatem infundendam se saltem debeat extendere ad vitanda omnia NON REFERIBILIA IN DEUM, quæ NB. *tunc sunt in sua potestate.* Hinc quamvis Deus possit homini extra Sacramentum conferre specialem motionem ad charitatem videtur tamen, id regulariter non fieri, nisi homo conetur à se excludere in actu Pœnitentiæ reconciliativæ actuales affectus ad peccata venialia plenè deliberata, & conetur illa saltem non committere passim, aut omnino contemnere. SECUNDÒ sequitur; potentiam hanc contritioni non advenire nisi ex speciali adjutorio seu motione gratiæ actualis, cui homo in instanti perfectæ contritionis assentitur. In Sacramentò autem officiò illius gratiæ actualis extrasacramentalis fungitur ipsa gratia Sacramentalis, quæ habet mutuam prioritatem ad dispositionem pœnitentis, prout ex D. Thoma explicabitur in Quæstiuncula 6.

VI. *Andreas Vega*, qui interfuit Tridentino l. 6. de Justificatione c. 28. sic scribit: „Patres „ Concilii inter dispositiones ad justificationem „ connumerarunt dilectionem Dei. — Ex his „ firmare possumus, dilectionem Dei super omnia, „ dispositionem esse ad justitiam assequendam. „ *Et c.* 29. Quid ergo, inquiet aliquis, si est di„ lectio Dei super omnia in nobis ante gratiam „ gratum facientem, illa non diffundetur per Spi„ ritum Sanctum? Verum hæc facile est diluere. „ Multa bona nobis communicat Spiritus Sanctus „ ante suum illapsum gratificum? Et dum ad dile„ ctionem Dei adjuvat, jam aliquo modo eum „ intra nos babemus nobis cooperantem, & no„ stram infirmitatem adjuvantem. *Et c.* 30. Di„ lectionem Dei necessariam esse ad nostram ju„ stificationem, apud omnes Theologicos tracta„ tores, quos legerim, receptissimum est. Et id „ quidem testimonia Pauli, Augustini, & Bern„ ardi manifestè efflagitant. Et cum Deus sæpe „ in Scriptura conversionem nostram in ipsum à „ nobis exigit, ut se vicissim ad nos convertat, „ apertè dilectionem sui à nobis requirit. Amore „ quippe nos in eum convertimus, & in ipsum „ tendi-

„ tendimus. Confirmataque est doctrina ista à „ Patribus (Tridentini) cum in Can. 3. statuerunt; necessarium esse Spiritus Sancti auxilium, „ ut diligamus Deum sicut oportet, ut justificationis gratia nobis conferatur. Siquidem hæc „ verba apertè docent, necesse esse diligere Deum, „ ut justificationis gratia nobis conferatur. Et „ qui agnoscunt Deum nostris peccatis offendi, „ nunquam certè ad ipsius gratiam pervenient, „ nisi & de ipsis doleant, quatenus offensæ illius „ fuerunt, & amore in ipsum redeant. Non tamen perinde certum est, qualis & quanta debeat esse hæc dilectio Dei, quam necessariam „ esse affirmamus ad justificationem nostram. „ Tutò affirmare nos posse crediderim; eam dilectionem Dei ad gratiam necessariam esse & sufficere, quæ satis est, ut de lethalibus ejus offensis doleamus, & mandata ipsius servare proponamus. *Et c.* 32. Verba Dei non aliud requirunt ab impio, ut justificetur, quam propositum efficax servandi omnia mandata. Inter „ præcepta tamen, ut impius justificetur, computantur alia quam præcepta negativa v. g. panem suum esurienti dare, & nudum operire vestimento. Et, facite vobis cor novum & spiritum novum. Certe cor novum & spiritum „ novum habet, qui cum prius in transgressione „ mandatorum divinorum suæ immemor salutis „ permanserit, jam novo spiritu concepto tota „ animi devotione libenter, promptè, & constanter proponit illa servare. *Et c.* 34. Christus eàm solam dilectionem sui docebat esse existimandam, quæ faceret impleri mandata, & „ eorum observationem virtute in se contineret. „ *Et l.* 13. *c.* 24. Firmare possumus, nullam esse „ certam intentionem, nullum certum fervorem, „ qui necessarius sit, ut detestatio peccatorum „ remissionem obtineat. Objiciunt (Patroni adversæ sententiæ varia) quæ libro nono diffolvimus. Magis me solicitant multa testimonia „ Sanctorum Doctorum, qui ad expiandum magnas culpas magnum & omnino ferventem dolorem necessarium esse videntur docere. --- „ Hæc Sanctorum (Cypriani, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Bernardi, Isidori) testimonia, „ si bene expendantur, postulare sanè videntur, „ vix aliquem aut nunquam perfectè, & sicut necesse est, de suis peccatis dolere, si non & idem „ vehementer & ferventer de eis doleat. Tepida namque pœnitentia signum est imperfectæ „ displicentiæ. Et qui tepidè dolet de suis peccatis, vix videtur agnoscere, quantum malum „ sit peccatum; quanta auferat nobis bona; quantis subjiciat nos malis, quam graviter Deum „ offendat, quantis numinibus nos dedecoret, „ & deturpet. Econtra fervens pœnitentia & „ satisfacit Deo, & ab iteratione peccatorum præservat, & facit, ut perfecta sit nostra pœnitentia, & debitis circumstantiis vestita. Nec enim „ quantamcunque remissam pœnitentiam satis esse „ posse diximus, ut redeant peccatores in gratiam cum Deo; ideo & quantumcunque imperfectæ pœnitentiæ eadem virtus concedenda est." In hoc textu Vega apertè fatetur, in praxi *vix aut nunquam* dari contritionem justificativam fine intentione virium atque extensione objectiva, eò quod fine his proprietatibus vix unquam reperiatur essentia contritionis justificativæ, nempe *perfecta displicentia* peccati.

QUÆSTIO VI.

An sententia asserens, in Sacramento Pœnitentiæ sufficere solam attritionem ex metu inferni sine motu dilectionis initialis in Deum, sit practicè tuta?

NOTANDUM I. Damnatam esse ab Innocentio XI. 1679. sequentem propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Si itaque non licet Ministro *conferre* Sacramentum sequendò opinionem probabilem, ubi non concurrit *moralis impotentia* sequendi tutiorem; ob paritatem rationis sequitur, etiam suscipienti Sacramentum, præsertim baptismi & pœnitentiæ, non esse licitum, *suscipere* Sacramentum cum dispositione solum probabili, v. gr. cum attritione ex solo metu inferni, si hæc sententia sit præcise probabilis vel probabilior, quin tamen sit moraliter certa.

NOTANDUM 2. Illam sententiam vocari *practicè tutam*, in cujus praxi excluditur omnis prudens formido incurrendæ gravis indignationis divinæ. Prudens autem formido incurrendæ gravis indignationis divinæ haberi potest triplici modo. PRIMÒ, quando homo operans actu dubitat, vel dubitare meritò potest, an consideratis omnibus Deus non sit sic operanti graviter indignaturus? SECUNDÒ, quando homo operans videt, quod actio sit sibi futura occasio proxima consensus in peccatum formale. Sic non est practicè tuta illa sententia, quæ docet, delectationem sensitivam ex attactu circa partes obscœnas alterius personæ vel sexus studiose quæsitam posse sistere intra limites culpæ venialis. TERTIÒ. Quando cum actione, non obstantibus quibuscunque principiis reflexis, ductis ex probabilitate sententiæ, concurrit grave periculum, se privandi gratia ad salutem necessaria. Primum & tertium genus formidinis locum habet in præsenti quæstione. Quæritur enim; utrum attritus ex solo metu inferni sine dilectione initiali non meritò dubitare possit de gravi indignatione divina, si, cum facile possit, in aditu justificationis non incipiat diligere Deum, & si se exponat sine necessitate probabili periculo exclusionis à gratia justificationis?

NOTANDUM 3. Hanc quæstionem ex instituto examinatam atque eruditè discussam fuisse à P. CAROLO de PISPORT, Ord. S. Benedicti, in Universitate Fuldensi Theologiæ Professore, in Thesibus Theologicis, Fuldæ editis anno 1749. sub titulo: *Dissertatio Theologica de dolore ad Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ necessario, qua demonstratur, non esse moraliter certum nec proinde in praxi tutum, quod attritio ex metu inferni concepta sine amore benevolentiæ, saltem inchoato, ad gratiam in iisdem impetrandam sufficiat.* Author quidem meminit solius amoris *benevolentiæ*; verum, prout ex decursu

decursu operis patet, sub hoc termino intelligit verum actum *amicitiæ*, qui simul desiderium summi boni, seu amorem *concupiscentiæ* involvat.

NOTANDUM 4. Per motum *dilectionis initialis* in Deum à me intelligi *actum charitatis imperfectum*, de se insufficientem ad impetrandam *infallibiliter* extra Sacramentum justificationis gratiam. Actus autem charitatis *imperfectus* à me vocatur *actus amicitiæ* erga Deum, qui simul includit amorem concupiscentiæ & benevolentiæ practicum, in ordine ad actus amicitiæ practicos *essentiales*, ex suo genere gratuitos, vi aliorum mandatorum indebitos. Nam quamvis talis actus charitatis *quoad substantiam actus* non differat à charitate perfecta, differt tamen quoad perfectionem accidentalem, inquantum charitas perfecta se extendit ad actus amicitiæ practicos etiam *accidentales*, cujuslibet viribus ac conditioni proportionatos, dum econtra charitas imperfecta solum se extendat ad actus amicitiæ practicos *essentiales*. Huic enim extra Sacramentum non debetur infallibiliter infusio gratiæ sanctificantis, utpote quam Deus *infallibiliter* confert *solis* facientibus *quod est in se*, prout in Tract. de Charitate dictum est. His prænotatis

DICO. Sententia asserens, in Sacramento pœnitentiæ sufficere solam attritionem ex metu inferni sine motu dilectionis initialis in Deum, non est practicè tuta.

PROBATUR. Illa sententia non est practicè tuta, quæ pœnitentes sine necessitate exponit probabili periculo exclusionis à gratia justificationis in Sacramento pœnitentiæ. Sed talis est ista sententia. Ergo. *Min. prob.* Illa sententia pœnitentes sine necessitate exponit probabili periculo exclusionis à gratia justificationis, quam authores numero & authoritate gravissimi vel rotundè negant, vel saltem dubitant sufficere ad gratiam justificationis in Sacramento impetrandam, cum tamen sententia certa sine notabili difficultate ab omnibus practicari possit. Sed talis est ista sententia. Ergo. *Minor* quoad 2. *Min. patet*; quia nulla reperitur notabilis difficultas in hoc, quod Deus diligatur dilectione initiali. Quis enim se gravatum dicat, quod teneatur summum bonum non solum speculativè sed etiam practicè appretiare super omnia, eique, cujus amicitiam init, spondere actus amicitiæ practicos? Quoad 1. *Min. prob.* ab inductione.

I. *Toletus*, Cardinalis Soc. Jesu, qui obiit anno 1596. *in Summa* l. 3. c. 4. juxta editionem Lugdunensem, Mediolanensem, & Antverpiensem de anno 1599., Romanam & Antverpiensem de anno 1600., Venetam, Placentinam, & Coloniensem de anno 1601., & Constantiensem de anno 1600. sic scribit: *Attritio, si sit talis, ut cognoscat pœnitens, se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum, ut est alicujus mali causa, & pœnæ inferni, quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum; imo qui sic accederet, peccaret denuo, & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum. — Unde Confessores maximè debent considerare, qualiter pœnitentes admittant ad confessionem. Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt. Unde ante confessionem mihi videtur de tali dispositione fore interrogandos.* Proferunt quidem adversarii recentiores quasdam editiones Toleti, v. g. Coloniensem anni 1614. & 1618. in quibus textus authoris sic habetur: *Attritio, si sit talis, ut cognoscat pœnitens, se non detestari peccatum, ut est offensa Dei, sed tantum ut est alicujus mali temporalis causa, quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum.* Verum nemo non videt, hanc posteriorem lectionem ab aliquo interpolatore, vel glossatore imperito fuisse corruptam, cum Toletus non faciat oppositionem inter detestationem peccati, ut est causa pœnæ *æternæ*, & *temporalis*, sed prout est *offensa Dei*, & *causa pœnæ*, sive ea temporalis sive æterna sit. Accedit, quod etiam Romana editio de anno 1600. cum autographo collata fuerit, prout editor expresse testatur. Plures corruptionis notas affert *P. Pisport* §. 3. & *Henricus à S. Ignatio* l. 5. c. 195.

II. *S. Carolus Borromæus* in Instruct. de Sacram. pœnit. de Confessario loquens ait: *Antequam pœnitentiam imponat, & absolutionem tribuat pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum suorum contritionem habeat. — Si talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderium accendere conabitur, hæc admonens: Propter Deum ipsum usque adeo, quantum potest, eum peccata dolere opportere.* Si non foret necessarius dolor ob Deum offensum, S. Carolus non dicere debuisset, ita *opportere* fieri.

III. *Bellarminus* l. 6. de gratia c. 7. requirit dilectionem initialem ad baptismum. Ergo eam etiam requirit ad pœnitentiam. *Ut intelligamus*, inquit, *non solum perfectam charitatem esse Dei donum, sed etiam imperfectam & inchoatam*, Concilium Arausicanum *subjungit*, *fidem & amorem Dei nobis primum inspirari, ut baptismum fideliter requiramus, & deinde, quæ Deo sunt placita, implere possimus. Quod idem clarius expressit Concilium Tridentinum. Nam Sess. 6. c. 6. dicit; hominem à Deo motum & excitatum atque eodem Domino adjuvante incipere diligere Deum.*

IV. *S. Bonaventura* pariter ad baptismum in adulto, qui commisit peccata actualia, requirit dolorem propter offensum Deum. In 4. dist. 16. a. 1. q. 1. ait: *Si loquamur de pœnitentia ut est virtus, cujus actus est contritio, cujus est omne malum detestari, quia commissum est contra Deum, necesse est, quod præcedat baptismum in adulto, qui habet actuale peccatum.* Rationem hujus doctrinæ S. Doctor reddit in 3. dist. 34. q. 1. n. 59. quia nempe solus timor non excludit voluntatem habitualem conditionatam peccandi. *Timor servilis*, inquit, *est donum Spiritus Sancti. — Propter illum timorem cessat homo à perpetratione peccatorum, licet non omnino cesset à voluntate; nam cum eo manet voluntas peccandi in habitu & radice.* Hinc ait in 4. dist. 14. a. 2. q. 2. *Pœnitentia dicitur timore concipi potius quam generari, quia pœnitentia concipitur timore servili non per productionem inesse, sed per dispositionem & præparationem.*

V. *Clemens Monilianus* Cardinalis in *Compendio Theologiæ* edito Fulginei anno 1562. c. 31. *Qui ob solum gehennæ metum de peccatis dolor procedit, etiam quantumvis intensus sit, non est, qui cor contritum facit, aut veniam impetrat.* Ibidem docet, quod attritio, ad veniam in Sacramento impe-

impetrandam sufficiens *fiat contritio sine mutatione reali ipsius actus*. Contritionem autem definit esse dolorem *assumptum propter Deum summe dilectum saltem appretiativè*. Cum ergo attritio fiat contritio sine mutatione reali ipsius actus, necesse est, quod per attritionem intelligat dolorem propter Deum summe dilectum saltem appretiativè.

VI. *Gabriel Paleotus* Cardinalis in Synodalibus Bononiansibus editis post Concilium Tridentinum part. 3. de Pœnit. *Quamvis dolor non potissimum ex timore Dei, sed potius ob suppliciorum metum ad veram rationem contritionis non attingat, quin potius attritio dicenda esset, non tamen ideo peccator à spe salutis & veniæ excidat; quoniam iste dolor ad verum Dei timorem, id est, contritionem ex Dei seu divinæ offensæ timore, & ea mediante ad gratiam in Sacramento disponit, unde virtute Sacramenti ex attrito contritus dicitur*. Ex hoc patet, quod attritio ex solo suppliciorum metu, nisi intermediet *timor divinæ offensæ* seu amor initialis, non sit immediata dispositio ad gratiam in Sacramento.

VII. *Sarnanus* Cardinalis in Summa Theologiæ edita 1592. *Attritio virtute Sacramenti fit contritio. Proinde non videntur ab invicem distare, nisi penes intensionem & remissionem*. Ex hoc sequitur, attritionem à contritione non differre ratione motivi, quasi illa solum procedat ex metu inferni, ista ex amore Dei.

VIII. *Amandus Richelius* Cardinalis in suo Catechismo edito 1622. *Ad hoc, ut attritio satis sit, necessarium est, ut cum dilectione saltem inchoata Dei tanquam omnis justitiæ fontis conjungatur*.

IX. *Pallavicinus*, Cardinalis Soc. Jesu in Epistola ad Pastores Gandenses. *In hac quæstione, super qua me compellare vobis placuit, an ad gratiam justificationis assequendam in Sacramento pœnitentiæ aliquis actus charitatis erga Deum, non quidem perfectus sed imperfectus, & per se ad justificationem insufficiens, sit necessarius? affirmanti sententiæ semper adhæsi, eamque in Academia Romana S. J. publicè docui, adeoque in quodam tradita à me doctrinæ de pœnitentia Breviario typis vulgavi. Quam opinionem aliqui ex eadem Societate Præceptores amplexi erant, & ante & post me alius aliusque Theologiæ Præceptor in eodem Gymnasio propugnavit*.

X. *Le Camus*, Cardinalis ac Episcopus Gratianopolitanus in Epistola Pastorali testatur, *seipsum perlegisse* Theologiam Moralem *Genetti*, eamque suo Clero præscribit. In ea verò, ubi agitur de Sacramento pœnitentiæ *Genettus* sic scribit: *Ut attritio sit salutaris & sufficiens ad remittenda peccata unà cum Sacramento pœnitentiæ, oportet, ut sit supernaturalis, & includat in se amorem Dei tanquam omnis justitiæ fontis. — Ex quo constat, pœnitentiam non posse esse veram, neque posse justificare peccatorem, si sit sine amore Dei & charitate, quæ operatur in peccatore, ut Deum plus amet, quam creaturas*.

XI. *Brancatus de Laurea* Cardinalis Tom. 4. in 3. Sent. Disp. 11. art. 1. n. 52. *Indubitatum esse oportet, quod in qualibet detestatione peccati seu offensæ Dei, etiam ex motivo gehennæ, aut turpitudinis peccati debeat adesse actus aliquis inchoatæ charitatis*.

X. *De Aquirre*, Cardinalis Diss. 8. in Can. 11. & 12. Concilii Toletani excurs. 2. n. 149. *Ad impetrandam in Sacramento veniam postulat dilectionem Dei, ac contritionem profectam ex vero Dei amore super omnia*.

XIII. *Denhoff* Cardinalis apud Genettum *in Pastorali Instructione* de Sacramento pœnitentiæ sic habet: *Contritio, quæ requiritur in pœnitentibus, conditiones duas habere debet; quarum prima est, ut sit cum aliquo actu amoris Dei, quia maturè pensatis omnibus rationibus hæc opinio probabilior est; & hic amor debet præponderare omnibus aliis amoribus graviter inordinatis erga creaturas, ita ut appretiativo amore plus amet Deum, quam ea omnia, quæ illum peccati mortalis reum effecerunt, aut efficere possunt. — Amoris perfectio non provenit ex solo motivo, sed ex intensione actus, ut affirmant communiter antiqui Theologi, qui dum explicant diversitatem contritionis perfectæ & imperfectæ, comparant perfectam auroræ seu luci incipienti, perfectam autem luci apertæ & solari; quod ostendit, illos Theologos putasse, illas contritiones esse ejusdem speciei, & solum differre ob majorem vel minorem intensionem & perfectionem actus*.

XIV. *Angelus Maria Quirini*, Cardinalis, teste P. Pisport eandem sententiam tenuit, cum apud Cassinenses suos in Abbatia Florentina Cathedræ Theologicæ præfectus esset.

XV. *Tamburinus*, Cardinalis, teste P. Pisport eandem sententiam Auditoribus suis tradidit, cum Romæ in D. Anselmi Collegio Professoris munus obiret.

XVI. *De Rohan*, Cardinalis, in Pastorali Instructione edita 1748. eos rigorismi arguit, qui negant, peccatorem extra Sacramentum justificari per contritionem charitate ardentissima perfectam; econtra eos *laxitatis* redarguit, *qui ad obtinendam in Sacramento peccatorum veniam satis esse docent, si confessio attritione purè naturali, vel ad summum timore inferni suffulta sit*.

XVII. *Viginti tres Episcopi* in Concillo Tridentino teste Palavicino censuerunt, Decreto Sess. VI. *aliquem actum charitatis adjiciendum esse, idque propterea Decreto insertum esse*. Itaque constat, per illam dilectionem initialem, quæ in illo Decreto ad baptismum exigitur, intelligi aliquem actum charitatis.

XVIII. *Concilium Coloniense* 1536. In *Enchiridio*, cujus *Gropperus*, Cardinalis author fuit, de Sacram. pœnit. sic habet: *Prima pars contritio est. Hæc incipit & concipitur ut plurimum timore servili sed non perficitur, nisi filiali. Neque putandum est, hunc timorem servilem, qui ex metu supplicii ducit originem, & horrorem incutit peccatorum, pœnitentiam totam absolvere. Quin potius solus non suffecerit, nisi proficiat ad spem veniæ per contemplationem misericordiæ divinæ, & fides faciat, ut timorem servilem comitetur timor filio dignus. Hæc ergo fides cum timore filiali conjuncta veram pœnitentiam à falsa separat*.

XIX. *Synodus Octavii de Bellegarde* Archiepiscopi Senonensis anno 1645. *Prohibemus Concionatoribus prædicare, quod ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ necessarius non sit peccatoribus amor Dei supernaturalis, ipsisque mandamus, ut populo solicitè exponant dispositiones à Tridentino requisitas Sessione sexta Capite sexto*.

XX. *Conventus Cleri Gallicani*, cui subscripserunt quindecim Episcopi, anno 1700. sic habet: *Hæc duo ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duxit: Primum, ne quis putet in*

in utroque Sacramento (baptismi & pœnitentiæ) requiri, ut præviam contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Neque verò adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ incboandæ ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divina opitulante gratia sese excitet ac provocet. Placet etiam, caveri à Sacramenti pœnitentiæ administris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore; neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine vel eo solo, quod certis incerta præponant. Huic conventui subscripserunt *Noaillius* Cardinalis, *Le Tellier* Cardinalis, Archiepiscopi *Auxitanus*, *Viennensis*, *Bituricensis*, & *Burdegalensis*, Episcopi *Meldensis*, *Cabillonensis*, *Rhedonensis*, *Massiliensis*, *Montis Albanus*, *Cadurcensis*, *Glanatensis*, *Aptensis*, *Sagiensis*, & *Trecensis*.

XXI. *S. Antoninus* part. 4. tit. 14. c. 5. *Timor* (inferni) *bonus est; unde à Spiritu Sancto procedit, sed non est cum Spiritu Sancto, quia non diligit bonum propter se ex amore Dei & ipsius justitiæ. Vellet enim sibi licere illud, quod & faceret, nisi pœnam timeret sustinere. — Sed quia iste timor non est in charitate, ideo non sufficit ad salutem; est ideo pœnitentes præcipuè in infirmitatibus gravibus oportet admonere, ne ad pœnitendum & confitendum propter hujusmodi principaliter moveantur; nam inutilis est sibi talis pœnitentia. Confirmat hoc exemplum, quod narratur in libro de septem donis. Quidam Scholaris Parisius infirmatus ad mortem confessus est cum multis lacbrymis, devotè suscipiens omnia Sacramenta secundum humanum judicium. Doctor autem ejus frequenter visitans eum in infirmitate rogavit eum, ut si contingeret, eum de hac luce migrare, Domino concedente sibi appareret ad revelandum statum suum. Quod & promisit. Eo igitur viam universæ carnis ingresso post dies aliquot apparuit ei in lecto quiescenti in chlamyde pergamena plena sophismatibus, & igne foderata. Quem recognoscens & interrogans de statu suo, respondit; se esse damnatum. Cumque ille miraretur nimis, causam quærens, cum ipse cum tantis lachrymis pœnituisset in fine, & Sacramenta devotè suscepisset, respondit ille. Pœnitentia mea & lacbrymæ illæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter offensam, sed propter timorem inferni, ne ad illum deputarer, & ideo mihi non valuit.*

XXII. *Rinsfeldius*, Suffraganeus Trevirensis in Enchiridio ad *Quæstionem*, quæ sit illa salutaris attritio, virtute cujus accedente Sacramento homo ex attrito fiat contritus? sic respondet: *Virtute Sacramenti attritio potest fieri contritio, quod multo rectius intelligitur secundum illorum Doctorum sententiam, qui tradunt, attritionem & contritionem non differre, nisi penes intensam & remissam; ita ut idem actus numero remissus sit attritio, intensior factus contritio reddatur, cui sententiæ applaudere videtur Concilium Tridentinum, cum attritionem vocat contritionem imperfectam.*

XXIII. *Boonen*, Archiepiscopus Mechliniensis, in Mandato ad omnes Confessarios anno 1637. edito ait: *Omnem industriam eò conferant, ut omnes ad Sacramenti pœnitentiæ perceptionem accedentes inducant moveant ac disponant ad detestationem peccatorum suorum non tam ex timore pœnarum, quam ex Dei amore, quo ipsum velut summum bonum perfectè diligent, vel saltem ut fontem justitiæ, qua scilicet justificamur, diligere incipiant. Si enim populus ille rudis sub veteri lege non poterat justificari, nisi per dilectionem Dei super omnia; meritissimè nos filii Novi Testamenti, qui non accepimus iterum spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis filiorum, ipsa peccata super omnia detestari debemus.*

XXIV. *De Gondrin*, Archiepiscopus Senonensis in Synodo 1678. damnat sequentem propositionem P. Fabry Apologistæ Casuistarum. *Verum est, quod nonnulli Casuistæ & Jesuitæ docuerunt, metum pœnarum temporalium taies à Deo comminatarum sufficere ad percipiendam absolutionem.* Censura est ista: *Hæc propositio, quatenus seclusò penitus amore divino solum pœnarum, etiam temporalium timorem pro idonea ad fructuosam pœnitentiam dispositione obtrudit, falsa est, erronea, à novæ legis spiritu maximè aliena, & sacro Concilio Tridentino cantraria.* Idem in suo Catechismo Diœcesanis præscripto contritionis in Sacramento pœnitentiæ necessariæ naturam explicans ait, *quod sit amor Dei fundatus super bonitate ipsius.*

XXV. *Colbert*, Archiepiscopus Rothomagensis in Pastorali Instructione sui Cleri edita anno 1697. de laxis Theologis loquens ait: *Theologi illi peccatores absolverunt ab obligatione diligendi Deum, ut cum ipso reconcilientur, docendò, solum metum pœnarum inferni ad ipsorum justificationem cum pœnitentiæ Sacramento sufficere. Facilitas illa ad Deum redeundi sine ejus amore, quam non habuere, qui sub veteris legis jugo vivebant, novis illis Theologis gratia singularis visa est Novo Testamento concessa. Illa doctrina in Ecclesia incognita ante postremum sæculum, quo primum ut probabilis opinio proponi cœpit, quam Suarez ipse* (quo maximè authore propagata est) *hoc sæculo ineunte fassus est nec certam esse, nec communem, nec valde antiquam. — Sancta & saluberrima de amoris Dei necessitate ad gratiam justificationis in Sacramento pœnitentiæ consequendam vobis in administratione regula sit, quibus plene persuasum est, quod omnis, qui non diligit, manet in morte.*

XXVI. *De Choiseul*, Episcopus Tornacensis de part. Sacram. pœnit. art. 4. *Ad peccatorum condonationem etiam in Sacramento obtinendam tanto beneficio imparem dolorem & contritionem agnosco, nisi sit fœtus amoris & charitatis.*

XXVII. *Quido de Seve*, Atrebatensium Episcopus in Pastorali Instructione de Sacram. pœnit. c. 4. multis ostendit; *quod attritio ex solo timore concepta non sufficiat ad gratiam etiam cum Sacramento, sed ad eam necessarius sit amor Dei.*

XXVIII. *Genettus*, Episcopus Vasionensis, Tract. 6. de pœnit. c. 5. q. 9. *Ut attritio sit salutaris & sufficiens ad remittenda peccata una cum Sacramento*

mento pœnitentiæ, oportet, ut includat in se amorem Dei tanquam omnis justitiæ fontis. Quod satis clarè docet Concilium Tridentinum.

XXIX. *Hippolytus de Bethune*, Episcopus Virodunensis, idem docet in libro, cui titulus: *Praxis Sacramenti pœnitentiæ*, quem Ludovicus Habert composuit, sed ipse omnibus suis Parochis commendavit per Epistolam Pastoralem.

XXX. *Lambertus le Drou*, Episcopus Porphyriensis & Sacrista Apostolicus in suis Dissertationibus Theologicis de Contritione idem suse probat.

XXXI. *Dominicus Gentis*, Ord. Præd. ad Episcopatum Ruremundensem in Belgio ab Augustissima Imperatrice nominatus in suis Thesibus anno 1737. editis hæc habet: *Initialis est imperfecta dilectio, & dolor ex ea procedens requiritur ad fructuosum Sacramentum pœnitentiæ. Contritio peccata delens differt ab attritione non delente penes certam vehementiam, acritatem, intensionem, acerbitatem & gradum.*

XXXII. *Catechismus Romanus*, relatus quæst. 3.4. & 5. idem docet.

XXXIII. *Parochiale Leodiense* anno 1592. editum docet, confessionem esse itcrandam, *si non habeat odio peccata propter Dei summi boni offensam. Quæ ad contritionem requisita si pœnitens ex animo non præstet; Sacerdos nullo modo absolvat.*

XXXIV. *Catechismus Senonensis* Lect. 26. ad interrogationem: *An verus amor Dei necessarius sit ad reconciliandum nos Deo per Sacramentum?* respondet: *Omnino secundum spiritum & regulas Evangelii.* Et ad interrogationem: *An solus pœnarum timor insufficiens sit cum Sacramento?* respondet: *Prorsus insufficiens est, nisi ei jungatur amor.*

XXXV. *Catechismus Meldensis, à Bossueto* in sua Diœcesi præscriptus, de Pœnit. Lect. 2. *Quid sentis de eo, qui in Sacramento pœnitentiæ negligit se excitare ad amorem Dei?* RESPONSIO: *Talis non haberet sufficientem curam suæ salutis. Cur? quia innititur opinioni dubiæ. Quid igitur agendum, ut quis salutem suam in tuto collocet, quantum ad hoc obligatur? Desideret verè amare Deum, seque ad hoc totis viribus excitet.*

XXXVI. *Claudius Fleury* in Catechismo Lect. 25. *Quid peccatori faciendum, ut hoc Sacramentum suscipiat?* Responsio: *Contritus sit oportet. Potestne is odisse peccatum, qui Deum non amat?* Responsio: *Debet saltem aliquod esse dilectionis initium.*

XXXVII. *Danes*, in Institutionibus Doctrinæ Christianæ p. 1. Sect. 3. c. 9. q. 11. *Multis minimeque contemnendis authoribus videtur, omnem peccandi affectum & complacentiam sine amore justitiæ ad reconciliationem cum Sacramento pœnitentiæ obtinendam satis excludi non posse. Qua de re acriter utrimque disputatur. Sed quod ad praxin attinet, vel ob hanc ipsam incertitudinem non sat magnam salutis suæ curam gerere censeretur, qui dum ad pœnitentiæ Sacramentum accedendum est, ita soli timori ultro inhæret, ut ad Deum super omnia diligendum modis omnibus non anniteretur.*

XXXVIII. *Pouget*, in Institutionibus Catholicis tom. 2. de Sacram. pœnit. §. 4. *Attritio ad obtinendam remissionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ sufficit, si conjuncta sit cum odio & detestatione peccati adeoque cum amore Dei saltem inchoato, sine quo haberi peccati odium nequit, secus, non sufficit. Neque enim peccata remittuntur sine conversione cordis; ad eumque timor disponit, sed eam non perficit, nisi conjunctus sit cum ea cordis affectione, qua Deus & justitia diligatur super omnia.*

XXXIX. *Clemens X.* teste Francisco *Henno* in tr. de pœnit. Disp. 4. q. 6. a. 9. & *P. Farvaques* eo tempore, quo sententia de sufficientia attritionis ex metu inferni satis communis erat, declaravit Deputatis Lovaniensibus, se in ea esse sententia, quod requiratur aliquis amor Dei propter se in Sacramento.

XL. *Theologi in Concilio Tridentino*, plures requisierunt in Sacramento pœnitentiæ dilectionem Dei. De his Pallavicinus l. 12. c. 10. sic scribit: *Didacus Lainius* (post S. Ignatium primus Generalis Soc. Jesu) *qui primo loco inter minores Theologos sermonem habebat, dixit; Sacramento esse necessaria pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter tanquam necessariam enumeravit Jacobus Ferrusius Hispanus Segoviensis Episcopi Theologus. At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis Episcopi Theologus, postea Gaudicensis Episcopus, dixit; prius nos propter pœnæ metum dolere, deinde propter Deum; postea verò peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus, Foroliviensis Episcopi Theologus, tanquam necessaria numeravit timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit Franciscus Contrera ex Ordine Minorum observantium.*

XLI. *S. Bernardinus Senensis* in Serm. Fer. 3. post Dominicam 3. Quadragesimæ. *Quoties homo vivendo vel moriendo non pœnitet propter amorem Dei, nec custodit se à peccato amore Dei, ne ipsum offendat, sed tantum metu pœnæ infernalis, non est actus contritionis, sed isto modo moriendo ingreditur profundum inferni. Quia timor ille non est fundatus in charitate. Itaque fundemus nos in timore dilectionis Dei, & ipse timor sit in charitate fundatus, & exoneremus gravitatem peccatorum per confessionem, cum vera confessione fundata in charitate.*

XLII. *Gerson* Serm. in Cœna Domini enumerans tres partes Sacramenti pœnitentiæ, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem, ait: *Aqua contritionis sit calida. Hoc fit per conversionem in Deum, fide, spe, & charitate submixam. Hoc est, quod dicitur à Doctoribus, quia quatuor requisita sunt in contritione, conversio ad Deum, aversio à creatura, infusio gratiæ, & expulsio culpæ. Hunc calorem non habet aqua illorum, qui dolent de peccatis solo timore pœnæ.*

XLIII. *Joannes Nider* in 3. præcept. Decal. c. 8. *In attritione* sextum *requisitum est, ut sit motus liberi arbitrii in Deum, qui videtur maximè esse dilectio Dei super omnia.*

XLIV. *Nicolaus Dunkelspuel* de 4. partibus pœnit. *Confessio non est absolutioni utilis, nisi in pœnitente eam præcedat aliqua contritio, vel ad minus aliqua attritio. Sextum autem requisitum attritionis est motus liberi arbitrii in Deum; & videtur, quod ille motus liberi arbitrii in Deum maximè sit dilectio Dei actualis super omnia.*

XLV. *Dionysius Carthusianus* l. de stricta via salutis art. 24. *Vera contritio ex vera dilectione procedit, & ex odio culpæ atque affectu justitiæ. Qui salubriter*

briter confitetur & pœnitet, oportet, ut doleat de peccato, inquantum est Dei offensa, seu divinæ majestatis inhororativum. Et in Dial. de conversione peccatorum. *Paucissimi talium habent veram contritionem, & confitentur ex servili timore districtionis divini judicii, atque æterni supplicii, non ex vero zelo justitiæ charitateque Dei, sine qua nihil proficit ad salutem.*

XLVI. *Gabriel Biel* in 4. dist. 14. q. 2. postquam docuerat præter actus exteriores Sacramenti pœnitentiæ requiri ad justificationem peccatoris etiam actus interiores, de his sic discurrit: *Detestatio peccati à timore servili orta dicitur dispositio de congruo ad pœnitentiam non immediata, sed multum remota. Considerato, quod peccata sint Deo contraria, & divinæ majestatis offensiva, incipit peccator elicere peccati odium, & nolle peccasse propter Deum finaliter super omnia dilectum, & illa pœnitentia necessaria est ad peccati deletionem, quæ non potest esse sine dilectione Dei super omnia.*

XLVII. *Joannes Driedo* l. de redempt. generis humani tr. 4. p. 2. *Ex Scriptura discimus, in eo qui relapsus in mortalia crimina templum Dei sanctum violavit, oportet esse grandiorem cordis gemitum atque pœnitentiam, quam sit necessaria in eo, qui eadem crimina in paganismo perpetravit innovandus baptismi Sacramento. Proinde mensura quædam dilectionis Dei ac displicentiæ peccati sufficiens in eo, qui fide innovandus est baptismi lavacro, non esset sufficiens in relapso, qui reconciliatur pœnitentiæ remedio.*

XLVIII. *Godescalcus Rosemund.* in suo Confessionali edito 1525. c. 11. a. 2. *Attritio est quædam displicentia & dolor de peccatis etiam propter Dei offensam, non tamen sufficiens ad delendum peccata, & ad constituendum peccatorem in statu gratiæ; & differt à contritione primo ex parte liberi arbitrii, quod non cum sufficienti conatu dolet de offensa divina & crimine læsæ majestatis, sed imperfectè & remissè dolet. Secundò ex parte Dei, quia dolor gratia informatus dicitur semper contritio; licet non sit multum intensus.*

XLIX. *Joannes à Davendria* in Refut. art. 6. Confess. Augustanæ. *Est legis tum veteris tum novæ potissimum & imprimis necessarium opus, ut diligatur Deus super omnia, quo sine nemo justificatur. Qui enim non diligit, manet in morte.* Et in Refut. art. 12. *Nunquam inimicus reconciliatur, nisi prius diligat eum, quem prius odio persequebatur. Ideo tradunt* (Catholici), *non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat, sed quod oporteat eum ex toto corde dolere & converti ad Deum, ita ut non tantum timeat, sed diligat Deum.*

L. *Alphonsus à Castro* Hom. 3. in Psal. 32. anno 1550. sic scribit: *Si ad pœnitentiam solus timor gehennæ impulerit peccatorem, nunquam ille justificabitur, nec verus erit pœnitens, etsiamsi huic timori conjungatur præmii æterni amor & desiderium; propter quod si quis durissimam & acerbissimam ageret pœnitentiam non amore Dei; sed amore cœlestis præmii, quod sibi dari sperat, nunquam sic justificabitur.*

LI. *Viquerius* in Institut. ad Christ. Philos. anno 1552. hoc est, uno anno post Decreta Concilii Trid. de pœnit. sic scribit: *Contritio, ut est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ sic definitur: Est dolor de peccatis propriis voluntariè assumptus propter Deum summè dilectum cum proposito &c. Ex hac definitione apparet, quod contritio, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, est dolor propter Deum summè dilectum, & ideo oportet, quod sit maximus, non intensivè sed appretiativè. Quod si attritio dicitur dolor de peccatis voluntariè assumptus propter timorem servilem, attritio nunquam fit contritio. Si autem attritio dicatur dolor voluntariè assumptus propter Deum summè dilectum, sed non cum sufficienti & requisita intensione sive gradu, sic attritio per continuationem vel applicationem absolutionis fit contritio. Et sic intelligitur id, quod à Doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus.*

LII. *Joannes Medina* circa annum 1553. de pœnit. q. 4. *Videtur tenendum, quod pœnitentia neque cum Sacramento, neque sine illo potest de lege ordinaria ad salutem animæ valere, nisi in Deum summè dilectum sit relata.*

LIII. *Thomas Herental*, eodem tempore in *Speculo vitæ Christianæ* c. 3. ubi agit de præparatione ad Sacramentum pœnitentiæ requisita, nempe de peccatorum detestatione subjungit: *Hæc autem facienda sunt non metu gehennæ, vel alterius alicujus divinæ ultionis, nec quod ita fieri debeat ad assequendam vitam perennem, sed sola, libera, & ultronea Dei dilectione ex sincero proficiscente affectu, citra quam sane dilectionem nulla à Deo condonantur commissa.*

LIV. *Joannes Ferus* in Exam. Ordinand. *Pœnitentiæ quæ partes? Contritio, confessio, satisfactio. Contritio est dolor, quo homo commissa deflet & quodammodo in se dolendo vindicat. Hunc dolorem partim excitat timor, partim amor justitiæ.*

LV. *Gabriel Putherbæus* in l. de pœnit. anno 1557. de contritione Confessioni præmittenda ait: *Posteaquam peccator à timore transiit ad amorem, atque ex amore dolet de peccatis cum proposito vitæ melioris, accedere debet ad Sacerdotem, ut ab eo absolvatur.*

LVI. *Edmundus Auger*, Soc. Jesu in l. de pœnit. edito circiter anno 1567. enumeratis Sacramenti pœnitentiæ partibus c. 3. addit: *Plane certum est, quod ad obtinendam peccatorum remissionem necesse sit dolere de peccati enormitate, non solum ex intuitu pœnæ, cui per illud facti sumus obnoxii, sed etiam quia opponitur summo bono, quod est ipse Deus, cujus reformidare debemus offensam, ex quo super omnia ipsum diligere tenemur.*

LVII. *Martinus Eisengrein*, verus Apostolus Bavariæ; in suo Confessionali edito 1577. c. 4. q. 5. *Si quis hujus Sacramenti* (pœnitentiæ) *fructus particeps esse velit; primò necessaria est cordis pœnitentia. Secundò non sufficit alteri sive detestari peccatum propter ipsius turpitudinem, gehennæ metum, aut similem aliquam causam; sed conteri oportet, hoc est, peccatum odisse debemus propter Deum Optimum Maximum indignis modis à nobis offensum. Quod autem hæc contritio ex amore Dei debeat proficisci, & non ex metu supplicii tantum, clarè attestatur S. Augustinus.*

LVIII. *Navarrus in Manuali* edito 1575. c. 1. de contrit. n. 1. *Definimus contritionem esse pœnitudinem voluntariam peccati proprii quatenus est offensa Dei super omnia dilecti.* Et n. 36. *Pœnitentia de peccatis imperfecta potest vocari attritio. Est autem illa duplex. Altera eorum est, quos pœnitet mortaliter peccasse, sed non omnino statuunt, à peccatis abstinere. Altera eorum est, quos pœnitet peccasse, & statuunt*

non

non amplius peccare, non concipiendo peccatum super omnia alia detestabilia detestandum. Prima species prædictarum attritionum non sufficit ut per eam solam remittatur peccatum, imo neque per eam & absolutionem sacramentalem simul. Idem est dicendum de illa pœnitudine quam aliquis concipit ob id solum, aut saltem principaliter propter detrimentum honoris, quietis, aut utilitatis temporalis, aut propter metum infamiæ, laborum, pœnæ temporalis aut æternæ.

LIX. *Joannes Molanus* anno 1585. in Theol. pract. de pœnit. c. 7. concl. 2. *Omnes docent, de ratione pœnitentiæ esse dolorem detestationemque peccati, quia contra Deum est.* Et concl. 3. *Saniores Scholastici cum asserunt, virtute Sacramenti confessionis ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de attritione, quæ adjunctum habet affectum, quo pœnitens incipiat diligere Deum tanquam justitiæ fontem.*

LX. *Vivaldus* in Candelabro anno 1588. de Pœnit. §. de contrit. quærit: *Sufficiatne attritio, quæ concipitur tantum propter timorem inferni cum Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum?* Et respondet: *Secunda*, nempe negativa, *opinio mihi placet.*

LXI. *Stapletanus* l. 5. de justitia proleg. 1. explicans dispositiones ad obtinendam in baptismo justificationem requisitas ait: *Quinta dispositio est dilectio Dei, quatenus omnis justitiæ fons est. Probatur hujus dilectionis necessitas exinde, quod nulla potest fieri remissio peccatorum, nisi iis, qui sunt in charitate. An vero hæc dilectio disponens ad justitiam sit dilectio Dei super omnia, inter Scholasticos disputatur. Communis Scholasticorum sententia id affirmat.*

LXII. *Vitus Miletus* in l. *Mille sexcenti errores de Sacramentis*, edito anno 1593. dicit: *Verus non est dolor, qui ex timore, sed qui provenit ex amore. Detestandum est enim peccatum & metuendum non propter malum pœnæ sed culpæ.*

LXIII. *Authores* editionis Lovaniensis Operum S. Augustini ad l. 4. S. Aug. de bapt. c. 21. hanc apponunt observationem. *Augustinus charitatem generatim accipit pro dilectione, qua Deum tanquam omnis justitiæ fontem summumque bonum diligere incipiunt, cujusmodi & ante justificationem requirit Concilium Tridentinum.*

LXIV. *Estius* in 4. dist. 16. §. 9. *Quamvis timor gehennæ donum Dei sit, non tamen sufficienter hominem præparat ad peccati remissionem per Sacramentum pœnitentiæ consequendam. Quod autem Patres Tridentini requirant hanc Dei super omnia dilectionem tanquam dispositionem necessario prævium ad justificationem, apparet ex Sess. 6.* Estius obiit 1613.

LXV. *Philippus Faber* in 4. dist. 14. q. 2. Disp. 16. *Tota difficultas est, an attritio sit detestatio peccati propter Deum, ita quod includat dilectionem Dei? — Quod attritio sit ex dilectione Dei, probatur ex Concilio Tridentino, & ex communi sensu Theologorum. — Ideo cum attritio sit dispositio cum Sacramento sufficiens, necesse est, ut emanet ex charitate, & habeat pro motivo & fine dilectionem Dei.*

LXVI. *Archangelus Rubeus*, Episcopus Calensis, in 4. dist. 14. productis verbis ex Trid. Sess. 6. c. 6. *In conversione peccatoris actus charitatis necessarius est. Nam sine detestatione peccati propter seipsum, & inquantum est offensa Dei, quod teste D. Thoma ad charitatem pertinet, nunquam peccator veniam obtineret. — Postremò necessaria & ipsius Sacramenti actualis susceptio.*

LXVII. *Higuæus* in 4. dist. 14. q. 2. n. 119. *Sive attritio, sive contritio requisita ad remissionem peccatorum debet elici ex motivo charitatis, sive proximo, sive remoto, hoc est, elici vel imperari à charitate.*

LXVIII. *Joannes Poncius* Disp. 45. de pœnit. q. 3. conclus. 3. *Ut quis disponatur bene ad consequendam justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ, debet habere dolorem de peccatis ex motivo charitatis sive elicitè sive imperatè. Hæc est communis apud Scotistas.*

LXIX. *Gaugericus* in addit. ad Cajetanum V. Confessio & V. contritio. *Confessio ex solo pœnarum metu facta & non etiam ex amore Dei nulla est, adeoque iteranda. Talis enim non fit cum attritione.*

LXX. *Havermans* in Tyrocin. Theol. tr. 1. c. 6. *Si præjudicia deponantur, quis non dicet, à Scriptura & SS. Patribus, & à clarissima ratione conclusum esse pro insufficientia illius attritionis & pro necessaria conjunctione amoris justitiæ divinæ, seu Dei propter se dilectionis.*

LXXI. *Contenson* l. 11. p. 3. diss. un. c. 2. *Timor ex metu gehennæ conceptus sine aliquo amore & inchoatæ dilectionis motu ad justificationis gratiam recipiendam non sufficit, ne quidem in Sacramento ulla, nequidem pœnitentiæ.*

LXXII. *Steyart* in Theol. Mor. emend. *Varii varie contendunt praxin attritionis formidolosos tueri à vulnere, quod accepit per damnationem propos. 1. ex 65. Sed frustra omnes. Aliqui sufficientiam talis attritionis plusquam probabilem seu moraliter certam vocant. Gratis; ne quid gravius dicam. Alii practicè probabilem dicunt. Principium petunt. Negatur, practicè probabile esse, quod supponit valorem Sacramenti probabilem.*

LXIII. *Natalis Alexander* in Theol. Dogm. de pœnit. c. 4. a. 3. *Attritionem sine Dei amore saltem inchoato ad justificationem peccatoris in Sacramento non sufficere, probabilius est.*

His omnibus P. Pisport addit plusquam centum alios. Inter hos veniunt: 1. *Morinus*, de Sacram. pœnit. 2. *Christianus Lupus* Differt. de Attritione. 3. *Juenin*, de Sacramentis. 4. *Hugo Mathoud*, in observationibus ad Robertum Pullum. 5. *Van den Kerkove*, in Disquisit. de necess. attritionis dilectricis Dei. 6. *Carolus* ab Assumpt. in Triumpho Thomist. 7. *Joan. Schweitzer.* 8. *Florentius de Cocq.* 9. *Cabassutius* in Theoria Juris l. 3. c. 9. 10. *Antonius Wissingh*, in Medulla Theol. 11. *Gavardus*, tom. 6. Scholæ Ægidianæ. 12. *Girken*, in Summa Theol. tom. 3. tr. 5. q. 3. dub. 3. 13. *Henricus à S. Ignatio*, in Ethica amoris tom. 3. l. 5. 14. *Marcus Vidal*, in Arca vitali inquis. 3. 15. *Hugo Quarreus*, de pœnit. c. 5. 11. & 12. 16. *Le Jeune*, de pœnit. Serm. 15. & 18. 17. *Neesen*, tom. 5. de pœnit. 18. *White*, in Schismatis Anglic. redarg. de Sacram. 19. *De la Verdure.* 20. *Boudart.* 21. *Habert*, in Theol. Dogm. 22. *Joan. Pontas*, in Dictionario Casuum. 23. *Siminonet*, Soc. Jesu in Theol. tom. 3. 24. *Pisart*, in praxi pœnit. 25. *Graveson*, in approb. Lamberti le Drou &c. 26. *Serry*, in approb. confut. 27. *Campioni*, in Differt. & in Instruct. 28. *Schouaerts*, in Exam. Confessar. 29. *Moretti*, in Tribunali Conscientiæ. 30. *Berti*, in l. Theolog. Disciplinis. 31. *Schmitz*, in Theol. 32.

Prein-

Prenque, tom. 10. Theolog. 33. *Gislenus Dalmon*, tom. 8. Theol. 34. *Bertoldus Vogel*, Salisburgi Rector Magnificus, in Proleg. Theol. 33. *Du-Hamel*. 34. *Tournely*. 35. *Piette*. 36. *Wittasse*. 37. *Concina*. 38. *Pisport*. 39. *P. Milante*.

Hi omnes absolutè docent, in Sacramento pœnitentiæ ad justificationem præter timorem inferni requiri dilectionem initialem Dei. Possent longè plures adduci, si adducantur etiam illi Theologi, qui docuerunt, attritionem & contritionem non differre specie, seu ex motivo; vel illi, qui docuerunt, sententiam requirentium dilectionem probabilem esse. Si enim probabilis est, eoipso opposita non est moraliter certa & practicè tuta. Idem patet ex Dissertatione SS. D. N. BENEDICTI XIV. & ex Declaratione S. Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ hoc loco adjungo.

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

DISSERTATIO
DE NECESSITATE
AMORIS INITIALIS
IN ATTRITIONE.

I.

Sancta Tridentina Synodus Seff. 14. cap. 4. de reform duplicem distinguens contritionem, „ utriusque virtutem, & efficaciam, in hunc modum explicat: *Docet præterea, etsi contritionem „ hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò „ contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel „ ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, „ si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, „ & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, „ & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus „ viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere „ peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in „ Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

„ 2. Ex his Concilii Tridentini verbis celebris orta est quæstio, qualis sit illa attritio, quæ „ ad Dei gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam; disponit. Atque ut in primis, de „ ipso attritionis vocabulo aliquid dicamus, illud „ non esse antiquissimum, neque ante annum „ 1220. in Scholis vulgari cæptum, eruditi omnes „ optimè nôrunt, cum MORINO *de pænit.* lib. 8. „ cap. 2. num. 14. quod tamen per nomen significatur, & Patribus, & Theologis semper perspectum fuisse, nemo dubitat. Omnes quippe „ duplicem semper agnoverunt contritionem, „ unam perfectam, quæ ex se justitiam, & sanctitatem affert; alteram imperfectam, quæ sola „ homini justificando impar est; hanc verò con-

„ tritionem imperfectam, visum est Scholasticis, „ congruò vocabulò, appellare attritionem: *Sicut enim* (inquit ESTIUS in 4. distinct. 16. §. 9.) „ *in corporalibus attritum dicitur, quod aliquo modo, „ nempe forinsecus tantum, læsum est, aut comminutum; contritum verò quod totum intus, & foris fra- „ ctione in minima resolutum est, ita in spiritualibus „ attritio ab illis dicta est, imperfecta quædam, & ali- „ quo usque tantum progressa pœnitentia; contritio verò „ pœnitentia intima, & perfecta.*

„ 3. Porro ex multiplici capite potest hæc „ contritionis imperfectio dimanare: & primo „ loco valde imperfecta est contritio, quæ non „ est supernaturalis, sed unicè movetur ab objecto naturali, aut non elicitur viribus gratiæ. „ Hanc sufficientem non esse ad justificationis „ gratiam, tam extra, quam intra Sacramentum „ consequendam, omnes fatentur; est enim similis pœnitentiæ Antiochi, qui peccatum deflebat, non quod esset offensa Dei, sed propter „ gravissimum morbum, quo cruciabatur, qua de „ causa veniam à Deo non est consecutus. 2. Machab. c. 9. Et quamvis aliquot ex veteribus „ Scholasticis visi sint huic naturali attritioni vires tribuere, ad hominem Deo reconciliandum, „ eorum tamen opinio proscripta est ab Innocentio XI. qui anno 1679. hanc propositionem „ num. 57. damnavit: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Advertendum „ tamen, ne quis confundat motivum pœnitentiæ, cum occasione, qua ad pœnitentiam excitatur; etenim multi morbo, aliove temporali „ malo vexati, perpetrata crimina mente revolvunt, &, Dei gratia auxiliante, illa ex motivo „ superno, seriò detestantur, sicuti accidit Ninivitis, qui timore mortis temporalis, ac subversionis Urbis, quam Jonas prænuntiabat, commoti, per veram, sinceram, & supernaturalem „ contritionem ad Deum conversi sunt.

„ 4. Imperfecta pariter est contritio, quæ ab „ aliquo duntaxat peccatorum genere, non ab „ omnibus, voluntatem avertit; evenire enim „ potest, ut quis, ex speciali affectione erga aliquam virtutem, peccata eidem opposita detestetur, quin tamen propositum habeat, cætera „ præcavendi, quæ aliis virtutibus adversantur. „ Ac demum imperfectissima erit, nec contritionis nomen ea merebitur, quæ non procedat „ ex deliberata voluntate, sed potius sit quædam „ velleitas, seu sterilis atque inefficax displicentia de peccato, absque absoluto proposito in „ posterum non peccandi. Evidens porro est, „ neutram ex his posterioribus contritionibus ad „ justificationem prodesse; quia neutra excludit „ voluntatem peccandi, sicuti Tridentinum expostuit; neque ad illam pertinet pœnitentiam, „ quam à nobis exigit Dominus Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: „ projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in „ quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum.*

„ 5. Alia est contritio supernaturalis, & „ efficax, omnem excludens voluntatem peccandi, quæ nihilominus aliis nominibus dicitur „ imperfecta, & in quam unicè cadit controversia, quam proposuimus. Et PRIMÒ quidem

„ potest contritio esse imperfecta, imperfectione *merè negativa*; quia scilicet, etsi concipiatur ex eodem motivo charitatis, seu amoris Dei super omnia, ex quo concipitur contritio perfecta, ad istius tamen intensionis gradum non pertingit, sed est debilis, tenuis, & remissa. SECUNDÒ dicitur imperfecta; quia peccata detestatur propter Deum dilectum, non tamen *amore amicitiæ*, sed *concupiscentiæ*, hoc est dilectum, non quatenus est in se summe bonus, sed quatenus est bonum nobis, seu quatenus nostra felicitas, beatitudo, & finis ultimus. TERTIÒ, & plerumque, nomine contritionis imperfectæ, intelligitur dolor de peccatis unicè conceptus, atque elicitus propter eorundem turpitudinem, aut solum metum pœnarum & gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Verum hæc eadem contritio imperfecta potest ita moveri ex timore gehennæ, ut simul conjungatur, cum aliquo Dei *amore initiali*; quatenus scilicet voluntas, quæ peccata odit propter supplicia, simul fertur quodammodo in Deum, ut objectum diligibile, eumque incipit amare, quamvis nòndum amet amore perfecto charitatis. Difficile tamen est explicare hunc *amorem initialem*, nisi dicamus, eum esse verum actum amoris, sed debilem, tenuissimum, atque in minimo gradu; ac proinde hæc quarta species contritionis imperfectæ videtur ferè coincidere cum prima, ex nuper enumeratis; neque in alio ab ea differre, nisi quòd illa sit ex solo charitatis motivo, hæc verò admixtum quoque habet timorem pœnarum.

„ 6. His positis, quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam fatis esse contritionem imperfectam, quam jam tum *attritionem* nuncupabant: attritionis tamen nomine, nunquam dolorem intellexerunt de peccatis, aliunde excitatum, quam ex motivo charitatis, seu omnino sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore benevolo Dei, sicuti testatur doctissimus *Morinus* cit. lib. 8. cap. 4. num. 2. Omnium autem primi *Franciscus Victoria*, & *Dominicus Soto*, ambo ex ordine Dominicanorum docuerunt, ad peccatorum remissionem virtute clavium assequendam, satis esse attritionem merè servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ; modo tamen hæc à pœnitente, *bona fide reputetur contritio*, ad quam cæteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere, affirmarunt. At *Melchior Canus*, Victoriæ, & Soti sententiam secutus, eam præterea extendit ad attritionem merè servilem, sic cognitam, hoc est, quæ à pœnitente non existimetur vera contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis revera est. Enim verò, si materia proxima Sacramenti pœnitentiæ esset vera contritio, error pœnitentis, bona fide se contritum reputantis, cùm revera contritus non sit, eum quidem excusaret à culpa, sed non disponeret ad gratiam assequendam in Sacramento, quod ex defectu materiæ proximæ esset irritum; eo pacto, quo, qui solo elicito actu doloris merè naturalis, quem tamen credit supernaturalem, ad Sacramentum pœnitentiæ accedit, non fit utique Sacrilegii reus, sed Sacramenti effectu privatur, quemadmodum rectè ratiocinatur *Suarez* tom. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 4. num. 15. & seqq. Quamobrem, si ad Sacramentum pœnitentiæ sufficit attritio servilis, quæ reputetur contritio, ut voluit Sotus, necessariò inde consequitur, sufficientem etiam esse attritionem, merè servilem, ut docuit Melchior Canus.

„ 7. Melchioris Cani sententia vix nata, Scholas omnes pervasit, & tanto plausu excepta est, ut plurimos, ac magni nominis statim invenerit Patronos; *Sed præ cæteris* (inquit Morinus cit. loc.) *hanc opinionem celebrem reddiderunt duo Theologiæ Scholasticæ clarissima, & famosissima lumina, Franciscus Suarez, & Gabriel Vasquez, quos innumeri nunc sequuntur Theologi.* Verum, qui inter istos doctiores, & sapientiores habentur, pavidi quodammodo, & meticulosi, ac magna cum cautela illi recenti opinioni subscripserunt, quam ipsemet *Canus* non nisi dubitanter astruxerat part. 5. Relect. de pœnit. inquiens: *Ponitur contritio pars Sacramenti; quia est certa, & indubitata materia: quòd autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeo certum, & indubitatum, & ideo Concilium Florentinum, communisque sententia tenens certum, dimittens incertum, ponit contritionem partem hujus Sacramenti.* Hac eadem moderatione loquitur *Suarez* tom. 4. in 3. part. quæst. 90. art. 4. disp. 25. sect. 4. num. 17. ubi obligans fideles, qui lethalem culpam admiserunt, ad habendam contritionem charitate perfectam in articulo mortis, hanc affert rationem: *Nam, licet sit probabilis opinio, attritionem cognita cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa, quod si fortasse in re ita est, probabilis ista existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens, & videns, ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo morali æternæ damnationis: nam ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi; hic autem est morale dubium, cùm illa opinio nec valde antiqua sit, nec multum communis.* Suarezii monitum confirmat *Philippus Gamachæus* Summ. Theolog. cap. 8. de pœnitent. inquiens: *Etiamsi agnoscamus, Sacramentum pœnitentiæ revera facere ex attritis contritos, non tamen id omnino indubitatum. — Ergo debet tunc conari ad veram contritionem, ut hoc modo attritio saltem evadet certior.* Et *Paulus Comitolus* in Respons. moral. lib. 1. quæst. 32. licèt absolvi eum posse doceat, qui ex sola formidine æternæ pœnæ de peccatis dolet, hæc tamen prudenter addit: *Plures, magnique Theologi, in Pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt, neque usque adeò certum est, attritionem pœnitenti esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ esse debent veræ contritionis motum in corde pœnitentis, auxiliante Deo, elicere, ardentique eum adhortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia.* Sed quòd isti, tanta adhibita circumspectione, affirmarunt, posteriores Doctores ob auctum sibi consentientium numerum, animosiores facti, non solum absque ulla dubitatione, & limitatione asseruerunt, sed contrariam

„ sen-

„ tentiam, requirentem in pœnitente aliquem charitatis amorem, ſaltem *initialem*, carpere, & cenſura aſſicere non dubitarunt, eam omnino improbabilem, periculoſam, Trid●tini menti contrariam, atque implicitè, & virtualiter quodammodo ab eodem Tridentino proſcriptam, dictitantes. Verùm iſtos redarguit Cardinalis *Pallavicinus*, diſertè affirmans, unicum Tridentini Scopum fuiſſe damnare Hæreticos improbantes timorem ſervilem, tanquam inboneſtum; neutiquam ●erò definire controverſiam, jam tum inter Doctores Catholicos agitatam; lib. enim 12. *hiſt. Tridentini* cap. 10. num. 25. hæc ad rem appoſitè ſcribit: *Quantum ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem; non item ut ferret ſententiam de Scholaſtica quæſtione, an hujusmodi timor non ſolum absque contritione animi perfecta (de quo controverſia vix fuit, ſicut patebit) ſed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento. Id verò clarè liquet ex ipſa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat cap. 4. nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe, cùm certum eſſet, eo tempore, quo Sacramentum pœnitentiæ adhuc non exſtabat, eam formidoloſam pœnitentiam minimè ſuffeciſſe per ſe ipſam ad peccatum delendum, ſed vim tantummodo habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitas.* Teſtatur deinde idem probatiſſimus Hiſtoricus, ſuprà citatum decretum cap. 4. ſeſſ. 14. fuiſſe prius ita concinnatum, ut in eo diceretur; attritionem ex metu gehennæ, & pœnarum, *ſufficere*, ejusque loco ſubrogatum verbum, *diſponit*, quod profectò æquivocum eſt, & referri poteſt cùm ad diſpoſitionem proximam, tum ad remotam, ſicuti opportunè obſervant *Petrus Lambertus le Drou* in Tract. de Contrit. & Attrit. diſſert. 1. §. 1. & ſeqq. *Natalis Alexander* Theolog. Dogmat. & moral. lib. 2. de Sacram. pœnit. art. 3. propoſit. 5. *Juenin* de Sacrament. diſſert. 6. quæſt. 4. §. 3. *Tournely* Tract. de pœnit. quæſt. 5. art. 2. *Witaſſe* eod. Tract. quæſt. 3.

„ 8. Ad hæc, ut obſervant *Launojus* in diſſert. de mente Concilii Tridentini, circa contritionem, & attritionem part. 2. cap. 2. & cit. *le Drou* §. 3. ex ipſiſmet Patribus, & Theologis, qui Concilio Tridentino interfuerant, eodem Concilio abſoluto, aliqui propugnarunt neceſſitatem incboatæ contritionis, ſeu amoris initialis, ad Sacramentum pœnitentiæ, inter quos *Fridericus Nauſea*, Epiſcopus Viennenſis in Auſtria, in ſuo Catechiſmo, & *Franciſcus Sonnius* Epiſcopus Antverpienſis Tract. 4. de pœnit. cap. 6. alii pro ſufficientia attritionis merè ſervilis dimicarunt, uti *Andreas Vega*, & citati *Dominicus Soto*, & *Melchior Canus*. Non autem fuiſſent Præſules, & Theologi in has oppoſitas ſententias diſtracti, ſi quid à Concilio Tridentino, de hac re definitum, ſciviſſent.

„ 9. Cum itaque verſemur in quæſtione, ab Eccleſia hactenus non definita, jure ac meritò Alexander VII. die 5. Maji 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, præcepit: *Cunctis, & ſingulis fidelibus --- ut ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares, cæterosque erudient, non audeant alicujus theologicæ cenſuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam; ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur; ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec à Sancta Sede fuerit aliquid, hac in re definitum. Caveant proinde Epiſcopi, ne in ſuis Synodis, aut in Inſtructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis merè ſervilis ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficientia, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub Judice lis eſt: adhuc impunè pro una, & altera ſententia dimicatur.* Paucis antea annis Cardinalis *Gottus* Theolog. tom. 3. in 3. part. D. Thomæ, quæſt. 4. de contritione, dub. 4. §. 1. ſententiam propugnavit non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem ad juſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ aſſequendam. Hac ipſa in Urbe, Opera & Cura *P. Caroli Jacobi Romilli*, Ord. Min. Convent. Generalis Magiſtri, typis recuſſum eſt opus *Claudii Fraſſen* inſcriptum: *Scotus Academicus*; cujus Auctor tom. 10. pag. 563. ſtrenuè defendit attritionem ex ſolo metu pœnarum & gehennæ, atque ex amore concupiſcentiæ, ſeu affectu ſpei conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Sacramenti pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra verò Cardinalis *Benhoff* Epiſcopus Ceſenatenſis, in ſua *inſtructione Paſtorali*, de pœnit. Sacram. pag. 33. aliqualem amorem in attritione requirit, ut ſit ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ materia: Franciſcus Maria *Campioni* anno 1698. doctam elucubravit diſſertationem Theologico-Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*: & laudatus Petrus Lambertus *le Drou*, Epiſcopus Porphyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet diſſertationem, à Bartholomæo Rivio, ejusdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia attritionis, omnis charitatis expertis, ad validè & cum fructu recipiendum Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim Contradictorem ſe præbuit, aliisque editis diſſertationibus, ſan. mem. Clementi XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam, contendens, attritionem merè ſervilem, nec à Sacramento quidem vires ſortiri, quibus valeat hominem proximè diſponere, ad Dei gratiam, vel primò obtinendam, vel amiſſam recuperandam. Hinc rectè intulit *Berti* Theolog. tom. 7. lib. 34. cap. 5. nihil hactenus à Sede Apoſtolica, de hac quæſtione deciſum,

„ sed libertatem cuique datam, ex præfatis opi-„ nionibus eam eligendi & docendi, quam ma-„ luerit.

„ 10. Sed non ideo prohibentur Episcopi „ Confessarios monere, ut pœnitentes ad veram, „ & perfectam contritionem hortentur, & exci-„ tent: id siquidem faciendum suadent, etiam præ-„ cipui Auctores, qui pro sufficientia doloris, ex „ solo metu gehennæ, steterunt, uti *Suarez*, *Ga-„ machæus*, *Comitolus*, quorum testimonia suprà „ rctulimus. Et quod magis est, ita fieri præci-„ pit *Rituale Romanum*, jussu Pauli V. editum, „ Confessario injungens, ut audita pœnitentis Sa-„ cramentali confessione, ejusque peccatis dili-„ genter expensis, *opportunas correptiones, ac moni-„ tiones, prout opus esse viderit, paterna charitate ad-„ hibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus „ verbis adducere conetur*; cui consonat *Rituale Ar-„ gentinense*, editum à Cardinali *de Rohan* tit. de pœ-„ nit. §. 1. ubi hæc habentur: *Cæterum pœnitentes „ suos admonere non cessent Confessarii, ne se putent se-„ curos in Sacramenti pœnitentiæ perceptione, si præter „ fidei, & spei actus, non incipiant diligere Deum, „ tanquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur Sacrosan-„ cta Tridentina Synodus.*

Hucusque SS. D. N. Benedictus XIV. ex cujus verbis sequitur, sententiam eorum, qui putant sufficere attritionem conceptam ex metu inferni sine amore initiali non esse certam imo ne quidem *practicè tutam*. Cum enim hoc loco agatur de parte Sacramenti essentiali, ad fructuosam susceptionem Sacramenti, atque ad ejus valorem jure divino requisita, probabilitas oppositæ sententiæ efficere nequit, ut hic defectus requisiti essentialis suppleatur opinione vel authoritate humana.

Ad probandam incertitudinem oppositæ sententiæ annecto Censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis, quam exhibet in sua Theologia *Wittasse*. Ea sic habet:

CENSURA
Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis.

Adversus propositiones excerptas è Codicibus M. LE ROUX.

PROPOSITIO I. (A) *In id præcipuè probandum incumbemus, ut secundum omnium sæculorum traditionem, à solo timore vera sit pœnitentia; per timorem voluntas à creaturis verè avertatur, convertatur ad Deum; denique ab ipso timore vera sit justitia, ut est à charitate.*

CENSURA. Hæc propositio falsa est, scandalosa, temeraria, erronea: & quatenus ultimis verbis enuntiat parem esse virtutem timoris, & charitatis, ad justitiam obtinendam hæretica.

PROPOSITIO II. (B) *Cum verò hanc suscepperimus controversiam, ea mente præcipuè, ut charitatis cujusdam remissæ, sed prædominantis necessitatem è medio tolleremus; sufficit nobis advertere, nullum ferè Theologum, usque ad Jansenii Iprensis ætatem, ejusmodi charitatis necessitatem propugnasse; ex quo erit invictum argumentum adversus opinionem, quam impugnamus, novitatis scilicet.*

CENSURA. Hæc propositio quantum ad primam partem temeraria, scandalosa, Christianarum aurium offensiva: quantum ad secundam est falsa, sanctis Patribus, & antiquis Theologis injuriosa, & Auctoris ea in re inscitiam prodit.

PROPOSITIO III. (C) *Igitur, cum prædicta doctrina (quod scilicet timor non excludat affectum peccati) damnata sit, contraria doctrina vera censeri debet; quod nimirum timor pœnarum æternarum ipsum peccandi affectum excludat, adeoque & ipsa contritio ex eo concepta.*

CENSURA. Hæc propositio falsa est, erronea, doctrinæ Concilii Tridentini contraria.

PROPOSITIO IV. (D) *Christus hominum saluti faciliore ratione non consuluisset, si necessaria esset charitas prædominans, in Sacramento: -- nobis impositum fuisset jugum (amoris prædominantis) quod Judæis necessarium erat, simul & aliud maximè onerosum, quo liberi erant, nempe confessio.*

CENSURA. Hæ propositiones sunt falsæ, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, Spiritui legis novæ, & Passioni Christi contumeliosæ.

PROPOSITIO V. (E) *Nunquam à Theologis dictum, aut scriptum charitatem Dei super omnia, esse inchoatam, — hanc distinctionem (charitatis perfectæ, & imperfectæ) nulli ex antiquis Theologis tradidere. —*

CENSURA. Hæ propositiones falsæ sunt; sanctis Patribus, & Theologis, atque doctrinæ Concilii Tridentini adversæ.

PROPOSITIO VI. (F) *Si dolor attritionis motivo conceptus non esset vera pœnitentia, eo non esset usus duntaxat Deus, ut impios ad conversionem adduceret: alia quoque motiva proposuisset; cum juxta adversarios sint necessaria: atqui tamen &c. — Profectò noverat Deus, cum ab impiis conversionem exigeret, necessariam esse affectus peccati depositionem; tamen illius conversionis motiva non proposuit, nisi motiva attritionis — nec est, quòd immoremur in ea calumnia refellenda, qua nostram sententiam relaxationis accusant. An relaxationis ipse Deus accusandus erit, qui solius attritionis motivis per Prophetas & Apostolos ad pœnitentiam adhortatur?*

CENSURA. Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ, impiæ, & hæreticæ.

PROPOSITIO VII. (G) *Eandem sententiam (scilicet attritionem ex solo pœnarum timore conceptam sufficere ad obtinendam in Sacramento pœnitentiæ justificationem) tradit Catechismus trium Episcoporum.*

CENSURA. Hæc propositio est falsa, temeraria, injuriosa tribus Episcopis, & aliis, qui suum fecere hunc Catechismum, in quo contraria doctrina apertè, & disertè continetur.

PROPOSITIO VIII. (H) *Dummodo tuta sit in praxi sententia, non tenemur tutiorem sequi — dubium non est, attritionem sufficere, quod evidenter probavimus.*

CENSURA. Hæc propositio ea in parte, in qua Auctor affirmat, dubium non esse, quin attritio amoris Dei expers sufficiat in Sacramento pœni-

pœnitentiæ, & hanc opinionem tutam esse in praxi, est falsa, perniciosa, temeraria, & doctrinæ Concilii Tridentini adversa.

PROPOSITIO IX. (I) Loquens de pœnitentia Davidis, quam veram fuisse inficiari nemo potest; *ibi*, inquit, *nulla mentio charitatis, cujus motivo ad compunctionem cordis excitatus fuerit David* --- ad objecta sibi omnia Veteris Testamenti loca, quibus Deus à Judæis exigit conversionem ex toto corde, novum cor, spiritum novum, respondet, sermonem non esse de amore charitatis etiam remissæ: *Imo*, inquit, *si textus objectos perpendamus, facile agnoscetur, conversionem illam ex toto corde niti, non charitatis motivo, de quo nulla ibi mentio; sed motivis puræ attritionis -- locus Deuteronomii attritioni apertè favet --- vides ibi motiva charitatis non proponi ad conversionem ex toto corde, sed sola attritionis motiva, timorem nempe iræ divinæ.*

CENSURA. Hæ propositiones quatenus absolutè enuntiant, Deum ad justificationem Judæorum nihil aliud, quàm attritionem exegisse, falsæ sunt, temerariæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ.

PROPOSITIO X. (K) *Ex his constat, timorem pœnarum æternarum, qui attritionis motivum est, esse initium, & coronam sapientiæ.*

CENSURA. Hæc propositio est falsa, erronea, & Verbi divini sensum pervertit.

PROPOSITIO XI. (L) *Ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ comparandum contritio fictitia, ed à pœnitente invincibiliter putata, ut vera, sufficit. Hinc novitatis arguitur illa ejusdem auctoris* (Juenini) *sententia, qua contendit contritionem fictitiam, quæ invincibiliter putatur vera, non sufficere ad effectum Sacramenti percipiendum.*

CENSURA. Hæc propositio falsa est, fidelibus perniciosa, & in quantum peccatori veniam absque vera conversione cordis pollicetur, hæretica.

PROPOSITIO XII. (M) *Per præceptum dilectionis tenetur homo in quibusdam circumstantiis actum dilectionis Dei elicere; & illæ circumstantiæ sunt primus rationis usus, & mortis imminens periculum.*

CENSURA. Hæc propositio, qua restringitur obligatio eliciendi actum dilectionis Dei ad duas vitæ circumstantias, est scandalosa, perniciosa, erronea, & præcepto amoris Dei contraria.

PROPOSITIO XIII. (N) *Instat Juenimus, sequi ex ejusmodi argumento hominem, qui quadraginta annis in impietate peractis, Sacramentalem absolutionem attritus tantum reciperet, & subitò mortali morbo correptus amitteret rationis usum, salvari; quamvis nusquam, ne in ipso quidem vitæ exitu, Deum dilexerit, justificatus enim ille est nostra sententia, adeoque jus habet ad felicitatem æternam.*

(O) *Id quidem ultro fatemur --- nullum est prorsus inconveniens, ut salvetur, quia non tenetur præcepta dilectionis formalis, & explicitæ, nisi cum ei facultas adest illud observandi: facultas non adesse supponitur; ergo ei vitio verti non potest, quod actum dilectionis non elicuerit; alias Deus juberet impossibilia.*

CENSURA. Hæc propositio est scandalosa, christianarum aurium offensiva, erronea, & præcepto dilectionis Dei contraria.

PROPOSITIO XIV. (P) *In eo errant adversarii, quod supponant, quasi evidens esset agi de justificatione interna Ninivitarum. Agitur duntaxat de ipsorum cum Deo reconciliatione quantum ad temporalia.*

CENSURA. Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, verbo Dei contraria.

PROPOSITIO XV. (Q) *Illud Sapientis effatum Eccles. 5. Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem: secundum interpretes consilium est, non præceptum: præterea, etsi præceptum esset, censetur ille differre conversionem suam, qui statis temporibus non convertitur. Statuta illa tempora sunt necessitatis casus, mortis periculum, confessio peccatorum facienda --- & is casus est annua confessio ab Ecclesia præcepta --- item cùm urget lex recipiendi aliquod Sacramentum vivorum, & quoties munus incumbit saltem ex officio aliquod Sacramentum administrandi.*

CENSURA. Hæc propositio quoad primam partem, qua absolutè enuntiatur, effatum Ecclesiastici consilium esse non præceptum, falsa est, temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, erronea, scripturæ sensum depravat, & impœnitentiæ finalis periculum inducit. Quoad secundam partem, quæ præceptum conversionis coarctat ad mortis periculum, ad annuam confessionem, & alios paucos casus ibi designatos, itidem falsa est, temeraria, scandalosa, & perniciosam salutis negligentiam inducens.

PROPOSITIO XVI. (R) *Nec ullis in casibus* (disciplinam dandæ absolutionis ante satisfactionem) *mutare cuivis licet, nisi fortè pœnitens consentiat.*

CENSURA. Hæc propositio falsa est, scandalosa, peccatorum emendationi noxia, Ecclesiæ praxi, & potestati clavium adversa.

PROPOSITIO XVII. (S) *Testimonium Joannis* (1. *Epist. c.* 3. *Qui non diligit, manet in morte*) *de fraterna charitate formali, & explicita non agit, --- vult solum excludi odium proximi.*

CENSURA. Hæc propositio est falsa, scandalosa, perniciosa, scripturæ sensum, depravat, & præcepto dilectionis proximi contraria est.

Cæterùm non intendit Sacra Facultas probare alias propositiones, quæ extant in Codicibus sibi exhibitis à M. le Roux, quarum aliquas tum Deputati, tum alii Magistri observaverunt censura dignas.

Datum in Comitiis Generalibus S. Facultatis die 16. Julii anni 1716. Confirmatum die 23. ejusdem mensis.

(A) de attrit. propos. 2. prob. 3.
(B) Dissert. 2. probat. 6. ex Theologis post Concil. Trid.
(C) ibid. prob. 4. ex Bullis Summ. Pontific.
(D) ibid. probat. ult. ex rationibus Theolog.
(E) de attritione proposit. 2. probat. 2.
(F) ibid. de attrit. propos. 2.
(G) ibid. probat. 5.
(H) ibid. probat. ult. ex rationib. Theolog.
(I) de attritione propos. 2. probat. 1.

(K) de attritione propof. 2. probat. 1.
(L) Differt. 2. q. 1. art. 2. de proprietatibus contrit. propof. 1. in controverf. pecul. de contrit. ad juftific. in Sacram. Pœnit. requifita propof. 2. prob. 6. ex Theolog. poft Concil. Trid.
(M) Differt. 2. q. 1. art. 2. prob. ult.
(N) ibid.
(O) in refponfion.
(P) de attrit. probat. 2. ad inftant. ult.
(Q) de contrit. neceffit. propof. refponf. ad object. 2.
(R) art. 2. de fatisfact. effent. de fatisfact. miniftro.
(S) de attritione prob. 1. ex fcript. facr. object. 2. ad inftant. 1.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Etfiamfi fententia requirentium dilectionem in attritione fit probabilis, poteft tamen fententia oppofita effe tuta practicè. Ergo ex adductis authoritatibus nihil probatur. *Ant. prob.* Confeffarius poteft licitè abfolvere pœnitentem, qui utitur difpofitione dubia, & fic vult fe exponere periculo latè dicto non obtinendi gratiam Sacramentalem extra articulum mortis. Ergo. *Ant. prob.* negativè, quia non poteft oftendi convincens ratio, cur id non liceat. Ita Vasquez in 1. 2. q. 19. a. 6. Difp. 63. c. 2.

Respondeo n. a. *ad prob.* n. a. Nam talis Confeffarius ex triplici titulo mortaliter peccat. Primò, quia fine neceffitate relinquit pœnitentem in ignorantia probabilius vincibili circa effentiale requifitum ad veram converfionem. Secundò, quia non monendo pœnitentem de obligatione dolendi ob fummi boni offenfionem relinquit eum fine neceffitate in periculo amittendæ falutis æternæ. Tertiò, quia agit contra tacitum contractum cum pœnitente initum, eum conftituendi quantum moraliter fieri poteft, in ftatu gratiæ. Accedit, quod impoffibile fit, pœnitentem fciente Confeffario fequi fententiam probabilem in fufceptione Sacramenti, quin eo ipfo etiam Confeffarius fequatur fententiam probabilem in confectione Sacramenti, cum ftante dubio de fufficientia attritionis etiam dubius fit valor abfolutionis. Id verò extra cafum neceffitatis effe illicitum patet ex propofitione damnata ab Innocentio XI. *Non eft illicitum in Sacramentis conficiendis fequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nifi id vetet lex conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc fententia probabili tantum utendum non eft in collatione baptifmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epifcopalis.* Denique non eft ratio cur potius peccet Sacerdos, exponendo ejusmodi praxi animam alienam periculo gravis damni ex fruftratione Sacramenti, quam fufcipiens, fine ulla neceffitate exponendo animam propriam tali periculo.

Objicitur 2. Authores hucusque citati non impediunt, quin fententia oppofita fit moraliter certa. Ergo eft practicè tuta. *Ant. prob.* Nonnulli ex adductis authoribus nituntur falfo principio, quod in Sacramento pœnitentiæ requiratur *per fe* contritio perfecta ac juftificativa, quod eft nimium; alii funt fufpecti de Bajanifmo, Janfenifmo, vel Quesnellifmo; refidui autem obruuntur numero authorum oppofitæ fententiæ, pro qua *Gormaz* enumerat authores centum fexaginta, & communi fenfu ac praxi Ecclefiæ. Ergo.

Respondeo n. a. *ad prob. quoad primum*, nego, id anthores affumpfiffe per modum principii. Eam enim doctrinam, quod in Sacramento pœnitentiæ *per fe* requiratur contritio juftificativa, non affumpferunt tanquam principium, fed tanquam fequelam ex alio principio, quod omnis, qui non diligit, maneat in morte, & quod non poffit dari vera deteftatio peccati ac converfio ad Deum, nifi per amorem Dei. Itaque fi ex hoc principio per modum fequelæ deduxerunt *nimium*, feu id, *quod eft plus*, manifeftum eft, quod eoipfo etiam eruerint, *quod eft minus* & *æquum*, nempe quod faltem requiratur *dilectio Dei initialis* non juftificativa. *Quoad fecundum* id pertinet ad calumnias. Id patet ex eo, quia nulla in his authoribus poteft oftendi propofitio Bajanam, Janfenianam, vel Quesnellianam doctrinam fapiens, quam tenuerint poft damnationes eorum errorum. Si omnes illi forent de errore fufpecti, qui aliquando docuerunt aliquam propofitionem damnatam, Gormazio inter fuos centum fexaginta authores vix decima pars remaneret. Accedit, plerosque authorum, quos citavimus, fcripfiffe ante controverfias Bajanas, Janfenianas, & Quesnellianas; inter reliquos verò vix reperiuntur tres aut quatuor, qui ad illas vel uno verbulo propius aliquando accefferint. *Quoad tertium* oftendit P. Pisport, multos imo plerosque illorum authorum, quos P. Gormaz pro oppofita fententia citat, etiam pro noftra fententia allegari poffe ac debere. Cum enim præcife dicant, fententiam de fufficientia attritionis meticulofæ effe *probabilem*, vel ad fummum, *eam effe probabiliorem*, id Gormazio fufficit ad eos in fuum rete attrahendos. At verò hæc ipfa ratio P. Pisportio meritò fufficit, cur fuis annumeret. Si enim fententia præfata eft folum probabilis aut probabilior, etiam noftram effe probabilem neceffe eft. Si autem noftra eft probabilis, eoipfo oppofita non eft moraliter certa, adeoque nec practicè tuta, cum agatur de valore Sacramenti poft relapfum ad falutem neceffarii, nec concurrat moralis impotentia fequendi tutum. Quod attinet *ad fenfum ac praxin communem Ecclefiæ*, potius invertitur argumentum in ipfos adverfarios. Certum enim eft, plerosque fideles in formula attritionis, quam ex veteri more Ecclefiæ recitare folent poft confeffionem, proteftari Confeffariis, *fe dolere, quod Deum fummum bonum offenderint*. Dolere autem *propter offenfam Dei*, pertinet ad charitatem pront D. Thomas obfervat. Præclarum eft de hac praxi Ecclefiæ teftimonium P. Francisci Henno, Ordinis S. Francifci, dum Tract. de pœnit. Difp. 4. q. 6. art. 9. fic fcribit: *Vix unus in toto orbe utitur pro hujus Sacramenti perceptione folo attritionis motu cognito ut tali. A viginti quinque annis fatis affiduè confeffiones excipio, & ne unum reperi, qui fola attritione fuerit contentus, licet ab omnibus mihi incognitis actum doloris exegerim voce expreffum. Quod mihi accidit,*

fane

fine accidit & aliis. Et Joannes Bosco de Pœnit. Disp. 6. Sect. 3. Conclus. 4. dicit: *Experientia testatur sollicitudinem Confessariorum circa dolorem à pœnitentibus eliciendum ex motivo amoris amicitiæ etiam extra articulum mortis.* Ex his sequitur; non in hoc allaborandum esse Parochis & Confessariis, ut mutent vel omnino rejiciant formulam attritionis ab antiquissimis temporibus consuetam, sed ut eam bene explicent.

Objicitur 3. Plures ex authoribus supra relatis, v. g. *Tournely, Habert* &c. in Sacramento pœnitentiæ tantum requirunt *amorem spei*, quo pœnitens in Deo suam salutem seu beatitudinem collocat ac desiderat. Ergo juxta illos authores non requiritur dilectio initialis, quæ pertineat ad virtutem charitatis, quod solum est in quæstione. Imo nullus est Author etiam oppositæ sententiæ, qui non libenter in attritis ex metu gehennæ admittat concomitantem ejusmodi *amorem spei, amorem concupiscentiæ*, seu amorem spei.

Respondeo dist. a. requirunt tantum *amorem spei*, quem illi erroneè putant, solum pertinere ad virtutem spei. c. qui revera tantum pertinet ad virtutem spei. n. Ostensum enim est in Tract. de Spe & Charitate, etiam desiderium summi boni tanquam sui finis ultimi pertinere ad charitatem, quæ nil aliud est, quam *constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus amicitiæ practicos*, inter quos requiruntur partim actus benevolentiæ, partim actus concupiscentiæ. Cæterum non est verosimile quod Habertus & Tournelius, dum in pœnitente requirunt amorem concupiscentiæ, in eodem non requisierint simul amorem benevolentiæ; hoc est, actualem voluntatem Deo tanquam summo bono exhibendi actus amicitiæ practicos.

QUÆSTIUNCULÆ.

Quæritur 1. Unde sumatur *Etymologia* attritionis & contritionis?

Respondeo. Sumitur ab *attritione* & *contritione* durorum corporum, v. g. lapidum. Quando enim corpus durum intimè conteritur in minimas partes, vocatur *comminutio* & *contritio*. Econtra quando solum exterius aliquæ partes abraduntur, vocatur *attritio*. Sic quando durities cordis imperfectè & non totaliter comminuitur, vocatur solum attritio. *D. Thomas* in 4. d. 17. q. 2. a. 1. qq. 1. C.

Quæritur 2. An Patres Theologiæ Scholasticæ & Veteres Theologi ante Tridentinum nomine *contritionis* semper intellexerint *perfectam*?

Respondeo. Veteres illi Theologi frequenter sumpserunt nomen *contritionis* genericè, prout convenit tam contritioni imperfectæ quam perfectæ; usitatius tamen id acceperunt *antonomasticè* pro *contritione perfecta*. Sic enim v. g. quærunt, an *attritus* per Sacramentum pœnitentiæ *fiat contritus?* an *attritio* fiat *contritio?* an charitas remissa sufficiat ad *contritionem?* ubi manifestum est, sermonem esse de contritione perfecta.

Quæritur 3. In quo sensu Theologi antiqui docuerint; in Sacramento pœnitentiæ *attritionem* fieri *contritionem?* & ex *attrito* fieri *contritum?*

Respondeo. Id ab eis sic intelligi, quod contritio ante susceptionem Sacramenti nondum informata per gratiam ex Sacramento fiat informata per gratiam sanctificantem, quæ gratia cum sit effectus ac characteristicon charitatis divinæ erga hominem amatorem Dei, denominat etiam contritionem *formatam charitate infusa*. Verum in eo non conveniunt; utrum idem numero actus contritionis per plura instantia continuatus possit fieri charitate informatus; an verò tantum idem specie? *D. Thomas* censet; tantum eundem specie actum, cum priori tamen continuum, posse informari charitate. Sed *Albertus M.* putat; etiam eundem numero actum posse ab initio esse informem, in fine autem formatum charitate. In 4. dist. 16. a. 8. C. sic scribit: „Meo judicio „unus & idem dolor in substantia potest esse attritionis & contritionis, sicut etiam fides informis potest etiam fieri formata. Tamen pro „utraque parte sunt opinantes; sed quod dictum „est, mihi probabilius videtur. — Videtur „mihi, quod dolor attritionis potest fieri dolor „contritionis; quia attritio non ponit formam „aliquam circa dolorem, sed tantum dicit carentiam formæ, quæ est gratia; & hoc patet ex „eo, quod per privationem definitur, cum dicitur, quod attritio est dolor de peccato non „informatus gratia." Idem docet *Scotus* in 4. dist. 14. q. 2. §. *ad hujus.* his verbis: „Etsi manet „idem motus contra peccatum in esse naturæ & „moris, qui prius fuit attritio, in illo instanti, „usque ad quod Deus determinavit attritionem „debere durare, fit contritio; quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, & ita actus formatus, quia habens secum charitatem, quæ est „forma actus, ut hic loquimur. Ibi tamen oportet distinguere signa naturæ inter actum, ut est „talis in esse naturæ & moris; & inter charitatem, & inter actum ut est formatus; quia in „primo signo naturæ est ibi actus talis; in secundo charitas; in tertio actus formatus à charitate jam inclinante & inhærente. Et sic attritio „fit contritio sine omni mutatione reali ipsius „actus." *S. Bonaventura* in 4. dist. 16. p. 1. a. 2. q. 3. ad 2. sic scribit: „Ad illud, quod quæritur, „an attritio fiat contritio? Dicendum, quod istud „tripliciter potest intelligi. Aut quod habitus, „quo quis atteritur, formetur, & illo conteratur, sicut fides informis fit formata; & hoc „credo verum. Credo enim, quod habitus pœnitentiæ informis per adventum gratiæ informatur. Secundo modo potest intelligi quantum ad actum substratum. Et hoc concedo; „quod actus in principio fui est attritio, sed antequam interrumpatur, fit contritio. Sicut „patet de motu, quo quis vadit ad Ecclesiam, si „infundatur ei gratia in via. Tertio modo intelligi potest quoad conditionem superadditam, „quod opus illud, qua parte mortuum est, fiat „vivum; & hoc impossibile est, quia pars illa „motus transit, & fuit informis, & nunquam „formatur, quia non resumitur idem quod transit. *D. Thomas* etiam in 4. dist. 17. q. 2. a. 1. qq. 3. negat eundem actum voluntatis posse manere per plura instantia. Per hoc tamen non negat, eundem actum ex suo genere sine mutatione essentiali

tiali ac ſpecifica motivorum ex informi poſſe fieri formatum. In 4. diſt. 17. q. 1. a. 4. qq. 2. C. ſic ſcribit: „Qualitates, quæ ſimul introducuntur „cum forma ſubſtantiali quodammodo formantur per formam ſubſtantialem. Et ſicut qualitas prædicta ante ſui conſummationem, & formæ introductionem non erat formata ſed informis; ita etiam eſt de motu liberi arbitrii, ſi tamen continuatus in fine perficiatur per gratiæ infuſionem. Nec eſt inconveniens; quia eſt ſit aliquo modo idem ſecundum genus naturæ; non tamen eſt idem ſecundum genus moris. Contingit enim unum motum ſecundum genus naturæ eſſe virtutis & vitii ſecundum genus moris, ſicut patet de illo, qui cundo ad Eccleſiam mutat intentionem de malo in bonum.

Quæritur 4. Quænam ex his duabus ſententiis ſit præferenda?

Respondeo. Mihi præplacet Sententia *Alberti M.* & *Scoti*, quod idem numero actus contritionis poſſit durare per plura inſtantia; ac proin tranſire ex non informato gratia in formatum gratia. Neque abſurdum eſt; eundem actum eſſe meritorium & non meritorium pro diverſis inſtantibus, ſicut non eſt abſurdum eundem conſenſum conjugalem poſita acceptatione alterius partis tranſire in Sacramentalem; aut eandem propoſitionem mentalem tranſire de falſa in veram.

Quæritur 5. An in juſtificatione peccatoris prior ſit contritio perfecta; an verò infuſio gratiæ?

Respondeo. In juſtificatione peccatoris datur mutua prioritas inter infuſionem gratiæ, & inter contritionem. Nam ordine naturæ prior eſt infuſio gratiæ, quæ contritionem informat ac perficit in *ratione meritorii*, & in *ratione propoſiti efficacis*, & in *ratione juſtificativi ſeu remiſſivi peccatorum*. Econtra contritio *ordine materiali ac diſpoſitionis* eſt prior infuſione gratiæ; quia ſic prior eſt materia receptiva formæ. Id patebit ex textibus D. Thomæ & aliorum proximè referendis. Cum autem loquimur de contritione vel dilectione perfecta, & imperfecta, ne fiat æquivocatio, ex ſubjecta materia & ex contextu colligendum eſt, an ſit ſermo de perfecta quoad perfectionem materialem actus, vel de perfecta quoad perfectionem formalem ex informatione gratiæ.

Quæritur 6. Quis ſit ordo actuum & cauſarum in juſtificatione?

Respondeo. In juſtificatione reperitur hic ordo actuum & cauſarum. Nam 1. datur motio divina ad actum charitatis. 2. Voluntas aſſentiendo huic motioni ſe ſubjicit gratiæ Dei in ordine ad ejus motiones etiam futuras. 3. Gratia ſanctificans ſe unit huic actui conſenſionali voluntatis. 4. Ea unio ſeu informatio habet tres notabiles effectus; nam reddit *actum meritorium* ac dignum Deo; ſecundò reddit eum actum *efficaciter* deteſtativum peccati, & operativum actuum amoris, ac demum reddit eundem actum *liberum à culpa*. 5. Affectio charitatis cauſata per motionem divinam, & informata per gratiam ſanctificantem relinquit in anima habitum charitatis ſtabilem, *quoad eſſe materiale* habitus *acquiſitum*; *quoad eſſe formale* autem, hoc eſt, in ratione meritorii, ac efficaciter operativi, ac in ratione principiati per gratiam, *infuſum*; utpote, qui eſt à motione divina principiatus, & per gratiam ſanctificantem meritoriè ac efficaciter operativus. Hanc eſſe Ideam de juſtificatione apud D. Thomam & alios antiquos Theologos eximios, ex eorum textibus patet mox referendis. *D. Thomas* in 4. diſt. 17. q. 1. qq. 2. C. ſic docet: „Vocatio eſt duplex. Quædam *exterior*, ut quæ fit per prædicationem. Et hæc non eſt juſtificatio. Quædam verò *interior*. Et hæc nihil aliud eſt, quam inſtinctus vel motus ad bonum à Deo immiſſus. Et hæc etiam vocatio, quando non pertingit ad finem ſuum ex vocati defectu, non eſt juſtificatio, ſed via ad illam. Quandoque autem pertingit ad finem, quando ſcilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Chriſtum, ut dicitur Joa. 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Et hæc vocatio idem eſt quod juſtificatio quoad ſubſtantiam; ſed differt ratione, quia vocatio dicitur, ſecundum quod per infuſionem gratiæ & auxilium homo à peccato retrahitur; ſed juſtificatio reſpicit terminum ad quem, ſcilicet prædictæ rectitudinis ſtatum. Et ſic vocatio ſumitur ad Rom. 8. Auxilium enim fidei, quod nos vocando Deus præſtat, eſt gratia, quæ facit fidem per dilectionem operari. *Et ibid. qq.* 1. C. Juſtificatio de ſui ratione importat motum ad juſtitiam, ſecundum quod juſtitia importat quendam ſtatum rectitudinis in homine, prout aliqua pars animæ ſuo ſuperiori ſubditus, ſive ipſi Deo. Unde hæc juſtitia *generalis* dicitur, inquantum omnes virtutes includit. Et ad hanc juſtitiam motus juſtificatio dicitur." Ex his textibus patet, quod *primum* in juſtificatione ſit motio divina ad dilectionem Dei, ac univerſalem juſtitiam, hoc eſt, ad actus & habitus omnium virtutum; & quod in juſtificatione terminus ſeu ultimum ſit hæc ipſa generalis juſtitia, cujus materiale eſt aſſenſio actualis ad motionem gratiæ, perſeverans in habitu inchoato aquiſito; formale autem, tribuens vim ac efficaciam illi aſſenſioni, & rationem dignificativam in eſſe meriti, gratia eſt ſanctificans. Idem confirmatur ex eo, quod S. Doctor l. cc. ad 1. ſcribit: „Tota illa rectitudo à voluntate originaliter eſt, quæ eſt principium merendi & demerendi; ſed etiam eſt in aliis partibus animæ quaſi rectificatis, ſicut in ſubjecto. *Et ad* 3. Juſtificatio poteſt ſumi dupliciter. Vel ſecundùm quod reſpondet ad juſtificari, & ſic dicit motum ad juſtitiam prædictam. Vel ſecundum quod ſumitur ad juſtificatum eſſe, & ſic eſt effectus formalis juſtitiæ prædictæ, quia ea aliquid formaliter juſtificatum eſt, ſicut albedine albatum. Sicut autem ab eſſentia animæ potentiæ fluunt, ita rectitudo potentiarum à gratia, (ſanctificante), quæ eſt eſſentiæ (animæ) perfectio (accidentalis) & inter ipſas potentias (animæ etiam eſt perfectio) ipſius voluntatis, quæ alias movet, & eis rectitudinem quodammodo largitur. Et ideo prædictæ juſtitiæ cauſa prima eſt gratia, & conſequenter charitas, quæ voluntatem ad finem perficit, à quo eſt rectitudo prædicta. Et propter hoc ipſa „juſtifi-

„ justificatio & peccatorum remissio est effectus „ justitiæ generalis, sicut causæ formalis proximæ; sed charitatis & gratiæ, sicut causarum „ causæ proximæ." Ex hoc textu iterum patet, quod in justificatione *primum* sit gratia actualis, seu motio divina ad charitatem. *Secundum* assensus gratiæ actuali per amorem Dei. *Tertium* gratia sanctificans, informans actum amoris & potentias. *Quartum* rectitudo formalis voluntatis & aliarum potentiarum. *Quintum*, remissio peccatorum. Idem in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 2. ad 2. „ Voluntas nostra omnino pedissequa est respectu „ divinæ gratiæ, & nullo modo prævia, quia ipsa „ voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem „ præcedit, ex Deo nobis provenit, qui gratuita sua voluntate nos ad hoc provocat vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori aut exteriori. Nec tamen voluntas hæc est prævia sed pedissequa respectu gratiæ gratum facientis, quia „ non est causa ipsius, sed aliqualiter ad ipsam „ viam parat (nempe per modum dispositionis ex „ parte materiæ hujus concreti, quod est actus „ rectus per ordinem ad finem supernaturalem.) *Ibid. ad* 3. „Dicendum, quod sine gratia gratum „ faciente non potest rectè à mortalibus vita duci, secundum quod ly rectè importat rectitudinem ad finem ultimum; potest tamen etiam sine „ ea rectè aliquid agi rectitudine, quam habet „ actus ex materia & circumstantiis & fine debito; „ sed non sine gratia quæ dicitur gratuita Dei voluntas. *Ibidem a.* 3. *qq.* 2. *C.* Gratia quæ datur „ ad rectè vivendum & peccatorum remissionem „ (nempe sanctificans) per prius respicit voluntatem, quam alias potentias. Et ideo infusio „ gratiæ fit per modum, qui voluntati competat; & propter hoc oportet, quod omnis ratio violentiæ excludatur. Ad hoc autem oportet, quod patiens cooperetur agenti. Unde „ requiritur actus voluntatis ad gratiam suscipiendam, animam ad Datorem ordinans. Et ideo „ ad justificationem requiritur motus liberi arbitrii in Deum. *Ibid. qq.* 3. *C. & ad* 1. Sequitur „ justificatio ad motum liberi in Deum. Movetur autem mens in Deum & per intellectum, & „ per affectum. Unde cum actu fidei in justificatione semper adjungitur actus charitatis, & his „ duobus anima Deo appropinquat." Ex his patet, quod ad motionem divinæ gratiæ actualis sequatur affectus amoris erga Deum per modum dispositionis ad gratiam sanctificantem. Docet autem præterea, quod cum affectu amoris simul per eandem motionem gratiæ debeat excitari alia dispositio, nempe detestatio peccatorum, quæ & ipsa per modum dispositionis prioritate naturæ præcedat infusionem gratiæ sanctificantis. *Ibid. qq.* 4. *C.* „In justificatione, qua justificatur impius, „ oportet esse dispositionem duplicem; unam ad „ introducendam gratiam, scilicet motum liberi „ arbitrii in Deum; alteram ad expellendam culpam, scilicet motum liberi in peccatum. *Et ad* 1. Fervor dilectionis de necessitate secum „ conjunctum habet odium contrarii; & ideo fervor dilectionis ad dimissionem culpæ non operatur sine detestatione, quæ directè dimissioni „ culpæ respondeat. *Et ad* 2. Conversio ad „ Deum sufficit ad gratiam obtinendam, quantum in se est; sed requiritur conversio ad peccatum, quasi removens impedimentum." Ex his ergo patet, quod etiam detestatio peccati præcedat infusionem gratiæ sanctificantis. Verum nec affectio amoris erga Deum, nec detestatio peccatorum de se est meritoria, ac sufficiens ad remissionem culpæ, & promerendam gloriam essentialem in Deo, ideo in ordine ad remissionem culpæ, & meritum gloriæ, & rectificandum efficaciter hominem, prioritate naturæ præcedit infusio gratiæ sanctificantis tam affectionem amoris, quam detestationem peccati. Ibid. a. 4. qq. 1. sic scribit: „Cum infusio gratiæ & remissio culpæ se habeat, sicut inductio unius formæ & expulsio alterius, constat, quod secundum ordinem causæ materialis remissio culpæ „ præcedit infusionem gratiæ. Sed secundum „ ordinem causæ formalis, efficientis, & finalis „ infusio gratiæ natura prior est. Et propter hoc „ invenitur utrumque dici causa alterius. Infusio enim gratiæ est causa remissionis culpæ per „ modum causæ formalis; sed extirpatio vitiorum dicitur operari ingressum virtutum per modum causæ materialis. Ex parte causæ materialis se tenet omne illud, per quod materia „ efficitur propria hujus formæ, sicut disponens, „ & remotiones impedimentorum. *Et ibid qq.* 2. „ C. De ordine motuum liberi arbitrii ad gratiæ „ infusionem & remissionem culpæ est multiplex „ opinio. Quidam enim dicunt, quod motus „ prædicti præcedunt; & concedunt, quod motus liberi arbitrii in Deum est motus fidei non „ formatæ, sed informis; & motus liberi arbitrii „ in peccatum est motus attritionis, non contritionis; quia omne quod præcedit gratiam non „ potest esse per gratiam formatam. Sed hoc „ (quod motus liberi arbitrii in justificatione sit „ tantum motus attritionis, aut motus quidem „ contritionis, sed simpliciter præcedens justificationem) non potest esse, quia in ipso motu „ contritionis justificatur pœnitens, sicut in ipso „ actu ablutionis baptismalis justificatur puer baptizatus. Sed motus attritionis præcedit quasi „ præparatorius. Nos autem nunc non loquimur de præparatoriis ad justificationem, sed de „ his quæ intrant substantiam ejus. --- Dicendum, quod aliquo modo gratiæ infusio & culpæ „ remissio præcedunt; aliquo autem modo (præcedunt) isti motus. Cum isti motus sint quasi „ dispositio ultima ad gratiæ susceptionem, suo „ modo præcedunt quidem in via causæ materialis; sed sequuntur in via causæ formalis; (quia in ordine ad effectum contritionis perfectæ aut Sacramentalis, videlicet *remissionem culpæ*, & *meritum gloriæ*, & *efficaciam propositi*, causalitas pro priori est in forma quam in materia, & materia non agit in ordine ad effectum, nisi in virtute formæ.) *Idem in* 2. *Sent. dist.* 29. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. *ait:* „Dicimus, quod potentia naturalis hoc „ modo se habet ad gratiam, quod ipsa subministrat substantiam actus, & gratia præbet efficaciam merendi, informando actum." Hic textus est summe notabilis, quia testatur, ipsum actum informari gratia.

QUÆRITUR 7. Quid sit illa charitas, quæ in

in justificatione dicitur infundi simul cum gratia sanctificante?

RESPONDEO. Charitas, quæ cum gratia sanctificante infunditur, in primo signo rationis nil aliud est, quam actus amoris, seu actualis dispositio recta voluntatis ad eliciendos actus amoris erga Deum supernaturales, primariò causata & informata per gratiam. In secundo autem signo nil aliud est quam recta dispositio voluntatis ex præcedente actu amoris per modum habitus physici relicta, primariò tamen causata & informata per gratiam. Id patet ex textibus D. Thomæ q. 3. 1. & 5. & hic relatis.

QUÆRITUR 8. Quid sit charitas habitualis seu habitus charitatis & habitus aliarum virtutum, qui cum gratia sanctificante infunduntur?

RESPONDEO. Habitus infusus charitatis & habitus aliarum virtutum infusi, sunt nihil aliud, quam habitus ex actu contritionis inchoati seu inchoativè ope gratiæ actualis præcedentis aquisiti, & per gratiam sanctificantem informati. In infantibus verò baptizatis illi habitus infusi sunt nihil aliud, quam propensiones innatæ ad omne genus virtutis auctæ, confortatæ & informatæ à gratia sanctificante. PROBATUR HÆC RESPONSIO 1. Charitas infusa est nihil aliud, quam concretum ex amore Dei erga hominem & ex amore hominis erga Deum, in quo concreto amor hominis erga Deum est materiale; amor autem Dei erga hominem, expressus per gratiam sanctificantem, est formale; quia in homine. Ergo etiam charitas habitualis est nihil aliud, quam dilectio habitualis, seu habitus *inchoativè aquisitus*, informatus à gratia sanctificante, *antecedens* suppono ex Tractatu de Charitate. 2. SS. Patres nullam agnoverunt charitatem habitualem nisi habitualem *dilectionem*, seu *habitum dilectionis aquisitum* à gratia sanctificante informatum, ac roboratum, & dignificatum seu elevatum ad esse meritorium, prout *Thomassinus* in Tom. 3. Dogmatum Theol. tr. *de gratia*, manifestè evincit. 3. *D. Thomas*, ubi agit de habitibus infusis parvulo baptizato, dicit, quod loco motuum liberi arbitrii in Deum propensio naturalis ad virtutem serviat gratiæ sanctificanti pro subjecto informationis. Ergo etiam in adultis propensio aquisita ex actu contritionis servire potest pro subjecto informationis ad constituendum habitum charitatis, in quo cæteri habitus saltem quoad formale includuntur. S. Doctor de pueris in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. qq. 2. C. dicit: „In illis, quæ sunt nata recipere tantum, sicut materia prima, sufficit inclinatio naturalis ad formam. Unde, quando voluntas non habet contrarium, sicut est in pueris, potest infundi gratia per Sacramentum." Hoc loco D. Thomas agnoscit, quod naturalis inclinatio sit dispositio receptiva gratiæ per modum formæ, ex qua informatione necesse est oriri concretum, quod vocamus habitum. 4. D. Thomas agnoscit, quod dilectio habitualis sit susceptiva gratiæ in dormiente. Ergo etiam dilectio habitualis jam transacto actu contritionis est retentiva formæ prioris, nempe gratiæ sanctificantis, in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. qq. 2. ad 3. sic scribit: „Per baptismum etiam adulti gratiam suscipere possunt in dormiendo; quia quamvis non adsit actualis dispositio ex actuali motu libero voluntatis; adest tamen habitualis dispositio ex motu libero præcedente, qui quandoque ad gratiam (extra Sacramentum) percipiendam sufficienter disponit; & tunc gratia infunditur statim: quandoque autem insufficienter. Et tunc talis insufficientia non potest suppleri nisi per alium motum liberi arbitrii, vel per Sacramentum." 5. Si charitas habitualis in adultis non consisteret in complexo ex habitu inchoativè aquisito, & gratia sanctificante tanquam forma, deberet consistere vel in sola gratia sanctificante, vel in speciali qualitate absoluta. Sed neutrum potest dici. Non primum, quia gratia sanctificans est formalis effectus charitatis Dei erga hominem, non hominis erga Deum, qualis est charitas habitualis, utpote numerata inter habitus virtutum infusos. Nec secundum, quia non est assignabilis finis & effectus illius qualitatis, qui non possit haberi per solam gratiam sanctificantem. Nec enim tribuit universim facile posse independenter ab actu præcedente; nec se habet per modum gratiæ actualis perpetuæ, illuminantis & excitantis. Contrarium enim monstrat natura qualitatis. Neque etiam necessaria est, ut dignificet actus in esse meritorio, vel ut tribuat jus ad gratias actuales, quia ad hos duos fines sufficit gratia sanctificans. Ergo rectius dicitur, habitus illos infusos consistere in complexo ex habitu aquisito primario causato per gratiam, & ex gratia sanctificante tanquam forma, quæ ut in priori Quæstiuncula ex D. Thoma vidimus, perficit & informat non solum ipsam animam, sed etiam ejus potentias, ad quas referuntur habitus aquisiti, primariò tamen causati per gratiam eò quod ordo intrinsecus efficax in illis reperiri non possit, nisi causentur per vires gratiæ.

NEQUE DICAS 1. Per unicum actum contritionis & amoris erga Deum non statim obtineri *habitum aquisitum charitatis*, & aliarum virtutum. Id enim NEGO. Manifestum enim est; ex actibus frequentatis nasci habitum perfectum. Ergo ex uno actu, præsertim tam ferio, & tam efficaciter directivo ad universam justitiam, & totalem rectitudinem, ad quam homo se subjiciendo motibus gratiæ animum præparat, jam inchoatur habitus charitatis in quo involvuntur cæteri.

NEQUE DICAS 2. Quod est aquisitum, non est infusum. Ergo si illi habitus infusi consisterent partialiter in habitu aquisito; non deberent dici infusi. RESPONDEO enim retorquendò. Quod est creatum, non est generatum; vel productum à natura. Ergo si ignis, flos, arbor &c. consisterent partialiter in materia prima, quæ est creata, totum non esset generatum. IN FORMA. c. ant. n. C. quia denominatio tribuitur toti, etsi non conveniat omnibus partibus. Error ergo adversariorum consistit in eo, quod habitus illos existiment esse ens simplex, cum sit concretum, ubi habitus aquisiti sunt ipsum *materiale*, gratia sanctificans ipsum formale. RESPONDEO dist. quod est aquisitum simpliciter. c. quod est aquisitum tantum secundum quid. n. Illi habitus sunt tantum aquisiti, secundum suum esse materiale, non secundum suum esse formale seu supernaturale.

NEQUE DICAS 3. Hunc terminum, *infundi*, nunquam adhiberi, nisi infundatur aut ens simplex,

simplex, aut totum concretum secundum materiam & formam. Respondeo enim idnegando; sic enim dicitur infundi novus spiritus vitæ, novus vigor, novæ vires, clara dies &c. quamvis hæc omnia consistant in concreto, cujus jam magna pars prius ante infusionem præexstiterit. Dummodo adveniat forma completiva concreti.

Quæritur 9. Quid sit gratia sanctificans, quæ confertur in justificatione?

Respondeo. Esse varias sententias. Prima est P. Platinæ Ord. S. Francisci, in Universitate Paduana Theologiæ Professoris primarii, qui docet, gratiam sanctificantem nil aliud esse, quam ipsum Spiritum Sanctum specialiter applicatum animæ justæ in ordine ad varios effectus amoris divini erga hominem. Hæc sententia videtur habere fundamentum in Scriptura; quia dicitur: *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Joan. 14. v. 23. *Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum, habitat in vobis, suscitabit corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Rom. 8. v. 11. Dein quotiescunque est sermo de collatione gratiæ sanctificantis, semper in Scriptura dicitur; *conferri Spiritus Sanctus, accipi Spiritus Sanctus, anima ungi Spiritu Sancto, anima signari Spiritu Sancto &c. accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 20. *Qui natus est ex Spiritu.* Joan. 3. *Per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. v. 5. *Si Spiritus Dei habitat in vobis.* Rom. 8. v. 9. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Rom. 8. v. 14. *Accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater.* Rom. 8. v. 15. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* Rom. 8. v. 16. *Spiritus adjuvat infirmitatem, Spiritus postulat pro nobis.* Rom. 8. v. 26. *Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. Cor. 3. v. 16. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* 1. Cor. 6. v. 19. *Dedit pignus Spiritus in cordibus.* 2. Cor. 1. v. 22. & 5. v. 5. *Charitas Dei & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* 2. Cor. 13. v. 13. *Quoniam estis filii Dei, misit Deum Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Gal. 4. v. 7. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Gal. 5. v. 25. *Signati estis Spiritu promissionis.* Eph. 1. v. 13. *Nolite contristare Spiritum Sanctum in quo signati estis.* Eph. 4. v. 30. *Impleamini Spiritu Sancto.* Eph. 5. v. 18. *Dedit Spiritum Sanctum in nobis.* 1. Thess. 4. v. 8. *Per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* 2. Tim. 1. v. 14. *Participes facti sunt Spiritus Sancti.* Heb. 6. v. 5. *In illo manet, & ipse in eo; & in hoc scimus, quoniam manet in nobis ex Spiritu, quem dedit nobis.* 1. Joan. 3. v. 24. *In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* 1. Joan. 4. v. 13. *Qui unxit nos, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus.* 2. Cor. 1. v. 22. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto.* Act. 10. v. 38. Hæ expressiones, cum sint constantes circa idem objectum, ostendunt, non esse locutionem metaphoricam, sed propriam. Metaphoris enim, ut sale, utimur, non constanter. Secunda Sententia est Philosophorum Naotericorum, qui putant; gratiam sanctificantem esse quandam modificationem animæ. Tertia est communis Sententia Theologorum, quod gratia sanctificans sit qualitas, cui quilibet Theologorum adscribit suas proprietates. Aliqui enim eam considerant per modum *vestis* characteristicæ filiorum Dei; alii per modum *lucis*, alii per modum *pignoris*; alii per modum *absolutæ qualitatis*, activæ, inclinantis ad bonum & influentis in actus bonos, alii eam considerant per modum *qualitatis relativæ*, seu entitatis modalis, hoc est, per modum *unionis accidentalis*, & *applicationis*, qua Spiritus Sanctus se applicat animæ ad stabiliter in ea operandum, donec expellatur per peccatum mortale.

Quæritur 10. Quæ sit in hac re verior sententia?

Respondeo. Quamvis juxta modum loquendi Patribus & Scripturæ familiarem abstrahendo à subtilitatibus Scholasticorum, qui res divinas juxta naturam earum metaphysicam considerant, non sit improbabilis P. Platinæ sententia, quod gratia sanctificans sit ipsa *substantiva*, ut loquitur in Tract. de Incarnat. *Spiritus Sancti præsentia*, philosophicè tamen loquendò videtur, quod consistat in entitate seu qualitate relativa, nempe in quadam unione seu applicatione Spiritus Sancti ad animam, prout in *Tractatu* de gratia fusè explico, & ex ipso D. Thoma ostendo.

Quæritur 11. An habitus infusi in justificatione sint æqualis perfectionis & activitatis in omnibus pœnitentibus?

Respondeo. Non sunt æquales. Ratio est, quia, ut dictum est quæstiuncula 8. habitus infusi *quoad esse materiale* consistunt in habitibus inchoativè aquisitis; *quoad esse formale* autem in gratia sanctificante. Hæc verò concreta sunt inæqualis perfectionis; quia materiale horum habituum differt plurimum.

Quæritur 12. An detur status medius inter cœlum & infernum pro adultis decedentibus cum sola attritione? aut cum solo peccato originali sine peccato actuali mortali?

Respondeo. Non datur status medius. Ratio est, quia in Scriptura divisio judicandorum est adæquata in *damnandos ad ignem æternum*, & in *salvandos per regnum cœlorum*; nec potest ex tota Scriptura proferri textus, qui præbeat vel suspicionem de loco intermedio. 2. Quicunque negligunt diligere Deum amore perfecto, aut se subjicere perfectè voluntati divinæ, merentur damnationem æternam. Ergo nemo potest eximi à damnatione æterna existens in originali, aut in statu attritionis; quia licet non habeat peccatum mortale commissionis, aut si quod incurrit, hoc seriò detestetur, eoipso tamen sub damnatione & anathemate est, quod negligat amare Deum amore perfecto, seu quod idem est, se subjicere perfectè beneplacito divino, juxta illud: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* 1. Cor. 16. v. 22. Eadem autem est ratio de amore Dei.

Si dicas. Nimis esse difficile, ut homo paratus ad servanda omnia mandata Dei, & detestans omnia peccata, & dilectione initiali se convertens ad Deum, rejiciatur à Deo ad pœnas æternas. Respondeo dist. Difficile hoc est, si inter alia mandata etiam seriò ac *efficaciter* velit servare mandatum dilectionis, & justitiæ, inter alia peccata seriò ac *efficaciter* detestandò peccatum *omissionis* quoad observationem primi mandati

& justitiæ. e. secus. n. si enim talis homo seriò vellet servare mandatum dilectionis perfectæ, & justitiæ, ac seriò detestaretur peccatum omissionis oppositæ, eoipso actualiter vellet placere Deo in omnibus, seque subjiceret in omnibus beneplacito ac motioni divinæ, aut si sit barbarus, in omnibus vellet vivere juxta ductum rectæ rationis, quæ omnia sunt motus animi convertibiles aut synonimi cum perfecto amore Dei. Vellet præterea pro viribus satisfacere justitiæ divinæ, prout ordo justitiæ exigit. Si ergo hoc negligit, eoipso non habet seriam voluntatem servandi omnia mandata.

QUÆRITUR 13. An sit de fide; nullum dari ejusmodi statum medium pro ejusmodi hominibus imperfectè amantibus Deum, aut omnino ignorantibus vel non advertentibus manda tum dilectionis perfectæ, aut justitiæ.

RESPONDEO. Fuisse inter Patres, ac etiam inter Theologos, qui hunc statum medium admiserunt, aut qui de existentia hujus status medii dubitarunt, quorum sententia tamen, licet expressè damnata non sit, videtur tamen morali certitudine contineri in propositionibus per Scripturam, aut Concilia generalia damnatis. In Scriptura enim expressè dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 4. Et in Matth. 25. dicitur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos ab invicem, & statuet oves à dextris; hædos autem à sinistris. Et ibunt hi in supplicium æternum. Justi autem in vitam æternam.* Et in Concilio Florentino in *Decreto Unionis* dicitur: *Definimus, illorum animas, qui post baptismum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, vel, si verè pænitentes in Dei charitate decesserint, & purgatæ sunt, in cœlum mox recipi, & intueri clarè Deum. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Cæterum authores qui statum medium admiserunt, sunt hi 1. S. GREGORIUS NAZIANZENUS, qui Orat. 40. in Baptisma scribit: *Postremi*, (qui quidem rectè vivunt, sed propter ignorantiam vel ob alium casum fortuitum baptismum non possunt suscipere) *nec cælesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficientur, utpote qui licet* (baptismo) *signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam potius passi fuerint, quam fecerint.* Idem fecit *Melchior Canus*, Episcopus, qui interfuit Tridentino, & suum Tractatum de *Sacramentis in genere* edidit finito Concilio anno 1563. Part. 2. in *Respons.* ad argum. coot. Conclus. 3. sic scribit: „Respondemus; non esse eandem rationem etiam Evangeliô promulgatô de remissione „peccatorum, & æterna finalique salute. Non „enim omnia, quæ ad hanc consequendam exiguntur, ad illam alteram sunt necessaria; eò „quod illa, ut modo dicebamus, in temporis „puncto cuique adest facienti quod in se est. „Hæc verò secundum divinæ procurationis ordinem per media quædam temporaria & successiva administratur. Quocirca mirum non est, „si testimonia ad justificationem hujus vitæ momentaneam relata de fide Christi implicita intelligantur; relata verò ad futuræ æternæ vitæ „salutem intelligantur de fide explicita." Idem sentire videtur *Alensis & Richardus*, ac etiam S. *Augustinus* Hom. 50. inter 50. & in *Enchiridio* dubitare videtur; an non sit differentia inter eos, qui perventuri tantum sunt *ad vitam æternam*, sed non regnaturi, & alios, qui perventuri sunt *ad regnum æternum*, ita ut sint regnaturi, quamvis ambo ad idem regnum pertineant.

QUÆRITUR 14. An Gentiles & Turcæ per contritionem salvari possint?

RESPONDEO. Si faciant quod est in se, ut placeant Deo, & ea de causa, quia displicent Deo, detestentur peccata, velintque pro viribus satisfacere Deo pro offensa juxta ordinem justitiæ divinæ, ac cæteroquin habeant ignorantiam invincibilem de Fide Catholica, juxta *D. Thomam* possunt salvari. Nam inprimis docet, quod Gentilis possit salvari per votum baptismi implicitum, ut docet 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. ubi ait: „Siqui salvati fuerunt, quibus revelatio „non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide „mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam, „in divina providentia credentes Deum esse liberatorem secundum modos sibi placitos. *Et in* „*4. dist. 28. q. 1. a. 4. ad* 3. Si aliquis in barbaris „nationibus natus, quod in se est faciat, Deus „ipsi revelabit, quod est necessarium ad salutem „vel inspirando, vel Doctorem mittendo." Determinatè verò circa contritionem Gentilium in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. qq. 2. ad 4. sic scribit: „Dicendum quod recta intentio ad finem ultimum „determinatè perducens non pôtest esse sine fide. „Sed tamen finis ultimus, scilicet Deus, potest „esse in intentione ejus etiam, qui fidem non „habet, per generalem vel naturalem cognitionem, quam de Deo habet. Unde etiam ille, „qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, si secundum „suam cognitionem peccatum ipsi displiceat, & „in Deum affectus ejus feratur." Ibidem qq. 3. C. dicit; quod gratia sanctificans cuivis debitè se præparanti ad gratiam necessariò conferatur, non necessitate absoluta, sed *necessitate ex suppositione divini propositi*, quo decrevit, *unicuique eam conferre juxta suam capacitatem.* Et hinc dicit; *necessarium esse, ut cuilibet materiæ præparatæ forma infundatur.* Verùm quantam, & quam perfectam contritionem à quovis Gentilium ex speciali misericordia Deus acceptare velit? Et num uniformiter summo jure utatur exigendô eam, quam *Quæstione* 4. & 5. descripsimus, nôverit Deus. Id verò ex hac doctrina COLLIGENDUM EST, 1. pacta Gentilibus servanda esse. 2. fidem Gentibus, non subditis, armis obtrudendam non esse. 3. Laborandô ad conversionem Gentilium media violenta, perturbativa recti ordinis, aut justitiæ naturalis, tentanda non esse. Hæc omnia sequuntur ex eo; quod Gentiles, si laborent ignorantia invincibili mysteriorum fidei, & serio velint placere Deo modo meliore quo possunt, salvari possint. Verùm, quid liceat Christiano Principi erga infideles, fusius actum est in *Tract. de Fide.*

QUÆRITUR 15. Utrum contritus sic debeat esse comparatus, ut potius æternum velit in inferno esse, quam committere culpam?

RESPON-

Respondeo. Culpa peccati mortalis, inquantum est offensiva Dei, debet magis displicere, quam æterni cruciatus inferni. Ratio est, quia culpa illa ex suo genere est majus malum, quam cruciatus inferni. Si verò sermo fit de electione practica in casu, in quo alterutrum eligendum esset, vel æterni cruciatus inferni, vel culpa mortalis, respondendum est ejusmodi cogitationi vel interrogationi, eam stultam & blasphemam esse. Si enim Deus imponeret homini innocenti ejusmodi obligationem, aut subeundi æternos cruciatus inferni, aut committendi culpam mortalem, eoipso non esset Deus, sed tyrannus. Si autem non esset Deus, nec daretur potentia infinita, me detrudendi ad æternos cruciatus, imo nec daretur culpa Theologica. Itaque ad tales quæstiones conditionatas seu hypotheses, quæ seipsas destruunt, respondendum non est, sed negandum est suppositum, in eo casu fore Deum aut culpam. Quia verò ejusmodi quæstiones scandalizant simplices, à mentibus fidelium longissimè arcendæ sunt, quia Deus non vult, multò minus amat, tendentias stultas & blasphemas. Cæterùm responsio est quoad rem D. Thomæ, qui in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. qq. 1. ad 4. sic scribit: „Quantitas displicentiæ de re aliqua „debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius. „Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex „eo, in quem peccatur, inquantum est ei indigna, & ex eo, qui peccat, inquantum est ei „nociva. Et quia homo debet plus Deum, „quam se diligere, ideo plus debet odire culpam, inquantum est offensa Dei, quam inquantum est nociva sibi. Est autem nociva sibi „principaliter, inquantum separat ipsum à Deo; „& ex hac parte ipsa separatio à Deo, quæ pœna quædam est, magis debet displicere, quam „ipsa culpa, inquantum hoc nocumentum inducit. Et etiam considerandum, quod quædam „pœnæ inseparabiliter habent conjunctam Dei „offensam, sicut separatio à Deo. Quædam „etiam addunt perpetuitatem, sicut pœna inferni. Pœna ergo illa, quæ offensam annexam „habet, eodem modo vitanda est, sicut & culpa; sed illa, quæ perpetuitatem addit, est magis quam culpa simpliciter fugienda. Si tamen „ab eis separetur ratio offensæ, & consideretur „tantum ratio pœnæ, minus habet de malitia, „quam culpa, inquantum est offensa Dei; & propter hoc minus debet displicere," (*displicentia* videlicet *speculativa*, qua res æstimatur ut est in se, *non practica*, qua unum eligitur præ alio; quia in praxi in nulla providentia ac hypothesi ratio offensæ potest separari ab æternitate pœnarum). Vide dicta in Tractatu de charitate Disp. 8. q. 1.

Quæritur 16. An contritus debeat esse ita dispositus, ut potius vellet perpeti omnia tormenta tyrannorum, ac dœmonum, quam peccare?

Respondeo. Contritus debet ita esse dispositus, ut velit potius omnia mala perpeti, quæ à Deo justè ac sapienter & paternè immitti possunt, quam peccare. Non verò tenetur potius velle omnia mala eligere, quæ à Deo immitti non possunt justè, sapienter, ac paternè, seu talia, quæ non possunt à Deo immitti sine destructione suarum perfectionum. Suppono autem; Deum semper agere cum harmonia omnium suarum perfectionum; ita ut si vel unica omitteretur vel destrueretur, eoipso destruerentur reliquæ, ac consequenter Deus, ac consequenter ratio offensæ divinæ, prout ad qq. 15. dictum est. Cæterum bene *advertit D. Thomas*, non esse consultum, ut pœnitens sibi repræsentet, vel illi repræsententur distinctè omnia mala ac supplicia potius subeunda, quam peccatum; ne exinde sumat occasionem nimis gravis tentationis, mentibus debilioribus periculosæ. In 4. dist. 17. q. 2. a. 3. qq. 1. ad 4. sic scribit: „Sciendum est, quod quamvis talis debeat esse contrito dispositio, non tamen de his tentandus „est; quia homo affectus suos non facile mensurare potest; & quandoque illud, quod magis „displicet, videtur magis displicere; quia est „propinquius sensibili nocumento, quod magis „est nobis notum." Et *Albertus M.* in 4. dist. 16. a. 34. ad Quæstionem; an contritio debeat esse tanta, ut pro nulla re vellet peccare? sic respondet: „Hic loqui cautè oportet, ut veritas „salvetur, & nullus injiciatur laqueus desperationis. Dico igitur sine præjudicio; quod rationes inductæ (pro affirmativa sententia) irrefragabilem concludunt veritatem secundum „doctrinam Catholicam: tamen Sacerdos hujusmodi quantitatem non debet exigere, ut coram se profiteatur pœnitens; sed in habitu debet eam per signa in ipso supponere; licet forte pœnitens propter novellam ejus conversionem non adhuc eandem experiatur in actu. Si „verò pœnitens profiteatur, se esse in ambiguo; „utrum cederet vel sustineret, antequam peccaret; puto, quod salva res est; quia illius ambigui causa est timor naturalis, quem magis experimur in actu, quam charitatem. Ideo talis „jam signum habet charitatis, quæ causat ambiguum; & tamen adjutorio Dei sustineret. Dico autem; sufficere ambiguum; quia nullus „certus est, utrum cederet vel sustineret; sicut „dicit Augustinus in l. de S. Virginitate. Si autem ex deliberata conscientia dicat; se certum „esse; quod potius peccaret; istum non credo „esse contritum; & nullam percipere remissionem peccatorum.

Quæritur 17. An contritio possit esse nimia?

Respondeo. Contritio sensibilis potest esse nimia; sed rationalis non potest esse nimia. Ita D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. qq. 2. C. „Contritio, *inquit*, ex parte doloris, qui est in „ratione, non potest esse nimia, sed quantum „ad dolorem sensibilem potest esse nimia; sicut „etiam exterior corporis afflictio, potest esse nimia. In his enim omnibus debet accipi pro „mensura conservatio subjecti & bonæ habitudinis sufficientis ad ea, quæ agenda incumbunt, „& propter hoc dicitur; rationabile obsequium „vestrum. Rom. 12.

QUÆRITUR 18. An contritio debeat esse major de uno peccato, quam de alio?

RESPONDEO. Affirmativè. Ita D. Thomas l. cc. qq. 3. ubi ait: „Secundum quod contritio singulatim singulis peccatis respondet, sic requiritur, quod de majori peccato quis doleat magis. Alio modo contritio est simul de omnibus, sicut in actu justificationis; & hæc contritio vel ex singulorum peccatorum consideratione procedit; & sic, quamvis sit actus unus, tamen distinctio peccatorum manet virtute in ipso; vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum; & sic etiam habitualiter est magis de uno, quam de alio. *Et ibid. ad* 2. Sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit, plus & minus, secundum eorum ordinem in bono communi. *Et ibid. a.* 5. *qq.* 3. *ad* 2. Hoc sequitur ex necessitate, quod unus homo plus doleat de peccato majori quam de minori, secundùm quod magis repugnat amori, qui dolorem causat.

QUÆRITUR 19. An pœnitens teneatur conteri de singulis peccatis distinctè? an verò sufficiat; de iis conteri in confuso?

RESPONDEO. Pœnitens tenetur conteri de singulis peccatis distinctè. Ratio est *primò*, quia contritio est actus virtutis reparativæ ac medicinalis; virtus autem reparativa sanitatis internæ debet attingere distinctè omnia genera & omnia individua vulnerum. *Secundò*, homo tenetur confiteri distinctè singula peccata, haud dubiè dolenter, & cum affectu aversionis. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. qq. 6. C. „Contritio, *inquit*, potest dupliciter considerari, scilicet, quantum ad sui principium, & quantum ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem, qua quis cogitat de peccato, & dolet, & si non dolore contritionis, saltem dolore attritionis. Terminus autem contritionis est; quando dolor ille jam gratia informatur. Quantum ergo ad principium contritionis, oportet, quod sit de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet. Sed quantum ad terminum sufficit; quod sit una communis de omnibus. Tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium.

QUÆRITUR 20. An contritio de peccatis debeat durare toto vitæ tempore?

RESPONDEO. Affirmativè. Ita D. Thomas l. cc. a. 4. qq 1. & 2. C. „In contritione, *inquit*, est duplex dolor; unus rationis, qui est detestatio peccati à se commissi; alius sensitivæ partis, qui ex isto consequitur. Et quantum ad utrumque contritionis tempus est totus præsentis vitæ status. Quamdiu enim aliquis est in statu viæ, detestatur incommoda, quibus à perventione ad terminum impeditur vel retardatur. Unde cum per peccatum præteritum viæ nostræ cursus in Deum retardetur; quia tempus illud, quod erat deputatum ad currendum, non potest recuperari, oportet, quod semper in vitæ hujus tempore status contritionis maneat, quantum ad peccati detestationem. Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut pœna à voluntate assumitur. Quia enim homo peccando æternam pœnam meruit; & contra æternum Deum peccavit, debet, pœna æterna in temporalem mutata, saltem dolor in æterno hominis, id est, in statu hujus vitæ remanere. Et propter hoc dicit Hugo à S. Victore, quod Deus absolvens hominem à culpa & pœna æterna ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati. — Unde quanto magis homo continuè in actu hujus displicentiæ esse potest, tanto melius est, dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet.

QUÆRITUR 21. An contritio sit maximus dolorum, qui possunt esse in natura?

RESPONDEO. Contritio quoad dolorem rationalem est maximus omnium dolorum in natura possibilium. Ratio est, quia, quantum aliquid placet, in tantum displicet oppositum. Cum ergo contrito super omnia placeat Deus, necesse est, ut peccatum super omnia alia mala displiceat, quæ displicentia est ipsa contritio. Ita D. Thomas l. cc. a. 3. qq. 1. C.

QUÆRITUR 22. An contritio possit sufficere etiam ad delendam omnem pœnam temporalem?

RESPONDEO. Affirmativè. D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. qq 2. sic scribit: „Intensio contritionis potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam causat; & sic contingit tantum intendi charitatem in actu; quod contritio inde sequens merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna. Alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat. Et quia illa pœna etiam quædam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem pœnæ & culpæ.

QUÆRITUR 23. Quænam formula contritionis sit præferenda?

RESPONDEO. Haud dubiè illa, quæ ab antiquissimis temporibus in hunc usque diem in tota Ecclesia ubique terrarum dictante Spiritu Sancto viguit, cujus hæc summa est: *De his & omnibus aliis meis peccatis doleo, quod Deum, summum bonum, offenderim &c.* Ratio est, quia hæc sola formula attingit motivum essentiale contritionis sine permixtione ullius alterius motivi imperfecti, nempe offensam Dei, prout opponitur fini ultimo, quod est summum bonum, tam absolutum, quam respectivum. Præterea hanc commoditatem habet, ut brevitate congruat omnium captui, & perspicuitate verborum expositionem patiatur omnium facillimam.

QUÆRITUR 24. Quid sentiendum de illa novella contritionis formula; qua nonnulli dicunt: Doleo quod Infernum & Purgatorium promeruerim, magis autem, quod Dominum meum offenderim, qui tam multa pro me passus est, & pro me sanguinem fudit.

RESPONDEO. Hæc formula multis ex titulis minimè est tradenda populo. PRIMÒ, quia non potest esse totaliter perfecta, cum immisceat motivum etiam imperfectum, nempe infernum. SECUNDÒ. Nullus pœnitentium verè dicit; quod simul eodem peccato vel statu peccaminoso simul prome-

promeritus sit infernum & purgatorium. Tertiò. Copulatio purgatorii ad infernum ostendit; quod talis pœnitens infernum non habeat pro objecto sub ratione *pœnæ damni*, sed tantum sub ratione *pœnæ sensus*, sub qua consideratione attritio ex metu inferni concepta nequidem sufficit ad fructum Sacramenti impetrandum, nisi conjungatur cum prædominante amore Dei, verè principali prout Quæst. 2. & 3. ostensum est. Quartò, nullus in hac formula attingitur respectus ad Deum, tanquam finem ultimum, seu summum bonum, sed tantum ad Christum, qui dum attingitur *ut patiens*, poterit facillimè à rudi plebe attingi præcisè qua homo, abstrahendo ab ejus divinitate. Sic autem dolendo de peccatis, prout opponuntur Christo *Domino nostro* sub ratione naturæ humanæ considerato, tantum attinguntur, prout opponuntur virtuti *gratitudinis*, & *compassionis*, non verò prout opponuntur fini nostro ultimo, seu summo bono tam absoluto quam respectivo. Non est autem consultum, fideles assuefacere ad talem formulam, longe pronionrem ad sensum insufficientem etiam in ipso Sacramento, aut certè non indubiè validum, nisi conjuncta sit cum vero amore Dei, non in lingua solum, sed etiam in anima. Quintò. Ipsa novitas notabiliter diversa à receptis formulis, si nullo evidenti & ingenti lucro animarum excusat ac compensat difformitas in usu Sacramentorum vitium, est summopere cavenda. Quæ tamen compensatio in hoc casu adeo non fit, ut animas potius conjiciat in periculum salutis intra & extra usum Sacramentorum.

Quæritur 25. Utrum in Sacramento pœnitentiæ sufficiat dolor ac detestatio peccatorum virtualis, inclusus in amore Dei? an verò requiratur explicitus ac formalis?

Respondeo. Requiritur per se formalis ac explicitus saltem *imperfectus*. Patet ex Scriptura & traditione Patrum, qui universim ad virtutem pœnitentiæ requirunt detestationem peccatorum dolorosam, & afflictivam, qualis non est ille dolor virtualis. Dixi *per se*; quia *per accidens*, si peccator occupatus in amore Dei se non reflectat ad sua peccata vel per inadvertentiam, vel per oblivionem; promissa generalia circa dilectionem Dei ostendunt, etiam hunc peccatorem justificari, imò verosimile est, in tali casu oblivionis in Sacramento pœnitentiæ sufficere dolorem virtualem contentum in dilectione initiali dummodo expressa detestatio peccatorum præcesserit.

Quæritur 26. An detur obligatio ponendi propositum explicitum?

Respondeo. Propositum explicitum servandi mandata non solum exigitur necessitate præcepti, si ea obligatio memoriæ occurrat, sed etiam necessitate Sacramenti, ita ut eo deficiente Sacramentum ne quidem sit validum. Voco autem *propositum explicitum* tendentiam voluntatis ad implenda mandata, distinctam formaliter à tendentia aversativa peccati, & prosecutiva finis ultimi, quamvis observatio mandatorum non sub formali ac explicito termino, sed sub aliquo termino convertibili ac implicito attingi possit; v. g. in hoc, si pœnitens explicitè velit *placere Deo*, *se subjicere motioni gratiæ*, *se conformare voluntati divinæ in omnibus*; *ducere vitam verè Christianam*, *rectè vivere &c*. hæc enim omnia sunt termini convertibiles cum observatione mandatorum. *Probatur Responsio*. Ad justificationem requiritur amor Dei; sed amor Dei est explicitum propositum servandi mandata. Ergo. *Min. prob.* amor Dei formaliter continet duas tendentias; unam *prosecutivam* Dei per desiderium summi boni, alteram *practicam* per voluntatem *placendi Deo*. Ergo reipsa est propositum formale observandi mandata, subjectivè explicitum, objectivè implicitum. Idem proportionaliter probatur circa peccata venialia, quæ sunt diminutio charitatis circa agenda. Ergo redintegratio amoris circa eadem agenda necessariò dicit tendentiam formaliter distinctam à tendentia aversativa peccati, & respectivam agendorum. Hinc *La Croix*, qui l. 6. p. 2. n. 894. fatetur; hanc sententiam de obligatione ad propositum explicitum esse *Cajetani*, *Soti*, *Cani*, *Bellarmini*; imo communem Theologorum, concedit, in praxi omnes obligari ad propositum explicitum, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Quæritur 27. Quid requiratur ad hoc, ut propositum dici possit efficax?

Respondeo. Requiruntur sequentia. Primò requiritur *cognitio* eorum, quæ observanda sunt. Hinc qui vincibiliter ignorant actus essentiales amoris erga Deum & proximum, ordinem charitatis erga Deum & proximum, obligationes misericordiæ, justitiæ, & æquitatis, item obligationes sui status, v. g. conjugii, patrisfamilias, judicis, Superioris &c. nisi suo proposito generali ferantur ultra obligationes essentiales etiam ad supererogatoria, videlicet ad ea omnia, quæ viderint placere Deo, ad ea quæ sunt justa, quæ sunt sancta, quæ sunt bonæ famæ &c. non formant propositum efficax observandi mandata. Cum enim ipsam suam ignorantiam ac ejus vincibilitatem ignorent vel non advertant, & tamen teneantur eam deponere, id fieri nequit, nisi per studium fervidi amoris extraordinarium, in omnibus, quantum infirmitas humana sinit, placendi Deo. Hoc enim studio & comparatur scientia rerum divinarum & lumen, ita ut ignorantia quæ hactenus fuerat vincibilis, eo studio extraordinario jam incipiat fieri invincibilis. Secundò requiritur moralis potentia præstandi ea, quæ proponuntur. Hinc nequit haberi efficax propositum; toto vitæ tempore vitandi omnia peccata venialia etiam semideliberata, aut peccata præcipitantiæ; quia ad hæc omnia vitanda nec adest homini potentia moralis; nec etiam facultas sibi comparandi hanc moralem potentiam. Tertiò, quando pœnitens non habet moralem potentiam observandi mandata, v. gr. ob pravam consuetudinem, vel ob nimiam pravam inclinationem naturæ, vel ob crassam ignorantiam, vel ob occasionem proximam peccandi moraliter inevitabilem ad habendum serium propositum circa observationem mandatorum requiritur propositum serium adhibendi media efficacia, quibus obtineatur illa moralis potentia. Nemo enim censetur; efficaciter velle finem, nisi velit media requi-

requisita ad finem. Sic nemo vult efficaciter sanitatem, nisi velit remedia necessaria ad recuperandam sanitatem. Cæterum illa sola remedia dici possunt efficacia, quæ prudentem præbeant spem secuturæ emendationis, seu quæ ita comparata sunt, ut regulariter post se trahere soleant emendationem. Nemo enim illa remedia in Medicina efficacia dixerit, quæ nunquam aut non nisi rarò solent restituere ægrum. QUARTÒ requiritur serietas, ac obsirmatio animi non facile mobilis à difficultatibus paulo gravioribus. Ea autem serietas & obsirmatio animi præbet sui indicium, si pœnitens agnoscat gravitatem sui peccati, & miseriam sui status, & promptè suscipiat pœnitentias, utut aliquantulum arduas. Si verò non sit paratus suscipere pœnitentias, nisi levissimas, valde probabile indicium est, eum non habere serium propositum ad vitanda consueta peccata. QUINTÒ requiritur ad efficax propositum seria voluntas vitandi occasiones propinquas peccandi moraliter evitabiles, v. g. pravam societatem, cohabitationem periculosam, negotiationem aut mercaturam aut lucrationem &c. quæ moraliter sine peccatis exerceri nequeunt. Ex his omnibus patet; timendum esse, ne innumeræ Confessiones ex defectu propositi sint infructuosæ, aut si hic defectus facile agnosci potest, & culpabiliter non advertitur, etiam invalidæ. Id quod *La Croix* Q. 6. p. 2. n. 1736. prudenter his verbis advertit: *Serio proposito*, inquit, *obstant quandoque occulti pravi affectus, quos in anima sua retinent pœnitentes, & se habere experientur, si se coram Deo & in conscientia interrogent, v. g. an si occurrerent ordinariæ occasiones, non manerent parati hoc vel illud agere aut negligere, admittere injustum lucrum, redire ad consortia, pericula &c.* Sic, inquit Cornelius à Lapide in Epist. Jac. c. 1. v. 13. *multi retinent principia politica vitiosa v. g. injuriam talione vindicandam; duellum, si offeratur, acceptandum, ne honor perdatur; in conviviis cuilibet ad æquales haustus respondendum &c. Hæc nunquam deponunt, ne in confessionibus quidem &c.*

QUÆRITUR 28. Quale requiratur propositum circa peccata venialia?

RESPONDEO. Circa peccata venialia plenè deliberata in Confessione requiritur propositum particulare explicitum. Circa peccata autem venialia semideliberata sufficit propositum generale ac virtuale, nil committendi, quod possit displicere Deo. Ita colligitur ex D. Thoma, qui 3. q. 87. a. 1. C. ait: *Requiritur ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis. Unde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicentia; puta, cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret.*



DISPU-

DISPUTATIO IV.

De Confessione.

PROOEMIUM.

Confessionem auricularem partem esse Sacramenti Pœnitentiæ, ostensum est Disputatione 2. Verùm, cum ibidem illi sententiæ accesserim, quæ materiam & formam quoad speciem infimam etiam in hoc Sacramento dependere à determinatione Ecclesiæ statuit, dispiciendum est, quæ & qualis ad fructum aut valorem hujus Sacramenti judiciò Ecclesiæ requiratur Confessio. Non desunt etiam in hac parte suis partibus laxiores Theologi, qui inconsultis Patribus, & relicto Seniorum Theologorum consilio Sacramentum instar Legum mutilant, & auriculam unam Petro, claviculario cœli detruncant. *Ajunt;* nullam omnino dari obligationem, exprimendi in Confessione circumstantias peccati, utut notabiliter aggravantes, dummodo non in aliam speciem transeant. Differentiam autem specificam peccatorum ultra terminos antiquos, quos posuère Patres Theologiæ Scholasticæ, eousque protendunt, ut fat amplus sit campus circumstantiarum intra eandem speciem aggravantium, donec ad aliam speciem fiat transitus. Verùm non ita laxarunt terminos veteres Theologi, qui omnem malitiam peccati, quæ *diversæ rationis* fuerit, ad speciem diversam referunt. CONTENDUNT 2. Nullam dari obligationem confitendi peccata dubia, dummodo detur aliqua *positiva* ratio, saltem tenuiter *probabilis*, peccatum non opponi legi graviter prohibenti, aut eidem non accessisse deliberatum sufficienter assensum; quamvis pœnitens ex dictamine propriæ conscientiæ manifestè agnoscat; longè veriùs ac longè credibiliùs esse, actum graviter esse à Deo prohibitum, eidemque accessisse assensum sufficienter deliberatum. DEFINIUNT 3. Confessiones omnes tanquam invalidas repetendas esse, si destitutæ fuerint dolore ad impetrandam sacramentalem gratiam requisito. Verùm sub palliato hoc novello rigore supponunt; dolorem ex metu cruciatuum inferni, aut ex turpitudine peccatorum morali, præeunte lumine fidei, conceptum, sine ullo motu dilectiónis initialis, quæ ad tertiam virtutem Theologicam pertineat, ad impetrandam in Sacramento gratiam sufficientem esse. Hæc igitur sunt, quæ ex sententia Theologorum veterum, & ex traditione constanti Ecclesiæ rimanda, atque emendanda sunt.

****

QUÆSTIO I.

An detur obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem peccati?

NOTANDUM I. In hac quæstione semper præ oculis habendum esse Decretum Tridentini Sess. 14. cap. 4. ubi sic habet: *Ecclesia semper intellexit, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem. Quia Dominus Sacerdotes sui Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur; oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem memoriam habent, in confessione recenseri. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis imponere. Unde impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, carnificinam conscientiarum appellare. Constat enim; nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut quisque ea peccata confiteatur, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit.* Idem Concilium Sess. 14. Can. 7. dicit: *Siquis dixerit, necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria habeatur, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit.*

NOTANDUM 2. Circumstantias intra eandem speciem peccati *notabiliter aggravantes* esse duplicis generis. Aliquæ enim se tenent *ex parte actus*, aliæ *ex parte objecti*. Circumstantiæ se tenentes *ex parte actus* sunt sequentes: 1. *Intensio actus,*

actus, v. g. siquis frænum laxet *intensissimo* odio, iræ, pravo desiderio. 2. *Duratio actus*, v. g. si *diu noctuque* inhæreat. 3. *Advertentia clara aut reflexa ad malitiam actus*, v. g. si quis clarè agnoscat majestatem Dei, & acerbitatem pœnarum in inferno, & oppositionem peccati ad bonitatem, sapientiam, omnipotentiam ac immensitatem Dei, vel si clarè apprehendat magnitudinem scandali, catenam effectuum, desiccationem fontis gratiarum Dei. 4. *Conditio personæ peccantis* specialiter obligatæ Deo ad majorem gratitudinem aut perfectionem ob specialia dona, aut extraordinaria beneficia vel talenta à Deo accepta. 5. *Circumstantia loci*, v. g. siquis in templo coram SS. Sacramento concipiat prava desideria, vel in convictu piorum iniquè vivat. 6. *Circumstantia temporis*, v. g. siquis eodem die, quo communicavit, redeat ad conventicula Satanæ; aut sub ipsa Missa concupiscat illicita. 7. pravum desiderium ad actiones peccaminosas qualificatas hujusmodi circumstantiis hactenus enumeratis. Circumstantiæ verò se tenentes *ex parti objecti*, seu actus externi, sunt sequentes: 1. *Damni illati gravitas*, v. g. furti, incendii, mutilationis, calumniæ, injustitiæ, falsi testimonii. 2. *Scandali gravitas*, v. g. si crimen patratum sit impudenter, palam, aut à persona qualificata, qualis est Paterfamilias, Religiosus, Parochus, Superior, Judex, Princeps. 3. *Consequentia effectuum*, v. g. si quis mortem aut gravem calumniam struit viro necessario pro bono Ecclesiæ, Reipublicæ, aut familiæ; si ad officium promoveat indignum, nocivum saluti animarum aut Reipublicæ. 4. *Personarum, in quas peccatur, conditio*, v. g. si sit valde pauper, qui damnificatur in temporalibus bonis fortunæ; si persona, cui infertur contristatio, sit alias obnoxia tristitiæ, & pusillanimitati, prout solent esse viduæ, senes, personæ miserabiles. 5. *Personæ complicis conditio*, v. g. siquis peccet cum alterius sponsa; vel si conjugatus peccet cum conjugata. 6. *Causa delicti, & finis*, v. g. siquis alium damnificet ex mera petulantia ac malitia sine suo commodo, sicut D. Augustinus in juventute juvit decutere ex arboribus fructus non ex intentione illos comedendi, sed ex mera petulantia; vel si furetur ad lautius vivendum. 7. *Specialis obligatio gratitudinis* erga personam, cui infertur damnum, calumnia, tristitia, v. g. si sit Benefactor, Tutor, Superior, Magister, Parens, Parochus. 8. *Reverentia loci*, v. g. si quis aliis hominibus furetur, vel prava colloquia misceat, aut lascivos actus exerceat in templo. 9. *Circumstantia temporis*, v. g. si nefanda perpetret diebus festis jure naturali & divino consecratis cultui divino, si peccet sub ipso Sacrificio Missæ, vel tempore pœnitentiæ publicæ, aut luctus publici.

NOTANDUM 3. Malitiam peccati *notabiliter augeri* posse *per deformitatem ejusdem rationis*, seu univocam, vel *per deformitatem diversæ rationis*, seu, ut ita dicam, heterogeneam. Sic enim in plerisque adductis proximè exemplis observare licet; ad malitiam principalem peccati accedere deformitatem diversæ rationis, heterogeneam, ac in consideratione etiam morali valde diversam, v. g. siquis die Festo, vel sub Sacrificio Missæ, vel tempore publicæ pœnitentiæ delinquat per *furtum*; deformitas furti est prorsus diversæ rationis, ac deformitas *irreverentiæ*, aut *impœnitentiæ* annexæ huic furto. Idem contingit in furto, aut lascivo actu commisso in templo; *damnificatione* benefactoris, parentis, parochi; ubi simul committitur *irreverentia*, ac *ingratitudo* moraliter distincta à malitia *furti* vel *injustitiæ*. In furto commisso ex petulantia vel ex motivo vivendi lautius concurrit cum malitia furti *gaudium de malo alieno*, ac inordinatus appetitus *gulæ* vel *superbiæ*, vel *avaritiæ*. In corruptione alienæ sponsæ aut uxoris cum vitio fornicationis conjungitur *violatio juris alieni*, *diminutio amoris sponsalitii vel conjugalis*, & si sponsus deprehenderit defectum virginitatis, *contristatio aut diffidentia perpetua*; cujus etiam periculo exponitur uxor adultera, vel omnino infamiæ, aut alimentationis alienæ prolis. In damnificatione aut calumniatione pauperis cum injustitia conjungitur *tristitia*, *indigentia*, *anxietas curarum*, & *pusillanimitas*, & *tentatio* ad injusta remedia, plerumque gravis. In occisione vel calumniatione personæ valde utilis pro aliorum bono spirituali vel temporali cum transgressione quinti præcepti ac violatione dominii concurrit *læsio charitatis*, agendo videlicet contra ordinem charitatis. Cum gravi scandalo Principis, Parochi &c. palam & impudenter dato, concurrit *exauthoratio potestatis* in puniendo & loquendo; & *extinctio verecundiæ* naturalis, quam Deus naturæ impressit pro retinaculo, & publicus *contemptus formalis* legum divinarum. Cum excessu damnificationis valde gravi etiam respectu divitis concurrit gravis contristatio, anxietas curarum, dotium diminutio, ac consequenter multiplicatio numerica læsionis quoad ordinem charitatis. Idem communiter contingit quoad circumstantias notabiliter aggravantes se tenentes ex *parte actus*. Nam intensio, duratio, & clara advertentia ad malitiam actus plerumque actui superaddunt *vulnerationem stabilem naturæ* ob tenaciorem inhæsionem *indispositionem stabilem ad pœnitentiam*, interpretativum *propositum impœnitentiæ*, *contemptum formalem legum*, aut certè *meritum ad subtractionem omnium gratiarum extraordinariarum*. Circumstantia personæ multis donis cumulatæ superaddit donorum Dei perditionem, ingratitudinem, & vocationis divinæ tam feriæ ad fines à Deo intentos pro gravissimis emolumentis animarum & Ecclesiæ *contemptum*. Circumstantia loci & temporis superaddit *irreverentiam*, *contemptum*, & *meritum ad subtractionem gratiarum* moraliter necessariarum ad salutem. Idem præstat desiderium pravum committendi actiones qualificatas ejusmodi circumstantiis.

NOTANDUM 4. Apud veteres Theologos hos duos terminos fuisse synonimos; peccatum *diversæ rationis*, & peccatum *diversæ speciei*. Sic enim D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. qq. 3. C. dicit: *Quæcunque irreverentia circa res sacras* SPECIALEM RATIONEM *peccati habet*, *talis circumstantia dicitur speciem mutare*. Verùm apud multos modernos Theologos hi termini non sunt synonimi. Cum enim tradant diversissimas regulas circa differentiam specificam, ita reperiuntur non

non pauci, qui docent; non omnia prædicata essentialia diversa constituere differentiam specificam, v. g. in canibus, plantis aut angelis &c. intra eandem speciem essentialiter diversis.

NOTANDUM 5. Eam malitiam *diversæ rationis*, quæ peccato adjicitur, v. g. *irreverentiæ* quoad peccatum furti in templo commissum, *ingratitudinis* quoad furtum erga benefactorem &c. posse esse *ex suo genere* levem, & gravem. Si ea malitia ex suo genere sit tantum peccatum veniale; constat, non dari obligationem exponendi eam circumstantiam in confessione. Ratio est, quia non datur obligatio confitendi peccata venialia. Si quis tamen integrè confiteri voluerit etiam peccata venialia, haud dubiè confitendæ etiam erunt ejusmodi circumstantiæ addentes peccato malitiam diversæ rationis sufficientem ad constituendum peccatum veniale.

NOTANDUM 6. Aliquando contingere, quod circumstantia quidem non addat malitiam diversæ rationis, attamen in æstimatione morali multiplicet actum, v. g. fi unico ictu occidit tres; si unico furto damnificat tres separatos dominos rei; si una calumnia lædit tres personas separatas &c.

NOTANDUM 7. Theologos in hac re non convenire etiam eidem Scholæ addictos. D. Thomas cum multis Thomistarum, inter quos author Theologiæ Moralis Salmanticensis, negat hanc obligationem. Econtra Gonetus, & P. Natalis, cum phalange aliorum Thomistarum, constanter eam obligationem adstruit. Scotus stat in bivio. Ex Societate obligantibus accedunt Suarez, Tannerus, Conink, Sanchez, Rebellus, Filiutius, Amicus, Arriaga, Platelius, La Croix &c. Negantibus sociantur Valentia, Vasquez, Toletus, Lugo, Layman, Reginaldus, Palas, Dicastillo, Haunoldus, Illsung, de Rhodes &c.

DICO I. Pœnitens tenetur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, Confessario de iis interrogante.

CONCLUSIO hæc, quæ videtur esse certa

PROBATUR 1. ex natura Sacramenti. Christus instituendò hoc Sacramentum reliquit Ecclesiæ & ejus Ministris potestatem indefinitam, exigendi à pœnitentibus quascunque conditiones obtinendæ veniæ, ad finem hujus Sacramenti, ejusque perfectam administrationem opportunas. Ergo iis etiam reliquit potestatem exigendi cognitionem circumstantiarum notabiliter aggravantium. *Ant. prob.* ex verbis Christi Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

PROBATUR 2. à pari. Pœnitens Confessario interroganti tenetur confiteri consuetudinem peccati. Ergo tenetur Confessario interroganti confiteri etiam alias circumstantias aggravantes peccati. *Antecedens patet* ex propositione 58. damnata ab Innocentio XI. quæ sic sonat: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. c. prob.* Ratio, cur detur obligatio fatendi consuetudinem peccati est, quia iteratio peccati post sæpius obtentam veniam est circumstantia aggravans peccatum, & quia ejus cognitio requiritur ad imponendam pœnitentiam medicinalem proportionatam. Sed in circumstantiis notabiliter aggravantibus est hæc ipsa ratio. Ergo. *Min. patet* per se, & ex textu Innocentii III. proximè referendo.

PROBATUR 3. Confessarius tenetur interrogare de circumstantiis notabiliter aggravantibus. Ergo etiam pœnitens tenetur de iis respondere. *Ant. prob.* ex Concilio Lateranensi III. celebrato sub INNOCENTIO III. quod C. *Omnis utriusque sexus*, sic habet: *Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat illi præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.*

CONFIRMATUR 1. ex C. *Deus qui* de pœnit. ubi Innocentius III. Episcopo Liburnensi sic scribit: *Consideratis circumstantiis omnibus competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire.*

CONFIRMATUR 2. In omnibus fere antiquis Pœnitentialibus Sacerdos jubetur inquirere in varias circumstantias ibi expressas, quæ sunt præcise aggravantes, prout dicetur *Conclus.* 2. Ergo pœnitens tenetur respondere.

PROBATUR 4. authoritate ALENSIS, qui in 4. quæst. 18. memb. 4. a. 3. C. dicit: *Non tenentur omnes ad confessionem circumstantiarum; sed edocti & instructi, quorum dictat conscientia illas esse confitendas; quilibet tamen requisitus à Sacerdote & instructus tenetur eas confiteri.*

DICO II. Non datur obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, nisi addant gravem malitiam diversæ rationis, aut moraliter æquivalentem pluribus numero peccatis.

PROBATUR 1. negativè, quia hæc obligatio non potest sufficienter probari.

PROBATUR 2. authoritate D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Alberti M. quorum textus satis ostendunt; in hoc puncto practico, quotidie obvio, nullam dari traditionem uniformem de opposito. 1. *D. Thomas* 4. dist. 16. q. 3. a. 2. qq. 5. sic scribit: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt. Et hoc probabilius est — quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis. Tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est.* Similia habet in Opusculo 12. ubi ait: *Circumstantiæ dicuntur in aliud genus trahere, quæ specialem repugnantiam important ad aliud præceptum, & ideo novam deformitatem peccati mortalis habebit, quod ex necessitate confiteri tenebitur. Sic igitur circumstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri; quod non est referendum ad numerum; quia jam non est unum peccatum sed multa.* 2. *D. Bonaventura* in 4. dist. 17. a. 2. q. 3. C. sic scribit: *De circumstantiis, quæ aggravant, si genus peccati non mutatum est, quidam dicunt, quod pœnitentes tenentur confiteri; quando*

D. Amort Tract. de Pœnitent.

 tan

eas cognoscunt sive per se, sive per inquisitionem alienam. Unde sapiens & intelligens tenetur eas confiteri absque inquisitione; simplex tenetur, si ab eo inquirantur. Alii dicunt, quod non tenemur ad confessionem harum circumstantiarum tentione necessitatis, sed de bono & æquo. Hanc positionem credo probabiliorem. Unde dicendum, quod confessio circumstantiarum in aliud genus trahentium spectat ad confessionem quantum ad necessitatem; confessio verò aggravantium quantum ad congruitatem. 3. *Albertus M.* in 4. dist. 16. a. 24. *Respondeo secundum antiquos Doctores, quod non oportet circumstantias confiteri, nisi quæ trahunt in aliud genus peccati; tamen securum est, etiam alias dicere, præcipuè si remordet aliquem conscientia; sed tamen dicunt quod non tenetur ex præcepto; unde dicere circumstantias, quæ non trahunt in aliud genus peccati, est de bene esse confessionis.* 4. *Scotus* in 4. dist. 17. q. un. §. *nec solum. Nec solum peccata, sed circumstantias peccatorum aggravantes includit illud præceptum, saltem illas, quæ speciali prohibitione prohibentur. Multæ aliæ sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo gravius, & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quod oporteat illas confiteri. Tamen tutum & utile est hoc fieri.*

PROBATUR 3. Tridentinum, ubi agit contra hæreticos vocantes hoc Sacramentum carnificinam, docet; pœnitentes ad nihil aliud teneri, nisi ad exprimendas circumstantias mutantes speciem peccati. Ergo ad nihil aliud tenetur. *c. prob.* si teneretur ad has circumstantias aggravantes, non respondisset directè ad eam calumniam hæreticorum. CONFIRMATUR 1. In propositionibus Dogmaticis, ubi agitur ex instituto circa punctum controversum exactè de constitutivis aut requisitis necessariis rei, inclusio unius est exclusio alterius.

PROBATUR 4. Illa obligatio non datur, quam spectato fine & intentione Legislatoris est evidenter melius non dari. Sed talis est ista obligatio. Ergo. *Min. prob.* hæc obligatio redderet confessionem enormiter onerosam sine magno emolumento animarum. Ergo. *Ant. patet*; quia incrementum malitiæ ejusdem rationis esset annexum plerisque peccatis; & sic confessiones redderentur prolixæ; impediretur frequens usus Sacramenti ob defectum confessariorum sufficientium ad examinandas & audiendas tot circumstantias; & tamen regulariter non posset notabiliter variari quoad pœnitentias injungendas respectu plerorumque hominum, prout patet consideranti.

DICO III. Datur obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, quando addunt malitiam diversæ rationis, sufficientem ratione sui ad constituendum peccatum mortale, aut in æstimatione morali æquivalentem pluribus numero peccatis.

PROBATUR 1. ex traditione. In antiquis Pœnitentialibus exaratis ante Sæculum 13. universim supponitur hæc obligatio. Ergo. *Ant. prob.* In iis Pœnitentialibus imponuntur diversæ pœnitentiæ pro diversitate talium circumstantiarum; aut fit speciale de iis examen per Confessarium. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione. 1. IN POENITENTIALI ROMANO, quod scriptum est Sæculo 6. tempore D. Gregorii, haud dubiè conformiter ad usum antiquum Romanæ Ecclesiæ, sic habetur: §. 1. *Si laicus homicidium fecerit, tres annos pæniteat; Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, Episcopus duodecim.* §. 2. *Si Clericus cum uxore vel sponsa alterius adulterium commiserit, septem annos pæniteat. Si verò in notitiam hominum non venerit, si Clericus est, tres annos pæniteat; si Diaconus aut Monachus, septem annos pæniteat, Episcopus duodecim. Si quis fornicaverit cum viduis, annum unum pæniteat; si cum puellis, duos annos pæniteat. Si quis cum jumento fornicaverit, unum annum pæniteat; si uxorem non habuerit, dimidium annum pæniteat.* §. 3. *Si Clericus pejeraverit, pæniteat tres annos in pane & aqua; laicus tres; Subdiaconus sex; Diaconus septem; Presbyter decem; Episcopus duodecim. Si quis coactus pro qualibet necessitate pejeraverit, pæniteat unum annum in pane & aqua, & eleemosynas multas faciat. Si quis pejeraverit per cupiditatem, totas res suas vendat, & donet pauperibus, & intret in monasterium.* §. 4. *Si Clericus furtum fecerit capitale, septem annos pæniteat; Laicus quinque; Subdiaconus sex; Diaconus septem; Presbyter decem; Episcopus duodecim.* §. 5. *Si quis pro amore maleficus sit, & neminem perdiderit, si laicus est, dimidium annum pæniteat; si Clericus, annum unum in pane & aqua pæniteat; si Diaconus, tres annos; si Sacerdos, quinque annos.* §. 8. *Inebriatur quis, si votum sanctitatis habuerit, 40. dies in pane & aqua culpam diluat; Laicus verò septem diebus pæniteat.* §. 10. *Si quis occidit hominem in expeditione publica, pæniteat hebdomadas 21. si homicidium in pace fecerit, hebdomadas 28. Si quis nolendo* (displicere) *parentibus occiderit hominem, jejunet hebdomadas 8. Si quis furaverit cibaria vel vestem sive quadrupedem per famem, aut per nuditatem, illi venia datur; jejunet hebdomadas quatuor.* Hujusmodi differentiæ, an quis sponte, vel suasione, vel necessitate peccaverit, observantur etiam in aliis Pœnitentialibus. Sic & D. Cyprianus facit discrimen in pœnitentia inter eos, qui *ultro* se obtulerunt ad sacrificandum & qui ad tribunalia *tracti*, & qui *tormentis fracti* negarunt fidem.

PROBATUR 2. authoritate D. AUGUSTINI, qui relatus de pœnit. dist. 5. in l. *de vera & falsa pænitentia* c. 14. sic scribit: *Consideret* (pœnitens) *qualitatem criminis; consideret in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali tentatione fecerit, & in ipsius vitii multiplici executione; oportet enim pænitere fornicantem secundum excellentiam sui status aut officii, & secundum modum meretricis, & secundum modum operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit; si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus Dominorum, & aliorum multorum; si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore jejunii; consideret quantum perseveraverit, & quanta victus fuerit impugnatione; sunt enim, qui se ultro peccato offerunt, nec exspectant tentationem. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat se cujus fuerit ætatis, cujus sapientiæ, & ordinis, & statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitii; defleat virtutem qua interim caruit; dolendum est enim non solum quia peccavit, sed etiam quod se virtute privavit; nam licet speret se consecuturum veniam, dolere tamen potest,*

quia

quia non promeruit, unde remunerari confidat; anxietur & doleat, quod non inde exspectet gratiam. Defleat etiam, quoniam factus est per ingratitudinem reus; ingratus enim exstitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Etiam alio modo reus est, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio; nam saltem minori gaudio, & minori affectu tuetur eam; sicque per conceptionem unius vitii virtutes aliæ vel satis (valde) *vel parum minuuntur, vel intentione deteriorantur.* Et c. 17. *Versum puto, qui dolet de crimine; conversum, qui dolet de animi ejus, quam exposuimus, varietate.* Et c. 20. *Sacerdos cognito crimine varietates ejus non dubitet investigare, & locum & tempus & cætera, quæ supra diximus in exponendo eorum qualitates.* Circa hunc notabilem textum observo 1. parum interesse, utrum liber iste sit verè S. AUGUSTINI, vel alterius authoris; quia cum servierit Ecclesiæ Latinæ pro norma à Sæculo 7. usque ad 13. repræsentat saltem sensum & praxin Ecclesiæ per illa sex fæcula. Dein videtur referre totaliter stylum & mentem Gregorii M. 2. In hoc textu attingi meras circumstantias continentes deformitatem diversæ rationis, v. g. *jejunii solennis* v. g. quadragesimalis, seu pœnitentiæ publicæ, orationis seu *comprecationis solennis, lucri* gratiarum *cessantis*, & *damni* ex depravatione affectuum *emergentis* &c. quæ deformitates, si ratione sui importent, vel dubitentur importare malitiam gravem, sunt exponendæ; sive in rigore Scholastico constituant novam speciem peccati, sive non.

PROBATUR 3. authoritate Concilii QUINISEXTI in Trullo, quod anno 690. Can. 102. sic habet: *Oportet eos, qui solvendi & ligandi potestatem accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam.* Et *Concilium Wormatiense*, celebratum anno 868. præsentibus Episcopis Germaniæ, etiam Augustano, Frisingano, Ratisbonensi, Salisburgensi &c. Can. 25. sic habet: *Debet Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere; temporum etiam & personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscujusque delinquentis à sacris regulis oculos non reflectat.*

PROBATUR 4. *argumento ad hominem* respectu eorum, qui omne prædicatum essentiale plusquam numericum putant esse constitutivum differentiæ specificæ. Doctores veteres universim fatentur confitendas esse circumstantias, quæ trahunt in aliud genus peccati. Sed circumstantiæ habentes annexam *deformitatem diversæ rationis*, trahunt in aliud genus peccati. Ergo. *Min. prob.* Omnis ejusmodi deformitas opponitur aut legibus diversis, aut virtutibus diversis, aut saltem fundat materiam de se sufficientem in actu primo ad constituendam diversam legem, si prudentia legislativa permitteret tantam multiplicationem legum generalium respectivè ad tot particulares personas, conditiones, ac circumstantias, aut certè ea diversitas inter malitias speciem mutantes ac inter malitias diversæ rationis in sensu superius explicato in communi æstimatione hominum nequit discerni; cum ne quidem Theologi habeant aliquam certam hujus discretionis regulam atque ipsimet inter se litigent; an hæc vel illa diversitas sufficiat ad constituendam differentiam specificam. Ergo si fideles obligantur ad exprimendas circumstantias speciem mutantes, etiam tenentur ad exprimendas circumstantias *diversæ rationis.*

CONFIRMATUR 1. Est eadem ratio circumstantiarum *variantium speciem* peccati, & *variantium rationem malitiæ.* Ergo. *Ant. prob.* Non potest assignari discrimen sufficiens inter circumstantias variantes speciem peccati, & inter circumstantias variantes rationem malitiæ, nisi quod illæ sint magis *generales*, adeoque magis idoneæ pro materia *legis*, quæ ex sua natura respicit magis casus generales, ac generales status & conditiones hominum; vel quod sint magis *notæ, nominatæ*, à Doctoribus *tritæ*, generatim *publicatæ*, & substantes attentioni legislatorum ac fidelium; dum econtra istæ sunt magis particulares, cujusvis particulari statui vel conditioni personali annexæ ac quasi domesticæ familiares, innominatæ, non generatim publicatæ, nec substantes communi attentioni hominum. Ergo quoad substantiam legis datur eadem ratio; quia *lex publica & privata*, & publicatio publica *per præcones*, & privata per *nuntium conscientiæ* non mutat substantiam legis.

CONFIRMATUR 2. confessione ipsorum adversariorum, quod variare *rationem peccati* & variare *speciem peccati* idem sit. CAJETANUS Opusculo 5. de Confessione, sic scribit: *Species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, quarum diversitas diversitatem judicii salutaris inducit; aliter enim judicandus est pro sua salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida &c. & tales sunt species peccatorum, quæ in communi habentur notitia, ut adulterium fornicatio, furtum, rapina, contumelia, detractio &c. Quædam verò species sunt, quæ nullam videntur facere in salutari judicio differentiam, ut sunt species divinationis; idem est enim judicium pœnitentiale, si quis terra vel aqua abusus fuerit; & sic de aliis; & hujusmodi videntur esse species gulæ, & universaliter omnes latentes, quas forte vix Doctores discernunt. Et propterea explicare primas species peccatorum oportet in confessione; secundas verò sufficit explicare in generibus subalternis, puta peccavi in Necromantia. -- De speciebus dicitur; quod de communiter notis speciebus verificatur dictum Doctorum,* (omnes species esse exprimendas), *alioquin non relinqueretur in Ecclesia Dei millesimus quisque Confessor, non errans, cum hujusmodi latentes species paucissimis sint manifestæ.* Ex hoc textu patet, quod Cajetanus, qui hoc scripsit aliquot annis ante Tridentinum, agnoscat, multas circumstantias diversæ rationis, in Confessione ejus opinione non exprimendas, pertinere reipsa ad diversas species peccatorum, quas tamen Concilium universim, sine ulla distinctione inter species primarias & secundarias, genericas & subalternas, paucis post Cajetani obitum annis exprimendas esse declaravit.

CONFIRMATUR 3. Ubicunque reperitur specialis difformitas ratione sui sufficiens ad constituendum peccatum mortale, datur etiam specialis exigentia ad legem specialem graviter prohibentem. Ergo eoipso datur malitia specie diversa.

PROBATUR 5. Circumstantiæ speciem mutantes, & habentes annexam malitiam diversæ rationis, eodem modo se habent ad finem legis Sacramentalis. Ergo etiam æqualiter comprehenduntur lege; quia ubi datur eadem exigentia, ac idem motivum adæquatum legis, datur eadem lex. *Ant. prob.* Finis legis Sacramentalis partim est Vindicta Ecclesiastica peccato proportionata, partim curatio medicinalis ac salubris peccatorum. Sed ad hunc finem eodem modo, imo meliore modo, se habent circumstantiæ aggravantes diversæ rationis. Ergo. *Min. prob.* à pari, quia Medico magis servit notitia circumstantiarum quam specierum morbi; atque idipsum observare licet in Judice.

PROBATUR 6. Circumstantiæ ejusmodi *diversæ rationis* sunt objectum specialis *indignationis*, *exprobrationis*, & *punitionis divinæ*, sive dicantur in rigore Theologico fundare novam speciem peccati, aut legem diversam directam, sive non. Ergo etiam debent esse objectum legis Sacramentalis speciale. *Ant. prob.* sic 1. Jerem. 11. attenditur à Deo circumstantia personæ multis donis cumulatæ, & circumstantia loci. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* 2. ponderatur abusus gratiarum 2. Pet. 2. *Melius eis erat, viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum converti.* 3. Ignorantiæ peccatum magis Deo displicet in magistro, quam discipulo. Joan. 3. *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* 4. Circumstantia consuetudinis inveteratæ reddit remotiorem curationis gratiam. Marci 9. Interrogavit Jesus patrem Lunatici; *quantum temporis habet, ex quo hoc ei accidit?* 5. Attenditur sequela, & lucrum cessans divinæ gloriæ. Joan. 2. *Ejecit vendentes & ementes de templo.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra secundam Conclusionem. 1. Datur obligatio confitendi circumstantias speciem mutantes. Ergo datur etiam obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes ejusdem rationis. *c. prob.* Sæpe circumstantia aggravans ejusdem rationis plus coram Deo addit malitiæ, quam circumstantia mutans speciem. Ergo. *Ant. prob.* execrabilius est coram Deo odium intensum plene deliberatum erga Deum, quam *odium Dei*, *Patroni Ecclesiæ*, *vel Sacramentorum*, ex subito motu iræ. 2. Datur eadem ratio pro obligatione ad confessionem circumstantiarum aggravantium ejusdem rationis, ac variantium speciem. Ergo. *Ant. prob.* Ratio à Tridentino assignata quoad circumstantias variantes speciem est, quia alioquin peccata à pœnitentibus nec integrè exponuntur, nec à Judice integrè agnoscuntur. Sed hæc ratio est etiam circa circumstantias aggravantes ejusdem speciei. 3. Finis à Christo intentus per obligationem ad confessionem circumstantiarum variantium speciem non obtinetur sine obligatione indefinita etiam ad confessionem circumstantiarum aggravantium. Ergo. *Ant. prob.* Finis illius obligationis juxta Tridentinum est, ut imponatur pœnitentia proportionata delictis, tam vindicativa, quàm medicinalis, sed hoc non obtinetur. 4. Ideo datur juxta Tridentinum obligatio confitendi peccata cordis etiam occultissima, quia aliquando *gravius animam sauciant*, quàm peccata externa. Sed hoc fit etiam aliquando per circumstantias aggravantes ejusdem rationis. Ergo.

RESPONDEO

Ad 1. c. a. n. c. *ad prob.* tr. a. dist. C. si ejusmodi circumstantia sit æquè capax materia legis. c. secus. n. Quamvis enim talis circumstantia aliquando addat majorem malitiam, non est tamen determinabilis, nisi addat *formalem contemptum legis*, qui jam est diversæ rationis à peccato. Sola enim intensio actus, aut extensio objecti graviter prohibiti, v. g. in odio, aut furto, non potest ullo argumento cognoscibili determinari, quandonam excrescat ad novam gravem malitiam, distinctam à priori; prout tamen fieri potest circa malitiam diversæ rationis.

Ad 2. n. a ad prob. dist. ratio Tridentini est, quia peccata non exponerentur integrè integritate essentiali ac substantiali. c. tantum accidentali. n. a. Constitutiva novæ speciei pertinent ad substantiam rei; sed major intensio rei, vel major extensio quantitatis per se tantum pertinent ad statum accidentalem rei.

Ad 3. n. a. ad prob. dist. hic finis non obtinetur in uno vel altero casu rarissimo. tr. generaliter & ordinariè circa casus communiter obvios. n. Leges non respiciunt ad casus extraordinarios, in quibus lex moraliter non est observabilis; nec objectum legis determinabile. Hoc autem, quod malitia ejusdem rationis sine concursu alterius malitiæ heterogeneæ excrescat ad novum augmentum malitiæ gravis distinctum à priore in consideratione morali, est casus rarissimus, & indeterminabilis moraliter: aut enim concurret *formalis contemptus legis*, aut *depravatio naturæ propriæ* notabilis, aut aliud grave nocumentum *diversæ rationis*, ita ut vix sit possibilis circumstantia augens notabiliter malitiam ejusdem rationis, quia simul importet malitiam *diversæ rationis*.

Ad 4. c. *Maj.* dist. *Min.* hoc fit per circumstantias ejusdem rationis concurrente malitiâ diversæ rationis. c. non concurrente. n. Nam eoipso quod *aliquando* graviter animam saucient, in tali casu extraordinario concurrit cum malitia actus extraordinarium damnum animæ, consistens in speciali depravatione naturæ, vel indignitate ad gratias actuales, vel concatenatione ac connexione forti cum aliis vitiis cognatis, prout contingit in Ebrietate plusquam Theologica.

OBJICITUR 2. authoritas. 1. CATECHISMUS TRIDENTINI p. 2. de Pœnit. §. 40. sic habet: *Est in confessione summa cura adhibenda, ut sanemus animæ vulnera, & peccati radices evellamus. Neque verò solum peccata gravia narrando explicare oportet; verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt.*

Quædam

Quædam enim circumstantiæ adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet. Si quis enim hominem interemit, explicandum est, utrum sacris initiatus, an profanus fuerit. Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt. Si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam qui ingentem auri vim, præsertim verò qui sacram pecuniam abstulit. Quæ ratio etiam ad locum & ad tempus pertinet. Hæc igitur enumeranda sunt. Quæ verò pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.

2. Sententia adstruens hanc obligationem est longè communior, ac probabilior. Ergo in praxi sequenda est. *Ant. patet* ab enumeratione Doctorum, qui stant pro hac sententia, pro illa enim teste Gōneto stant Thomistæ communiter, inter quos etiam Sotus, & Canus; ex Societate verò Suarez, Henriquez, Sanchez, Tannerus, Platelius, Gormaz, La Croix.

Respondeo.

Ad 1. dist. Dicit hoc Catechismus de circumstantiis aggravantibus malitiam diversæ rationis. c. ejusdem rationis. n. in his enim omnibus exemplis à Catechismo adductis intervenit malitia diversæ rationis, etiam in furto, quia cum violatione justitiæ generalis concurrit gravis contristatio proximi, enrarum anxietas, & miseria indigentiæ, & dotium diminutio, aut aliud simile grave incommodum. Vel

Respondeo 2. Dicit hoc Catechismus per modum regulæ generalis practicæ. c. per modum resolutionis theoreticæ. n. Cum enim vix detur circumstantia notabiliter aggravans malitiam ejusdem rationis, quin simul importet malitiam diversæ rationis, rectè in praxi per modum regulæ posuit, generatim in praxi confitendas esse omnes circumstantias notabiliter aggravantes ob generalem præsumptionem de concomitantia malitiæ diversæ rationis.

Ad 2. dist. est communior sententia affirmativa obligationis quoad circumstantias diversæ rationis. c. ejusdem rationis. *subdist.* est communior affirmativa obligatione practicæ. tr. speculativæ. n. In praxi vix unquam notabiliter aggravatur malitia ejusdem rationis, quin simul concurrat malitia diversæ rationis, v. g. contemptus formalis Dei, vel legis, obstinatio, naturæ depravatio, ingratitudo, aut alia deformitas specialis.

Objicitur 3. ex ratione 1. circumstantia notabiliter augens malitiam facit, ut illud æquivaleat duobus aut tribus peccatis. Ergo debet distinctè exprimi. *Ant. prob.* furtum mille aureorum æquivalet mille furtis.

2. Circumstantia notabiliter aggravans est materia Reservationis. Ergo etiam est materia necessaria Confessionis. *c. patet;* quia frustra reservatur cognitioni Episcopi vel Papæ, quod non teneor confiteri. *Ant. prob.* Episcopi possunt, & solent etiam interdum reservare incæstum in primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis, licet juxta multos authores, inter quos refertur D. Thomas, omnes incæstus non differant specie.

3. Tota ratio, cur detur obligatio confitendi circumstantias speciem mutantes, est, quia addunt novam gravem malitiam. Ergo si etiam circumstantiæ ejusdem rationis addunt gravem malitiam, datur in iis eadem ratio obligationis. *Ant. patet*, quia species diversæ non sunt materia necessaria obligationis, nisi contineant gravem malitiam.

Respondeo.

Ad 1. dist. a. Si malitia accrescens sit diversæ rationis. c. secus. n. *ad prob.* dist. æquivalet furtis mille in consideratione physica. c. in æstimatione morali. n. alioquin sequeretur, quod etiam tunc, si malitia notabiliter non augetur, prout contingit in furto duorum, aut trium aureorum, deberet exprimi numerus aureorum, vel florenorum.

Ad 2. dist. circumstantia aggravans diversæ rationis est materia reservationis. c. ejusdem rationis. n. Nullus enim Episcoporum unquam reservavit circumstantiam ejusdem rationis; nec id posset ita reservare ob indeterminabilitatem objecti.

Ad 3. dist. tota ratio *positiva* hujus obligationis est gravitas accrescentis malitiæ. tr. *negativa*. n. Ad inducendam namque obligationem legis debet concurrere ratio *positiva*, seu suasiva; & simul debet concurrere ratio *negativa*, seu negatio motivi retrahentis à lege, qualis est incapacitas objecti v. g. indeterminabilitas, aut connexio pejorum effectuum. Cum ergo in circumstantiis variantibus speciem malitia gravis accrescens petat & convenienter possit prohiberi specialiter; econtra malitia accrescens ejusdem rationis non possit convenienter prohiberi speciali prohibitione, nisi concurrat specialis depravatio naturæ, contemptus, obstinatio &c. non est paritas in ordine ad obligationem confitendi.

Objicitur 4. Ex hac sententia sequuntur varia absurda. Nam 1. sequeretur; actum externum in confessione non necessariò esse exprimendum. Ergo. *Ant. prob.* actus externus non superaddit actui interno malitiam specie diversam. Ergo.

2. Qui commisisset incæstum in primo gradu, satisfaceret confitendò; *commisi incæstum*. Ergo. *Ant. prob.* Juxta communem sententiam omnes incæstus sunt ejusdem speciei.

3. Qui alicui amputasset aures, & brachia & pedes, & linguam, & oculos effodisset, satisfaceret dicendo; graviter sauciavi hominem.

4. Qui una explosione tormenti bellici plures occidisset, satisfaceret dicendo: *Ego commisi crimen homicidii;* vel: *sum homicida;* aut: *graviter peccavi contra quintum præceptum: non occides*, vel: *occisione deliqui*.

Respondeo. n. a.

Ad 1. n. a. debet enim exponi non ob augmentum malitiæ, sed quia est pars materialis concreti à Deo prohibiti. Deus enim non tantum babet pro objecto legis *formam* concreti, sed *totum concretum;* sicut in præmiando non babet tantum pro objecto fidem in Christum, quæ est ratio merendi in ipso intensissimo actu charitatis, sed *totum opus* meritorium, ut per fidem ac fiduciam unitum cum meritis Christi. Ita etiam in peccatis habet pro objecto non tantum ipsam malitiam actus interni, sed *concretum* ex actu interno & externo; quod proin, sicut subsitat indignationi divinæ

divinæ in concreto, ita etiam in concreto exponendum est. Aliud exemplum habetur in homine peccatore, qui in concreto est objectum displicentiæ divinæ, & punitur secundum corpus & animam in concreto, licet sola anima rea fiat. HINC POTEST INVERTI ARGUMENTUM. Actus externus ne quidem auget malitiam actus interni. Ergo ratio obligationis ad confessionem illius non est augmentum malitiæ.

Ad 2. n. a. suppono enim, incæstum saltem in primo gradu differre specie; & incæstum in secundo gradu saltem esse *diversæ rationis* à gradu tertio & quarto; quod colligitur ex diversitate quo ad eorum reservationem, dispensationem, & vinculum civile conversationis, vel opitulationis.

Ad 3. n. a. Quia in hoc casu cum mutilatione concurrunt malitiæ partim specie diversæ v. g. *crudelitatis*, *damnificationis temporalis*, partim verò diversæ rationis, v. g. inhonorationis &c.

Ad 4. n. a. Quia hæc circumstantia ponit malitiam in æstimatione morali æquivalentem pluribus actibus numero diversis.

OBJICITUR 5. contra tertiam Conclusionem *authoritas*. 1. D. THOMAS, & veteres Theologi plerique negant universim obligationem confitendi circumstantias, nisi mutent speciem actus. Ergo ea obligatio non est adstruenda quoad circumstantias diversæ rationis, nisi mutent speciem actus.

2. Sententia opposita habet pro se graves anthores, eosque non paucos. Ergo est probabilis; ac consequenter licet eam tutò sequi in praxi.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Negant hanc obligationem confundendô malitias diversæ rationis cum malitiis specie distinctis. c. non confundendô sed eas distinguendô. n. antiquitus enim differentiam specificam humanorum actuum desumebant à *diversa ratione* formali eorundem actuum, quo in esse moris attingunt suum objectum materiale. Sic D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. qq. 3. C. dicit: *Quæcunque irreverentia circa res sacras specialem rationem peccati habet, talis circumstantia dicitur speciem mutare.* Et hinc Cajetanus rectè observat, prout in *Prob.* 4. ostensum est, præter peccatorum species in Theologia communiter notas ac subalternas dari innumeras species infimas paucissimis notas.

RESPONDEO 2. dist. Dicunt hoc, tanquam opinionem eo tempore *probabiliorem*. tr. tanquam firmam sententiam. n. *D. Thomas* & *D. Bonaventura* expresse dicunt, eam opinionem tantum esse probabiliorem; quo modo loquendi relinquunt eam sententiam aut examini exactiori ad normam Scripturæ & traditionis per diligentiorem conbinationem textuum; aut determinationi Ecclesiæ arbitrariæ, cum hæc res pertinens *ad speciem infimam* materiæ Sacramentalis *subsłet determinationi Ecclesiæ*, aliquando variæ pro diversa congruentia locorum & temporum, prout dictum est Disput. 2. q. 3.

RESPONDEO 3. à nonnullis Thomistis contra textum D. Thomæ excipi, quod ea scripserit ut juvenis. CANUS de Pœnit. part. 5. §. *ad Confirmationem* sic scribit: *D. Thomas sententiam retractasset, si Tertiæ Parti extremam manum imposuisset, Atque olim juvenis opiniones sæpe communes sui sæculi sectabatur.* Similiter P. Natalis in Theologia, de pœnit. art. 6. §. 1. scribit: *Nemini Thomistæ religioni sit, ab ea S. Thomæ opinione discedere, quam junior propugnavit, & quam ipsum ejuraturum ac retractaturum verosimile est, si post Synodum Tridentinam scripsisset. Unde selecti ex Ordine Dominicano Theologi, qui Concilii Catechismo allaborarunt, contrariam opinionem asseruerunt Ecclesia approbante.*

RESPONDEO 4. n. a. quod *plerique* antiquiores senserint contrarium. MAGISTER enim Sententiarum, S. RAYMUNDUS de Pennafort in Summa, ALEXANDER de ALES in 4. ASTESANUS in Summa, universim sine discrimine circumstantias aggravantes exprimendas esse docent, eas saltem, quæ continent malitiam diversæ rationis, prout ex eorum textibus legenti patet.

Ad 2. tr. a. n. C. Quia, ut interim suppono, *certum jam est* cuivis vel parum attento ac indifferenti eam Controversiam de Probabilismo perpendenti, *certum non esse*; quod liceat sequi sententiam notabiliter minus probabilem. Itaque jam non amplius poterit formari dictamen reflexum ac dictamen ultimum practicum saltem moraliter certum. Quod verò nostra sententia tam spectata ratione ob summam similitudinem circumstantiarum variantium speciem, ac circumstantiarum addentium malitiam diversæ rationis, moraliter in æstimatione communi hominum indiscernibilium, partim ob authoritatem recentiorum authorum sit eminenter probabilior, patet consideranti. Quod enim authoritatem attinet, pro obligatione stant in primis Thomistæ plerique, inter quos *Canus*, *Gonet*, *Natalis*, *Wigand* &c. ex Societate *La Croix*, *Suarez*, *Gormaz*, *Platelius* &c. his ex variis Ordinibus accedunt *Brocardus*, *Pisellus*, *P. Antoine*, *Genettus*.

OBJICITUR 6. Obligatio exprimendi circumstantias diversæ rationis non est conformis prudentiæ legislativæ. Ergo non datur. *c. patet*, quia obligatio aut lex dari nequit, nisi sit ita rationabilis, ut simpliciter consideratis omnibus sit *melior non ipsa*, seu ejus negatione. *Ant. prob.* 1. Hæc obligatio compleret Confessionalia innumeris circumstantiis etiam inutilibus ob imperitiam pœnitentium aut scrupulositatem Confessariorum; sicque ob prolixitatem Confessionum plus causaretur mali, quam promoveretur boni.

2. Multæ sunt ac variæ circumstantiæ *impertinentes* ad actum peccati, quas populus nequit discernere à circumstantiis idoneis ad refundendam diversæ rationis malitiam in actum; sic v. g. si quis committat furtum die jejunii, die festo Sancti, aut B. Virginis, aut solenni Salvatoris.

3. Quamvis aliquæ circumstantiæ videantur refundere specialem malitiam diversæ rationis in actum, v. g. ingratitudo ob majora dona, aut ob jam repetitis vicibus obtentam veniam, homines tamen peccando nec solent respicere ad ejusmodi enucleatas circumstantias, nec etiam instruuntur ad faciendas ejusmodi reflexiones, nec prudenter videntur de his præmonendi, quia præberetur ipsis lapis offensionis, ut loco unius peccati, quod alias committerent, committere-

tur

tur duplex, triplex, aut quadruplum, imo decuplum peccatum.

4. Quamvis à populo facile agnosci possit gravitas malitiæ circa species peccatorum solitariè, seorsim, ac directè commissas, v.g. circa irreverentiam rei sacræ directè exhibitam, qualis est furtum rei sacratæ Deo; difficillimè tamen æstimari potest gravitas malitiæ alteri peccato accidentaliter annexæ, v.g. irreverentiæ reperibilis per annexionem in pravo desiderio, aut furto profano commisso in Ecclesia; quia talis malitia annexa nec crescit cum actu principali in proportione geometrica, nec arithmetica.

5. Si homines tenerentur confiteri tales circumstantias, eoipso tenerentur etiam se examinare de his circumstantiis superius ex D. Augustino enumeratis, sed hoc non potest dici, quia est contra sensum & praxin fidelium.

6. Videtur periculosum tam pœnitenti quàm audienti, si ille teneatur singulas ejusmodi circumstantias in materia luxuriæ recogitare, ponderare, enarrare. Ergo non prudenter id faciendum præcepisset Christus, præsertim si Confessarii tenerentur, de iis pœnitentes examinare.

RESPONDEO. n. a.

Ad 1. dist. compleret Confessionalia ejusmodi inutilibus circumstantiis respectu paucorum. tr. multorum. n. Pœnitentes enim communiter sciunt, se non obligari ad confessionem circumstantiarum inutilium, aut tantum leviter aggravantium; & Confessarii etiam sciunt, pœnitentes non esse interrogandos de circumstantiis nisi verosimilibus addentibus gravem malitiam peccati mortalis, quarum ex ipsa confessione præbetur conjectura probabilis ac præsumptio. His autem observatis non redduntur Confessiones prolixæ.

Ad 2. n. a. Populus solo adminiculo luminis naturalis sufficienter discernit deformitates ac deordinationes speciales ex eo, quod *specialiter pungant*, specialiter fodicent, specialiter stimulent, specialiter affligant, puniant, & increpent *conscientiam*. Quælibet enim specialis deordinatio mentis hoc habet, quod etiam specialiter pungat, & increpet mentem. Itaque ad discernendas circumstantias impertinentes ab appertinentibus non est opus instructione & acribia judicii, sed sensu interno & sensu communi, & naturali lumine, cui, sicut luci solari suus calor inest affligens aut blandiens, ita etiam suum blandimentum & supplicium inest actibus bonis vel malis. Hinc quia furtum in die jejunii commissum specialiter non pungit, ea circumstantia est impertinens. Sensus etiam communis cuilibet dictat, intentionem Ecclesiæ præcipientis jejunium non *specialiter* velle *obligare* ad abstinendum ab omni peccato, saltem sub peccato gravi *in die festo*, nisi actus peccaminosi sint publici, ac derogantes apertè fini legis, & cultui Dei solenni.

Ad 3. dist. Homines non solent respicere ad ejusmodi circumstantias, nec de iis admoneri, quando spectata qualitate delicti à priori nulla est probabilis præsumptio de annexa *malitia* notabiliter aggravante, seu *mortali*. c. secus. n. Si enim spectata qualitate delictorum verosimile aut omnino certum est; annexam esse malitiam diversæ rationis mortalem, v.g. enormem ingratitudinem, enormem abusum misericordiæ divinæ, ita ut videatur jam commissum ex confidentia interpretativa veniæ, vel enormem depravationem naturæ &c. in eo casu pœnitens tenetur de iis circumstantiis se examinare, de iis specialiter conteri; & de iis etiam à Confessario ad concipiendum adæquatum dolorem est admonendus. Si enim CHRISTUS non timuit scandalum, admonendò paraliticum: *Vade, & jam amplius noli peccare; ne tibi deterius contingat*; si idem fecit *Apostolus* Heb. 6. & si idem faciendum monet *D. Augustinus*, *Decretum Gratiani*, *S. Raymundus*, *Astesanus*, & alii antiquiores Theologi, cur timeatur scandalum, si peccatori ante oculos ponatur adæquata peccati malitia, simul declarandò, quandonam ea annexa malitia ascendere possit ad mortalem; & quandonam tantùm sistat intra limites malitiæ venialis?

Ad 4. tr. a. n. C. Quia hæc difficultas discernendi malitiam venialem à mortali est intrinseca fere omnibus, ac ipsis etiam circumstantiis speciem mutantibus. Non enim eoipso, quod circumstantia mutet speciem, scitur, an illa malitia specie diversa contineat ratione sui peccatum mortale. Dixi tr. quia etiam gravitas peccati in mentibus alioquin ordinatis ordinariè sumi potest ex sensu interno, aut sensu communi, hominibus per lumen naturale impresso. SCRUPULOSI autem, qui sunt timidioris conscientiæ, qui nunquam committunt peccatum mortale planè deliberatum, non timeant de gravi malitia, nisi fuerit manifesta, sine variatione inconstantis judicii. Si nolint credere huic reflexo dictamini, sunt pertinaces, & hic primùm incipiant timere peccatum grave *ob pertinaciam judicii*, & *ob hæresin*, affingentem Deo attributum imprudentiæ & crudelitatis, repellendò à se ob casus quosvis obvios, moraliter inevitabiles, magno studio diligentes se.

Ad 5. dist. Tenerentur se de iis examinare, si spectata qualitate delictorum verosimile sit annexam fore malitiam diversæ rationis notabiliter aggravantem. c. secus. n. id enim non est contra sensum ac praxin fidelium, cum teneantur se examinare de circumstantiis mutantibus speciem, à quibus circumstantiæ *diversæ rationis* in æstimatione morali discerni à plebe non possunt.

Ad 6. c. a. n. c. & suppositum, quod hæ circumstantiæ regulariter sint *diversæ rationis*, aut quod sint *aggravantes excessu* malitiæ in æstimatione morali *sufficiente ad distinctum peccatum mortale*. Aliæ verò circumstantiæ diversæ rationis, quæ non pertinent ad intensionem deordinationis, ut sunt seductio animæ nocentis, periculum infamiæ status Clericalis, exempli faciIis contagio, frustratio specialis inspirationum & gratiarum &c. debent specialiter exprimi, nisi innotescant Confessario ex substantia actus per se. Notari meretur doctrina D. THOMÆ in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. qq. 5. ad 3. ubi ait: *Circumstantiæ particulares peccati carnalis, quæ in aliam speciem peccati mortalis trahunt, semper sunt confitendæ, quia gratia quæ in Sacramento pœnitentiæ datur restaurat, si qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proveniat vel* in

in confitente, vel in Sacerdote. Si tamen Sacerdotem lascivum viderit, debet accipere licentiam confitendi alteri Sacerdoti. Si autem circumstantiæ non aggravant in infinitum, novam speciem peccati mortalis conferendo, quandoque laudabiliter reticentur adhibita debita discretione.

Objicitur 7. Concilium Tridentinum declarat; nullam dari obligationem confitendi circumstantias, nisi speciem mutantes. Ergo non datur obligatio confitendi circumstantias habentes præcise annexam malitiam diversæ rationis. *Ant. prob.* 1. Tridentinum Sess. 14. c. 5. dicit: *Colligitur, eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Ergo declarat, non esse confitendas, quæ non mutant speciem. *c. prob.* Inclusio unius, præsertim in Dogmaticis, est exclusio alterius non comprehensi sub lege.

2. Tridentinum in Procemio hujus Sess. 14. testatur, se velle *tradere exactiorem & pleniorem de hoc Sacramento definitionem, in qua convulsis erroribus Catholica veritas perspicua & illustris fieret.* Hunc autem suum finem non obtinuisset, nisi prior textus haberet sensum exclusivum relatè ad circumstantias non variantes speciem.

3. Quando Tridentinum docet, fideles teneri ad confessionem semel in anno, & S. Communionem in Paschate, datur sensus exclusivus omnis ulterioris obligationis. Ergo idem dicendum in præsenti.

4. Tridentinum l. cc. c. 5. postquam docuerat, fideles obligari ad exprimendum numerum & speciem peccati, addit: *Constat, nihil aliud à pœnitentibus exigi.*

Respondeo n. a.

Ad 1. c. a. dist. c. Si non mutantes speciem, attamen diversæ rationis, in æstimatione morali hominum possint aliqua certa regula practica discerni à circumstantiis mutantibus speciem. tr. secus. n. Respondeo 2. c. a. n. c. *ad prob.* dist. inclusio unius est exclusio alterius moraliter discernibilis ab incluso, nec participantis identitatem motivi pro inclusione. tr. indiscernibilis ab incluso, nec participantis identitatem motivi. n. Circumstantiæ enim habentes annexam deformitatem diversæ rationis nec possunt moraliter discerni à circumstantiis mutantibus speciem; atque in iis militat idem motivum.

Ad 2. dist. Docet, se velle tradere exactam doctrinam in controversiis scholasticis. n. Certum enim est, quod in controversiis scholasticis Theologorum nihil voluerit definire. Respondeo 2. tr. *Maj.* dist. *Min.* Non obtinuisset hunc finem, si circumstantiæ habentes annexam deordinationem diversæ rationis in æstimatione morali hominum possent practicè discerni à mutantibus speciem. tr. secus. n. in æstimatione enim morali æquiparantur à plebe.

Ad 3. c. a. n. c. & paritatem. Disparitas est, quia actus non comprehensi in lege hac facile possunt discerni, nec ex natura sua, petunt ex eodem motivo comprehendi sub eadem lege, prout tamen circumstantiæ & malitiæ diversæ rationis petunt comprehendi & confundi cum circumstantiis variantibus speciem.

Ad 4. dist. Dicit hoc Tridentinum relativè ad immediatè antecedentia & consequentia. c. relativè ad antecedentia mediata ac remota. n. immediatè enim præcesserat, quod hæretici confessionem vocent carnificinam, ad hanc calumniam Synodus dicit, *nihil aliud præcipi*, nisi ut exprimantur peccata, quæ memoriæ occurrunt. In quo textu non necessariò respicitur ad ea, quæ longè superius præcesserant in eo Capite de circumstantiis aggravantibus; imo universim pronius est, connexionem propositionum tantum respicere ad immediatè antecedentia ac immediatè subsequentia.

QUÆSTIO II.

An detur obligatio, confitendi peccata etiam dubia?

Notandum 1. Dubium dividi in *dubium juris*, & *in dubium facti*. Dubium juris est *dubitatio, an actus comprehendatur sub lege*, præcipiente, vel prohibente, naturali, divina, Ecclesiastica? an graviter obligante, vel leviter obligante? Tale dubium juris est 1. si pœnitens dubitat, an peccatum, quod scit se commisisse, v. g. furtum floreni, detractio, lascivia verborum, assensus internus, delectatio morosa &c. sint prohibita à Deo sub peccato mortali. 2. si dubitet, an circumstantia peccati, quod scit se commisisse, mutet speciem peccati? vel utrum notabiliter aggravet peccatum? Dubium facti est dubitatio, *an actus, de cujus obligatione agitur, reipsa fuerit positus, vel non?* Sic dubium facti est 1. si pœnitens dubitet, an reipsa in peccatum, quod scit esse graviter prohibitum, consenserit vel non? 2. si scit quidem, se commisisse actum de se graviter prohibitum, aut præstitisse peccato assensum, dubitat tamen, an id egerit cum plena deliberatione sufficiente ad constituendum peccatum mortale? vel utrum id egerit cum sufficiente cognitione vel advertentia ad gravem malitiam objecti. 3. si pœnitens quidem sciat, se commisisse de se graviter prohibitum, & habuisse plenam malitiæ gravis cognitionem ac deliberationem; dubitat tamen, an illud jam aliquando fuerit confessus? Ut verò hoc dubium facti distinguatur à duobus præcedentibus; illa posthac appellabuntur dubia *facti recentis*, utpote commissi ab ultima Confessione, peracta cum bona fide; hoc autem vocabitur dubium *facti veteris*, utpote præcedentis ultimam confessionem, bona fide, & debitè peractam. 4. si pœnitens dubitat, an votum, quod transgressus est, revera emiserit? aut num illud emiserit cum sufficiente cognitione aut deliberatione requisita ad emissionem voti. Posset addi tertium genus dubii; videlicet dubium mixtum *ex dubio juris ac facti*, in quo concurrit simul dubium juris, & dubium facti. v. g. si simul dubitat, an præstiterit assensum vindictæ, & num objectum illud sit de se peccatum grave? aut num ille assensus præstitus sit cum sufficiente cognitione aut deliberatione de gravi malitia? Item; si dubitet,

an detractio, murmuratio, scandalum &c. quorum scit se reum, sit peccatum mortale ex sua natura ac per se; & supposito quod esset de se peccatum grave, an tempore commissi delicti sufficienter apprehenderit malitiam actus gravem?

NOTANDUM 2. Dubium dividi in *dubium strictè dictum*, & in *dubium latè dictum*. Dubium STRICTE AC SIMPLICITER DICTUM est hæsitatio mentis cum suspensione omnis judicii in alterutram partem, ita ut homo se nesciat resolvere potius in partem affirmativam, quam negativam. Econtra DUBIUM LATE DICTUM est *judicium opinativum cum aliquali formidine oppositi*, dum videlicet homo judicat, *probabilius* ac *verisimilius* seu *credibilius* intervenisse vel non intervenisse peccatum grave, habet tamen rationem aliqualem timendi de opposito. Hanc notionem *dubii simpliciter dicti*, & *latè dicti*, eleganter tradit NAVARRUS noster in *Manuali*, *Miscellaneo* 3. his verbis: *Opinio est cognitio, qua judicamus aliquid esse vel non esse, sed cum formidine, ne contrarium sit verum. Dubitatio est cognitio duarum rerum contrariarum, neutram earum judicando veram. Ex his apparet, quod scientia est firma & evidens cognitio; fides, firma sed non evidens, sed obscura; opinio autem, nec evidens, nec firma, quamvis sit judicativa; dubitatio verò, nec evidens, nec firma, nec judicativa.* Ita rectè Navarrus; qui pro hac notione allegat Glossam *l. de statu ff. de Testam.* & Glossam Rubr. ff. *de jur. & fac. ignor.* & *cap. Firmiter de Sum. Trin.* Idem rectè observat; *scrupulum* cum qualibet harum quatuor cognitionum consistere posse, eò quod scrupulus sit tantum cognitio argumenti apparentis contra prædicta. Itaque hæc notio terminorum semper præ oculis habenda est, quia, cum NAVARRUS vixerit tempore Concilii Tridentini, & ob peritiam juris vocetur *Monarcha juris*, præsumendum est, hunc terminum DUBIUM, *simpliciter* prolatum, semper ab antiquis authoribus in hoc sensu sumptum esse.

NOTANDUM 3. Dubium à modernis Theologis dividi in *dubium positivum*, & in *dubium negativum*. Dubium POSITIVUM vocant, quando pro alterutra vel pro una contradictionis parte dantur quidem argumenta sufficientia ad ferendum judicium, sive intellectus ferat judicium, sive nullum ferat, sed suspendat judicium. Econtra DUBIUM NEGATIVUM dicunt, quando aut nullum datur argumentum sufficiens pro ferendo judicio, aut si qua talia argumenta dantur, ea se invicem elidunt, ita ut stante tali defectu aut elisione argumentorum intellectus ne quidem posset ferre judicium, etsi vellet. Hujus divisionis authores sunt *Probabilistæ*, qui putant, intellectum assentiri posse cuivis motivo probabili, illudque judicare verum, etsi evidenter videat, illud non esse credibilius opposito, imo probabilius falsum. Verùm cum huic monstro quod intellectus possit judicare ac dicere verum esse, quod evidenter videt, esse probabilius falsum, se tota natura humana opponat, missa hac explicatione ac divisione *dubium positivum* nullum aliud admitto, nisi quod coincidit cum *opinione*, aut *dubio simpliciter* dicto, superius à Navarro descriptis; dubium verò *negativum*, vel ad *argumentum negativum* ex defectu memoriæ, aut alterius causæ suasivæ, vel in Classem *scrupulorum* rejicio. Ipsum namque *argumentum negativum*, cum sit inter motiva suasiva, fundat etiam *dubium positivum*, aut, si non format argumentum solidum, prudens, ac verosimile, sed dicit puram negationem motivorum; *ad scrupulos*, ductos non à ratione, sed à passione timoris, destituti positiva ratione fundante præsumptionem, & fundati in nuda possibilitate oppositi, referendum est.

DICO I. Non datur obligatio confitendi peccata latè dubia, sive interveniat dubium juris, sive dubium facti.

PROBATUR 1. Peccatum latè dubium est, circa quod homo judicat, se credibilius, seu probabilius non peccasse graviter; sed tale peccatum non tenetur confiteri. Ergo. *Min. prob.* Talis homo à Scriptura, Patribus, & antiquis authoribus tam Theologis quàm Juristis non dicitur *dubitare*, sed *judicare*; prout patet ex *Notando* 2. ergo non tenetur tale peccatum confiteri. *c. prob.* si homo non dubitat de peccato, nullibi obligatur ad confessionem.

PROBATUR 2. Non potest probari hæc obligatio. Ergo non datur.

PROBATUR 3. Peccata sic dubia pertinent saltem ad speciem infimam materiæ Sacramentalis, quæ dependet à determinatione Ecclesiæ. Ergo non datur obligatio ea confitendi. *c. prob.* Ecclesia eam obligationem nec determinavit per sensum communiorem Doctorum, nec per praxin potiorem seu consuetudinem fidelium. Ergo. *Antecedens probatur*, testimonio P. LA CROIX, qui testatur, communiorem Doctorum stare pro Negativa, quando *dubium est positivum*, seu tale, prout ipse explicat Q. 6. p. 2. n. 599. ubi *possit* formari judicium probabile prudens, quod in horum authorum sententia potest esse probabilius falsum. Ergo multo magis nulla dabitur determinatio Ecclesiæ, si homo actu & positivè judicet, probabilius nullum intervenisse grave peccatum. Et quamvis authores à La Croix citati, excepto Silvio & Suarezio, qui erant in Patribus & antiquis Theologis versati, non sint *primi* aut *secundi ordinis*, utpote *nec in Candelabro Dignitatis Ecclesiasticæ* constituti, nec *in Traditione Patrum versati*, repræsentant tamen disciplinam & praxin Ecclesiæ in materia dependente ab arbitrio Ecclesiæ, qualis est præsens. LA CROIX l. cc. 2. 600. 601. & 602. sic scribit: *Si in utramque partem positivè dubites de mortali commisso, Silvius, Suarez, Henriquez, Sanchez, Bonacina, Layman, Lugo, Castropalao, Escobar, Dicastillo, Palavicinus, Aversa, Stoz, Schilderer, Tamburinus, Mendo, dicunt, te non teneri confiteri; quam sententiam vocant communem Illsung, & Sporer. Haunoldus vocat unanimem Theologorum, Conink vocat certam. Si scias te peccasse; sed positivè dubites, an mortaliter an venialiter, authores citati aliique communiter dicunt, te non teneri confiteri. Si scias, te peccasse mortaliter, & positivè dubites, an sis confessus, authores citati, aliique cum Præposito, Lugo, Dicastillo, Pallavicino, Arriaga, Stoz, Bosco, dicunt, te non teneri confiteri; quam sententiam Illsung, & Platelius testantur*

tur esse communem. La Croix, n. 603. addit: *Hactenus dicta tenent authores citati, quamvis pro illa parte, quod peccaris mortaliter, vel quod non sis confessus, starent rationes probabiliores, supposito, quod alias in similibus materiis licitum sit sequi sententiam probabilem relicta probabiliore.* Hæc referre volui, ut ostendam *praxin communem* intra limites rationis, dum hi authores eam demonstrantur extendere etiam ultra limites rationis.

Probatur 4. Deus in omnibus legibus tam naturalibus quam divinis pro regula proxima agendorum posuit dictamen rationis seu judicium intellectus fundatum in eo, quod est credibilius ac probabilius, nisi ob periculum morale gravis damni per actionis licentiam inevitabilis detur particularis obligatio sequendi sententiam certam; prout suppono ex dicendis *de probabilissimo*; & patet ex Apostolo Rom. 14. v. 2. 5. 14. 22. 23. 24. Ergo etiam in præsenti materia licet agere juxta id, quod quis judicat credibilius, verius, ac probabilius. Nullum enim ex hac licentia sequitur periculum animæ; quia, si etiam incursum fuisset peccatum, in homine assueto charitati facile solveretur *directè per contritionem* perfectam, aut in proxima confessione *indirectè per absolutionem.* Textus Apostoli sunt hi: *Alius credit* (judicat) *se omnia manducare* (posse licitè; etiam idolis oblata) *Alius judicat diem inter diem;* (ita, ut v. g. uno non liceat vesci carnibus, nempe feriâ 4. & 6.) *alius autem judicat omnem diem* (esse liberum pro vescendis carnibus). *Confido, nihil commune* (seu inquinatum esse) *nisi ei qui existimat, quid commune esse; illi commune est. Tu fidem* (credulitatem de licentia vescendi ejusmodi carnibus) *habes? Penes temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum,* (scrupulosa anxietate se cruciandô) *in eo, quod probat* (licitum putat ac judicat prudenter). *Qui autem discernit,* (judiciô suô quoad licentiam diversam rationem esse judicans in cibis idolothitis & aliis) *si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide* (judicio proprio). *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.*

Probatur 5. Obligatio confitendi peccata latè dubia ex una parte esset difficillima etiam respectu amicorum Dei; ex altera parte non est necessaria ad finem Sacramenti. Ergo non videtur prudenter intendibilis aut intenta à Christo. *Ant. prob.* Difficile est etiam amicis Dei, aliquando non incidere in *cogitata, dicta, aut facta,* quæ, si postmodum in sero Examine ad lucem Doctrinæ Christianæ penficulatius inspiciantur, videantur legi divinæ graviter opposita, ita ut possint movere aliquale dubium; an non intervenerit vel *ignorantia* seu inadvertentia graviter *culpabilis*, aut *assensus repentinus* de se sufficiens ad grave peccatum? Itaque difficile foret amicis Dei, utut nunquam cum plena advertentia & deliberatione consentientibus in ullum peccatum mortale, si semper tenerentur confugere ad remedium confessionis; imo id foret perturbativum Ecclesiæ, & amici Dei prostituerentur profanis tanquam homines fatui. Ex altera verò parte nec ea obligatio exigitur ad finem Sacramenti; quia etsiamsi talia peccata latè dubia exponerentur, non posset pro eis imponi pœnitentia, satem proportionata delictis, nec vindicativa, nec medicinalis. Itaque ejusmodi dubiorum confessio tantum servit pro materia virtutis, ac humiliationis, ac gratiæ majoris impetrandæ; non pro materia obligationis.

Dico II. Datur obligatio confitendi peccata *strictè* dubia, sive sint dubia dubietate *juris*, sive dubietate *facti*.

Probatur 1. Sensus & praxis Ecclesiæ agnoverunt hanc obligationem usque ad Sæculum decimum septimum; & Theologi oppositæ sententiæ non potuerunt introducere consuetudinem contrariam licitam, utpote in re magni momenti, quæ recusat facilem assensum legis; & ipsi sint aliàs *dignitate, scientia traditionis* continuæ, ac etiam *numero* longè inferiores. *Ant. prob.* Sensum & praxin Ecclesiæ aut inveniunt aut formant veteres Theologi, & Catechismus Tridentini, qui fere in omnibus Diœcesibus statim post Tridentinum præscriptus est pro norma Parochis. Sed ii agnoscunt hanc obligationem. Ergo. *Min. prob.* 1. *D. Thomas* in 4. dist. 22. q. 2. a. 3. ad 3. ait: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente; quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* In hoc textu clarum est, quod D. Thomas loquatur de dubio strictè tali. Qui enim judicat opinativè, actionem non esse graviter peccaminosam, quamvis cum aliqua formidine oppositi, non peccat per eam actionem, ut suppono; alioquin nec liceret sequi sententiam probabilissimam, sed semper teneremur sequi tutam. 2 *Sylvester*, qui erat Magister S. Palatii, & *Cajetanus* Cardinalis, paulo ante Tridentinum idem testantur. *Sylvester in Summa*, V. *Confessio* n. 2. sic scribit: *Confessio debet esse integra, ut nihil subtrahat de manifestandis; quod de mortalibus intellige; quia quoad venialia secundum Petrum* (Paludanum) *dimidiari potest; nisi dubitetur esse mortalia.* Cajetanus verò Opusc. 18. q. 2. ad 1. sic scribit: *Non est impossibile, quod homo sciat, hæc esse mortalia, vel in ambiguis; quod sciat se commisisse tale, de quo dubium est, an sit mortale. Et scientia hæc sufficit. Obligat enim Ecclesia ad confitendum omnia peccata mortalia, quorum quis memoriam habet, sive sint manifestè mortalia, sive sint ambiguè mortalia; tenetur; tenetur enim omnia confiteri, certa pro certis, & ambigua pro ambiguis. Sic enim absque nostra voluntaria glossa sanè patet planus sensus Canonis:* Omnis utriusque sexus; *sic testatur communis mos pœnitentium atque confessiones audientium. Omnes enim ambigua pro ambiguis confitentur. Nec satisfacere credimus confessioni eum, qui opinatur se consensisse in Sacrilegium, licet non sit certus; si non confitetur de illo consensu ut opinato.* Ex hoc textu Cajetani non solum patet veritas nostræ probationis; sed etiam falsitas sententiæ illorum, qui docent; nullam dari obligationem confitendi peccata dubia, si in oppositum reperiatur ratio dubitandi positiva, seu dubium positivum. His antiquioribus authoribus annumerari possent *Paludanus, Rosella, Tabiena, Gerson, Soto &c.* 3. *Catechismus Romanus* p. 2. n. 43. dicit:

Ea

Ea confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus; certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret.

PROBATUR 2. Illud quisque tenetur confiteri, de quo tenetur conteri; sed de peccato strictè dubio tenetur quisque conteri. Ergo. *Min. patet* ex eo, quia quilibet tenetur se constituere in eo statu, quem saltem *prudenter judicare possit* esse statum salutis. *Maj. prob.* ex D. Thoma, qui in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. qq. 4. dicit: *Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur.* Idem videtur colligi ex Tridentino, quod testatur, eam pœnitentiam, quæ requirebatur jure naturali, à Christo elevatam esse ad rationem Sacramentalem, quam participare non potest sine confessione. Ergo ubicunque requiritur contritio, etiam requiritur confessio.

PROBATUR 3. Homo tenetur ante S. Communionem probare seipsum, an sit in statu peccati mortalis, & dignus S. Communione. Sed hoc fieri nequit sine confessione stante dubio strictè tali. Ergo. *Maj. patet* ex Apostolo 1. Cor. 11: *Probet autem seipsum homo. Min. prob.* stante dubio strictè tali homo non potest judicare, se esse in statu gratiæ, saltem si sit dubium juris, aut dubium *facti recentis* ab ultima confessione. Ergo.

DICO III. Homines pii, qui sciunt, se nunquam à multis annis commisisse peccatum mortale scienter ac plenè deliberatè, ac insuper tantum gerunt horrorem à peccatis venialibus plenè deliberatis, ut non nisi rarò in aliquod incidant, in dubio *facti recentis* possunt se resolvere; probabilius se peccato requisitâ ad peccatum mortale advertentiâ ac deliberatione non assensisse. Ita omnes authores, qui hunc casum attingunt. In specie verò *La Croix* l. 6. p. 2. n. 612. & l. 1. n. 546. ubi sic scribit: *Etiam pro conscientiis non scrupulosis communiter notant authores, & absolutè dicunt Bonacina, Sayrius, Reginaldus, Herinck, Bosco; qui timoratæ est conscientiæ, nec solet plenè advertens consentire, potest in dubio credere, se non plenè consensisse, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.* Ita isti, meo judicio nimis laxi, quia illi, qui se solent deliberatè immittere in peccata venialia usque ad proxima confinia peccati mortalis, non comprehenduntur hac exceptione, utpote sponte amantes propingua pericula peccatorum gravium, in quæ proin facile ruunt. Debuissent ergo hi authores limitare propositionem ad eos solos, qui etiam horrent peccata venialia plenè deliberata, & pericula mortalium.

PROBATUR CONCLUSIO. Circumstantia in Conclusione explicata est signum moraliter certum perfectæ, radicatæ, ac fervidæ charitatis, cum qua vix unquam conjungitur subita conversio in alterum extremè oppositum, aut ignorantia vel inadvertentia graviter culpabilis. Ergo fundat præsumptionem moraliter certam pro statu gratiæ, adeoque sufficientem ad eliendum dubias rationes in oppositum; quam tamen moralem certitudinem non fundat circumstantia allegata ab authoribus supra relatis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. contra primam Conclusionem. 1. Qui tantum judicat, se credibilius ac probabilius non esse in statu peccati mortalis, adhuc credibiliter ac probabiliter est in statu peccati mortalis. Ergo adhuc est in periculo damnationis, nisi confiteatur peccatum.

2. Quivis ex dictamine naturæ tenetur se constituere in morali certitudine salutis; sed taliter constitutus in dubio latè tali non potest se constituere in morali certitudine salutis sine confessione peccati dubii.

3. Taliter constitutus in peccato latè dubio tenetur de illo elicere contritionem saltem conditionatam, sicut dictum est de peccato strictè dubio. Ergo tenetur in ea contritione habere propositum illam contritionem subjiciendi clavibus Ecclesiæ; quia omnis pœnitentia jure naturali requisita est à Christo elevata ad rationem Sacramentalem.

4. Catechismus Tridentini loco superius citato dicit: *Talis Confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus.* Atqui ejusmodi pœnitens novit se formidolosum ac dubiosum de opposito. Ergo.

5. Conscientia etiam latè dubia adhuc participat rationem genericam conscientiæ. Ergo simpliciter verum est; quod pœnitens latè dubius habeat conscientiam peccati dubii; ac consequenter, eum juxta Tridentinum homo teneatur confiteri ea peccata, quorum conscientiam habet, tenebitur confiteri peccata latè dubia.

6. In dubio tutior pars est eligenda, ubi agitur de periculo salutis æternæ. Sed in hoc casu agitur de tali periculo. Ergo. *Min. prob.* Si talis opinio, qua homo judicat, se v. g. non præbuisse assensum peccato, aut non habuisse sufficientem advertentiam malitiæ, reipsa falleret, & homo in eo statu moreretur, periret æternum.

7. Illud est materia necessaria confessionis, quod in V. T. erat materia necessaria contritionis vel sacrificii. Sed peccata etiam latè dubia erant materia necessaria contritionis vel sacrificii, sic enim Job sacrificat quotidie dicens: *Ne forte peccaverint filii mei.* Job. 1. Ergo.

8. Lepra etiam dubia latè talis subjiciebatur cognitioni Sacerdotum. Ergo idem dicendum de peccatis.

9. Illa spectant ad tribunal Sacerdotis, quæ spectarent ad tribunal Christi, si adesset. Sed. Ergo.

10. Lex favorabilis est amplianda. Sed talis est lex confitendi peccata latè dubia. Ergo. *Min. patet*, quia hæc lex liberat à periculo damnationis & ab incertitudine salutis, quæ non posset obtineri nisi per contritionem difficilem ac admodum incertam.

11. In dubio incurritur irregularitas de homicidio. Ergo etiam obligatio confitendi ex peccato dubio.

12. Antiqui non distinxerunt inter dubium *latè* ac *strictè* acceptum. Ergo cum peccata dubia indiscriminatim legi Sacramentali Confessionis subjiciant, etiam *latè dubia* comprehendunt.

13. Est usitata praxis fidelium, subjiciendi clavibus peccata etiam latè dubia, saltem securitatis causa. Ergo censent, se non esse satis securos de salute sine tali confessione, nec etiam tranquillos in conscientia. Consequenter eo ipso datur obligatio confitendi ad avertendum hoc grave malum animi, quod est periculum & turbatio animæ.

RESPONDEO.

Ad 1. tr. a. dist. c. Est in periculo damnationis, nisi aut eliciat contritionem perfectam, aut sinat se ab eo peccato absolvi indirectè confitendo alia peccata. tr. secus. n.

Ad 2. n. *Min.* Quia potest vel elicere perfectum amorem Dei, vel obtinere absolutionem indirectè, confitendô alia peccata, aut etiam justificari per accidens sumptione Eucharistiæ.

Ad 3. n. a. v. dist. Tenetur elicere contritionem virtualem. c. formalem. n. sufficit enim taliter dubitanti, si eliciat amorem Dei perfectum, cogitandô, si forte suum prudens judicium falleret, se velle compensare delictum actibus fervidi amoris.

Ad 4. dist. a. Talem se quisque Sacerdoti aperiat, qualem seipsum novit circa objecta comprehensa in materia necessaria Sacramenti. c. alia. n. Alioquin posset retorqueri quoad circumstantias ejusdem rationis aggravantes intra eandem speciem, aut non notabiliter aggravantes.

Ad 5. tr. a. dist. c. Ita tamen ut peccatum latè dubium simpliciter non veniat nomine peccati commissi. c. secus. n. Conscientia etiam dubia est aliquo modô *scientia*; sed objectum, quod probabilius non est, in æstimatione morali censetur non esse. Et ideo non negatur à nobis existentia cognitionis, seu conscientia, sed negatur conscientia de existentia objecti cogniti.

Ad 6. c. *Maj.* n. *Min.* Quia homo potest elicere actum perfectæ charitatis; quod facile est exercitatis in amore Dei, aut potest oblatâ opportunâ occasione confiteri de aliis peccatis, ut absolvatur indirectè etiam de peccato latè dubio. Imo in tali casu meô judiciô justificaretur de tali peccato etiam per sumptionem Eucharistiæ. Hinc Sacerdos aut Laicus, qui pridie confessus est; si incurrat tale peccatum latè dubium, quod facile potest contingere; non tenetur cum suo vel aliorum incommodo, aut apprehensione, præmittere Confessionem celebrationi vel communioni. Si enim ipsemet Christus adhuc in terris viveret; non videtur; quod talem legem, quæ potissimùm ejus amicos onerat cum eorum prostitutione coram profanis, & detrimento divinæ gloriæ, poneret. Facile enim est; quod etiam Sacerdotibus probis in administratione Sacramentorum gravis ira, aut distractio circa essentialia Sacramenti, aut in discursu verba detractoria, aut actus contrarii dilectioni erga proximum, aut pravæ affectiones mentis uno vel altero momento retentæ, & hujusmodi, obrepant; in quibus omnibus, si examinentur, potest frequenter oriri aliquale dubium, an non actus de se sit graviter prohibitus? & utrum non intervenerit sufficiens advertentia? Itaque tenerentur statim currere ad Confessarium: qua generali obligatione sæpe per anxietatem mentis sese & Confessarios impedirent ab aliis actionibus, ac insuper lucrarentur frequenter famam Scrupulosi cum præjudicio divinæ gloriæ.

Ad 7. tr. *Maj.* n. *Min.* Textus Jobi probat tantùm; quod Job obtulerit sacrificium pro peccatis scienter commissis, si tale ipso inscio commisissent; non quod filii ob peccatum latè dubium id exegerint.

Ad 8. n. a. id enim probari nequit. Solum evincitur, quod post declaratam semel lepram non fuerint communioni populi restituti, quamdiu adhuc supererat dubium latè tale de adhæsione lepræ.

Ad 9. tr. *Maj.* n. *Min.* Christus enim suos amicos ab hac lege potius absolveret.

Ad 10. dist. Est favorabilis respectu paucorum. tr. respectu plurium, & potiorum. n. Illi pauci peccatores, qui non possunt elicere actum charitatis perfectæ, sunt respectivè pauci comparativè ad amicos Dei, quos stringeret ista lex. Peccatores enim; qui bibunt sicut aquam iniquitatem, aut ob nimiam adhæsionem circa creaturas sentiunt difficultatem in elicienda charitate perfecta, rarò se possunt eruere à dubio strictè tali; imo potius ob usum, aut pronitatem peccandi relictam, potius habent præsumptionem pro formando judicio, quod probabilius intervenerit assensus peccati.

Ad 11. tr. a. n. C. Quia ea irregularitas est pœna aut inhabilitas, quæ rarò occurrit; difficultas autem hujus legis frequenter occurreret, & inevitabiliter stringeret ac cruciaret etiam amicos Dei.

Ad 12. n. a. Quia antiqui non confuderunt dubium *strictè acceptum*, & dubium *latè acceptum*; sed hoc posterius nequidem comprehenderunt nomine *dubii*, sed sub nomine *opinionis*, prout ex Navarro ostensum est in *Notando* 2.

Ad 13. dist. Est talis praxis animo se obligandi aut obligationem agnoscendi. n. animô virtutem exercendi, aut se à peccato veniali liberandi. c. Ejusmodi enim praxis varia habere potest motiva. 1. ut deleatur peccatum saltem veniale, quod frequenter intervenit in ejusmodi actibus, de quibus dubitatur, an sint peccatum mortale, quantumvis judicetur probabilius, non intervenisse malitiam gravem. 2. ut deleatur castigatio divina, seu reatus pœnæ, quam Deus severam infligere solet peccatis de se gravibus, utut ob ignorantiam, inadvertentiam, præcipitantiam, vel indeliberationem transierint in peccatum veniale. Solet enim Deus ejusmodi peccata castigare gravi afflictione interna, aut opera dæmonum animam ream excrucianitum. 3. ut solvatur citius purgatio divina, qua Deus variis angustiis internis solet purgare levitatem ac deordinationem animi, plerumque intervenientem in ejusmodi actibus latè dubiis quoad malitiam gravem. 4. ut ipsa humiliatione confessionis profundius menti imprimatur admonitio divina, qua Deus per mentis anxietates monet, majorem esse in posterum adhibendam attentionem, cautelam, & circumspectionem, ubi agitur de periculo gravis peccati. 5. ut animus per firmius propositum, & mulctam confessionis, obfirmetur contra omnes internas incursiones tentationum

tationum similium; quod propositum plerumque fortiùs concipitur, si Deus cruciatum animi non tollat ante actualem confessionem ejusmodi peccati latè dubii. 6. ut ex consuetudine confitendi peccata latè dubia seipsos absterreant à relapsu. 7. ut tali Confessionis humiliatione dæmon confundatur, sicque sæpius non solùm victus, sed etiam flagellô piæ exercitationis mulctatus à tentatione ulteriore abstineat. 8. ut humiliatione confessionis & virtute absolutionis obtineatur major Dei gratia ac protectio.

OBJICITUR 2. contra secundam Conclusionem. 1. In antiquis Pœnitentialibus & in Scriptis SS. Patrum nullum reperitur vestigium confessionis circa peccata dubia. Ergo ea obligatio non datur.

2. Etsi à Sæculo 13. invaluerit mos confitendi ejusmodi peccata strictè dubia, id tamen fieri potuit causâ devotionis & tranquillitatis internæ, non animo agnoscendi obligationem.

3. Sententia negativa habet ab authoritate æqualem probabilitatem ac Sententia affirmativa obligationis. CARAMUEL pro Negativa refert 25. authores, inter quos sunt *Valdelus*, *Salas*, *Conink*, *Layman*, *Lessius*, *Granadus* &c. Plures addunt alii; & HAUNOLDUS n. 1005. testatur; suo tempore sententiam Negativam non pauciores numerasse Patronos, ac affirmativam. Ergo hæc sententia est tuta in praxi.

4. In hac materia potius est sequenda authoritas Recentiorum, quàm Veterum. Ergo horum authoritas non servit ad intentum. *Ant. prob.* Veteres nitebantur falso supposito seu principio; *in dubio esse eligendam tutiorem*, quod tamen principium ex iis, quæ docentur *de probabilissimo* patet esse falsum.

5. Juxta Tridentinum Sess. 14. c. 4. illa tantum sunt exprimenda peccata, quorum quis *conscientiam habet*; sed peccatorum dubiorum non habetur conscientia. Ergo. *Min. prob.* Conscientia juxta D. Bernardum est *cordis scientia*, quod ipsum confirmat D. Thomas 1. q. 79. a. 13. C. ubi ait: *Conscientia secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliud; nam conscientia dicitur cum alio scientia.* Et dum c. *fin. de præscript.* dicitur: *Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ*, Doctores hoc explicant *de scientia*; quia docent; dubium superveniens cœptæ præscriptioni non obesse. Atqui ejus rei, de qua quis dubitat, non habet scientiam.

6. Idem Tridentinum l. cc. dicit: *Nihil à pœnitentibus exigi, nisi ut quis ea peccata confiteatur, quibus se Deum offendisse meminit.* Sed dubitans non potest dicere, se meminisse rei, de qua dubitat; imo eodem jure potest dicere; se meminisse, quod non peccaverit.

RESPONDEO

Ad 1. n. a. Quia ex Pœnitentialibus patet; multa eo tempore simpliciter, ut contigerant, fuisse exposita, de quibus poterat dubitari, an fuerint peccata mortalia vel venialia? vel utrum commissa sint cum sufficiente advertentia? Sic & D. CYPRIANUS testatur; aliquos se accusasse; si vel cogitaverant de abnegando Christo; in quo genere facile poterat intervenire dubium de perfecto consensu. RESPONDEO 2. Etsiamsi antiquitus non fuisset data vel agnita ea obligatio confitendi peccata dubia, habuit tamen Ecclesia potestatem, sequioribus sæculis determinandi hanc materiam quoad speciem infimam. RESPONDEO 3. sensum uniformem Doctorum Sæculo 13. esse signum traditionis præcedentis & observantiæ uniformis, quamvis demonstrativa indicia non extent.

Ad 2. n. a. Animum enim fidelium formant responsa Doctorum. Cum ergo Doctores jam Sæculo 13. agnoverint obligationem confitendi peccata simpliciter *dubia*; eo etiam animô censendum est fideles fuisse obsecutos.

Ad 3. n. a. Authores, quos Caramuel recenset pro se, vel apertè eidem adversantur; vel solùm dicunt; sententiam negativam esse speculativè probabilem, ut ostendit CARDENAS adductis ipsis illorum authorum verbis. Ex quo patet, Caramueli non posse fidi. Id quod HAUNOLDUS asserit, alii non potuerunt invenire in authoribus impressis. Forte Haunoldus tantum respicit ad *Manuscripta* quorundam Professorum, quæ non formant publicum sensum & praxin Ecclesiæ.

Ad 4. n. a. ad prob. dist. Nitebantur falso supposito tanquam motivo suæ doctrinæ inadæquato, accidentali, ac secundario. tr. adæquato, essentiali, ac primario. n. Illa enim ratio, quod *tutior pars sit sequenda*, non erat ratio primaria obligationis introducendæ, sed tantum congruentia obligationis jam introductæ. Quod si etiam falsa aliqua suppositione novam obligationem introduxissent; ea ratione solum ab Ecclesia per os Doctorum fuisset determinata materia Sacramenti *quoad speciem infimam*, conformiter ad intentionem Christi, requirentis judicium, quam fieri potest, exactissimum. RESPONDEO 2. principium illud non esse falsum, ubi periculum animæ non tollitur per licentiam actionis, prout fit in præsenti, quia etsi liceret omittere ejusmodi peccata dubia; tamen pœnitens in casu; quo revera peccasset, non constitueretur ante Confessionem in statu gratiæ sine contritione perfecta, quam ejusmodi homines laborantes *dubio strictè tali* difficulter eliciunt, utpote ex inconstantia vitæ præteritæ nullam reperientes præsumptionem pro se.

Ad 5. c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. dist. Conscientia ex Etymologia nominis & ex primæva institutione est quædam scientia. tr. ex acceptione communi hominum. n. Evidens enim est, quod conscientia ex communi acceptione hominum sumatur etiam pro *notitia dubia*. Ita D. PAULUS 1. Cor. 8. dicit: *Non est in omnibus scientia; quidam cum conscientia idolothytum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur.* Sic etiam de conscientia fluctuante Rom. 2. loquitur dicens: *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum; & inter se cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Sic & sumitur in Jure Canonico c. *inquisitioni* 44. de Sent. Excomm. & c. *petit.* 24. de homicidio. Et Theologi passim dividunt *conscientiam* tanquam terminum genericum in *certam* & *dubiam*.

Ad 6.

Ad 6. c. *Maj*. dist. *Min*. Non potest dicere se meminisse memoria certa. c. dubia. n. quod enim detur etiam memoria dubia; colligitur ex usitatis loquendi formulis, dum dicimus: *Si recte memini*, *si non fallit memoria*; *in quantum memini*. Quia tamen fatendum; quod his terminis solum utamur; dum absolutè aliquid affirmamus, ac judicamus, RESPONDEO 2. dist. nòn potest dicere; se meminisse actionis *quoad modum*. tr. quoad substantiam. n. Talis enim meminit actus, de quo dubitat, an sit peccatum mortale; vel de tentatione affectus, de quo dubitat, an sit cum assensu.

OBJICITUR 3. contra candem. 1. Nulla obligatio præsertim in materia jam alias satis difficili est asserenda, nisi convincenter probetur. Sed talis est ista obligatio, & non probatur convincenter. Ergo. *Min. prob.* argumenta sententiæ negativæ saltem adhuc sunt probabilia.

2. *In obscuris minimum est sequendum*. Item. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius; interpretatio facienda est*. R. J. 30. & 57. in 6. Ergo cùm hæc obligatio non exprimatur clarè ac apertè in lege divina, aut Ecclesiastica, non est asserenda.

3. In tribunali profano non admittuntur delicta dubia. Ergo nec debent admitti in tribunali sacro.

4. Illud quod se solò non est sufficiens materia Sacramenti, simpliciter nec est materia necessaria Sacramenti. Sed peccata dubia se solis ne quidem sunt materia sufficiens hujus Sacramenti. Ergo. *Maj patet*, quia in terminis est absurdum, illud se solo esse necessarium, quod se solo ne quidem est sufficiens. *Min. prob.* nunquam licet absolvere pœnitentem de peccato præcise dubio, quin addat materiam certam.

5. In dubio melior est conditio possidentis. Ergo cum pœnitens sit in possessione suæ libertatis à tali lege, & ab ea possessione non dejiciatur per moralem certitudinem legis, relinquendus est in libertate.

6. Qui dubitat, an emiserit votum, non tenetur illud implere. Ergo etiam qui dubitat an consenserit in peccatum, non tenetur illud confiteri.

7. Qui dubitat, an peccatum sit reservatum, non tenetur adire superiorem pro absolutione. Ergo etiam qui dubitat an commiserit peccatum mortale reservatum cognitioni Ecclesiæ, non tenetur adire Sacerdotem pro absolutione.

RESPONDEO

Ad 1. n. *Maj*. Quia, ut suppono ex dictis *de Probabilismo*, ad obligationem sufficit ea promulgatio, qua fiat *notabiliter probabilior ac credibilior* existentia legis. Clarum enim est; plerasque leges comprehendere actus innumeros in casu particulari, ad quos lex generalis primum applicanda est ope ratiocinii, quin ejusmodi extensionis ad casus particulares haberi possit demonstratio, prout patet ex quarto, quinto, sexto, & septimo præcepto Decalogi.

Ad 2. dist. Minimum est sequendum, & contra Legislatorem interpretatio est facienda, ubi non constat notabiliter probabilius ac credibilius de existentia legis. c. secus. n. Ratio responsionis patet ex proximè dictis; quia Legislator non tenetur extensionem suarum legum reddere moraliter certam; sed rationabiliter potest ac debet obligare omnes, quibuscunque existentia legis redditur *evidenter credibilior ac probabilior*, sicut contingit in materia religionis.

Ad 3. c. a. n. C. & paritatem. Disparitas est; quod ibi agatur ad condemnandum & puniendum; hic verò ad absolvendum, & liberandum.

Ad 4. dist. a. Peccatum dubium se solo non est materia sufficiens Sacramenti in ordine ad formam absolutionis ex intentione absolventis absolutam. c. conditionatam. n. Sæpe enim contingit; non posse convenienter haberi materiam certam, sicut contingit in pueris incipientibus confiteri, in senibus obliviosis, in simplicibus ac idiotis, in semifatuis, in animabus ab infantia ab omni peccato veniali plenè deliberato valde puris; & hi omnes possunt absolvi ordinaria absolutionis forma absoluta, dummodo intentio absolvendi sit conditionata.

Ad 5. c. a. n. C. & suppositum, subditum non dejici à possessione suæ libertatis à lege, si Legislator expresse velit obligare ad extensionem legis etiam eos, quibus redditur *evidenter credibilior ac probabilior* existentia legis, & intentio Legislatoris. Jam verò Legislatorem divinum ac Ecclesiasticum sic velle & debere velle, ut obligentur conscientiæ; patet ex regulis prudentiæ legislativæ; quia manifestum est; extensionem legis conformiter ad intentionem obligantis non posse sic promulgari, ut ea extensio ad tot genera actionum reddatur omnibus moraliter certa.

Ad 6. c. a. n. c. & parit. Disparitas est, quia intentia propria vovendi potest & solet esse intimè nota, quando revera extitit. Ergo si non est intime, ac morali certitudine, nota; eoipso habetur positivum argumentum reflexum de non existentia directa legis; ita ut homo prudenter possit judicare; probabilius ac credibilius non dari legem directam, seu animum obligandi. Econtra ubi Legislator est distinctus à propria mente; in casu dubii *strictè talis* non habetur argumentum reflexum probabilius de non existentia directa legis.

Ad 7. c. a. n. c. & parit. Disparitas est, quia in hoc casu *dubium strictè tale* cadit super ipsum existentiam *legis*, seu *reservationis*; in quo casu habet argumentum reflexum de non existentia directa legis, eò quod in illa non reperiat *characterem legis*, videlicet *majorem credibilitatem* ac *probabilitatem* legis. Econtra in nostro casu *dubium strictè tale* non cadit super existentiam directam ejus legis, de qua est quæstio, videlicet super obligationem confitendi dubia peccata, utpote quæ supponitur esse cognita tanquam eminenter credibilior ac probabilior; sed cadit tantum super objectum materiale hujus legis.

OBJICITUR 4. contra eandem. Pœnitens in casu *dubii strictè talis* potest per argumentum reflexum judicare; se probabilius non peccasse. Ergo non obligatur ad confessionem talis dubii. *Ant. prob.* 1. Pœnitens potest sumere hoc principium. *Homo tamdiu præsumitur bonus*, *donec non probetur convincenter malus*.

2. Ipsum

2. Ipsum propositum prius habitum, nunquam peccandi mortaliter, est argumentum positivum, fundans præsumptionem pro possessione continuata innocentiæ. Ergo in æquilibrio dubii strictè talis sufficit ad tollendam indifferentiam judicii, ac consequenter dubietatem strictè talem.

3. Homo communiter solet certam habere memoriam gravis peccati, si quod commisit. Ergo si experitur; se non habere memoriam certam, signum est moraliter certum, quod non peccaverit graviter.

Respondeo dist. a. Pœnitens ab experientia multorum annorum, aut aliunde moraliter certus, quod nunquam cum plenâ advertentiâ ac deliberatione committat peccatum mortale, potest sibi formare hoc dictamen reflexum de non existentia peccati. c. Pœnitens non ita moraliter certus. n.

Ad 1. dico, in præsenti non præsumi animum malum, sed haberi graviter suspectum de peste peccati; in quo casu purgandus & probandus est.

Ad 2. dist. Propositum illud fundat præsumptionem, si à diuturna experientia aut ex dispositione causarum spondeat moralem certitudinem de perseverantia. c. secus. n. Proposita enim ordinaria, utut seria, constat esse aura mobiliora; adeoque insufficientia ad fundandam præsumptionem pro invariatione status mentalis; omnis enim præsumptio sumitur à communiter contingentibus, hoc est, ab iis, quæ ut sæpius, ac frequentius accidunt. Aliud dicendum circa propositum eorum, qui nunquam scienter committunt peccatum mortale, & horrent insuper etiam peccata venialia plene deliberata.

Ad 3. dist. Homo solet habere memoriam certam eorum peccatorum, quæ actu externo cum scientia peccati, aut quæ cum plena deliberatione ac advertentia commissa sunt. c. peccatorum vel culpabilis ignorantiæ, aut præcipitantiæ, aut inadvertentiæ. n. Hinc in peccatis *ignorantiæ*, *præcipitantiæ*, vel *inadvertentiæ*, quæ possunt committi sine pleno consensu, & possunt etiam committi cum pleno consensu, aut gravi malitia; *dubium strictè tale* tolli non potest, nisi ex dispositione animi sic qualificata, ut ea dispositio animi vix unquam soleat conjungi cum pleno consensu in peccatum mortale. Nisi enim sic fuerit qualificata; sed tantum soleat communius ac ut sæpius non conjungi cum peccato mortali; non sufficit ad tollendum æquilibrium *dubii strictè talis*; seu ad ferendum judicium de immunitate peccati; sicut additio unius granuli non firmiter inclinat æquilibrium centenariorum æquilibrantium.

Objicitur 5. Qui solum negativè dubitat; in neutram contradictionis partem habendo positivam rationem dubitandi, non tenetur confiteri. Ergo idem dicendum de eo, qui strictè dubitat ex æquis in utramque partem rationibus; quia in utroque par est suspensio judicii.

2. Qui habet positivam rationem dubitandi in utramque, vel in unam contradictionis partem, habet prudens. motivum judicandi id esse verum. Sed judicando verum & sequendo, quod judicat verum, non errat. Ergo.

Respondeo dist. a. Non tenetur confiteri, si per argumentum reflexum contemnat dubium tam imprudens. c. si hæreat dubius suspenso judicio. n. a.

Ad 2. dist. Habet prudens motivum id judicandi verum, nisi id prohibeat motivum oppositum. c. secus. n. Evidens enim est, quod intellectus prohibeatur ab assensu comparativo, si motiva æquè inclinent in utramque partem: Et si intellectus ex impulsu vitiosæ passionis aut piæ affectionis sinat se determinari à voluntatis imperio in unam contradictionis partem, illud semper est actus imprudentiæ, nisi credat, alieno judicio securius ac certius fidi posse, quam proprio.

QUÆSTIO III.

An confessio possit esse valida & informis?

Notandum 1. Confessionem *validam* & *informem* vocari illam, quam pœnitens *existimat* quidem esse sufficientem ad obtinendam gratiam Sacramentalem; quæ tamen reipsa ad hunc effectum non sufficit ob defectum sufficientis doloris aut sufficientis propositi; vel etiam ob defectum integritatis Sacramenti, si pœnitens culpabiliter ob defectum debiti examinis, vel ob ignorantiam vincibilem de malitia alicujus peccati negligat confiteri peccatum de se grave. In tali casu confessio vocatur *informis*, quia pœnitens non obtinet *gratiam sanctificantem*, quæ informare solet animas pœnitentium ritè dispositas ad recipiendam gratiam. Eadem tamen confessio vocatur *valida*; quia, etiamsi pœnitens postmodum deprehendat suum defectum in confessionibus præcedentibus commissum, v. g. defectum debiti doloris aut propositi, non tamen datur obligatio, eam confessionem denuò repetendi. Itaque in ordine ad hunc effectum, quod reiterari non debeat, confessio *valida* dicitur.

Notandum 2. Quæstionem hanc à modernis Theologis communiter institui sub aliis terminis, videlicet sub istis: *An Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum & informe?* Verùm hic status quæstionis longè est diversus à priore. Si enim quæro; *an confessio possit esse valida & informis?* nondum suppono, omnes essentiales partes Sacramenti reipsa esse positas, licet pœnitens *existimet*, eas ex parte sua omnes positas esse. Econtra, si quæro; *an Sacramentum possit esse validum & informe?* sensus obvius esse videtur; quod poni possint omnes partes hujus Sacramenti, & nihilominus possit pœnitens destitui fructu Sacramenti, eò quod v. g. dolor aut propositum reperiatur quidem sufficiens ad *constituendum totum Sacramentum*, quamvis sufficiens non sit ad obtinendum fructum Sacramenti.

Notandum 3. Dolorem aut propositum, quamvis à pœnitente *existimetur* esse sufficiens, variis modis posse esse defectuosum. Nam dolor erit insufficiens ad obtinendam in Sacramento gratiam 1. si dolor solum est *naturalis* quoad substantiam.

stantiam. 2. Si dolor fuerit quidem supernaturalis quoad substantiam, sed *non universalis*, eò quod pœnitens non efficaciter doleat aut efficaciter emendationem proponat de omnibus peccatis. Hoc facile potest contingere, si quis dolorem concipiat solum ex motivo particulari, v. g. de parricidio ob specialem hujus criminis inhonestatem; & non ita doleat de adulterio, aut furto, nisi modo valde imperfecto parum serio. 3. si dolor aut propositum se non efficaciter extendat ad peccata in confessione ob defectum sufficientis examinis conscientiæ oblita. 4. si homo laboret ignorantia vincibili circa aliquod genus peccati, quod *existimat* non esse graviter prohibitum. Sic enim fiet, ut etiam dolor aut propositum se ad ejusmodi peccata vincibiliter ignorata se non extendat. 5. si propositum emendationis fuerit inefficax. Hoc sæpissimè contingit, quando pœnitens concipit quidem propositum emendationis, v. g. circa adulteria, fornicationes, blasphemias, ebrietates &c. sed non concipit propositum adhibendi sufficientia media emendationis. Idem contingit, quando pœnitens quidem proponit emendationem, & vitare peccatum, sed non proponit vitare occasiones proximas peccandi, quas moraliter posset vitare. Idem contingit; si pœnitens dolet quidem de damnis proximo illatis circa bona famæ aut fortunæ; sed non cogitat de restitutione; aut si de ea cogitat, non concipit efficax propositum restitutionis. 6. si pœnitens concipiat dolorem de peccatis ex solo metu cruciatuum inferni sine dilectione Dei initiali, hoc est, sine efficaci proposito exhibendi Deo actus essentiales practicos veri amoris erga Deum.

NOTANDUM 4. Certum esse; quod nec confessio, nec Sacramentum pœnitentiæ possit esse validum, si pœnitens advertat hunc suum defectum circa aliquod requisitum ex parte doloris, propositi, aut confessionis. Solùm quæstio est de casu, quo pœnitens hunc suum defectum non advertit.

NOTANDUM 5. Defectum ex parte doloris, propositi, aut confessionis posse pœnitenti contingere vel ex ignorantia seu inadvertentia invincibili, vel ex ignorantia seu inadvertentia vincibili ac culpabili. Si ille defectus contingat ex inadvertentia seu ignorantia culpabili, ea potest esse *affectata*, quæ æquiparatur scientiæ, aut *crassa*, quæ etiam nonnunquam æquiparatur à legibus scientiæ; aut *lata*, quæ aliquando excusat saltem à peccato mortali.

NOTANDUM 6. Communem esse Thomistarum sententiam, cui multi accedunt ex Societate Jesu; Sacramentum pœnitentiæ posse esse validum & informe. Quamvis antiquiores Theologi solum docuerint; confessionem posse esse validam & informem.

DICO I. Confessio potest esse valida & informis, dummodo fuerit *existimata* absque *ignorantia crassa* graviter culpabili, quæ æquiparetur scientiæ.

DIXI, dummodo confessio, seu attritio cum proposito fuerit pro sufficienti existimata sine ignorantia vel inadvertentia graviter peccaminosa, hoc est, dummodo SIC pœnitens existimet, se rectè confiteri, & confiteatur ea attritione ac integritate, quam putat sufficere ad confessionem validam, nihil scienter omittendo aut simulando; quia in tali casu, non confitendo hoc ipsum simulationis peccatum, *non subiret*, sed *simularet subire* judicium Ecclesiasticum; adeoque nullum fieret judicium Ecclesiasticum, quod est materiale hujus Sacramenti.

PROBATUR CONCLUSIO *sic explicata* ex constanti traditione Ecclesiæ. 1. Primis undecim Sæculis nunquam obligabantur fideles ad repetendam confessionem, qui confitebantur tantum in articulo mortis, aut in repentina incursione hostium, aut perdurante terræ motu, aut in casu denuntiationis, licet verisimile sit, in tali casu attritionem sæpe fuisse defectuosam; nec ullus Patrum fideles in tali casu aut pro tali casu monuit, repetendam esse confessionem. Ergo non agnoscebatur ea obligatio.

2. Veteres Theologi per tria Sæcula, à Sæculo videlicet 13. usque ad 17. longè communius negarunt hanc obligationem. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione. Sic 1. *D. Thomas* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. qq. 1. C. format quæstionem hoc modo: *Utrum confessio possit esse informis?* Ad hanc sic respondet: *Dicendum, quod Confessio, secundum quod est pars Sacramenti, ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confitentis agnoscit. Et secundum hoc confessio etiam esse potest in eo, qui non est contritus; quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & clavibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est & in aliis Sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit; sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Ad primum, ubi objicitur; quod videatur, confessionem non posse esse informem; quia *à mortuo perit confessio.* Eccles. 17. sic respondet: *Dicendum, quod authoritas illa intelligenda est, quantum ad fructum confessionis percipiendum, quem nullus extra charitatem existens percipit.* Ibid. qq. 2. C. *De necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio.* Ex quibus ultimis verbis S. Doctoris patet; quod loquatur de confitente, qui putat se ritè dispositum; quod judicare nullus pœnitentium potest, nisi qui habuerit attritionem saltem existimatam.

II. *D. Bonaventura* in 4. dist. 17. part. 3. dub. 4. movet dubium, an pœnitens aliquando teneatur peccatum, quod jam fuerat confessus, iterum confiteri? Pro parte affirmativa recenset hæc aliorum argumenta. Ponatur; quod quis fictè confiteatur; constans est, quod talis non reportat commodum, imo damnum de confessione. Si ergo in eo nihil remanet de confessione, quia characterem non imprimit; ergo tenetur iterum confiteri. Item: ponatur, quod aliquis rememoretur peccati mortalis, quod oblitus fuit confiteri; constans est, quod non est confessus integrè; sed confessio, quæ non est integra, sicut infra videbitur, pro nulla reputanda est; ergo tenetur iterum totum confiteri, ac si nunquam fuisset confessus. Ad hanc rationem

nem dubitandi D. Bonaventura sic respondet: *Sunt quatuor casus communes & usitati, in quibus Doctores dixerunt, confessionem esse iterandam. Primus est*, (ob reservationem) *ob quam oportet peccatorem ad Superiorem remittere. Secundus est propter ignorantiam Sacerdotis* (qui nesciat respondere ad casum). *Tertius casus est propter malitiam fictionis; ut si scienter aliquod peccatum in corde retinuit, vel si accessit cum voluntate peccandi. Quartus est, quando contemnit facere pœnitentiam injunctam. Et intelligantur isti duo ultimi casus, quando mutat Sacerdotem. Si enim ad eundem revertitur, tunc si recenter confessus est, non tenetur iterare. — Si velis præcise scire, quid sit necessarium in iteratione confessionis; dicendum; quod aut propter defectum Sacerdotis* (qui non potest absolvere à casu reservato, vel nescit resolvere casum); *aut propter defectum ex parte pœnitentis, quia aut contemnit Sacerdotis absolutionem* (per voluntatem peccandi), *aut quia contemnit ligationem* (recusando injunctam pœnitentiam). *Aliter non credo verum;* (quod teneatur iterare confessionem) *nisi conscientia liget. Et hoc melius patebit infra. Rationes* (adductæ pro obligatione reiterandi) *procedunt de confessione, circa quam fuit aliquis defectus vel à parte absolventis, vel à parte absoluti, qui potest esse conditionis necessariæ, & tunc oportet iterum confiteri, vel totum, vel partem, secundum qualitatem defectus.* Infra autem dist. 21. part. 2. art. 1. q. 1. C. sic scribit: *Necesse est, omnia mortalia confiteri uni Sacerdoti, quorum* (pœnitens) *est memor; & de quibus alias non fuit legitimè confessus. Et tunc voco legitimè confessum, quando nihil intervenit, quod absolutionem Sacerdotis irritam faceret, quod est in quatuor casibus; & duo sunt à parte absolventis; unus si non sciat, alter si non possit* (absolvere, vel judicare) *duo à parte confitentis, unus si fictè confiteatur; alter, si post confessionem satisfactionem contemnens ejus oblivi-scatur. Si autem legitimè confessus est, non oportet iterare, nisi in universali.* Et ibidem ad 3. *De eo, qui per oblivionem omisit duo* (peccata mortalia) *confiteri, non credo, quod teneatur totum dicere, nisi in generali, nisi forte aliquis prædictorum casuum intervenisset. Nec authoritates Sanctorum hoc compellunt dicere, quia hoc non est confessionem dividere, quia non oportet, de aliis* (jam confessis) *habere novum remorsum, nec novam absolutionem. Similiter judicandum est de recidivo.* Cæterùm, quid sit FICTE confiteri, S. Bonaventura explicat in 4. dist. 4. part. 1. art. 1. q. 1. ad 3. ubi ait: *Alii dicunt, quod fictio est duplicitèr; scilicet simpliciter, & secundum quid. Fictio simpliciter aufert totum effectum* (Sacramenti, scilicet gratiam) *& hæc est voluntate mortaliter peccandi. Fictio secundum quid, quæ est venialis, non impedit ingressum gratiæ, sed complementum gratiæ. Aliter tamen potest dici, quod motus venialis non facit fictum simpliciter, sed ad tempus, quia gratiam non expellit, sed retardat; & quando talis motus cessat, credo, quod statim baptismus totum effectum habeat.* Ibidem in objectione dicitur: *Quicunque est fictus, peccat mortaliter.* Ex quibus omnibus sequitur, quod D. Bonaventura per *fictè confitentem* intelligat illum, qui *actu* habet voluntatem peccandi, & actu *mortaliter peccat.* Itaque, si tantum *fictam confessionem* docet iterandam, sequitur, non esse iterandam, quæ bona fide fit cum defectu essen-

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

tiali ex parte contritionis *existimatæ* pro sufficiente.

III. *Albertus M.* in 4. dist. 16. art. 36. & *Alensis* l. 4. q. 18. memb. 4. art. 4. §. 4. ad 4. inter casus exceptos à generali regula; quod confessio non debeat necessariò iterari, tantum quatuor casus supra à D. Thoma & D. Bonaventura expressos enumerant. Ergo in aliis casibus ibi non expressis agnoscunt, non esse iterandam confessionem. Albertus M. in 4. dist. 17. art. 6. scribit: *Confessio nihil valet ad justificationem, nisi pœnitens sit in charitate; videtur tamen mihi, quod præcepta Ecclesiæ solvit & deobligat à præcepto confitendi. Alensis* defectum ex parte pœnitentis obligantem ad iterationem confessionis sic exprimit. *Solent exprimi quatuor casus, in quibus oportet iterum confiteri. Unus, si Sacerdos sit imperitus. Alius pro contemptu satisfactionis. Tertius, si Sacerdos* (ob casum reservatum) *remittit ad superiorem. Quartus, si quis confiteretur, & satisfaceret, non tamen abstinens, vel non habens propositum abstinendi à peccato, vel qui de uno confiteretur, & alterum servaret ex industria.* Albertus M. in hanc classem referre videtur eos, qui affectatam negligentiam committunt in discutienda conscientia. *Dicendum*, inquit, *quod confessio divisa ex industria nihil valet; sed potius nocet, quia accumulat peccatum simulationis. — Si non vult tantum studere in discussione sui, ut simul omnia, quæ potest, comprehendat, puto, quod damnabiliter negligens est; nec sufficienter suæ salutis habet curam.* In nullo alio casu docet confessionem esse repetendam ob defectum pœnitentis.

IV. *Petrus Paludanus*, ex Ordine D. Dominici circa annum 1330. Archiepiscopus Jerosolimitanus, pietate & doctrina clarus, in 4. dist. 17. q. 8. sic scribit: *Si pœnitens non habuit intentionem confitendi & absolvendi Sacramentaliter, sed deridendi, non est liberatus à præcepto divino; & tunc tenetur iterum confiteri. — Quod si fuisset talis pœnitentia, quæ nec cum Sacramento esset sufficiens; tunc vera est opinio Thomæ, quod fictione recedente incipit valere confessio; & non tenetur confiteri nisi fictionem. Ut puta, si habuit dolorem quidem imperfectum; sed quia non sufficienter conscientiam discussisset, putabat autem discussisse quantum sufficiebat; vel si dolebat de præterito non proponens cavere de futuro; aut è contrario; vel non erat dolor maximus, sicut debet; ipse tamen secundum conscientiam suam non erat fictus, licet secundum veritatem esset, & sic nihil celavit, quod crederet mortale, & per consequens secundum judicium suum concurrebant omnia, quæ erant necessaria; postea autem certificatus de errore suæ conscientiæ pœnitet de illo defectu; qui, quia est error, tollit fictionem, unde verum Sacramentum fuit, propter quod fictione recedente effectum habebit. Ex his patet, quod opinio D. Thomæ potest multis modis salvari. Uno modo, quo dictum est, loquendo de illo, qui fictus est privativè, non positivè, quia scilicet habet dolorem imperfectum; credit tamen sufficienter se esse dispositum; & sic non scienter celat peccatum. Secundò, quando est positiva fictio, quantum ad hoc, quod non dolet, nec proponit abstinere; tamen ista fictio non occurrit sibi ut confitenda, nec actu cogitat, quod teneatur eam confiteri; tunc est sicut de peccato, quod occurrit quidem, sed non credit, quod sit peccatum,*

aut

aut quod sit mortale, & de necessitate confitendum; vel idem est, ac si fuisset oblitum per negligentiam, nec fecisset debitum suum de scrutando conscientiam; in quo casu solum illud est confitendum; & est verum Sacramentum. Et si dicatur; quod non est Sacramentum; quia licet habeat veram formam, non tamen habet veram materiam, quæ est peccator attritus; dicendum, quod confessio est integra, & sic perfecta materia; sicut Sacerdos habens hostiam pollutam, si proferret verba, vera Eucharistia esset; peccator enim est materia, sed polluta, nisi sit attritus, vel confessio est materia immunda sine attritione. Ita Paludanus, existimans; attritionem non esse materiam Sacramenti.

V. *Astesanus*, qui & ipse vixit circa annum 1330. in Summa l. 5. tit. 18. scribit: *Confessio legitimè facta non debet necessariò iterari. Sunt autem quatuor casus communes & usitati, in quibus Doctores dixerunt communiter, confessionem iterandam esse. Primus est ob* (reservationem) *delicti. Secundus propter ignorantiam presbyteri. Tertius est propter fictionem, ut si scienter peccatum aliquod mortale in corde retinuit, vel si cum voluntate peccandi accessit. Quartus est propter contemptum satisfactionis. Aliqui tamen de eo, qui recordatus est peccati obliti, distinguunt. Si pœnitens fuit ignorans ignorantia affectata vel crassa, credo, quod recta ratio exigit, ut omnia peccata confessa confiteatur.*

VI. Eodem modo quoad rem respondet *Angelus de Clavasio* in Summa V. *Confessio I.* n. 14. ubi illum solum ratione imperfectæ attritionis ad iterandam confessionem obligat, qui est in voluntate peccandi, vel ex mala intentione confitetur; & de eo, qui oblitus est peccati, docet iterandam esse confessionem, *si per ignorantiam crassam vel affectatam fuerit oblitus ex defectu examinis.*

VII. *Cajetanus Cardinalis* Opusc. 5. quæst. 5. sic scribit: Ex defectu contritionis tota oritur difficultas: *Minimus contritionis defectus est ipsa absentia charitatis. Qui non tenentur iterare confessionem. Nec alia hoc eget probatione, quam ex universalis Ecclesiæ testimonio. In inferiori autem gradu sunt sic attriti, ut doleant quidem de omnibus præteritis, non tamen ascendunt usque ad hoc, ut doleant de eis tanquam summo odibili; & similiter proponunt cavere de futuro, non tamen tanquam à summo vitabili. Et hoc bifariam contingit. Primò sine discussione talis defectus; quia scilicet non discutit pœnitens dolorem suum de mortali commisso, an sit tanquam de summo vitabili, & similiter propositum suum vitandi mortale, an intendat vitare, tanquam summum vitabile; sed occurrit ei tantum dolere de peccato & cavere de futuro* (sicut si offendisset unum hominem, & doleret de offensa præterita, & intenderet, illum amplius non offendere) *in ejus tamen animo non ita dominatur affectus tam vitandi offensam in futuro, quam detestandi commissam in peccato, ut pro summis malis hæc habeat. De horum numero utinam non maxima pars Christianorum pœnitentium sit, quos non sicut primos puto virtute clavium de attritis regulariter fieri contritos; sed in sua attritione absolvi & communicare. De istorum confessione intelligo doctrinam D. Thomæ, quod confessio informis per defectum contritionis est valida, ita ut non sit iteranda. Et erit eis fructuosa, quando ascendent ad cor altum, ut habeant peccatum pro summo odibili & summo vitabili, & confitebuntur fictionem suam hanc. Quocirca de omnibus dicitur; quando confessio ex proposito est integra, omnium confessio videtur valida, ita quod non est necessariò iteranda. Nec obstat, quod ista est ignorantia juris divini* (dum putant, se esse bene dispositos), *quoniam in hujusmodi, quæ sunt juris divini positivi, excusantur indocti.* Et ad 3. *Ille solus dimidiat confessionem, qui ex intentione integritatem violat; & propterea cum supponatur in proposito, confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur; confessionem esse iterandam. Adverte tamen, quod sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter, ut actus redeat ad naturam formalem sui generis, ut patet in detractione, contumelia, & hujusmodi; contingit enim tam graviter absque intentione detrahendi detrahi famæ proximi, ut ipsa læsio magna minus æstimata, detractionis actum in detractionis naturam reducat. Ita potest contingere, quod ex nulla, aut tam crassa & supina conscientiæ discussione aliquorum peccatorum mortalium confessio omittatur, ut materialis violatio integritatis in formalem reducatur. Unde tales ad reiterandam confessionem inducendi sunt.*

VIII. *Sylvester V.* Confessio I. n. 26. idem prorsus docet, quod Paludanus, atque cum eo existimat, etiam extra novam receptionem Sacramenti recedente fictione obtineri statim gratiam ob quendam *ornatum animæ* ab omni Sacramento impressum indelebiliter.

IX. *Melchior Canus*, qui interfuit Tridentino, de pœnit. part. 5. §. *in quarto*, sic scribit: *Ut certa ab incertis separemus, primum, in quo conveniunt viri docti, est, confessionem informem ex defectu absolutionis esse repetendam. Aliud quoque certum est; qui dedita opera aliquod mortale tacent, sine dubio tenentur iterum confiteri. Tertium, me quidem judice certum est, non omnes confessiones esse resumendas. Illud denique compertum est; si sit aliqua confessio, ex qua non est constitutum verum pœnitentiæ Sacramentum, ea resumenda est. Ex quo quarto fundamento manifestè colligitur, confessionem quæ sine culpa pœnitentis non est integra; iterum facere non oportere. Sed illud in dubium vocari meritò potest, an confessio ex negligentia mutila & manca, non quidem penitus crassa & supina, sed culpabili tamen, sit à pœnitente iterum facienda? Huic quæstioni respondetur ex sententia Cajetani, talem confessionem non esse repetendam. Hæc sententia non potest, fateor, perspicuè ac lucidè demonstrari. Dico tamen, quod etiamsi negligentia mortalis sit, dummodo non sit adeo supina & crassa, ut perinde habeatur, ac si ex industria res fieret, quia tamen confessio ex intentione formali pœnitentis est integra, non est obligandus ejusmodi confessionem iterare. Alterum verti in quæstionem potest, an cum quis attritionem habuit tam imperfectam, ut virtute Sacramenti non fiat ex attrito contritus, quin potius sacrilegus in eo, quia irreverenter suscipit pœnitentiæ Sacramentum, an hujus confessio sit iteranda? D. Thomas docet, quod fictus potest Sacramentalem confessionem facere, & veram absolutionem percipere. Contrariam Sententiam tenet Major & Adrianus. Sententia tamen D. Thomæ est multò probabilior.*

X. *Navarrus*, qui & ipse vixit tempore Tridentini, in Summa c. 9. n. 13. dicit: *Si pœnitens de peccatis dolet, proponitque futura vitare, non tamen ut perveniat ad eam attritionem, quæ adjuncta*

Sacra-

Sacramento in contritionem transeat, non tenebitur iterare confessionem. ¹ *Quod haud dubiè tenendum est.*

Ex his authorum testimoniis formari potest hoc argumentum. Sententia ac praxis circa essentiale requisitum Sacramenti ad salutem necessarii, quæ tribus ad minimum sæculis prævaluit in Ecclesia, non est aliena a mente Christi instituentis, & Ecclesiæ, materiam Sacramentorum in specie infima determinantis. Sed talis est nostra sententia & praxis. Ergo.

Probatur conclusio 3. Confessio integra, & absolutio cum attritione existimata est verè actus judicialis à Christo in ordine ad complendam materiam & formam hujus Sacramenti institutus. Ergo potest in esse morali per modum talis actus judicialis valere usque dum accesserit attritio vera à Christo ad rationem compartis essentialis requisita. Atqui si ita potest valere, præsumendum est, Christum ita voluisse manere. Ergo *Minor subsumpti prob.* Ea Christi intentio est eminenter utilior Ecclesiæ, imo etiam aliquo modo necessaria. Ergo. *Ant. prob.* ratione Cajetani, qua utitur Opusc. 5. q. 3. circa circumstantias aggravantes. Hujusmodi iteratio confessionis est molesta, inutilis, atque melioris boni impeditiva. Quod sit molesta tam pœnitentibus quam Confessariis, satis patet expertis. Quod sit inutilis, patet ex eo, quia Confessarius pro ejusmodi iterata confessione nec congruenter imponit novam delictis proportionatam pœnitentiam vindicativam aut medicinalem, si à priori Confessario injuncta jam persoluta est. Denique quod sit impeditiva majoris boni, testatur experientia; quoniam Confessarii ob reiterationem ejusmodi confessionum, quæ frequentes sunt quoad personas infirmi judicii, & conscientiæ turbatæ, impediuntur ab excipiendis exactè plurium aliorum præsertim in magno concursu confessionibus; dum nimium temporis insumunt circa ejusmodi reiterantes. Canus, l. cc. observat; ea obligatione non solum nimis anxios reddi scrupulosos; verùm etiam turbari piorum animos perpetua solicitudine iterandæ confessionis. Verentur enim non solùm Scrupulosi, verùm etiam *mediocriter liberi ac cordati*, ut loquitur, sese in formando examine conscientiæ, aut elicienda sufficiente attritione fuisse negligentes.

Confirmatur. Contritio perfecta ordinata ad confessionem & absolutionem futuram est verè pars Sacramenti, & non justificat, nisi in quantum est pars Sacramenti habiti in voto; ergo etiam attritio vera ordinata ad confessionem & absolutionem præcedentem potest esse pars Sacramenti & sic justificare in quantum est pars Sacramenti. Atqui si potest ita justificare, præsumendum est, Christum ita voluisse, ne tot animæ existimantes se verè absolutos æternum pereant. *Ant. prob.* authoritate D. Thomæ, qui in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. qq. 1. C. dicit: *Virtus clavium operatur ad remissionem culpæ vel in voto existens, vel in actu se exercens.* Et ibidem qq. 2. *Idem est judicium de effectu quem potestas clavium actualiter exercita complet in eo, in quo contritio tempore præcessit, & de effectu baptismi, qui jam habenti gratiam datur.* Idem alibi ad objectionem, quod Sacramentum non justificet, sed contritio, respondet in hoc casu, *Sacramentum justificare saltem per aliquam sui partem, ut coordinatam ad alias partes Sacramenti.*

DICO II. Sacramentum pœnitentiæ non potest esse validum & informe.

Probatur. Inter partes essentiales hujus Sacramenti est etiam attritio sufficiens ad obtinendam in Sacramento gratiam. Ergo cum Sacramentum poni nequeat sine omnibus partibus essentialibus, implicat in terminis, Sacramentum hoc validum esse posse & informe. *Ant. prob.* ex Concilio Florentino & Tridentino, ubi definitur, actus pœnitentis, *contritionem* &c. utique supernaturalem, exclusivam voluntatis peccandi, & conjunctam cum proposito servandi mandata, esse partes Sacramenti.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra primam Conclusionem. 1. Sacramentum pœnitentiæ non potest esse validum & informe. Ergo nec confessio. *c. prob.* ubi totum non est validum, etiam partes non sunt validæ. Ergo. *Ant. prob.* ab innumeris exemplis. Sic si totus exercitus non est satis validus ad expugnandam urbem, nec pars; si totum Testamentum non est validum, nec pars. Si totus actus judicialis, electionis &c. non est validus, nec pars.

2. Si confessio esset valida, deberet esse valida in esse Sacramentali, sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. patet*, quia si confessio non consideretur Sacramentaliter, nullum habet effectum Sacramentalem. *Min. prob.* Si talis confessio non est pars Sacramenti validi, non potest esse valida in esse Sacramentali. Sed. Ergo.

3. Hæc distinctio inter valorem Confessionis, & valorem Sacramenti est Theologis incognita. Ergo non debet admitti.

Respondeo

Ad 1. e. a. n. C. *ad prob.* dist. etiam partes non sunt validæ in ordine ad eundem effectum communem totius. c. ad effectum privatum partis. n. Sic enim licet homo non sit validus & sanus, potest tamen validus esse oculus vel animus. Etsi Testamentum non sit validum in ratione Testamenti, potest tamen valere ejus pars per modum Legati, aut Codicilli. Et in actu judiciali invalido potest esse valida depositio testium, aut sententia interlocutoria.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. dist. Deberet esse valida in *esse Sacramentali*, sumendô tò *esse sacramentale* in actu primo. c. sumendo illud *esse sacramentale* in actu secundo. n. Nam ejusmodi confessio est saltem in actu primo proximo idonea, ut accedente attritione fiat in actu secundo pars Sacramenti validi. In hoc enim ipso consistit ejus valor, quod valeat sacramentaliter accedente præcise altera comparte, nempe attritione idonea.

Ad 3. n. a. Quia ostensum est, quod D. Thomas & alii antiquiores non instituant quæstionem de valore Sacramenti informis; sed tantum de valore Confessionis.

Objicitur 2. contra eandem. 1. Si talis confessio esset valida in *esse Sacramentali*, hoc *esse Sacramentale*, vel haberet ratione sui, vel ratione compartium? neutrum potest dici. Ergo. *Min. prob.* compartea constitutivæ Sacramenti non dantur; quia deest attritio vera. Et ratione sui non habet rationem Sacramentalem.

2. Confessio, nisi moraliter unita cum aliis partibus Sacramenti non est elevata à Christo ad esse Sacramentale. Ergo, cum non sit unita eum vera attritione, non habet ullum esse Sacramentale. *Ant. prob.* aqua naturalis, utut præparata in baptisterio ad baptismum, non habet *esse Sacramentale*, nec substat per modum materiæ Sacramentalis intentioni Christi instituentis ante actualem unionem cum aliis compartibus. Ergo nec talis confessio.

3. Confessio, ad quam non refertur intentio absolventis, non obtinet ab absolutione ullum effectum Sacramentalem. Sed ad ejusmodi confessionem destitutam vera attritione non refertur intentio absolventis. Ergo. *Min. prob.* Intentio absolventis tantum fertur super confessum verè contritum, quia alioquin ageret contra intentionem Christi.

4. Ipsa absolutio in tali casu est invalida. Ergo etiam confessio. *Ant. prob.* talis absolutio fertur de præsenti in subjectum incapax absolutionis. Ergo.

5. Actus judicialis errans in substantia est nullus & invalidus, sed talis est iste actus compositus ex confessione & absolutione. Ergo. *Min. prob.* tam pœnitens quàm Confessarius in tali casu errant in supposito conditionis essentialis, nempe in supposito veræ contritionis.

Respondeo tr. *Maj.* n. *Min. ad prob.* Dico, quod habeat *esse Sacramentale in actu primo* per sui unionem ad absolutionem, & habitudinem proximam ad compartem adhuc deficientem, nempe ad attritionem veram, suo tempore supplendam, quamprimum defectus prioris attritionis agnitus fuerit, aut aliàs elicietur. Per unionem enim ad absolutionem obtinet rationem actus judicialis Ecclesiastici à Christo instituti pro materia inadæquata hujus Sacramenti; & per habitudinem seu ordinem ad veram attritionem saltem futuram, si præsens non fuerit sufficiens, aquirit pariter esse sacramentale in actu primo, quod esse sacramentale vim suam in actu secundo exerit, quamprimum altera Sacramenti compars, nempe attritio accesserit.

Ad 2. dist. Talis confessio non est elevata ad *esse sacramentale* sumendo hoc esse sacramentale in actu secundo. c. sumendo illud in actu primo. n. Sic enim etiam in matrimonio, quando sponsus contrahit per procuratorem cum sponsa existente in terris remotis, assensus hodiernus sponsi tantum habet esse Sacramentale in *actu primo*, donec accesserit etiam assensus sponsæ. Idem potest dici in Sacramentis, quæ habent duplicem materiam, prout contingit in ordinibus. Potest enim dici, quod applicatio primæ materiæ, aut primæ formæ, tantum habeat esse Sacramentale *in actu primo*, donec accesserit secunda materia, & secunda forma.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. Intentio absolventis refertur ad verè contritum præsumptione hominis, cui non alligatur intentio absolventis. c. præsumptione Sacramenti, aut præsumptione hominis, cui alligatur intentio absolventis. n. Voluntas enim Christi, seu, ut ita dicam, præsumptio juris sacramentalis, refertur etiam ad attritionem sine gravi culpa pro sufficienti habitam, seu existimatam. Cæterùm argumentum retorqueri potest in baptizante, vel in Ordinante, qui etiam non intendit baptizare indispositum, vel ordinare excommunicatum; ita tamen ut intentionem validè baptizandi, aut validè ordinandi non alligent huic suæ præsumptioni.

Ad 4. n. a. ad prob. dist. Talis absolutio fertur in subjectum incapax ad recipiendum esse sacramentale in actu secundo. tr. incapax ad recipiendum esse sacramentale, spectatum in actu primo. n. *Dixi.* tr. quia licet tale subjectum sit incapax ad recipiendum pro hoc tempore præsente ipsum esse sacramentale spectatum in actu secundo, hoc est, virtutem actualiter collativam gratiæ, non est tamen incapax ad recipiendum hunc effectum pro alio tempore, quo supplebitur defectus attritionis.

Ad 5. c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. dist. Errant in supposito conditionis essentialis, requisitæ ad esse sacramentale in actu secundo, cui non alligatur intentio confitentis vel absolventis. c. conditionis essentialis requisitæ ad esse sacramentale præcise spectatum in actu primo. n. Nam ad hoc, ut confessio habeat esse sacramentale in actu primo, nulla alia requiritur conditio, quam ut sit conjuncta cum attritione saltem existimata, nulla interveniente gravi culpa, vel ignorantia crassa vel affectata.

Objicitur 3. contra eandem. Ex hac sententia sequerentur varia absurda. Nam 1. sequeretur, confessionem fore validam, etsi attritio foret concepta ex motivo naturali, dummodo à pœnitente existimetur sufficiens, sed hoc est contra definitionem Innocentii XI. qui damnavit hanc propositionem: *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.*

2. Sequeretur, attritionem post viginti annos elicitam posse cum confessione ac absolutione præcedente, utut informi, constituere unum totum sacramentale, ut fiat justificativa.

3. Sequeretur, in Sacramento pœnitentiæ attritionem posse primum elici post absolutionem.

4. Sequeretur, hoc Sacramentum remota fictione reviviscere, sicut reviviscit baptismus. Sed hoc dici nequit. Ergo. *Min. prob.* Sacramenta, quæ reviviscunt, imprimunt aliquem sui characterem, in quo possunt reviviscere; quod in Sacramento hoc non contingit, utpote quod nullum sui relinquit effectum.

Respondeo. n. a.

Ad 1. c. *Maj.* n. *Min.* Innocentius XI. tantum damnavit, talem attritionem naturalem sufficere ad fructum Sacramenti, vel ad valorem Sacramenti; non verò ad valorem confessionis.

Ad 2. n. a. Quia tanto tempore intervenirent peccata mortalia, v. g. omissio confessionis annuæ, quæ proin retractarent ac destruerent ordi-

ordinem prioris confessionis ad compartem Sacramenti, videlicet ad contritionem veram. Cæterùm si nulla interveniret retractatio prioris attritionis existimatæ, transmitti potest sequela. Et potest absurditas retorqueri in baptismo informiter suscepto.

Ad 3. n. a. vel dist. Posse elici validè. c. licitè. n. eoipso enim quod Sacerdos supponat vere attritum, non posset sine sacrilegio attritio scienter differri usque post absolutionem.

Ad 4. n. *Maj.* Reviviscere enim dicitur Sacramentum, cujus aliquando omnes partes sunt positæ, quod non contingit in hoc Sacramento, utpote in quo deerat adhuc pars, nempe vera attritio.

Objicitur 4. Tridentinum docet, hæc duo esse inseparabilia ac ejusdem rationis, requiri ad fructum Sacramenti, & requiri ad valorem vel ad esse partis in ratione Sacramenti. Ergo quidquid non sufficit ad fructum Sacramenti, nec sufficit ad valorem, aut esse partis. *Ant. prob.* Seff. 14. c. 3. de partibus Sacramenti pœnitentiæ loquens ait: *Quæ quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.*

2. Tridentinum Seff. 14. c. 5. dicit: *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur.* Ergo cum hoc fieri nequeat, nisi per dolorem supernaturalem universalem sine tali dolore nec confessio erit integra, nec valida.

Respondeo dist. Sunt hæc duo inseparabilia in ordine ad valorem Sacramenti, vel ad valorem partis sacramentalis spectatæ quoad esse sacramentale in actu secundo. c. tantum spectatæ quoad esse sacramentale in actu primo. n. Verum enim est, quod attritio, confessio, & satisfactio requirantur tam ad integritatem, quam ad fructum Sacramenti, quia Sacramentum hoc qua tale ac formaliter sumptum non potest esse validum & informe.

Ad 2. c. a. dist. C. Non erit valida valore spectato in actu secundo. c. in actu primo. n. inclusio enim peccatorum oblitorum tantùm habet relationem *ad fructum Sacramenti*, seu remissionem peccatorum actualem. Hinc & omnes alii textus Tridentini solùm probant, quod vera contritio universalis cum proposito universali ac detestatione peccatorum universali requirantur *ad valorem Sacramenti*, non verò quod requirantur ad valorem partis, videlicet confessionis & absolutionis in ratione actus judicialis; quamvis rationem formalem Sacramenti aut partis sacramentalis qua talis, sumendò esse sacramentale in actu secundo non obtineant ante unionem cum altera parte, nempe cum contritione vera.

Objicitur 5. Si confessio posset esse valida & informis, per talem infructuosam confessionem etiam satisfieret præcepto confessionis annuæ. Sed hoc dici nequit. Ergo. *Min. prob.* Non satisfit præcepto Ecclesiæ per communionem Sacrilegam; ergo nec satisfit per confessionem infructuosam.

Respondeo tr. *Maj.* n. *Min.* ad prob. c. a. n. C. & parit. Disparitas est, quia sacrilega communio fit cum scientia peccati, & oppositionis ad Legem Ecclesiæ; non autem infructuosa confessio.

Objicitur 6. Ad validam confessionem requiritur attritio saltem existimata; sed talis esse nequit sine ignorantia crassa, nisi simul sufficiat ad fructum Sacramenti. Ergo. *Min. prob.* 1. Nemo potest existimare, se habere veram attritionem, nisi efficaciter tendat ad reconciliationem & amicitiam cum Deo. Sed taliter affectus jam habet virtualiter attritionem sufficientem ad fructum. Ergo. *Min. prob.* Nemo efficaciter vult amicitiam Dei, nisi virtualiter detestetur peccatum omne, dissolutivum amicitiæ divinæ.

2. Nemo potest existimare se habere veram attritionem, quin velit efficaciter reconciliationem cum Deo. Sed hoc efficaciter volendo eoipso habet attritionem sufficientem ad fructum. Ergo. *Min. prob.* talis eoipso vult *non esse* peccati, tanquam impeditivi ad reconciliationem. Ergo.

3. Qui non potest elicere attritionem, & tamen dolet se non habere verum dolorem, optatque seriò habere verum dolorem, juxta communem Doctorum censetur sufficienter attritus ac dispositus etiam ad fructum Sacramenti. Ergo idem censendum de habente existimatam attritionem. c. *prob.* Talis est ita affectus, ut si recordaretur aut instrueretur de alio requisito ad fructum Sacramenti, promptè illud amplecteretur.

4. Habens dolorem existimatum simul habet serium propositum servandi omnia mandata; sed habens tale propositum habet virtualiter detestationem omnium peccatorum, ac sufficienter dispositus ad gratiam est. Ergo.

Respondeo c. *Maj.* n. *Min.*

Ad 1. dist. Nisi efficaciter tendat ad amicitiam Dei tendentia *affectivè efficaci*. c. *effectivè efficaci*. n. Argumentum retorqueri potest in attrito extra Sacramentum, qui existimat se in casu necessitatis elicere contritionem perfectam. Nemo tendit ad finem efficaciter, nisi tendat efficaciter ad media requisita, ad quæ re vera non tendit, si ea aut vincibiliter ignoret, aut si ea invincibiliter ignorata non suppleat per medium generale efficaciter correctivum vincibilis ignorantiæ, quale non datur nisi actus charitatis, saltem initialis in Sacramento, & perfectæ extra Sacramentum.

Ad 2. idem respondeo.

Ad 3. dist. Si de hoc defectu doleat per actum charitatis perfectæ. c. secus. n. Sola enim exoptatio virtutis non est virtus, nisi fit efficax; quod in hoc casu non contingit, nisi per actum perfectæ charitatis, faciendo totum, quod moraliter est in se; prout dictum est Disp. 3. q. 4. & 5.

Ad 4. dist. Habet propositum servandi mandata serium serietate tantum *affectiva*. c. *effectiva*. n. v. d. si simul sit conjunctum cum dilectione Dei saltem initiali. c. secus. n. Verosimile proin censeo; quod habens dolorem *formalem* insufficientem, & dolorem *virtualem* contentum in amore Dei

Dei initiali fit capax gratiæ Sacramentalis. Id fane non improbabile visum est Cano, qui de Pœnit. part. 5. §. *Tertiò etiam*, id cuncedit, si talis dilectio foret naturalis, quod nunc amplius defendi non potest. *Attritio*, inquit, *quæ procedit ab amore naturali Dei super omnia, forsitan dispositio est idonea, ut virtute Sacramenti baptismi, & pœnitentiæ gratia conferatur; quia talis etiam attritio tollere videtur complacentiam in peccato, & obicem peccati.* Sic ille. Quanto ergo magis dilectio Dei initialis, ex sua natura supernaturalis cum præcedente detestatione peccati, utut naturali, attamen existimata pro sufficiente, id præstare poterit?

OBJICITUR 7. *contra secundam Conclusionem.* 1. Sententia stans pro valore Sacramenti informis habet pro se graves authores. Ergò est tuta. *Ant. prob.* quia pro illa præter Thomistas stant *Suarez*, *Valentia*, *Tannerus*, *Hurtadus*, *Filiutius*, *Lugo*, *Dicastillo*, *Gobat*, *Illsung*, *La Croix*, *Viva*.

2. Si pœnitens simul reus furti & homicidii non recordetur furti; doleatque tantùm ex motivo particulari de homicidio ob specialem hujus peccati turpitudinem, potest Deus acceptare dolorem, confessionem, & absolutionem in ordine ad valorem Sacramenti, quin illas acceptet in ordine ad fructum Sacramenti. Ergo.

3. Potest Deus confessionem tantum formaliter integram, seu *existimatam integram*, acceptare in ordine ad fructum Sacramenti. Ergo etiam contritionem non universalem, *existimatam* tamen ut universalem, poterit acceptare in ordine ad valorem.

4. Cujus ante baptismum informiter susceptum reus furti, si post baptismum committat homicidium, potest suscipere Sacramentum pœnitentiæ confitendò solum homicidium, & ex motivo particulari hoc detestandò. Ergo non est de essentia Sacramenti dolor universalis.

5. Dolor de peccatis invincibiliter oblitis non est pars essentialis Sacramenti. Ergo ad valorem ac essentiam Sacramenti non requiritur dolor universalis. *Ant. prob.* Ille dolor non fit sensibilis per confessionem. Ergo non est pars Sacramenti.

RESPONDEO

Ad 1. tr. a. n. C. & suppositum, quod hæc sententia *in praxi* aliquid addat supra valorem confessionis informis, nisi *forte majorem securitatem* in eo, quod *Sacramentum* hoc remoto obice *reviviscat* sine nova susceptione Sacramenti. In qua tamen re nec nostra, nec adversariorum sententia præstare potest securitatem practicam, ut pœnitens, qui scit præteritam confessionem probabilius fuisse informem, non teneatur se constituere in securitate de statu gratiæ per novam receptionem Sacramenti, quamvis non teneatur repetere priorem confessionem, sed solam fictionem vincibiliter, quamvis non scienter, positam.

Ad 2. n. a. Quia suppono; nullam attritionem posse à Deo acceptari in ordine ad fructum Sacramenti sine dilectione initiali, ac motivo universali opposito cuivis peccato in ratione offensæ. Itaque cum Sacramentum nullum alium habeat effectum, nisi fructum, nec poterit acceptari etiam in ordine ad valorem. Est enim Chymæra, dari Sacramentum, & non dari omnes partes.

Ad 3. c. a. n. C. Quia ibi dantur omnes partes Sacramenti; hic verò non dantur; utpote deficiente dolore universali per dilectionem initialem, quæ est pars essentialissima Sacramenti.

Ad 4. n. a. Quia suppono, dilectionem initialem esse partem Sacramenti pœnitentiæ, quæ tamen est detestatio virtualis generalis omnium peccatorum.

Ad 5. n. a. ad prob. n. a. Quia pœnitens necessariò protestatur tacitè dolorem universalem de omnibus peccatis, etiam oblitis, declarando se dolere de offensa Dei per dilectionem initialem.

QUÆSTIUNCULÆ.

QUÆRITUR 1. An confessio generalis sine expressione peccati particularis sit materia Sacramenti & absolutionis?

RESPONDEO 1. In casu impotentiæ ad confessionem distinctam, sufficit confessio generalis. Patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper absolvit moribundos, si vocaverint Sacerdotem ad excipiendam confessionem, ac eo veniente jam obmutuerint. In quo casu ad summum habetur confessio generalis. Concilium Carthaginense 4. Can. 76. dicit: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum Sacerdos ad eum invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.*

RESPONDEO 2. Si pœnitens recordetur; se commisisse peccatum mortale, non tamen meminerit, quale fuerit, tenetur saltem dicere, se commisisse peccatum mortale. Ita *Major* in 4. dist. 17. q. 3. *Navarrus* in Summa c. 10. n. 7. *Suarez* b. Disp. 23. Sect. 1. n. 8. qui tamen addit: *Talis etiam secluso mortis articulo erit absolvendus, quamquam propter certitudinem melius sit, addere aliquod peccatum veniale in specie.*

RESPONDEO 3. Extra casum impotentiæ non sufficit confessio generalis, etiam venialium. Ratio est, quia non est actus judicialis; ergo nec Sacramentalis. *Suarez* tamen l. cc. n. 10. dubitat, an oppositum non possit dici *speculativè* probabile. *Respondetur*, inquit, *fortasse speculativè tantùm loquendò posse hoc defendi. Nihilominus practicè hoc negandum est ob incertitudinem materiæ.* Verùm censeo, eam sententiam ne quidem *speculativè* esse probabilem.

RESPONDEO 4. Ad casum impotentiæ aliquando referri etiam posse enormem quorundam hominum stupiditatem, ex quibus post iteratas interrogationes nihil determinati certive peccati exsculpi potest. Tales enim, si raro confiteantur, ita ut videatur posse interea oriri periculum mortis, donec ad confessionem redeant, sub conditione mentali absolvi possunt.

QUÆRITUR 2. An peccata dubia se solis sint materia sufficiens Sacramenti?

RESPONDEO 1. Peccata dubia se solis sunt materia confessionis. RATIO EST 1. quia dantur homines, in quibus non reperiuntur nisi peccata dubia, v. g. infantes septennes, valde senes

ſenes obliviosi, & innumeri alii, qui ſaltem ab ultima confeſſione non recordantur alicujus peccati certi. Abſurdum autem eſt dicere, quod ejusmodi peccata dubia aut ſint irremiſſibilia per Sacramentum, ſi re vera extitiſſent; aut quod non ſint remiſſibilia ſacramentaliter, niſi cum additione alterius peccati jam confeſſi: nam in infantibus multis ne quidem habetur aliud peccatum certum, quando dubitatur de ſufficiente uſu rationis; & Chriſtus aut Eccleſia non videretur velle obligare ad conditionem tam innaturalem Sacramento; cum adſit modus naturalis & expeditus, videlicet modus *abſolutionis conditionatæ.* RATIO EST 2. Quia Eccleſia obligandò fideles ad confeſſionem annuam, & Conſtitutiones Monaſticæ aut Diœceſanæ obligando ad confeſſionem hebdomadariam non videntur velle obligare ad perpetuam confeſſionem peccatorum confeſſorum. Hinc

RESPONDEO 2. Ejusmodi peccata dubia, ſi ab ultima confeſſione non reperitur peccatum certum, poſſunt & debent abſolvi abſolutione mentaliter conditionata. Ratio eſt, quia hic modus eſt rationalis, expeditus, connaturalia Sacramento; & in contrarium nec reperitur ullum teſtimonium SS. Patrum ac Theologorum Veterum; imo nec ſenſus etiam Theologorum recentiorum uniformis. Ergo fideles, qui confitentur peccata dubia ſola, ſi ita illis expedierit, moneri quidem poſſunt, ut addant peccatum certum jam confeſſum; obligari verò non poſſunt, ſed illis abſolutio mentaliter conditionata impertienda eſt. Praxis contraria quorundam Theologorum Moralium ad ſcrupuloſitatem pertinet. Hunc modum conditionatum abſolutionis non improbat *Gormaz* p. 2. n. 169. & *La Croix* l. 6. p. 2. n. 614. ubi de hoc caſu loquens ait: *Per accidens erit obligatio addendi aliud peccatum certum, ſaltem veniale; aut abſolutio erit tantum ſub conditione danda*, inquit Gormaz p. 2. n. 169. Gormaz autem de pœnit. Diſp. 3. Sect. 3. n. 169. ſic ſcribit: *Ut non irrogetur injuria Sacramento, quando ſolum peccatum dubium apponitur pro materia, debet impendi abſolutio ſub conditione; quo & confeſſarius fungitur ſuo munere, & pœnitens ſuam adimplet obligationem.*

QUÆRITUR 3. An confeſſio generalis habeat rationem ſacramentalem pro remiſſione venialium & mortalium oblitorum?

RESPONDEO I. Confeſſio generalis addita ad finem confeſſionis particularia habet verè rationem ſacramentalem, directè remiſſivam peccatorum mortalium oblitorum; etiam quoad partem reatus pœnæ, alioquin commenſuratam virtuti ſacramentali & diſpoſitioni pœnitentis.

RESPONDEO 2. Confeſſio generalis ſine diſtincta expreſſione alicujus peccati, non habet rationem ſacramentalem, ſed tantum rationem meritoriam ex actu pœnitentis, & impetratoriam ex precibus deprecatoriis Sacerdotis factis nomine Eccleſiæ. Ita quoad rem *D. Thomas* in 4. diſt. 21. q. 2. a. 1. ad 1. ubi ait: *Confeſſio generalis quandoque eſt Sacramentalis, & quandoque non. Sacramentalis eſt, quando aliquis in Secreto Sacerdoti confitetur quædam, quæ meminit; & alia venialia in generali. Et tunc illa Confeſſio generalis ex quatuor habet, quod valeat ad remiſſionem venialium, quantum ad culpam, & etiam pœnam, vel in parte vel in toto; ſcilicet ex contritione confitentis, ex humilitate confeſſionis ex oratione Sacerdotis, in quantum eſt quædam perſona, & ex vi clavium. Quando autem fit publicè coram multis, & cum multis in Eccleſia, non eſt Sacramentalis. Unde tunc habet efficaciam ex tribus primis, & non ex quarto. Et propter hoc non ſubjungitur in Prima & Completorio abſolutio, nec ſatisfactionis injunctio, ſed ſolum Oratio: Miſereatur.* Et ibidem a. 2. C. *Confeſſio operatur præſuppoſita contritione, quæ culpam delet; & ſic ordinatur confeſſio directè ad dimiſſionem pœnæ; quod quidem facit & ex erubeſcentia, quam habet, & ex vi clavium, cui ſe confitens ſubjicit. Contingit autem quandoque, quod per contritionem præcedentem peccatum aliquod delectum eſt quoad culpam ſive in generali, ſi ejus tunc memoria non habeatur; ſive in ſpeciali, & tamen ante confeſſionem aliquis illius peccati oblitus eſt; & tunc confeſſio generalis Sacramentalis operatur ad dimiſſionem pœnæ ex vi clavium, quibus ſe confitens ſubjicit, nullum obſtaculum, quantum in ipſo eſt, ponens. Sed ex illa parte, qua erubeſcentia confeſſionis peccati pœnam minuebat, pœna ipſius, de quo quis ſpecialiter coram Sacerdote non erubuit, non eſt diminuta.*

RESPONDEO 3. In antiqua Eccleſia, antequam fuerat introducta forma abſolutionis abſoluta, probabiliter confeſſio generalia erat Sacramentalis in iis, qui erant in ORDINE POENITENTIUM depoſita prius confeſſione diſtincta peccatorum mortalium reſervatorum judicio Eccleſiæ, & in iis, qui habebant tantum peccata venialia. Ratio hujua Reſponſionis quoad priorem partem eſt; quia conſtat, pœnitentes ſingulis Dominicis debuiſſe venire *ſub manu Sacerdotis*, quod videtur eſſe ſignum; eos ſingulis Dominicis fuiſſe abſolutos ſub confeſſione generali tanquam complemento prioris confeſſionis diſtinctæ peccatorum. Quoad ſecundam verò partem probatur authoritate MAGISTRI SENTENTIARUM in 4. diſt. 21. ubi confeſſioni generali tanquam Sacramentali videtur adſcribere remiſſionem peccatorum oblitorum, & venialium; prout etiam *Vega* l. 18. de juſtificat. c. 5. his verbis obſervat: *Confeſſionem etiam generalem Magiſter tanquam rem minimè dubiam dicit fieri quotidie in Eccleſia pro venialibus, & pro lethalibus, quæ à memoria exciderunt.*

QUÆRITUR 4. An venialia ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ? Etiam quoad reatum culpæ?

RESPONDEO I. Peccata venialia non ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, niſi per accidens, quod poteſt fieri triplici modo. *Primo modo*, ſi dubitetur, an ſint mortalia? quia ſuppono ex dictis quæſt. 2., dari obligationem confitendi peccata dubia. *Secundo modo*, ſi habeant annexam reſervationem. In tali enim caſu pœnitens non poſſet liberari à reatu culpæ & pœnæ, niſi cum propoſito, ejusmodi peccatum ſubjiciendi clavibua Eccleſiæ. Quamvis veroſimile ſit; nullam unquam factam fuiſſe reſervationem peccati præciſe venialis ex ſuo genere. *Tertio modo*; ſi confeſſioni alligetur conceſſio Indulgentia

tiæ plenariæ. In hoc enim casu videtur; Indulgentiam obtineri non posse sine confessione.

RESPONDEO 2. Peccata venialia sunt materia Sacramenti etiam quoad reatum culpæ. Ratio est; quia ratio culpæ etiam in venialibus non solùm constituitur per maculam moralem, consistentem in deordinatione rationis, quæ tollitur per retractationem & novum propositum; sed etiam per *maculam Theologicam*, consistentem in diminutione fundamentali amicitiæ divinæ, seu in indignitate ad effectus perfectiores divinæ benevolentiæ, v. g. ad plures ac majores illustrationes, pias motiones, majorem protectionem à tentationibus diaboli, aut mundi &c. Hæc enim indignitas non est pœna peccati venialis, sed constitutivum.

QUÆRITUR 5. An illa peccata mortalia sint materia necessaria Sacramenti, de quibus pœnitens dubitat, an ea jam semel fuerit confessus?

RESPONDEO 1. Si dubium sit prudens, ac strictè tale & peccatum sit certo commissum, ac certo mortale, tenetur ea confiteri. Ratio est, quia obligatio confitendi peccatum grave certo commissum est certa. Obligationi autem certæ non satisfit per solutionem incertam. Cæterùm ratio prudenter judicandi quod quis tale peccatum jam sit confessus, regulariter est 1. si jam una vel altera vice deposuit confessionem generalem præmisso diligenti examine. 2. si eo anno, vel ætatis tempore, quo scit se commisisse illud peccatum, solitus est frequenter, & sine scientia deliberati sacrilegii, & præmissu diligenti examine confiteri. Quia non est verosimile, quod hoc illi peccatum exciderit. 3. si ætatis eo tempore, quo scit se commisisse illud peccatum, novit jam se fuisse adultum, alias conscientiosum, Sacrilegiorum osorem, aut celerem reparatorem, & jam aliquot anni ab eo tempore effluxerint. Quia non est verosimile, quod peccatum adeo apertum ejus memoriam tunc effugerit, aut quod studiose illud occultaverit. *La Croix* h. l. n. 602. cum *Præpos. Lug. Dicast. Palav. Arriag. Gobat, Stoz, Bosco*, admittit; pœnitentem non teneri confiteri peccata de quibus dubitat *positivè*, an ea jam fuerit confessus; quia juxta istorum Probabilistarum principia homo in dubio positivo potest utramlibet partem judicare veram, quam voluerit; adeoque poterit etiam judicare, se jam fuisse confessum tale peccatum. Quod tamen falsissimum esse, patebit ex dicendis de Probabilismo.

RESPONDEO 2. Si dubium sit tantùm *latè tale*, ita ut prudenter judicet, verosimilius se hoc peccatum jam esse confessum, non tenetur illud de novo confiteri. Patet ex dictis quæst. 1.

RESPONDEO 3. Si quis *strictè dubitat*; an peccatum, de cujus confessione strictè dubitat, fuerit re vera commissum; vel an fuerit mortale, considerato dictamine, quod illo tempore habuit, non tenetur illud iterum confiteri. RATIO EST; quia in tali casu non datur certitudo peccati, adeoque nec certa obligatio confitendi; *ex altera* verò *parte* pœnitens jam est moraliter certus; illud peccatum, si re vera illud commisisset, jam fuisse remissum *indirectè* in præcedenti confessione; *ex tertia verò parte* non videtur esse conforme legibus prudentiæ legislativæ in Christo, ut ad casum tam frequentem ponat obligationem confitendi nulla exinde proveniente notabili utilitate, aut apparente necessitate. Cum enim homo jam sit in statu gratiæ moraliter certo; non versatur periculum animæ ex omissione confessionis; & cum circa peccatum dubium Sacerdos nullum ferre possit judicium certum statuendo peccato pœnam, etiam exigua erit utilitas in ratione satisfactionis. In praxi autem pro confirmatione accedit observantia, quam formant authores superius citati.

RESPONDEO 4. Si quis habet rationem judicandi quod peccatum non fuerit grave, vel quod illud jam fuerit confessus, econtra nullam habet rationem positivam in oppositum, non tenetur illud confiteri. RATIO EST; quia talis simpliciter loquendo non est dubius, prout patet ex quæst. 1. & si præ timiditate, aut perplexitate suspendit judicium, potius est stultus quam dubius. Pro stultis autem non feruntur leges, quæ sanos in simili casu non ligant. Hinc cessat quæstio; quam *La Croix* l. cc. n. 603. format, an talis *positivè dubitans* teneatur confiteri; quia quæstio est de subjecto nun supponente, eò quod non detur *dubium* simpliciter dictum, prout *in q.* 2. *Not.* 2. dictum est.

QUÆRITUR 6. An peccatum, quod quis confessus fuerat, ut dubium, teneatur confiteri ut certum, quamprimum comperit esse certum?

RESPONDEO 1. Tenetur illud confiteri ut certum. Ratio est, quia Christus omnia peccata subjecit judicio Ecclesiastico in ordine ad vindictam salubrem, & in ordine ad curationem. Ergo cum tale peccatum nunquam adhuc subjectum fuerit ejusmodi judicio Ecclesiastico, datur adhuc obligatio id confitendi. *Nec obstat*; quod jam expositum fuerit tanquam dubium; quia delicto dubio nec infligi potest pœnitentia vindicativa proportionata, nec medicinalis.

CONFIRMATUR. Hanc obligationem agnoscunt etiam plerique laxiores Theologi Morales, v. g. Thomas Sanchez, Dicastillo, Illsung, & alii, qui docent, non dari obligationem denuo confitendi, id tantum asserunt, tanquam aliquid probabile, ut videri potest apud La Croix h. l. n. 615. Ergo pro hac sententia stat sensus potior Doctorum ac fidelium, & praxis ac consuetudo communior Ecclesiæ.

RESPONDEO 2. Scrupulosi tamen ab hac lege excipiuntur 1. si ab experientia sciant; se in casu consimili jam sæpius variasse ac etiamnum variare solere judicium, ita ut, quod judicaverant certum, denuo apprehendere soleant ut dubium. 2. si jam longum tempus effluxerat à commisso peccato; & dubium fundetur in quæstione facti. Quia rarum est; ejusmodi circumstantias à scrupuloso prudenter serius agnosci ut certas, quæ prius videbantur solum dubiæ. 3. si dubietas & certitudo subsequens tantum versentur circa dictamen conscientiæ, & circa statum animi internum; an v. g. commissum sit peccatum cum ignorantia vincibili vel invincibili? Quia rarum est; ab homine scrupuloso, ac timoratæ conscientiæ haberi posse certitudinem de vincibilitate ignorantiæ,

rantiæ. Cum ergo ſcrupuloſus facta reflexione ſupra ſuum ſtatum poſitivè ac prudenter judicare debeat; peccatum, non obſtante quod hic & nunc apprehendatur ut certum, verè tamen remanerè dubium, non tenetur illud confiteri ut certum.

Quæritur 7. An in caſu, quo quis confeſſus eſt numerum peccati ut dubium, teneatur illum confiteri ut certum, quamprimum deprehendit, illum eſſe certum?

Respondeo 1. Si numerus, qui deprehenditur eſſe certus, non poſſit notabiliter variare judicium Confeſſarii in ordine ad pœnitentiam vindicativam, & medicinalem, non datur obligatio illum numerum exprimendi ut certum. Ratio est; quia non datur finis prudenter intendibilis ex parte Chriſti, aut Eccleſiæ, reſervandi ſuæ cognitioni eam circumſtantiam numeri per iteratam confeſſionem. Hæc enim obligatio foret ardua, utpote adſtringens ad iteratam confeſſionem ejuſdem peccati quoad ſubſtantiam; ea etiam eſſet frequens; cum caſus hic ſæpiſſime recurrat; ac ea involveret conſcientias amicorum Dei multis anxietatibus; quæ omnia ſimul ſumpta non videntur prudenter præcipi nullo fine neceſſitatis aut magnæ utilitatis requirente poſitionem hujus legis.

Confirmatur. Authores graves pleriſque negant hanc obligationem. Ergo pro hac ſententia ſtat ſenſus & praxis potior Doctorum ac fidelium. *Ant. patet* ex teſtimonio *La Croix* compilatoris opinionum, l. cc. n.616. ubi pro hac ſententia citat Sotum, Vegam, Suarez, Vaſquez, Bonacinam, Reginaldum; & *Illſung* teſtatur; eam ſententiam eſſe fere omnium.

Respondeo 2. Si numerus, quem quis expreſſit ut dubium, poſtquam deprehenditur certus, notabiliter variet judicium Confeſſarii in ordine ad pœnitentiam vindicativam, vel medicinalem, datur obligatio, eum numerum exprimendi ut certum. Ratio est; quia ex una parte datur lex exprimendi numerum peccati; ex altera verò parte non datur in hoc caſu ratio pœnitentem eximendi à lege; utpote ſubſiſtente motivo ac fine à Chriſto intento, ut omnia peccata ſubjiciantur judicio Eccleſiæ proportionato ac commenſurato qualitati & numero peccatorum. Ergo. Advertendum tamen, hic denuo locum habere ea, quæ ſuperius quæſt. 6. dicta ſunt de ſcrupuloſis. Si enim ſciant; ſe variare ſolere circa agnoſcendum numerum alicujus peccati, & jam notabile tempus effluxerit à commiſſo peccato, & variatio ſolum verſetur circa actus internos, difficiles numeratu, non tenentur confiteri numerum noviter deprehenſum, ob rationem ſuperius adductam.

Quæritur 8. An, ſi quis erraverit in numero determinato, & dein deprehendat ſe aliquantulum in numero erraſſe, v. g. dicendò, ſe blaſphemaſſe decies, cum deprehendat poſtea; ſe blaſphemaſſe undecies, teneatur numerum noviter repertum confiteri?

Respondeo 1. Si pro natura ſubjectæ materiæ etiam unitas addita notabiliter variet judicium Confeſſarii in ordine ad injungendam pœnitentiam vindicativam & medicinalem; v. g. ſi dixerit ſe ab ultima confeſſione ante menſem peracta ſe cum ancilla domeſtica bis fornicatum eſſe; cùm reflexione facta deprehendat; illud contigiſſe ter; tenetur hunc exceſſum confiteri. Ratio eſt; quia motivum & finis à Chriſto intentus, requirendi exactum numerum in tali caſu ſubſiſtunt, videlicet ut in judicio hoc Eccleſiaſtico delictis conſtituatur proportionata ſatisfactio vindicativa, & medicinalis.

Respondeo 2. Si in tali caſu exceſſus numeri comparativè ad ingentem Summam delictorum in æſtimatione morali non poteſt notabiliter variare judicium Confeſſarii, per ſe loquendò nihilominus datur obligatio confitendi auctarium numeri; quia tale peccatum ſimpliciter nondum fuit ſubjectum judicio Eccleſiæ; & quamvis non variet notabiliter judicium Confeſſarii, datur tamen aliud ſufficiens motivum ex parte Chriſti ad imponendam obligationem confeſſionis, videlicet, punitio peccati per erubeſcentiam & ſpecialem humiliationem, quæ reperitur in confeſſione. *Nec obſtat*; quod teſte Illſung oppoſita ſententia dicatur fere omnium; ex his omnibus namque ſunt aliqui, v. g. *Mendo*, à La Croix relatus l. cc. 1. qui obligationem ejuſmodi ſolum negant propterea, quod exiſtiment, numerum determinatum habere ſenſum indeterminatum ac disjunctivum; ſic enim in poſito caſu, qui diceret; ſe *decies* blaſphemaſſe, juxta horum authorum mentem diceret, ſe *circiter decies* blaſphemaſſe, ſeu, *quantum recordor, ſi rectè memini*. Verùm cum falſum ſit; ſemper ac univerſim numerum determinatum peccatorum habere ſenſum indeterminatum; ea explicatio admittenda non eſt. Dixi tamen *per ſe*; quia ſi aliquando in caſu particulari ex modo loquendi intelligeretur; pœnitentem exprimendo numerum determinatum habere ſenſum indeterminatum, ac loqui ſub modo dubitandi; in tali caſu omnino verum eſſet, non dari obligationem, de novo confitendi illud auctarium numeri, utpote quoad ſubſtantiam jam ſub dubio expreſſum.

Quæritur 9. An in caſu, quo quis peccatum confeſſus eſt ut certum, quod tamen poſtea deprehendit eſſe dubium, vel notabiliter minoris malitiæ, teneatur retractare dicta in priori confeſſione?

Respondeo 1. *Per ſe* non tenetur retractare errorem; quia hæc obligatio ex nullo capite ſufficienter probatur.

Respondeo 2. Tenetur tamen retractare errorem *per accidens*, ſi timeat, Confeſſarium ex tali errore induci poſſe ad erroneam directionem pœnitentis; vel ſi circumſtantia diminuens totaliter transferat peccatum mortale in veniale. Ratio est; quia pœnitens tenetur ad emendandum errorem notabilem in priori confeſſione commiſſum; ſed in tali caſu error in priori confeſſione commiſſus foret notabilis. Ergo. *Min. prob.* judicio D. Bonaventuræ, qui in 4. diſt. 17. part. 3. art. 2. q. 3. C. ait: *Circumſtantias alleviantes confiteri non eſt bonum, niſi propter hoc, ut ſatisfiat alienæ inquiſitioni, vel ut provideatur ejus ſcandalo & perturbationi, utpote ſi timeret, Confeſſorem ex hoc accipere occaſionem ad malum; vel ſi etiam tantum diminuat, ut ſit in genere venialis;*

venialis; sicut comedere carnes in quadragesima propter infirmitatem. — Confessio circumstantiarum alleviantium exceptis his casibus facit potius incongruitatem.

Quæritur 10. Utrum actus externus ex actu interno immediatè dependens v. g. blasphemia, homicidium &c. necessariò debeat exprimi in confessione?

Responsdeo affirmativè. Ita certa. Ratio est; quia actus externus cum actu interno constituit concretum, quod est objectum legis & indignationis divinæ. Ergo etiam in concreto exprimendus est.

Confirmatur ex sensu ac praxi totius Ecclesiæ, cui reluctari periculosum est.

Quæritur 11. An necessariò in confessione exprimi debeat effectus mediatus directè intentus, v. gr. homicidium vel abortus ex propinatione veneni vel potus expulsivi secutus, si effectus ante sui eventum non fuerit efficaciter retractatus per contritionem perfectam, vel confessionem?

Respondeo. Datur ea obligatio. Ita Valentia, Tannerus, Palao, Illsung, & communis aliorum contra Vasquez, Gran. Azor, Lug. Dicast. Eparz. Gob. La Croix. Ratio est 1. quia in tali casu effectus etiam mediatus constituit verè concretum peccaminosum seu peccatum, in quo ipsum materiale concreti est ipse actus externus; formale verò est actus internus, à quo imperatur. Ergo sicut est verè objectum legis prohibentis & indignationis divinæ, ita etiam in concreto exprimendus est.

Confirmatur ex perpetua traditione, sensu, ac praxi Ecclesiæ, quæ semper jussit confiteri tales abortus & homicidia, prout patet ex Pœnitentialibus omnibus antiquis.

Quæritur 12. An idem dicendum, si talis effectus directè intentus ante eventum jam fuerit efficaciter retractatus?

Respondeo. Idem dicendum est. Responsio est contra *Vasquez, Sal. Gran. Azor, Pal. Lug. Dicast. Esparz. Illsung*, & alios, qui referuntur à *La Croix* h. l. n. 944. Ratio est 1. quia licet talis effectus non amplius constituat concretum peccaminosum, utpote deficiente constitutivo formali, seu malitia actus interni, quæ per retractationem efficacem, seu contritionem perfectam jam supponitur esse destructa; datur tamen adhuc concretum morale idoneum ad hoc, ut possit esse objectum legis positivæ in ordine ad confessionem per modum circumstantiæ malitiam internam aggravantis, explicantis, determinantis, & judicium Confessarii tam in ordine ad vindicandum, quam sanandum, notabiliter variantis. Ergo cum unum vel alterum ex his motivis concurrat fere in omnibus ejusmodi effectibus, natura hujus concreti stante Sacramento pœnitentiæ exigit & ipsa comprehendi sub lege generali confessionis. Regula enim est, quod, ubi ratio prohibendi aut præcipiendi reperitur fere in omnibus individuis sufficiens, & exceptio unius vel alterius individui convenienter fieri vel promulgari aut agnosci non potest, semper lex fertur ad omnia individua, seu ad ipsum genus vel speciem, ob convenientiam legis universalis, quamvis non urgeat ratio legis universalis particulatim in omni individuo. Prout patet ex lege generali præcipiente vel prohibente portationem armorum. Ratio 2. est; quia Ecclesia semper requisivit confessionem talium effectuum indiscriminatim, sine ulla distinctione retractantium vel non retractantium. Ergo cum ea exceptio retractantium nec ex sua natura insit Sacramento, ut ostensum est; nec ea ab ullo veterum Patrum aut Doctorum fuerit promulgata fidelibus, clarum est, praxin fidelium necessariò debuisse consequi & esse universalem confitendi tales effectus. *Ant. prob.* ex omnibus antiquis Pœnitentialibus Sæculi 6. 7. 8. 9. 10. &c. Sic in *Pœnitentiali Romano* Sæculi 6. dicitur: *Si quis ad homicidium faciendum consenserit. Si quis infantem oppresserit.. Si quis adulterium commiserit; si filium genuerit, septem annos pœniteat; si verò filium non genuerit, tres annos pœniteat. Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, quia non suscepit eum mulier, quadraginta dies pœniteat. Si quis sponsam habens, ejus sorori vitium intulerit, si forte sibi necem intulerit, decem annos pœniteat. Si quis maleficio aliquem perdiderit, septem annos pœniteat. Si autem per hoc mulieris partus quis deceperit, sex quadragenas insuper augeat &c.* Ex his omnibus patet; quod cognitioni Ecclesiæ ejusmodi concreta moralia reservata fuerint, non attendendò ad intermediam animi dispositionem internam, quam tamen verosimile est, primis temporibus sæpe intervenisse bonam; cum iis temporibus confessio à multis dilata fit in senium, aut in periculosum morbum.

Quæritur 13. An idem dicendum de effectu directè non intento, v. g. abortu, homicidio, pollutione?

Respondeo. Si ejusmodi effectus consequuntur ordinariè; aut facile possunt consequi ex causa voluntaria in se graviter peccaminosa; datur eadem obligatio. Ratio est; quia quod facile fit, pronum est fieri, ac ordinariè solet fieri. Itaque ejusmodi effectus prævideri potuerat, & judicari debuerat verosimilius secuturus. Ergo qui voluit causam *per se* talem, etiam *indirectè* præsumendus est voluisse effectum, saltem voluntate omissiva graviter culpabili, non removendo causam *per se*.

Confirmatur ex Pœnitentialibus præfatis; ubi præcipitur v. g. exprimi generatio prolis, vel suicidium vitiatæ, quæ tamen non solent intendi ab adulteris, vel fornicariis. Sic & in *Pœnitentiali Egberti*, quod est Sæculi 8. Sacerdos interrogat: *Fecisti homicidium per jussionem Domini* (mediatè vel immediatè, applicando v. g. venenum jussu Domini). *Fecisti vomitum per ebrietatem? duodecim dies pœniteas. Fuisti in somno voluptate pollutus* (data videlicet causa per se graviter peccaminosa, v. g. delectatione morosa, vel tactibus lascivis) *uno die pœniteas. Si infans per negligentiam moriatur ante baptismum, unum annum pœniteas.* In hujusmodi autem non est præsumendum; ab aliquo, nisi extremè malitioso, effectum esse directè intentum.

Quæritur 14. An quis teneatur statim post commissum peccatum confiteri, prima opportunitate oblata?

Respon-

Respondeo 1. Per se ad hoc non tenetur. Ratio est, quia hæc obligatio generalis primis decem Sæculis non fuit agnita; nec etiam constat; eam posterioribus Sæculis fuisse inculcatam vel agnitam, aut sensu & praxi communi fidelium introductam. Ergo. Ratio 2. est; quia D. Thomas & alii antiqui Theologi expresse docent oppositum.

Respondeo 2. Per accidens tamen datur obligatio, confitendi prima opportunitate oblata, si aut ingruat periculum mortis, aut necessitas administrandi vel suscipiendi Sacramenti v. g. Matrimonii, vel Confirmationis; vel si pœnitens sentiat difficultatem in elicienda contritione perfecta, ita ut valde dubitet, an sua contritio interea elicita sit perfecta; vel denique, si ab experientia doctus advertat, se differendo confessionem ruere sæpius in eadem vel alia gravia peccata, ita ut cum dilatione confessionis conjunctum sit probabile periculum iterandi peccati.

Respondeo 3. Si dilatio confessionis tanta sit, ut considerata dispositione animi morale ac probabile periculum sit relapsus, datur obligatio, confessionem tamdiu, ut increscat periculum, non protrahendi. Hæc Responsio probatur ex iis, quæ dicta sunt *de peccatis* in genere, quod non liceat se exponere *probabili periculo* determinati peccati. Prior verò Responsionis pars probatur authoritate & ratione *D. Thomæ* in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. qq. 4. C. ubi sic scribit: *Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur; scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, cum præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere, sicut cum tenetur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi. Sed ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno modo per accidens; scilicet quando ad aliquid tenetur, quod non potest sine peccato facere, nisi confessus, tunc enim confiteri tenetur; sicut si debeat Eucharistiam accipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus accedere debet copia Sacerdotis oblata, & necessitate non urgente. Et inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum; quia instituit, ut semel in anno, scilicet in Pascha, omnes Sacram communionem accipiant; & ideo ante tempus illud confiteri tenentur. Alio modo obligatur aliquis ad confessionem per se; & sic videtur eadem ratio esse de confessione, & de baptismo differendo, quia utrumque est Sacramentum necessitatis. Ad baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Sed potest contingere, quod in dilatione baptismi erit peccatum mortale vel non erit. Et hoc pensandum est ex causa dilationis; quia ut Philosophus 8. phys. dicit: Voluntas non retardat opus volitum, nisi propter aliquam causam rationabilem. Unde si causa dilationis baptismi peccatum mortale annexum habeat, utpote si propter contemptum, vel aliquid hujusmodi baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale; alias non. Et ideo idem videtur esse de confessione, quæ non est majoris necessitatis, quam baptismus. Et quia ea, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere, ideo, si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel baptismum suscipiendum. Et ideo videtur probabilis eorum opinio, qui dicunt, quod homo non tenetur ad statim confitendum, quamvis periculosum sit differre. Alii autem dicunt; quod tenetur contritus ad statim confitendum debita opportunitate oblata secundum rectam rationem. Sed hoc videtur nimis durum; quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri possunt: quia sic si quis non daret eleemosynam de superfluo, quandocunque pauper offeretur, peccaret mortaliter, quod falsum est; sed ex hoc, quod tempus necessitatem urgentem adducit; & ideo non oportet; quod si statim oblata opportunitate non confiteatur, etiam si major opportunitas non exspectetur, aliquis peccet mortaliter; sed quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Quidam verò dicunt, quod Sæculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis pœnitentiæ tempus; sed Religiosi tenentur ad statim, quia totum tempus est eis pœnitentiæ tempus. Sed hoc nihil est; quia Religiosi non tenentur ad alia, quam alii homines, nisi ad quæ se ex voto obligaverunt.* Ita S. Doctor.

Quæritur 15. An quis teneatur statim post commissum peccatum contritionem cum proposito confessionis elicere, quamprimum occurrit memoria commissi peccati?

Respondeo 1. Datur obligatio statim eliciendi contritionem perfectam, quamprimum & quotiescunque occurrit cogitatio practica seu instinctus, & moralis potentia agendi pœnitentiam de peccato.

Respondeo 2. Neglectus tamen hujus obligationis in æstimatione morali tantum habetur ac habendus est pro peccato veniali, in suo genere gravissimo, ac pro circumstantia notabiliter aggravante peccatum habituale.

Respondeo 3. Datur tamen gravis obligatio, statim eliciendi contritionem saltem imperfectam, seu detestationem peccati cum proposito non peccandi de cætero, quamprimum occurrit cogitatio practica de retractando peccato, & delenda offensa Dei.

Probantur hæ Responsiones ex eo; quia argumenta requirentium & negantium obligationem pœnitendi statim post commissum peccatum, præcise hoc probant, quod obligatio statim eliciendi contritionem perfectam sit sub veniali; imperfectam autem sit sub mortali; prout patebit ex solutione objectionum.

Quæritur 16. An peccata jam semel confessa sint materia hujus Sacramenti?

Respondeo. Quod sic. Probatur 1. ex praxi modernæ Ecclesiæ. 2. ex praxi veteris Ecclesiæ; quia pœnitentes singulis Dominicis debebant stare in Ordine pœnitentium, & ad novam manus Sacerdotalis impositionem venire, & Patres pœnitentibus consulunt, ut frequenter ad manus impositionem veniant. 3. Rectè pœnitens perpetuò rogat Deum, ut sibi peccatum commis-

commissum donet, & de eo se coram Deo accusat. Ergo idem fieri potest coram Vicario Dei.

Respondeo 1. Si ex peccato semel confesso adhuc residuus est reatus pœnæ, effectus iteratæ confessionis est remissio reatus pœnæ vel ex parte, vel ex toto.

Respondeo 2. Si ne quidem residuus sit reatus pœnæ positivæ, effectus iteratæ confessionis est aut *diminutio incapacitatis* seu indignitatis *ad plures gratias* & dona, quæ indignitas ex quovis peccata relinquitur etiam post remissum reatum culpæ & pœnæ; vel *confirmatio* prioris sententiæ cum majori confirmatione *in gratia per novas gratias actuales*. Hinc ejusmodi iteratæ humiliationes & detestationes peccatorum iteratæ coram Deo & ejus Vicario, si fiant animo verè pœnitente, plurimi æstimandæ sunt. Responsio autem probatur ex eo; quia alius effectus Sacramenti Pœnitentiæ, qua talis, congruentior assignari non potest.

Quæritur 18. An Lege Ecclesiastica præcepta sit, vel præcipi possit confessio venialium?

Respondeo. Confessio solorum peccatorum venialium Lege Ecclesiastica non solum præcipi potest; sed etiam actu præcepta est. Ita communis contra laxiores Casuistas, qui docent, Parochianum à Parocho adstringi non posse ad confessionem annuam, si illi dicat; se non habere peccatum mortale. Probatur 1. In Can. *Omnis utriusque sexus*, præcipitur, ut omnes semel per annum proprio Sacerdoti confiteantur, nullus fidelium excipitur, nec fit discrimen inter Religiosos, Clericos, juvenes, aliosque fideles, quorum tamen major pars integris annis abstinet à peccatis mortalibus. 2. In præfato Canone puniuntur excommunicatione & sepulturæ Ecclesiasticæ privatione, qui semel per annum confessi non fuerint. Sed hæc pœna foret frustranea respectu majoris partis fidelium, in nullo publico peccato delinquentium; quia possent se à lege & pœna eximere asserendo, se non habere peccatum mortale. 3. teste P. Juenin in *Comment. de Pœnit.* c. 3. art. 2. n. 3. Omnes ferè Ecclesiæ Gallicanæ in Conciliis Provincialibus aut in Ritualibus tempus annuæ Confessionis determinarunt ad quindecim illos dies, qui à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè numerantur; ita ut Canoni: *Omnis utriusque*, non censeantur satisfacere, nisi intra illos quindecim dies proprio Sacerdoti confiteantur; etiamsi aliis anni temporibus confessi fuerint. Cum ergo vero simile fit, paucos intra illos quindecim dies post præcedentes alias confessiones se novo peccato mortali adstrinxisse, sequeretur, paucos omnino illis generalibus Conciliorum Provincialium Decretis adstringi; quod abhorret à prudentia Legislatorum. Concilium *Bituricense* anno 1584. sic habet: *Omnes Christiani peccata sua saltem semel in anno ad diem Paschæ proprio Sacerdoti confiteantur. Qui semel atque iterum moniti neglexerint, communione Ecclesiæ priventur.* Et *Burdigalense* anno 1624. c. 5. de Euchar. *Statuimus, tempore Paschatis omnes Christi fideles tum ad Confessionem peccatorum proprio Parocho, aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam, teneri & obligari, nullosque alias præcepto Ecclesiæ satisfecisse; ac proinde in eos, ni resipiscant, ab Ordinario censuris agendum esse declaramus.* 4. Ecclesia potest præcipere alia Sacramenta ad salutem utilia v. g. Eucharistiam, ut quater sumatur in anno, vel sæpius, prout præceptum erat tempore Caroli M. Ergo etiam præcipere usum Sacramenti Pœnitentiæ circa peccata venialia. Simile est de *Confirmatione*, quæ actu præcepta est Ordinandis jure Ecclesiastico.

Quæritur 18. Quo tempore Confessio universim præcepta sit?

Respondeo 1. Ut quis semel in anno *proprio* Sacerdoti confiteatur, vel de ejus permissione alteri, est præcepti Ecclesiastici.

Respondeo 2. Ut verò in Paschate *determinatè* confiteatur, si constitutus sit in peccato mortali, requiritur solum *per accidens* jure divino; quia ad Eucharistiam, jure Ecclesiastico tunc temporis præceptam accedere non licet sine probatione & emundatione sui per Confessionem. Lex Ecclesiastica, constituta ab Innocentio III. in *Concilio Lateranensi* IV. anno 1215. Can. 21. sic habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata; licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere vel ligare.*

Respondeo 3. Si quis tamen laicorum, peracta per annum confessione coram proprio Parocho aut privilegiato, in Paschate communicare vellet sine confessione, tanquam *temerarius* repellendus esset, utpote agens contra morem Ecclesiæ in re gravi.

Quæritur 19. An sub nomine proprii Sacerdotis intelligatur Parochus, seu alius ex officio curam animarum habens?

Respondeo. Quod sic. Id evidens est 1. ex Ejusdem Concilii Canone 32. ubi manifestè sub hoc nomine intelligit Parochum dicens: *Interdicimus, ne quis de proventibus Ecclesiæ, quæ curam proprii Sacerdotis habere debet, pensionem alii conferre præsumat.* 2. Concilium vult; ut alieno Sacerdoti confiteri volens licentiam postulet & obtineat *à proprio Sacerdote*, quod absurdè præciperetur, nisi huic ex Officio cura animarum concredita foret. 3. *Martinus IV.* in Constit. *Ad uberes*, hunc terminum de Parocho exponit. Sic enim habet: *Volumus, quod ii qui fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout Concilium Generale statuit, teneantur.* 4. Synodus *Lingonensis* anno 1452. idipsum declarat his verbis: *Mandamus animarum Rectoribus, quod singulis Quadragesimæ Dominicis babeant illud Statutum: Omnis utriusque, in Concilio*

Generali editum publicare, & exponere, quod omnis fidelis semel in anno à suo proprio Curato Sacerdote pœnitentiam debet recipere. Eodem modo id explicat *D. Carolus* in Synodo Mediolanensi anno 1565. & Concilia *Rhemense* 1583. & *Aquense* 1585. & *Burdigalense* 1624. & *Clerus Gallicanus* 1655.

QUÆRITUR 20. An nunc temporis satisfiat præcepto Confessionis annuæ per Confessionem apud Confessarios Regulares Privilegiatos?

RESPONDEO 1. Constitutio Concilii Lateranensis in suo vigore perstitit usque ad Leonem X. PROBATUR. *Martinus IV.* in Constit. *Ad uberes*, declarat; quod Parochiani non obstante, quod possint confiteri Mendicantibus, teneantur nihilominus semel in anno confiteri proprio Parocho: *Volumus*, inquit, *quod ii, qui fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri, saltem semel in anno, prout Concilium Generale statuit, teneantur.* Idem declarat *Sixtus IV.* in Constit. *Vices illius*, his verbis: *Mendicantes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti; quia de jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio Sacerdoti confiteri.*

RESPONDEO 2. *Leo X.* in Constit. *Intra mentis arcana*, anno 1516. vult; præcepto confessionis annuæ satisfieri per confessionem factam Mendicantibus. *Possint Mendicantes*, inquit, *per Episcopos examinari, talibusque confitentes Constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur.*

RESPONDEO 3. Quamvis Bulla Leonis X. declaret; satisfieri præcepto confessionis annuæ per confessionem factam Mendicantibus, videtur tamen, eam Bullam non fuisse ubivis promulgatam aut usu receptam. RATIO EST, quia Synodus Augustana sub *Othone Truchsessio* anno 1548. *D. Carolus* in Concilio Mediolanensi anno 1565. Concilium *Rhemense*, confirmatum à Gregorio XIII. & *Burdigalense* anno 1624. adhuc rigorose Decreto Concilio Generalis insistunt, prout ostendit *P. Juenin* in Comment. l. cc. §. 2.

RESPONDEO 4. Quamvis Clemens VIII. anno 1592. & *Innocentius X.* anno 1645. declaraverint; Regulares habentes Privilegia Apostolica posse excipere confessiones Sæcularium à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, per hoc tamen Sæculares non eximebantur à præcepto confessionis semel in anno coram proprio Parocho faciendæ. Quia ut rectè observat P. Juenin l. cc. hi duo Pontifices nil aliud statuerant, quam Martinus IV. & Sixtus IV. superius relati.

RESPONDEO 5. Nunc tamen post Constitutionem *Clementis X.* emanatam anno 1670. certum est; satisfieri præcepto Confessionis annuæ, quæ fit Mendicantibus, & aliis Regularibus habentibus communicationem Privilegiorum cum Mendicantibus. In illa Constitutione Pontifex dicit: *Eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos esse.* Et quamvis *P. Juenin* l. cc. probet; eam Bullam Clementis X. in Gallia receptam non fuisse, in Germania tamen usu & praxi receptam esse liquet.

QUÆRITUR 21. Utrum præcepto Confessionis annuæ coram proprio Parocho faciendæ satisfaciant, qui sine licentia sui Parochi etiam in Paschate confitentur alteri Parocho non habenti communicationem privilegiorum cum Mendicantibus?

RESPONDEO. In Diœcesibus, in quibus Episcopi non urgent observationem Canonis, *Omnis utriusque sexus*, quoad Confessionem *Parocho*, aut *alteri* de ejus licentia faciendam, fideles qui alieno Sacerdoti debitè approbato confitentur, præsumuntur habere à propriis Parochis aut Episcopis non reclamantibus licentiam tacitam; & hinc mandato Ecclesiæ de annua Confessione faciunt satis. Ita *P. Juenin* l. cc. qq. 1. Si tamen Parochus exigeret à suis Parochianis, ut, si quis suorum Parochianorum velit alteri non privilegato confiteri, petat à se licentiam, non esset improbandus; quamvis si exigatur, nisi pœnitens sit scandalosus in Parochia, ob quod à Parocho specialiter ligandus sit, ea licentia facile deneganda non sit.

QUÆRITUR 22. An in casu necessitatis deficiente Sacerdote confessio validè aut meritoriè fiat laico?

RESPONDEO 1. Non fit validè in esse Sacramentali. PROBATUR 1. negativè, quia potestas absolvendi in nullo casu reperitur concessa laicis. 2. Quia etiam D. Augustinus in Epistola *ad Fortunatum*, in qua narrat historiam de pœnitente postulante tempore naufragii *reconciliationem* à laico, fatetur; *sanctitatem* non esse collatam intuitu Sacramenti, sed à Deo intuitu piæ affectionis. *Nemo*, inquit, *extitit, qui non piam animam ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Deum crederet affuisse. Motus enim animus religiosius ac supplex ab homine exegit Sacramentum, à Deo ipso impetravit sanctitatem.* 3. Quia praxis & sensus fidelium nunquam agnovit Ministrum Pœnitentiæ secundarium, qualem tamen agnovit in Sacramento Baptismi. Ut proin opposita quorundam veterum sententia, si quæ re vera fuit, semper inter opiniones speculativas hæserit, nunquam in practicas, nisi paucorum transierit.

RESPONDEO 2. Eam confessionem laico in casu necessitatis factam meritoriam quidem esse posse, in quantum serium animum demonstrat confitendi Sacerdoti, si haberetur ejus copia; ordinariè tamen suadendam non esse, sed potius dissuadendam ob innumera mala, quæ facillimè exinde consequuntur. Cum enim laici isti Confessarii neque scientia competente de obligatione Confessarii, neque gratia Sacramentali Ordinis præditi sint, pronum est, eos nec rectè judicare, nec bene sanare, nec secretum observare.

QUÆRITUR 23. An Confessio fieri possit aut debeat, in scripto, dum pœnitens sua peccato in scripto legenda offert, seque de iis dolenter accusat?

RESPONDEO 1. Talem confessionem non fieri licitè. RATIO EST 1. quia recedit à consuetudine Ecclesiæ constanter observata in re magni momenti. Semper enim in usu fuit sola confessio vocalis. 2. Quia, prout *D. Thomas* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. qq. 3. C. observat, Christo placuit; eum modum manifestationis requirere, quo omnes

omnes homines ordinariè, ac familiarissime utuntur, qualis est accusatio peccatorum vocalis. 3. Quia hac ratione tolleretur *uniformitas* Sacramenti circa materiam in æstimatione morali notabilis, & *erubescentia* à Christo specialiter intenta in partem vindictæ, satisfactionis & medicinæ præservativæ, prout constat ex communi sensu Theologiæ Patrum.

RESPONDEO 2. Talis confessio etiam est invalida. RATIO EST, quia Christus pro materia hujus Sacramenti determinavit *accusationem* sui, seu *confessionem vocalem*. Id constat ex perpetua ac uniformi observantia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, quæ tanta non foret, nisi esset institutionis divinæ.

CONFIRMATUR authoritate & ratione D. Thomæ l. cc. ubi ait: *Confessio secundum quod est pars Sacramenti, habet determinatum actum, sicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud Elementum, cujus est maximus usus in abluendo, ita in habitu Sacramentali ad manifestandum ordinatè assumitur ille actus, quo maximè consuevimus manifestare, scilicet per proprium verbum. Alii enim modi sunt inducti in supplementum istius.*

RESPONDEO 3. In casu necessitatis non datur obligatio confitendi in scripto. Ita praxis constans ac uniformis Ecclesiæ. Pro hac responsione à La Croix referuntur *Sotus, Navarrus, Valentia, Barbosa, Diana, Layman, Castropalao, Stoz &c.* PROBATUR autem hæc Responsio ex eo; quia *moribundi* destituti usu perfecto linguæ, aut *muti* nullibi in ullo documento Ecclesiastico, aut in ullo Concilio reperiuntur obligati ad confessionem scriptam; quod silentium Documentorum Ecclesiasticorum est evidens signum, hanc obligationem practicè nunquam fuisse agnitam. Nec obstat probabilitas oppositæ sententiæ; pro qua stant D. Thomas, Suarez, Vasquez, Lugo, Escobar, Aversa, Arriaga, Dicastillo, Gormaz; quia praxis Ecclesiæ est ratio moraliter certa, quæ eminenter prævalet authoritati oppositæ.

QUÆRITUR 24. An Confessio debeat fieri per interpretem, si aliter fieri nequeat?

RESPONDEO 1. Confessio annua non necessariò fit per interpretem. Ita communis teste La Croix h. n. 1190. RATIO EST; quia Ecclesia non prudenter obligaret ad talem confessionem, utpote ex suo genere obnoxiam innumeris inconvenientiis, v. g. in castris, aut præsidiis, ubi aliquando interpretes sunt commilitones valde profani, ebriosi, lascivi &c.

RESPONDEO 2. Ea obligatio ne quidem datur in articulo mortis. Ita denuò COMMUNIS contra *Con. Lug. Laym. Palao*, ac ipsum D. THOMAM l. cc. RATIO EST 1. quia etiam hæc obligatio non convenit cum legibus prudentiæ; cum ex suo genere in casibus innumeris plurimas patiatur inconvenientias, repugnantes ordinatæ institutioni. 2. Confessio juxta SS. Patres est accusatio sui, quæ fit soli Deo, cujus Vicarium agit Sacerdos. Talis autem confessio non fieret soli Deo & ejus Vicario. 3. Nullum extat Documentum Ecclesiasticum, quo unquam fieret mentio de tali confessione; ergo ejus obligatio non datur. In praxi probabilitas oppositæ sententiæ, utut magna in se, spectata tamen comparativè ad praxin Ecclesiæ, quæ fundat argumentum moraliter certum, est eminenter minor.

QUÆRITUR 25. An in Confessione debeat exprimi complex criminis, si aliter exprimi non possit species criminis, aut circumstantia notabiliter varians judicium Confessarii?

RESPONDEO 1. Si commodè inveniri possit Confessarius, cui complex criminis ignotus sit, charitas exigit, saltem *per se*, ut adeatur alius Confessarius. Ita COMMUNIS. Dixi, *per se*, quia si ratione periculi in posterum perseverantis pœnitenti videatur pro suæ animæ salute utilius, ut Confessario innotescat status animæ suæ, & dispositio, non tenetur adire alium Confessarium cum gravi suo spirituali incommodo.

RESPONDEO 2. Datur obligatio; etiam exprimendi personam complicis, aut genus, si aliter peccati species, aut notabiliter varians judicium Confessarii exprimi non possit.

PROBATUR. Ea praxis constanter & uniformiter in Ecclesia viguit, prout patet ex omnibus *pœnitentialibus* omnium locorum & temporum. Ergo non est introducenda nova obligatio sine authoritate Pontificum & Conciliorum, ac sine ratione convincente, quod erraverit prior Ecclesia. *Ant. prob.* 1. ex Pœnitentiali D. BASILII ad Amphilochium, ubi *Can. 67.* sic habetur: *Cum sorore coitus homicidæ tempore punietur.* Et Can. 75. *Qui cum propria ex patre vel ex matre sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua & nefaria actione destitat. Postquam autem in horrendi peccati sensum & animadversionem venerit, triennio defleat.* Et Can. 79. *Ii, qui in suas Novercas insaniunt, sunt eidem Canoni obnoxii, cui & ii, qui in suas sorores insaniunt.* 2. In Decreto BURHARDI l. 19. habetur: *Occidisti tu liber servum senioris tui, jussu senioris tui, 7. annis in pane & aqua pœniteas. Si autem tu servus conservum tuum jussu Domini tui occidisti, tres quadragesimas in pane & aqua pœniteas.* 3. In Concilio WORMATIENSI cap. 92. *Si quis cum matre & filia in adulterio mansit, usque in diem mortis suæ non habeat uxorem.* Similia habentur in Pœnitentialibus exempla plurima.

QUÆRITUR 26. Quænam excusent ab integritate Confessionis?

RESPONDEO. Assignantur tres causæ 1. OBLIVIO. Hanc causam allegat Tridentinum Sess. 14. c. 5. ubi docet: *Aliud à pœnitentibus nihil exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* 2. IMPOTENTIA PHYSICA, ut si pœnitens obmutuerit. Patet ex variis Conciliis, Disput. 5. referendis, quæ præcipiunt absolvi eum, qui Sacerdotem vocavit, sed in ipsa Confessione, vel ante illius adventum obmutescat. 3. IMPOTENTIA MORALIS, si pœnitens sine gravi suo vel Confessarii damno non possit integrè confiteri.

QUÆRITUR 27. Quales casus ad impotentiam hanc moralem referri possint.

RESPON-

Respondeo. Ad impotentiam moralem referri non debet 1. *magnus concursus pœnitentium*; quia manifestum est; ordinariè etiam in magno concursu pœnitentes salva integritate expediri posse. Et si in casu particulari non omnes audiri possent, ea particularis difficultas paucorum non esset ratio sufficiens ad introducendam deordinationem generalem respectu omnium in re tanti momenti. Hinc ab *Innocentio XI.* damnata est sequens propositio: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.* 2. Nec ab integritate excusat, *si pœnitens* v. gr. ob nullitatem præcedentium Confessionum *indigeat confessione generali*, de qua seipsum sufficienter examinare non possit, & Confessarius ob fatigationem non possit cum diutius examinare. In hoc enim casu non dimidianda est Confessio, prout *La Croix* h. l. n. 1151. admittit; sed aut pœnitens differendus est in aliam diem, si commodè fieri possit; aut certè Examen Generale de præcipuis peccatis, quæ verosimiliter contingere visum fuerit, summariè instituendum est, cum obligatione instituendi opportuno tempore accuratioris examinis, &, si quæ alia peccata inciderint, ea in proxima Confessione exponendi. 3. *Non excusat* ab integritate *infamia apud Confessarium incurrenda*; quia hæc difficultas est Sacramento intrinseca ac generalis, quæ proin ob casum particularem, in quo ea difficultas increscat, non tollit legem generalem. 4. *Multo minus* ab integritate excusat, prout Sporer, Tambur. à La Croix n. 1143. h. l. relati asserunt, *periculum lapsus*, si quis longum examen circa peccata carnis instituat. Falsum enim est; quod hi authores asserunt; in tali casu omissò diligentiore examine pœnitentem posse petere absolutionem, saltem usque dum absit periculum, confitendò solum in specie, quæ potest confiteri sine periculo. Ratio est, quia nullus est, qui non possit ex periculo proximo in tali casu facere periculum remotum, si fervidè invocet Deum, & verè doleat de offensa Dei, & nitatur in se concipere horrorem peccati, & generosè resolvat rumpere omnia peccatorum vincula, seu illicia. 5. *Nec* ab integritate *excusat prætextus, ne manifestetur complici* prout q. 25. ostensum est. 6. Consequenter *nec* ab integritate *excusantur uxores & matres circa peccata, quæ simul maritos aut liberos involvunt.* 7. *Nec* ab integritate *excusat, si quis Superiori velit confiteri solum peccatum reservatum*, non confitendò alia mortalia; aut si Ordinario. Confessariò velit tantum confiteri alia mortalia, non autem reservatum. Ratio est, quia judicium unius ejusdemque Confessarii debet esse completum. Nec dimidiationem Confessionum circa reservata unquam agnovit Ecclesia. Quod si superior audire solum velit peccatum reservatum, ea Confessio & absolutio, nisi præcesserit prius Confessio integra & absolutio apud Confessarium inferiorem, non erit Sacramentalis; sed tantum extrasacramentalis tollendò reservationem.

Quæritur 28. An per Confessionem sacrilegam satisfiat præcepto Ecclesiæ?

Respondeo negativè. Id patet ex propositione damnatâ ab Alexandro VII. Ordine 14ta, quæ sic habet: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Hinc qui annis pluribus confessus est sacrilegè, speciatim dolere, & exprimere in Confessione debet, quod transgressus sit etiam præceptum Ecclesiæ quoad Confessionem annuam.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. contra decimam ℞. 1. Effectus externus mediatus non est peccatum. Ergo non datur obligatio illum confitendi. *Ant. prob.* ille effectus non est amplius liber. Ergo.

2. Si talis effectus foret peccatum, sequeretur, quod quis actu peccaret eo tempore, quo eliceret actu attritionem de suis peccatis. Sed hoc est absurdum.

3. Si talis effectus esset peccatum, sequeretur; quod Sacerdos initio navigationis projiciens Breviarium in mare peccaret quotidie novo peccato mortali; adeoque etiam teneatur exprimere numerum dierum, quibus omisit Breviarium. Sed etiam hoc est absurdum.

Respondeo n. a. ad prob. dist. Non est liber in se. c. in sua causa. n. libertas enim antecedens est forma denominans actus peccaminosi etiam subsequentis; prout in *Tractat. de peccatis* ostensum est.

Ad 2. dist. Peccaret actu diversæ rationis ab attritione, & actum attritionis præcise concomitante. tr. actu ejusdem rationis, & formaliter actum attritionis constituente. n. Quod enim etiam in ipso bono opere *concomitanter* peccari possit; v. g. per concomitantem intentionem vanæ gloriæ in erogatione eleemosynæ, suppono ex *Tract. de peccatis*, ubi ex D. Bernardo ostensum est; in tali actu simul reperiri rationem meriti & demeriti.

Ad 3. c. *Maj.* n. *Min.* Quia, cum actus ille, quo projicitur Breviarium in mare, sit propositum omittendi tot diebus Breviarium, quot diebus verosimiliter navigatio duratura est, eoipso ille actus in æstimatione morali est multiplex, in quo casu datur obligatio exprimendi numerum, prout q. 1. h. Disp. ostensum est.

Objicitur 2. contra eandem. dist. Ex una parte hæc obligatio exprimendi actum externum nondum secuta retractatione pertinet ad materiam Sacramenti quoad speciem infimam dependentem à determinatione Ecclesiæ; ex altera verò parte Ecclesia hanc obligationem nondum determinavit. Ergo. *Ant. quoad* 2. *Min. prob.* Hæc obligatio à magna parte Ecclesiæ & Doctorum nondum est agnita. Ergo.

2. Si daretur per se ea obligatio, deberet pœnitens solicitè inquirere, an actus externus, v. g. mors ex propinatione veneni fuerit secuta ante retractationem, vel Confessionem, aut post eam. Sed ea disquisitio est contra sensum & praxin fidelium; ergo non datur obligatio per se, sed tantum per accidens, videlicet ratione restitutionis, vel ratione reservationis, vel ratione censuræ v. g. excommunicationis.

3. Actus externus universim non auget malitiam actus interni. Ergo exprimendò actum internum sufficienter exprimitur malitia actus.

RESPONDEO

Ad 1. tr. a. q. 1. *membr.* nego a. q. 2. *membr. ad prob.* dist. a. nondum est agnita ignorantia ex suo genere vincibili. c. invincibili. n. Manifestum enim est, horum Doctorum opinionem pugnare contra constantem & uniformem praxin Ecclesiæ, quam ignorare non possunt invincibiliter Doctores, quorum est investigare traditionem Ecclesiæ.

Ad 2. n. *Maj.* Quia obligatio exprimendi actum externum fundatur in duplici causa. *Primariò* in eo; quod ille actus voluntate nondum efficaciter retractata sit formale peccatum. *Secundò*, quod etiam retractata voluntarietate præcedente aut malitia actus interni timeatur sufficienter non explicari fine actu externo; aut quod ratione actus externi sit annexa quædam reservatio, aut excommunicatio, prout revera antiquitus ejusmodi delictis gravioribus erat annexa segregatio à Communione fidelium in ordine ad participationem Eucharistiæ & precum communium, quibus interesse non licuit.

Ad 3. tr. a. n. C. & suppositum, quod exprimenda sit sola formalis malitia peccati. Deus enim odit & prohibet peccatum *in concreto*, quod etiam vult exponi; non solam formalem malitiam peccati.

OBJICITUR 3. contra 15. ℞. Scriptura differentibus veram pœnitentiam minatur gravissima mala. Ergo differre veram pœnitentiam est dignum gravissima pœna; ac consequenter peccatum mortale. *Ant. prob.* 1. In Isaia c. 65. dicitur: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. — Retribuam in sinu vestro iniquitates vestras; numerabo vos in gladio; pro eo quod vocavi & non respondistis; locutus sum & non audistis.* 2. Jeremiæ 8. *Hæc dicit Dominus: Nunquid qui cadit non resurget. Quare ergo aversus est populus aversione contentiosa?* Ergo aversio contentiosa, seu pertinacia in malo, est speciale objectum indignationis divinæ. 3. Ecclesiastici 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* 4. Rom. 3. v. 5. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ Dei.*

RESPONDEO dist. Scriptura minatur gravissima mala differentibus pœnitentiam longo tempore, etiam post immissam à Deo cogitationem practicam de conversione. c. differentibus tantum uno vel altero momento, antequam recurrat cogitatio practica. n. Hic sensus colligitur ex ipso textu, ubi dicitur: *vocavi, contentiosa, de die in diem.*

OBJICITUR 4. contra eandem. 1. Christus Matth. 24. & 25. præcipit; *semper esse vigilandum* in adventum Domini. Ergo peccatores hoc mandatum toties transgrediuntur; quoties recusant converti.

2. Quinque Virgines fatuæ præcise ideo dicuntur fatuæ, & excluduntur à regno; quia non vigilarunt in adventum Domini. Ergo cum idem faciant peccatores, recusantes converti; etiam hac sola de causa merentur excludi à regno.

3. Qui moritur in peccato; meretur in inferno specialem ac gravem reprehensionem, quod oblatas tot occasiones pœnitendi recusaverit. Ergo sola dilatio continet gravem malitiam specialem.

RESPONDEO dist. Præcipit vigilandum sub interminatione comminatoria pœnæ negativæ consistentis in subtractione protectionis & misericordiæ divinæ. c. taxativa, certa ac indubitata pœnæ æternæ. n.

Ad 2. dist. Quia non vigilarunt toto tempore vitæ hujus, aut in magna parte. c. in puncto solum indivisibili hujus vitæ. n. dicitur enim: *dormitaverunt & dormierunt* toto eo tempore quo exspectabatur adventus sponsi, quod est totum tempus vitæ.

Ad 3. c. a. dist. c. Sola dilatio continet gravem malitiam etiam post immissam cogitationem practicam, præsertim si protrahatur longo tempore. c. tantum momentanea nondum recurrente cogitatione practica. n.

OBJICITUR 5. contra eandem. 1. Quilibet ex lege charitatis erga seipsum tenetur securam reddere salutem suam æternam, quantum potest. Sed hanc legem violat differens suam conversionem. Ergo.

2. Differens conversionem se exponit gravi periculo damnationis æternæ. Ergo ex hoc solo graviter peccat. *Ant. prob.* ex D. Gregorio Nazianzeno Orat. 4. de bapt. ubi ait: *Si hodiernum diem semper præteriens crastinum observes paulatim differendo, quanto in periculo versaris?*

3. Qui est in mora restitutionis, cum possit restituere, graviter peccat differendo restitutionem. Ergo idem est de differente conversionem; quia & Deus est graviter invitus contra differentes restitutionem ac compensationem honoris ablati.

4. Qui graviter læsit famam proximi, tenetur illam statim reparare. Ergo idem est circa reparationem honoris divini.

RESPONDEO

Ad 1. dist. Tenetur securam reddere suam salutem quando recurrit cogitatio practica de ea obligatione. c. quando non recurrit. *subdist.* tenetur obligatione habituali. c. actuali. n. obligatio habitualis v. g. amandi parentes semper datur, sed non actualis.

Ad 2. dist. Se exponit gravi periculo expositione habituali. c. actuali. n. tunc enim dicitur quis se exponere periculo, quando incipit periculum, aut quando facta nova reflexione ad periculum liberè perseverat in periculo.

Ad 3. dist. Qui differt restitutionem, cum possit restituere, & si differat longo tempore Domino graviter invito. c. si moraliter non possit restituere, aut si differat tantum exiguo tempore Domino solum leviter invito. n. Hinc potest retorqueri argumentum. Tales differentes restitutionem non omni momento peccant.

OBJICITUR 6. contra eandem. 1. Qui differt pœnitentiam, vult perseverare in statu inimicitiæ cum Deo. Sed talis peccat graviter, quia directè opponitur primo mandato. Ergo. *Maj. prob.*

prob. dilatio pœnitentiæ est reipsa continuatio inimicitiæ cum Deo. Ergo qui vult illam, vult etiam banc.

2. Si liceret manere in statu inimicitiæ cum Deo; etiam liceret, bunc statum positivè velle. Sed hoc est falsum. Ergo. *Maj. prob.* Quod licet esse, etiam licet velle.

3. Perseverantia in statu peccati mortalis est mala objectivè. Ergo si est voluntaria est etiam mala formaliter. *Ant. prob.* Ea perseverantia involvit in suo conceptu aversionem à summo bono.

Respondeo

Ad 1. dist. vult negativè sic perseverare. c. positivè. n. Ea autem voluntas negativa, seu negatio voluntatis efficaciter destructivæ peccati, est tantum circumstantia notabiliter aggravans peccatum, non novum peccatum mortale; nisi quando incipit actualis obligatio prohibens omissionem, quæ non incipit, nisi recurrente cogitatione practica de peccato.

Ad 2. n. suppositum; quod in nostra sententia liceat manere in statu peccati mortalis. Semper enim urget obligatio eliciendi actum efficaciter destructivum peccati; sed hujus obligationis omissio aliquando est præcise *habitualis* v. g. inter alia negotia, in quibus non datur attentio ad Deum & ad res animæ; aliquando autem est *actualis*, v. g. quando peccator actu habet instinctum, vel cogitationem ad conversionem, & tunc ea omissio addit peccatum novum veniale; si sit omissio contritionis perfectæ; mortale verò, si fit omissio attritionis, seu displicentiæ saltem imperfectæ de peccato.

Ad 3. dist. Perseverantia in peccato positiva est mala objectivè. c. negativa *subd.* est mala venialiter. c. mortaliter. n. saltem per se, nisi ob diuturnam dilationem concurrat respectivum periculum grave incidendi in nova mortalia, aut amittendæ vitæ & salutis.

Objicitur 7. contra eandem. 1. Datur obligatio, statim sublevandi proximum laborantem extrema paupertate, peste, aut captivatum à pyratis, quamprimum id fieri potest. Ergo idem faciendum circa animam, spoliatam gratia, infectam peste peccati, & captivatam à dæmone.

2. Qui contraxit gravem ac periculosum morbum, tenetur sibi statim providere de remediis. Ergo idem est dicendum de contrahente statum peccati.

3. Datur obligatio corrigendi proximum, ubi sperari potest correctio, quamprimum id fieri potest. Ergo eadem est obligatio circa seipsum.

4. Datur obligatio vitandi periculum probabile damnationis. Sed in dilatione pœnitentiæ datur tale periculum. Ergo. *Min. prob.* ex tali dilatione jam multi perierunt.

5. Datur obligatio gravis vitandi grave malum peccati ante ejus commissionem. Ergo etiam post ejus commissionem.

6. Se exponere gravi periculo committendi peccatum mortale est peccatum mortale. Sed differre pœnitentiam est sic se exponere. Ergo. *Min. prob.* ex D. Gregorio l. 1. Moral. Et in c. 11. in Ezech. ubi dicit: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, Deo permittente suo pondere in aliud peccatum trahit.*

7. Qui per peccatum infidelitatis amisit fidem, tenetur statim elicere actum fidei, prout docet Suarez Disp. 13. & alii communiter. Ergo idem dicendum circa reliqua peccata.

8. Qui non elicit contritionem de peccato, saltem interpretativè censetur approbare statum peccati. Ergo. *Ant. prob.* qui non impedit conflagrationem domus, aut submersionem navis, cum facile possit, censetur eam approbare.

Respondeo

Ad 1. c. a. n. C. & parit. Disparitas est, quia in ejusmodi casu malum plerumque est *irremediabile*, & bonum semel perditum *irrecuperabile*; quod ordinariè non contingit in præsenti. Cæterum admitto, semper peccari saltem venialiter omittendo perfectam conversionem in casu.

Ad 2. dist. tenetur sub veniali. c. gravi *subd.* si malum alias videatur irremediabile. c. secus. n.

Ad 3. dist. datur sub veniali. c. mortali. n. Quia etiam correctio proximi aliquando potest differri in tempus opportunius, saltem sine peccato gravi.

Ad 4. c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. c. a. n. C. illud enim vocatur periculum probabile, in quo ferme toties solet incurri malum, ac non. Quod in præsenti casu non contingit.

Ad 5. c. a. n. C. & paritatem inter malum actuale & habituale. Illud enim dependet ab actuali exercitio libertatis transeuntis à statu gratiæ ad peccatum, qui transitus meritò prohibetur graviter. Sed habituale malum non dicit talem transitum ab uno statu in alium, sed perseverantiam in statu, respectu cujus non videtur dari lex graviter obligans pro singulis momentis cum difficultate difficillimè superabili.

Ad 6. tr. *Maj.* n. *Min.* ad prob. dist. trahit in aliud peccatum in actu primo ad illud inclinandò. c. regulariter id assequendo. *subd.* si ita diu differatur pœnitentia, ut peccator non speret se perseveraturum sine novo peccato gravi. c. secus. n.

Ad 7. c. a. n. C. Ratio disparitatis est; quia ad hoc, ne homo censeatur approbare peccatum, debet saltem habere displicentiam de peccato, & propositum conversionis seriæ, quod fieri nequit sine fide, cum ergo statim urgeat gravis obligatio, se convertendi ad Deum saltem per attritionem, quamprimum recurrit cogitatio practica, quod fieri nequit sine fide, dabitur etiam gravis obligatio ad eliciendam fidem. Sed ad hoc non essentialiter involvitur perfecta conversio *actu justificativa*.

Ad 8. dist. Censetur approbare suum statum interpretativè, nisi habeat displicentiam de peccato cum proposito tendendi ad veram conversionem. c. secus. n. Concedo ergo, quod peccator toties de novo peccet mortaliter, quoties sentit novum instinctum vel monitionem de con-

versione, & negligit concipere displicentiam de peccato cum proposito emendationis; quamvis illa distinctio numerica talium peccatorum sufficienter explicetur plerumque, si exponatur tempus dilatæ pœnitentiæ; nisi peccator sciat, se aliquoties habuisse speciales instinctus emendationis, eosque se contempsisse. Ratio autem cur in hoc casu neglectæ attritionis imperfectæ censeatur intervenire approbatio positiva peccati, est, quia cogitatio **practica est monitio Dei** de retractando affectu habituali ad peccatum; ea autem monitio Dei exigit declarationem positivam, nec finit hominem esse neutralem, prout patet tum ex textibus Scripturæ & rationibus objectionum, tum ex natura rei moraliter possibilis, ac postulantis præcipi, tum ex illo Christi Luc. 11. v. 23. *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum dispergit.*

DISPUTATIO V.

De Absolutione.

PROOEMIUM.

Duo potissimum in hac Disputatione recurrunt, quæ à Theologis Scholasticis horum temporum, præsertim in Germania, aut neglecta, aut deformata, ad mentem SS. Patrum & Theologorum veterum restituenda sunt. Primum est explicatio verborum absolutionis, quorum genuino sensu ignorato in varia Consectaria, laxiori Theologiæ fœderata, abire necesse est. Censent hujusmodi Theologi; immediatum sensum verborum absolutionis hunc esse; quo sacerdos dicetet: *Ego authoritate mihi à Christo concessa tibi culpam seu reatum culpæ dimitto.* Verum in quæstione prima ostendam, verba absolutionis potius habere hunc sensum. *Ego authoritate mihi à Christo concessa te à reatu satisfactionis rigorosæ, quam in ordine ad obtinendam veniam deberes, saltem pro viribus, præstare juxta arbitrium offensi, absolvo, & eam obligationem arbitrio Dei offensi mihi delegato commuto in moderatam satisfactionem Sacramentalem, tuis viribus proportionatam; sicque exercendo potestatem judicialem, mihi à Christo concessam, hoc ipso actu judiciali Ecclesiastico, tanquam* SIGNO SYMBOLICO *judicii divini, quod inter Deum, & animam agitur, tibi Sacramentum pœnitentiæ, ex opere operato collativum gratiæ & remissivum culpæ, impertior.* Laxiores autem Theologi, cum hunc sensum verborum absolutionis ignorarent, aut dissimularent, in Sacramento *omnem curam* Sacerdotis ad remissionem directam culpæ, *nullam* autem *curam* ad moderandum onus satisfactionis rigorosæ juxta arbitrium offensi, rationabiliter præsumendum, convertunt. Exinde ergo profluit satisfactionum Deo pro peccatis congruè præstandarum vix non totalis apud ejusmodi Theologos exinanitio; & ex ea corruptela doctrinæ ingens morum corruptio. Alterum in hac Disputatione punctum morem ac Disciplinam veteris absolutionis concernit. Adstruó; duas antiquitus pœnitentibus factas esse absolutiones, unam *sacramentalem*, quæ conferebatur singulis pœnitentibus statim post eorum confessionem, dum recipiebantur in ordinem pœnitentium; alteram *Indulgentialem*, quæ conferebatur ab Episcopo pœnitentibus post expleta constitutæ pœnitentiæ tempora. At vero laxiores Theologi, cum has duas absolutiones confunderent, nec animadverterent, primis decem sæculis ante absolutionem Indulgentialem semper præcedere debuisse congruam satisfactionem, eousque laxarunt pœnitentiam christianam, ut non solum dicerent, ad obtinendam *remissionem culpæ*, nullam requiri satisfactionem proportionatam delicto, sed etiam totum *reatum pœnæ* per largitatem Indulgentiarum sine onere satisfactionis congruæ vel satispassionis rigorosæ expungi posse. Has igitur novellas prolapsiones manu forti SS. Patrum & Theologorum veterum erigamus.

QUÆSTIO I.

Qualis sit sensus verborum absolutionis immediatus?

NOTANDUM I. Triplicem posse esse sensum verborum absolutionis. Nam PRIMO ista verbo Sacerdotis: *Ego te absolvo a peccatis tuis,* possunt referri ad *reatum culpæ*, ita ut sensus sit: Ego tibi remitto peccatum quoad reatum culpæ. SECUNDO possunt referri ad *reatum pœnæ*, æternæ vel temporalis, in hoc vel altero mundo per Deum infligendæ; ita ut sensus sit: Ego tibi condono pœnam æternam, & partem pœnæ temporalis

poralis à Deo infligendæ. TERTIO possunt referri ad *obligationem* peccatis annexam, *rigorosè satisfaciendi* Deo secundum rigorem justitiæ, humanis viribus proportionatum, in ordine ad obtinendam à Deo extra Sacramentum veniam; ita ut sensus sit: Ego authoritate mihi à Christo concessa remitto tibi *obligationem rigorosè satisfaciendi* Deo, contractam ad promerendam à Deo extra Sacramentum veniam ac gratiam; eamque obligationem tibi commuto nomine Dei in satisfactionem respectivè levem, Ecclesiasticam videlicet seu Sacramentalem. *Albertus M.* hunc tertium modum sic exprimit, ut dicat, sensum absolutionis hunc esse: Ego tibi remitto *obligationem ad pœnas humanis viribus improportionatas*, quas in te spectato jure divinæ justitiæ recipere deberes, si absque Sacramento esset impetranda venia; eamque obligationem tibi nomine Dei tanquam ejus vicarius tibi commuto in *obligationem ad pœnas viribus humanis proportionatas*, quas tibi in hoc Sacramento authoritate vicaria Christi injungo.

NOTANDUM 2. Hanc quæstionem tanti esse momenti, ut rectè vocari possit *clavis ad rectum usum clavium:* atque ad reddendam rationem variæ Disciplinæ circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

NOTANDUM 3. Dari posse duos sensus immediatos ejusdem propositionis, unum videlicet grammaticalem ex institutione hominum, alterum adscititium ac Sacramentalem ex institutione Christi. Sic ista verba Baptismi: *Ego te baptizo, seu abluo, habent duos sensus immediatos.* Nam grammaticaliter significant immediate ablutionem externam corporis, & sacramentaliter significant immediatè ablutionem internam animæ. Ubi tamen advertendum, quod licet hi duo sensus immediati *simul* dentur in eodem instanti reali, non tamen dentur simul in eodem signo rationis. Nam in Baptismo *in priori signo rationis* significatur ablutio externa *tanquam signum* sensibile symbolicum ablutionis internæ; *in posteriori autem signo rationis* significatur Sacramentaliter actualis ablutio interna tanquam *significatum* ablutionis externæ.

NOTANDUM 4. In peccato communiter distingui duplicem reatum; videlicet *reatum culpæ*, & *reatum pœnæ*. Per reatum culpæ intelligitur meritum peccati objectivum ad indignationem seu offensam divinam. Per reatum pœnæ intelligitur obligatio seu debitum peccati ad pœnam. Verum quia à D. Thoma & aliis Theologis distinguitur duplex pœna, una strictè dicta, nempe *vindicativa*, quæ infligitur invito, & *satisfactoria*, quam pœnitens voluntarie in se recipit ad compensandam offensam divinam; ideo exactius loquendo potest in peccato distingui triplex reatus, videlicet *reatus satisfactionis*, *reatus culpæ*, & *reatus pœnæ*, videlicet strictè dictæ, seu vindicativæ. *Reatus satisfactionis* correspondet *justitiæ commutativæ*, qua redditur aliquid in æstimatione morali æquivalens pro damno illato, aut honore læso. Econtra *Reatus pœnæ* correspondet *justitiæ distributivæ*, quæ cuivis juxta proportionem meritorum aut demeritorum distribuit competentia præmia aut supplicia. Discrimen hujus duplicis reatus videri potest in calumniatore, incendiario, raptore, mutilatore, &c. Hi enim ex justitia commutativa tenentur satisfacere pro damno honoris aut bonorum illato, hoc est, tenentur reddere aliquid in æstimatione morali æquivalens, & sic compensare damnum. Sed postquam satisfecerunt justitiæ commutativæ, nihilominus nondum effugiunt publicam justitiam *distributivam, vindicativam*, seu *legalem*, quia adhuc subjacent pœnæ vindicativæ, quæ non respicit bonum privatum, sicut justitia commutativa, sed bonum publicum.

NOTANDUM 5. Sicut in peccato datur triplex reatus, ita etiam in pœnitentia requiritur triplex conatus vel obligatio ex parte pœnitentis; & triplex potestas ex parte remittentis peccatum. *Pœnitens* inprimis in ordine ad obtinendam veniam debet *dolere* de commisso, dolore sufficiente. *Secundò*, debet satisfacere satisfactione compensatoria juxta offensi arbitrium, cum absolute æquivalens reddere non possit, & quidem satisfactione rigorosa, quantamcunque præstare potest. *Tertiò*, debet ferre pœnam à justitia distributiva seu vindicativa infligendam. Ex parte autem remittentis peccatum requiritur triplex potestas. 1. *Judiciaria* seu *jurisdictionalis*, vi cujus sacerdos juxta arbitrium Dei rationabiliter præsumptum, ac sibi delegatum delegatione plena ac perfecta *cum libera*, ut vocatur in jure, pœnitenti per sententiam dictat satisfactionem compensatoriam offensæ. 2. *Potestas instrumentalis ac ministerialis*, qua pœnitenti applicat Sacramentum, seu signum Symbolicum ex opere operato collativum gratiæ, ac consequenter remissivum culpæ. 3. *Potestas Indulgentialis*, qua Episcopi & summi Pontifices etiam remittunt reatum pœnæ ex parte vel ex toto.

His prænotatis

DICO 1. Verba absolutionis significatione directa ac immediata non significant tantùm remissionem peccati quoad reatum culpæ, ac pœnæ æternæ, sed etiam remissionem obligationis rigorosæ ad satisfaciendum Deo pro obtinenda venia, illiusque commutationem in satisfactionem moderatam, viribus humanis proportionatam.

DICO 2. Verba absolutionis, quamvis directè ac immediatè in eodem instanti reali significent simul remissionem peccati quoad reatum culpæ & remissionem obligationis rigorosæ ad satisfaciendum Deo, pro priori tamen signo rationis significant remissionem obligationis rigorosæ ad satisfaciendum, & pro posteriori signo rationis primùm significant remissionem peccati quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ.

Hæ duæ Conclusiones

PROBANTUR 1. In Sacramento Baptismi, Confirmatione, Matrimonio, &c., quamvis

vis per verba formæ directè ac immediatè significentur duo valde diversa, nempe actio aliqua externa, puta ablutionis, inunctionis, contractus conjugalis &c., & effectus internus Sacramentalis; pro priori tamen signo rationis significatur grammaticaliter actio externa, quæ à Christo elevatur ad rationem Sacramentalem, puta ablutio, inunctio, contractus, &c. & pro posteriori solùm signo rationis significatur Sacramentaliter effectus Sacramentalis, nempe ablutio interna, corroboratio interna, conjunctio interna cum Christo, &c. Ergo eodem modo etiam in Sacramento Pœnitentiæ pro significato verborum formæ in priori signo rationis debet significari grammaticaliter aliqua actio externa ipsius ministri, & pro posteriori signo rationis primùm debet significari Sacramentaliter effectus internus, nempe remissio culpæ. Atqui alia actio externa Ministri significari non potest in priori signo rationis, quàm remissio obligationis rigorosæ ad satisfaciendum, ejusque commutatio in satisfactionem moderatam viribus humanis proportionatam. Ergo debet hoc significatum, & quidem in priori signo rationis tanquam verus actus judicialis assignari.

PROBATUR 2. Authoritate Patrum Theologiæ Scholasticæ.

I. D. THOMAS in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 1. sic scribit: *Sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata, non ut propria virtute remittant, quia hoc Dei est; sed ut operationem Dei remittentis ostendant, tanquam ministri. Sed hoc contingit tripliciter. Uno modo; ut ostendant eam non præsentem, sed promittunt futuram, sine hoc, quod aliquid operentur ad ipsam. - - Alio modo; ut significent præsentem, & nihil operentur ad eam, ut quidam dicunt. - - Tertio modo; ut significent divinam operationem in remissionem culpæ præsentem, & ad ipsam aliquid dispositive & instrumentaliter operentur; & sic secundum aliam opinionem, quæ sustinetur communius, Sacramenta novæ Legis emundationem ostendunt divinitus factam; & hoc modo etiam Sacerdos ostendit absolutos à culpa.* Ibidem ad 2. *Neque Sacramentum Pœnitentiæ, neque Sacramentum Baptismi operando pertingit directè ad gratiam, nec ad culpæ remissionem, sed dispositive. Aliæ rationes ostendunt; quod ad remissionem culpæ directè clavium potestas non operetur, quod est concedendum.* Et ibidem qq. 3. C. *Deus habet operationem & in culpam & in pœnam. Sacerdos tamen non habet operationem aliquam in culpam, nisi ligare dicatur, in quantum non absolvit, sed in pœnam habet potestatem solvendi & ligandi; solvit enim à pœna, quam dimittit; & ligat ad pœnam, quæ remanet.* Idem in summa, p. 3. q. 84. a. 3. C. *Cum Sacramenta efficiant, quod figurant, oportet, quod forma Sacramenti significet id, quod in Sacramento agitur, proportionaliter materiæ Sacramenti.* Ex hoc textu sequitur; quod forma Sacramenti per prius referatur ad materiam, quam ad effectum Sacramenti. Hinc ibidem ad 5. dicit: *Quidam hoc forma: Ego te absolvo, utentes, eam sic exponunt: Ego te absolutum ostendo. Ista expositio quantum ad aliquid vera est, non tamen perfecta. Sacramenta enim non solum significant, sed etiam faciunt, quod significant. Unde sicut Sacerdos baptizando aliquem ostendit interius hominem ablutum per verba & facta non solum significative, sed etiam effective; ita etiam cum dicit: Ego te absolvo, ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. Esset tamen perfectior expositio; Ego te absolvo, id est, Sacramentum absolutionis tibi impendo.* Ex hoc textu clare sequitur; effectum Sacramenti significari per *verba & facta*, hoc est, per totum concretum Sacramentale ex materia & forma. Ergo necesse est, ut forma Sacramenti pro priori signo ac immediate referatur ad materiam, ad hoc, ut cum illa constituat unum concretum, in suo genere completum, quod modo symbolico fit significativum gratiæ. Idem insinuat in Opusculo *de forma absolutionis*, C. 3. & 5. ubi ait: *Non sufficit ista expositio; ego te absolutum ostendo; sed est sensus: Ego Sacramentum vel ministerium absolutionis tibi impendo. - - Deus absolvit à peccato directè, gratiam apponendo, & ligat gratiam non apponendo; similiter Sacerdos tanquam Minister à peccato solvit, Sacramentum gratiæ apponendo, & ligat non apponendo propter hoc, quod ligat ad pœnam, quam injungit.* Ex hoc textu denuo duo inferri possunt. *Primò*; quod absolvat à peccato quoad reatum culpæ Sacerdos conferendo suum ministerium collativum gratiæ. *Secundò*; quod hoc ministerium consistat in ligatione & solutione, seu commutatione debiti rigorosi ad satisfactionem determinatam ac moderatam, in ordine ad obtinendam veniam.

II. ALENSIS in 4. q. 21. membro 1. ℟. *Si quæratur, utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam? Dicendum, quod bene potest se extendere per modum deprecantis & impetrantis; sed per modum impertientis nequaquam. Quoniam ergo potestas sonat actionem impertientem ex se, potest dici convenienter, quod non extendit se supra culpam.* Ibidem ad 1. Ad illud Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; dicendum, quod illud, quod dicitur ibi de remissione peccati, intelligitur de remissione pœnæ, vel ostensione culpæ.* Ibidem ad 3. *In Baptismo deletur culpa per gratiam, sed illius non est causa efficiens simpliciter, sed potius dispositivo, sed virtus divina; & dicitur Baptismus peccato dimittere ratione rei interioris, quam Deus infundit. Sed quod exterius est in Sacerdote, ut Clavis, hoc non potest; neque se extendit ad hoc, scilicet ad culpam delendam.* Ibidem q. 21. membro 2. art. 2. in ℟. *Claves non habent potestatem supra pœnam æternam.* Ut hæ propositiones sint consentaneæ fidei, non possunt aliter explicari, nisi dicendo, quod sensus immediatus absolutionis, quem habet significatione directa grammaticali, in priori signo rationis per modum actus judicialis jurisdictionalis tantùm referatur ad remissionem obligationis rigorosæ satisfaciendi pro viribus commutando

mutando eam obligationem in moderatam, viribus pœnitentis contemperatam, licet in posteriori signo rationis Sacramentali significatione directè etiam ac immediatè significet remissionem peccati quoad reatum culpæ.

III. ALBERTUS M. in 4. dist. 18. art. 5. ad 2. *Dicendum, quod homo non remittit peccatum ex parte culpæ; quia hoc solius Dei est facere; sed per ministerium suum remittitur ei pars pœnæ, quandoque in actu, quandoque etiam clave existente in voto, & hoc virtute passionis Christi, quæ est in clavibus, & non virtute ministri.* Ibidem art. 7. C. *Dicendum, quod homo non potest absolvere à culpa & pœna æterna; sed tamen absolvit relaxando partem pœnæ* (illam videlicet, quæ deberetur juxta rigorem justitiæ extra Sacramentum ad obtinendam veniam). Ibidem ad 1. ubi sibi objicit. *Potest aliquis alteri mereri primam gratiam; Ergo etiom potest eam conferre per absolutionem*, sic respondet: *Dicendum, quod non est simile; quia ille, qui meretur primam gratiam alicui, non dat gratiam, sed inclinat Deum ad dandum; sed ministri in Sacramentis aliquo modo agunt ad hoc, ut fiat effectus Sacramenti. Et ideo non potest esse in potestate ministri conferre gratiam, sed tantum diminutionem pœnæ.* Ibidem 2. sic sibi objicit: *Hugo dicit: sicut in divina absolutione. mutatur pœna æterna in purgatoriam; sic in sacerdotali transfertur divina sententia in humanam. Divina autem sententia est pœna æterna & reatus pœnæ æternæ. Sed hæc non potest transferri, nisi culpa absolvatur. Ergo videtur, quod in Sacerdotis absolutione culpa relaxetur.* Ad hanc Objectionem sic respondet: *Dicendum, quod Hugo vocat divinam sententiam pœnam temporalem purgatoriam, non tamen viribus pœnitentis proportionatam; & humanam sententiam vocat pœnam portabilem proportionatam viribus pœnitentis; & hæc fit bene in absolutione hominis.* Ibidem dist. 18. art. 11. *Quæritur hic utilis quæstio, quæ sit potestas Sacerdotum in dimittendis peccatis? Constat enim; quod hæc non est super culpam, nec super pœnam æternam. Quæratur ergo: super quam pœnam se extendit? Est autem accipere tres modos pœnarum; scilicet pœnam æternam; transitoriam, viribus pœnitentis improportionatam; & transitoriam viribus pœnitentis proportionatam. Similiter tria sunt in pœnitentia operantia; scilicet dolor informatus gratia, qui operatur contra pœnam æternam; & confessio faciens pœnam transitoriam viribus pœnitentis proportionatam; & satisfactio, quæ delet pœnam viribus pœnitentis taxatam.* Ibidem C. *dicendum in veritate, quod medio judicio essentialis actus clavis est super pœnam illam, quæ dicitur purgatoria* (seu satisfactoria in hoc mundo secundum rigorem justitiæ, vi cujus homo teneretur præstare, quantum potest). *Non tamen negandum videtur, quod ille, qui habet in clavibus majorem jurisdictionem sicut Episcopus, Legatus, & Papa, posset etiam de expiativa* (seu purgatoria) *pœna plus vel minus dimittere secundum discretum judicium necessitatis vel utilitatis, sicut infra dicemus de Indulgentiis.* Et ibidem ad 1. *Dicendum, quod hæc pœna non dicitur purgatoria à loco vel foro Purgatorii; quia sic non esset nisi post mortem; sed dicitur purgatoria à similitudine proprietatis, scilicet quia est secundum judicium Dei; & quia est improportionabilis viribus hominis, sicut pœna Purgatorii, si modo imponeretur ad sustinendum. Commutatio ergo illius in tertiam est essentialis effectus clavis.* Ibidem ad 2. *Licet quis nondum completa satisfactione moriens transeat in Purgatorium, semper in eo commutata est pœna primo modo purgatoria dicta; sed quod major sit pœna, quæ est post mortem: hoc est per accidens, quia status est mutatus, & hæc est voluntaria, & illa necessaria, & ideo majorem virtutem habens in purgando, & ideo necesse est, eam crescere acerbitate, & etiam forte diuturnitate.* Ibidem art. 15. ad quæstionem: *An Sacerdos verè solvat?* respondet: *dicendum, quod illa solutio:* QUIDQUID SOLVERITIS, *intelligitur, quod Deus eum solutum reputat, pro quanto eum absolvit Sacerdos, hoc est, partem pœnæ relaxando. Illam enim ab illo nunquam exigit Deus, & quæcunque ligat, ligamine manente nunquam absolvit.* Et in 4. dist. 18. art. 2. ad 3. *Dignitas Dei* (in justificatis ante absolutionem perfectam) *præcedit tollens indignitatem culpæ; & opus Ordinis & Clavis sequitur, tollens aliquid de indignitate pœnæ. Et ideo non tantum ostendunt solutos à Deo, sed etiam absolvunt ab aliquo, quo ligati venerunt,* (nempe ab obligatione ad rigorosam satisfactionem), *& ita imbuunt Sacramentis.*

IV. D. BONAVENTURA in 4. dist. 18. part. 1. art. 1. q. 1. C. ait: *Notandum, quod triplex est obstaculum ingrediendi in regnum, & triplex clavis. Obstaculum autem est debitum alicujus peccati. Hoc autem est triplex.* PRIMO *debitum æterni supplicii. Hoc obstaculum solus Deus amovet; quia hoc removetur per culpæ deletionem. Et ideo potestas hoc removens est potestas divina, quæ ab aliquibus dicitur clavis authoritatis, & vocant eam clavem excellentiæ.* SECUNDUM *est debitum solutionis* (condigni) *pretii, & hoc solvi potuit per eum, qui potuit satisfacere. Talis autem fuit solus Christus.* TERTIUM *obstaculum est debitum ad pœnam temporalem. Et hoc removeri potest per illum, qui potest peccati pœnam taxare; & talis est Minister Christi; & illa potestas est hominibus communicata. Et vocatur ista potestas clavis ministerii. De hoc clave dictum est Petro:* TIBI DABO CLAVES REGNI COELORUM. Ibidem q. 2. *Potestas Sacerdotibus communiter concessa super subditos non est ad omnino solvendum debitum; quia hæc non debebat cuilibet communicari, ne culpa sine pœna remaneret. Ideo data est eis potestas; ut ligando solverent; ligando scilicet ad unum, absolverent ab alio. Sed non est data potestas ligandi nisi propter solutionem. Quoniam igitur solvere aliquem à debito est removere obstaculum; & hoc est aperire cœlum, & per consequens ligare est claudere, ideo claves istæ simul sunt ad ligandum & solvendum, claudendum & aperiendum.* Ibidem a. 2. q. 1. ex instituto format hanc quæstionem: An Sacerdos habeat posse in culpam? Ad quam sic respondet: *Quia circa hoc est duplex modus loquendi inter Doctores. Aliqui volunt; quod potestas clavium operatur in proposito confitendi: quia illud propositum clauditur in contritione:*

& in contritione primo deletur culpa. Sic virtus clavium quodam modo se extendit ad delendam culpam. Sed iste modus dicendi, licet videatur probabilis, tamen habet in superficie phantasiam. Et ideo est alius modus dicendi; quod habens clavem & potestatem clavis habet se per modum supplicantis & judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare. Secundum secundum modum potest Ecclesiæ reconciliare (satisfactione purgatos vel purgandos ad communionem admittendo). *Et ideo in forma absolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum judicativum; & deprecatio gratiam impetrat; sed absolutio præsupponit tantum. Nunquam enim Sacerdos absolvit quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus à Deo. Si ergo quæratur; utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam? dicendum, quod bene potest se extendere per modum deprecantis & impetrantis; sed per modum impetrantis non. Quoniam ergo potestas sonat per modum activi & imperantis ex se; hinc est, quod potestas clavium proprie loquendo non se extendit supra culpam.* Ibidem ad 3. *Bene Sacerdos potest gratiam impetrare peccatori* (ponendo causam moralem gratiæ, scilicet actionem sacramentalem) *sed ipse non dat eam, sed alius* (nempe Deus) *& ideo soli tribuitur absolutio à culpa.* Ibidem ad 4. sic sibi objicit: *Sacramentum Baptismi delet omnem culpam. Ergo etiam potest concedi, quod Sacerdos virtute clavium ministerialiter absolvat à culpa.* Ad hanc Objectionem sic respondet: *Dicendum, quod Baptismus delet culpam per gratiam; sed tamen non est illius causa efficiens* (hoc est, physica, sed moralis,) *sed virtus divina. Similiter & pœnitentiæ Sacramentum. Sed potestas clavium dicit potestatem creaturæ rationalis; nec concernit gratiam; sed quod exterius est; quia clavis est extra in Sacerdote, & ideo non sic ei attribuitur. Si enim sibi attribueretur mundatio, cum hoc non possit intelligi per modum informandi, intelligeretur per modum efficiendi.* Ibidem art. 2. q. 2. C. *An Sacerdos possit aliquid in pœnam? Tres sunt hic modi dicendi. Unus modus dicendi est, quod absolvit non à pœna, sed à vinculo confessionis, ligando ad pœnam satisfactionis. Sed illud non sufficit; quia Sacerdos in absolvendo non dicit: Absolvo te à confessione, sed à peccatis. Ideo est secundus modus dicendi, quod Sacerdos absolvit etiam à pœna Purgatorii, ligando ad pœnam satisfactoriam; sed non solvit aliquam partem relaxando; sed solum commutando; & hoc sub conditione, si explet pœnitentiam injunctam; & si illa satisfactio sit condigna, absolvit à tota; si non; absolvit à tanta. Sed nec illud sufficit; quia peccator post absolutionem divinam non magis ligatur ad pœnam purgatoriam, quam ad aliam. Et non potest, quia tantum potest conteri; quod Deus totum remittit, & statim evolabit. Et iterum; si ligat ad condignam; nullum fructum reportet pœnitens; & pro nihilo dicit: Ego absolvo te à peccatis tuis omnibus. Et ideo est tertius modus, magis consonus rationi, & pietati fidei: quod Sacerdos aliquam partem pœnæ absolvendo dimittit ex vi clavium. Propterea adhuc detinet ligatum ad pœnam. Illa autem pœna est viribus nostris improportionabilis & nostræ cognitioni ignota. Et ideo oportet, quod pro illa satisfaciat, sed quanta sit pars illa, non est nostrum determinare, sed Dei. Hanc ergo opinionem sustinendo concedendum est; quod Sacerdos remittit aliquam partem pœnæ; non æternæ; non purgatoriæ, sed communiter illius pœnæ, qua Deus obligat peccatorem post absolutionem à culpa* (à rigorosa videlicet satisfactione, quam pœnitens deberet præstare in hoc mundo, si nulla fieret remissio sacramentalis per Sacerdotem). Ibidem dist. 22. a. 2. q. 2. *Pœnitentiæ Sacramentum quantum ad remissionem peccati quoad culpam habet rationem signi; quoad remissionem pœnæ habet quadammodo rationem causæ.* Ex his omnibus textibus patet; quod Sacerdos pro priori signo rationis in sensu grammaticali commutando remittat obligationem rigorosam satisfaciendi, & pro posteriori signo rationis in sensu sacramentali remittat reatum culpæ, ita ut prior remissio sit verè actus judicialis jurisdictionalis, altera verò sit formaliter Sacramentalis.

V. Scotus in 4. Dist. 19. n. 23. & 24. & 26. *Sacerdos exercet actum, qui est signum prognosticum efficax respectu mundationis sequentis in ultimo instanti* (absolutionis). *Si dicas: Ergo Sacerdos delet maculam, & pœnam mortis æternæ, quod est proprium Deo; dico, quod utrumque facit; sed non facit nisi instrumentaliter, non quidem attingendo illum effectum, nec virtute propria, nec alterius; sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum, necessitans, inquam, ex pactione divina.* Ex his verbis Scoti sequitur; per absolutionem attingi in priori signo rationis aliquid *prius ad deletionem culpæ;* & illud *prius* n. 26. insinuat, esse commutationem pœnæ rigorosæ in pœnam homini possibilem moraliter. *Sicut in aliis commutationibus justitia commutativa habet aliquam latitudinem; ita justitia punitiva non respicit gradum indivisibilem pœnæ correspondentem culpæ; sed est ibi aliqua latitudo; & extra totam istam latitudinem clavis citra vel extra ligans errat; & tunc non immerito quæ solvitur in terris, non solvitur in cœlis, id est, non ratificatur. Sed intra latitudinem non errat; & ideo arbitrium ratificatur in tantum; quod quidquid imponitur intra illam latitudinem, hic oportet implere; & si hic non impletur, residuum in Purgatorio exigetur. Istud autem medium in ista latitudine possibile est esse homini notum per Legem Dei cum adjutorio rationis naturalis; & ideo obligatio ad hoc medium latum est ad possibile homini sine miraculo speciali, & sine casu & fortuna.*

Probatur Conclusio 3. ex sensu SS. Patrum. 1. S. Augustinus Serm. 33. inter 50. reprehendit Sacerdotes, qui dicunt: *Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico.* 2. S. Ambrosius l. 13. de Spiritu Sancto C. 18. dicit: *Per Spiritum Sanctum peccata donantur: homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent; non jus alicujus potestatis exercent, neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, divinitas donat: humanum enim obsequium; sed munificentia supernæ est potestatis.* 3. Patres universim testantur, remissionem peccatorum fieri orationibus, precibus, & supplicationibus Sacerdotum

tum cum impositione manuum. Ergo pro priori signo rationis in sensu grammaticali authoritatem suam judicialem ligandi & solvendi solùm exercent solvendo ab obligatione satisfaciendi rigorosa & ligando ad moderatam, ac dein primùm in posteriore signo rationis in sensu sacramentali solvunt à reatu culpæ. 4. S. HIERONYMUS in C. 16. Matth. *Episcopi & Presbyteri non intelligentes* (hunc textum TIBI DABO CLAVES). *Aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut solvere se noxios arbitrentur &c.* Vide dicta Disp. 2. quæst. 1. object. 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Joan. 2. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sine limitatione. Ergo debet hoc intelligi quoad substantiam peccati, quod est reatus culpæ.

2. Quando Christus Matth. 9. paralytico dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, audientes hoc intellexerunt de remissione directa culpæ; ergo etiam Joan. 20. in eodem sensu locutus est Christus.

3. Patres ubi admirantur ingentem potestatem Sacerdotum, id intelligunt de remissione peccati quoad substantiam seu remissionem culpæ; ut ostensum est Disput. 2. q. 1.

4. Commutatio pœnæ seu satisfactionis majoris in minorem non est remissio peccati in æstimatione morali.

RESPONDEO. c. a. d. c. Debet hoc intelligi quoad substantiam peccati sumendo hæc verba sacramentaliter, ac instrumentaliter per modum signi symbolici. c. sumendo hæc verba judicialiter ac sententialiter per modum signi ad placitum. n. Verba enim absolutionis habent duplicem significationam, nempe symbolicam, quam habent à Christo; & grammaticalem, quam habent ex institutione hominum. Sub ratione signi symbolici immediatè significant & causant remissionem culpæ. Sed in significatione grammaticali, in qua acceptione sumuntur judicialiter ac sententialiter, in quantum sunt pars Judicii Ecclesiastici à Christo instituti, quod est materia Sacramenti, immediate non significant remissionem culpæ, sed relaxationem rigorosæ satisfactionis compensatoriæ pro offensa.

Ad 2. c. a. n. c. & p. disparitas est, quia Matth. 9. ex circumstantiis constabat, Christum uti potestate divina, ita ut independenter à Sacramento remitteret peccata; econtra Joan. 20. ex circumstantiis constat, quod remissio peccati alligetur Sacramento.

Ad 3. d. intelligunt hoc de remissione culpæ causanda & significanda per verba Sacerdotis Sacramentaliter ac instrumentaliter per modum signi symbolici. c. causanda & significanda judicialiter ac sententialiter per modum signi ad placitum. n. Non negatur, à Sacerdote remitti culpam, sed hoc fit mediante Sacramento, prout fit in Baptismo.

Ad 4. d. Non est remissio culpæ formaliter & vi verborum sumendo ea judicialiter per modum signi ad placitum. c. realiter, & vi verborum sumendo ea sacramentaliter per modum signi symbolici, n.

OBJICITUR 2. SS. Patres docent, remissionem peccatorum fieri per claves Sacerdotum. Ergo ea remissio per se formæ absolutionis adscribenda est. *Ant. prob.* D. AUGUSTINUS l. 2. de adult. conjug. C. 9. scribit: *Per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.*

2. Fideles nec petunt, nec exspectant à Sacerdote commutationem pœnæ satisfactoriæ, sed remissionem offensæ divinæ. Ergo id significari debet per formam.

3. Forma consecrationis profertur authoritative in ordine ad transubstantiationem. Ergo etiam forma absolutionis profertur authoritative in ordine ad remissionem culpæ.

4. Non est alia forma pro remissione culpæ, & alia pro commutatione pœnæ satisfactoriæ. Ergo forma eadem immediate etiam refertur ad remissionem culpæ.

5. Si hæc forma immediate respiceret solutionem quoad vinculum satisfactionis rigorosæ, prior foret absolutio à pœna, quam à culpa. Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Theologi supra relati docent, quod peccator prius solvatur à Deo, quam à Sacerdote. Idem testatur D. Gregorius relatus Disput. 2. q. 1. obj. 2. & confirmatur exemplo Lazari, qui primum post resuscitationem fuit solutus à Discipulis. Ergo authoritas Theologorum veterum non servit ad probandum, quod pro priori ad remissionem culpæ per absolutionem remittatur obligatio satisfactionis rigorosæ.

RESPONDEO

Ad 1. d. docent, fieri remissionem peccatorum per claves ministerialiter, instrumentaliter & sacramentaliter in ratione signi symbolici, c. jurisdictionaliter & authoritative, seu judicialiter per modum signi ad placitum, n.

Ad 2. d. Fideles hoc non petunt tanquam terminum ultimum spei, & tanquam objectum attributionis, c. tanquam objectum attributum in ordine ad remissionem culpæ. n. Fideles enim sciunt, satisfactionem imponi & acceptari ante absolutionem. Ergo norunt, commutationem satisfactionis rigorosæ in pœnam Ecclesiasticam, quæ commutatio jam est actus judicialis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, esse medium, conditionem, ac prærequisitum ad veniam & gratiam.

Ad 3. d. Profert verba consecrationis authoritative, authoritate aliena, quam repræsentat in omnibus actionibus sacramentalibus c. authoritate propria, ac ordinaria transsubstantiando. n. Sacerdos, uti & Laicus in Baptismo, ponunt quidem actionem sacramentalem in persona & authoritate Christi, sed non ponunt sua authoritate effectum Sacramentalem. Hinc posset inverti argumentum. Sacerdos sua authoritate propria non transsubstantiat. Ergo nec sua authoritate dat gratiam. Itaque Sacerdos in Sacramentis quoad gratiam se habet per modum Legati, cujus actiones semper in actis decretoriis habentur pro actione sui principalis; sed quoad commutationem satisfactionis se habet per modum judicis ordinarii, qui sua propria authoritate, utut accepta à principe, ponit validos actus judiciales.

Ad 4. tr. a. n. c. quia eadem forma sub diverso respectu potest habere duplicem rationem signi, quarum una ordine significandi sit prior prioritate rationis objectiva ad alteram. Potest enim habere rationem *signi ad placitum* in ordine ad actum judicialem jurisdictionalem, consistentem in commutatione satisfactionis rigorosæ; & ipse hic actus judicialis, cujus inadæquatum constitutivum est hoc signum ad placitum, fit *signum symbolicum sacramentale*, moraliter Deum movens ad conferendam gratiam & veniam.

Ad 5. *d. maj.* esset prior ex parte hominis absolventis & pœnitentis. c. ex parte Dei ratum habentis. n. Nam quamvis ordine naturæ in ipso instanti justificationis ex parte causæ materialis dispositivè præcedat commutatio satisfactionis rigorosæ in moderatam, & hujus commutationis acceptatio ex parte pœnitentis: tamen ex parte Dei ordine naturæ præcedit infusio gratiæ & remissio culpæ ad ratihabitionem sacerdotalis judicii circa commutationem pœnæ satisfactoriæ; quia ex parte condonantis offensam natura prior est remissio culpæ, quam remissio reatus pœnæ. Et hinc patet etiam Responsio ad CONFIRMATIONEM. Prior est resuscitatio Lazari, vel emundatio leprosi; ex parte Dei. c. ex parte Sacerdotis vel pœnitentis. n. Prior enim ex parte causæ materialis est dispositio subjecti, prout ex D. Thoma ostensum est Disput. 3. qq. 6. sed ex parte causæ agentis prior est infusio formæ, quam effectus formæ; & inter effectus formæ prior est effectus ex sua natura præsuppositus ad alterum, sicut infusio animæ rationalis pro priori signo rationis facit hominem rationalem, quam vivum.

OBJICITUR 3. Ex hac sententia sequeretur veram esse propositionem Baji. *Pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur;* ubi Bajus manifestè per reatum intelligit solum reatum pœnæ.

RESPONDEO. n. A. Quia Sacerdos suo ministerio in posteriori signo rationis directè ac immediatè vivificat conferendo Sacramentum, & in sensu Sacramentali significando remissionem culpæ per infusionem gratiæ. Bajus autem negavit, dari gratiam sanctificantem remissivam culpæ, & docuit, vitam internam animæ tantùm consistere in rectitudine voluntatis per virtutes; & hinc negavit, pœnitentem vivificari Sacerdotis ministerio. Nulla proin est connexio hujus sententiæ cum erroribus Baji.

QUÆSTIO II.

Utrum usque ad Sæculum decimum tertium forma absolutionis fuerit solum deprecatoria?

DICO. Usque ad sæculum decimum tertium in Ecclesia *ferme* universim tantum viguit formula absolutionis deprecatoria.

PROBATUR 1. In omnibus Pœnitentialibus, quæ edita sunt à Morino, Henrico Canisio, Stevartio, Beda, Mauro Rhabano, Ordine Romano &c. licet exactè describantur omnes actus Sacerdotis, & precum formulæ, nec umbra apparet alterius formulæ, quam deprecatoriæ; nec est ullum in ullo scriptore ante Sæculum 13. alterius formulæ vestigium; nec est etiam ulla verosimilis ratio tam constantis silentii & uniformis circa essentialem partem eamque præcipuam tam necessarii Sacramenti. Ergo moraliter certum est, nullam aliam formam essentialem extitisse juxta dicta in Arte Critica *de argumento negativo*.

SI DICAS. Causam tam constantis ac uniformis silentii per duodecim sæcula fuisse *disciplinam arcani*; id plene merum figmentum est; quia *disciplina arcani* non duravit ultra tempora persecutionum Ecclesiæ, ubi erat motivum, celandi mysteria excedentia captum vulgi, ne proderentur ethnicis. 2. Non erat motivum celandi hæc sola verba, dum alta voce prænuntiabantur omnes aliæ formulæ deprecatoriæ; imo eorum verborum alta pronuntiatio potius serviisset ad conciliandam majorem authoritatem Sacerdotibus. 3. Formæ aliorum Sacramentorum, v. g. Baptismi, Ordinationis, Extremæ Unctionis, &c. non latuerunt usque ad sæculum duodecimum, ut patet ex Pontificali Romano, & ex antiquis Agendis, seu *Ritualibus*. Ergo nec debuisset hæc sola forma servari in tenebris. 4. In POENITENTIALI ROMANO, quod est antiquius Gregorio M., expresse continetur Oratio sub hoc titulo: *Oratio impositionis manuum*, hoc est,

eſt, quæ pronuntiabatur ſub ipſa impoſitione manuum, quæ eo tempore habebatur pro actu primario ac eſſentiali. Ergo cum illa Oratio ſit deprecatoria, non eſt locus ſuſpicioni pro alia forma.

PROBATUR 2. S. THOMAS, qui in *Opuſculo* 20. ex inſtituto ſcribit Apologiam pro *forma abſolutionis abſoluta*, tacite fatetur; eam formam abſolutam triginta annis ante ſuam Apologiam vix ullibi fuiſſe in Eccleſia uſitatam. Sic enim de Adverſario, qui aſſerebat, formam abſolutionis abſolutam non ſolum non eſſe neceſſariam, ſed nec licitam, C. 30. ſcribit: *Addit, objiciendo, quod vix triginta anni ſunt, quod omnes hac ſola forma utebantur: Abſolutionem & remiſſionem &c.* D. THOMAS ſolum reſpondet; hoc ab adverſario affirmari pro certo non poſſe ſaltem de omnibus Eccleſiis. *Sed quomodo*, inquit, *de omnibus poteſt teſtimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Si S. Doctor ſciviſſet praxin Eccleſiæ contrariam, impudentiſſimum mendacium ipſa notarietate rei, adhuc exiſtentis in recenti omnium provectioris ætatis hominum, retudiſſet. Et quis oſtendet exemplum tam impudentis mendacii in Scriptore Theologo, & erudito, qualem ex hoc ipſo Opuſculo conſtat, fuiſſe adverſarium S. THOMÆ, ut in re notiſſima diceret, ab omnibus ante 30. annos fuiſſe omiſſam eam formam, quæ ſemper ab initio Eccleſiæ fuiſſet eſſentialis, & ab omnibus obſervata? Itaque non eſt veroſimile tale mendacium; ſed potius eſt veroſimile, D. THOMAM non agnoviſſe, uſum hujus formæ abſolute fuiſſe ante ſæculum 13. univerſalem. Hinc etiam in Summa p. 3. q. 84. a. 3. ad primam objectionem, ubi objiciebatur, quod non legatur, *Chriſtum hanc formam inſtituiſſe, nec eam in communi uſu haberi*; directè non reſpondet, ſed tantum reſpondet, eam formam ex verbis Chriſti erui.

PROBATUR 3. S. LEO Epiſt. 89. §. multiplex, indulgentiam peccatorum tantum adſcribit precibus Sacerdotis. Sic enim ait: *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut etiam per pœnitentiam ſpes reparetur vitæ, ſic divinæ voluntatis præſidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeant obtinere.* Et Epiſt. 80. *Sufficit illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.*

PROBATUR 4. D. AUGUSTINUS ſerm. 23. inter 50. reprimit hæreticorum quorundam jactantiam, qui dicebant: *Ego peccata dimitto*, & illis objicit exemplum Chriſti, qui non dicebat: *Ego tibi remitto peccata, ſed in tertia perſona; remittuntur ei peccata.* Sic ſcribit: *Homo putabatur Chriſtus. Cum ergo dixiſſet mulieri; dimittuntur tibi peccata tua, Judæi dixerunt: Quis eſt hic, qui peccata dimittit? audet ſibi homo hoc uſurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto; ego mundo; ego ſanctifico. Reſpondeat illi non ego, ſed Chriſtus. Non ego, reſpondet tibi Chriſtus; O hæretice, tu cum ſis homo, dicis, veni mulier, ego te ſalvam facio.* Hæc autem non videntur recte objici potuiſſe hæreticis, ſi tempore D. Auguſtini ipſamet Eccleſia Catholica paſſim aut univerſim adhibuiſſet formam abſolutam. Idem l. 5. C. 20. de Baptiſmo: *Si Deus peccatorem non audit, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen fiunt, & valent etiam per homicidas.* Et l. 15. de Trin. *Orabant Diſcipuli, ut Spiritus S. veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant; quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Nos hoc donum ſuper alios effundere non poſſumus; ſed ut hoc fiat, Deum à quo efficitur, ſuper eos invocamus.*

D. *Amort Tract. de Pœnitentia.*

PROBATUR 5. Ineunte Sæculo decimo tertio circa annum 1230. GUILELMUS Epiſcopus Pariſienſis teſtatur; eo tempore nondum invaluiſſe uſum formæ abſolutæ. De Sacramento enim pœnitentiæ ſic ſcribit: *Neque more judicum foriuſecorum pronuntiat Confeſſor: Abſolvimus te; ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. D. THOMAS, ALENSIS, D. BONAVENTURA, & alii Scriptores Sæculi decimi tertii teſtantur; ſuo tempore Eccleſiam uti forma abſolutionis abſoluta; nec extat hujus generalis obſervantiæ initium in aliqua decretali Epiſtola cujuſdam Romani Pontificis, nec in aliquo Concilio Generali, nec in alio tam univerſalis & uniformis obſervantiæ præcepto Eccleſiaſtico. Ergo juxta Regulam D. AUGUSTINI, *quod obſervantiæ uniformes, quarum non reperitur inſtitutionis initium, referri debeant ad inſtitutionem apoſtolicam*, hæc forma ad tempora antiquiora, & conſtantem traditionem referenda eſt. D. THOMAS in *Summa* part. 3. q. 84. a. 3. ad 1. anno vitæ ſuæ ultimo, anno 1274. ſic ſcribit: *Iſta forma ſumitur ex verbis Chriſti, & hac forma utitur Eccleſia.* Et D. Bonaventura in 4. diſt. 17. part. 2. dub. 5. ſcribit: *Congruum eſt, ut forma verborum ſub utroque modo* (indicativo & deprecativo) *exprimatur. Et ſic eſt fieri congruum & conſuetum. Nam Sacerdos primò abſolutionem dat per modum deprecativum, dicens: Indulgentiam tribuat. Et poſt: Et ego abſolvo te.* Et ALENSIS in 4. quæſt. 21. membro 1. C. ait: In forma abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & abſolutio gratiam ſupponit. Obiit autem Alenſis anno 1245. Bonaventura poſt annum 1274.

RESPONDEO tr. a. quoad 1. membr. n. a. quoad 2. Conſtat enim, hanc formam introductam potiſſimum fuiſſe authoritate Doctorum Pariſienſium, qui Sæculô decimô tertiô mediante apertè cœperunt improbare ſolam formam deprecatoriam. Ita teſtatur ipſemet D. Thomas in *Opuſculo* 20. *de forma abſolutionis*, ſcriptô poſt annum 1266. ubi ſe contra authoritatem antiquiorum Doctorum non tuetur traditione antiqua, ſed authoritate & determinatione nova Doctorum Pariſienſium. c. 1. ſic ſcribit: *Perlecto libello inveni aſſertionem cujuſdam valde temerariam dicentis, quod Sacerdos abſolvendo uti non debet hac forma:* EGO TE ABSOLVO. C. 2. *Ponit autem ſecundò; quod Magiſter, qui ſententias compilavit, non poſuit*

hanc formam, nec aliquem Sanctorum legimus; hac forma usum fuisse. Contra quod dicendum est; quod nec Magister (Sententiarum) *posuit; nec legitur de alia forma, qua aliquis Sanctorum sit usus; nec etiam legitur, quod aliquis istam formam negaverit.* — *Quartò inducit, sic sensisse quosdam antiquos & famosos Magistros, scilicet Magistrum* GUILELMUM ALTISIODORENSEM, (qui obiit circa annum 1240.) *& Magistrum* GUILELMUM, *quondam Episcopum* PARISIENSEM (qui obiit anno 1236.) *& Dominum* HUGONEM *quondam Cardinalem* (qui obiit anno 1244.) *De quibus, quod ita senserint, non constat. Sed & si ita senserunt, nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro: Quodcunque solveris &c. Nunquid etiam, si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, NB. decernentes, absque his verbis: Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* Ex his D. Thomæ verbis, & ex toto ejus Opusculo patet, quod non recurrat ad traditionem & constantem observantiam Ecclesiæ, sed tantum ad congruentiam ductam ex verbis Christi, & approbatam à Doctoribus Parisiensibus. NEC OBSTAT, quod D. Thomas dicat, doctrinam sui adversarii repugnare verbis Christi. Ille enim docebat, quod nec verbis nec factis Sacerdos potestatem authoritativam demonstrare debeat, sed tantum uti deprecatione; & hoc revera repugnat verbis Christi. Cæterum testatur FRANCISCUS de MAYRONIS, qui obiit circa annum 1320. quod adhuc sua ætate quædam Ecclesiæ sola formula deprecatoria usæ sint, evidenti indiciò, formam absolutam non fuisse traditionis uniformis Apostolicæ, à qua utique magna pars Galliæ non desciviisset, aut in contraria toti Ecclesiæ observantia tamdiu non fuisset permissa. In 4. dist. 14. q. 1. refert, quasdam Ecclesias actum judicialem hac forma expressisse. *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.* Addit tamen; eam formam suo tempore, hoc est, post mortem D. Thomæ, fuerit mutata, & tanquam communi jam mori universalis Ecclesiæ pertinaciter repugnans reprobata fuisse improbatam. *Sic fiebat,* inquit, *in Provincia Provinciæ; sed improbata fuit illa forma.*

DICES: D. THOMAS in *Opusculo* 20. l. cc. dicit: *Præsumptuosam* esse sui adversarii doctrinam, asserentis, *quod Sacerdos uti non debeat hac forma:* Ego te absolvo. Si autem Ecclesia per duodecim Sæcula non fuisset usa hac forma; potius novitas fuisset præsumptuosa, quam doctrina adversarii. 2. Idem l. cc. dicit: *Miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere?* Hoc autem asserere non fuisset temerarium, si talis consuetudo jam viguisset per duodecim priora Sæcula.

RESPONDEO c. *Maj.* n. *Min.* Quia in materia dependente à disciplina ac determinatione Ecclesiæ, variabili pro diversitate locorum & temporum, *præsumptuosum ac temerarium* est, improbare recentiorem usum ac consuetudinem Ecclesiæ. Ac revera D. THOMAM sua censura eo respexisse, patet ex his ejus verbis c. 1. *Ad hoc etiam est communis consuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari non parvæ præsumptionis est.*

Ad 2. c. *Maj.* dist. *Min.* Non fuisset hoc temerarium nisi Sacerdos non significasset *ipso facto,* se solvere. c. si hoc præcise non significasset *verbis.* n. prius enim Sacerdos authoritatem suam significavit impositione manuum, & relaxatione satisfactionis.

OBJICITUR 2. Si Ecclesia per duodecim Sæcula usa fuisset forma deprecativa, non est verosimile, Ecclesias particulares Sæculo decimo tertio tam facile dimissuras fuisse veterem morem, & recepturas novum in re attinente ad essentiam & validam administrationem Sacramenti, idque sine urgente causa.

RESPONDEO 1. n. Suppositum, quod agatur de re pertinente ad essentiam Sacramenti; quia solum agitur de re pertinente ad disciplinam ac determinationem Ecclesiæ.

RESPONDEO 2. n. *Maj.* quoad 2. membr. Quod videlicet circa res pertinentes ad Disciplinam Ecclesiæ semper pro variatione requiratur *urgens causa;* sufficit enim major congruentia consideratis circumstantiis personarum & temporum. Id enim manifestum est v. g. circa abrogationem moris sumendi sacrum sanguinem in communione laica, qui mos non Decreto Ecclesiæ, sed consuetudine populi jam ante ortum hæresis Hussiticæ abrogatus est; imo propterea doctrina Hussi tanquam *temeraria, præsumptuosa,* & *erronea* rejecta est, quia contradicebat novæ consuetudini Ecclesiæ, quo modo etiam D. Thomas rectè censurabat assertionem sui adversarii. Idem patet in novo more *Indulgentiarum, Altarium privilegiatorum,* abrogatione *pœnitentiarum Canonicarum, Agapum, dilatione absolutionis* ante peractas pœnitentias; in quibus omnibus & pluribus aliis sufficiebat *major congruentia,* aut *decentia,* moribus privatis fidelium comprobata. In præsenti autem casu ratio novi moris sufficiens esse poterat frequentia Sacramenti pœnitentiæ post abrogatas pœnitentias Canonicas, & introductas frequentiores Indulgentias, & ortum duorum Ordinum D. Dominici & D. Francisci. Cum igitur Confessiones essent frequentes, & forma vetus deprecatoria fuerit adeo prolixa, & si recitaretur juxta præscriptum Pœnitentialium, vix intra quadrantem absolvi posset, mirum non est, gratam fuisse mutationem veteris formæ in succinctam deprecatoriam, addita absoluta ad exprimendam clarius potestatem judicialem à Christo concessam. Et ea clarior expressio conveniens erat, ne plebs diminuta formula deprecatoria existimaret, virtuti & efficaciæ Sacramenti quidpiam detractum esse, accedit alia ratio non levis momenti. Antiquitus enim forma deprecatoria primaria pronuntiabatur sub actuali impositione manuum supra caput pœnitentis, qui actus est authoritativus; ut consequenter cum forma deprecativa potestas demonstraretur ipso facto & actu. Cum autem ea impositio manuum Sæculo 13. sensim desineret, ut verosimile est, causa honestatis circa fœminas, omissio illius actus authoritativi rectè per formam authoritativam suppleta est.

OBJICITUR 3. Forma deprecatoria repugnat verbis Christi: *Quodcunque solveris &c.* Ergo non potest supponi, eam unquam ab Ecclesia fuisse

fuisse adhibitam. *Ant. prob.* Si forma deprecatoria deberet adhiberi, Christus debuisset dicere: *Quodcunque petieris solvi &c.*

2. Nunquam Ecclesia usa est ea forma, per quam non exercetur potestas Sacerdotalis. Sed talis est forma deprecativa. Ergo. *Min. prob.* Potestas Sacerdotalis non exercetur per postulationem absolutionis divinæ, sed per ipsam absolutionem.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum in forma Ecclesiæ Græcæ, quæ etiamnum utitur forma deprecativa sola, & semper ea usa est. Cum ergo evidens sit, eam Ecclesiam eatenus nullius unquam erroris insimulatam esse, etiam evidens erit, hanc formam non repugnare verbis Christi. Clemens VIII. in instructione Græcorum Catholicorum edita anno 1595. sic scribit: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta, & postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma absolutionis dicere tantum consueverunt.* Ex hoc testimonio manifestum est, Græcos Catholicos sola forma deprecatoria usque ad annum 1595. usos esse, Pontifice id non reprehendente; idipsum testatur SS. D. N. Benedictus XIV. in Bulla.

Respondeo 2. n. a. ad prob. dist. a. Debuisset sic Christus dicere, nisi authoritas Sacerdotis demonstretur *ipso facto* per relaxationem satisfactionis rigorosæ & ligatione ad pœnam viribus proportionatam, atque per impositionem manuum. c. secus n. perinde enim est, sive Sacerdos solvat & liget ipso verbo, sive facto. Hinc D. Thomas in Opusculo rectè observat; nullam omnino determinatam legi formam, quæ à Sanctis adhibita sit.

Ad 2. tr. *Maj.* dist. *Min.* Per formam deprecativam non exercetur potestas Sacerdotalis, si spectetur seorsim sine facto demonstrativo potestatis. c. si spectetur conjunctim cum ejusmodi facto demonstrativo potestatis. n. Antiquitus enim cum forma deprecativa concurrebat duplex factum demonstrativum potestatis Sacerdotalis, nempe commutatio authoritativa satisfactionis rigorosæ compensatoriæ in satisfactionem viribus humanis proportionatam; & impositio manuum, quod est signum capiendæ possessionis in homine per gratiam nomine Dei. Itaque ex circumstantia hujus facti possessorii, & actualis exercitii potestatis ipsa forma deprecativa semper habebat aliquid *authoritativum* & *potestativum* ob relationem & unionem cum actuali exercitio potestatis. *Dixi tr.* quia posset distingui inter formam *realem* & *verbalem*. Nam etiam forma matrimonii potest consistere in signo consensus reali. v. g. si mutus contrahat; aut ubi valet matrimonium clandestinum, per actualem copulam. Hinc & D. Thomas adversarium tantum reprehendit in eo, quod *formam* adæquatam etiam *realem* velit esse deprecativam.

Objicitur 4. Tridentinum Sess. 14. c. 1. definit; Christum Sacerdotibus contulisse veram potestatem remittendi peccata; sed ea non exercetur per formam deprecativam. Ergo. *Min. prob.* In Sacramento Extremæ Unctionis, ubi Sacerdos adhibet verba deprecativa, remittuntur quidem peccata, sed non dicitur, quod Sacerdos ea remittat. Ergo nec id posset in Sacramento Pœnitentiæ.

2. In Extrema Unctione, ubi per formam deprecativam remittuntur peccata, ea dicuntur remitti per Sacramentum; non à Sacerdote. Ergo si etiam in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos tantum remittit peccata applicando Sacramentum remissivum peccati, ea remissio deberet adscribi Sacramento, non Sacerdoti.

Respondeo c. *Maj.* n. *Min.* ad prob. tr. a. n. C. & parit. Disparitas est, quia in Sacramento Extremæ Unctionis per se nec remittitur reatus culpæ, nec reatus pœnæ à Sacerdote; nisi concurrat Sacramentum pœnitentiæ. Econtra in Sacramento pœnitentiæ Sacerdos potestate *ordinaria authoritativè* remittit reatum satisfactionis rigorosæ, & eam potestatem non verbô, sed ipso factô demonstrat, relaxandô & commutando reatum satisfactionis rigorosæ in moderatam. Dixi tr. quia posset inverti argumentum. D. Jacobus promulgandô Sacramentum Extremæ Unctionis reipsa promulgavit Sacramentum Confessionis & Absolutionis, prout Patres Theologiæ Scholasticæ, & Interpretes Scripturæ, & Polemici communiter agnoscunt. Ergo cum Apostolus ibi solum requirat formam deprecatoriam, signum est, eam formam pertinere ad utrumque Sacramentum indivisim ægrotantibus administrandum.

Ad 2. tr. a. n. C. & parit. Disparitas est, quia in Sacramento Extremæ Unctionis qua tali, & administrato seorsim à Sacramento pœnitentiæ, à Sacerdote authoritativè nec remittitur reatus culpæ nec satisfactionis rigorosæ pro offensa. Econtra in Sacramento pœnitentiæ à Sacerdote remittitur *authoritativè* reatus satisfactionis rigorosæ, & usus hujus potestatis demonstratur ipso facto videlicet per commutationem satisfactionis rigorosæ in moderatam, prout dictum est. Dixi tr. quia posset retorqueri, ut supra.

Objicitur 5. Si Ecclesia antiquitus ad validam absolutionem adhibuisset formam deprecativam, & nunc adhiberet absolutam, invalidando illam formam deprecativam, eo ipso mutasset substantiam Sacramenti. Sed hoc fieri nequit. Ergo. *Min. patet* ex Tridentino Sess. 21. ubi declarat, solum ea in Sacramentis ab Ecclesia mutari posse, quæ *salva illorum substantia* mutanda duxerit.

2. Illæ formæ substantialiter inter se differunt, quæ habent significationem notabiliter diversam, sed ita se habent forma deprecativa & indicativa. Ergo.

3. Ipsemet Morinus l. 8. c. 19. n. 7. fatetur; Orientales nostram formam absolutam non posse in sua lingua aliter reddere nisi his verbis: *Ego sum absolvens te.* Ergo si hæ duæ formæ substantialiter conveniunt; aliæ: *Ego absolvo te*, & *Dominus absolvat te*, substantialiter differunt. Ita argumentatur Simonetus.

Respondeo n. *Maj.* Mutare enim substantiam Sacramenti est mutare materiam vel formam à Christo determinatam, prout suppono ex dictis

 Disput.

Disput. 2. q. 3. Hic autem nulla forma à Christo determinata est.

Ad 2. dist. quæ habent significationem notabiliter diversam quoad punctum substantiale. c. accidentale. n. Argumentum retorquetur in formis deprecatoriis Græcorum, quæ legi possunt in eorum *Euchologiis* v. g. GOARIS; & in variis formis baptismi. Forma *indicativa* autem, & *deprecativa*, attamen conjuncta cum actuali exercitio authoritatis, adeo non differunt, ut *deprecativa* conjuncta cum commutatione authoritativa satisfactionis rigorosæ, non sapiat minorem authoritatem, sed tantum majorem reverentiam & humanitatem erga Deum, cui in acceptum fert remissionem culpæ, dum interim authoritativè commutat reatum rigorosæ satisfactionis.

Ad 3. c. a. n. C. Hæc enim argumentatio est similis isti. *Animal rationale & risibile non differunt substantialiter. Ergo animal rationale, & elativum differunt substantialiter.* Vel sic: *Aqua alba & nigra non differunt substantialiter: Ergo aqua alba & calida differunt substantialiter.*

OBJICITUR 6. Concilium Tridentinum declarat, Sess. 14. c. 3. Formam Sacramenti pœnitentiæ in his verbis consistere: *Ego te absolvo*; verba autem deprecatoria non esse necessaria, licet adjungantur *de more Ecclesiæ*. Ergo forma deprecatoria non est institutionis divinæ. *Ant. prob.* Tridentinum l. cc. sic habet: *Docet S. Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo; quibus de Ecclesiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant; neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

2. Concilium formam deprecatoriam conferendò cum indicativa, illam ab institutione divina excludit. Ergo eoipso agnoscit, formam indicativam esse institutam à Christo.

RESPONDEO c. a. & c. Concedo enim, nec formam indicativam, nec deprecatoriam esse determinatam à Christo; sed eam fuisse relictam determinationi & variationi Ecclesiæ, sicut contigit circa determinationem materiæ Ordinis, v. g. circa librum Evangeliorum, vel attactum physicum Instrumentorum ad Ordines spectantium. Sic enim etiam Innocentius IV. in Titulum 16. libri 1. Decretalium *de Sacramentis non iterandis*, quod, nisi Ecclesia aliquam formam determinasset, sufficeret, si Episcopus ordinando diceret: *Sis Sacerdos.*

Ad 2. tr. a. n. C. Argumentum fallit in quibusvis obviis materiis, v. g. si conferendo Tonsuram cum quatuor Minoribus Ordinibus dicam: *Tonsura non est Sacramentum sed tantum Cæremonia Ecclesiastica, non eoipso affirmo; Minores Ordines esse Sacramentum.*

RESPONDEO 2. n. a. Tridentinum formam deprecatoriam ab institutione divina non excludit. Præcise enim dicit; quod ad essentiam formæ non pertineat; hoc est, quod à Christo non fuerit determinata. Excludi autem ab institutione divina illud dicitur; quod ne quidem potest esse pars Sacramenti ex determinatione Ecclesiæ. Sic attactus Physicus in Ordinibus Sacris, & liber Epistolarum, vel Evangeliorum, neque est materia Sacramenti ex institutione divina, neque est *exclusa* à materia & essentia Sacramenti per institutionem divinam.

DICES: Illa verba Concilii. *De more Ecclesiæ*, habent hunc sensum, *ex constanti ac perpetua consuetudine Ecclesiæ.* Ergo forma deprecatoria semper tantum fuit accessoria ad absolutam seu authoritativam.

RESPONDEO n. a. ubi enim allegatur mos Ecclesiæ, præcise sensus est, quod sit consuetudo antiqua. Id patet ex propositione 18. damnata ab Alexandro VIII. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.* Idem patet ex eo; quod circa usum calicis Concilium *Constantiense* & *Tridentinum* se referat ad *morem Ecclesiæ*, licet ille mos non fuerit antiquior circiter ducentis vel trecentis annis. Cæterum quando Concilium sub hoc termino vult intelligere perpetuam observantiam; addit, *perpetuo more*, vel alium terminum ampliantem. Sic v. g. Sess. 13. c. 5. dicit: *Pro more in Ecclesia Catholica semper recepto.* Sic & Sess. 21. c. 2. docet, veterem *consuetudinem* circa usum calicis mutatum esse, & novum morem transiisse in legem.

OBJICITUR 7. Ex nostra sententia sequeretur 1. Quod Ecclesia post Sæculum duodecimum fuisset *contraria doctrinæ & consuetudini* veteris Ecclesiæ.

2. Quod Ecclesia per duodecim Sæcula errasset.

RESPONDEO n. *Maj.* aliud est; consuetudinem esse *diversam*, aliud est esse *contrariam*, sicut evidens est in omnibus antiquis observantiis abrogatis, v. g. circa usum calicis, vel circa formas Sacramentorum usitatas in Ecclesia Græca.

Ad 2. n. *Maj.* Contrarium patet ex mutationibus innumeris consuetudinum circa objecta dependentia à determinatione Ecclesiæ.

DICES. Si Ecclesia mutavit veterem formam absolutionis, id fieri debuisset certò annò, authoritate legitima, & gravi. Sed hoc factum non est. Ergo. *Min. prob.* non potest assignari ille annus, & authoritas.

RESPONDEO n. *Maj.* Quia est de ratione consuetudinis, ut sit totum successivum, quod successivè moribus privatorum introducitur: Est enim *lex moribus utentium comprobata.* Si verò agatur de Confirmatione solenni hujus consuetudinis, ea facta est in Concilio Florentino sub Eugenio IV.

OBJICITUR 8. D. AMBROSIUS l. 3. de Spiritu S. c. 19. dicit: *Neque in suo (Sacerdotum) sed in Patris, & Filii, & Spiritus S. nomine peccata dimittuntur.* Jam sic. Expressio ista *S. Trinitatis* non reperitur in veteri formula deprecatoria, sed tantum in moderna forma indicativa. Ergo vero simile est, modernam formam jam tempore D. Ambrosii fuisse consuetam.

2. FRANCISCUS MAYRONIS in 4. dist. 14. q. 1. testatur; formulam deprecatoriam, quando ultimò fuit extincta, sub hac forma extinctam esse: *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.* Ergo videtur, antiquitus etiam in *Provincia*, fuisse usitatam eam formam more Græco-

Græcorum fatis authoritativam, licet non exprimatur in Pœnitentialibus.

3. D. AUGUSTINUS, relatus *Probat.* 4. etiam formam baptismi dicit esse *invocatoriam*, etsi certum sit, semper fuisse absolutam; Ergo, etsiamsi Patres dicant, remissionem peccati fieri precibus Sacerdotum, potuit tamen nomine precum intelligi forma absoluta.

4. Pœnitentialia tantum serviunt pro pœnitentia solenni publica, ubi absolutio non est Sacramentalis. Ergo, licet in iis non compareat forma absolutionis indicativa, exinde nihil probatur.

RESPONDEO c. a. n. c. & suppositum, quod D. Ambrosius ibi respiciat ad formam Sacramenti Pœnitentiæ, vel enim tantum respicit ad duos modos remittendi peccata, quorum unus est per baptismum, alter per pœnitentiam; quos proin inter se opponit, ita ut in uno exprimatur, fieri remissio sub expressa authoritate SS. Trinitatis; in altero autem sub forma expresse deprecativa. Vel si respicit tantum ad Sacramentum pœnitentiæ, hæc verba intelligi possunt de clausula formulæ deprecatoriæ, quæ pronuntiabatur sub ipsa impositione manuum. Clausula autem erat hæc: *Per Dominum N. J. C. qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti &c.* ubi apertè petitur fieri remissio authoritate seu nomine SS. Trinitatis.

Ad 2. c. a. n. c. Quia potius ac facilius sequitur; eam formulam Provinciæ fuisse novam modificationem, ac compendium veteris formæ deprecatoriæ, in tanto concursu pœnitentium, ut consueverat Sæculo 13. nimis prolixam.

Ad 3. n. a. Non enim S. Augustinus dicit, quod forma baptismi sit invocatoria; neque dicit, quod in baptismo fiat deprecatio super baptizandum, sed tantum dicit, quod fiat deprecatio super aquam, & super panem, ut illa fiat sacrata seu Sacramentalis, quæ deprecatio in baptismo fit ante pronuntiationem formæ. Econtra in pœnitentia dicit, quod deprecatio fiat super caput pœnitentis, ubi non oratur Deus, ut caput fiat sacratum, seu benedictum, & Sacramentale, sed ut pœnitens obtineat veniam.

Ad 4. n. a. Contrarium manifestum est tum ex ipsis Pœnitentialibus, ubi continentur etiam peccata cordis; tum ex testimonio Scriptorum Sæculi octavi, noni, & decimi, v. gr. Bedæ, Rabani, qui ea applicarunt ad Sacramentum pœnitentiæ, administrandum à Presbyteris, quibus non licebat administrare pœnitentiam solennem, prout dicetur Disput. 6.

QUÆSTIO III.

Utrum primis Sæculis absolutio collata tantùm fuerit post exactam satisfactionem?

NOTANDUM I. Huic quæstioni locum dedisse quosdam rigidos *Abbatis S. Cyrani, Jansenii, Arnaldi,* & *Quesnelli* asseclas, qui docebant, pœnitentes non esse absolvendos, quin prius pœnitentiam injunctam absolverint, aut certè diuturnis pœnitentiæ operibus serium animum ac propositum emendationis probaverint. Ratio illorum erat; quia ea antiquitus fuerat praxis Ecclesiæ. Verum quia in re pertinente ad arbitrariam disciplinam Ecclesiæ, variabilem pro diversitate locorum & temporum, *petulantis audaciæ*, & *seditiosæ molitionis* erat, evertere ac erroris arguere universalem publicam praxin totius Ecclesiæ jam tot Sæculis usitatam, ALEXANDER VIII. annò 1690. damnavit tres sequentes propositiones: 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non Politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei quodammodo idipsum dictante.* 17. *Per illam praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Huc pertinent propositiones Quesnelli damnatæ à Clemente XI. 87. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Et 88. *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui professioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

NOTANDUM 2. Hanc quæstionem cum variis aliis quæstionibus gravissimis indissolubilem habere connexionem. Nam, si collata antiquitus fuit absolutio ante satisfactionem, sequitur 1. inanem esse illam quæstionem, magnis contentionibus agitatam, an Ecclesia Romana unquam negaverit absolutionem Capitalium criminum reis? Si enim omnes statim fuerunt absoluti in susceptione pœnitentiæ, sequitur, alteram absolutionem seu reconciliationem tantum fuisse Indulgentialem, non Sacramentalem. Non est autem mirum; illam absolutionem Indulgentialem fuisse dilatam usque in mortem, aut omnino in certis circumstantiis denegatam. Econtra si absolutio Sacramentalis fuit dilata multis annis; sequitur, Ecclesiam fuisse in ea suppositione, quod pœnitens interea facile possit justificari per veram contritionem cum voto Sacramenti suo tempore suscipiendi. Ex quo deduci posset, omnem amorem Dei super omnia esse justificativum; nec eam contritionem justificativam esse raram.

DICO. Pœnitentes semper fuerunt statim Sacramentaliter absoluti in ipsa susceptione pœnitentiæ.

Sensus Conclusionis est, quod impositio manuum, & formula deprecatoria, quæ fiebat ac pronuntiabatur, dum peccatores confitentes recipiebantur in ordinem pœnitentium, fuerit re vera absolutio Sacramentalis. Hæc absolutio fiebat per Presbyterum, super pœnitentes singulos seorsim; sed peracta satisfactione Canonica absolutio solennis ac publica fiebat singulis annis ab Episcopo in Cœna Domini super omnes pœnitentes simul collectos, quin confiterentur Episcopo de novo, prout prius confessi fuerant Presbytero. Hanc ergo secundam absolutionem voco INDULGENTIALEM, quia solum absolvebat à reatu pœnæ strictè dictæ, seu vindicativæ, quæ tantò remanebat major, quantò minor

erat

erat satisfactio voluntaria pro offensa, nisi interveniret Indulgentia Ecclesiæ.

Conclusio sic explicata

Probatur 1. In receptione pœnitentium ad Satisfactionem Canonicam ipso facto exercebatur potestas clavium. Ergo eoipso conferebatur absolutio Sacramentalis. *Ant. prob.* in receptione pœnitentium ad Satisfactionem Canonicam mutabatur à Presbytero obligatio ad rigorosam satisfactionem, viribus humanis improportionatam, quam peccator per se etiam de congruo deberet præstare Deo in compensationem offensæ, in Satisfactionem Ecclesiasticam, viribus humanis proportionatam. Ergo eoipso exercebatur potestas clavium. *c. prob.* Potestas clavium exercetur per eam commutationem, prout ostensum est *quæst.* 1. h. Disp. Ergo.

Probatur 2. ex Traditione. Nam

1. *Is erat sensus universalis ac* indubitatus totius Ecclesiæ initio Sæculi noni; nec facile est, in hac materia tam trita ac necessaria intervenisse variationem traditionis de vi ac efficacia actionis sacramentalis, ergo. *Ant. prob.* ex Capitularium Caroli M. Lib. 5. cap. 62. ubi sic habetur: *Non est mirandum, si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus fit Sacerdotum, cum Dominus in veteri lege super caput hostiæ manus Sacerdotis præceperit imponi. Etenim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione Sancti Spiritus, qui est remissio peccatorum, per manus Episcoporum vel reliquorum Sacerdotum impositionem supplicationibus eorum remittuntur peccata &c. Et sicut illi Lazarum funibus colligatum jubente Domino solvunt, ita isti eorum supplicationibus auxiliante Domino & comitante Spiritu Sancto, qui in his semper operatur, per manus impositionem peccatorum solvunt vincula.* Dein c. 63. statim subjungitur: *Secundum formam Canonum dentur pœnitentibus pœnitentiæ, & prius eos à communione suspensos ad Officium Ecclesiæ excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem frequenter recurrere. Expleto autem tempore satisfactionis sacerdotali prece per manus impositionem reconcilient pœnitentes.* Cum in hoc textu cuilibet impositioni manus Sacerdotalis super pœnitentem adscribatur remissio peccatorum, nullumque fiat discrimen inter impositionem manus primam, secundam, decimam aut centesimam, signum est, inter crebras illas manus impositiones quamlibet fuisse sacramentalem ac absolutoriam.

2. *Datur eadem absolutionis formula* cum impositione manus conjungi solita tam in receptione quam in reconciliatione pœnitentium. Ergo si alterutra est sacramentalis, prout necessario dicendum, eo quod in pœnitentia illa vi clavium censeatur ab omnibus Patribus, obtineri remissio peccatorum, id rectius asseritur de prima illa impositione manus Sacerdotalis, cum qua conjungitur confessio peccatorum, quam de ultima reconciliatoria. *Antecedens probatur* ex consensu omnium *Pœnitentialium*, ubi tam in *receptione* pœnitentium, quam in eorundem *reconciliatione* orationes ferme sunt eædem. In *Pœnitentiali Romano* Sæculi sexti Oratio ad manus impositionem super pœnitentem in ejus *receptione* sic habet: *Rogamus nos Sacerdotes, ut remittas omnia crimina, & peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis veniam &c.* In *reconciliatione* autem pœnitentis, quæ fit in Cœna Domini, sic dicitur: *Huic famulo tuo relaxa peccata ut non noceat ei conscientiæ reatus ad pœnam.* Morinus Lib. 9. de pœnit. cap. 32. num. 3. & 4. fatetur, eandem quidem fuisse tam in receptione quam in reconciliatione pœnitentium formulam, aliam tamen fuisse intentionem Ecclesiæ. In receptione enim pœnitentium existimat, Ecclesiam non habuisse in illa formula intentionem absolvendi: sed solum intentionem pœnitentibus impetrandi spiritum pœnitentiæ; econtra in reconciliatione pœnitentium simul fuisse conjunctam intentionem absolvendi. Sed, quod hæc intentionum diversitas in consimilibus absolvendi formulis gratis asseratur, patebit ex solutione objectionum. Vide etiam infra num. 29.

3. *In receptione pœnitentium*, manus impositio fiebat immediate post confessionem distinctam omnium peccatorum, & ab eodem Sacerdote, qui exceperat confessionem. Econtra illa manus impositio, quæ fiebat in pœnitentis reconciliatione, fiebat ab Episcopo, qui non audierat singulorum reconciliandorum confessiones. Ergo præsumendum, illam potius fuisse Sacramentalem, quam istam. *Antecedens probatur* ex consensu Pœnitentialium, & Decretis Conciliorum, in quibus prohibentur Presbyteri pœnitentes reconciliare inconsulto Episcopo. Vide infra num. 15. & 28.

4. *Si impositio manus* in receptione pœnitentis non fuisset sacramentalis, non fuisset necessarium, in excipienda confessione & designatione pœnitentiæ subeundæ adhiberi Ministerium Sacerdotale. Sed hoc Ministerium Presbyteri semper fuit requisitum, neque illa manus impositio unquam fuit commissa laico, aut alteri Clerico, quam Presbytero, prout patet ex Conciliis & Pœnitentialibus. *Si dicatur*, in casu necessitatis etiam Diaconis permissum fuisse recipere pœnitentes, id intelligendum sine manus impositione, & solum in ordine ad porrigendam communionem in articulo mortis in absentia Presbyteri, prout ostendi in opere de Indulgentiis Part. 1. Differt. Prælim. §. 2. Object. 1.

5. *Si in receptione pœnitentium*, non intercessit actio Sacramentalis, non fuisset locus pro usu Clavium. Atqui tunc intercessisse usum Clavium, seu potestatem ligandi & solvendi, remittendi videlicet peccata, testantur Pœnitentialia, v. g. *Pœnitentiale Romanum Halitgarii* dicit: *Sicut Sacrificium offerre non debent, nisi Episcopi & Presbyteri, quibus Claves regni Cœlorum traditæ sunt; sic nec judicia ista alii usurpare debent.* Idem habetur in Pœnitentiali Eeberti. Et in *Constitutionibus Apostolicis* Lib. 2. cap. 10. dicitur: *Neque Laico permittimus facere aliquod opus Sacerdotale, ut Sacrificium, aut baptismum, aut impositionem manus; hujusmodi enim gratia per impositionem manuum Episcopi datur.* Loquitur author hoc loco de baptismo solenni, ubi intervenit exorcismus &c.

6. *Si admittenda est aliqua diversitas* inter absolutionem in receptione, & reconciliatione pœnitentium; longe vero similius est, hanc posteriorem fuisse solum *Indulgentialem*, illam vero

priorem fuisse *Sacramentalem*, ita ut illa prior absolverit à culpa, ista vero posterior *Indulgentialis* absolverit à reatu pœnæ. Ratio hoc asserendi est; quia absolutio reconciliatoria, in Cœna Domini per Episcopum fieri solita æquiparatur baptismo, qui est perfecta remissio à culpa & pœna. Hanc autem comparationem inter baptismum, & reconciliationem Episcopalem pœnitentium à Patribus fieri, probatur ab inductione.

1. *Author Constitutionum Apostol.* Lib. 2. Cap. 41. *Si quis conversus, pœnitentiæ fructus ediderit, hunc ad orationem* (cum aliis fidelibus communem) *admittite, ut illum filium, quem pater cum cantu excepit. Sic igitur tibi faciendum est Episcopo; atque ut Ethnicum baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc per manus impositionem, utpote factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus in antiqua pascua restitue; eritque ei loco lavacri manuum impositio.*

2. *Prout ex Photio refert Baronius* ad annum 403. S. Chrysostomus à suis adversariis fuit accusatus de hoc inter alios articulo: Sexto, quod aditum aperit peccatoribus dicens, si iterum pecces, iterum pœnitentiam facito; & quoties peccaveris, accede ad me, & ego te curabo. Sed accusatores impudenter hæc impingebant S. Doctori, quia, licet admiserit pœnitentiæ privatæ reiterationem, non tamen admisit, eam valere ad expunctionem pœnarum per modum novi baptismi, sicut valebat pœnitentia solennis, à Nectario ejus antecessore sublata. In Epist. ad Hebr. Cap. 10. ad illa verba: *voluntarie peccantibus. Apostolus non tollit pœnitentiam, nec quæ per eam fit propitiationem. Quid igitur? Secundum tollit lavacrum.*

3. *S. Ambrosius* Lib. 2. de Pœnit. Cap. 10. *Merito reprebenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant: quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.*

4. *S. Augustinus Homil.* 41. inter 50. *Qui egerit veraciter pœnitentiam, post reconciliationem, quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit.* Recta autem ad Deum vadere nemo potest cum reatu pœnæ.

5. *Anastasius* Sinaita Orat. in psal. 6. *Meas has lachrimas excipe, purgans me atque baptizans in eis; in morte saltem mihi peccatorum condonationem tribue tanquam baptismum aliquem.*

6. *S. Gregorius Naz.* Orat. 20. *Quintum locum lachrimarum baptismus tenet, verum asperior & laboriosior, quo ille tingitur, qui per singulas noctes lachrimis suis stratum suum rigat.*

7. *S. Chrysostomus* Homil. 4. de pœnit. *Petrus flevit amare, secundum baptisma per lachrimas ostendens.*

8. *S. Damascenus* Lib. 3. de fide orthod. Cap. 10. *Sextum baptisma in Pœnitentia & lachrimis versatur, estque sane durum & grave. Postquam enim per aquam ab omni peccato & spurcitie purgati sumus, si nobis in peccata labi contigerit, non superest altera per baptismum regeneratio sed per asperam pœnitentiam & calentes lachrimas & labores ac sudores purgationem ac remissionem peccatorum consequimur; etenim per Domini gratiam lachrimarum fons baptismus appellatur, tametsi labore & tempore opus habeat*

9. *Theodoretus* in Epitome decretorum Cap. de pœnit. disputans contra eos, qui pœnitentiam negant, dicit: *Sunt medicabilia quæ post baptismum fiunt peccata, sed non ut olim per solam fidem sed per jejunium, orationem, & laborem quantitati peccati respondentem, qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere didicimus, nec divina eis facile impertiri. Has habet Ecclesia leges de pœnitentia.*

10. *Haimo* in Apocal. Cap. 3. *Nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum maculis criminum inquinantur? Non utique, quia & illi, si pœnitentiam egerint, lachrimarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod est secundum baptismi genus.*

7. *Quando Christiani* obruebantur repentino mortis articulo, illi, qui nondum fuerant recepti in ordinem pœnitentium, credebant, sibi esse ad salutem necessarium, recipi in ordinem pœninitentium. Econtra alii, jam constituti in ordine pœnitentium, in tali mortis præsentis discrimine petebant *reconciliationem*. Ergo receptio in ordinem pœnitentium jam erat Sacramentalis, quia alioquin non fuisset sufficiens ad salutem. *Antecedens* patet ex textu D. Augustini infra referendo Num. 16. tum ex aliis hic sequentibua textibus, in quibua ostenditur morientibus concessam fuisse actionem pœnitentiæ, non vero reconciliationem. *Concilium Carthag.* 4. Cap. 76. dicit: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos* (ab omni reatu pœnæ) *sine manus impositione, si supervixerint.* Et *Arausicanum Concilium I.* Cap. 3. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant. Concilium Barcinonense Can. 8. De his qui in infirmitatibus poscunt pœnitentiam, & à Sacerdote recipiunt; si postea convaluerint, vitam pœnitentium peragant excepta manus impositione. Capitularium lib. 5. cap. 61. Placuit his, qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum, communicari pro eo, quod honoraverint pœnitentiam. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut legitimam communionem statuto tempore reconciliatione & manus impositione Episcopi vel ejus jussu presbiteri recipiant.* Ex his clarum est, aliquos pœnitentes in articulo mortis fuisse absolutos, non tamen reconciliatos; & qui fuerunt reconciliati, post reconvalescentiam non amplius recepisse reconciliatoriam manus impositionem.

Innocentius I. ad *Exuperium* Epist. 3. n. 2. *Quæsitum est* (à te) *quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis petunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est: nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur: nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur. Sed postquam Dominus pacem Ecclesiis reddidit, communionem dari abeuntibus placuit, quasi viaticum profecturis.*

Si dicas: Innocentium I. liberationem ab æterno exitio non receptioni ad pœnitentiam, sed reconciliationi adscribere, cum rationem reddens, cur nunc cum pœnitentia etiam concedatur reconciliatio, immediate præfatis verbis subjungat: *Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi ab æterno exitio vindicentur.* Respondeo, per istam communionem, in quocunque consistat, ejusmodi homines ab æterno exitio vindicari, in quantum facit, ne desperent, aut ne absterreantur generaliter à petenda actione pœnitentiæ, si sciant eos non absolvi sine obligatione ad publicam longam pœnitentiam.

Huc facit, quod scribit S. *Leo Epist.* 91. aliquos petiisse cum pœnitentia simul *reconciliationem.*

8. *Quando pœnitentes* recipiebant pœnitentiam, Sacerdos in suis orationibus, quas recitabat super pœnitentes, petebat à Deo pro iis remissionem peccatorum: absurdum autem fuisset, hanc à Deo petere, & nolle eam conferre nomine Dei ministerialiter. In Pœnitentiali Romano sic habetur: *Incipit ratio ad dandam pœnitentiam. Inprimis dicit Psalmum &c. & postea dicit: Oremus. Deus - - - quæsumus, ut des veniam confitenti &c. Alia. Precor Domine, ut famulo tuo peccata & facinora sua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas. Item Oratio manus Impositionis. Domine, te rogamus, ut remittas omnia crimina & peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis veniam.*

9. *In Pœnitentiali* Ecberti Archiepiscopi Eboracensis, qui factus est Episcopus anno 731. illa formula deprecatoria in receptione pœnitentium est manifeste absolutoria. Post confessionem pœnitentis & alias nonnullas preces sic habetur: *Benedictio super pœnitentem. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua. - - Indulgeat tibi Dominus omnia delicta tua. - - Alia. Benedicat te Dominus - - & auferat à te omnia mala, quæ gessisti, & tribuat gratiam, quam semper rogasti. Alia. Sis absolutus à Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ab omnibus tuis peccatis; similiter sis absolutus à sanctis Apostolis - - & à me.* Dein sequitur ordo pro agentibus pœnitentiam publicam. *Suscipis eum quarta feria mane in capite Quadragesimæ, & oras pro eo &c. Oratio. Confitenti tibi Domine famulo tuo delicta &c. Alia. Deus, da huic famulo plenam indulgentiæ veniam - - Dimitte ei omnia crimina, & in semitis justitiæ eum placatus restaura.* Dein adduntur Orationes jam supra positæ pro pœnitentia privata. Tunc demum sequitur ordo reconciliationis in Cœna Domini cum Orationibus.

10. *In quibusdam antiquis Pœnitentialibus* eædem Orationes, quæ conjunguntur cum impositione manus super pœnitentes initio Quadragesimæ, vocantur *Absolutio*, qui terminus ex eo tempore in iis circumstantiis semper usque ad hæc tempora significavit absolutionem sacramentalem. Ergo cum non sit verosimile eum terminum tunc usurpatum fuisse animo adscribendi novam vim sacramentalem impositioni manuum in receptione pœnitentium, sequitur, eam impositionem manus semper jam anterioribus sæculis fuisse sacramentalem. Pœnitentiale Rotomagense scriptum sæculo duodecimo & relatum a Morino sic habet: *Ordo, quomodo pœnitentes in capite Quadragesimæ Episcopo se debeant præsentare - - Absolutio pœnitentis in capite Jejunii.* Dein sequuntur Orationes supra positæ. In Pœnitentiali ad S. Victorem Parisiis, scripto sæculo pariter undecimo, & à Morino relato, sic habetur: *Ordo ad dandam pœnitentiam.* Dein ponuntur Orationes; post has *Absolutio super pœnitentem; ac deinde benedictio Cinerum. Dein Reconciliatio pœnitentium in Cœna Domini.*

11. *In absolutione infirmorum* fiebat prorsus eadem impositio manus cum iisdem orationibus, quæ fiebat in receptione pœnitentium; ergo cum illa sine dubio fuerit sacramentalis, etiam ista præsumenda est fuisse sacramentalis. *Antecedens probatur* ex antiquis Pœnitentialibus & textibus Patrum. Sic in Pœnitentiali Ecberti scripto circa annum 731. dicitur: *Reconciliatio pœnitentis ad mortem. Deus misericors, respice super hunc famulum tuum, & remissionem omnium peccatorum poscentem exaudi. Alia. Deus, qui pœnitentes etiam sub ipsum hujus vitæ terminum non repellis, respice super hunc famulum tuum, remissionem sibi omnium peccatorum poscentem. - - - Ita Oratio ad infirmo pœnitentiam tradendam.*

12. *Apud Ecclesiam Græcam* in receptione pœnitentium statim conferebatur absolutio sacramentalis jam ante illius divisionem ab Ecclesia Latina, ergo præsumendum eandem in re tanti momenti, ubi agitur de summe necessario remedio ad salutem animarum, fuisse eandem disciplinam, maxime ubi & exterior forma, nempe impositio manus cum orationibus fuit eadem. In Pœnitentiali Joannis Jejunatoris, qui factus est Patriarcha Constantinopolitanus anno 586. sic habetur: *Assumit Sacerdos pœnitentem confessurum, & sistit eum coram altari: - - - postea eum instituit: Fili, Ego confessionem tuam primo & præcipue non recipio, nec tibi absolutionem confero, sed per me Deus peccatorum tuorum confessionem suscipit, & per nostram vocem borum remissionem dispensat - - - postquam confitens omnia recensuit, addet Sacerdos: Dominus noster J. C indulgeat tibi omnia, quæ confessus es.* Dein adduntur aliæ orationes pro obtinenda remissione peccatorum, ex promisso divino debita.

13. *Impositioni manus*, quæ fiebat durante pœnitentia, adscribitur peccatorum venia; ergo erat Sacramentalis. *Concilium Toletanum VI.* cap. 55. sic habet: *Quoniam tanta existit perversitas hominum, ut hi quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro peccatorum venia ad manum sacerdoti deducit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ pristinæ sordes revocet, S. Synodus decernit, ut qui sub nomine pœnitentiæ in religioso habitu sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes ad id quod reliquerant redierint, ab Episcopo rursus legibus pœnitentiæ subdantur.*

14. *Reconciliatoria absolutio in Cœna Domini* jam supponebat aliam reconciliationem, ergo præsumendum, priorem fuisse sacramentalem, & istam tantum Indulgentialem. *Ant. prob.* quia illa reconciliatio in Cœna vocatur *absolutissima, perfectissima, perfecta*, qui termini correlativi supponunt

nunt aliam absolutam, attamen minus perfectam. *In Concilio Vasensi* Can. 2. dicitur; *Quia nefas est, eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui dum diutius se reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.*

15. *Illa reconciliatio*, quæ fiebat in Cœna Domini, fieri poterat à solo Episcopo, ergo, cum verosimile non sit, ab Episcopo tunc exceptam fuisse confessionem pœnitentium, præsumendum est, eam solum fuisse Indulgentialem, *Concilium Carthag. III.* Cap. 31. *Presbiter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente: & Concilium Carthag. II.* Can. 3. *Chrisinatis confectio, & puellarum consecratio à presbiteris non fiant; vel reconciliare quemquam in publica Missa presbitero non licere, hoc omnibus placet, Concilium Agathense* C. 44. *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere presbitero penitus non licebit. Concilium Hispalense II.* de presbiteris loquens ait: *Nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare; sed nec publice quidem in Missa quemquam pœnitentium reconciliare: hæc enim omnia illicita esse presbiteris, quia Pontificatus apicem non habent. Et Capitularium* lib. 7. cap. 143. *Statutum est in sanctis Canonibus, ut nullus presbiter pœnitentem publice inconsulto Episcopo reconciliare præsumat, nisi morte forte periclitantem: nullo namque tempore presbitero in publica Missa pœnitentem reconciliare sine licentia Episcopi concessum est.* Quod vero Episcopi nec initio Quadragesimæ, nec in Cœna Domini confessionem pœnitentium de omnibus occultis exceperint, imo nec excipere potuerint, satis patet ex circumstantiis, quæ in Pœnitentialibus designantur. Ibi dicitur 1. quod pœnitentes depofuerint suas Confessiones presbiteris vel domi vel in Ecclesia. 2. Quod presbiteri ante confessionem recitaverint sat longas orationes. 3. Quod interrogationes pœnitentibus faciendæ aut circumstantiæ peccatorum, quas, ut Patres testantur, pœnitentes ultro exponebant, fuerint plurimæ. 4. Pœnitentes in Cœna Domini primum sistebantur catervatim non ad excipiendam illorum confessionem, sed ad eos reconciliandos, id est, restituendos communioni Eucharistiæ, & absolvendos ab omni reatu pœnæ, ita ut per modum novi baptismi plene purgati recta possent pergere in cœlum. Hæc omnia, quæ ex Pœnitentialibus constant, & ex textibus Patrum de confessione occultorum peccatorum referendis, ostendunt, illam reconciliationem seu absolutionem Episcopi non fuisse sacramentalem à culpa, sed Indulgentialem à pœna, idque vi clavium. Igitur prius præcessit absolutio sacramentalis tunc, quando presbiteri pœnitentes per impositionem manus cum formula deprecatoria recipiebant in ordinem pœnitentium.

16. *Impositio manus* presbiteralis cum formula deprecatoria in receptione pœnitentium causabat absolutionem à reatu culpæ, ut nunc à Theologis solet vocari; econtra impositio manus Episcopalis in reconciliatione pœnitentium causabat absolutionem ab omni reatu pœnæ; ergo illa erat Sacramentalis, illa Indulgentialis. *Ant. prob.* Illud actiones & formulæ sacramentales causant, quod vel vi verborum vel ex usu & acceptione hominum significant; atqui illæ priores significant sic absolutionem à reatu culpæ; posteriores autem absolutionem à reatu omnis pœnæ: ergo. *Min. prob.* Absolvi à culpæ reatu nil aliud est, quam id effici, ut peccator non amplius subjaceat gravi indignationi divinæ in ordine ad pœnam æternam; econtra absolvi à reatu pœnæ nil aliud est, quam effici, ut peccator non amplius subjaceat justitiæ divinæ exigenti gravissimas pœnas temporales à peccatore jam converso ob peccatum præteritum, utut quoad culpam condonatum. Sed illud fit in receptione pœnitentium, posterius in eorum solenni reconciliatione, prout patebit ex inductione sequentium textuum.

I. *Effectus impositionis manuum in receptione pœnitentium.*

1. *S. Leo Epist.* 9. *Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.* Cum ægroti, si reconvalescebant, debuerint iterum pœnitentiæ subjici, & reconciliari, sequitur, hic tantum posse esse sermonem de solutione quoad reatum culpæ.

2. *S. Augustinus* Epist. 180. ad Honoratum. *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum extrema pervenitur, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesiam fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem & erogationem. Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum, & Ministrorum?* Hic solus textus videtur sufficere ad probandum intentum; nam ex eo sequitur, quod in receptione ad actionem pœnitentiæ creditum fuerit *erogari Sacramentum*; quod tales recepti habuerint *consolationem*; quod creditum sit, eos *non amplius ligatos* esse, *nec amplius exclusos à vita æterna.* Qualis autem consolatio in receptis, aut qualis causa blasphemiarum & tantorum gemituum ob non receptos, si receptio ad actionem pœnitentiæ non solvisset culpam impedientem à vita æterna?

3. *S. Cæsarius Homil.* 43. *Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim egeris pœnitentiam veram, & invenerit te novissimus dies* (in hoc statu actionis pœnitentiæ) *aut repentina mors, securus es.*

4. *Victor Uticensis* lib. 2. de persecutione Vandalica exponens querelas populi de amissione Sacerdotum, dicit: *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronam? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, Quæcunque solveritis &c.* Ex hoc textu patet, receptionem in ordinem pœnitentium fuisse habitam non pro pœna, sed maximo munere, & quidem pertinente ad potestatem clavium.

5. *S. Leo* Epistola 91. cit. cap. 4. *His, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda, nec reconciliatio deneganda.* Ex hoc textu colligitur, ipsam actionem pœnitentiæ habitam fuisse pro distincto beneficio à reconciliatione, & quidem pro beneficio, quod frustra in urgente periculo solum posset solari pœnitentium vota, ac disjunctive peti, si non contineret remissionem peccati saltem quoad reatum culpæ. Sic nunc ridicule diceretur; illis qui in periculo confiteri & mox absolvi, postulant, nec confessio nec absolutio est deneganda.

6. *Theodosius Imperator* in ipsa susceptione pœnitentiæ ante reconciliationem fuit solutus à peccatis, ergo idem dicendum de aliis pœnitentibus. *Theodoretus* lib. 2. Hist. cap. 17. inprimis narrat, quod Imperator anxie celerem solutionem à suo peccato quæsierit: nam Ruffino, suo familiari, luctus sui causam percunctanti respondit: *Tu, Ruffine, ludis; nam quantis ipse in malis verser, ipse non sentis. Ego vero gemo, & meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quam faci is aditus ad sacrum templum servis & mendicis pateat, liberque illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem non modo ad illum locum, verum etiam ad cœlum ipsum accessus præclusus sit. Nam venit mihi in mentem sententia à Domino prolata, quæ palam dicit: Quæcunque ligaveritis super terram, erit ligatus & in cœlis.* Dein post multos ab excommunicatione menses transactos S. Ambrosium adit, eumque sic alloquitur: *Non obstinato animo leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio; sed oro, ut mihi solvas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui est Dominus omnium; & ne mihi occludas januam, quam ille omnibus, quos peccatorum suorum pœniteat, patefecit. Quam igitur pœnitentiam, inquit Ambrosius, ostendisti post tantum scelus, aut qua medicina curasti gravissima vulnera? Tuum, inquit Imperator, fuerit medicinam temperare, & curare gravissima vulnera, meum vero iis, quæ adhibeantur, uti. Tum D. Ambrosius jussit, ut scriberet legem universalem, ne ulla executioni mandaretur mortis sententia, nisi expletis triginta diebus post latam sententiam. Legem hanc Imperator statim scribi jussit. Ita demum Divus Ambrosius vinculis ipsum absolvit; & templum ingredi ausus Imperator non stans, neque genibus flexis supplicabat Domino, sed pronus humi stratus, manibus capillum vellens, & frontem percutiens, ac guttis lachrimarum pavimentum rigans, dari veniam sibi petebat.* Hæc ostendunt, Theodosium post octo mensium excommunicationem ab Ecclesia tunc primum ad agendam pœnitentiam fuisse receptum in ordinem substratorum, ac simul à peccato absolutum.

Id confirmatur ex *Sozomeno* lib. 7. cap. 24. ubi ait: *Imperator, cum Mediolanum venisset, ad Ecclesiam processit, ut oraret. Sed cum jam ad ostium venisset, occurrit ei Ambrosius ejus civitatis Episcopus, & apprehensa illius purpura in præsentia populi; Siste gradum, inquit, homini enim ob peccata profano & manus sanguine innoxio commaculatus habenti fas non est, antequam pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium, vel ad divinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator regressus est, pœnitentia compunctus. --- Ambrosius igitur Imperatorem ab Ecclesia arcuit, & à communione seclusit. Imperator vero publice coram Ecclesia peccatum confessus est, ac tanto tempore, quod illi ad pœnitentiam præfinitum erat, ut qui lugeret, imperiali ornatu usus non est, quin & legem irrogavit, ut in trigesimum diem supplicia mortis differrentur.* Nec huic nostræ assertioni obstat, quod D. Ambrosius Imperatorem è cancellis, ubi divinis mysteriis interesse volebat, retrusum, in loco inter populum & clerum intermedio consistere passus sit; id enim non concludit, eum eoipso ad sacram Communionem admissum esse, sed tantum ex speciali dispensatione in numerum consistentium relatum esse. Econtra effectum absolutionis in Reconciliatione fuisse absolutionem à reatu pœnæ, *probatur* ex Sacramentario antiquiore D. Gregorio, de quo Morinus lib. 9. cap. 29. num. 4. ubi sic habetur: *Item ad reconciliandum pœnitentem: Omnipotens Deus, confitenti huic famulo tuo peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientia reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam.*

17. *Prævaluit in Ecclesia eorum sententia*, qui voluerunt, ut offerretur Sacrificium pro defunctis in pœnitentia, ergo credebantur per susceptionem pœnitentiæ in statu salutis constituti. *Concilium Carthag. IV.* celebratum anno 398. Can. 79. dicit: *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Idem decernit *Concilium Arelatense II.* celebratum anno 452. Cap. 12. *De his, qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur. Concilium Vasense II.* celebratum anno 442. Can. 2. *Pro his, qui pœnitentia accepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris, aut itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam; quia nefas est, eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur; quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset. Et Concilium Toletanum XI. Cap. 12. De his, qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, diversitas præceptorum de hoc capitulo habetur, illorum tamen sententia nobis placuit, qui multiplices numero humanius de hujusmodi decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à presbyteris recipiatur.* Morinus lib. 10. cap. 9. num. 8. testatur, in antiquissimis Sacramentariis haberi Missas pro defunctis in pœnitentia, v. g. in Petaviano, quod est antiquius Gregoriano.

Neque S. Leo Epist. 91. obstat, sed confirmat hanc praxin orandi in Sacrificio pro iis, qui in pœnitentia obierunt, quamvis fateatur, eos post mor-

mortem non posse amplius consequi reconciliationem, seu absolutionem indulgentialem, quam in vita non obtinuerant. *Si aliquis eorum*, inquit, *pro quibus Domino supplicamus, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Neque objici potest*, quod Ecclesia orare solcat pro omnibus Christianis defunctis, ex suppositione, quod in morte pœnituerint; antiquitus enim non solebat memoria & oblatio fieri pro peccatoribus nondum ad agendam pœnitentiam receptis, ut ex his ipsis textibus satis colligitur; ergo non præsumptio de bona voluntate defuncti, sed ipsa susceptio pœnitentiæ fuit motivum, sic de eorum salute sperandi.

18. *Quando antiquitus* a temporibus Apostolicis usque ad sæculum decimumtertium pœnitentes initio Quadragesimæ recipiebantur ad agendam pœnitentiam, ea receptio pœnitentium vocabatur *absolutio*, nec est ratio urgens, hunc terminum sumendi in alio sensu, quam usitatiore, aut eo, quem habuit sæculis immediate sequentibus, nempe in sensu sacramentali. Sic *Morinus* testatur lib. 8. de Pœnit. cap. 11. num. 16. asservari in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Rotomagensis sæculo XI. scriptum Pœnitentiale, ubi susceptio Pœnitentium initio Quadragesimæ sic describitur: *Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni Clero septem Psalmos pœnitentiales in terram prostratus cum lacbrimis pro eorum absolutione decantet*; & paulo ante finem ritus habetur titulus: *Absolutio pœnitentis in capite jejunii*: dein ponuntur orationes. In alio Pœnitentiali ejusdem Ecclesiæ scripto sæculo XIV. in capite jejunii post Benedictionem Cinerum similiter habetur: *Absolutio super pœnitentes*. Salvos fac &c. Similis est forma & titulus in Pœnitentiali S. Victoriano, & Remensi, ut fatetur Morinus lib. 8. cap. 11. num. 21. & 22. & lib. 4. cap. 18. num. 20. & 21. Consuetudinem confitendi initio Quadragesimæ retentam adhuc esse 1217. probant Constitutiones Ruardi Episcopi Sarum in Britannia C. 25. Moneantur laici ut statim primo Quadragesimæ confiteantur. Observo, quod iisdem sæculis impositio manuum super infirmos, & in Cœna Domini super pœnitentes vocata fuerit *absolutio*, ut ex Ritualibus apparet; ergo sicut istæ fuerunt sacramentales, aut indulgentiales, etiam illa debuit esse vera absolutio à peccato.

19. *Aliqui Patrum* generaliter ac indiscriminatim dicunt, peccata solvi, dum pœnitentibus manus imponuntur; ergo non debet hoc beneficium restringi tantum ad reconciliationem solennem in Cœna Domini, aut ad absolutionem infirmorum, aut ad pœnitentes non obligatos ad pœnitentiam publicam. *S. Augustinus* lib. 5. de Baptismo contra Donat. cap. 20. *Quomodo Deus exaudit vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super capita eorum quibus manus imponitur. S. Leo* Epist. 92. cap. 17. *Qui convivio solo gentium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari.* Et *Optatus Milevit.* lib. 2. Donatistis exprobrat, quod innocentes Catholicos ad eos transeuntes pœnitentiæ subjiciant ait: *Dum manus imponitis, & delicta donatis.*

20. *Si in receptione ad pœnitentiam* publicam pœnitentes non fuissent vere absoluti, fuisset nimis magnum discrimen inter pœnitentes publicos, & occultos, sæpe ob peccata non multum diversos; imo sæpe eadem, solum positis diversis circumstantiis, ex judicio sacerdotis pœnitentiam publicam non admittentibus: hi enim fuerant statim absoluti: illi debuissent reconciliationem exspectare per plurimos annos, imo sæpe usque ad articulum mortis, non sine magno salutis amittendæ periculo, cum *S. Eligius* Hom. 6. testetur, & experientia etiamnum doceat, multos sine Sacramentis mori. *Cum omnes homines*, inquit, *pœnitentiam velint in fine vitæ suæ accipere, vix paucos videmus eam secundum quod desiderant, adipisci.* Quis ergo credat, Ecclesiam, quæ toties inculcabat celerem pœnitentiam, & docebat, non esse differendam in mortem ob incertitudinem illius doni assequendi, suos pœnitentes in istam tam periculosam salutis æternæ amittendæ necessitatem conjecisse?

21. *Pœnitentia solennis* tantum semel agebatur in vita, prout ex pluribus antiquorum textibus liquet; siquis ergo præter peccatum pro pœnitentia publica reservatum habuerat alia peccata mortalia non reservata; aut si post susceptam semel pœnitentiam publicam lapsus fuerat in grave peccatum, non habuisset ulterius remedium sacramentale pœnitentiæ usque ad terminum suæ pœnitentiæ, atque ad tempus reconciliationis, quod sæpe protrahebatur ad plures annos, vel omnino usque ad articulum mortis. Hoc autem sentire de Christo, hoc remedium instituente, aut de Ecclesia potestatem sibi collatam prudenter administrante, videtur absonum à moribus divinis. Quod autem antiquitus unica concessa fuerit pœnitentia publica, suse demonstrat *Morinus* lib. 5. de pœnit cap. 27. & 28. Sic enim 1. *S. Ambrosius* lib. 2. de pœnit. cap. 10. dicit: *Sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* 2. *S. Augustinus* Epist. 54. ad Macedonium. *In tantum hominum malitia progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam vel similia vel graviora committant. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimus pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. --- Caute provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit.*

Hujus etiam disciplinæ testimonium est, quod *Macedonius*, ad quem illa Epistola exarata est, noluerit recipere supplicationem Episcoporum Africæ pro nonnullis reis extremi supplicii, sic argumentans: *Vehementer ambigo, utrum istud* (vestrum desiderium) *à religione descendat. Nam si à Domino peccata adeo probibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam pœnitentiam tribuatur &c.*

Hermas S. Pauli discipulus in libro Pastoris, publice in Ecclesiis prælegi solito, in quo proin non potest contineri manifesta falsitas de praxi omnibus obvia, lib. 2. Mandato 4. dicit: *Maritus debet recipere uxorem peccatricem, quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe; servis enim Dei pœnitentia una est. Misericors Dominus posuit pœnitentiam, & potestatem pœnitentiæ hujus mihi dedit. Et* ideo

ideo dico tibi, quod post (baptismum) *si quis peccaverit, unam pœnitentiam habet.*

Clemens Alexandrinus Strom. lib. 2. *Dedit Deus iis, qui fide suscepta in peccatum incidunt, pœnitentiam secundam, quam, si quis post* (baptismum) *circumventus fuerit, unam adhuc pœnitentiam alterius pœnitentiæ nesciam accipiat.*

Tertullianus cap. 7. de pœnit. *Collocavit Deus in vestibulo pœnitentiam secundam quam pulsantibus patefaciat. Sed jam semel, quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra.* Hujus igitur pœnitentiæ secundæ & unius quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est.

Origenes Homilia 15. in cap. 25. Levit. *Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio cincta consistat, nunquam tibi interdicitur pœnitentiam suscipere; in gravioribus enim criminibus semel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus.*

Pacianus Epist. 3. *Attende, quod ad Petrum dicat; id quod peccatur in hominem, septuagies & septies relaxandum, ut ostendat alias vel semel posse. Conceditur ergo semel Ecclesiæ, quod nobis toties imperatur.*

22. *In Concilio Vasensi II.* C. 2. ubi sermo est de pœnitentibus ante reconciliationem casu fortuito mortuis, dicitur: *Qui ad sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico recipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.* Ergo tales pœnitentes in ipsa susceptione pœnitentiæ jam censentur *purgati, nam purgatior* fieri non potest, qui *purgatus* non est. Eodem modo censendum eos, eos obtinuisse *absolutionem absolutam*, quibus sola *absolutio absolutissima* adhuc deerat.

23. *Patres testantur*, peccatori statim dimitti peccata, quando pœnitet, ergo non potuit Ecclesia convenienter retinere absolutionem à culpa usque ad terminum exactæ pœnitentiæ, plerumque dilatum in plures annos, aut in exitum vitæ, aut in ipsa forma sacramentali, non habera intentionem absolvendi à peccato.

1. *Pacianus* in fine Exhortationis ad pœnitentiam dicit: Ecce promitto, si ad patrem vestrum vera satisfactione (promittendo illam) redeatis; dicendo: *Peccavimus in conspectu tuo Pater; jam non sumus digni nomine filiorum; continuo de vobis & pecus illud recedet immundum & siliquarum esca deformis; continuo revertentes & stola vestiet, & annulus honorabit, & paternus iterum complexus accipiet.* Hi termini manifeste insinuant, peccatorem, dum se in susceptione pœnitentiæ ad veram satisfactionem offert, recipi in statum gratiæ divinæ.

2. *S. Ambrosius* in 2. Epist. ad Corinth. cap. 2. *Pœnitentia, si de vero animo est, hoc est, si correptus* (in susceptione pœnitentiæ) *statim in animo doleat, protinus habet fructum. In Regnorum libro habetur, quia Achab, cum arguisset eum Propheta, commotus animo statim meruit veniam: & David in causa Uriæ correptus, quia cognovit se peccasse, delictum ejus deletum est.*

3. *S. Augustinus*, seu quisquis alius est Author Serm. 58. de Tempore: *Si semel aliquis vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet.*

4. *S. Chrysostomus* in Homil. de S. Philogono, habita quinque diebus ante Nativitatem Domini, aut Epiphaniam: *Neque mihi quisquam dicat; vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam: sufficit enim bonum quinque dierum tempus, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Et Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerunt. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit.*

5. *S. Leo* Serm. 6. in Nativitate Domini: *Accusantes nosmetipsos confessionibus nostris, & consensum concupiscentiis carnis denegantes, inimicitias quidem adversum nos ejus, qui peccati author est, commovemus, sed inexpugnabilem cum Deo pacem firmamus.* Idem Epist. 91. *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam; cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

6. *S. Eligius* Hom. 4. in Cœna Domini: *Si inter vos aliqui sunt, qui se hucusque pœnitentiam agere simulaverint potius, quam vere egerint, neque istis de misericordia Dei desperandum esse dicimus, si hodie etiam ad ipsum saltem ex toto corde convertantur, apud quem nullas patitur moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam &c.*

7. *Rhabanus Maurus* Lib. 1. Pœnit. cap. 1. *Quocunque tempore homo egerit pœnitentiam, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit.*

8. *Author Constitutionum Apostolicarum* lib. 2. cap. 18. *Pœnitentibus condonare oportet peccata; statim enim, ut aliquis ex iis, qui peccaverunt, dixerit ex animo:* PECCAVI DOMINO, *respondet Spiritus Sanctus:* Et Dominus remisit tibi peccatum. *Confide, non morieris. Agnosce igitur Episcope dignitatem tuam, quod sicut potestas ligandi tibi obtigit, ita quoque potestatem solvendi habes.*

24. *Hæretici ad Ecclesiam redeuntes* statim fuerunt reconciliati; hoc autem fuisset absurdum, ob maximum crimen statim absolvere, & ob minora delicta veniam reservare in multos annos. Ergo signum est, illam reconciliationem, in qua hæretici ob bonum generale Ecclesiæ præferuntur aliis peccatoribus, tantum fuisse Indulgentialem, & minus necessariam, cujus effectus est remissio pœnarum, & admissio ad S. Communionem. Id *confirmatur ex Climaco*, qui & ipse peccatores alios tantum in eo agnoscit esse difficilioris conditionis, quam hæreticos, quod illi tardius admittantur ad sacram Communionem. Gradu 15. suæ Scalæ sic habet: *Vir quidam scientissimus problema terribile quæsivit ex nobis. Quod, inquiens, peccatum omnibus gravius est, homicidio, Christique abnegatione exceptis? cumque respondissem, in hæresin labi. Et quonam, inquit, modo Catholica Ecclesia hæreticos*

reticos quidem, cum hæresin priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizaverint, suscipit ad Sanctorum Mysteriorum Communionem, & ut idoneos admittit, cum vero, qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omnino deserentem introrsus suscipiens per annos aliquot eum à venerandis immaculatisque Mysteriis ex Traditione Apostolica separare permittit &c.

25. *Si manus impositio in receptione pœnitentium,* non fuisset sacramentalis, sed tantum cæremonialis, non fuisset opus ejus iterata repetitione durante continuatione pœnitentiæ. Capitularia Caroli M. Lib. 5. cap. 63. sic habent: *Secundum formam Canonum Pœnitentibus detur pœnitentia, & prius eos à Communione suspensos ad Officium Ecclesiæ excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere.*

26. *Præcipuus effectus reconciliationis* à Doctoribus antiquis assignatur admissio ad Eucharistiam, ergo remissio peccati quoad culpam jam supponitur antecedenter facta; alioquin hic effectus deberet assignari præ aliis. Sic Climacus num. 24. allegatus hoc præcise admiratur, quod hæretici præ fornicariis per celerem reconciliationem admittantur *ad Sanctorum Mysteriorum Communionem.* In *Capitularibus* proxime num. 25. citatis inter miserias status pœnitentiæ primario ponitur, quod *à Communione suspensos* teneat. *Concilium Triburiense* anno 895. celebratum dicit: *Pœnitens septem annis expletis reconcilietur, & more pœnitentium sacris altaribus & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur. Antiquus Author* inter opera D. Cypriani de die Cœnæ loquens ait: *Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, & exclusi à cœtu Sanctorum ad Communionem, qua caruerant, revertuntur. Isaacus Lingonensis* Tit. 1. sui Pœnit. Can. 12. *Expleto satisfactionis tempore Sacerdotali prece per manus impositionem reconcilient pœnitentes, & sacra Communione confirment.* Et in Constitutionibus Apostolicis Lib. 2. Can. 41. dicitur: *Si quis conversus pœnitentiæ fructum monstraverit, hunc etiam ad Orationem admittite. --- Sic faciendum est tibi Episcope; atque ut Ethnicum baptismo lotum post Doctrinam admittis, sic hunc per manus impositionem, utpote factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus in antiquam pabulum restitue.* In hoc textu jam supponitur mundus ante Reconciliationem Episcopalem.

27. *In reconciliatione pœnitentes tantum consequebantur perfectionem, & majorem gratiam,* ergo supponitur, eos jam prius obtinuisse gratiam. *In Concilio Triburiensi* dicitur: *Pœnitens reconcilietur, & sanctæ Communioni restituatur, & perfectionem consequatur.* Et in *Sacramentario Petaviano* quod præcedit tempora D. Gregorii in Cœna Domini post Orationes Missæ sequitur: *Ordo agentibus pœnitentiam publicam. — Quamvis divitiis bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium.*

28. *In reconciliatione Episcopus* non excepit confessionem reconciliandorum, sed confessio deponebatur initio Quadragesimæ, ergo absolutio illa Episcopi non potuit esse Sacramentalis, cum utique idem debeat in hoc judicio audire & judicare reum & absolvere. Pœnitentiale Tolosanum de reconciliatione loquens ait: *Mox Pontifex surgens cum præcedentium & subsequentium ordine Clericorum pergit in vestibulum Ecclesiæ & composita sede residet adstante retro & ex utraque parte Clero, & audita ratione singulorum, qualiter vel quomodo quisque pro admissis pœnituit, discernit subtiliter culparum modum, & eos qui reconciliandi sunt, facit stare in parte seorsim pro loci opportunitate. Et post hæc ingreditur Ecclesiam, remanentibus pœnitentibus foris. Mox vero, ut Pontifex ad altare ascenderit, vertit vultum ad ostium Basilicæ, ubi pœnitentes remanserunt. --- Post hæc clamat Diaconus: Redite reconciliandi ad sinum Matris. Post hæc ingrediuntur Ecclesiam, & prostrati in terram orant &c.* Ex his manifestum est, Episcopum solum ex testimonio Clericorum inquirere de modo pœnitentiæ, quem singuli pœnitentium pro suo delicto publico vel publicato usurparunt; non vero excipere singulorum Confessionem. Id confirmatur ex Pœnitentiali Turonensi, scripto Sæculo 13. ex quo Morinus refert sequentia: *In Cœna Domini ante pœnitentium reconciliationem Sacerdotibus præscribitur, ut qualiter transacta quadragesima se gesserint, qualiterve injunctas sibi pœnitentias observaverint, diligenter inquirant, & notata fideliter referant nomina, & annos pœnitentiæ, ac delicta, & circumstantias singulorum, ut sic, cum hora requisitionis advenerit, quid de singulis Pontificalis censeat authoritas, clarescat, & universorum causas liberius & expeditius decernere possit. Auditis itaque confessionibus Episcopus ante horam sextam examinat cum Sacerdotibus ipsis diligenter, qui digni sunt reconciliatione, vel non.* Hic iterum clarum est, agi de Confessione judiciali pœnitentium circa articulos à Clericis propositos, non de auriculari ac distincta omnium peccatorum etiam occultorum, de quibus utique Episcopus tractare non poterat cum Sacerdotibus.

29. *Certum est, eandem ferme formulam* usurpatam esse in absolutione pœnitentium in Cœna Domini ab Episcopo, & in susceptione pœnitentium initio quadragesimæ à Presbyteris. Si ea formula initio quadragesimæ fuisset tantum cæremonialis, & in Cœna Domini Sacramentalis, Episcopi nunquam permisissent, eandem formulam Sacramentalem usurpari à Presbyteris pro nuda cæremonia, neque eandem præscripsissent pro se & Presbyteris, cum in hoc fuerint vigilantissimi, ne Presbyteri unquam usurpent jura episcopalia, ut patet ex eorum severissimis Decretis, ne Presbyteri ullum reconcilient sine consensu Episcopi. Formularum autem conformitas patet ex Pœnitentialibus.

30. *In Ecclesia Græca absolutio Sacramentalis* semper fuit statim conjuncta cum Confessione, id ipsomet fatente Morino lib. 9. cap. 31. maxime postquam ex constitutione Nectarii usus pœnitentiæ publicæ in ea Ecclesia exolevit. Ergo, cum nullus unquam authorum quoad hoc punctum Disciplinæ annotaverit diversitatem inter Græcam & Latinam Ecclesiam, prout tamen diligentissime annotarunt in omnibus aliis, moraliter certum est, in Ecclesia Latina viguisse consimiliter praxin, statim absolvendi Sacramentaliter confitentes. Certe si in hac re fuisset alia Disciplina Ecclesiæ Latinæ, hoc punctum fuisset notabilius omnibus aliis articulis duas Ecclesias colliden-

collidentibus, nec fieri potuisset, quin in Conciliis, vel Scriptoribus, dum agebatur de moderatione legum pœnitentialium, aliquando ad praxin Orientalium fuisset respectum, aut provocatum. Quod vero Ecclesia Græca statim suos pœnitentes absolverit, probat Morinus lib. 6. cap. 24. lib. 4. c. 19. & lib. 9. c. 21. hoc modo. Diligenter notandum est, duplicem apud Græcos à tempore Nectarii huc usque in stadio pœnitentiæ absolutionem concedi solere: unam in principio pœnitentiæ; alteram post eam completam. Hoc notabile nunc demonstrabimus. Primum est, peccatorum veniam sive absolutionem confestim post editam peccatorum Confessionem aut pœnitentiam impositam à Sacerdote pœnitenti datam esse. Ita evidentissime mihi videntur Presbyteros instruere Pœnitentiales Græcorum libri antiqui & recentiores. Joannes Jejunator confessuro primum proponit Confessionem ejus se principaliter non recipere, nec absolutionem non concedere, sed utrumque Deo tribuendum. Nihil ideo celandum esse, ut per Confessionem peccatorum veniam consequatur. Confessione particulatim edita statim super pœnitentem septem orationes pronuntiat, quæ omnes peccatorum veniam à Deo pro confitente postulant, quas ipse λύσεις, solutiones vocat: finitis his orationibus absolutoriis jubet eum à terra surgere, osculatur, & bono animo esse jubet, dicens: Ecce Dei voluntate homines amantis & omnium salutem volentis ad pœnitentiam confugisti, & confessus ab omnibus operibus malis prioribus liberatus es. Ne igitur secundis malis te prostituas, ne sint posteriora deteriora prioribus, à quibus absolutus es. Idem docet idem *Joannes Jejunator* Patriarcha C. P. in oratione ad eos, qui patri spirituali confitentur. Postquam illos ad pœnitentiam exhortatus est, omniaque peccata pœnitens confessus est, tum super eum Sacerdos fundit varias preces absolutorias, quæ nihil aliud postulant, quam ut peccatorum remissionem Deus pœnitenti per ipsius Ministerium concedat. Simili modo, sed adhuc evidentiori Sacerdotes instituit in suo Canonario Joannes Monachus S. Basilii dictus Discipulus. Confessione minutissime peracta pœnitentem monet se non dimittere, nisi quæ confessus est. Deinde sic cum pœnitente agendum esse monet. Tunc in terram sese dejiciet, & non se eriget, ipsique hæc adprecabitur, & eo jacente sic dicere incipiet: Deus, qui propter nos factus est homo, omnia hæc quæ confessus es, dimittat tibi in hoc sæculo & in futuro. Amen. Tum ipsum erigit, & ut propriam animam amplectitur, & si fieri potest, manum suam ipsius collo imponit, dicens: Hæc omnia frater ab hac hora sint super me. Idem non minus evidenter ex *Pœnitentiali* (alio *Græco vetusto* ex Bibliotheca Cardinalis Barberini) colligitur. Postquam ipsum minutatim interrogaveris, dicito; fili mi, quod confessus es, dimittere non valeo. Nullus est, qui peccata dimittere possit, nisi solus Deus. Sed propter hanc à Deo pronuntiatam Apostolis vocem: Quorum remiseritis peccata &c. dicimus; quæcunque declarasti meæ humilitati, Deus tibi dimittat in hoc sæculo & in futuro. Vade in pace. De peccatis autem confessis ne sis solicitus. Vade in pace.

31. *Qui receperunt pœnitentiam*, jam censebantur esse justificati, utpote jam dispositi ad accipiendam Eucharistiam, nondum secuta reconciliatione; ergo reconciliatio jam supponebat absolutionem Sacramentalem. *Concilium Arausicanum* Can. 3. dicit: *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi.* In *antiquo MS. Codice Monasterii* S. Remigii Remensis, de quo *Morinus* lib. 10. c. 15. num. 3. describitur ritus imponendi pœnitentiam infirmis hoc modo: *Tunc Sacerdos ad infirmum dicat: Vocasti? Infirmus respondeat; desideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam, & remissionem peccatorum tradas &c.*

32. *Si pœnitentes* non fuissent absoluti in receptione pœnitentiæ, aut non supponerentur justificati ante reconciliationem, debuissent omnes suas satisfactiones & omnia sua alia opera peragere adhuc existentes in peccato mortali, in statu damnationis, & in statu filiorum iræ, ac inimicitiæ divinæ; debuissent in eo statu permanere per multos annos, adeoque eorum satisfactiones non fuissent acceptæ Deo, nec aliæ actiones piæ meritoriæ remissionis; hoc sentire de Ecclesia, quod suos pœnitentes in hoc statu voluerit tam diu relinquere, sane absurdum est.

33. *In Libro Constitutionum* lib. 8. cap. 9. jubentur pœnitentes exire ab Ecclesia, postquam iis Episcopus imposuit manus. Ergo etiam ante ultimam absolutionem, quando non jubentur amplius exire ab Ecclesia, dabatur super pœnitentes absolutio frequens per Episcopum cum impositione manuum & formula deprecatoria. Atqui ista erat Sacramentalis, ergo & absolutio Presbyterorum, qui postea quoad hunc actum successerunt Episcopis, erat Sacramentalis. *Ant. prob.* quia illa oratio tendit ad absolutionem præsentem à peccatis, orat enim Episcopus, ut peccator *vivat*, & ejus pœnitentia suscipiatur, sicut Pater suscepit filium prodigum. Verba vide supra Propositione 1.

34. *Origenes* Homil. 2. in Psalmum 37. testatur, peccatorem statim justificari in ipsa confessione sui peccati: ergo supponit ipsam confessionem aut esse remissivam peccati ex se, aut dependenter à Sacramento; quidquid dicatur, saltem sequitur, Ecclesiam in impositione manuum & formula absolutionis deprecatoria super confitentes non potuisse habere intentionem reservandi & ligandi peccata usque ad finem pœnitentiæ publicæ pluribus sæpe annis duraturæ. Ad illa verba: *Qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, dolum tota die meditabantur*, sic scribit: *Ecce insidiatorem justi. Jam enim justum voco eum, qui inprimis ipse sui accusator efficitur. Nam ut illum sapientem vocat Scriptura, qui non odit arguentem, sed insuper illum diligit; sic & justus dicitur, qui post delictum non permanet in delictis, nec exspectat diabolum fieri accusatorem suum, sed ipse se arguit, & convincit, & per confessionem suam liberatur à morte.* Quod autem hoc loco Origenes loquatur de confessione Sacramentali, patet ex toto textu superius adducto.

Simi-

Similiter & *Tertullianus* justificationem ad ipsam susceptionem Pœnitentiæ refert, dum lib. de pœnit. cap. 9. dicit: *Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis est disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu & victu mandat, Presbyteris advolvi, jejuniis incumbere &c. cum igitur hominem provolvit, relevat, cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat, cum condemnat, absolvit. Tertullianus* hoc loco manifeste loquitur de Exomologesi, quæ fit in receptione pœnitentium ad actionem pœnitentiæ; tunc enim *injungit* conversationem; tunc *mandat* de victu & habitu, tunc *condemnat*; acontra in ultima reconciliatione nec *injungit* conversationem misericordiæ illicem, nec *mandat* de victu, nec *condemnat* ad pœnas, sed solvit.

Objectiones.

Objicit 1. Morinus lib. 9. cap. 2. num. 3. Juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam pœnitentes debebant primo per aliquot annos manere in *statione Flentium seu Fletus*, in qua excludebantur ab ingressu Ecclesiæ, & ab auditione verbi divini, cum ne quidem Ethnici & Judæi ab ingressu Ecclesiæ fuerint prohibiti. Deinde admittebantur ad *Stationem Audientium*, in qua iterum datinebantur aliquot annis. Ab ista Statione promovebantur ad *Stationem Substratorum*, in qua affligebantur per plures annos jejuniis, & variis corporis macerationibus. In hac etiam Episcopus cum Clero precabatur Deum, ut pœnitenti tribueret peccatorum veniam, & is Ecclesiæ mereretur aggregari. Post superatas has tres Stationes primum admittebantur pœnitentes in *Stationem Consistentium*, in qua ipsis licebat interesse Missæ, non tamen communicare. Est autem incredibile, quod Ecclesia voluerit tam dure tractare pœnitentes, si credidit, eos jam esse absolutos, & amicos Dei.

Respondeo inprimis retorquendo in moderna praxi Ecclesiæ. Si enim post absolutionem Sacramentalem remanente reatu pœnæ Deus suos amicos adhuc purgat terribilibus tormentis in hoc mundo vel purgatorio, cur fit inconveniens, si Ecclesia eo pacto largiatur veniam, ac condonationem æternæ damnationis, ut satisfiat divinæ justitiæ, & mundetur anima à peccatorum scoria, & expungatur debitum residuæ pœnæ?

Respondeo 2. retorquendo in iis, qui antiquitus in articulo mortis ea conditione fuerunt absoluti, ut recuperata sanitate se subjicerent pœnitentiæ Ecclesiasticæ: quæ disciplina saltem vigere cœpit à Sæculo quarto usque ad undecimum. *Concilium Carthagin. IV.* Can. 76. dicit: *Si* (infirmus) *post reconciliationem supervixerit, subdatur statutis pœnitentiæ legibus. Gregorius Nyssenus* in Epist. ad Letojum: *Si* (desertor fidei, in infirmitate reconciliatus) *præter spem vivat, in eodem rursus vivet judicio, mysticorum Sacramentorum ad vitæ usque finem expers. Et ad finem Epistolæ. Si quis tempore non expleto à Canonibus præstituto vita excedat, jubet Patrum clementia, ut effectus Sacramentorum particeps non viatico vacuus ad illam longam peregrinationem mittatur. Si autem, postquam Sacramenti particeps factus fuerit, rursus ad vitam reversus sit, statutum tempus exspectet in illo gradu existens, in quo erat ante communionem. Concilium* 1. *Arausicanum* c. 3. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium. Concilium Epaunense* Can. 36. *Si ægrotum accepto viatico revalescere contingit, statuti temporis spatia observare conveniet.* Concilium *Barcinonense* Can. 8. *Qui in infirmitatibus poscunt pœnitentiam & accipiunt, si postea convaluerint, vitam pœnitentium peragant, segregati à communione tamdiu, quamdiu probabilem Sacerdos eorum approbaverit vitam. Capitularium* lib. 5. cap. 61. *Placuit his, qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum, communicari. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut legitimam communionem statuto tempore reconciliatione, & manus impositione Episcopi, vel ejus jussu, Presbyteri accipiant.* Concilium *Nannetense* c. 5. *Infirmus, qui necessitate mortis urgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, secundum qualitatem delicti pœniteat.* Si ergo absoluti in articulo mortis retrusi sunt in ordinem pœnitentium pristinum & Stationem Consistentium, ubi tamdiu privabantur Sacra Communione, donec expleverant constituta sibi pœnitentiæ tempora, mirum non est, quod etiam absoluti in acceptione pœnitentiæ nihilominus ordine præscripto peccatum luere & à pœnis adhuc residuis reluere debuerint.

Respondeo 3. certum esse, quod post absolutionem Sacramentalem remaneat reatus pœnæ, & quod satisfactiones proprie præstentur pro ipso peccato commisso; itaque non est inconveniens, si Ecclesia ad expungendum hoc debitum, & ad purgandas animas illas satisfactiones tam severe in absolutis exegerit. David, etiam postquam Dominus transtulit ejus peccatum, graves luit pœnas; flet, petit mundari, & placare sibi magis conatur Deum. Idem ergo finis urget in aliorum peccatorum absolutorum reatu. Absolon, quamvis obtenta venia, tribus tamen annis à conspectu sui patris rejectus est. Quid igitur mirum, si Ecclesia primis temporibus ad declarandam populo recenter è gentilitate converso peccatorum quorumdam enormium magnitudinem hac paterna severitate utendum censuit?

Objicit 2. Morinus l. cc. n. 4. Antiquitus multa fuere Concilia congregata, ut novis criminibus exorientibus communi consensu decernerent, quæ iis sanandis sufficeret pœnitentia; sed nullus alius potest assignari finis tantæ solicitudinis, nisi ut docerent, quo modo animæ possent reconciliari cum Deo, ac disponi per veram animi conversionem ad absolutionem Sacramentalem, ergo. *Minor probatur.*

1. Si hanc suam industriam non ordinassent ad absolutionem sacramentalem & reconciliationem cum Deo, tunc de reconciliatione pœnitentium cum Deo Patres in Conciliis negligentissime tractassent, cum de illa vix occurreret Canon; econtra diligentiam omnem direxissent ad ordinandam externam reconciliationem cum Ecclesia; quod est prorsus improbabile.

2. Ipsimet Patres in illis Conciliis in locis innumeris declarant, se tantam diligentiam in deter-

terminandis pœnitentiis ex nullo alio fine adhibere, nisi ut explorent, an conversio pœnitentium sincera, fide digna, & ex toto corde sit, ἀξιόπιςος, καὶ ὀδοκιμώς, ut absolutione sacramentali donanda sit.

3. Iidem Patres varias alias Canonum pœnitentialium causas, quæ ad peccatorum & culpæ remissionem potissimum ac primario referuntur.

4. Si Patres absolutionem Sacramentalem statim contulissent post confessionem, longe minus accurati fuissent, quam nunc jubentur Sacerdotes esse in Rituali Romano, quod sic habet: Videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda vel neganda vel differenda sit absolutio ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces.

5. Antiqui solicite cavebant, ne communicatione cum impiis contagionem criminis in se accerserent. Ideo Ethnicos, Catechumenos, Energumenos, & pœnitentes à mysteriis suis longe abigebant, ne eorum communicatione ante purificationem inficerentur, nec prius eos mysteriis adesse permittebant, quam iis purgatis veniam peccatorum dedissent; nec prius veniam hanc illis donabant, quam Deo fore acceptam sibi persuasissent. Id vero circa pœnitentes fieri non potuisset, si fideles credidissent, pœnitentes per absolutionem Sacramentalem purgatos, Deoque gratos & acceptos esse.

6. Apud antiquos hæ phrases: *Ad societatem fidelium admitti, mysteriis fidelium interesse, orationum participem esse &c.* idem valebant, ac absolutio Sacramentalis à peccatis, ergo cum phrases illæ tantum habuerint locum in quarto gradu pœnitentium, id est, in ordine *consistentium*, absolutio Sacramentalis tantum fuit impensa post actam in primo, secundo, & tertio gradu pœnitentiam, non vero in receptione pœnitentiæ.

7. Tribus fere primis Sæculis, & etiam sequentibus in variis regionibus semper ista duo conjuncta fuerunt, absolutio à peccatis, & jus communionis Eucharisticæ; ita ut pro synonimis usurpata passimque permutata fuerint sine ullo discrimine hæc verba: *Remissio peccatorum, reconciliatio, venia, indulgentia*, & ista: *dare vel obtinere pacem, aut communionem; Corpus & Sanguinem Christi dare, & accipere.*

8. Innumeris testimoniis Patrum demonstratur, pœnitentes per opera Pœnitentiæ præparari ad veniam à Deo impetrandam; per ea opera ignes æternos extingui, eos Dei gratiam paulatim promereri, peccatorum indulgentiam Dei misericordia his operibus commota citius impetrari, ergo certissimum est, veniam peccatorum ante hæc opera pœnitentibus non fuisse præstitam.

9. In quibusdam Patrum textibus dicitur, quosdam Episcopos, quos D. Cyprianus quidem improbat, sed Innocentius I. excusat, reconciliationem ne quidem in morte pœnitentibus tribuisse. Non est verosimile, in ea opinione variare tantum actum esse de levi aliqua cæremoniola, per quam pœnitentes solum disciplinæ politicæ causa in Ecclesiam admittebantur; quantum enim ex D. Cypriano & Innocentio I. colligitur, agebatur de summa salutis æternæ. Certe Cœlestinus I. Epistola 3. ad Episcopos Galliæ docet, ab æterna salute eos excludi, quibus in articulo mortis denegatur reconciliatio.

10. Patres & Concilium Tridentinum docent, longe difficilius remitti peccata post baptismum commissa, quam commissa ante baptismum. Si vero daretur absolutio sacramentalis ante præstationem operum pœnitentialium, remissio peccatorum post baptismum commissorum fuisset multo facilior, cum etiam tunc ante baptismum à Catechumenis debuerit peragi satis severa pœnitentia. Certe Catechumeni non habuissent causam, tunc temporis differendi baptismum usque ad articulum mortis, quod tunc frequentissime contingebat, si habuissent in promptu celeris absolutionis sacramentalis remedium.

11. In Concilio Nicæno Can. 13. præcipitur, ut morientibus constitutis in pœnitentia detur absolutio Sacramentalis; ergo prius illam nondum acceperant. *Ant. prob.* Ibi præcipitur, *ut tales ultimo & necessario viatico* non priventur, sed per hoc non intelligitur Eucharistia, sed absolutio Sacramentalis; illius enim administratio reponebatur in arbitrio Episcopi.

12. S. Leo Epist. 91. docet, quod pœnitentibus, si in eo statu moriantur sine constitutis remediis, id est, absolutione Sacramentali, *peccatorum reatus non solvatur*, & S. Augustinus Epist. 180. docet, tales *in æterna requie non futuros*; ergo pœnitentes in receptione pœnitentiæ non fuerunt absoluti Sacramentaliter. Hæc sunt P. Morini argumenta, quæ variis Patrum textibus confirmat lib. 9. c. 2. & 3.

Respondeo. Omnia hæc argumenta facillime solvi unica distinctione inter *absolutionem Sacramentalem* à sola culpa, & *absolutionem Indulgentialem* à pœna peccatis post absolutionem Sacramentalem debita: illa absolvit peccatorem in susceptione pœnitentiæ à peccato, quatenus constituit inimicum Dei, atque objectum gravis indignationis divinæ in ordine ad projectionem æternam à facie Dei. Ista absolvit à peccato, quatenus adhuc peccatorem constituit debitorem pœnæ, atque objectum iræ in ordine ad pœnas temporales. Dixi, *objectum iræ*, abstrahendo tamen, an illa juxta usum Scholarum debeat dici ira *stricte* talis, quæ est cum aliquali aversione ab objecto, an vero sit dicenda *ira late talis*, quo modo sumitur à Patribus, & populo, quatenus significat voluntatem puniendi propter præcedens delictum. Illam absolutionem *à reatu culpæ* dico concessam esse omnibus pœnitentibus in ipsa eorum receptione ad pœnitentiam. Istam vero Indulgentialem *à reatu pœnæ* dico fuisse administratam *in Cœna Domini*, aut alias, quando pœnitentes recipiebantur ad suscipiendam Eucharistiam, aut in articulo mortis. Porro hæc *absolutio Indulgentialis* simpliciter vocabatur Reconciliatio. Hac Explicatione præmissa

Respondeo

Ad 1. Determinationem Canonum pœnitentialium non habuisse pro fine primario reconciliationem pœnitentium cum Ecclesia, sed expiationem peccati quoad reatum pœnæ, & placationem iræ divinæ requirentis à peccatore adhuc severissimas pœnas temporales: secundarius finis earun-

earundem satisfactionum pœnitentialium erat, ut animæ expurgarentur à pravis habitibus peccato contractis, ut imbuerentur clara cognitione de gravitate peccati & severitate divinæ justitiæ, & ut metu ejusmodi pœnarum arcerentur à lapsu vel relapsu in quædam perniciosa crimina Ecclesiæ sanctitatem magis contaminantia, prout ex omnibus Scriptoribus antiquis liquet, qui scripserunt de satisfactionibus ejusmodi pro peccato præstandis. Hic finis dignissimus erat perpetua ac varia Conciliorum cura, ut mutatis continuo circumstantiis tum ex parte scandali, tum ex parte periculi, tum ex parte virium & dispositionum in accrescente numero pœnitentium, mutaretur & disciplina remedii, ut per se liquet. E contra pro obtinenda remissione culpæ non erat alio opus, quam seria detestatione peccati, serio proposito, & seria conversione animi ad Deum. Ad hanc docendam aut inculcandam non erat opus Conciliis, sed exhortationibus ad populum. Has autem non fuisse neglectas, patet ex plurimis Patrum Homiliis, in quibus adhortantur populum ad peccatorum detestationem, vitæ emendationem, & conversionem ad Deum. Itaque etiam in nostra sententia curas suas illi Patres rectissimo ordine sic dividunt, ut plus solicitudinis pastoralis collocent in conciliandis peccatoribus cum Deo, sed loco & tempore congruo, in Sermonibus videlicet ad plebem, ad sublevanda vero residua peccatorum onera pro congruitate animorum & temporum sua consilia conferant uniformi sedulitate in Conciliis.

Ad 2. *nego*, id unquam declarasse Patres. Declararunt quidem sæpissime Patres, se diuturnis pœnitentiis examinare dispositionem pœnitentium, an digna celeri *Reconciliatione*, id est, Indulgentiali remissione peccatorum quoad reatum pœnæ? an fide digna, ut prudenter credi possit, pravos habitus subjugatos & temperatos esse? an ex toto corde, ut non simulata ad breve tempus humiliatione, sed constanti ac serio animi proposito meliorem vitam spondeat? an ejus conditionis, ut à Deo acceptari mereatur pro tot peccatorum in ordine ad pœnas temporales debitis, ne præpropera festinatione erret in Reconciliatione Ecclesiæ judicium, si à reatu omnis pœnæ solvat, qui adhucdum indignus ea solutione censetur divino judicio. Satisfactiones illas per modum lapidis Lydii usurpatas esse ab Ecclesia ad probandam dispositionem pœnitentium idoneam in ordine ad absolutionem Sacramentalem, seu remissionem culpæ, nullum plane reperire est recte considerantí vestigium.

Ad 3. eadem est responsio.

Ad 4. dico, id non confessum. Sicut enim nunc non admittuntur ad absolutionem Sacramentalem, nisi quorum ex propria confessione perspecta est ad serio renuntiandum peccatis dispositio, ita tunc diligenter interrogabantur pœnitentes an serio vellent renuntiare peccatis, nec prius recipiebantur ad agendam pœnitentiam, priusquam spponderent de firmo ejusmodi animi proposito. Id manifestum est ex libris Pœnitentialibus, v. g. in Pœnitentiali Ecberti scripto circa annum 735. sic habetur: *Incipit Ordo ad pœnitentiam dandam. Primum interroga eum Orationem Dominicam & Symbolum. Post hoc interroga eum, si ipse aliquid de malo ingenio habet, aut de furto, aut de aliqua causa contra dicta? Si confessus fuerit, quod habuit, instrue eum, quod non est licentia, de aliis peccatis judicium recipere, antequam ipsum reddat vel ejiciat. Postea, si fecerit, interroga eum, si iracundiam contra qualemcunque hominem habeat? Si confessus est habere, admone, quod est scriptum: Sicut non proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit; ita nihil proficit abstinentia illis, qui tales sunt; quia non licet eis pœnitentiam agere. Post hæc interroga eum crimina sua quæ habet.* Ex his patet, non omnes indiscriminatim receptos fuisse in ordinem pœnitentium, & hoc ipsum argumento est, in ea receptione intercessisse absolutionem Sacramentalem: quia si actio pœnitentiæ solum fuisset dispositio ad veram conversionem, ad eam potuissent recipi omnes spe, per exercitia pœnitentiæ obtinendi gratiam veræ conversionis.

Ad 5. *dico*, falsum esse, pœnitentes in prima & secunda statione fuisse exclusos à fidelium consortio, eo quod crediderint, se illorum tanquam peccatorum communione pollui ac contaminari, id enim saperet errorem Donatistarum, & falsitas hujus manifeste detegitur ex eo, quia in articulo mortis absoluti juxta decreta quorundam Conciliorum jubebantur, recuperata sanitate redire in priorem ordinem pœnitentium, in quo ante mortum fuerant constituti, adeoque etiam primum vel secundum, vel tertium. Vera autem causa ejusmodi separationis pœnitentium erat, ut humiliarentur, sicque experimento discerent, quam triste sit, ejici à facie Dei, sicut ejecta fuerat soror Moysis extra castra, & Absalon à facie patris. Ad hanc causam *Gregorius Nazianzenus* Orat. 39. respiciens dicit: *Nec ipse quidem eos recipio* (Novatianos, alioquin, sicut & alios hæreticos, non adstrictos ad gradus pœnitentialium stationum) *qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur. Hermas* lib. 3. Simil. 7. *Oportet eum, qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animo se præstare in omni negotio. Tertullianus* de pœnitentia cap. 8. & 9. *Exomologesis est prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversionem injungens, misericordiæ illicem.*

Idem confirmatur ex eo, quia nec ipse Morinus negare audet, absolutionem Sacramentalem impensam esse pœnitentibus, quando à tertio gradu *Substratorum* transibant in ordinem *Consistentium*: ita enim docet lib. 6. cap. 21. & 24. Et tamen in illo ordine Consistentium adhuc divexclusi manebant à S. Communione. Si ergo absolutio Sacramentalis non tribuit statim jus ad Communionem cum Christo, non est mirum, si nec tribuerit statim jus ad Communionem cum aliis Christi membris, nempe cum fidelibus in divino officio. Nec propterea defraudabantur aliquo dono necessario ad salutem; solum discrimen quoad Sacramentalia erat, quod illis tantum semel, nempe in eorum receptione ad pœnitentiam, *substratis* autem sæpius manus fuerit imposita, ut ipsemet lib. 6. c. 5. n. 2. Igitur, si fideles potuerunt credere, eos Deo *gratos & acceptos* esse, quos videbant à Christo in Sacramentis excludi; cur non

non credere potuerint, Deo *gratos & acceptos* esse, qui excludebantur ab eorum in divinis consortio, cum utique sciverint illud pœnitentis Psalmistæ: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies?* Psal. 50.

Ad 6. dico, verum quidem esse, quod transeuntes ex ordine *Substratorum* in ordinem *Consistentium* fuerint absoluti à peccatis, sed absolutione *Indulgentiali*, qua pœnitentes absolvebantur *à reatu pœnæ*, quod non factum fuerat in præcedentibus absolutionibus sacramentalibus, cum in iis pœnitentes tantum fuerint absoluti à reatu culpæ. Id manifestum est ex testimoniis authorum ipsorummet, quos *Morinus* lib. 6. cap. 21. n. 5. adducit in probationem suæ sententiæ.

Sozomenus lib. 7. cap. 16. dicit: *Elapso demum præfinito die pœna jam, quasi debito, exoluta à peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur.*

Zonaras in Can. 6. Carthaginensem: *Pœnitentium reconciliatio fit, cum quisquam crimen confessus, postquam inter pœnitentes egit, mulctamque persolvit, à pœna in futurum tempus absolvitur: tanquam enim is forte jam satis supplicii luerit, vel etiam quia definitum tempus impleverit, ac satis magnum animi dolorem pro ratione criminis indicorit, à pœna liberatur, eique vel cum fidelibus consistere, vel sacris etiam mysteriis communicare permittitur.* Ex his clarum est, eam absolutionem fuisse indulgentialem. Id confirmatur ex eo, quia hæc *absolutio*, seu *reconciliatio* usitatissimo modo loquendi jam antiquitus vocabatur *Indulgentia*. Cum ergo significatio terminorum præsumatur tamdiu manere invariata, quamdiu non monstrantur positiva variationis argumenta, qualia hic non occurrunt, præsumendum, antiquitus illam Reconciliationem pœnitentium post *substrationem* factam ab Episcopo in hoc ipso sensu fuisse veram Indulgentiam, in quo nunc sumitur.

Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. ult. in Concione habita in primis Parasceves Vesperis, alludens ad morem reconciliandi pœnitentes in Parasceve Sabbathi Sancti, quem morem Morinus lib. 9. cap. 29. num. 3. ostendit viguisse Mediolani & in Hispania, sic habet: *Tempus est, quo celebratur Indulgentia peccatorum.*

Concilium Toletanum IV. Cap. 6. *Comperimus, quod per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini clausis Basilicarum foribus nec celebratur officium, nec passio Domini populis prædicatur. -- Oportet eo die mysterium crucis prædicari, atque INDULGENTIAM criminum clara voce omnem populum postulare.*

Honorius Imperator in Epistola ad Arcadium de Divo Chrysostomo in exilium acto, quod actum in Paschate, loquens ait: *Eo tempore, quo indulgentia principali* (ad imitationem relaxationis Ecclesiasticæ) *tristia noxiorum claustra referantur.*

In Sacramentario antiquiore D. Gregorio Magno de Reconciliatione in Cœna Domini sic habetur: *Egreditur pœnitens de loco, in quo pœnitentiam gessit, & in gremio præsentatur Ecclesiæ prostrato omni corpore in terra, & postulat his verbis Diaconus: Adest, o venerabilis Pontifex, dies propitiationis --- quamvis enim divitiis bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen largior est per INDULGENTIAM remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium. Inde est gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. ---- Dein sequitur Oratio ad RECONCILIANDUM POENITENTEM. Omnipotens Deus, confitenti tibi huic famulo tuo peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ REATUS AD POENAM, quam INDULGENTIA tuæ pietatis prosit ad veniam. --- Da INDULGENTIAM reis &c.*

In Pœnitentiali Ecberti, scripto circa annum 735. de Reconciliatione publica sic habetur: *Expleta pœnitentia veniat ad Sacerdotem & reconciliet eum, dicendo: Omnipotens Deus, confitenti tibi huic famulo tuo peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ REATUS AD POENAM, quam INDULGENTIA tuæ pietatis prosit ad veniam.*

In Pœnitentiali Rotomagensi scripto sæculo decimo, & usurpato tunc in Anglia, sic habetur: *Incipit absolutio dicenda ab Episcopo super pœnitentem. Omnipotens Deus, rogamus, ut des huc famulo tuo pro suppliciis veniam. --- Item. Præveniat hunc famulum tuum, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri INDULGENTIA deleantur.* Verum quidem est, etiam in absolutione sacramentali privata occurrere hunc terminum *indulgentia*, sed ex hoc tantum sequitur, quod antiquitus indiscriminatim in generali acceptione acceptus sit; non vero sequitur, ipsam subjectam materiam, quæ jam antiquitus terminum generalem ac de se indifferentem à significatione ampla ad determinatum sensum restrinxerat, non potuisse Ecclesiæ præbere occasionem, illum terminum regulariter solum in eo restricto sensu accipiendi.

Ad 7. dico, etiam *absolutionem indulgentialem* esse proprie loquendo *remissionem peccatorum*, & *absolutionem à peccatis*, ut proxime dicetur. Eadem poterat propriissime vocari *reconciliatio* cum Deo, sed cum addito tacito vel expresso, *perfecta*, & *absolutissima*. Sic enim vocatur in Concilio Vasensi II. C. 2. ubi de morientibus in statu pœnitentiæ dicitur: *Quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.* Aut ea reconciliatio potest intelligi cum Ecclesia per admissionem ad societatem fidelium in officio divino, & participationem Eucharistiæ. Sic eum terminum sumit author Sermonis in Cœna Domini, qui tribuitur D. Cypriano, dum ait: *Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, & exclusi à Cœtu Sanctorum ad Communionem qua caruerant revertuntur.*

Ad 8. dico, etiam per absolutionem indulgentialem; imo per ipsa opera pœnitentiæ proprie loquendo obtineri à Deo *veniam peccatorum*, *indulgentiam peccatorum*, prout infra demonstrabitur: quod per opera satisfactoria extinguantur *æterni ignes*, occurrit tantum in unico unius Patris textu; ideo, cum facile sit, in tam vasta, ac generali omnes attingente materia enumerari fructus non solum generales, sed etiam particulares, respectivos unius vel alterius audientium, qui aut in prima absolutione ob indispositionem animi non susceperunt fructum fructuose, aut post absolutionem in novam pravam peccandi licentiam relapsi sunt, sic ille textus intelligi potest, quod

tam

tam multiplex sit pœnitentiæ fructus, ut aliquando etiam nondum vere conversis impetret conversionis gratiam, sicque illos ab igne æterno liberet: si hoc non placet, explicari potest ille modus loquendi, quod pœnitentia præservando à relapsu, & exscindendo peccatorum radices ignes æternos extinguat, sicut recte dicitur bellorum facem extinguere, qui tollit bellorum causam. Quod attinet *gratiam Dei*, quam pœnitentia impetrat, aut illud intelligi potest de nondum justificatis, attamen per pœnitentiæ exercitationem pertingentibus ad conversionis gratiam, aut de gratia Dei late dicta, prout comprehendit omne genus divinorum beneficiorum, in quo sensu nemo non conatur impetrare gratiam Dei. Itaque ingens foret deceptio, si quis, dum Patres pœnitentiæ & satisfactionis operibus adscribunt effectum aliquem, existimaret illum debere reperiri in omni pœnitentia. Dum enim Patres commendant pœnitentiam ab effectibus, Deoque pro iis largiendis supplicant, enumerant omnes effectus, & effectus omnis pœnitentiæ, inter quos necesse est alios reperiri essentiales, alios accidentales, alios generales, alios respectivos ad certum genus pœnitentium, prout infra ex Patrum textibus magis innotescet.

Ad 9. *dico*, haud dubie non agi de levi cæremonia, dum agitur de reconciliatione in mortis articulo concedenda vel deneganda. Non enim consistit, ut Morinus interpretatur, in nuda cæremonia, qua moriens reconciliatur Ecclesiæ, sed in *absolutione indulgentiali*: qua moriens absolvitur à pœnis justitiæ divinæ pendendis, in quantum ad ingens hoc beneficium dispositus est præparatione animi seria, satisfaciendi congrue propriis viribus, si has restituere placuerit Deo. *Cælestinus I.* non asserit, eos à salute æterna excludi, qui in articulo mortis non obtinent reconciliationem, sed qui non admittuntur ad actionem pœnitentiæ, quæ duo valde diversa sunt, prout jam supra ex D. Augustino annotavimus, dum testatur, in articulo gravis periculi vitæ alios *reconciliationem* petere, alios *actionem pœnitentiæ*. Verba Cœlestini I. sic habent: „ Agnovimus, „ pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum „ desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc „ animæ suæ remedio cupiunt subveniri. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, „ ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad „ se quovis tempore concurrenti succurrere, & „ periclitantem sub onere peccatorum hominem „ pondere, quo se expediri desiderat, liberare. „ Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, „ ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad „ subveniendum paratissimus invitans ad pœnitentiam sic promittat: Peccator, inquiens, quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non „ imputabuntur ei. Et iterum. Nolo mortem „ peccatoris, sed tantum convertatur & vivat. „ Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis „ tempore speratam pœnitentiam denegarit, & „ desperat de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel in momento „ posse non credidit. Perdidisset latro præmium „ in cruce, si illum unius horæ pœnitentia non „ juvisset. Vera ergo conversio ad Deum in „ ultimis positorum mente est potius æstimanda, „ quam tempore, Propheta hoc taliter asserente: „ Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. „ Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti." Ex his verbis manifestum est, hic agi de *actione pœnitentiæ*, & quidem justificativa ad salutem, non de *reconciliatione* controversa.

Ad 10. *dico*, remissionem peccatorum post baptismum non propterea esse difficiliorem, quod ante absolutionem sacramentalem debeant præcedere opera pœnitentialia difficiliora, sed quia post absolutionem a reatu culpæ non potest deleri reatus pœnæ sine severa pœnitentia. Ita manifeste docet Tridentinum, dum necessitatem satisfactionis sacramentalis probans asserit, hanc pœnitentiam esse laboriosum baptismum, non obstante, quod absolutio sacramentalis statim ponatur post confessionem.

Ad 11. *concedo*, hoc loco per *ultimum ac necessarium viaticum* intelligi absolutionem sacramentalem, non *Eucharistiam*, aut *reconciliationem absolutissimam*, seu *indulgentialem*. Attamen nego, hic sermonem esse tantum de pœnitentibus jam admissis ad *actionem pœnitentiæ*: Sermo enim est etiam de iis, qui distulerunt petere *actionem pœnitentiæ* usque ad mortem. Ita explicat & probat Christianus Lupus in hunc Canonem. Cum igitur hi nondum accepissent absolutionem sacramentalem, decernit Concilium eos esse absolvendos sacramentaliter; utrum vero tales ad communionum mysteriorum recipiendi sint, relinquit judicio cujusvis Episcopi. De aliis vero, qui ante articulum mortis jam egerunt pœnitentiam, & in articulo mortis rursum ac de novo accipiunt cum absolutione sacramentali communionem mysteriorum, decernit, ut recuperata sanitate in gradum Consistentium referantur. Hunc esse sensum Canonis Nicæni, patebit, Græcum textum & testimonia Scriptorum coævorum attentius perpendenti. Textus sic habet: *De morientibus vetus & universalis lex* (παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος) *servetur nunc quoque, ut si quis in mortis articulo fuerit constitutus, ultimo & necessario viatico* (τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου) *ne privetur. Si autem desperata jam vita rursus communionis particeps fiat, ac dein rursus sanitati restituatur* (εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς, καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ) *cum iis tantum, qui precum participes sunt, esto. Universim autem, quiscunque in articulo mortis constitutus participationem Eucharistiæ petierit, Episcopus si ita illi videbitur, illam tribuat.* Jam hic sensus Canonis adeo non probat, absolutionem sacramentalem non fuisse impensam in receptione pœnitentiæ, ut hoc non obscure supponat. Dum enim absolutionem sacramentalem vocat *ultimum* viaticum, supponit utique præcessisse aliud similis conditionis *non ultimum*. Et dum asserit, tales infirmos *rursus* communionis in articulo mortis participes factos, supponit eos jam prius aliquando & communione adeoque & absolutione, si pœnitentes erant, donatos esse. Itaque longe verius, pœnitentes toties sacramentaliter absolutos esse, quoties ad manus impositionem recurrerunt, quod du-

rante statu pœnitentiæ factum sæpissime. Addo, ex hoc ipso textu iterum consequi, formulam illam *absolutissimæ reconciliationis*, qua Episcopus reconciliabat pœnitentes in Cœna Domini etiam in ordine ad participandam Eucharistiam, fuisse integre verificatam, etiamsi reconciliandus jam fuerit absolutus sacramentaliter. Nam tales absoluti in articulo mortis recuperata sanitate debuerunt redire in ordinem Consistentium, adeoque de novo reconciliari per Episcopum, juxta *Concilium Carthag. IV.* Can. 78. *Pœnitentes, qui, in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos* (à reatu pœnæ) *sine manus impositione, si supervixerint.* Et *Concilium Arausicanum I. C. 3. Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* Idem Canon repetitur in Capitularibus lib. 7. c. 101.

Addo, licet *Concilium Vasense II.* C. 2. & *Concilium Arelatense II.* C. 28. *viaticum* apponant *absolutissimæ reconciliationi*, qua tribuebatur etiam participatio Eucharistiæ, ex quo proin videtur colligi per viaticum intelligendam esse absolutionem sacramentalem, id tamen in hoc Canone non est certum; maxime cum etiam antiquitus frequenter per viaticum intelligatur participatio Eucharistiæ, & hic ipse textus de viatico Eucharistiæ commode posset explicari, dicendo, quod morientibus concessa fuerit communio Eucharistiæ, attamen sine manus impositione reconciliatoria, qua absolvebatur pœnitens à reatu pœnæ; prout habetur in Concilio Arausicano I. C. 3. ubi dicitur: Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

Quocunque vero modo hoc *viaticum* explicetur, neutiquam probat, pœnitentes morientes hoc viatico provisos nunquam antea in susceptione pœnitentiæ absolutionem sacramentalem recepisse.

Ad 12. *Dico*, S. Leonem eo loco loqui de *reatu pœnæ*, qui solvi non potest, nisi reconciliatione indulgentiali post constitutam & expletam pœnitentiam: in hoc ipso enim loco exacte distinguit beneficium datæ & acceptæ pœnitentiæ à beneficio reconciliationis: per illud dicit reparari spem vitæ æternæ, & ad remissionem criminum perveniri: per istam dicit, satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum admitti, & solvi *peccatorum reatum*, quo termini antiquiores intelligebant obligationem ad pœnam. Hæc termini acceptio perduravit usque ad tempora *D. Thomæ, qui in 4. Sent. Dist. 42. quæst. 1. art. 2. in* cap. dixit: *Proprie reatus nihil aliud est, quam obligatio ad pœnam.* Et ibidem object. 5. sic ibi objicit. *Infusa gratia manet tamen aliquis reatus, quo homo saltem ad pœnam temporalem obligatur &c.* Hoc ergo in sensu planus ac perspicuus est *S. Leonis textus*, qui sic habet: „Quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut proprio judicio se condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic Divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Christus enim hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos per januam reconciliationis admitterent. Si autem aliquis eorum, pro quibus (durante statu pœnitentiæ) Domino supplicamus, à munere præsentis indulgentiæ exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniret, vitam finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. (Hoc) nemo non metuat: multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui in periculi instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrimas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiam credamus ex Dei inspiratione conceptam. Unde oportet, ne (Christianus) converti differat, nec satisfactionis tempus in vitæ fine constituat, & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Verum & talium ut dixi, necessitati subveniendum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec Communionis gratia denegetur. Si vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.“

In hoc textu S. Leonis observo 1. quod expresse duo distinguat pœnitentium *præsidia*, duo *beneficia*, non unum præsidium, non unum beneficium, nempe actionem pœnitentiæ, & reconciliationem. 2. Quod expresse asserat, utrumque pertinere ad potestatem Sacerdotalem, & potestatem ad utrumque dependere à speciali institutione Christi. 3. Quod supplicationem Sacerdotum referat indiscriminatim ad utrumque, & quod supplicationi Sacerdotum, quæ in utroque verbis ferme consimilibus adhibetur, adscribat effectum remissionis peccatorum. 4. Quod remissionem peccati, quatenus *reparat spem vitæ æternæ* magis referat ad actionem pœnitentiæ, & terminum *indulgentiæ per pleniorem satisfactionem* propius referat ad reconciliationem. Itaque hic

textus

textus adeo non opponitur nostræ assertioni, ut illam etiam non parum confirmet.

Objicies 3. Dantur innumeri textus Patrum & Conciliorum, in quibus dicuntur peccata remitti, solvi, lavari, mundari, extingui per Reconciliationem, ergo non erant prius remissa per absolutionem aliquam Sacramentalem in susceptione pœnitentiæ.

Respondeo 1. retorquendo in iis Reconciliationibus, quæ certissime fiebant post absolutionem aliquam Sacramentalem præcedentem v. g. dum moribundi in articulo mortis absoluti debuerunt recuperata sanitate redire in ordinem priorem pœnitentium, prout in variis provinciis observatum est, ut ostensum est in responsione ad Object. 1. aut certe in ordinem consistentium, prout in Romana Ecclesia observatum fuisse supra vidimus. Itaque si in hoc casu non fuit falsa Reconciliationis formula, nec erat periculum falsificationis in aliis casibus, etsi pœnitentes fuerint absoluti Sacramentaliter in receptione pœnitentiæ. Neque inconveniens foret, si diceretur, antiquitus pœnitentes frequenter fuisse absolutos Sacramentaliter, toties nempe, quoties durante statu pœnitentiæ ad impositionem manus Sacerdotalis in gradu Substratorum recurrebant, quod crebro factum esse, supra ex Conciliis & Capitularibus vidimus. Si enim nunc laudabile est, sæpe ab eodem peccato absolvi, cur antiqua Ecclesia hanc purificationis formam neglexerit?

Respondeo 2. Reconciliationem, sive fuerit conjuncta cum iterata absolutione Sacramentali, ita ut simul habuerit vim absolvendi Sacramentaliter, sive non, fine tamen principali habuisse vim *absolutionis indulgentialis*; prout jam pluribus argumentis hinc inde probatum est. Absolutionem autem indulgentialem re vera adhuc solvere ac remittere peccata, quoad reatum pœnæ videlicet, ostendam ex usitatissimo modo loquendi Ecclesiæ, Theologorum, & Patrum.

1. *Ecclesia pro defunctis orans*, in quibus jam præcessit absolutio Sacramentalis saltem à peccatis mortalibus, & solum superest reatus pœnæ, in Officio Missæ pro Defunctis dicit: *Animabus* REMISSIONEM CUNCTORUM *tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.* Et in *Tractu. Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum* AB OMNI VINCULO DELICTORUM, *ut gratia tua succurrente mereantur evadere judicium ultionis, & lucis æternæ beatitudine perfrui.* Et in *Offertorio. Domine, libera animas omnium fidelium defunctorum* DE POENIS INFERNI *& de profundo lacu. Hostias & preces tibi offerimus; suscipe pro animabus quarum memoriam facimus; fac eas* DE MORTE TRANSIRE AD VITAM. Et in *Postcommunione.* Animabus Domine proficiat oratio supplicantium, ut eas & *à peccatis exuas*, & tuæ *redemptionis* facias esse *participes*. „ *In Missa in* „ *die Obitus.* Deus jubeas, ut anima, quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti, *non pœnas inferni sustineat*, sed gaudia æterna possideat. *In* „ *secreta. Propitiare* Domine animæ famuli tui, „ ut per hæc *placationis* officia pervenire mereatur „ ad requiem æternam. Et in *Postcommunione.* „ Præsta quæsumus, ut anima famuli tui, quæ „ hodie de hoc sæculo migravit, his sacrificiis „ *purgata*, & à *peccatis expedita* indulgentiam pariter & requiem capiat sempiternam. Item in alia „ *Secreta.* Munera, quæ tibi pro anima famuli „ tui offerimus, *placatus* intende, ut *remediis purgata cælestibus* in tua pietate requiescat. Et in „ *Postcommunione.* Suscipe preces pro anima famuli tui, ut si quæ ei *maculæ de terrenis contagiis* „ adhæserunt, *remissionis* tuæ misericordia deleantur. Et in Orationibus. Deus per hæc Sacramenta cunctorum *remissionem tribue peccatorum.* „ Præsta, ut animæ fratrum per hujus virtutem „ Sacramenti *à peccatis omnibus expiatæ*, lucis recipiant beatitudinem. Animabus oratio proficiat supplicantium, ut eas *à peccatis* omnibus „ *exuas.* His sacrificiis *purgata* anima famuli tui „ ad indulgentiam pervenire mereatur. Absolve „ animam famuli tui ab omni vinculo delictorum. „ His Sacrificiis anima famuli tui ab omnibus peccatis exuatur, sine quibus à culpa nemo liber „ extitit, ut per hæc placationis officia misericordiam consequatur. Deus miserere animabus patris & matris meæ, eorumque peccata „ dimitte. Deus cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, omnibus hic & ubique in „ Christo quiescentibus *da* propitius *veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti* tecum lætentur. Pro animabus hic & ubique dormientium „ hostiam suscipe, ut hoc sacrificio *vinculis horrendæ mortis exuti vitam mereantur æternam.* Supplices preces effundimus, ut *quidquid* conversatione *contraxerunt* humana, *indulgeas.*" Hæc omnia habentur in officio defunctorum: v. gr. Absolve animam famuli tui, & *quæ* per fragilitatem carnis humana conversatione *commisit*, *venia* pietatis *absterge.* Itaque si in Reconciliatione pœnitentium continentur similes formulæ, non est signum, nullam præcessisse absolutionem sacramentalem, eosque adhuc gravibus peccatis fuisse obstrictos.

Idem est sensus potior Theologorum. *Andreas Vega*, qui interfuit Concilio Tridentino, quando tractabatur de Sacramento pœnitentiæ, expresse testatur, prævaluisse in eo Concilio meliorum Theologorum sententiam, quod Satisfactiones pro ipso peccato præstentur, quamvis jam absoluto. Verba ejus lib. 13. de Justificatione, cap. 36. sic habent: „Quamvis quidam „ Theologi contenderint, ut sicut assertum est à „ Patribus, non fieri satisfactionem pro pœna „ æterna, ita etiam asseveretur, non fieri pro „ culpa, quandoquidem illa jam non erat, & antequam dimittatur, nullum habet locum satisfactio pro ipsa; tamen alii meliores Theologi prævaluerunt, qui sicut Scriptura & Sancti Doctores „ docent, satisfactiones vere & proprie fieri pro „ culpa affirmarunt. Esto enim, per contritionem „ vel absolutionem culpa sit dimissa, neque maneat ad hoc, ut inimicum faciat Deo suum factorem, tamen dimissa non est in totum, sed „ adhuc manet in Imputatione Divina: quia „ Deus eam imputat ad reatum pœnæ temporalis, neque ante illius exsolutionem se videndum „ vult

„ vult lapsis dare, neque ad regnum suum eos „ admittere. Unde & Ecclesia canit ex Machabæorum historia. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Et David, licet sciret sibi adulterii & homicidii culpas dimissas, tamen, quia timebat, illas in conspectu divino adhuc manere, ut imputarentur ad aliquam pœnam, & in se aliquas eorum malas reliquias forte experiebatur, ferventer clamabat: Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et quis potest negare, Sacerdotes imponere pœnas pro peccatis, & jam justificatos aliquas sponte sibi indicere pœnas, & eas Domino offerre, ut dimittat, quæ admiserunt peccata? Quare, si rogentur omnes fideles, quare animæ aliquæ justorum detineantur in Purgatorio, incunctanter respondebunt, eas ibi detineri pro peccatis, quæ in via admiserunt. Et licet verum sit, satisfactiones fieri pro pœna temporali debita pro peccatis eluenda & delenda, tamen multo verius magisque proprium est, eas fieri pro expiandis ad plenum, quæ commisimus, peccatis." Ita Vega.

Si itaque satisfactiones fiunt pro peccatis jam absolutis, etiam absolutio indulgentialis, qualis est Reconciliatio, erit absolutio à peccatis, & remissio peccatorum, quoad reatum videlicet pœnæ, sicque evanescet hæc difficultas ex modo loquendi Patrum.

Qui plures ejusmodi textus Patrum videre cupit, in quibus asseruntur clui, solvi, redimi peccata in justificatis, adeat Locos communes v. g. Coccii & aliorum de Purgatorio, vel satisfactione præstanda post absolutionem. Unicum addo *S. Eligii*, qui pro eodem sumit, expiari peccata, & absolvi, seu relaxari, quamvis per cordis contritionem in momento fiat condonatio veniæ. Hom. 4. habita in Cœna Domini sic habet: „Ad vos sermo, quos nunc Ecclesia reconciliet Deo. Agnoscat unusquisque ex semetipso, si reconcilietur (vere) Deo, quamvis reconciliari ejus Ecclesiæ nostro videatur ministerio. Qui (adhuc) involuti sceleribus fuerint, & per Confessionem ac pœnitentiam nondum condignam satisfactionem egerint, sed adhuc in hac vetustate perdurant, non se à nobis reconciliari posse existiment. --- Neque istis tamen, qui se hucusque pœnitentiam agere simulaverint potius, quam vere egerint, de Dei misericordia desperandum esse dicimus, si hodie etiam ad ipsum saltem ex toto corde convertantur, apud quem nullas patitur (veniæ) moras vera conversio. Multiplex misericordia Dei ad expiationem criminum multiplices fructus pœnitentiæ nobis contulit. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, de quo Apostolus: Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra: sed etiam fit absolutio peccatorum per charitatis affectum, per eleemosynarum fructum, per profusionem lachrymarum, per confessionem criminum, per cordis & corporis afflictionem, præcipueque per morum emendationem; interdum etiam per Sanctorum intercessionem, per remissionem quoque nostram, qua peccantibus in nos dimittimus, quibus omnibus modis aboleri posse peccata, testis est Scriptura. -- Oportet igitur ad pœnitentiam per hæc & similia accedere, & credere, pœnitentia, istisque modis relaxari posse peccata." Hæc omnia S. Eligii remedia intelligenda esse de reatu pœnæ post obtentam sine mora veniam manifestum est. Cæterum quod antiquitus multi distulerint confessionem usque ad articulum mortis, id proveniebat, quia aliqui crediderunt, confessionem externam solum esse necessariam necessitate præcepti; justificationem autem obtineri per confessionem internam cum solo proposito, suo tempore, saltem dum ultimo urget præceptum, nempe in articulo mortis, adimplendi hoc præceptum; qua ratione etiam plurimi differebant baptismum usque ad mortem; & multi etiamnum usque ad mortem differunt restitutionem bonorum alienorum, impletionem votorum, & alias obligationes. Alii differebant ob diffidentiam de sua infirmitate ac emendatione. Relinquebatur id cujusvis conscientiæ, & Patres saltem adhortabantur ad celerem conversionem internam, imo etiam non raro ad confessionem externam, pront faciebant circa obligationem suscipiendi baptismi.

QUÆSTIUNCULÆ.

QUÆRITUR I. Quænam absolutionis verba spectent ad ejus essentiam?

RESPONDEO. Hæc omnia & sola: *Absolvo te.* PROBATUR. Circa formam dependentem à determinatione Ecclesiæ illa verba censenda sunt essentialia, ad quæ restringitur intentio Ecclesiæ conferendi Sacramentum. Sed hæc forma dependet à determinatione Ecclesiæ, prout ostensum est Disp. 2. q. 3. & Disp. 4. q. 2. atque ad hæc omnia & sola restringitur intentio Ecclesiæ. Ergo. *Min.* q. 2. m. *prob.* In rebus dependentibus à determinatione arbitraria Ecclesiæ ad illa restringitur intentio Ecclesiæ, ad quæ eam restringi censet eminenter communior ac potior sensus Doctorum. Sed. Ergo. *Maj. patet;* quia in arbitrariis communior Doctorum aut præsupponit, aut ponit mentem Ecclesiæ. *Min. prob.* Ita enim docent S. Thomas, S. Antoninus, Catechismus Romanus, & fatente *La Croix*, qui h. l. 6. p. 2. n. 633. tenet contrarium, *authores plerique.*

QUÆRITUR 2. Quænam verba absolutionis sint necessaria necessitate præcepti rigorosi?

RESPONDEO I. Necessitate præcepti rigorosi, à quo in nullo unquam casu dispensare liceat, necessaria sunt ista verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

PROBATUR. Omnia hæc verba ex una parte sunt præscripta in omnibus Ritualibus; ex altera vero parte, singula habent grave motivum specialis expressionis, quod in nullo casu cessat. Ergo. *Ant. prob.* ab enumeratione. Nam to *Ego*, licet tacitè involvatur in to *absolvo*, meretur tamen expressionem, ut fiat expressa oppositio inter absolutionem à culpa, quæ petitur à Deo per formulam deprecatoriam præcedentem & per ea verba: *In nomine &c.* adscribitur immediatè

diatè soli Deo; & inter remissionem satisfactionis rigorosæ, quæ adscribitur immediatè Sacerdoti. 2. *te*, *ac tuis*, licet possent subintelligi, & tacitè insinuentur ex circumstantiis, merentur tamen apertè exprimi, ac præcipi severè, ut sententia judicialis evadat tam clara ac determinata, quam salva verborum brevitate fieri potest. 3. *à peccatis*, licet & hoc ex circumstantia absolutè intelligi posset, meretur tamen exprimi & præcipi, quia interest, ut sententia in foro interno non sit perspicuitate ac determinatione sensus inferior sententia judiciali in foro externo; si ergo in foro externo non toleratur sententia, suum sensum tantum repetens ex circumstantiis, & non potius ex perspicuitate verborum, nec illud in sententia sacramentali tolerandum est.

Respondeo 2. Verba immediatè absolutionem authoritativam præcedentia: *Dominus N. J. C. te absolvat, & authoritate illius &c.* etiam sunt necessaria necessitate præcepti rigorosi.

Probatur. Hæc verba quoad substantiam semper usitata fuerunt à principio Ecclesiæ, prout patet ex dictis q. 2. ex altera parte verò postulat gravissima ratio, ut omnes intelligant; remissionem culpæ immediatè fieri à solo Deo; nec immediatum sensum verborum absolutionis authoritativæ referri ad remissionem culpæ, prout ostensum est, q. 1. ac denique, ut intelligatur, cujus authoritate Sacerdos absolvat à rigorosa obligatione satisfaciendi. Ergo. Verùm hæc omnia sunt tantum congruentia præcepti: præceptum autem fundatur in voluntate Ecclesiæ, quæ exprimitur in Ritualium consensu.

Quæritur 3. An aliquando gravioribus quibusdam sceleribus absolutio fuerit denegata?

Respondeo 1. Probabilius nulli unquam verè pœnitenti in Ecclesia Romana fuit denegata absolutio Sacramentalis; fuit tamen nonnullis denegata absolutio Indulgentialis.

Probatur. Omnes verè pœnitentes fuerunt recepti in ordinem pœnitentium. Ergo fuerunt etiam sacramentaliter absoluti. *c. patet* ex q. 3.

Respondeo 2. Attamen nonnulli, de quorum feria pœnitentia non habebatur prudens spes, non recipiebantur de novo ad Ecclesiam, & in ordinem pœnitentium. Ita colligitur ex *Hermeto* relato Disp. 2. q. 1.

Responsio prima probatur 1. ab exemplo incæstuosi, quem D. Paulus 2. Cor. 2. recepit in communionem. 2. In *Constitutionibus Apostolicis* l. c. 12. dicitur Episcopo: *Pœnitentes recipe*; & c. 23. *Nullum majus peccatum quam idolorum cultus: tamen per veram pœnitentiam remissum est.*

Objicitur 1. *Tertullianus de pudicitia* c. 5. ubi Romanum Pontificem redarguit, quod idololatriam & homicidium excludat à venia; adulterium verò venia donet. *Quid agis*, inquit, *mollissima & humanissima disciplina? Idololatram & homicidam semel damnas, mœchum verò excipis. Planè, si ostendas de patrociniis exemplorum, ac præceptorum cælestium, soli mæchiæ & in ea fornicationi quoque januam pœnitentiæ expandas.* Et c. 5. *Neque idololatriæ, neque sanguini pax ab Ecclesia redditur.* Respondetur ad hos & similes textus, ibi tantum sermonem esse de absolutione Indulgentiali. Eodem modo explicandi sunt Canones 1. 2. 12. 66. 71. 73. Concilii Illiberitani, ubi certorum criminum reis etiam *in fine* negatur Communio. Hoc enim intelligendum est de absolutione Indulgentiali, qua absolvebantur ab ulteriori onere satisfaciendi satisfactione Ecclesiastica per Confessarium imposita, & restituebantur Eucharistiæ. Ipsa namque impositio pœnitentiæ, & receptio in ordinem pœnitentium erat actus judicialis à Christo institutus, adeoque sacramentalis, prout quæst. 1. ostensum est. Quod verò etiam Idololatræ & homicidæ ab ipsismet Novatianis, qui eum rigorem sumebant in occasionem sui schismatis, recepti fuerint in ordinem pœnitentium, constat ex D. Ambrosio l. de pœnit. ubi dicit: *eos adstringere ad laborem pœnitentiæ, & mercedem denegare.*

Quæritur 4. An in veteri Ecclesia post peractam semel publicam ac solennem pœnitentiam relapsi admissi denuò fuerint ad absolutionem, & solennem pœnitentiam?

Respondeo 1. Solennis pœnitentia, & absolutio Indulgentialis tantum fuit concessa semel in vita.

Respondeo 2. Pœnitentia tamen privata & absolutio Sacramentalis semper fuit concessa. Hæc *secunda Responsio* probatur ex *D. Chrysostomo*, qui Hom. 50. in Psal. dicit: *Peccasti? pœnitentiam age. Millies peccasti? millies pœnitentiam age. Hæc pharmaca indesinenter applico, & tumorem comprimo.* Hinc etiam articulus septimus accusationis contra ipsum erat, quod consuetudinarios nimis frequenter absolveret, prout Disp. 2. q. 1. *object.* 3. ostensum est. Idem colligitur ex textibus D. Ambrosii, & D. Augustini, quorum ille ab iteratione tantum excipit *pœnitentiam publicam*, hic verò tantum *humillimam*.

Probatur itaque *Responsio prima.* 1. *Tertullianus* de Pœnit. c. 5. dicit: *Collocavit* (Deus) *in vestibulo* (cœli) *pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel; quia non secundò; sed amplius nunquam; quia proximè frustra.* 2. *Clemens Alexandrinus* l. 2. Strom. *Qui fide suscepta in peccatum incidit, unam adhuc pœnitentiam alterius pœnitentiæ nesciam accipiat.* 3. *D. Ambrosius* l. 2. de Pœnit. c. 10. dicit: *Sicut unum baptisma; ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani debet nos pœnitere delicti. Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* 4. *D. Augustin.* Epist. 54. *In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam similia vel graviora committant. Et tamen, quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.* — *Caute salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ut non medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit.* 5. *Macedonius* Africæ Præses hoc usus est argumento contra Episcopos, ne tam facilè pro reis ultimo supplicio afficiendis intercederent. *Si à Domino*, inquit, *peccata adeo prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam pœnitentiam tribuatur, quomodo nos possumus religione contendere, ut illud crimen dimittatur?*

QUÆRITUR 5. Utrum absolutio antiquitus data fuerit absentibus?

RESPONDEO negativè; quia hujus observantiæ veteris non possunt proferri testes idonei. NEC OBSTANT, quæ in oppositum *Morinus* adducit, ejusmodi absolutionum exempla: RESPONDERI enim potest; in omnibus illis exemplis absenti collatam fuisse absolutionem *Indulgentialem* non *Sacramentalem*. PRIMUM est de *Serapione*, qui teste *Dionysio Alexandrino* apud Euseb. l. 6. c. 36. immolaverat idolis, ac pœnitens *sæpe in Ecclesia denuo recipi supplex postulabat. Nemo tamen ejus postulatum auscultavit. Dein morbo correptus nepoti præcepit ut aliquem ex Presbyteris ad se advocaret.* Verùm, cum Presbyter esset impeditus, puerum remisit cum Eucharistia ægro porrigendo. Hoc, inquam, exemplum nil probat; quia ex hoc ipso testimonio constat; Serapionem jam in ordinem pœnitentium fuisse receptum, adeoque sacramentaliter absolutum, licet ad Ecclesiam, seu communionem fidelium nondum fuerit receptus. Hinc & *Dionysius* l. cc. dicit; per eam porrectionem Eucharistiæ Serapionem id obtinuisse, *ut esset culpæ vinculis* PENITUS *solutus, & labes peccati* OMNINO *deleretur.* SECUNDUM exemplum habetur anno 812. ex Concilio *Duziacensi*, quod Episcopum Cænomanensem hac forma absolvit. *Per authoritatis potestatem, quam Christus donavit Apostolis, dicens: Accipite Spiritum Sanctum &c. dimittat tibi omnia peccata tua &c.* Hæc enim forma, de se indifferens ad Sacramentalem absolutionem, & Indulgentialem, determinatur ad Indulgentialem ex circumstantiis. Nam Episcopus nec misit ad Concilium confessionem distinctam; nec aliud petiit, quam relaxationem pœnæ, & precum subsidium ad obtinendam gratiam finalem, ne damnetur. Sic enim ejus petitio sonat: *Potestate cælitus vobis collata vincula meorum peccatorum enodetis, & precum vestrarum studiis commissa mea pietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara.* Nec scrupulum movcat; quod Concilium se referat ad potestatem remittendi peccata à Christo collatam, quia etiam absolutio Indulgentialis est vera absolutio à reatu pœnæ, prout dicetur in Disp. *de Indulgentiis.* TERTIUM Exemplum habetur in *Episcopo Lincolniensi* in Anglia, & in *S. Thoma Cantuariensi*, qui ambo fuerunt absoluti per Epistolam; ille quidem à *Gregorio VII.* hic verò ab Alexandro III. Hæ enim absolutiones tantum erant à censura excommunicationis, si quam incurrissent, & Indulgentiales. Id colligitur ex eo; quia Gregorius VII. consimilem absolutionem indulsit omnibus aulicis Alphonsi Hispaniæ regis, licet nec confessis; & ex eo, quia Alexander III. S. Thomam pro absolutione Sacramentali remittit ad Presbyterum. Absolutio Gregorii VII. ad Alphonsum regem l. 8. Ep. 2. erat ista: *Omnipotens Deus authoritate B. Apostolorum Petri & Pauli vobis commissa te tuosque fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis. Alexander vero III.* D. Thomæ sic scribit: *Si aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti tibi confidimus per pœnitentiam confiteri.* Accedit, quod Alexander III. utatur ipsissima illa absolutionis forma, qua etiamnum Pontifices Romani utuntur in Bullis Indulgentialibus. Sic enim habet: *Nos de Petri & Pauli meritis confidentes te ab eo, quod commissum est, absolvimus, & idipsum fraternitati tuæ authoritate apostolica relaxamus.* Similis erat forma Gregorii VII. ad Episcopum Lincolniensem l. 1. Ep. 34.

QUÆRITUR 5. An absolutio absenti licitè conferri possit in casu necessitatis ob probabilitatem sententiæ?

RESPONDEO negativè. Ratio est 1. quia si sententia opposita esset probabilis, fuisset aliquando deducta in praxin. Sed hoc non potest dici; quia nullum reperire est exemplum 2. Clemens VIII. declaravit, hanc sententiam non esse probabilem. Sic enim habet Decretum editum anno 1602. die 20. Junii. *Proposita quæstione, utrum liceat per Litteras seu Internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; SS. Dominus hanc propositionem ad minus uti falsam, temerariam & scandalosam condemnavit ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur. Quodsi quis illam defenderit, vel ad praxin deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.*

QUÆRITUR 7. An talis absolutio absenti collata non tantum sit illicita, sed etiam invalida?

RESPONDEO. Eam etiam esse invalidam. Ratio est; quia si foret valida, eam Clemens VIII. non prohibuisset pro omni casu, etiam extremæ necessitatis.

QUÆRITUR 8. An hæc absolutio absentis sit licita aut valida saltem in casu, quo confessio facta est præsenti?

RESPONDEO. Eam esse illicitam ac invalidam etiam in hoc casu. Ratio est, quia Paulus V. eam expositionem, qua Suarez Decretum Clementis VIII. exposuit in sensu copulativo, damnavit in Decreto, quod sic habet: *Die 14. Julii anno 1605. proposita causa P. Francisci Suarez Jesuitæ, & consideratis his, quæ scripsit tomo 4. in 3. p. D. Thomæ Sect. 4. Disp. 21. interpretando Decretum Clementis VIII. Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris.*

QUÆRITUR 9. An talis absolutio sit nulla jure divino? an verò tantum jure Ecclesiastico?

RESPONDEO. Esse nullam jure divino, accedente tamen determinatione Ecclesiæ. Ratio est, quia hic modus absolutionis & confessionis videtur pertinere ad speciem infimam materiæ & formæ, cujus determinatio relinquitur Ecclesiæ. Ea tamen determinatio Ecclesiæ non est recens, sed vetus, ac Apostolica; quia, nisi esset Traditionis Apostolicæ, fuisset aliquando variatum in Ecclesia.

QUÆRITUR 10. An aliquando iis fuerit denegata absolutio in articulo mortis, qui pœnitentiam usque in mortem distulerunt?

RESPONDEO. Non fuit denegata. PROBATUR ex dictis ad quæstiunculam 3. & CONFIRMA-

FIRMATUR ex illo *D. Cypriani*, seu quisquis est author Sermonis *de Cœna Domini*. *Nec quantitas criminis, nec boræ extremitas excludit à venia.*

OBJICITUR 1. *D. Cyprianus* in Epist. ad Antonianum scribit: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes probibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari.* 2. Concilium *Arelatense* celebratum anno 314. Canone 22. dicit: *De his, qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, necquidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* 3. *Innocentius I. Exuperio* Tolosano Episcopo interroganti: *Quid de his observare oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt?* Respondet in Epist. c. 2. *De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.*

RESPONDEO. Ex his ipsis textibus ostendi, quod non fuerit denegata absolutio Sacramentalis, sed tantum Indulgentialis. Hic enim apud Cyprianum sermo est de iis, qui jam recepti fuerunt in ordinem Pœnitentium, adeoque jam Sacramentaliter absoluti, tepidè tamen se exhibuerunt in operibus pœnitentiæ. Quibus proin absolutio Indulgentialis etiam in articulo mortis fuit denegata. De iisdem sermo est in Concilio *Arelatensi*, aut certè de differentibus pœnitentiam in articulum mortis, quibus non denegat actionem pœnitentiæ & absolutionem Sacramentalem, sed tantum communionem, seu absolutionem Indulgentialem. *Innocentius I.* verò loquitur de differentibus pœnitentiam in articulum mortis, quos testatur semper esse receptos in ordinem pœnitentium, adeoque sacramentaliter absolutos; licet antiquitus, hoc est, tribus prioribus sæculis, absolutio Indulgentialis cum admissione ad Eucharistiam seu communionem communicantium iis indulta non sit.

QUÆRITUR 11. Quo tempore illa *bumanior Disciplina* absolutionem indulgentialem conferendi omnibus morientibus invaluerit?

RESPONDEO. In Orientali Ecclesia viguit semper. In Occidentali introducta est Sæculo tertio quoad mœchiam, & post Concilium Nicænum expansa est ad omne genus criminum. Ratio est, quia Concilium *Nicænum* Can. 13. eam Disciplinam vocat jam *antiquam legem*. De Occidentali verò Ecclesia ex *Tertulliano* constat, quod Romanus Pontifex mœchos communione donare cœperit; qua privavit homicidas & idololatras.

QUÆRITUR 12. An iis antiquitus fuerit indulta absolutio, qui postularunt advocari Presbyterum, sed linguæ usu repente destituti confiteri non poterant?

RESPONDEO affirmativè. PROBATUR 1. ex Concilio *Carthaginensi IV.* ubi Can. 76. sic habetur: *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

PROBATUR 2. ex *S. Leone*, qui Epist. 91. scribit: *Etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

QUÆRITUR 13. An sub conditione absolvendi sint, qui moriuntur ex actu criminoso, v. g. duello, rixa, ebrietate, adulterio &c. nullo edito externo doloris ad confessionem ordinato signo?

RESPONDEO. Non sunt absolvendi etiam conditionatè. *Ratio* est 1. quia Sacramentum ne quidem sub conditione conferendum est, ubi ne quidem probabiliter habetur materia sufficiens, aut materia prudenter dubia. Sed hoc fit in præsenti; quia non est probabile, à tali homine haberi dolorem sufficientem ad Sacramentum; cum inter centum aut mille ejusmodi morientes vix unus verosimiliter debitè de peccatis doleat. 2. Praxis absolvendi ejusmodi homines fuit incognita Ecclesiæ usque ad Sæculum XVII. ergo nec est conformis intentioni Christi, nec ordinatæ charitati, nec legibus prudentiæ. 3. *Parisiensis Facultas* teste Juenin damnavit hanc propositionem *Amadæi Quimenii*. *Si quis forte ita actualiter peccando subito destituatur sensibus, ut non possit humanitus loqui alteri; respondeo, tunc non esse præsumendum attritum; atque adeo nec absolvendum docent communiter. Sed ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem; quia rarissimè evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem.* 4. *Tridentinum* Sess. 25. c. 19. excommunicat Duellantes, eosque privat Ecclesiastica sepultura, *si in ipso conflictu decesserint.* Ergo non vult, tales absolvi pro foro interno sine positivo signo retractationis; quia si præsumeret attritum, aut de hoc dubitaret, non haberet pro contumace in ordine ad excommunicationem. 5. Talis absolutio ex una parte in æstimatione morali hominum habet speciem profanationis Sacramenti, & projectionis margaritarum ante porcos; ex altera parte non habet finem. Vel enim moriens elicit amorem Dei perfectum in articulo mortis, vel non? si primum: justificatur cum voto Sacramenti. Si non: damnatur etiam cum Sacramento.

QUÆRITUR 14. An peccatores notorii ac publici, v. g. usurarii, apostatæ, hæretici, concubinarii, absolvendi sint sub conditione, si in articulo mortis obmutescant nullo edito externo signo doloris?

RESPONDEO. Neque hos esse absolvendos sub conditione, nisi Sacerdos reperiat probabile motivum dubitandi de actuali dolore per signum externum actuale ordinato ad confessionem, hoc est,

est, si ipsi consideratis circumstantiis moraliter certum sit, non dari in moriente sufficientem dispositionem. Ratio est; quia Sacramentum ne quidem sub conditione conferendum est, ubi ne quidem habetur materia aut dispositio saltem dubia dubio prudenti. 2. quia ea praxis est Ecclesiæ incognita usque ad Sæculum 17. cum Concilia superius relata tantum velint eos absolvi, qui prius vocarunt Sacerdotem. Nec obstat textus *D. Augustini* l. 1. *de adulterinis conjugiis*, ubi loquens de Catechumeno, qui impiè in Catechumenatu vixerat, dicit eum in articulo mortis baptizandum esse, licet obmutuerit; idemque in reconciliandis pœnitentibus observandum esse.

Respondeo enim 1. Discrimen esse inter baptismum vel reconciliationem, & inter absolutionem sacramentalem. Ad baptismum enim, & ad reconciliationem per absolutionem indulgentialem sufficit dispositio removens prohibens cum *intentione habituali* suscipiendi baptismum vel reconciliationem seu Eucharistiam. Econtra ad absolutionem sacramentalem requiritur *actualis vel virtualis* dolor signo externo expressus in ordine ad Sacramentum, eique moraliter præsens. Circa habitualem autem intentionem & dispositionem præcise removentem prohibens facilius potest haberi prudens conjectura aut dubium, quam circa intentionem actualem vel virtualem præfatam. ubi moraliter certum est, eam non dari. 2. *D. Augustinus* loquitur de Catechumeno, aut constituto actualiter in ordine pœnitentium, de quo dubitari potest, an voluerit perseverare in peccatis usque ad præfinitum tempus reconciliationi, ita ut potuerit habere animum pœnitendi ante mortem. Econtra in nostro casu ponitur; Sacerdoti consideratis circumstantiis moraliter certum esse, morientem non habere requisita ad fructum Sacramenti. 3. *D. Augustinus* videtur loqui de moriente, qui actu Sacerdoti præbet indicia doloris interni, quamvis non possit eum dolorem verbis exprimere. Si enim D. Augustinus hoc non supponeret, frustra eam pœnitentiam internam requireret per modum conditionis ad conferendum baptismum, aut reconciliationem. Sic enim scribit: *Ego non solum alios Catechumenos* (non vitiosos), *verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, si desperati, &* INTRA SE POENITENTES *jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit; utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte* POENITENTEM *finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* 4. Ultima D. Augustini verba referenda sunt non ad *quæstionem incidentem* de Catechumenis implicatis adulterino conjugio, *immediatè præcedentem*; sed ad *quæstionem principalem*, superius positam c. 26. ubi examinaverat, an CATECHUMENI in morbo obmutescentes sint baptizandi, nisi prius Sacerdotem vocarint. Et in ea quæstione principali testatur; alios fuisse contrariæ sententiæ, nec eorum praxin esse improbandam. *Non tamen*, inquit, *damnare debemus eos, qui timidius agunt* (non baptizando) *quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conservo credita improbius, quam cautius judicare voluisse judicemur. In talibus respiciendum est illud Apostoli: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Sunt enim, qui in his vel in aliis observandum putant, quod dixisse Dominum legimus: Nolite sanctum dare canibus &c.*

Quæritur 15. An vita christiane acta sufficiat, ut morienti destituto usu sensuum possit conferri absolutio saltem conditionata?

Respondeo 1. Sola vita christianè acta non sufficit, sed debet haberi signum doloris interni externum saltem dubium seu æquivocum, ordinatum ad absolutionem Sacramentalem. Signum autem dubium posset esse v. g. apertio oculorum, vehementior anhelitus, motio manuum, compressio manuum, apertio oris &c. ad acclamationem, vel allocutionem Sacerdotis.

Probatur 1. Certum est, *quasi partem hujus Sacramenti esse confessionem, & dolorem* signo externo expressum, ordinatum ad absolutionem, & moraliter præsentem cum forma Sacramenti. Sed talis confessio & dolor non habetur, nisi habeatur signum saltem dubium accusationis internæ, & doloris.

Probatur 2. Antiqua Concilia, & Ritualia tantum dicunt, absolvendos esse eos, qui petierunt Sacerdotem; Ergo si nullum datur signum saltem dubium ejusmodi desiderii, ita ut moraliter certum sit, ægrum nullo teneri sensu, nec ullum ordinare signum ad manifestandum desiderium Sacramenti, eoipso erit incapax Sacramenti.

Probatur 3. Facultas Theologica Parisiensis teste *P. Juenin* rejecit hanc propositionem Amadæi Quimenii: *Infirmus, qui amisit loquelam vel usum rationis, si bene vivebat ut bonus & fidelis, & frequentabat confessionem & communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus; & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato.* Censura erat hæc: *Doctrina hujus propositionis universim & absolutè sumpta est in praxi periculosa.* Hinc & *P. Juenin* fatetur; sibi à *Pirotio*, Censore regio, inhibitam esse publicationem oppositæ sententiæ, quam in suo Manuscripto statuerat. Cæterum Opus *Amadæi Quimenii* non solum fuit examinatum & reprobatum Parisiis à triginta Doctoribus, sed etiam fuit condemnatum Romæ tribus vicibus, videlicet anno 1666. à S. Congregatione Indicis; anno 1675. à S. Officio, & anno 1680. 16. Sept. ab Innocentio XI. per speciale Decretum, quod legi potest in *Historia Probabilismi* P. Concina Dissert. 1. c. 4. n. 5. ut proin mirum sit, ipsum opus, quod prius sub larvato titulo Amadæi Quimenii prodierat, post tot prohibitiones, addito vero authoris nomine, nempe P. Moya S. J. denuo recusum sit Coloniæ anno 1701. cum facultate P. Provincialis.

Objicitur vero 1. c. *si presbyter*, ubi dicitur: *Si quis Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum.* 2. D. Augustinus supra

ſupra relatus docet; etiam catechumenum aut pœnitentem etiam impium in tali caſu baptizandum, aut reconciliandum. Ergo multo magis id aſſerendum de eo, qui Chriſtiane vixerat. 3. SACERDOTALE ROMANUM editum Venetiis anno 1560. dicit: *Infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, puta quia phreneticus; vel non? In primo caſu, ſi bene vivebat, ut bonus fidelis & frequentabat confeſſionem & communionem & hujusmodi, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato.* 4. Ut narrant Scriptores; *Cum quidam ex fabrica D. Petri præceps ruiſſet, & illum Clemens VIII. cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit dicens: Si es capax, abſolvo te à peccatis tuis.* 5. In Statutis Synodalibus LEMOVICENSIBUS, editis anno 1619. C. 21. habetur: *Poterit idem applicari remedium* (reconciliationis) *ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito, cum violentia morbi judicatur derepente & ex improviſo præventus & oppreſſus, & Chriſtiane vixit; ſerrique poteſt judicium ex actionibus vitæ & moribus, eum libenter Sacramentum Pœnitentiæ petiturum fore, ſi tempus & morbi violentia permiſiſſent.* 6. Eſt probabilis ſententia Scotiſtarum, Confeſſionem & contritionem non eſſe partem Sacramenti. Ergo in caſu neceſſitatis licet ſe conformare huic ſententiæ probabili.

RESPONDEO *ad* 1. ibi ſermonem eſſe de pœnitente, qui petiit Sacramentum. *Abnegare* enim eſt terminus relativus ad præcedentem petitionem.

Ad 2. jam fuit reſponſum.

Ad 3. nego, illud Sacerdotale eſſe editum aut approbatum ab ullo Romano Pontifice. Editum enim eſt ab authore privato; & continet multa abſurda; ob quod etiam hæc propoſitio omiſſa eſt à PAULO V. in RITUALI ROMANO correcto.

Ad 4. ſi vera eſt hiſtoria, id factum eſt à Papa in caſu repentino ſine præcedente matura deliberatione. Videtur tamen tota hiſtoria falſa; quia Papa durante lapſu intra minutum tertium non potuiſſet complere integram pronuntiationem hujus formæ.

Ad 5. dico; hanc doctrinam Doctorum quorundam Lemovicenſium ſatis correctam eſſe à facultate Pariſienſi, & efficaciter corrigi à traditione, atque ex natura Sacramenti.

Ad 6. non nego; probabilem eſſe Scotiſtarum ſententiam. Nego tamen ſuppoſitum; ab iis admitti abſolutionem ſacramentalem, niſi ut relativam ad confeſſionem & contritionem præcedentem, & quidem ut ordinatam proxime ad abſolutionem. Ex hactenus dictis COLLIGITUR, non eſſe approbandam eorum Caſiſtarum Doctrinam, qui abſolvendos omnes eſſe cenſent, in quibus præciſe *poſſibile* eſt, reperiri requiſita ad abſolutionem; aut qui ex eo, quod reperiatur in moribundo *poſſibilitas* ad ponendum requiſita, ſtatim inferunt: *Non eſt moraliter certum*, quod deſint requiſita ad abſolutionem. Utrumque non bene dicitur. Ad conferendum enim Sacramentum pœnitentiæ moribundo non ſufficit nuda phyſica poſſibilitas requiſitorum, ſed requiritur ſaltem prudens dubium de exiſtentia requiſitorum, prout conſtat ex conſtanti praxi & ſenſu Eccleſiæ. Ad formandum autem prudens dubium non ſufficit phyſica poſſibilitas, utpote quæ ſtat cum morali certitudine in oppoſitum, ſed requiritur poſitiva probabilitas, quæ ſumitur à communiter contingentibus, non ab iis quæ rariſſime ac vix unquam accidunt.

QUÆRITUR 16. An & quando abſolutio conſuetudinariis impendenda, aut differenda ſit?

RESPONDEO. In hac re ſequentes Regulas obſervandas eſſe. 1. Si ſpes emendationis nulla appareat, abſolutio differenda eſt, usque dum pœnitens ſpem prudentem emendationis præbeat. 2. Idem obſervandum, ſi pœnitens nullum præbeat veroſimile indicium veri doloris, & firmi propoſiti. 3. Si recuſet acceptare media emendationis, conditioni, ſtatui & viribus pœnitentis proportionata. Ea enim recuſatio eſt argumentum, quod non agnoſcat gravitatem peccati, adeoque quod nec verè doleat; nec firmiter ſe emendare ſtatuat. 4. Si recuſet vitare occaſiones propinquas peccatorum, pœnitenti moraliter evitabiles. 5. Si detentus in occaſione proxima peccati moraliter inevitabili recuſet acceptare media extraordinaria ardua, ex quibus occaſio proxima ſperetur tranſitura in remotam. 6. Si Confeſſarius valde dubitet de ſufficiente dolore vel propoſito pœnitentis, & major certitudo haberi non poſſit; nec dilatio abſolutionis credatur pœnitenti plus obſutura, quam profutura; ſicut eam dilationem interdum obeſſe contingit rudibus, qui non habent occaſionem brevi iterum confitendi, quibus facile poteſt plus obeſſe dilatio abſolutionis, quàm collatio. 7. Si pœnitens eſt incorrigibilis, eo quod ſæpius jam promiſerit emendationem, & media præſcripta vel neglexerit; vel ſi ea adhibuit, iis non obſtantibus in eadem peccata frequenter relapſus ſit. Huic enim, niſi alia nova media magis ardua novam prudentem ſpem emendationis faciant, abſolutio pariter differenda eſt, quousque aut ſecuta emendatio, aut alia circumſtantia ſpem melioris vitæ conferant. 8. Si pœnitens jam ſæpius promiſit reſtitutionem, aut impletionem alterius obligationis determinatæ in re gravi, & eam culpabiliter neglexit.

HÆ REGULÆ PROBANTUR ſequentibus argumentis.

PRIMO. Ex damnatis propoſitionibus. 1. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere & proponere emendationem.* Hæc eſt 60. ex damnatis ab Innocentio XI. 2. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione verſatur peccandi, quam poteſt & non vult omittere; quinimo directè & ex propoſito quærit, aut eo ſe ingerit.* Ibid. 61.

SECUNDO. Ex REGULA AUREA CONFESSARIORUM, præscripta à D. CAROLO, Romæ verò omnibus Confessariis in normam tradita à Cardinali Carpegna, in Vrbe Vicario; atque adoptata à Clero Gallicano, in qua omnes hi, & adhuc plures casus differendi absolutionem enucleatius recensentur. Vide *Manuale Romanum Confessariorum*, à me Augustæ editum, §. 16. 17. 18. Nec dici potest; Eas Confessariorum instructiones à D. Carolo adhuc juvene scriptas esse. Editæ enim sunt in *Concilio Mediolanensi* tertio, ac iterum in *Concilio quarto* confirmatæ. Et *Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus*, celebratis anno 1655. 1656. 1657. eas omnibus Galliæ Episcopis præscribit, ad quos ita scribunt: *Non dubitamus, quin gratum sitis habituri, quod vestris in manibus posuerimus dogmata adeo sancta adeoque necessaria his temporibus, quæ finis & fæx sæculorum dici merentur.*

DISPUTATIO VI.

De Satisfactione.

PROOEMIUM.

Quantam in errorum sylvam abire necessum sit eos, qui relicta semel Traditionis Apostolicæ semita solam rationem pro duce sequuntur, Satisfactionis Sacramentalis natura exemplum præbet. Viguit per duodecim priora sæcula capitalium criminum severa disciplina, quæ non solum excessus publicos, aut denuntiatos, sed etiam quævis peccata mortalia, utut occultissima, satisfactionis congruæ jugo subdidit. Sæculo decimo tertio crebrior Indulgentiarum particularium usus aliquantulum rigorem illius disciplinæ, plurium quamvis, ut verosimile est, ad salutem, quam in ruinam, inflexit. Verum sæculo decimo quarto extollente vexillum Joanne Duns Scoto, sensim coierunt laxiorum Theologorum turmæ in eam sententiam; absolvendos esse pœnitentes sine omni pœnitentia, nisi quam ultro deligerent, qui dicerent, se velle satispati pro suis peccatis in altero mundo. Et quamvis forte Scotus explicari possit de pœnitentia *strictè vindicativa*, quæ correspondet justitiæ distributivæ seu legali, non vero de pœnitentia satisfactoria, quæ præstanda est ex justitia commutativa in compensationem offensæ, contigit tamen, ut pro declivitate naturæ corruptæ increscentibus semper Doctoribus laxis, incassum reclamante Concilio Tridentino, sæculo proxime præterito in compitis Casistarum vulgatum sit, tempore Indulgentiarum plenariarum, quæ ubivis circumstant, non dari obligationem imponendi pœnitentibus ullam pœnitentiam, nisi solum *medicinalem*, aut si rigorose agendum, saltem *umbratilem* unius *Pater* & *Ave*. Quam nociva sit hæc doctrina puritati morum Ecclesiæ; quam contraria constanti traditioni ac praxi priori Ecclesiæ; quantumve repugnet menti Concilii Tridentini, & Doctorum primi ordinis, quos Deus eximiæ sanctitatis, dignitatis Ecclesiasticæ, & eruditionis sacræ dono conspicuos in Candelabro Ecclesiæ constituit, sequens Disputatio docebit.

QUÆSTIO I.

Qualis in primitiva Ecclesia viguerit Disciplina quoad Pœnitentiam solennem seu publicam?

NOTANDUM I. Duabus distinctis vicibus à Christo fuisse collatam potestatem ligandi & solvendi peccata, videlicet *Matthæi* C. 18. v. 18. & *Joannis* 20. v. 23. PRIMA VICE ea potestas fuit collata Apostolis dudum ante passionem sine cæremonia *insufflationis*. SECUNDA AUTEM VICE ea potestas fuit collata post resurrectionem cum cæremonia *insufflationis*. Theologi hanc duplicem collationem potestatis passim confundunt. Verùm si textus Scripturæ attentius inspiciantur, & cum disciplina primitivæ Ecclesiæ conferantur, patebit; in primo textu *apertè* solum collatam fuisse potestatem ligandi & solvendi peccata *publica*, & peccata *secreto* pro correctione fraterna delinquentis *denuntiata* Episcopo. In secundo autem loco Christus, potestatem prius collatam magis amplians aut explicans, contulit illimitatam potestatem, ligandi & solvendi quævis peccata, etiam secretissima, etiamsi nec publica forent, nec denuntiata, imo ne quidem externa, sed tantum mentalia. Hæc observatio circa primam collationem potestatis à Christo factam probatur ex toto contextu verborum apud Matthæum. Nam postquam Christus egerat de ovicula perdita: solicite quæsita, & inventa, subjungit: *Sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis; quæcunque alliga-*

alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Hæc planè ostendunt; potestatem ligandi & solvendi peccata specialiter à Christo primitus fuisse relatam ad peccata *publica*, aut *denuntiata*.

NOTANDUM 2. Quæstionem moveri posse; an Christus in præfato loco Apostolis tantum contulerit potestatem *jurisdictionis* circa peccata publica aut denuntiata pro foro externo Ecclesiastico? An verò simul contulerit potestatem clavium pro foro interno, ita ut *inquisitus* aut *denuntiatus* habuerit obligationem confitendi Episcopo crimen suum, & pœnitentiam ab Episcopo dictatam acceptandi, etsi peccator in foro externo in forma judicii forensis nec conventus, nec testibus productis convictus sit?

NOTANDUM 3. Plurimum referre, ut hæc vetus Disciplina primitivæ Ecclesiæ probe intelligatur. Exinde enim AGNOSCITUR 1. origo, natura, & utilitas *reservationis*, qua Ecclesia certa quædam graviora crimina, quæ indulgentius puniuntur à judicibus laicis, suæ cognitioni & castigationi reservavit antiquitus. AGNOSCITUR 2. Quid etiamnum conveniat Episcopis, & aliis Superioribus potestatem reservandi peccata habentibus; circa castigationem ejusmodi criminum? Neque enim potestas reservandi peccata ad nudam absolutionis Sacramentalis formam impertiendam vel denegandam, sed ad competentem castigationem criminum, quæ nunc à laxioribus Theologis propemodum exstincta est, à Christo Ecclesiæ indulta est. AGNOSCITUR 3. Ecclesiæ & Episcopis, & aliis Superioribus jurisdictionem quasi Episcopalem erga suos habentibus, re vera competere potestatem, non solum reservandi suæ cognitioni certa graviora crimina, sed etiam potestatem facultates absolvendi à casibus reservatis nonnunquam aliis delegatas, sic clausulandi ac limitandi; ut ea facultas censeatur nulla, si crimen *publicum*, aut *denuntiatum*, seu ut moris est loqui, *ad forum externum*, ututsolius fraternæ correctionis causa, deductum fuerit. AGNOSCITUR 4. genuina natura veteris *Pœnitentiæ publicæ* seu Canonicæ, & veterum *Canonum Pœnitentialium.*

His prænotatis

DICO I. In primitiva Ecclesia atrociora crimina, si fuerant publica, aut si fuerant Episcopo clam denuntiata in ordine ad correctionem, frequenter subjiciebantur pœniteotiæ publicæ.

DICO II. Primis sæculis dabatur obligatio, denuntiandi delinquentes Episcopo.

DICO III. Pœnitentia publica habebat quatuor gradus, videlicet 1. Fletus. 2. Auditionis. 3. Substrationis. 4. Consistentiæ. Constituti *in primo gradu Flentium* debebant manere non solum extra Ecclesiam, sed etiam extra Porticum Ecclesiæ; ubi debebant provolvi ad pedes ingredientium in Ecclesiam, seque eorum precibus humiliter comendare. Constituti in *secundo gradu Audientium* debebant quidem persistere extra Ecclesiam; permittebantur tamen consistere in Porticu, ubi per apertas januas Ecclesiæ poterant introspicere, & audire concionem, quæ habebatur post Evangelium Missæ. Finita autem concione cum Catechumenis, qui stabant intra Ecclesiam in extrema parte Navis Ecclesiæ, debebant discedere. Constituti *in tertio gradu Substratorum* permittebantur quidem manere intra Ecclesiam in loco Catechumenis proximo, sed, quando ad Offertorium Missæ Diaconus clamabat: *Catechumeni exeant*, debebant etiam ipsi exire cum Catechumenis ex Ecclesia. Cæterum vocantur *substrati*, quia post Concionem dicebantur super eos preces pœnitentiales, dum ipsi interea saccis vilibus induti humi prostrati jacebant. Constituti *in quarto gradu Consistentium* permittebantur in loco Ecclesiæ ab aliis fidelibus separato permanere in Ecclesia, & assistere Sacrificio missæ usque ad S. Communionem Missæ, in qua cæteri fideles simul cum Sacerdote sumebant Eucharistiam. Hæc est idea quatuor graduum veteris pœnitentiæ publicæ, quam longe melius exprimunt *antiquæ Ecclesiæ*, habentes Porticus, quam novellæ, & ideo causa antiquitatis, & utilitatis ad explicandam populo veterem Disciplinam Pœnitentiæ, suis Porticibus neutiquam spoliandæ.

DICO IV. Sola *Consistentia*, licet constituerit quartum gradum pœnitentiæ publicæ, ordinarie tamen non veniebat sub nomine *pœnitentiæ*, simpliciter dictæ.

DICO V. Pœnitentiæ publicæ non solum subjiciebantur Idololatria, homicidium, mœchia, sed etiam alia quævis graviora crimina, quando erant publica aut denuntiata.

DICO VI. Quando crimina non erant publica, sed tantum clam denuntiata, relinquebatur discretioni Sacerdotis præsertim Episcopi, utrum essent subjicienda pœnitentiæ publicæ vel non, considerata videlicet conditione personarum. A pœnitentia tamen publica regulariter excipiebantur Clerici, juvenes, mulieres conjugatæ, virgines, nisi quando eorum crimina erant publica.

DICO VII. Sæculo sexto illa sola ferme crimina pœnitentiæ publicæ addicebantur, quæ in foro externo morte plectebantur.

DICO VIII. Primis sæculis omnia peccata mortalia, etiam occultissima, subjiciebantur ordinarie saltem quarto gradui pœnitentiæ, nempe *Consistentiæ*, nisi Sacerdos aut Episcopus ob conditionem personæ etiam ab hoc gradu dispensandum diceret.

Hæ octo Conclusiones, quæ exprimunt totam ideam veteris pœnitentiæ publicæ, probantur per octo sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

A Primo Sæculo usque ad decimum in usu erat quoddam genus pœnitentiæ publicæ, quo nonnulla atrociora crimina, si fuerant publica, aut Episcopo denuntiata & probata, per sequestrationem ab Ecclesia, & privationem Eucharistiæ, perque alia exercitia pœnitentiæ plectebantur.

Probatur ex testimoniis Synchronorum, aut proxime coævorum testium. Inter hos occurrit 1. *Au-*

1. *Author Constitutionum Apostolicarum*, qui vixit sæculo secundo, aut certe ad initium Sæculi tertii. Teste Epiphanio Sæculo quarto jam obtinuerat magnam authoritatem in Ecclesia Græca; ex quo fequitur, eum non esse impostorem mendacem quoad notorias consuetudines Ecclesiasticas, & quoad observantias publicas Ecclesiæ, quas ex proposito & instituto sui operis describit. Nec quoad ejusmodi praxes vulgatissimas Ecclesiæ operi fidem detrahit, quod inducat Apostolos tanquam colloquentes, & varia statuentes: ea enim methodus, traditiones majorum referendi & verbis amplificandi per modum Dialogi, à Platone profecta, à pluribus Scriptoribus Ecclesiasticis recepta est. Neque ulli legentium exinde nata errandi occasio; cum omnibus eo tempore notum fuerit, in Dialogis, in quibus adducuntur personæ celebres, referri earundem mentis sententiam, non verborum tenorem. Is itaque Author, sive sit Clemens Romanus, sive alius junior Clemente, describit ritum pœnitentiæ suo tempore publicum, & anteriorem Novato, utpote nondum in quatuor Classes pœnitentium explicitas distinctum. *Libro* 2. *Cap.* 11. Episcopum alloquens ait: *Sic in Ecclesia sede, Sermonem faciens, ut qui potestatem habens judicandi eos*, qui peccarunt; quoniam vobis Episcopis dictum est: „Quodcunque ligaveritis super „terram, erit ligatum & in cœlo; & quodcun„que solveritis super terram, erit solutum & in „cœlo. *Cap.* 12. Judica itaque Episcope pote„state fretus tanquam Deus, sed pœnitentes reci„pe: objurga delinquentes; mone non redeun„tes ad Deum, pœnitentes admitte. *Cap.* 16. Cum „igitur aliquem deliquisse videris, acerbe dolens, „jube eum ejici foras. De sic ejecto doleant „etiam Diaconi, eumque inquirant, & extra Ec„clesiam contineat; postea vero in Ecclesiam „ingressi pro eo rogent. Tunc jubebis eum in„gredi, & facta examinatione, an pœniteat, sitque „dignus, qui in Ecclesiam ex toto admittatur, „castiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut „quinque, aut septem hebdomadarum, ut delicti „genus & ratio poposcerit, atque ita absolve „eum (ἀπόλυσον) admonens eum, ut manens „domi in se collectus humilitatem sectetur, & „Deum precetur, ut eum propitius recipiat: „quod enim oporteat peccantem de suo delicto „erubescere, docet Scriptura, cum Moyses pre„cabatur Deum, ut debitum Moysi condonaret; „ait enim illi Deus: Si pater in faciem ejus ex„spuisset, an non erubuisset? septem diebus ex„tra castra amoveatur & postea ingredietur. Sic „igitur vos facere oportet, eos scilicet, qui se „pœnitere ajunt de peccato, ejicere ex Ecclesia, „tempore juxta proportionem peccatorum defi„nito; dein pœnitentes suscipite, tanquam patres „filios." Hæc disciplina primæva nondum erat rigida, cum pœnitentiam & jejunia tantum ad aliquot hebdomadas, nempe ad unam Quadragesimam extenderit. *Idem lib.* 2. *cap.* 18. „Pœniten„tibus condonare oportet peccata; statim enim, „ut aliquis ex iis, qui deliquerunt, dixit ex ani„mo: PECCAVI DOMINO, respondet Spiri„tus Sanctus: Et Dominus remisit tibi pecca„tum. Agnosce igitur Episcope dignitatem „tuam; quod sicut potestas ligandi tibi obtigit, „ita quoque potestatem solvendi habes. - - - „quocirca curam omnium suscipe; sanos con„serva, lapsos instrue, & postquam eos per jeju„nia presseris (ϛιβὼν) absolutione consolare; „& prostratum in luctu recipe, tota Ecclesia pro „illo deprecante, & te manum super illum im„ponente, sine eum in futurum in Ecclesia inter „oves esse.

Lib. 2. *cap.* 20. „Errantem aut delictis quas„satum monitione hortatoria, & ex delictis exo„nerans in Ecclesiam restitue; quod ejectum est „converte, id est, qui in peccatis fuit, & ex Ec„clesia ejectus fuit, ut objurgaretur; ne sinas „foris permanere, quin potius recollige eum & „converte, ut in ovile restituas - - potestatem „habes revocandi & dimittendi fractos cum ve„nia; per te enim Salvator dicit paralitico ja„centi in peccatis: Remittuntur tibi peccata „tua: vade in Pace. Pax vero & tranquillus „portus est Ecclesia Christi, in quam peccatores „absolvendo restitue sanos & à macula liberos. „*Illud cap.* 21. Non sis facilis ad ejiciendum ex „Ecclesia, non testimonium adversus illum su„mens, nisi quod dictum sit à duobus, aut tribus „fidelibus testibus, quorum mores jam diu pro„bati sint, & qui neque inimicitia neque invidia „moventur. Multi enim sunt, quorum studium „est dispergere oves Christi; quorum Sermones „si temere velis admittere, gregem dissipabis; lu„pisque trades. Siquidem continuo, ut aliquis „ex Ecclesia ejectus est, accedunt ad eum lupi „(*hæretici, Judæi, Ethnici*) parati ad devorandum.

Lib. 2. *cap.* 37. „Episcopum oportet recte „judicare, quæ vitiis carent, retinere, vitiosa ve„ro vel curare, vel si ægritudo insanabilis expel„lere, & non celeriter amputare, neque quibus„vis credere. - - Igitur considera eum, qui accu„satus est, animadvertens, quæ ejus vita sit; & „si repereris accusatorem dicere verum, fac, ut „Dominus faciendum esse voluit, conveni accu„satum seorsim, & argue eum nemine præsente, „ut pœniteat, si autem non paruerit, adhibito „uno aut altero indica ei erratum. Si vobis „tribus crediderit, bene se habet; si obstinatus „erit, dic Ecclesiæ; hanc si contempserit, neque „audire voluerit, sit tibi sicut Ethnicus, & ne „eum ad Ecclesiam admittas. Si autem vult „agere pœnitentiam, assume eum; neque enim „Ethnicum ad communionem Ecclesia admittit, „priusquam pœniteat.

Lib. 2. *cap.* 39. „Itaque sicut Ethnicum habe, „qui de malo opere convictus, (ἐλεγχθέντα) est, „nec tamen pœnitet. Si autem postea pœni„teat, & convertatur, eum in Ecclesiam admit„timus ad audiendum verbum, sicut Ethnicos „quando pœnitentiam agere volunt, licet com„munionem cum iis, quousque baptizentur, non „habeamus. Sic horum similibus, donec fructus „pœnitentiæ proferant, ingredi in Ecclesiam per„mittimus, ne funditus pereant, sed tamen com„munionem in oratione non habeant, quin po„tius exeant post lectionem Legis, & Propheta„rum, & Evangelii, ut exeundo vitam emendent „ac meliores fiant, accedendo diligenter quoti„dic ad conventus Ecclesiasticos, & precationi „incum-

„ incumbendo, ut & ipsi digni fiot receptionis „ gratia, & alii eorum exemplo compungantur.

Lib. 2. *cap.* 40. „ Cæterum Episcope ne eum „ qui semel & iterum lapsus est, averseris, ne- „ que audire verbum Domini vetes, neque com- „ munitate vitæ prives. --- Cum iis igitur, quos „ propter peccatum excommunicastis, habete & „ congressum & convictum, curantes, consolan- „ tes, & fulcientes.

Lib. 2. *cap.* 41. „ Si quis conversus pœniten- „ tiæ fructum moostraverit, tunc etiam ad Ora- „ tionem admittite. --- Atque sicut Ethnicum „ baptismo lotum post Doctrinam admittis; sic „ hunc per maous impositionem, utpote factum „ mundum pœoitendo, cunctis pro eo deprecan- „ tibus in antiquum pabulum (*κεχαίαν νομὴν*) re- „ stitue (*id est, ad Eucharistiam*) eritque ei loco „ lavacri manuum impositio. --- Ut medicus „ condolens adhibe curationem iis, qui delique- „ runt. Si vulnus cavum fuerit, appone suave „ emplastrum; si vulnus sordescit, repurga no- „ vacula, id est, Sermone increpatorio; si tur- „ gescit, comprime collyrio, id est minis judicii; „ si serpit cancer, ure & extrahe saniem compri- „ mens jejuniis. Quod si magis serpit cancer uni- „ versas partes corporis tabefaciens, hic tu aliia „ peritis medicis in consilium adhibitis, seca mem- „ brum tabidum, ne universum Corpus Ecclesiæ „ intereat. Ne igitur sis facilis, & præproperus „ ad secaodum, at quem à pœnitentia alienum „ videris, ut insanabilem ex Ecclesia ejice. *Cap.* „ 42. Quod si delatio falsa est, & vos Pastores „ cum Diaconis mendacium tanquam veritatem „ amplexi fueritis, volentes gratificari calumnia- „ tori, rationem reddetis in die judicii. *Cap.* 43. „ Itaque talem calumniatorem ejice ex Ecclesia, „ tanquam fratris interfectorem. Deinde tempo- „ ris intervallo interjecto, si dixerit pœnitere se, „ premite eum jejuniis, ac postea per manus im- „ positionem recipite. *Cap.* 44. Diaconus de re „ omni ad Episcopum referat. Sic Diaconus Epi- „ scopi auris, & oculus, os, cor, & anima. *Cap.* „ 45. Si oriatur alicui lis, ne adeat ad judicium „ gentilium. *Cap.* 46. Si quis habet aliquid ad- „ versus alium, qui coovictus fuerit immitis, con- „ tumax, oppressor, objurgetur, ejiciatur, & „ pœnas luat odii fraterni. Deinde, si eum pec- „ cati pœnituerit, recipiatur. *Cap.* 47. Fiant ju- „ dicia vestra secunda feria, ut possitis usque ad „ Sabbatum sedare controversiam, & pacificare „ disceptantes in diem Dominicum. Assistant au- „ tem judicio Diaconi & Presbyteri. *Cap.* 48. Ne „ de omni peccato idem judicium pronuntietis; „ sed de singulis peccatis tum parvis tum magnis „ magna prudentia judicetis; aliter, inquam, de „ facto, aliter de sermone, aliter de proposito; „ aliter de convitio, aliter de suspicione seu opi- „ nione. Atque alios quidem solis minis & ter- „ roribus subjicies, alios mulctationi largiendi „ pauperibus, rursus alios jejuniis comprimes, „ item alios ex Ecclesia ejicies pro gravitate cri- „ minis. *Cap.* 49. Cum in judicio sederitis, præ- „ sentibus utrisque personis, exquirite diligenter „ de ipsis, ac primum de accusatore --- habeat „ alios testes. *Cap.* 50. Si reus postquam ex Ec- „ clesia ejectus fuerit, veniam petierit, seque sup-

D. Arnold Tract. de Pœnitentia.

„ plex ad pedes Episcopi projecerit, & peccasse „ fateatur, recipite eum. *Cap.* 57. Cum Ecclesiam „ Dei convocas, jube Diaconis, ut loca fratribus „ disponant. Sit solium Episcopi in medio posi- „ tum, & ex utroque ejus latere sedeant Presby- „ teri, & adsteot Diaconi. In medio Lector le- „ gat libros (*Scripturæ*) postea Diaconus Evan- „ gelia legat. Dein Episcopus hortetur popu- „ lum. Dein, cuncti consurgentes, egressis cate- „ chumenis & pœnitentibus, precentur Deum. „ Diaconi post precationem alii oblationi Eucha- „ ristiæ operam dent, ministrantes corpori Do- „ mini cum timore, alii observent turbam, & fa- „ ciant, ut silentium teneant. Postea mutuo sa- „ lutent in osculo sancto viri viros, fœminæ fœ- „ minas. Postea Diaconus precationem faciat pro „ cuncta Ecclesia. Dein Pontifex precatus pacem „ populo, benedicat ei. Postea fiat Sacrificium, „ & oblatione facta quisque Ordo, (*virorum, mu- „ lierum, viduarum, adolescentularum, in separatis lo- „ cis stantium*) Corpus Domini & pretiosum San- „ guinem sumat.

Lib. 4. *cap.* 5. „Oportet ut sciat Episcopus à „ quibus oblationes accipere debeat, & à quibus „ noo debeat. Cavere debet, ne oblationes „ dent Tabernarius, Scortatores, prædatores, „ direptores, alienarum rerum appetitores, adul- „ teri, qui viduam affligunt, & pupillum oppri- „ munt, & qui carceres implent innocentibus, aut „ famulos suos dure accipiunt, id est, qui verbe- „ ribus aut fame afficiunt, aut crudeli servitute „ premunt, aut qui civitates totas populantur, „ falsarii, Rhetores, qui injuriæ patrocinium su- „ scipiunt, qui idola faciunt, fures & publicani „ injusti, qui fraudulenter lances deprimunt, & „ qui in mensuris alios fraudant, miles Sycophan- „ ta non contentus suis stipendiis, sed potius ve- „ xans & concutiens pauperes, dein homicida, „ carnifex, judex iniquus, rerum dilapidator, „ insidiator hominum, operarius nefandorum, „ ebrius, blasphemus, cinædus, fœnerator, qui- „ libet denique sceleratus & cum voluntate Dei „ pugnans: à quibus qui oblationes accipiunt, & „ inde viduas & orphanos alunt, rei hent in ju- „ dicio Dei. *Lib.* 4. *cap.* 6. Quin potius, qui de- „ liquerunt, & eos noo pœnitet delictorum suo- „ rum, non solum non exaudientur, cum pre- „ catiooem facient, sed magis Deum irritabunt. „ Prohibete igitur hujusmodi ministeria oblatio- „ num. *Cap.* 7. Sed si dicatis, hi sunt qui elee- „ mosynas dant, si ab eis non accipimus, unde „ viduis à nobis ministrabitur? Sed præstat peri- „ re fame quam ab inimicis Dei quidquam accipe- „ re. --- Ab excommunicatis seu ab ejectis ex „ Ecclesia (*ἀποσυναγώγων*) ne prius accipiatis, pri- „ usquam ad Ecclesiam admittantur.

Lib. 4. *cap.* 9. „Si quæ vero necessitas aliquan- „ do contigerit, ut à quodam impio argentum „ invitì accipiatis, impendite in ligna & carbones.

Lib. 8. *cap.* 5. „Oratio in ordinatione Episco- „ porum. Da ipsi Domine participationem Spi- „ ritus Sancti, ut habeat potestatem remittendi „ peccata secundum mandatum tuum.

Lib. 8. *cap.* 9. „Oratio super iis, qui sunt in „ pœnitentia, & manus impositio. Omnipotens Deus,

„ Deus, respice eos, qui tibi cervicem animæ & „ corporis inclinant, quia non vis mortem peccatoris, sed ut avertatur à via sua prava, & vivat. Qui Ninivitarum pœnitentiam acceptam „ habuisti; qui illum filium prodigum paternis „ visceribus propter pœnitentiam amplexus es. „ Accipe tuorum supplicum pœnitentiam, & restitue illos Ecclesiæ in priorem dignitatem per „ Christum Deum. Et dicat Diaconus: Exite, „ qui in pœnitentia estis.

Hæc omnia fusius excerpenda duxi, quia præbent satis distinctam ideam non solum de pœnitentia publica primorum temporum, sed etiam designant illa peccatorum genera, de quibus ad accusationem vel denuntiationem necesse erat subire pœnitentiam publicam. Neque libro detrahenda fides ex eo, quod author inducat Apostolos loquentes & statuentes decreta quasi in Concilio, sive enim egerit hoc styli causa per inductionem sensibilem ac patulam; sive fraude ad eommendandam Episcopis uniformem legum Ecclesiasticarum observantiam, saltem author habendus est pro Catholico, cum nullam contineat hæresin primis tribus Sæculis rejectam ab Ecclesia, & pro Scriptore verace, cum agat de observantiis publicis, in quibus falsitas fuisset primo aspectu deprehensa ab omnibus.

2. *S. Irenæus* Lib. 1. cap. 9. exhibet pœnitentiam publicam quarundam mulierum, ab Hæresiarcha Marcione seductarum, cognito vero errore ad Ecclesiam revertentium. Sic habet: „ Mulieribus dans calices mixtos ipsas gratias agere jubet præsente se: ipse alium calicem multo „ majorem fumit, quam est ille, in quo seducta „ illa Eucharistiam facit. --- Sed & mulieres prophetare facit: maxime enim circa mulieres vacat, & hoc circa eas, quæ sunt honestæ, & „ circumpurpuratæ, & ditissimæ. Sed & amatoria philtra efficit, ut & corporibus ipsarum contumeliam irroget, etsi hoc non faciat omnibus „ mulieribus. Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, se & corpore ab eo „ contaminatas esse, miroque ipsius amore exarsisse, adeo ut etiam Asianus, quidam ex nostris Diaconus, cum eum hospitio excepisset in „ hanc calamitatem inciderit. Ipsius enim uxor, „ singulari pulchritudine fœmina, tum animo tum „ corpore ab hoc mago corrupta est, & secuta „ est eum multo tempore. Postea non fine magno labore à fratribus conversa omne tempus „ in Exomologesi consummavit; pœnitens & lamentans ob eam, quam ab hoc mago passa est „ corruptelam. Quin ipsius etiam Discipuli, „ in iisdem studiis versantes, mulierculas multas „ in fraudem impulsas corruperunt --- multas „ quoque in Rhodanensi nostra regione mulieres „ in fraudem impulerunt, quæ quidem velut cauterio quodam inustam conscientiam habentes „ partim publice pœnitentiam egerunt (εἰς φανερὸν ἐξομολογῶνται) partim cum id facere præpudore non sustinerent, ac tacite quodammodo „ de vita Dei desperarent, vel prorsus à fide defecerunt, vel certe in utramque partem propendent.

PROPOSITIO II.

Primis Sæculis constanter viguit obligatio & praxis denuntiandi Episcopo delinquentes.

Probatur ex testimoniis partim Synchronis, partim proxime coævis; quæ cum versentur circa observantiam publicam omnibus notissimam, non fallunt. Sæculo secundo luculentum præbet argumentum *Author Constitutionum Apostolicarum*, cujus textum retuli, *Propos.* 1. ex earundem Constitutionum lib. 2. cap. 21. 37. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 49. & lib. 4. cap. 5. Huic accedunt

1. *S. Basilius* in *Regulis fusius disputatis Interrog.* 46. „Quidquid est, in quo peccatur, id referri ad Antistitem debet, sive ab eo ipso, qui „ peccatum commisit, sive ab iis, qui illius conscii sunt, si illud ipsi curare non possunt: objurgatio enim, quæ palam libereque fit, occul„ ta benevolentia præstabilior est. Nemo sit ergo, qui aut peccato alterius latebras quærat, ne „ pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet." Et ad *Amphiloch. cap.* 71. postquam in præcedentibus varia peccata enumeraverat; addit: „Qui uniuscujusque prædictorum fuit conscius, & non denuntiavit: sed convictus est „ (se fuisse conscium) tanto tempore, quanto „ malorum effector punitus est; ipse quoque punietur.

2. *S. Augustinus* Homil. 49. inter 50. cap. 4. & 5. alloquens uxores, quæ negligebant denuntiare Episcopo suos maritos adulteros. „Nolo „ talem patientiam habeant Christianæ mulieres; „ prorsus zelent viros suos non propter carnem „ suam, sed propter animas illorum: omnino „ ergo moneo, ego præcipio, ego jubeo, Episcopus jubet, Christus in me jubet &c. Nolite permittere viros vestros fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico Judices publicos: clamate pro re vestra." Idem *Quæst. in Leviticum ad illum versum cap. 5. Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi judicaverit, portabit iniquitatem suam, sic habet*: „Hoc videtur dicere, peccare hominem, quo audiente „ jurat aliquis falsum, & scit eum falsum jurare, „ & tacet. Tunc autem scit, si ei rei, de qua „ juratur, testis fuit, aut vidit, aut conscius „ fuit, id est, aliquo modo cognovit, aut oculis „ suis conspexit, aut ipse qui jurat indicavit. „ Ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati & timorem hujus proditionis „ hominum non parva plerumque existit tentatio. „ Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo à tam gravi peccato revocare. Sed si non audierit, & coram nobis „ de re, quam novimus, falsum juraverit utrum „ prodendus sit, si proditus periculum etiam mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia „ non expressit, cui indicandum sit, utrum illi „ cui juratur, an Sacerdoti cuipiam, qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest. Videtur mihi, quod se homo solvat, & à peccati „ vinculo, si indicat talibus, qui magis possunt „ prodesse, quam obesse perjuro sive ad corrigendum,

„ gendum, five ad Deum pro illo placandum, fi „ & ipfe confeffionis adhibeat medicinam.

3. *In Antiquis formulis Vifitationum*, dum Epifcopi vifitabant fuas Diœcefes, eadem obligatio continetur. Burchardus in Collectione Decretorum lib. 1. cap. 94. refert fequentem: „Archidiaconi, & Archipresbyteri uno aut altero „ die præveniebant adventum Epifcopi, & jubebant, ut omnes Parochiani compareant in adventu Epifcopi. Epifcopus autem feptem viros ex plebe honeftiffimos & omnium opinione „ probatiffimos eligebat; *Et allatis* fanctorum pignoribus unumquemque illorum tali Sacramento adftringebat. Amodo in antea quidquid „ nofti aut audifti, aut poftmodum inquifiturus „ es, quod contra Dei voluntatem & rectam Chriftianitatem in ifta Parochia factum fit, aut futurum erit, fi in diebus tuis evenerit, tantum „ ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, fi fcis aut tibi indicatum fuerit, Synodalem caufam effe, & ad minifterium Epifcopi „ pertinere, quod tu nec propter amorem, nec „ propter timorem ullatenus celes Epifcopum, „ nec ejus Miffum, cui hoc inquirere jufferit, „ quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic „ te Deus adjuvet & iftæ Sanctorum Reliquiæ. „ Hoc juramento præftito eos monebat Epifcopus; Cavete, ne aliquid abfcondatis, & ex alterius peccato veftra fiat damnatio. Tunc fequuntur variæ interrogationes v. gr. Eftne in „ hac Parochia homicida? &c." Similem formulam refert Regino in fua Collectione. Et fimilem Manufcriptam, quæ in Diœcefi Auguftana antiquitus Sæculo decimo adhuc viguiffe videtur, obtinui ex Tabulario Epifcopali. Aliam fimilem recitat Morinus lib. 2. cap. 7. n. 8. ex Manufcripto Concilii Moguntini fub Rhabano habiti, relato à Beato Rhenano in Admonit. de Dogmate Tertullianeo.

Cæterum eandem praxin conftanter viguiffe etiam primis Ecclefiæ Sæculis; fatis colligitur tum ex iis, quæ Propofit. 1. adducta funt ex libro Conftitutionum Apoft. tum ex variis Conciliorum & Patrum textibus, in quibus de ejusmodi denuntiationibus fit mentio. Sic in Concilio Illiberitano Can. 76. *Si quis in Diaconum fe permiferit ordinari, & poftea fuerit detectus in crimine mortis.* Can. 78. *Si quis fidelis uxorem habens cum Judæa vel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur: quod fi alius eum detexerit, poft quinquennium acta legitima pœnitentia poterit Dominicæ fociari Communioni.* S. Gregorius Thaumat. cap. 18. *Qui alienas domos invadere aufi fuerint, fi accufati convicti fuerint, nec auditione dignos exiftimate.* Gregorius Nyff. ad Letojum: *Qui in malo deprehenfus eft, vel propter fufpicionem vel accufationem illibenter convictus eft, longius illi converfionis tempus datur.* Julianus Pomerius lib. 2. de vita Contemplat. cap. 7. *Ea crimina quorumlibet, fi ipfis criminofis confiteri nolentibus undecunque claruerint, igne increpationis urenda funt.*

PROPOSITIO III.

Ordo pœnitentiæ publicæ fæculo tertio dividebatur in quatuor gradus, nempe *Fletus*, *Auditionis*, *Subftrationis*, & *Confiftentiæ*.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Probatio & explicatio habetur ex fequentibus textibus:

1. *In Epiftola Canonica Gregorii Thaumaturgi.* Can. 1. de mulieribus malæ famæ, fi in incurfione hoftium corruptæ fuerint: *Non oportet orationibus facile cum ejusmodi communicare.* Can. 5. *Formam mifimus, fecundum quam accufationes admittere oporteat, & quos à PRECIBUS ABDICARE.* Can. 7. *Eos, qui* (in incurfione barborum) *fui generis interficiunt, vel domos nefcientibus barbaris oftendunt, etiam ab AUDITIONE arcere oportet.* Can. 8. *Eos, qui alienas domos invadere aufi fuerint, fi accufati convicti fuerint, nec AUDITIONE DIGNOS exiftimate. Si autem feipfos enuntiaverint, in eorum, QUI CONVERTUNTUR ordinem SUBSTERNI.* Can. 9. *Qui in campo vel in fuis ædibus aliquid invenerint à barbaris relictum, fi accufati convicti fuerint, fint IN IIS, QUI SUBSTERNUNTUR: fin autem feipfos enuntiaverint, & reddiderint* (fuis Dominis inventa) *etiam PRECIBUS DIGNI habeantur.* Can. 11. *FLETUS, feu LUCTUS eft extra portam Oratorii, ubi peccatorem ftantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro fe precentur. AUDITIO eft intra portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ftare, usque ad Catechumenos, & illic egredi. AUDIENS enim, inquit, Scripturas, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus cenfeatur. SUBJECTIO autem feu SUBSTRATIO eft, ut intra templi portam ftans cum Catechumenis egrediatur. CONGREGATIO feu CONSISTENTIA, eft, ut cum fidelibus confiftat, & cum Catechumenis non egrediatur. Poftremo eft participatio Sacramentorum.*

2. *Joannes Abbas Raithu*, qui vixit Sæculo fexto, eosdem quatuor gradus fic explicat: *Eft Apoftolica Traditio de divifione & ordinatione pœnitentium, purgandorum, & Catechumenorum. Sunt vero pœnitentium quinque loci. LOCUS PLORANTIUM, cum pœnitens ftat extra ambitum Ecclefiæ & procidens cum fletu ab ingredientibus poftulat orationem ante ipforum pedes proftratus. LOCUS qui dicitur AUDIENTIUM, ante portas, quæ Bafilicæ dicuntur: ad audiendum officium, ubi pœnitentes divinum officium audiunt. SUBSEQUESTRATIO, quæ eft ftatio Ecclefiæ intra ambitum Ecclefiæ in pofteriore parte Ambonis: unde & qui ibi eft, in exclamatione, quæ fit ad egreffuros, & ipfe cum eis egreditur. CONSISTORIUM ubique ftatuitur, qui usque ad complementum myfterii perfeverant. STATIO VERO CUM FIDELIBUS fit participatio vivifici panis, & communicatio & libatio Calicis Domini.* Hic notandum quintam ftationem non effe proprie pœnitentium, fed eorum, qui jam funt functi pœnitentia.

Alia hujus divifionis teftimonia paffim reperies per decurfum hujus tractationis.

PROPOSITIO IV.

Sola Confiftentia non eft habenda pro pœnitentia publica, fimpliciter fumpta.

PROBATUR. Qui redigebantur in folum Ordinem *Confiftentium*, non tranfito prius gradu

Substrationis, non poterant discerni ab aliis fidelibus non pœnitentibus; ergo non est habenda pro pœnitentia publica. *Ant. prob.* In gradu Consistentium constituti non habebant in Ecclesia specialem locum separatum à statione reliquorum fidelium, sederant illis permixti nec habebant aliam pœnitentiam, nisi ut abstinerent ab Eucharistia, sed per hoc non poterant discerni ab aliis fidelibus; ergo *minor probatur.* Multi fidelium abstinebant ultro ex tepiditate, alii ex conscientia gravium criminum occultorum, de quibus nondum agebant pœnitentiam, alii ex devotione ac reverentia eo quod crediderint se tanto mysterio indignos; alii ob confessionem generalem in articulo mortis factam, alii denique ob leviorca culpas jussu Episcopi vel Presbyteri ea sequestratione purgandas; ergo Constituti in ordinem *Consistentium* ob solam abstinentiam ab Eucharistia non poterant discerni ab aliis probis fidelibus. Quamvis hæ omnes assertiones non habeant difficultatem apud expertos in historia sacra, addam tamen earum probationem ad juvandam eorum memoriam.

1. *De Consistentia Gregorius Thaumaturgus* in Ecclesia Canonica: *Consistentia est, ut cum fidelibus consistat. Abbas Raithu Consistorium* (seu Consistentia) *ubique statuitur, qui usque ad complementum sacri mysterii perseverant. Aristenus* de Consistentia loquens in Can. 21. Ancyr. *una cum fidelibus consistent orationum participes. Blastares* in Nomocanone: *Consistentes, qui cum fidelibus precantur & psallunt, attamen participatione Sanctorum* (Eucharistiæ) *abstinent. Harmenopolus* in Epitome Canonum in Can. 58. S. Basilii: *Consistens, hoc est, cum fidelibus orans, qui nondum tamen Sacramentis dignus censetur. S. Basilius* in Epist. ad Amphiloch. Can. 1. oportet eos admitti ad consistentiam cum populo, abstinentes ab oblatione.

2. *De raro communicantibus S. Ambrosius* lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? S. Chrysostomus* Orat. de S. Philogonio: *Nunc multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumque venerunt contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant, sed in diebus festis negligenter ac temere ad mensam accedant. -- Qui peccatis occupatus est, neque pœnitet, ei neque in festis accedere tutum est, nec enim semel in anno accedere liberat nos à peccatis, si indigne accesserimus. Cyrillus Alexandrinus* lib. 1. in Joan. cap. 6. *Intelligant quicunque baptizati sunt, si longo temporis spatio Eulogiam, quæ per Christum, frequentare desinant, & damnosum metum ac reverentiam prætexant, æterna vita se excludere, dum vivificari renuunt, tametsi recusatio illa à metu ac religione profecta videtur. S. Augustinus* Serm 152. de Tempore: *Si quis agnoscens reatum suum ipse se à divino altari subtraxerit, cito ad divinæ misericordiæ reatum perveniet: quia sicut qui se exaltat humiliabitur, ita econtrario qui se humiliat exaltabitur: qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo & cælesti convivio excommunicari penitus non timebit.* Ex his ergo colligitur, multos sponte ab Eucharistia longo tempore abstinuisse, sic ut sciri non potuerit an id faciant motu proprio, an ex pœnitentia.

3. *De variis causis separandi fideles ab Eucharistia etiam sine gravi crimine.* Sic primo in hunc ordinem referebantur, qui sua delicta sponte, nullo accusante vel denuntiante, confessi sunt. *S. Gregorius Thaumat.* in Epist. Can. 9. *Qui in agris vel in ædibus aliquid invenerunt à barbaris relictum* (quod Dominis non restituerunt) *si convicti fuerint, sint in iis, qui substernuntur. Si autem seipsos enuntiaverint & reddiderint, etiam precibus digni habeantur*, (id est, sint in ordine Consistentium). Secundo juxta Nicænam Synodum omnes moribundi in articulo mortis absoluti recuperata valetudine redigebantur in ordinem Consistentium. Can. 13. *De iis, qui excedunt, antiqua & Canonica lex nunc quoque servabitur, ultimo & maxime necessario viatico ne priventur. Si autem deploratus & communionem assecutus rursus in vivos relatus sit, cum iis, qui sunt tantum orationum participes, sit.* Et *Felix III.* Epist. 7. *Si ante præstitutum pœnitentiæ tempus desperatus à Medicis, aut evidentibus mortis pressus indiciis recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus in eo, quod Nicæni Canones ordinaverunt, ut habeatur inter eos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem præstitutum.* Itaque omnes, qui in mortis periculo fuerunt absoluti redigebantur in ordinem Consistentium sine ullo gravis criminis indicio, nisi jam prius versati fuerint in ordine pœnitentium, quem casum nonnulla Concilia excipiendum censuerunt à dispositione Nicæna, conformiter forte ad ipsam Concilii mentem.

4. *Antiqui Scriptores* sub nomine *pœnitentiæ* plerumque intelligunt *Substrationem*, non *Consistentiam.* Ergo hæc non est simpliciter habenda pro pœnitentia publica. *Antecedens probatur.* Quando Veteres loquuntur de natura pœnitentiæ, eam plerumque describunt & sumunt cum proprietatibus soli *Substrationi* propriis, & dum asserunt, quempiam ex ordine *Substratorum* transire in ordinem *Consistentium*, dicunt, eum *pœnitentia functum* esse. Ergo simpliciter sola *Substratio* habebatur pro pœnitentia publica: sic v. g. *Felix III.* Epist. 7. de Laicis rebaptizatis loquens ait: *Tribus annis inter Audientes sint, septem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum; duobus autem annis oblationes non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur* (id est, in Consistentia). *Concilium Laodicenum: Oportet post Episcoporum Sermones Catechumenorum orationem peragi; & postquam exierint Catechumeni eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem, & cum ii recesserint, fidelium preces fieri* (inter quos & Consistentes). *Constitutionum Apostol.* lib. 8. cap. 8. *Postea dicat Diaconus; precamini intente, qui in pœnitentia estis. Omnes pro fratribus qui in pœnitentia sunt preces adhibeamus. Dein sequitur Oratio pro iis qui sunt in pœnitentia. Et dicat Diaconus: Exite qui in pœnitentia estis. Dein denuntiatio obsecrationis pro fidelibus* (in qua remanent etiam Consistentes). Ibidem lib. 2. cap. 57. *Egressis Catechumenis & Pœnitentibus Deum precentur* (quibus precibus etiam intersunt Consistentes). D. Chrysostomus Hom. 72. in Matth. enumerans tres in Missa Orationes. *Prima est pro dæmoniacis. Secunda pro pœnitentibus. Tertia, quam pro nobis ipsis fundimus.* Et Homil. 18. in 2. Epist. ad Cor. *Pro Energumenis & pro iis, qui in pœnitentia sunt*

funt communiter & à Sacerdote & à populo funt preces. Dein, cum à facris feptis arcemus eos, qui non poffunt facræ menfæ participes effe, aliam fieri oportet precem (cui interfunt Confiftentes.) Idem Hom. 3. in Epift. ad Ephef. *Non es dignus Sacrificio, neque participatione: ergo nec prece. Audis præconem ftantem & dicentem: Quicunque eftis in pœnitentia abite. Omnes qui non participant* (communione precum) *funt in pœnitentia. Cur ergo dicit, Abite, qui non poteftis precari? Tu autem ftas impudenter.* Sozomenus lib. 7. cap. 16. *In Occidentalibus Ecclefiis & maxime in Romana manifeftus eft pœnitentium locus. Stant autem in eo mœfti ac veluti lugentes: cum vero perficitur Liturgia, non participantes iis, quæ initiatis fas eft, cum planctu & lamentatione femetipfos pronos in terram projiciunt. Tum Epifcopus jacentes erigit, & quantum fatis eft pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus eos dimittit.* CONCILIUM AGATHENSE Can. 60. *In pœnitentium loco ftandi & orandi humilitatem ita noverint obfervandam, ut etiam ipfi, cum Catechumeni egredi commonentur, difcedant. Innocentius I.* Epift. 3. cap. 2. *Confuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, fed communio negaretur: negata merito communio eft, conceffa pœnitentia, ne totum penitus negaretur. Concilium Illiberitanum* Can. 14. *Virgines quæ virginitatem fuam non cuftodierunt, fi eofdem, qui eas violaverint, duxerint maritos, poft annum fine pœnitentia reconciliari debebunt. Si alios cognoverint, placuit, per quinquennii tempora acta legitima pœnitentia admitti eas ad communionem:* (id eft precum in Confiftentia.) *Concilium Ancyranum* Can. 4. *Qui afcenderunt templa* (gentilium) *fi compleverunt pœnitentiam triennii temporis, fine oblatione fufcipiantur. Si autem non manducaverunt* (idolothita) *biennio fubjecti pœnitentiæ, tertio anno fine oblatione communicent* (in precibus.) *S. Auguftinus* lib. de fide & operibus. *Nifi effent quædam* (peccata) *non ea humilitate pœnitentiæ fananda, qualis in Ecclefia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur.* Et Hom. 27. inter 50. *Eft pœnitentia gravior & luctuofior, in qua proprie* (vocantur) *in Ecclefia pœnitentes.* Ex his & plurimis aliis textibus patet, per pœnitentiam fimpliciter ac proprie fumptam antiquitus intellectam effe Subftrationem, non Confiftentiam.

PROPOSITIO V.

Conftanter jam à primo fæculo viguit Difciplina, fubjiciendi pœnitentiæ publicæ non folum Idololatriam, Homicidium, & Adulterium, fed etiam quævis alia graviora crimina, fi erant publica, aut denuntiata & convincenter probata.

PROBATUR ex teftimoniis Synchronorum aut proxime coævorum teftium, hic referendis.

1. *Author Conftitutionum Apoftolicorum* lib. 4. cap. 5. ab Oblatione rejicit Tabernarios, prædatores, direptores, eos qui viduam affligunt, & pupillum opprimunt, qui innocentes incarcerant, qui famulos dure tractant, falfarios, Advocatos, artifices idolorum, fures, ebrios, rerum dilapidatores, fœneratores, & varia alia peccantium genera, prout oftenfum eft Propofitione 1. imo in fine addit: *Quilibet denique fceleratus, aut voluntati divinæ repugnans.* Ergo cum rejici ab oblatione nihil aliud fit, quam redigi in ordinem pœnitentium, prout patet ex lib. 2. cap. 57. earundem Conftitutionum, & aliis textibus ibidem adductis Propof. 1. omnia indifcriminatim crimina publica, aut per denuntiationem convincenter probata poterant fubjici pœnitentiæ publicæ, fi conditio perfonarum & circumftantiarum id permittebat. Idem Author lib. 2. cap. 16. nullum crimen à pœnitentia publica excipit, dum ait: *Cum aliquem deliquiffe videris, jube eum ejici foras:* & lib. 2. cap. 48. *Non de omni peccato idem judicium pronuntiatis; alios mulctationi largiendi pauperibus, alios jejuniis comprimes, alios ex Ecclefia ejicies pro gravitate criminis.* Quod autem loquatur de criminibus publicis, aut per denuntiationem convincenter probatis, patet ex textibus Propof. 1. adductis.

2. *Gregorius Thaumaturgus* ftatuit varias pœnitentias publicas in diripientes, aut retinentes bona aliena tempore incurfionis hoftilis; eamque difciplinam dicit in fua Diœcefi obfervari *fecundum formam.* Can. 5. *Mifimus Euphrofinum conpresbiterum noftrum, ut fecundum formam, quæ hic eft ei fimilis, det, & quorum accufationes admittere oporteat & quos à precibus abdicare.* EPIST. CANONICA.

3. *Petrus Alexandrinus* inter Canones pœnitentiales non folum comprehendit accufatos de idololatria, fed etiam eos, qui fraude quæftionem judicialem declinarunt, addens tamen *Can.* 13. fe nolle per hoc admittere accufationem adverfus eos, qui fibi fuga confuluerunt. Nec tamen eos, qui omnia reliquerunt & fecefferunt licet accufare.

4. *In Concilio Illiberitano, Ancyrano, Laodicenfi,* & aliis fubfequentibus dictatur pœnitentia publica diverfiffimis peccatis aut publicis, aut per denuntiationem convincenter probatis: fic in Illiberitano dicitur Can. 20. *Si quis Clericorum detectus fuerit, ufuras accipere, placuit eum degradari & abftinere* (à communione precum.) *Si quis Laicus accepiffe probatur ufuras, fi in ea iniquitate duraverit, ab Ecclefia effe projiciendum.* Ibidem continetur Can. 16. *De parentibus, qui fuas filias defponfant cum Judæis vel Hæreticis.* Can. 21. *de emanentibus tribus Dominicis ex conventu Ecclefiæ.* Can. 62. *de Auriga & Pantomimis,* &c. In *Concilio Arelatenfi I.* habetur Can. 11. *de puellis, quæ junguntur gentilibus.* Et Can. 14. *de falfis accufatoribus fratrum.*

5. *Gregorius Nyffenus* in *Epiftola ad Letojum* teftatur, antiquos Patres per Canones pœnitentiales adeoque per pœnitentiam publicam fanare voluiffe omnia vitiorum genera, quæ committuntur aut per *appetitum irafcibilem,* aut per *appetitum concupifcibilem,* aut per *rationem. Unum eft,* inquit, *fi intelligamus legitimam & Canonicam in iis, qui peccarunt, œconomiam, ut curetur omnis morbus animæ, qui per aliquod peccatum accidit. --- Quemadmodum enim in corporali medela varium eft curationis genus, ita cum multa fit in morbo animæ affectionum varietas, multiformis quoque neceffario fuerit medica curatio. Tria funt in anima; Ratio, Concupifcentia, & Ira; in iis funt & recte facta, & delicta. His ita diftinctis, quæcunque peccata RA-*

[..]ONEM attingunt; graviora judicata sunt à [..]tibus, & majori, ac diuturniori, & laboriosiori conversione digna: ut si quis fidem in Christum negavit, pœnitentiæ tempus vitam omnem habet: nunquam enim dum mystica peragitur oratio Deum una cum populo adorare sinetur, sed seorsim precabitur. Dein tractat de præstigiis, Divinatione, adulterio, fornicatione, sodomia, bestialitate, furto, rapina. Et addit: Qui sua sponte occultorum accusator esse voluerit, in mitioribus pœnis versatur; qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem vel accusationem convictus est, longius illi conversionis tempus datur.

6. *Concilium Laodicenum* sub Sylvestro I. celebratum Can. 2. Eos, qui in diversis delictis peccant, & orationi Exomologesis & pœnitentiæ insistunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, admitti ad communionem (precum videlicet communium sub sacrificio Missæ.)

7. *S. Basilius* in Regulis fusius disputatis Interrog. 46. Quidquid est in quo peccatur, id referri ad Antistitem debet, sive ab eo ipso, qui peccatum commisit, sive ab illis, qui illius conscii sunt, si illud ipsi curare non possunt.

8. *D. Chrysostomus* Homil. 17. in Matth. loquens de prava consuetudine euntium ab obscœna spectacula, dicit: *Si viderimus vos in iisdem manentes, etiam interdicemus vobis omnino sacri istius ingressionem vestibuli, & cælestis participationem mysterii, sicut etiam fornicatoribus, & adulteris, & his, qui de homicidiis arguuntur; melius namque est, cum duobus vel tribus, divinæ legis præcepta servantibus orationes Deo offerre solitas, quam inique agentium multitudinem congregare.*

Ex his ergo patet, omnis generis delicta publica, vel interveniente denuntiatione convincenter probata subjacuisse pœnitentiæ publicæ, quæcunque publice castiganda esse Patribus visum est.

Sed potest objici. 1. Quod *Pacianus* in Parænesi ad Pœnitentiam dicat: *Condonata integra sylva delictorum fideles tantum ad hæc tria conclusos esse, nempe Idololatriam, homicidium, & adulterium*: quod ipsum insinuat *S. Augustinus* Homil. 27. inter. 50. Ergo non omnia peccatorum genera publica subjiciebantur pœnitentiæ publicæ. 2. *Nyssenus* in Epistola ad Letojum dicit: *Cum multa sint, quæ per iram fiunt peccata, & omnia mala; placuit nostris Patribus, in aliis quidem non nimis accurate agere, nec plurimum in eo studii ponere, & omnia quæ ex ira nascerentur delicta curare*; (quamvis Scriptura non solum vulnus prohibeat, sed etiam omne convitium vel maledictum,) *sed adversus unam cædis crimen pœnarum cautionem providerunt.* Et infra. *Altera Idololatriæ species, sic enim Apostolus avaritiam appellat, nescio quomodo absque ulla pœnæ medela à Patribus prætermissa est.* 3. *Tertullianus* lib. de Pudicitia cap. 12. insinuat tantum tria crimina subjecta pœnitentiæ publicæ: de idololatriæ enim, mœchiæ, & homicidii gravitate loquens ait: *Porro qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt, quæ sola necessario abstinenda præscribunt: non quod alia permittant, sed hæc sola præponant, utique non remissibilia.*

Respondeo, Pacianum non restringere pœnitentiam publicam ad ista solum tria peccata, imo eam expresse ampliat ad plura alia peccata; sed tantum docet, comparative ad Legem Mosaicam nos ad pauca constringi; sic enim habet: Apud Moysen & veteres minimi quoque peccati, & ut ita dicam, quadrantis rei in eodem infelicitatis æstuario volutati sunt, ut in cœlum ascendere citius fuerit, aut emori satius, quam hæc universa servare. His omnibus nos sanguis Domini liberavit. Hæc illa libertas, quod non omnibus adstringimur, quibus veteres tenebantur; sed donata, ut ita dixerim, sylva delictorum in pauca conclusi sumus & necessaria, quæ servare facillimum esset credentibus & cavere. Dein ex Actibus Apostolorum tantum ponit hujus facilitatis exemplum, dum Apostoli ultra ea, quæ ipsimet gentiles per se agnoscebant & fatebantur peccata tantum pauca imponunt, partim positivi juris, partim juris naturalis, v. g. de fornicatione, quam tamen non agnoscebant aut fatebantur esse peccatum. *Gregorius Nyssenus* solum observat, non *placuisse Patribus*, diuturnis publicæ pœnitentiæ legibus subjicere ea peccata, quæ aut frequenter recurrunt & facile committuntur, ut sunt convitium, maledictum; aut sunt difficilis probationis & determinationis in ordine ad demonstrandam eorum in casu particulari malitiam gravem, qualia sunt plerumque peccata ex ira & actus provenientes ex avaritia; aut quæ sunt tantum interna, ut ipsa avaritiæ affectio. Ex hoc autem Nyssenus non intendit, à pœnitentia publica eximere alia peccata, habentia manifestam mensuram gravis malitiæ. Imo ex eo, quod miretur, solam avaritiam à Patribus prætermissam esse, sequitur, omnia alia ex se ac manifeste gravium delictorum genera regulis pœnitentiæ publicæ subjecta fuisse. *S. Augustinus* l. c. illa tria peccata tantum ponit *Exempli causa*. Ergo eoipso supponit, alia delicta subjacuisse pœnitentiæ publicæ. *Illa pœnitentia luctuosa est*, inquit, *grave vulnus est. Adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium.* Si S. Doctor teneret oppositam sententiam, eam approbaret in libro, *de fide & operibus*, C. 19. ubi eam quæstionem proponit. Nec tamen eam approbat. Dein ipsemet S. Augustinus se sufficienter explicat *l. de symbolo ad Catechumenos*, ubi ait: *Illi quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: nam si levia ipsorum peccata essent, ad hæc dolenda quotidiana oratio sufficeret.* Ex hoc colligitur, omnia peccata, ad quæ delenda non sufficit quotidiana oratio, in classem pertinentium ad pœnitentiam publicam rejici. Idem confirmatur ex indefinito modo loquendi D. Cypriani, dum Epist. 10. sic scribit: *Nam cum in minoribus* (idololatria) *peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesim veniant.* 5. Et Epist. 12. *Cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, quanto magis in his extremis delictis caute omnia observari oportet?* Ex hoc indefinito modo loquendi formari poterit saltem prudens dubium, an non respexerit generaliter ad quævis alia peccatorum mortalium genera.

Ad

Ad textum Tertulliani Respondeo, eum non hoc asserere, quod hæc sola crimina *abstinenda* sint per pœnitentiam publicam, sed quod hæc sola ab Apostolis expresse in Concilio Jerosolomitano prohibita fuerint. Aut si loquitur de pœnitentia publica, tantum vult, quod intra tria peccatorum genera semper, necessario, ac indispensabiliter pœnitentiæ publicæ subjicienda sint, quia de his extat speciale præceptum apostolicum. Hanc suam mentem insinuat sequentibus verbis: *Cur* (Apostoli) *cervicem nostram à tanto jugo* (Legis Mosaicæ) *excusant, nisi ut illi compendia ista disciplinæ semper imponant? Cur tot vincula indulgent, nisi ut perpetuo ad necessariora constringant?* Horum verborum hic verosimiliter est sensus: non esse in Episcoporum arbitrio, his criminibus suomet arbitrio condonare castigationem pœnitentiæ publicæ, prout tamen iisdem liberum erat circa alia crimina. Hanc enim libertatem circa alia crimina Episcoporum arbitrio relictam esse, non obscure insinuat S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium cap. 30. ubi sic ait: *De his qui rapiunt, Canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus.* Et forte ob hanc rationem antiqui ferme ea sola peccata in Canones pœnitentiales retulerunt, quæ respectu propriore ad illa tria peccatorum genera reduci poterant.

PROPOSITIO VI.

Si crimina nondum erant publica, sed tantum interveniente secreta denuntiatione convincenter probata, vel confessione secreta ultronea sponte confessa, relinquebatur prudenti Episcoporum arbitrio, an considerata conditione personarum & circumstantiarum essent plectenda per pœnitentiam publicam. Ex hac causa plerumque à pœnitentia publica excipiebantur Clerici, mulieres conjugatæ, virgines, juvenes, & alii, quibus ex publicatione delicti imminebat periculum vitæ vel gravis damni; imo ex hac ratione excipiebantur plerumque etiam illi; qui in eo genere delicti, præsertim occulti, nunquam prius erant una vel altera vice privatim ab Episcopo admoniti.

PROBATUR hæc propositio ab inductione variarum ejusmodi exemptionum à legibus pœnitentiæ publicæ. Nam

1. *Excipiebantur Clerici* quoad peccata nondum publica seu notoria, attamen aut sponte confessa, aut interveniente denuntiatione secreta convincenter probata. Id colligitur ex S. Leone Epist. 92. ad Rusticum Cap. 2. ubi sic habet: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbiterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi; quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit. Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Quod hoc loco sermo sit de criminibus occultis, attamen secrete denuntiatis, insinuat hujus Cap. 2. Summarium, quod sic habet: *Quod Presbiteri aut Diaconi, si in aliquo crimine detecti fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi.* In hoc sensu intelligendus est etiam *Siricius Papa* Epist. 1. Can. 14. ubi dicit: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum.*

Cæterum circa crimina notoria alia servabatur Disciplina: nam, ut recte probat Morinus Lib. 4. cap. 14. Clerici talium criminum publicorum rei degradabantur, sicque degradati in ordine Laicorum pœnitentiæ publicæ subjiciebantur.

2. *Excipiebantur Juvenes, mulieres, virgines,* saltem si crimen nondum erat publicum. *Concilium Arelatense II.* Can. 22. *Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.* Aurelianense III. Can. 24. *Ne quis pœnitentiæ benedictionem juvenibus personis credere præsumat. Certe conjugatis nisi ex consensu partium ætate jam plena, dare non audeat. Concilium Agathense* Can. 15. *Juvenibus pœnitentia non facile committenda est propter ætatis fragilitatem. S. Basilius* ad Amphilochium Can. 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus; eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.*

3. *Excipiebantur, quorum peccata innotescebant Episcopo per privatam denuntiationem cum spe emendationis per privatam correctionem. S. Augustinus* Hom. 49. inter 50. admonet quidem uxores, ut maritos fornicantes denuntient, sed serm. 16. de Verbis Domini testatur, se eos non statim prima vice subjicere pœnitentiæ publicæ. *Nolite*, inquit Hom. 49. *viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam.* Et serm. 16. *In secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publice arguere prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere. Quid si inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publice corripere. At tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo. Corripio in secreto; pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus: aut putant nos tacere, quod scimus. Sed forte quod scis, & ego scio; sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare.* Quod hoc loco S. Augustinus loquatur de denuntiato per denuntiationem secretam, clarum est, quia reum primum terret, & movet ad pœnitentiam; & quia à nonnullis, nempe denuntiatoribus reprehenditur, quod non corrigat.

Eadem Disciplina probatur ex lib. 2. *Constitutionum Apostol.* Can. 37. ubi dicitur: *Considera eum, qui accusatus est, animadvertens, quæ ejus vita sit; & si reperieris accusatorem dicere verum, fac, ut Dominus faciendum esse voluit; conveni accusatum seorsim, & argue eum nemine præsente, ut pœniteat. Si autem non paruerit, adhibito uno & altero indica ei erratum. Si vobis tribus non crediderit, bene se habet; si obstinatus erit, dic Ecclesiæ.*

Concilium Illiberitanum Can. 20. *Si quis Clericus detectus fuerit, usuras accipere, placuit eum degradari & abstineri. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit, jam correctus, se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum.*

4. Ex-

4. *Excipiebantur regulariter etiam illi, qui ultro confitebantur peccata occulta, per canones pœnitentiales specialiter non RESERVATA ad pœnitentiam publicam.* Probatur ex eo, quia ultro confitentes tantum jubentur redigi in ordinem consistentium, quæ statio non est habenda simpliciter ac rigorose pro pœnitentia publica, prout ostensum est Propositione 4. Quod vero ejusmodi peccata non *reservata*, ultro confessi, redacti fuerint tantum in ordinem *consistentium* ex instituto probabitur positive in Responsione ad Objectionem tertiam. Dixi *regulariter*, quia ante definitiones Conciliorum id erat in arbitrio Episcoporum. Quod interea probatur negative, quia major severitas, quam hic adstruitur, probari non potest.

PROPOSITIO VII.

Sæculo sexto ea usurpari cœpit regula, ut illa præsertim crimina subjicerentur pœnitentiæ publicæ, quæ in foro externo morte plectebantur.

Probatur ex testimoniis Synchronorum testium:

1. *Cæsarius Arelatensis* Hom. 42. *Omnis homo, qui post baptismum mortalia crimina commiserit, hoc est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, si pœnitentiam non egerit, nunquam habebit vitam æternam.*

2. *Concilium Toletanum IV.* Can. 46. *Siquis Clericorum in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet proditum triennio pœnitentiæ deputari.*

3. *Concilium Epaunense* Can. 31. *De pœnitentia homicidarum, qui sæculi leges evaserint, placuit observari quod Ancyrani Canones decreverunt.*

4. *Concilium Turronense II.* Can. 52. *Nos, quos lex perimi jubet, si cupiunt audire præconem* (invitantem ad pœnitentiam) *volumus ut convertantur ad vitam.* Dixi autem *præcipue*: quia certum est, non ea sola crimina fuisse subjecta pœnitentiæ publicæ, quæ à legibus morte puniebantur; sic enim puniebatur & fornicatio, usura &c. per publicam pœnitentiam, quin tamen morte punirentur.

PROPOSITIO VIII.

Semper in Ecclesia dabatur obligatio confitendi peccata gravia *reservata*, etiamsi nec fuerint publica, nec convincenter probata, sed aut insufficienter probata, aut omnino occulta.

Ut bene intelligatur sensus hujus propositionis, notandum, per peccata *reservata* à me intelligi peccata actu externo commissa, quibus, si fuissent publica, aut convincenter probata, per Canones pœnitentiales fuisset taxata ac subeunda pœnitentia publica. *Peccata* autem omnino *occulta* voco illa, quæ licet in actum externum prodierint, nondum tamen nota erant multis personis, ex quibus timenda esset divulgatio criminis; nec etiam denuntiata fuerant Superioribus Ecclesiasticis. Propositio sic explicata

Probatur. Concilia & Patres docent, illa genera peccatorum, quibus per canones pœnitentiales statuta erat pœnitentia publica, necessario confitenda, & pœnitentiæ publicæ subjicienda esse, etiamsi fuerint occulta, aut nondum convincenter probata. Ergo docent obligationem, confitendi peccata *reservata*, etiamsi non fuerint publica, aut convincenter probata, sed omnino occulta, supposito, quod conditio personarum, aut circumstantiarum non eximeret à pœnitentia publica. *Antecedens probatur* ab inductione coævorum aut certe proxime coævorum testium.

1. *Tertullianus* de ejusmodi peccatis loquens, lib. de Pœnitentia cap. 7. sic habet: „Providens „Deus, (peccata post baptismum committenda) „intinctionis (baptismalis iterandæ) sera obstru„cta, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ „pulsantibus patefaciat: sed jam semel, quia jam „secundo; sed amplius nunquam, quia proxime „frustra. — Non statim subruendus est animus „desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat peccare rursus (post baptismum) sed rursus pœnitere non pigeat. Neminem pudeat; offendisti: Sed reconciliari „adhuc potes. — (Divinus pater) prodigum „filium pœnitentem libenter suscipit. Is ergo „te filium suum recipiet. Sed si pœnitcat ex „animo, dicens, deliqui. Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat: Confessio enim satisfactionis consilium „est, (id est, propositum) dissimulatio contumaciæ. Cap. 9. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ „& unius, quanto in arcto negotium est, tanto „operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis græco vocabulo „exprimitur, & frequentatur, Exomologesis est, „qua delictum Domino nostrum confitemur, non „quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur. Confessione pœnitentia „nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque „Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis est Disciplina, conversationem injungens „misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu „atque victu mandat, facco & cineri incubare, „corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum & potum pura „nosse; plerumque jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque „ad Dominum, Presbyteris advolvi, & caris „Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes „deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut „in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis „relevat. Cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit: in quantum non peperceris „tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. Cap. „10. Plerosque tamen hoc opus ut publicationem „sui aut suffugere, aut de die in diem differre „præsumo, pudoris magis memores, quam salutis, velut illi, qui in partibus corporis vere„eundio-

„cundioribus contracta vexatione conscientiam „medentium vitant, & ita cum erubescentia sua „pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus aquiro, cum ipse hominem quodammodo exhortatur: Ne me respexeris, dicens, pro te mihi melius est perire. Certe periculum ejus tunc si forte onerosum est, cum penes insultaturos in resiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur. Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis species, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi patre, quid tuos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condolcat universum, & ad remedium conlaboret necesse est. In uno & altero Ecclesia est; Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi, cum super te lachrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod Christus postulat. Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur: videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? Cap. 11. Quid si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra lætitiam oportet diversari, in asperitudine facci, & horrore cineris, & oris de jejunii vanitate? Num ergo in Coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? — Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc macceror, & excrucior ut Deum reconciliem mihi. Cap. 12. Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Hæc omnia ostendunt, Tertullianum agnovisse obligationem confitendi ac subjiciendi pœnitentiæ publicæ peccata etiam occulta, saltem per Canones *reservata*.

2. *Origenes* Homil. 2. in Psalmum 37. „Qui pro peccatis suis confitetur Deo, & animo dolet dum pœnitet, sciens post exitum vitæ, quæ pœna immineat peccatori, hæc dicit, exponens, quanta pati necesse sit eum, qui se ad pœnitentiam emendationemque convertit, quomodo derelinquant eum amici & proximi sui, & longe efficiantur pro eo, quod ipse se ad Exomologesin peccati sui, mœroremque convertit. Dicit ergo: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt*. Intellige mihi fidelem quidem hominem, sed tamen infirmum, qui etiam vinci ab aliquo peccato potuit, & propter hoc mugientem pro delictis suis, & omni modo curam vulneris sui, sanitatemque requirentem, licet præventus sit & lapsus, volentem tamen medelam & salutem reparare. Si ergo hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur, quæ commisit, & humana confusione contempta parvipendat eos, qui exprobrant eum confitentem, & notant vel irrident: ille autem intelligens, per hoc veniam sibi dari, & in die resurrectionis pro his, quibus nunc confunditur coram hominibus, tunc ante Angelos Dei confusionem atque opprobria evasurum, ut nolit tegere & occultare maculam suam, sed pronuntiet delictum suum, nec velit esse sepulchrum dealbatum; si, inquam, talis aliquis sit fidelis, ut si quid sibi conscius sit, procedat in medium, & ipse sui accusator exsistat; hi autem qui futurum Dei judicium non metuunt, hæc audientes, cum infirmantibus non infirmentur, sed dicant, longe te fac à me, neque accedas ad me, quoniam mundus sum, & detestari cum incipiant, quem antea admirabantur; & ab amicitiis recedant ejus, qui delictum suum noluit occultare; super his ergo consequenter dicit, qui Exomologesin, id est, confessionem facit: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & proximi mei de longe steterunt*. Sed hæc non oportet formidare eum, qui post delictum salvari cupit, neque notam eorum pertimescere. Non ergo cogitet de talibus, sed cogitet de anima sua, exorans Deum ut ab ipso exaudiatur, & sublevetur post casum suum, ut possit etiam dicere quæ sequuntur. *Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo & cogitabo pro peccato meo*. Licet amici mei & proximi mei contrarii sint, & propinqui mei se longe faciant à me, dum ego ipse mei accusator efficior, dum crimina mea nullo me arguente confiteor, dum nolo imitari eos, qui etiam dum in judiciis arguantur, & testibus convincantur, & tortoribus etiam arguantur, tegunt tamen mala sua, & plus apud eos obtinet commissi pudor, quam cruciantis pœna. Ego vero, qui scio, nihil latere Deum, sed nuda esse omnia & manifesta in conspectu ejus, quidquid abscondo, occulto quod novit, cur non potius ipse me arguo, ipse me confuto? quid exspecto accusatorem, cum accusator meus conscientia mea mecum sit? Sic forte & ille mihi parcet, si mihi ipse non parcam. Ergo *proximi mei de longe steterunt; & vim faciebant, qui quærebant animam meam: & qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitatem*. Hæc iterum de aliis dicit. Sunt enim quidam, qui quærunt mala justo, & non sic gaudent, cum audierint de bonis ejus aliquid, sicut gratulantur cum audierint mala, & velut insultant, cum in malis aliquibus viderint justum. Et isti sunt, qui cum viderint justum confitentem peccata sua, velut noxium quoddam evomunt virus, propter quod dicit: *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam; Et qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitatem, & dolum tota die meditabantur*. Vide insidiatorem justi. Jam enim justum voco eum, qui in primis ipse sui accusator efficitur, sicut

„ sermo Scripturæ designat: nam ut illum sapientem dicit Scriptura, qui cum arguitur, non odit arguentem, sed insuper diligit eum; sic & justus dicitur, qui post delictum non permanet in delictis, nec exspectat diabolum accusatorem suum, neque ut ille proferat in medium peccata ipsius, sed ipse se arguit, & convincit, & per confessionem suam liberatur à morte. --- *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Etiam hæc vox boni peccatoris est, qui deliquerit quidem, exspectet tamen delictorum flagella, quibus in præsenti optet emendari, ne puniatur & pereat in futuro. Propone tibi peccatorem dicentem ad Dominum: Noli me reservare æternis ignibus; noli me reservare exterioribus tenebris; dum in hac vita sum, redde mihi peccata mea. Oro te, flagella me quoque, & noli me reservare cum his, qui non flagellentur, & cum hominibus non flagellabuntur, id est, qui penitus derelinquuntur à te, quorum emendationem correptionemque non quæris. Ego in flagella paratus sum; id est, si volueris inducere languores in me, mittere ægritudines, tolerabiliter feram; scio quia dignus sum, ut non solum per ægritudines peccata mea solvantur; sed per omnes afflictiones purgari desidero, tantum ut æternis pœnis & cruciatibus non reserver. Si placet, omnes facultates perire, pereant, tantum ne anima pereat apud te &c. omnibus ergo flagellis emendari, verberarique paratus sum, nihilque horum recuso, tantum ut supplicia æterni ignis effugiam: ante oculos meos habeo dolorem meum, ut futuros pœnarum dolores præsentibus possim doloribus compensare. *Quoniam iniquitatem meam pronuntio.* Pronuntiationem iniquitatis, id est, confessionem peccati frequenter diximus. Vide ergo quid doceat nos Scriptura: Quia non oportet peccatum celare intrinsecus: fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris aut phlegmatis stomacho graviter & moleste imminentia, si vomuerint, relevantur: ita ii qui peccaverunt, si occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate & humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum suum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam; ut ita demum, si quid ille dixerit, si quid consilii dederit, facias & sequaris; si intellexerit, & præviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est.

In hoc textu clarum est, quod Origenes loquatur de pœnitentia publica peccatorum occultorum, saltem *reservatorum.*

3. *S. Cyprianus* eos gravissime peccare docet, qui negligunt confiteri lapsum in persecutione commissum, quamvis lateant Episcopum. Ergo manifeste docet obligationem confitendi peccata *reservata*, quamvis nec publica, nec denuntiata, sed occulta. *Sermone de lapsis* demonstrans malitiam & punitionem divinam taliter occultantium lapsus occultos sic habet: „Ad prima statim verba minantis inimici (persecutoris) maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. --- Non exspectarunt, saltem ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi; ante aciem multi victi, sine congressione prostrati; nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid illi, qui à Magistratibus vespere urgente dilati sunt, quod ne differretur interitus (abnegatio fidei) etiam rogaverunt: -- multis proprius interitus satis non fuit; hortamentis mutuis in exitum suum populus impulsus est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi vel attracti: --- accedit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallax & blanda pernicies; laxatur incautis communicatio: pœnitentia de peccatoribus excussa est, à diaboli aris ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes Domini Corpus invadunt. Ante expiata delicta, ante Exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. --- Quem timorem fuisse apud eum credas, quem persecutio ipsa non reformavit? Si minor fides est futurorum, vel præsentibus terreantur. Ecce, eorum qui negaverunt quæ supplicia conspicimus? quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic sine pœna esse possunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ. Unus ex his qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit, --- præsente ac teste meipso accipite quid evenerit. Parentes fugientes parvulam filiam sub nutricis alimento reliquerunt. Relictam nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud idolum panem mero mixtum, quod de immolatione superarat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum loqui non potuit. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. — Solennibus adimpletis calicem Diaconus præsentibus offerre cœpit (tunc & parvulæ) reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit. Sequitur singultus & vomitus. In corpore & ore violato Eucharistia permanere non potuit. Secreta tenebrarum detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hæc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum crimen necdum babuit ætatem. At vero ea, quæ ætate provecta & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sangui-„nem

„ nem (Christi) admittens angi, & anima ex„ æstuante concludi postmodum cœpit, & pressu„ ram non jam persecutionis sed delicti sui passa pal„ pitans & tremens concidit: impunitum diu non „ fuit nec NB. occultum dissimulatæ conscientiæ „ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum sen„ sit ultorem. Alius qui & ipse maculatus Sa„ crificio à Sacerdote celebrato partem cum cæ„ teris ausus est latenter accipere, Sanctum Do„ mini edere & contrectare non potuit: cinerem „ se ferre apertis manibus invenit. Quam mul„ ti quotidie pœnitentiam non agentes, nec de„ licti sui conscientiam confitentes, immundis „ spiritibus adimplentur! quam multi usque ad „ insaniam mentis excordes dementiæ furore qua„ tiuntur! — Unusquisque consideret, non „ quid alius passus sit, sed quid pati & ipse me„ reatur. Nec sibi, quo minus agant pœniten„ tiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis „ manus non contaminaverunt, Libellis tamen „ conscientiam polluerunt. Viderit an minore „ dedecore vel crimine apud homines publicave„ rit (legendum, *celaverit*) quod amisit; Deum „ tamen judicem subterfugere & vitare non po„ terit. Deus perspicit abdita, & secreta, atque „ occulta considerat. Quanto & fide majores „ & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sa„ crificii aut libelli facinore constricti, quoniam „ tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes dolenter & simpliciter confitentes „ Exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui „ pondus exponunt, salutarem medelam parvis „ licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes „ scriptum esse: Deus non deridetur. Derideri „ & circumveniri Deus non potest, nec astutia „ aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit, qui „ secundum hominem Deum cogitans evadere se „ pœnam criminis credit, si non palam crimen „ admisit. -- Nec (talis) cesset in agenda pœni„ tentia, ne quod minus esse in qualitate delicti „ videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. „ Confiteantur singuli delictum suum, dum ad„ huc qui deliquit in sæculo est, dum admitti „ confessio ejus potest, dum satisfactio, & remis„ sio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. In hoc textu D. Cyprianus manifeste agnoscit speciale crimen in dissimulatione conscientiæ de peccato occulto, saltem *reservato*.

Idem Epistola 62. Distinctionem facit inter virgines deprehensas, quod dormierint cum viris; si enim tales pœnitentiam egerunt de tali concubitu, attamen per obstetrices inventæ sunt esse virgines, dicit eas, *cum communicatione* in Ecclesiam admittendas esse: si vero deprehensæ sunt, non esse virgines, tunc jubentur agere pœnitentiam plenam. Ex quo colligitur, tantum fornicationem completam tunc temporis pœnitentiæ publicæ *reservatam* fuisse, non alia crimina quæ in tali concubitu fieri solent, & insinuantur à D. Cypriano: quod nolim hoc loco adducere ad probandam præsentem propositionem, sed ut appareat distinctionem inter peccata *reservata* & non *reservata* merito factam esse.

4. *Pacianus in Paræneſi ad pœnit.* Nullus existimet, hunc ipsum de pœnitentiæ institutione „ sermonem solis tantummodo pœnitentibus or„ dinatum, ne propter hoc, quisquis extra hunc „ gradum positus est, ea quæcunque dicentur, „ velut in alios destinata fastidiat, cum in hanc „ quasi fibulam totius Ecclesiæ disciplina coarcte„ tur, quando & Catechumenis, ne in hoc trans„ eant; & fidelibus, ne in hoc redeant, provi„ dendum sit; ipsis vero pœnitentibus, ut cele„ riter ad hujus operis fructum perveniant, labo„ randum. Sermonum tamen meorum hic ordo „ servabitur. Primum ut de modo criminum „ edisseram, ne quis existimet omnibus omnino „ peccatis summum discrimen impositum. Tum „ de his fidelibus dicam, qui remedium suum eru„ bescentes male verecundi sunt, & inquinato „ corpore ac polluta mente communicant; in „ conspectu hominum timidissimi, ante Domi„ num vero impudentissimi profanis manibus & „ polluto ore contaminant altare metuendum. „ Tertio de his erit sermo, qui confessis bene „ apertisque criminibus remedia Pœnitentiæ „ actusque ipsos Exomologesis administrandæ aut „ nesciunt aut recusant. Postremo illud aper„ tissimum enitemur ostendere, quæ pœna sit „ aut non agentibus pœnitentiam, aut etiam ne„ gligentibus, atque ideo in vulnere suo ac tu„ more morientibus; quæ rursus sit corona, quod „ præmium, conscientiæ maculas, recta & ordi„ naria confessione purgantibus. Primum igitur „ retractemus, quæ sint peccata, quæ crimina, „ ne quis existimet, propter innumera delicta, „ quorum fraudibus nullus immunis est, me omne „ hominum genus indiscreta pœnitendi lege con„ stringere. — Apostoli tradiderunt gentibus: „ Abstineatis vos ad idolothytis, à sanguine, & „ fornicatione. Hæc novi testamenti tota con„ clusio. Reliqua peccata meliorum operum „ compensatione curantur. Quid ergo? multi „ sanguinis (homicidii) rei; multi idolis manci„ pati; multi adulteri. Addo, non solas manus „ in homicidio plecti, sed & omne consilium, „ quod alterius animam impegit in mortem; nec „ eos tantum, qui thura mensis adolevere pro„ fanis, sed omnem prorsus libidinem extra uxo„ rium thorum, & complexus licitos evagantem, „ reatu mortis adstringi. --- Ergone, inquiet ali„ quis, moriemur in peccatis nostris? Et quid „ facies tu Sacerdos? — Vos ergo primum ap„ pello, qui criminibus admissis pœnitentiam re„ cusatis; vos, inquam, post impudentiam timi„ dos, post peccata verecundos; qui peccare „ non erubescitis, & erubescitis confiteri; qui „ cum mala conscientia Dei Sancta contingitis, & „ altare Domini non timetis. Qui ad manus Sa„ cerdotis, qui in conspectu Angelorum, sub „ fiducia innocentiæ acceditis. Qui tacenti Deo, „ velut nescienti, pollutam animam & profanum „ Corpus ingeritis. — Iterum Apostolus ad Sa„ cerdotem. *Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis.* Quid facies tu, qui de„ cipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, „ aut non ad plenum scientem probandi difficul„ tate confundis? Rogo ergo vos, fratres, per „ illum Dominum, quem occulta non fallunt, de„ finite vulneratam tegere conscientiam. Pru„ dentes ægri medicos non verentur, ne in occul„ tis

„ tis quidem corporis fecaturos. Et peccator ti-
„ mebit? peccator erubefcet, perpetuam vitam
„ præfenti pudore mercari? & offerenti manus
„ Domino vulnera male tecta fubducet? an ficilli
„ melius eft perire, ne tu pudore timidus fine pu-
„ dore moriaris? Si fratrum oculos erubefcitis,
„ confortes cafuum veftrorum nolite timere. Qui
„ fratribus fua peccata non tacet, Ecclefiæ lachry-
„ mis adjutus Chrifti precibus abfolvitur. Nunc
„ ad eos fermo fit, qui bene ac fapienter vulnera
„ fua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid
„ fit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina no-
„ verunt; fimilesque funt, qui plagas fuas medi-
„ cis quidem confitentur, fed, quæ imponenda
„ funt, negligunt. — Si de cruciatu Exomolo-
„ gefis retractatis; gehennam recordemini, quam
„ vobis Exomologefis extinguet. — Rogo vos
„ per Ecclefiæ fidem fratres, per communes
„ omnium animas obteftor, ne pudeat in hoc ope-
„ re, ne pigeat, remedia falutis invadere, facco
„ corpus involvere, cinere perfundere, macerari
„ jejunio, mœrore conficere, multorum precibus
„ adjuvari." Ex hoc textu clarum eft, Pacianum
loqui de peccatis occultis *refervatis* ad pœniten-
tiam publicam, atque in iis agnofcere obligatio-
nem confeffionis.

5. *S. Ambrofius de Pœnitentia* pluribus locis
fupponit neceffitatem confitendi peccata gravia
refervata, quamvis occulta, & quidem in ordine
ad pœnitentiam publicam. Lib. 1. cap. 1. „Quid
„ durius, quam ut (Novatiani pœnitentibus) in-
„ dicant pœnitentiam, quam non relaxent? ne-
„ mo poteft bene agere pœnitentiam, qui non
„ fperaverit indulgentiam. Sed negant, his opor-
„ tere reddi Communionem qui prævaricatione
„ lapfi funt. Cap. 2. Sed ajunt, fe exceptis gra-
„ vioribus criminibus relaxare veniam leviori-
„ bus. Sed Deus diftinctionem non facit, qui
„ relaxandi licentiam Sacerdotibus fuis fine ulla
„ exceptione conceffit. Sed qui culpam exagge-
„ ravit, exaggeret etiam pœnitentiam; majora
„ enim crimina majoribus abluuntur fletibus.
„ Cap. 3. Poteft fieri, ut aliquis victus fupplicii
„ fermone Deum neget, & corde adoret. Nun-
„ quid eadem caufa eft ejus, qui fponte negat?—
„ Ifti labiis me negarunt, fed corde mecum funt.
„ Vicit eos pœna, non avertit perfidia, nega-
„ runt femel, fed quotidie confitentur: negarunt
„ fermone, fed confitentur gemitibus, confiten-
„ tur ejulatibus, confitentur fletibus. Cap. 5.
„ Hos ergo vos Novatiani excluditis? quid eft
„ enim aliud excludere, quam fpem veniæ dene-
„ gare? Cap. 7. Cur baptizatis, fi per hominem
„ peccata dimitti non licet? in baptifmo utique
„ remiffio peccatorum omnium eft? Quid inter-
„ eft, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum
„ hoc jus fibi datum Sacerdotes vendicent? unum
„ in utrumque myfterium eft. Sed dices: quia
„ in lavacro operatur myfteriorum gratia. Quid
„ in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur?
„ Quid ergo? ubi vultis, repudiatis. Sed hoc
„ arrogantiæ, ut vobis faftidio fint volentes age-
„ re pœnitentiam; perpeti videlicet pœnitentium
„ lachrymas non poteftis; non ferunt oculi ve-
„ ftri vilia veftimentorum, illuviem fordidato-
„ rum. Cap. 14. Paulus venit in virga, quia à
„ Communione facra convictum removit. Et
„ bene dicitur tradi Satanæ, qui feparatur à Chri-
„ fti Corpore. Venit etiam in fpiritu manfue-
„ tudinis, vel quia fic tradidit, ut fpiritum ejus
„ falvum faceret; vel quia eum, quem antea fe-
„ queftraverat, poftea Sacramentis reddidit.
„ Cap. 15. Jam tum igitur Apoftolus reddendum
„ Sacramentis judicavit cœleftibus, fi purgari fe
„ ipfe vellet. Et bene ait: Expurgare: velut
„ enim operibus quibusdam totius populi pur-
„ gatur, & plebis lachrymis abluitur, qui ora-
„ tionibus & fletibus plebis redimitur à peccato,
„ & in homine mundatur interiore. — In Ev-
„ angelio invidus ille frater fratrem receptum
„ doluit; cujus vos fimiles effe Novatiani non
„ poteftis negare, quia ideo in Ecclefiam non
„ convenitis, quia per pœnitentiam tributa fpes
„ fuerat his, qui lapfi funt, revertendi. Cap.
„ 16. Cum Apoftolus peccatum dimiferit, qua
„ vos authoritate dimittendum negatis? — fru-
„ ftra dicitis, vos prædicare pœnitentiam, qui
„ tollitis fructum pœnitentiæ. Homines ad ali-
„ quod ftudium aut præmiis aut fructibus inci-
„ tantur: omne autem ftudium torpefcit dilatio-
„ ne. Et ideo Dominus ut præfentium fructu
„ cumularetur devotio difcipulorum, dixit,
„ quod, qui dimififfet omnia, & Deum fecutus
„ effet, centies tantum reciperet & hic & in fu-
„ turum: prius hic præmifit, ut faftidia dilatio-
„ nis auferret: addidit & in futurum, ut hic di-
„ fceres credere, in futurum quoque folvenda
„ tibi præmia. Remuneratio igitur præfentium,
„ teftimonium futurorum eft. Si quis igitur NB.
„ occulta crimina habens propter Chriftum tamen
„ ftudiofe pœnitentiam egerit, quomodo ifti re-
„ cipit, fi ei Communio non refunditur? Volo
„ veniam reus fperet, petat eam lachrymis, pe-
„ tat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut
„ ignofcatur & obfecret, & cum fecundo & tertio
„ fuerit dilata ejus Communio, credat remiffius
„ fe fupplicaffe; fletus augeat miferabilior poftea
„ revertatur, teneat pedes brachiis, ofculetur
„ ofculis, lavet fletibus, ut de ipfo dicat Domi-
„ nus; Remiffa funt peccata ejus multa, quoniam
„ dilexit multum."

Ex hoc ultimo Divi Ambrofii textu clarum eft, etiam publicam pœnitentiam fufceptam fuiffe de peccatis occultis, de quibus pœnitens non erat denuntiatus aut convictus. Dicit enim, *propter Chriftum* pœnitentiam fufceptam effe; & vis argumenti Ambrofiani in eo eft, quod ultro propter Chriftum operans debeat hic in mundo recipere fructum, quem talis pœnitens non reciperet, fi privaretur Communione facra, vel fidelium in oratione. Argumentum non habuiffet vim, fi pofuiffet pœnitentem de peccatis publicis, vel denuntiatis, de quibus fuerat convictus: refpondiffent enim Novatiani, talem merito privari fructu, quia pœnitentiam non ultro propter Chriftum, fed coactus, utpote convictus, & ad eam pœnitentiam ab Epifcopo condemnatus fufcepit. Cæterum quod tales pœnitentes fua occulta peccata ex obligatione confcientiæ confeffi fint, eo quod nulla alia ipfis patuerit falutis via, probant fequentes textus.

Lib. 2.

Lib. 2. *cap.* 1. „ Agenda est pœnitentia non „ solum solicite, sed etiam mature; ne forte „ Evangelicus ille Paterfamilias quærens fructum „ in arbore, si non invenerit, dicat cultori vineæ, „ succide illam: --- non ergo erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est, ut unusquisque crimina sua prodat: sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit, fructus adolet.

Lib. 2. *cap.* 3. „ Filius prodigus fame peribat, „ qui divino alimento egebat, cujus desiderio „ compulsus, surgam, inquit, & ibo ad patrem „ meum. Nonne advertistis, quod merendi gratia Sacramenti ad precandum impellimur, & „ hoc (vos Novatiani) auferre vultis, propter „ quod agitur pœnitentia? Quomodo potest, qui „ famem patitur animæ suæ, studiosius Deum precari, si sacram desperet alimoniam? Peccavi, „ inquit, in cœlum & coram te: fatetur utique „ peccatum ad mortem, ne quem vos agentem „ cujuslibet criminis pœnitentiam jure excludi „ putaretis: quando is, qui in cœlum peccavit, „ tam cito veniam meretur, ut venienti pater „ osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis, „ stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis, „ vitulum præcipiat occidi, quia pascha nostrum „ immolatus est Christus. Sicut ergo semel pro „ omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur corporis ejus sacramentum sumimus: ut per sanguinem ejus fiat peccatorum „ remissio. Ergo evidentissime Domini prædicatione (per parabolam filii prodigi) mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto „ corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cœlestis refundendam „ gratiam. Cap. 5. Judas, peccavi, inquit. Responderunt; quid ad nos? tu videris. Quæ „ vox alia vestra (o Novatiani) cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid respondetis aliud, nisi hoc: „ Quid ad nos? tu videris. Sed si isti (Novatiani) non convertuntur, vel vos revertimini, „ qui lapsu vario de innocentiæ fideique præcelso fastigio decidistis. Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus. --- Apostoli „ pœnitentiam docuerunt, spoponderunt veniam, „ culpam relaxarunt; sicut & docuit David dicens: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, „ & quorum tecta sunt peccata. --- Qui enim „ agit pœnitentiam, non solum diluere debet lachrimis suum peccatum, sed etiam emendatioribus factis operiri, & tegere delicta superiora, „ ut non imputetur ei peccatum. Ergo tegamus „ lapsus nostris posterioribus factis, mundemus „ fletibus, ut audiat nos Dominus ingemiscentes. „ Cap. 6. Advertimus, quomodo agenda sit pœnitentia, quibus sermonibus, quibus fletibus. „ Ideo subjiciamus nos Deo, ut non subditi simus „ peccato, & peccatorum nostrorum memoriam „ recensentes tanquam opprobrium erubescamus. „ --- Advertimus, quod pœnitentibus Dominus „ Sacramenta promittat sua, ideo omnes convertamur ad Dominum. Dixit enim; Ego sum, „ qui deleo iniquitates tuas. --- Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. „ Vides, qua remissionis pollicitatione te provocet ad confitendum: vide, ne reluctando mandatis cœlestibus in devotionem (execrationem) Judæorum incidas, quibus dicit Dominus: Cantavimus vobis, & non saltastis; lamentavimus & non planxistis, hoc est, non „ egistis pœnitentiam: ideo derelictus est populus Judæorum, quia nec egit pœnitentiam & „ gratiam refutavit. Utrumque Ecclesia custodit, ut & consequatur gratiam, & non abjiciat „ pœnitentiam. Gratia munus largientis est, „ pœnitentia delinquentis remedium. Sed audiunt, qui agunt pœnitentiam, quomodo agere „ debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis „ intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione. Vide, inquit, „ Domine, quia tribulor, venter meus turbatus „ est à fletu meo, conversum est cor meum in „ me. Cognovisti intentionem animi, cognosce & habitum corporis. Sederunt, inquit, in „ terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Jerusalem defecerunt in lachrimis. Sic flevit & Ninive, & denuntiatum excidium civitatis evasit. In te est igitur, ut „ evadas: vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Quid erubescis tu „ peccata tua flere, cum Deus & Prophetas jusserit flere pro populis? Cap. 7. Fleamus igitur ad tempus, ut exultemus in æternum. Timeamus Dominum, præveniamus eum confitendo peccata nostra. Quid vereris apud bonum Dominum tuas iniquitates fateri? Dic, „ inquit, iniquitates tuas, ut justificeris. Adhuc „ Ille enim justificationis præmia proponuntur. „ Ille enim justificatur, qui proprium crimen „ sponte (id est, ante denuntiationem) agnoverit. Denique justus in exordio sermonis accusator est sui. Novit omnia Dominus, sed „ exspectat vocem tuam; non ut puniat, sed ut „ ignoscat; non vult, ut insultet tibi diabolus, „ & celantem (NB.) peccata tua arguat: præveni accusatorem tuum; si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis; si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris reviviscas. Veniat ad monumentum tuum Christus, & si viderit flere pro te Martham, flere Mariam, movebitur misericordia. Cum viderit in obitu „ tuo lachrimas plurimorum, dicet: Ubi posuistis eum? hoc est, in quo reorum statu est? in „ quo pœnitentium ordine? --- dicit defuncto. „ Veni foras, hoc est, quid jaces in tenebris inscientiæ, & delictorum tuorum sordibus? exi „ foras, delictum proprium prode, ut justificeris. „ Ore confessio fit ad salutem. Si confessus fuerit à Christo vocatus, omnia vincula solventur. Refurgit ergo defunctus, & solvi jubentur ejus vincula, qui adhuc in peccato est, tollitur velamen de facie ejus; quod veritatem „ gratiæ, quam acceperat, obumbrabat. Sed qui „ venia donatus est, revelare faciem, aperire „ vultum jubetur, non habet enim, quod erubescat, cui peccatum remissum est. In tanta vero Domini gratia commovebantur impii (Judæi) Lazarum quoque interficere volebant. „ Nonne merito (o Novatiani) eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritiæ hæredes

„ redes estis? nam & vos indignamini, & contra „ Ecclesiam congregatis Concilium, quia videtis „ mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccato- „ rum indulta venia resuscitari. Itaque quod in „ vobis est vultis intersicere suscitatos. Sed o- „ mnes, qui vident puro obtutu, qui invidere „ non norunt; tales enim Ecclesia filios habet, „ mirantur, quomodo ille qui jacebat in tumulo „ heri & nudiustertius, unus fit de discumbenti- „ bus cum Domino Jesu. " Hic textus D. Ambrosii iterum clare ostendit, pœnitentem necessario debere peccata occulta confiteri, si vult assequi veniam, & quidem in ordine ad pœnitentiam publicam.

Idem confirmatur ex sequentibus ejus textibus. Lib. 2. cap. 8. „ Utinam mihi quoque „ (Christe) dicas; Remissa sunt ei peccata „ multa, quoniam dilexit multum. --- Ego scie- „ bam, quia non eram dignus vocari Episcopus, „ quoniam dederam me sæculo huic: tamen quia „ & ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua „ suscepi, hunc fructum tuere, ne quem perdi- „ tum vocasti ad sacerdotium, eum sacerdotem „ perire patiaris, ac primum ut condolere norim „ peccantibus affectu intimo; sed quotiescunque „ peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar, „ nec superbe increpem, sed lugeam & defleam, „ ut dum alium fleo, meipsum defleam, dicens: „ Justificata est magis Thamar, quam ego. For- „ tasse adolescentula lapsa sit, occasionibus, quæ „ delictorum fomites sunt, decepta & præcipi- „ tata sit; peccamus & seniores. Incusamus „ alicujus avaritiam; recordemur, si nihil ipsi „ avare fecimus. --- Non ergo erubescamus, di- „ cere, graviorem nostram culpam esse, quia di- „ xit hoc Judas: *Justificata est magis Thamar, „ quam ego.* In quo & altitudo mysterii est, & „ morale præceptum, & ideo culpæ ejus depu- „ tatum non est, quia ipse se accusavit prius, „ quam ab aliis accusaretur. --- Ergo & agen- „ dam pœnitentiam, & tribuendam veniam cre- „ dere nos convenit. Cap. 9. Sed eos, qui pœni- „ tentiam agunt, hoc solum timere oportet, ne „ ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam. Nam „ plerique futuri supplicii metu peccatorum suo- „ rum conscii pœnitentiam petunt; & cum ac- „ ceperint, publicæ supplicationis revocantur „ pudore. Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, „ ut statim sibi reddi communionem velint. Hi „ non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem „ · are: suam enim conscientiam non exuunt, „ & sacerdotis induunt, cui præceptum est: No- „ lite sanctum dare canibus, neque miseritis mar- „ garitas ante porcos, hoc est, immundis spiri- „ tibus sacræ communionis non facile impertien- „ da consortia. Itaque videas eos candidata ve- „ ste incedere, quos lugere oportebat; fœminas „ autem margaritis onerare aures, quæ se ipsas „ flere debebant, quod margaritam, quæ de cœlo „ est, perdiderunt. Sunt etiam, qui arbitrentur „ hanc esse pœnitentiam, si abstineant à Sacra- „ mentis cœlestibus. Hi severiores in se judices „ sunt, qui pœnam præscribunt, si declinant re- „ medium, quos vel pœnam suam conveniebat „ dolere, quia cœlesti fraudarentur gratia. Alii „ proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam „ sibi delinquendi propagatam putant, cum pœ- „ nitentia remedium peccati sit, non peccandi „ incentivum: vulneri enim medicamentum ne- „ cessarium est, non vulnus medicamento, infir- „ ma deinde spes, quæ committitur tempori, „ cum omne tempus incertum sit.

In hoc textu, cum Ambrosius dicit, plerosque *petere pœnitentiam*, hoc est, confiteri, futuri supplicii metu, eosque retrahi à subeunda pœnitentia pudore, loquitur non de convictis, aut denuntiatis, sed de sponte confitentibus peccata occulta. Cum ergo pœnitentiæ remedium, quod refugiunt, supponat, & satis aperte insinuet, ad salutem ejusmodi peccatoribus esse necessarium, eoipso sequitur, confessionem occultorum criminum in ordine ad pœnitentiam ex usu Ecclesiæ tunc temporis *reservatorum* esse necessariam.

Idem confirmatur ex sequentibus.

Lib. 2. cap. 10. sic pergit: „ An quisquam „ ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non eru- „ bescis rogare hominem? & pudeat te Deo sup- „ plicare, quem non lates, cum te non pudeat „ peccata tua homini, quem lateas, confiteri? „ An testes precationis & conscios refugis? cum „ si homini satisfaciendum sit, multos necesse „ est ambias, obsecres, ut dignentur intervenire, „ ad genua te ipse prosternas, osculeris vestigia? „ hoc ergo in Ecclesia facere fastidis ut Deo „ supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obse- „ crandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est, „ quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum „ omnes simus peccatores, ubi ille laudabilior, „ qui humilior, ille justior, qui sibi abjectior? „ Fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam „ lachrimis lavet, videat te Christus mœrentem; „ amat, ut pro uno multi rogent. Petro statim „ dimisit, quia amarissime flevit. Et tu si ama- „ rissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa di- „ scedet. Nil ergo te revocet à pœnitentia. Me- „ rito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœ- „ nitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. „ Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam „ postea non putarent; quia sicut unum bapti- „ sma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice „ agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere „ peccati. Sed hæc delictorum leviorum, illa „ graviorum. Cap. 11. Bona est ergo pœniten- „ tia, quæ si non esset, omnes ad senectutem dif- „ ferrent ablutionis gratiam. Eos autem qui „ pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus ad- „ monuit, dicens: Nescimus, qua hora fur ve- „ niet. Quid est, quod differas? an ut plura „ peccata committas? Nemo in peccato positus „ arrogare sibi debet usurpationem Sacramento- „ rum, quia scriptum est, quiesce. Melius ergo „ est, tunc (in consuetudine peccandi) quiesce- „ re, cum exercere non queas opera pœnitentiæ, „ ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat „ pœnitentia: quæ si semel fuerit usurpata, nec „ jure (recte) celebrata, nec prioris fructum ob- „ tinet, & aufert usum posterioris. -- Didicimus „ ergo & agendam pœnitentiam, & eo agendam „ tempore, quo culpæ defervescat luxuria, & in „ captivitate peccati positos reverentiores nos, „ non usurpatores esse debere. "

Hæc

Hæc iterum ostendunt, D. Ambrosium de pœnitentia publica loqui, dum docet, per eam expungenda esse peccata occulta, utique *reservata*.

6. *S. Augustinus* omnes adulteros, etiam occultos, adstringit ad pœnitentiam publicam. *Homil.* 49. *inter* 50. sic habet: „Quod dico compe-„tentibus, audiant fideles, audiant & pœniten-„tes. Audite me fideles, id est, baptizati. Quan-„do per vias tortuosas, & lubricas, & immun-„das itis, nescitis, quia peritis? Si non potui-„stis habere, vel noluistis pudicitiam conjuga-„lem, seu continentiam, & deviastis à proposi-„to, vel vinculo conjugali, vel devotione (vo-„to) continentiæ, sit in vobis dolor & humili-„tas pœnitentiæ. Apertius dico. Nemo dicat, „non intellexi. Qui post uxores vestras vos „illicito concubitu maculastis, si præter uxores „vestras cum aliqua concubuistis; agite pœni-„tentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro „vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte „ago; apud Deum ago; novit Deus, qui mihi „ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa „dictum est; Quæ solveritis in terra, soluta „erunt in cœlo? Ergo sine causa datæ sunt cla-„ves Ecclesiæ Dei? Job dicit: Si erubui in con-„spectu populi confiteri peccata mea. Talis „justus ista dicit; & resistit mihi filius pestilen-„tiæ, & erubescit genu figere sub benedictione „Dei? Quod non erubuit Imperator, erubescit „curialis? fortassis imo, quod non dubitatur, „propterea Deus voluit, ut Theodosius Impe-„rator ageret pœnitentiam publicam in conspe-„ctu populi, maxime quia ejus peccatum celari „non potuit: & erubescit Senator, quod non „erubuit Imperator? Erubescit plebejus sive „negotiator, quod non erubuit Imperator? Quæ „ista superbia est? nonne sola sufficeret gehen-„næ, etiam si adulterium nullum esset? - - - „Commendo vos custodiendos uxoribus ve-„stris: zelent viros suos: ego jubeo, Christus „in me jubet: nolite permittere fornicari viros „vestros. Interpellate contra illos Ecclesiam. „Non dico judices publicos, sed Deum. - - - „Postremo, quodlibet sentiat, qui forte indigna-„tur, quia talia disputo. Scio namque, qui sa-„piunt, amant inde me. In hoc à communione „se cohibeant, qui faciunt, quia novi peccata „ipsorum, ne de cancellis projiciantur. Quo-„rum autem nescio, hos coram Deo convenio; „agant etiam ipsi pœnitentiam suam, & deinceps „ab immunditia abstineant fornicationum sua-„rum. Pœnitentibus dico: Quid est, quod agi-„tis? Scitote, nihil agitis. Quid prodest, quia „humiliamini, si non mutamini? - - - Inde est „misera conditio mea, quia plerumque cogor „adulteros nosse, castos nosse non possum. In „occulto est, unde gaudeam; in publico est, „unde torquear.

In hoc textu D. Augustinus adulteros occultos, id est, nondum palam diffamatos, sed tantum occulte forte denuntiatos, qui nolebant subire publicam pœnitentiam, non solum adstringit ad confessionem secretam, sed ad publicam pœnitentiam, quam ab usu clavium circa ejusmodi peccata supponit dividi non solere. Imo etiam nondum sibi denuntiatos ad *suam pœnitentiam* agendam monet, per quam, ut ex sequenti textu colligitur, etiam intelligit publicam.

Homil. 50. inter 50. sic habet: „Quam sit „utilis & necessaria pœnitentiæ medicina facilli-„me homines intelligunt, qui se homines esse „meminerunt. - - - Quisquis pœnitentiæ recu-„sat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. „In psalmo canitur: Ascensus disposuit in con-„valle plorationis; sicut enim comes pœniten-„tiæ dolor est, ita lachrimæ sunt testes doloris. „C. 2. Tres sunt autem actiones pœnitentiæ, „quas mecum vestra eruditio recognoscit. Sunt „enim usitatæ in Ecclesia Dei, & diligenter at-„tendentibus notæ. Una est, quæ novum ho-„minem parturit, donec per baptismum omnium „fiat ablutio peccatorum. C. 3. Altera vero „pœnitentia est, cujus actio per totam istam vi-„tam, qua in carne mortali degimus, perpetua „supplicationis humilitate subeunda est. Primo „quia nemo vitam æternam desiderat, nisi eum „vitæ hujus mortalis pœniteat. Inde illud Apo-„stoli: Ingemiscimus, habitaculum quod de „cœlo est superindui cupientes. Quid ingemi-„scimus, nisi pœnitendo, quia ita sumus? - - - „Nunquid non tentatio est vita humana super „terram? Quo in loco Job mysterium hominis „lapsi tetigit dicens: Tanquam servus fugiens „Dominum suum, & consecutus est umbram. „Nam fugitivus Adam post offensionem pecca-„ti abscondit se à facie Domini, tectus foliis ar-„borum, & consecutus est umbram. Quæ uni-„versa dicta sunt ne quis per baptismum quam-„vis justificatus à prioribus peccatis tamen su-„perbire audeat, si nihil committat, unde ab al-„taris communione separetur, quasi jam de ple-„na securitate se jactans, sed potius servet hu-„militatem quæ pene una disciplina christiana „est. Quis itaque sanæ mentis non ingemiscat? „Cui non per pœnitentiam sic esse displiceat? „quis non tota humilitate supplicans divino ad-„jutorio se exaudibilem præbeat, donec tran-„seat omnis ista tentationum materies atque „umbra terrena? Deinde quamvis se quisque „glorietur sic habere corpus edomitum, ut unum „verum Deum colat, nulli simulacrorum ritui „deditus, nullis sacris dæmoniorum irretitus, „non accipiens in vanum nomen Dei sui, quie-„tem æternam (per sanctificationem Sabbati spi-„ritualem) certus exspectans, debitum hono-„rem parentibus reddens, nec cruentus homici-„dio, nec fornicatione turpatus, nec furto frau-„dulentus, nec mendacio duplicatus, nec rei „vel uxoris alienæ concupiscentia sordidus, non „in suis etiam rebus aut luxuria diffluat, aut „arescat avaritia, non sit contentiosus, non ma-„ledicus, vendat postremo omnia sua & det „pauperibus & sequatur Christum, quid videtur „addi posse ad tam plenam justitiam? Nolo ta-„men glorietur. Intelligat, hæc omnia sibi præ-„stita esse. Quod si accepit, non glorietur. „Eroget pecuniam dominicam; nec putet, satis „esse servare integrum quod accepit, ne dica-„tur ei; serve nequam & piger, dares pecuniam „meam, & ego veniens cum usuris exigerem. „Versabitur ergo in negotiis humanis non car-

„nalis

„ nalis sed spiritualis aquisitionis devinctus offi-
„ cio: non otio desidiæ torpidus & abjectus.
„ Det ergo suas eleemosynas omnes cum hilarita-
„ te, sive cum carnalibus necessitatibus paupe-
„ rum erogat aliquid, sive cum panis cœlestis di-
„ spensatione invicta adversus dæmonem castra
„ in credentium cordibus construit. Non itaque
„ tædio frangatur in difficultatibus rerum. Non
„ ita surrepat in eum, qui aut odiose irruit, aut
„ importune inopia coactus petit, aut negotio
„ suo, cum tu majore occupatus sis: indifferenter
„ flagitat subveniri, aut in verbo manifeste justi-
„ tiæ resistit. Non det quidquam amplius vel
„ minus, quam oportet; non loquatur amplius,
„ quam opus est, aut cum etiam non opus est.
„ Speciosi enim pedes evangelizantium pacem,
„ sed tamen de terra sicca pulverem contrahunt.
„ Non solum ergo propter ipsam vitæ hujus mu-
„ tabilem & ignorantiam & propter diei malitiam,
„ quæ utinam sufficeret, sed etiam propter ipsum
„ pulverem mundi hujus, qui adhæret, & damna,
„ quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actio-
„ ne contingunt, quotidianam debemus habere
„ pœnitentiam. Sed si hoc dispensatores & mi-
„ nistri Sacramentorum Dei, quanto magis cæte-
„ ra multitudo? quanto magis sæcularibus nego-
„ tiis (obligati) quotidianam debent agere pœ-
„ nitentiam? qui quamvis à furtis, à rapinis, à
„ fraudibus, ab adulteriis & fornicationibus, o-
„ mnique luxuria, à crudelitate odiorum & ini-
„ micitiarum pertinacia, ab omni denique idolo-
„ latriæ fœditate, spectaculorum nugacitate, hæ-
„ resum,atque schismatum impia vanitate, atque
„ ab omnibus hujuscemodi flagitiis & facinoribus
„ immunes esse debeant, tamen propter admini-
„ strationem rerum familiarium & conjugiorum
„ arctissima vincula tam multa peccant, ut non
„ tam de istius mundi pulvere aspergi, quam lu-
„ to obliniri videantur. Hoc est, quod Aposto-
„ lus dicit: Jam omnino delictum est in vobis,
„ quia judicia habetis inter vos. Nam illud exe-
„ crabile est, quod addit: Vos iniquitatem faci-
„ tis & fraudatis. Exceptis tamen iniquitatibus
„ & fraudibus, hoc ipsum, habere inter se judicia
„ & lites de sæcularibus rebus delictum esse dicit,
„ quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ec-
„ clesiastico judicio lites hujusmodi finiantur.
„ Hinc est etiam illud: In idipsum estote, ne vos
„ tentet Satanas propter intemperantiam ve-
„ stram; hoc autem dico secundum veniam.
„ Sola enim generandi causa est inculpabilis utrius-
„ que sexus commixtio. Quam multa sunt alia
„ peccata sive in loquendo de rebus & negotiis
„ alienis, quæ non ad te pertinent, sive in vanis
„ cachinnationibus; sive in ipsis escis, quæ ad
„ necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparan-
„ tur, avidior atque immoderatior appetitus, sæ-
„ pe excessum modum postriduana cruditate con-
„ testans; sive in vendendis & emendis rebus ca-
„ ritatis & vilitatis vota perversa. Piget cuncta
„ colligere, quæ in seipso quisque certius com-
„ prehendit, atque reprehendit, si divinarum Scri-
„ pturarum speculum non negligenter attendat.
„ Quæ quamvis singula non lethali vulnere fe-
„ rire sentiantur, sicuti homicidium & adulte-
„ rium, vel cætera hujusmodi, tamen omnia
„ simul congregata velut scabies, quo plura sunt,
„ necant, & nostrum Decus ita exterminant, ut
„ ab illius sponsi speciosi forma præ filiis homi-
„ num castissimis amplexibus separent, nisi medi-
„ camento quotidianæ pœnitentiæ desecentur.
„ Quod si falsum est, unde quotidie tundimus
„ pectora? Quod nos quoque Antistites ad alta-
„ re assistentes cum omnibus facimus. Unde
„ etiam orantes dicimus, quod in omni vita o-
„ portet ut dicamus: Dimitte nobis debita no-
„ stra: utique de quotidianis peccatis hoc dici-
„ mus, pro quibus etiam sacrificia eleemosina-
„ rum, jejuniorum, & ipsarum orationum ac sup-
„ plicationum quisque pro suis viribus offerre
„ non cessat -- nec acriores diabolo dolores in-
„ fligimus, quam cum plagas peccatorum nostro-
„ rum confitendo & pœnitendo sanamus. Cap. 3.
„ Tertia actio est pœnitentiæ quæ pro illis pecca-
„ tis subeunda est, quæ Legis Decalogus conti-
„ net, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui
„ talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In
„ hac ergo pœnitentia majorem quisque in se se-
„ veritatem debet exercere, ut à seipso judicatus
„ non judicetur à Domino. Atque ita constitu-
„ to in corde judicio adsit accusatrix cogitatio,
„ testis conscientia, carnifex timor. Inde qui-
„ dam sanguis animi per lachrimas profluat. Po-
„ stremo ab ipsa mente talis sententia proferatur,
„ ut se indignum homo judicet participatione
„ corporis & sanguinis Domini, ut qui separari à
„ regno cœlorum timet per ultimam sententiam
„ summi judicis, per Ecclesiasticam disciplinam
„ à Sacramento cœlestis panis interim separetur:
„ versetur ante oculos imago futuri judicii, ut
„ cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non
„ accedit, cogitet, quam sit contremiscenda illa
„ pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam
„ alii in mortem præcipitantur æternam. Ad
„ hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est in
„ terra positum ad mysteriorum divinorum signa-
„ cula celebranda multi etiam scelerati possunt
„ accedere. Ad illud autem altare, quo Caput
„ Ecclesiæ præcessit, nullus eorum accedere pot-
„ erit, de quibus dixit Apostolus: Quoniam qui
„ talia agunt, regnum Dei non possidebunt. So-
„ lus enim Sacerdos, & plane ibi totus, assistet,
„ adjuncto scilicet corpore, cui caput est. Quo-
„ modo ergo in illa invisibilia Sancta Sanctorum
„ introire audebit aut poterit, qui medicinam
„ cœlestis disciplinæ contemnens noluit paulisper
„ à visibilibus separari? Qui enim noluit humi-
„ liari, ut exaltetur; cum exaltari voluerit, deji-
„ cietur, & in æternum sejungetur ab æternis San-
„ ctis, quisquis hoc tempore per merita obedien-
„ tiæ, & per satisfactionem pœnitentiæ non sibi
„ providit locum in corpore Sacerdotis. Qua
„ enim fronte tunc volet averti faciem Dei à
„ peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit:
„ Quoniam facinus meum ego cognosco, & pec-
„ catum meum contra me est semper? Aut quale
„ est illud, in quo sibi blandiuntur? perseveran-
„ tes enim in malitiis & luxuriis suis audent sibi
„ præter regnum Dei salutem polliceri, atque ita
„ inter se loquuntur, dum recusant agere pœni-
„ tentiam pro peccatis suis, & perditos mores ali-
„ quando in melius commutare: Regnare nolo,
„ fussi-

„ sufficit mihi, salvum me esse; quia eorum nec „ salus ulla est, quorum iniquitas perseverat: „ dein, si est aliqua differentia inter regnantes, „ & non regnantes, oportet tamen, ut in uno „ regno sint omnes. De hoc utique regno di- „ xit Apostolus, cum enumeraret opera mala „ (Gal. 5.) *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei* „ *non possidebunt.* - - - Audiat Apostolum (ad „ Ephes. 5.) *Hoc scitote cognoscentes, quod omnis for-* „ *nicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæ-* „ *reditatem in regno Dei.* Latius autem ad Corin- „ thios (ad Cor. 6.) *Nolite errare, neque fornicatores,* „ *neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles,* „ *neque masculorum concubitores, neque fures, neque ava-* „ *ri, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, re-* „ *gnum Dei possidebunt.* - - - Implicatus ergo quis „ tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat „ aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves „ Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus „ in cœlo, & audet sibi post hanc vitam, quia tan- „ tum Christianus dicitur, salutem aliquam polli- „ ceri? Quid ad Galatas Apostolus? nunne ta- „ lia enumerans eodem fine concludit? Manife- „ sta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt forni- „ cationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ser- „ vitus, veneficia, *inimicitiæ, contentiones, æmulatio-* „ *nes, animositates, dissensiones,* hæreses, *invidiæ, ebrie-* „ *tates, comessationes, & his similia,* quæ prædico vo- „ bis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, re- „ gnum Dei non possidebunt. Judicet ergo se- „ ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & „ mores convertat in melius, ne cum jam non „ poterit, etiam præter voluntatem à Domino „ judicetur. Et cum ipse in se protulerit seve- „ rissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ senten- „ tiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ec- „ clesia claves ministrantur, & tanquam bonus „ jam incipiens esse filius maternorum membro- „ rum ordine custodito à Præpositis Sacramento- „ rum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in „ offerendo sacrificio cordis contribulati devo- „ tus & supplex ic tamen agat, quod non solum „ illi prosit ad recipiendam salutem; sed etiam „ cæteris ad exemplum; ut si peccatum ejus non „ solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto „ scandalo est aliorum, atque hoc expedire utili- „ tati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multo- „ rum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam „ non recuset; non resistat; non lethali & mor- „ tiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. „ Meminerit semper, quod Deus superbis resistit, „ humilibus autem dat gratiam. Quid enim est „ infelicius, quid perversius, quam de ipso vul- „ nere, quod latere non potest, non erubescere, „ & de ligatura ejus erubescere. Nemo arbitre- „ tur; propterea se consilium salutiferæ hujus „ debere pœnitentiæ contemnere, quia multos „ forte advertit, & novit ad sacra altaris accede- „ re, quoniam talia crimina nou ignorat. Multi „ enim corriguntur ut Petrus; multi tolerantur „ ut Judas; multi nesciuntur, donec veniat Do- „ minus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & „ manifesta consilia cordium. Nam plerique „ propterea nolunt alios accusare, dum se per il- „ los cupiunt excusare. Plerique autem boni „ Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum „ peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe „ deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, judicibus Ec- „ clesiasticis probare non possunt. Quamvis „ enim vera sint quædam, non tamen judici facile „ credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. „ Nos vero à communione prohibere quemquam „ non possumus, quamvis hæc prohibitio non- „ dum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte „ confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ec- „ clesiastico judicio nominatum atque convictum. „ Cujusmodi Regulam etiam Paulus in eadem ad „ Corinthios Epistola insinualse intelligitur, cum „ quibusdam talibus commemoratis criminibus „ Ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex „ quibusdam daret. Ait enim: Scripsi vobis, non „ commisceri fornicariis, non utique fornicariis „ hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut „ idolis servientibus; aliuquin debueratis ex hoc „ mundo exire. Nunc scripsi; Si quis frater no- „ minatur, aut fornicator, aut idolis serviens, aut „ avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, „ cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim „ mihi de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de „ his, qui intus sunt, vos judicatis? auferte ma- „ lum à vubisipsis. Quibus verbis ostendit, non „ temere, aut quomodolibet, sed per judicium „ auferendos esse malos ab Ecclesiæ communio- „ ne, ut si per judicium auferri non possunt, tole- „ rentur potius. Noluit (Apostolus) hominem „ ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel „ etiam extraordinario usurpato judicio, sed po- „ tius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, „ sive ultro confessum, sive accusatum atque con- „ victum. Non ergo illi quos monemus agere „ pœnitentiam, quærant sibi comites ad suppli- „ cium, nec gaudeant, quia plures invenient: „ non enim propterea minus ardebunt, quia cum „ multis ardebunt.

„ Ex hac Doctrina S. Augustini clarum est, „ quod pœnitentia publica, qua pœnitens se subji- „ cit clavibus Ecclesiæ, & judicio Sacerdotis circa „ modum adimplendæ satisfactionis, an videlicet „ solum se debeat continere à communione sacra; „ an vero ob publicitatem scandalosam delicti de- „ beat aliam publicam monstare pœnitentiam, „ quod, inquam, illa pœnitentia publica etiam „ circa peccata occulta nondum denuntiata Anti- „ stiti sit necessaria ad salutem, & quod sponta- „ neam ejusmodi confessionem omittentes ob „ pravum aliorum exemplum sine confessione ad „ Eucharistiam accedentium sint arsuri in infer- „ no; quod dici nun posset, si illa peccata alio „ modo deleri possent, quam spontanea confessio- „ ne & satisfactione de peccato." In hoc textu S. Augustini notandum, quod etiam ex Apostolo recenseat peccata *non reservata*, v. g. contentiones, æmulationes, inimicitias, invidias, ebrietates, & his similia, quæ omnia excludit à salute, nisi subjiciantur clavibus Ecclesiæ; quod servit pro argumento Propositionis 9. & 10.

7. *Varii Canones Conciliorum* & Patrum supponunt, pro nonnullis criminibus *reservatis*, quamvis occultis publicam actam fuisse pœnitentiam, idque ex obligatione. *Concilium Eliberitanum.* Can. 76. *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea in crimine fuerit detectus mortis, quod aliquando commi-* *serit,*

ferit, si sponte fuerit confessus, placuit, eum acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem. Si alius detexerit, post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere. Inter Canones D. *Basilii* Can. 69. *Lector, si cum sua sponsa commercium habuerit, postquam anno cessaverit, ad legendum recipietur, manens non ulterius recipiendus. Quod si absque desponsatione furtim cojerit, cessabit à ministerio. Idem & Minister.* Et Can. 70. *Diaconus, qui pollutus est in labris, & se eousque peccasse confessus est, à ministerio prohibebitur. Siquid amplius peccasse quis deprehensus fuerit, in quocunque sit gradu, deponatur.* Sic & *Joannes Jejunator* in suo *Pœnitentiali* scripto Sæculo sexto dicit: *Non oportet Sacerdotes, Episcopos, aut Diaconos qui in gradu sunt, aut eorum uxores ad confessionem suscipere, donec cum Deo securitatem præstiterint confessoribus, si aliquod crimen habuerint probibens* (id est, reservatum) *videlicet eos potestate sacrificandi abdicans, non amplius sacra facere ausuros. His enim nulla omnino datur pœnitentia, aut abstinentia qualibet à cibo, vel potu, vel communione, sed sola à Sacerdotio cessatio. Nihil autem Sacerdotem sacro munere abdicat, præterquam si mulieri non legitimæ commisceatur. Licet enim uni soli; non amplius sacrificandi potestate aliquando potietur, quamvis postea vel mortuos suscitet.* Sic & *Julianus Pomerius* Lib. 2. de *Vita Contemplativa* Cap. 7. *Hi qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt.*

Hucusque tamen dicta intelligenda sunt de lege ordinaria, quia ut observavi Propos. 5. variæ personæ eximebantur à subeunda pœnitentia publica, & dispensatum fuisse etiam circa Clericos, constat ex facto *S. Remigii*, qui *Genebaldum* Episcopum Laudunensem de fornicationis consuetudine occulta sibi soli confitentem officio restituit, ut refert Hincmarus.

QUÆSTIO II.

An obligatio imponendi satisfactionem, viribus pœnitentis & peccatis proportionatam sit juris divini & obligatoria sub peccato mortali?

DICO I. Confessarii tenentur jure divino & sub peccato mortali imponere pœnitentias peccatorum gravitati, & viribus pœnitentis proportionatas.

CONCLUSIO hæc est contra Scotum in 4. dist. 19. q. un. n. 27. ubi docet, absolvendum esse pœnitentem, qui recusat acceptare aut peragere in hoc mundo pœnam satisfactoriam, dummodo paratus sit, se submittere pœnis à Deo in hoc vel altero mundo infligendis.

PROBATUR 1. Ex natura Sacramenti; quia potestas judiciaria Sacerdoti à Christo commissa consistit tantum in eo, quod rigorosam obligationem satisfaciendi juxta arbitrium offensi commutet in pœnam viribus humanis proportionatam, prout disp. 5. q. 1. ostensum est.

PROBATUR 2. Ex Tridentino, quod Sess. 14. C. 8. sic scribit: *S. Synodus declarat, falsum esse, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Sane & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono scientes templum Dei violare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes in graviora labamur. - - - Debent ergo Sacerdotes pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent.*

PROBATUR 3. Scriptura testatur; remissionem peccatorum ordinariè non obtineri; nisi laboriosis operibus pœnitentiæ. Ergo peccant Sacerdotes, si sacramentum reconciliationis conferunt sine conditione obligationis ad congruam satisfactionem. *ant. prob.* 1. ex V. T. ubi fere semper dicitur; Deum ad veniam inflecti operibus pœnitentiæ in jejunio, fletu, sacco, cinere, luctu, lachrimis. 2. In N. T. JOANNES B. Matth. 3. dicit: *Progenies viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira; facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* 3. D. PAULUS 1. Corinth. 5. incæstuoso non contulit veniam, nisi gravi pœnitentia ac diu afflicto. 4. Ad Hebr. 6. dicitur: *impossibile est, eos, qui* (post baptismum) *prolapsi sunt*, rursus per aliud baptisma *renovari ad pœnitentiam.* Hoc autem fieret, si venia denuo obtineri posset sine obligatione ad congruam satisfactionem.

PROBATUR 4. Ecclesia pœnitentes semper obligavit ad congruam satisfactionem, prout patet ex antiquis pœnitentialibus. Hoc autem incongruè fecisset, nisi ea obligatio esset juris divini.

PROBATUR 5. Si non daretur obligatio ad congruam satisfactionem, contentio cum hæreticis circa necessitatem satisfactionis sacramentalis foret ridicula. Sed hoc dici nequit. Ergo *maj. prob.* Solum discrimen esset in eo, quod nos pro delictis enormibus requireremus unum vel aliud *Pater noster*; hæretici autem nihil; *tantillum* pœnitentiæ *pro nihilo* reputantes.

PROBATUR 6. Authoritate D. Cypriani & aliorum Patrum, qui docent congrua satisfactione *peccata redimi*, & hoc *pretio* aut *pacto veniam concedi. D. Cyprianus* Epist. 55. ad Cornelium Papam loquens de Sacerdotibus congruam satisfactionem non imponentibus dicit: *Miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat. Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur.* Et sermone de lapsis. *Emersit novum genus cladis;*

cladis; accessit ad cumulum (malorum) *sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernities. Contra Evangelii vigorem, contra Domini legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio* (per admissionem ad Eucharistiam); *irrita & falsa pax; periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Pœnitentia de peccatoribus excussa est; ante offensam placatam indignantis Domini & minantis pacem putant esse: quam quidam verbis fallacibus venditant. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit. Nemo se fallat. Solus Dominus veniam peccatis potest largiri; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum commissum est. Dominus nostra satisfactione placandus est. Nil sibi usurpat humana sententia, nisi annuat & censura divina. Sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat. Deus quantum patris pietate indulgens semper ac bonus est; tantum judicis majestate metuendus est. Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne, Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? Orare oportet impensius, & rogare; diem luctu transigere; vigiliis noctes ac fletibus ducere; tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare; stratos solo adhærere cineri; in cilicio & sordibus volutari; justis operibus incumbere, ut inde crimen & culpa redimatur. Si precem toto corde quis faciat; si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrimis ingemiscat; si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest Deus; pœnitenti roganti potest clementer ignoscere; potest acceptum referre, quidquid pro talibus fecerint Sacerdotes.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Christus nec ab adultera, nec à Magdalena, nec à latrone, nec à paralitico, nec à Matthæo, nec à Zachæo, nec à filio prodigo requisivit satisfactionem proportionatam delictis. Ergo non requiritur jure divino.

2. Si satisfactio proportionata gravitati criminum, & viribus pœnitentium esset juris divini, sequeretur, invalidas esse absolutiones in casu, quo imponuntur levissimæ pœnitentiæ. Sed hoc dici nequit.

3. Textus D. Cypriani nimium probat; quia ex illo sequeretur, præmittendam esse absolutioni satisfactionem congruam.

4. Hæc doctrina est contra communem praxin Ecclesiæ; quia tempore Indulgentiæ plenariæ etiam pro gravissimis delictis imponuntur levissimæ pœnitentiæ.

RESPONDEO

Ad 1. Christum ejusmodi remissione peccatorum voluisse ostendere suam divinitatem, & potestatem *excellentiæ* quoad naturam humanam; quem finem non obtinuisset, si ligasset ad pœnam; prout pœnitentes ligari voluit à suis discipulis.

Ad 2. dist. Sequeretur esse invalidas, si pœnitentes non sint parati ad acceptandam proportionatam delictis & viribus suis pœnitentiam. c. si sint parati. n. Id solum sequitur; quod multi pœnitentes, quando illis imponuntur levissimæ pœnitentiæ, aliquando ita assuefiant his levissimis pœnitentiis atque animo sic emollescant, ut, si alius Confessarius voluerit imponere proportionatam, ne quidem præparent animum ad recipiendam proportionatam pœnitentiam; ac proin eoipso non recipiant gratiam. Hinc D. Cyprianus in *sermone de lapsis* de ejusmodi Sacerdotibus loquens ait: *Sunt ejusmodi* (Sacerdotes) *lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens vastitas; quod navigiis sæva tempestas.*

Ad 3. n. a. Quia D. Cyprianus tantum loquitur de absolutione & remissione *indulgentiali* à reatu pœnæ, quæ illis temporibus non conferebatur, nisi functis pœnitentia satisfactoria valde ardua, & taxata statim in receptione pœnitentium; ad quam nisi pœnitentes se paratos exhibeant, dicit, eos veniam culpæ non mereri.

Ad 4. n. a. Quia praxis à Tridentino reprobata, & contraria juri divino, nunquam potest vocari *praxis Ecclesiæ*, etsi major pars Confessariorum eam ad tempus adoptasset. Ratio est, quia in puncto disciplinæ tanti momenti, tam necessario ad fines à Christo intentos, & constituto authoritate apostolica, adeoque tam difficulter mobili, non accedit novæ consuetudini *consensus legalis* Ecclesiæ, etsi à rectitudinis tramite deflectat aliquamdiu etiam major pars ministrorum inferiorum Ecclesiæ; dummodo semper in tuto & in candelabro omnibus fulgeat lux veritatis, prout in præsenti contigit. Patebit enim ex sequente Quæstione; ne quidem tempore plenariæ Indulgentiæ aut Jubilæi cessare obligationem, imponendi proportionatam delictis & viribus pœnitentium satisfactionem.

QUÆSTIO III.

An Confessarii teneantur imponere pœnitentiam delictis proportionatam etiam tempore Jubilæi vel alterius Indulgentiæ Plenariæ?

NOTANDUM 1. Duplicem communiter distingui pœnitentiam, videlicet *medicinalem*, & *vindicativam*. MEDICINALEM vocant, quæ imponitur ad extirpandos pravos vitiorum habitus, vel ex longa peccandi consuetudine contractos; vel ex conditione depravatæ naturæ insitos. VINDICATIVAM vocant, quæ imponitur præcise in castigationem seu vindictam pro peccato commisso, quin ordinetur ad evellendos pravos habitus.

NOTANDUM 2. Omnium Theologorum sententia Confessarios obligari etiam tempore Jubilæi ad imponendas pœnitentias *medicinales*, si in pœnitentibus deprehendant pravos quosdam habitus ex peccandi consuetudine *voluntariè* contractos, sine quorum extirpatione peccata *formalia* evitari moraliter non possunt. Ita enim laxiores Theologi v. g. *P. Burgbaber*, obligationem extirpandi pravos habitus limitant, atque eoipso etiam obligationem imponendi pœnitentias medicinales in angustum redigunt.

NOTANDUM 3. Ab omni peccato mortali relinqui in anima vulnus, quod *curatione* seu *medicina* indigeat. RELINQUITUR enim 1. quidam *languor* animæ, quia divina minus sapiunt, & influxus divinarum gratiarum, puta illustra-

tionum, inspirationum, ac piarum motionum internarum, notabiliter justo Dei judicio minuitur. Hoc autem influxu cessante necesse est oriri *languorem* in anima, sicut in corpore deficiente influxu spirituum vitalium oritur membrorum debilitas. RELINQUITUR 2. privatio specialis protectionis divinæ contra graviores ac frequentiores tentationes dæmonis. Justo enim Dei judicio fit, ut dæmoni relinquatur potestas gravius & frequentius tentandi eos, qui se post acceptam baptismi gratiam deliberatè dæmoni manciparunt, præsertim in eo vitii genere, in quo dæmoni se subjecerunt. Et ea potestas dæmonis eo major est, quo pluries pœnitens peccando se à dæmone superari passus est. RELINQUITUR 3. quidam inchoatus habitus vitii in eo genere, in quo peccatum est. Cum enim ex frequentatis actibus nascantur habitus consummati, necesse est, ut etiam ex primo actu jam nascatur habitus inchoatus. Et hoc ipsum experientia confirmat. Constat enim eos impudentius & audacius peccare secundo, qui semel commiserunt furtum, fornicationem, adulterium, injustitiam, dolum, perjurium &c. Ex quo apparet; nullum esse peccatum, quod non indigeat pœnitentia medicinali.

NOTANDUM 4. Medicinales pœnitentias alias esse *præservativas*, alias autem *reparativas*. Pœnitentiæ præservativæ possunt quidem consistere in orationibus & eleemosynis, quibus obtineri potest à Deo majus auxilium gratiarum actualium; sed cum Deus non soleat suis gratiis præservare hominem, nisi homo, quantum est in se, studeat semetipsum præservare idoneis mediis, ordinariè contingit, parum fidam ac constantem esse eorum emendationem, qui laboriosis operibus pœnitentiæ non allaborarunt, utipsa difficultate pœnitentiæ edocti gravitatem peccati discerent, & metu castigationum consimilium à relapsu retraherentur. Id quod SS. Patres, & Concilium Tridentinum bene observant. Sic enim *D. Cyprianus* Epist. 40. de iis scribens, qui ob Indulgentias à Martyribus impetratas pœnitentias vindicativas tollebant, dicit: *Nunc se ad lapsorum pernitiem venenata sua deceptione verterunt, ut ægros & saucios, & minus solidos à* MEDELA *vulneris sui avocent.* Et Sermone de lapsis: *Oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis* SALUTARIBUS *providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. — Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam; pœnitentia de pectoribus excussa est; gravissimi delicti memoria sublata est; operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis visceribus dissimulato dolore contegitur.* Ex his manifestum est, quod D. Cyprianus per pœnitentiam *salutarem*, seu *medicinalem*, intelligat *vindicativam* & *satisfactoriam* pro offensa. Agebat enim de sola idololatria, seu metu tormentorum extorta abnegatione Christi, quod genus delicti, cum ipsi abneganti sub actuali abnegatione sit summæ execrationi, omnium criminum minus adhæsionis & habitus relinquit in anima. Sic & *Martyres* ex Carcere ad D. Cyprianum Epist. 26. scribunt: *Ubi divinus metus relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur? Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit, sed patientia, sed disciplina, sed humilitas. Hoc est, quod pœnitentiam probat; quod impresso vulneri inducit cicatricem. Infidelis cicatrix, quam cito festinans medicus induxit, & ad quemlibet casum medela rescinditur.* Sic & *Clerus Romanus* ad D. Cyprianum Epist. 31. scribit: *Quid in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, necesse est. Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere, ut properata nimis remedia communicationis, utique non profutura testentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit Indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.* Ita Clerus Romanus. Et Tridentinum Sess. 14. c. 8. dicit: *Satisfactio ex omnibus pœnitentiæ partibus maximè nostra ætate summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt. — Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut peccata leviora putantes in graviora labamur. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt. — Debent ergo Sacerdotes pro qualitate criminum & pœnitentium facultate* SALUTARES *& convenientes satisfactiones injungere. — Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Ex his iterum clarum est, quod Tridentinum sub nomine pœnitentiæ *salutaris* intelligat etiam satisfactoriam ac vindicativam, quæ indirectè sanat, & præservat.

NOTANDUM 5. Præter pœnitentiam *medicinalem* & *vindicativam*, admittendam esse etiam pœnitentiam *satisfactoriam*, quæ directè pro objecto habeat *nec vindictam* peccati, *nec curationem* aut *præservationem* pœnitentis, sed tantum *compensationem offensæ*. Quomodo autem pœnitentia satisfactoria differat à pœnitentia vindicativa, ostensum est *Disput. 5. Quæst. 1. Notando 4. & 5.* Ibi enim ostensum est; pœnitentem jure naturæ obligari ad compensandam offensam juxta arbitrium offensi, eamque *compensationem* pertinere *ad justitiam commutativam* in ordine ad obtinendam à Deo veniam. Econtra pœnitentia vindicativa, strictè sumpta, non est objectum justitiæ commutativæ, qua redditur aliquid æquivalens

lens modo meliori, quo fieri potest; sed est objectum *justitiæ distributivæ*, quæ pro meritis distribuit præmia aut supplicia. Itaque pœnitentia vindicativa directè non ordinatur contra reatum culpæ, sed tantum contra reatum pœnæ, quæ ex justitia distributiva peccato debetur etiam post remissionem culpæ seu offensæ ac indignationis divinæ erga personam pœnitentem.

NOTANDUM 6. Quamvis pœnitentia *medicinalis*, *satisfactoria*, & *vindicativa* modo prætacto inter se differant, videlicet relativè ad diversos fines, ad quos ordinantur, conveniunt tamen in eo, quod earum quælibet consistat in opere aliquo arduo, naturæ corruptæ ingrato ac difficili. Nam ex *Notando* 3. & 4. constat, nec satisfactionem compensatoriam Deo præstari posse sine aliquo æquivalenti difficili, nec pœnitentem à pravis habitibus sanari, aut præservari posse sine mediis afflictivis. Et quia ex Scriptura & ex Traditione constat, quod Deus à pœnitente per suos Vicarios talem satisfactionem exigat, quæ non solum pœnitentem affligendo coram se humiliet, & offensam congruè compenset, sed etiam de perseverantia cautionem præstet, atque sic præservando & sanando in ipsius pœnitentis utilitatem cedat, quæstio unicè devolvitur ad hoc, an pœnitentia tempore Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ plenariæ debeat esse proportionata delictis in genere afflictivo. In hoc sensu

DICO. Confessarii etiam tempore Jubilæi vel alterius Indulgentiæ plenariæ tenentur imponere pœnitentiam proportionatam delictis, non solum medicinalem, sed & satisfactoriam.

PROBATUR 1. *Martinus V.* in *Cruciata* contra Hussitas edita anno 1420. expressè dicit; quod injungenda sit pœnitentia *pro modo culpæ*, ita ut si delictum sit gravius, etiam *aggravanda* sit pœnitentia. Sic habet: „Ut crucis signo muniti „facilius reddantur ejusmodi Indulgentiarum par„ticipes, quo se liberius eximere conspexerint „ab onere delictorum, omnium cruce signato„rum confessiones audire, & pro peccatis suis „omnibus, etiamsi manuum injectores in Cleri„eos, necnon incendiarii, & sacrilegi fuerint, „injuncta ipsis pro modo culpæ, etiam cum aggravatione adversus illos, qui Ducum mandata transgredi præsumpserint, pœnitentia salutari, absolutionis beneficium impendere possitis.

PROBATUR 2. *Sixtus V.* in Jubilæo promulgato anno 1589. pro pace Galliæ dicit: „Con„cedimus, ut possint eligere Confessarium, qui „eos ab omnibus peccatis, & censuris, juxta „modum delicti imposita salutari pœnitentia ab„solvere possit.

PROBATUR 3. Summi Pontifices in omnibus ferme Bullis Indulgentiarum apponunt hanc conditionem, ut pœnitentibus imponatur *pœnitentia salutaris*. Sed non possent hoc apponere, nisi præter pœnitentiam medicinalem in sensu adversariorum acceptam requirerent etiam pœnitentiam satisfactoriam. Ergo. *Maj. patet* ex eorum Bullis. Sic *Alexander VI.* in Bulla Jubilæi anno 1500. dicit: Ut fideles facilius possint fieri participes hujus Indulgentiæ, damus Commissario potestatem deputandi Confessarios, de criminibus quibuscunque absolvendi, & salutarem pœnitentiam injungendi. Et *Gregorius XIII.* in Jubilæo anno 1585. dicit: „Damus facultatem, „ut possint eligere Confessarium, qui eos ab omni„bus peccatis, imposita salutari pœnitentia, ab„solvere possit." *Min. prob.* Non omnes pœnitentes, imo pauci, indigent pœnitentia medicinali in sensu adversariorum accepta. Ergo si Pontifices sub nomine pœnitentiæ salutaris voluissent intelligere præcise medicinalem sic acceptam, non præcepissent, ut omnibus imponeretur.

PROBATUR 4. *Nicolaus V.* in Jubilæo anno 1450. omnibus indiscriminatim imponit gravissimam pœnitentiam; nec est verosimile, Pontificem intendisse, ut ea pœnitentia omnibus serviret pro necessaria medicina. Neque enim videtur, omnes fideles indiguisse tam severa medicina. Neque etiam dici potest, quod Pontifex tam severam pœnitentiam præcise exegerit per modum conditionis in ordine ad placandam iram Numinis publicam, quia expressè testatur; eam pœnitentiam ab unoquoque impleri debere pro seipso in ordine ad lucrandam plenariam Indulgentiam. Cæterum verba Summi Pontificis in Bulla Jubilæi sunt ista: „Omnibus, qui pœni„tentiam, quam hic inferimus, devotè in anno „primo post Jubilæum compleverint, aut saltem „in eo anno inceperint, & continuaverint, ple„nissimam remissionem impartimur. Pœnitentia „verò, quam quisque pro assecutione hujus ple„nissimæ remissionis cum omni devotione facere „debet, hæc est, ut omnis persona utriusque se„xus per septem ferias secundas, & septem quar„tas à carnibus, & septem ferias sextas à lactici„niis abstineat, & illis sextis feriis jejunet; & „per eos 21. dies omni mane matricem Ecclesiam „adeat, Ecclesiam ter circumeat, & pro defun„ctis decem Pater & Ave, in Ecclesia verò trigin„ta Pater, & totidem Ave dicat &c. Hanc pœ„nitentiam etiam Sacerdotes sæculares facere te„neantur; — ultra hanc pœnitentiam volumus, „quod quisque ad reparationem Ecclesiarum, & „piorum operum mediam partem illius Summæ „pecuniarum contribuat, quam ipse eundo, stan„do, & redeundo verosimiliter exposuisset, si „in propria persona (Augusta Vindelicorum, ad cujus Episcopum Bulla dirigitur) ad limina Apo„stolorum accessisset.

PROBATUR 5. *Innocentius XII.* appropinquante Jubilæo deputavit specialem Congregationem Cardinalium, jussitque ab ea edi instructionem, quomodo Romipetæ possint lucrari Indulgentias Jubilæi. In ea instructione, quam fecit publicari per omnes Diœceses Catholici orbis, expressè docetur, per Jubilæum satisfactiones pro peccatis debitas *minui* tantum, non omnino tolli. Sic habet: „Doceatur ergo populus, quod „grave onus satisfactionis copiosis eleemosynis, „rigorosis jejuniis, & longis, ac difficillimis ope„ribus pœnitentiæ, ut ex Canonibus pœnitentia„libus liquet, solvi deberet; cum vero tale per„ferre humanæ infirmitati nimis grave foret, „ideo Vicarius Christi tales satisfactiones per In„dulgentias minuit." Videantur historiæ à me editæ Part. 1. f. 121.

PROBATUR 6. *Paulus II.* & *Innocentius X.* non obscurè insinuant, præter opera in Bulla Jubilæi

bilæi expressa ad obtinendum plenarium Indulgentiarum fructum requiri alia bona opera. Paulus II. loc. cit. f. 92. ait: *Universi ponderent peccatorum suorum sarcinam, & his* (in Bulla expressis) *atque aliis meritoriis operibus peccata sua omni ex parte expiare studeant*; ubi notandum, *omni ex parte*, id est, *totaliter*. Innocentius vero X. loc. cit. f. 116. dicit: *Docete eos; quomodo ad Indulgentias consequendas in animo contrito, & in spiritu humilitatis NB. assiduis orationibus, & jejuniis, cæterisque operibus pietatis se ipsos præparare, atque exercere debeant.* Huc pertinent verba Innocentii X. in instructione data pro tota Ecclesia, supra allegata, quæ sic habent: „Instruatur populus de mediis obtinendi „Indulgentias. Hinc, antequam viæ se committunt, deponant Confessionem; in via tempus „meditationibus Psalmorum, aut Rosarij recitatione fallant; in omnibus servent modestiam, „maximè in vestium, aliarumque vanitatum apparatu, quia non decet eum superbire inani „pompa, quem in veste pœnitentiæ oculis lachrymantibus divinam animitus deprecari misericordiam oporteret. --- Romæ non indulgeant „curiositatibus, sed frequentius Sacramentum „pœnitentiæ, & Eucharistiæ accipiant: Ecclesias „visitent; Sanctos, quorum innumeræ Reliquiæ „Romæ coluntur, invocent, ut ipsis à misericordissimo Deo veram remissionem, & veniam suorum peccatorum obtineant, sicque thesaurum „Jubilæi, & Indulgentiæ lucrantes ab omni NB. „culpa, & pœna liberi in patriam revertantur &c." Hæc verba planè videntur supponere, ad totalem expunctionem pœnæ studio bonorum Operum majori opus esse, quam præcise eo, quod consistit in executione Operum præscriptorum in Bulla. vid. loc. cit. f. 121.

PROBATUR 7. Antiquiores Pontifices statuunt pro generali Regula, ut Indulgentia non daretur, nisi completa, aut saltem inchoata congrua satisfactione. *Innocentius I.* Epist. 1. dicit: *De pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* S. *Leo* Epist. 91. *Christus hanc Præpositis Ecclesiæ dedit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem admitterent.* *Gregorius VII.* l. 1. Epist. 34. ad Remedium Episcopum: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, tibi mittere duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, & commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.*

PROBATUR 8. *S. Pius V.* vehementer invehitur in quosdam Hispaniæ Episcopos, quod occasione Indulgentiarum etiam pœnitentias in Sacramento injungendas nimium relaxent. Ergo non potest esse intentionis Pontificiæ, nullas in Jubilæo aut tempore alterius Indulgentiæ plenariæ requiri pœnitentias satisfactorias, sed tantum *medicinales*, quas pœnitens per se jure naturæ independenter à Sacramento applicare teneretur. Verba S. Pii in Bulla, edita anno 1570. hoc est, sex annis post Concilium Tridentinum sunt ista: „Quam plenum sit periculi noxia populis ingere„re, nimium his temporibus afflicta Religio te„statur. Rem sane indignam audivimus, quod „quidam Hispaniarum Præsules in dispensandis „cœlestis gratiæ donis nimium prodigi Indulgen„tias, & NB. pœnitentiarum injunctarum remis„siones profusius, & indiscretè largiantur; qui„bus, & aliis licentiis non pauci infirmi, veniæ „facilitate inducti ad peccandum procliviores „fiunt, quando tot, & tantorum delictorum re„missionem certo, & vilissimo pretio acquirere „posse confidunt. Cum igitur Tridentini Con„cilii Decretis adversetur, Clavium authoritas „evilescat, & pœnitentialis satisfactio enervetur, „celeri remedio occurendum censentes supradi„cta irrita nuntiamus.

PROBATUR 9. *Bonifacius IX.* vehementer reprehendit eos, qui promittebant fructum Jubilæi sine arduis operibus pœnitentiæ. Epistola ad Episcopum Ferrariensem ait: *Indulgentiam, quam Urbanus VI. visitantibus Basilicas Urbis concessit, quibusdam elargiri pro nihilo ducunt, & quasi hominibus perpetuam felicitatem in hoc sæculo polliceri conentur, & æternam gloriam in futuro.*

PROBATUR 10. *Concilium Lateranense* sub *Innocentio III.* 1216. c. 62. sic habet: *Quia per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Ecclesia, non extendatur Indulgentia ultra annum. --- Cum & Romanus Pontifex in talibus moderamen consueverit observare.*

Circa hunc textum potest formari hæc reflexio: Si Concilium noluit enervari pœnitentialem satisfactionem per Indulgentias Prælatorum tantum partiales, quæ tunc temporis tantum se extendebant ad partem pœnitentiæ injunctæ; quanto magis repugnaret doctrinæ expungenti per Indulgentias plenarias copiosissimas omnem pœnitentiam injunctam?

PROBATUR 11. *Concilium Tridentinum* Sess. 25. Decreto de Indulgentiis sic habet: *Sacrosancta Synodus in concedendis Indulgentiis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur.* Circa hunc textum potest fieri hæc reflexio. Post Concilium Tridentinum nulla facta est moderatio juxta veterem consuetudinem quoad numerum Indulgentiarum plenariarum; quia manifestum est ex historia Indulgentiarum, plenarias antiquitus fuisse certe rarissimas, easque conjunctas cum gravi onere operum pœnitentialium. Si ergo Summi Pontifices multiplicando post præfatum Concilium in immensum Indulgentias plenarias noluerunt infringere Decretum Generalis Concilii, quæri potest, in quo consistat *moderatio* à Summis Pontificibus adhibita? Profecto insistendo doctrinæ oppositæ, non poterit dari verosimilis responsio, quæ satisfaciat viris cordatis. Econtra in sententia eorum, qui relinquunt obligationem satisfaciendi congruè, dici potest, *moderationem* Summorum Pontificum non quidem consistere in minuendo *numero Indulgentiarum*, reducendoque ad veterem consuetudinem; sed eam consistere in modo Indulgentiarum, inquantum post Concilium inceperunt omittere illam formulam: *de injunctis pœnitentiis*. Omittendo enim hanc formulam sufficienter

cienter insinuarunt Summi Pontifices, se non concedere *plenariam remissionem de injuncta pœnitentia*, sed eam *remissionem plenariam* potius referri ad pœnas coram divina justitia debitas, præsuppositis tamen satisfactione Sacramentali, & studio congruè satisfaciendi.

Huc accedit gravissima ratio ex Concilio Tridentino; quod pœnitentiam vocat laboriosum baptismum; asseritque, post baptismum sine magnis laboribus ad pristinam novitatem rediri non posse; quod falsum esset, si tam facili negotio per Indulgentias deleri posset omnis reatus pœnæ. Sess. 14. c. 2. sic ait: „Ad quam tamen novita„tem, & integritatem per Sacramentum pœni„tentiæ sine magnis nostris fletibus, & labori„bus, divina id exigente justitia pervenire ne„quaquam possumus, ut merito pœnitentia la„boriosus quidam baptismus à sanctis Patribus „dictus fuerit. *Et Sess. 6. c.* 14. Dicendum est, „Christiani hominis pœnitentiam post lapsum „continere satisfactionem per jejunia, eleemosy„nas, & orationes, & alia pia spiritualis vitæ „exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ „vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum „culpa remittitur, sed pro pœna temporali.

PROBATUR 12. *Concilium Salegunstadiense* in Germania ne quidem admisit Bullas Indulgentiales, quas nonnulli scandalosi peccatores Romæ clanculario; ut probabilius videtur, impetrabant pro totali remissione satisfactoriæ pœnitentiæ. Ergo non censuit, per Bullas Indulgentiæ plenariæ remitti obligationem pœnitentiæ satisfactoriæ à Sacerdotibus injungendæ. Verba Concilii sunt ista: „Quia multi tanta mentis suæ „falluntur astutia, ut in aliquo capitali crimine „inculpati pœnitentiam à Sacerdotibus suis acci„pere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam „euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat pec„cata, sancto visum est Concilio, ut talis illis „Indulgentia non prosit; sed prius juxta modum „delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdoti„bus adimpleant; & tunc Romam ire si velint, „ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad „Apostolicum deferendas accipiant.

In hoc textu fermo quidem est de criminibus, de quibus fuerint *inculpati*, seu denuntiati: stringit nihilominus contra doctrinam, de qua agitur; quia ista indiscriminatim omnes peccatores, etiam publicos, à Sacerdotali satisfactione eximit, cui antiquitus hujusmodi peccatores subjacebant. Eo namque tempore, quo pœnitentes debebant confiteri soli proprio Parocho, vel Episcopo, satisfactio Canonica eoipso etiam erat Sacramentalis, & qui non erant exempti à pœna Canonica, neque erant exempti à Sacramentali.

PROBATUR 13. authoritate *Gulielmi Altisiodorensis*, qui loquens de Indulgentia plenaria concessa Cruce signatis, qui in Bello sacro propriam vitam pro vera Religione exponebant, sic scribit: „Quærendum est, utrum valeat tantum relaxa„tio, quantum Ecclesia videtur promittere? So„lutio. Ad hoc, quod hujusmodi relaxationes „tantum valeant, quantum promittit Ecclesia, „sex requiruntur. Primum est potestas ligandi, „& solvendi. Secundum est necessitas loci, & „illius, cui fit relaxatio, quando non potest je„junare pro debilitate, vel propter ægritudines „injunctas pœnitentias facere. — Dicimus, „quod in veritate Prælati multa promittunt, quæ „non solvuntur; unde cum magna discretione, „& non passim faciendæ sunt hujusmodi relaxa„tiones. Non est necesse, quod Cruce signati „assumpta Cruce statim evolent, si decedant. „Papa non habet potestatem, ut istum, qui est „pœnæ debitor, faciat evolare sine solutione „pœnæ; imo necesse est, quod suscipiat de ma„nu Domini duplicia, & quod faciat fructus di„gnos pœnitentiæ.

PROBATUR 14. authoritate *Cardinalis Denoff*, qui in sua Instructione Pastorali italico idiomate edita sic scribit: „Cavete illum abusum, „quem aliqui Confessarii introducunt, tempore „Jubilæi aut alterius plenariæ Indulgentiæ gra„vissimis peccatoribus imponendi levissimas pœ„nitentias. Talis praxis est contraria menti Ec„clesiæ, quæ licet suos Filios per Indulgentias „adjuvet, supplendo eorum infirmitatem, qua „non possunt exsolvere pœnitentiam suis pecca„tis proportionatam, non tamen intendit eos „dispensare à Lege Divina, obligante ad fructus „dignos pœnitentiæ; neque intendit eos reddere „pigros in suscipiendis operibus satisfactoriis, „tantopere commendatis à Scriptura, & Patribus.

PROBATUR 15. *Genettus*, Episcopus Vasionensis, cujus Theologiam Moralem approbavit, ac ipse Clemens XI. edi jussit, Tract. 6. c. 7. q. 9. sic scribit: „Possuntne Confessores abstine„re ab imponendis satisfactionibus convenienti„bus tempore Jubilæi? ℞. In nullo legimus „Concilio, in nullo Ecclesiæ Patre, quod Jubi„læum, aut quæcunque alia Indulgentia eximat „Confessores ab onere injungendi pœnitentias „salutares, ac qualitati criminis, & facultati Pœ„nitentium proportionatas. Unde semper ejus„modi satisfactiones imponi debent. Primo „quia, ut ex Concilio Trid. Sess. 14. c. 8. dixi„mus, hæ satisfactoriæ pœnæ magnopere à pec„cato revocant, & quasi fræno quodam coer„cent, cautioresque, & vigilantiores in futurum „pœnitentes efficiunt. Secundo, quia Ecclesia „non videtur velle ea tollere, quæ à Scripturis, „Conciliorum Decretis, ac Patrum sententiis „præcipiuntur, qui, ut optime notavit S. Caro„lus, obligant peccatores, ut dignos pœniten„tiæ fructus faciant, & ad Deum se convertant „in jejunio, fletu, & planctu.

PROBATUR 16. *Zerula*, Episcopus Beneventanus in Tract. de Jubilæo c. 14. ait: „Quæ„ritur, si conceditur Indulgentia plenissima, & „propter illam lucrandam imponitur aliquod „opus faciendum, & aliqui verè pœnitentes fa„cerent idem opus, an omnes isti, æqualiter lu„crifacerent? ℞. Si alter illorum majori devo„tione, fervore, charitate, & pœnitentia illud „perageret, majorem consequitur; & sic posset „stare, quod quis totam, alter dimidiam, alter „tertiam, alter quartam partem consequeretur; „nam causa concedendi Indulgentiam multum „augetur, vel minuitur ex modo eam adimplen„di. Solet etiam aliquis plus, minusve lucrari „ob respectum minoris, & majoris pœnæ debitæ.

„Nam

„Nam, qui minorem deberet, lucraretur plenis„ simam, qui majorem, non tantum, sed ali„ quam partem, ad diluendam partem illius, & „ non totam. Si alicui conceditur Indulgentia „ plenaria ob causam aliquam levem, puta, si „ visitaverit Ecclesiam aliquam vicinam, dicere „ unum Pater noster, vel audire concionem, esse „ præsens Benedictioni Papali; an consequatur „ illam stante hac causa levi, & facili? Respon„ detur, quod ille posset hoc facere cum tanta „ charitate, & fervore, & habere tam parum „ pœnæ persolvendæ, quod consequatur totam „ illam Indulgentiam, etsi plenissima esset. Et „ econtra, si alicui concedatur Indulgentia talis „ cum aliqua causa ardua, & difficili, & ille „ cum tam exili, & parva devotione, lenta suo„ rum peccatorum cuntritione, pigra reverentia „ illud efficiet, quod non consequetur illam to„ tam. Puta, si diceret Indulgentia; qui jejuna„ verit quarta, & sexta feria, & Sabbato, & die „ Dominico confessus fit, & communicaverit, & „ largitur eleemolynam, si hoc faceret mente „ frigida & tepida devotione, non lucraretur ple„ nissimam, sed tantam, ad quantam se extendit „ prædictorum impletio. — Maximè notandum „ est, quod præmeditato à Summo Pontifice po„ nitur illud adverbium: verè (pœnitentes) nam „ pauci, & puto, paucissimi aquirunt Indulgen„ tias. Et ratio est, quia contritio difficillimè „ haberi potest; nam in contritione requiritur „ dolor maximus propter offensam Dei, & non „ propter pœnas inferni, dein votum confitendi, „ & satisfaciendi. Et sic cessat quorumdam ad„ miratio dicentium: O magnam Indulgentiarum „ largitatem! magna nimirum largitas, sed ex„ igua aquisitio. Quid ergo dicendum? Ergo „ nullus lucrifacit Indulgentias? Respondetur, „ quod sic, videlicet Viri pii frequentantes Sa„ cramenta; se exercitantes in actibus bonis, & „ operibus misericordiæ; non habentes malum „ habitum in vitiis, elicientes verum dolorem de „ præterito, & propositum de futuro saltem vir„ tuale præstandi reliqua, studentes laborare in „ satisfaciendo, suspirare apud Clementissimum „ Judicem, & adhibere sibi Sanctos Advocatos. „ Nam alias, si millies pergas Romam ad Annum „ Jubilæum, & millies vadas ad loca sancta Indul„ gentiarum, sine his requisitis millies vestigia „ teres, & oleum, & somnum perdes. Igitur „ Pontifices non sunt adeo liberales, & largi ad „ concedendas Indulgentias, licet multas indies „ concedant; quia postea restringunt per ver„ bum illud tremendum: verè pœnitentes." Ita Zerula.

Probatur 17. Ecclesia nunquam censuit; per Indulgentias plenarias remitti posse obligationem satisfaciendi congruè. Ergo nec Summorum Pontificum in Bullis Indulgentialibus ea est mens. *Ant. prob.* A primo Ecclesiæ Sæculo usque ad finem Sæculi decimi quarti nulla extitit pro omnibus fidelibus Indulgentia plenaria; & eæ Indulgentiæ plenariæ, quæ concessæ fuerant personis aut locis particularibus per Bullas Pontificias, ferme omnes expresse erant oneratæ conditionibus tam arduis, quæ æquivalere poterant satisfactioni congruæ. Ergo. *Ant. prob.* est à me ostensum in Historia Indulgentiarum edita Augustæ & Venetiis. Sic v. g. *D. Paulus* dedit Indulgentiam Corinthio incæstuoso, sed postquam egerat *asperam pœnitentiam*, ut *D. Chrysostomus*, & *S. Anselmus* in 2. Cor. 2. testantur. *Zephyrinus* Papa concessit lapsis Indulgentiam in articulo mortis, sed *pœnitentia functis*, id est, *diu sacco & cinere inhorrescentibus, ac fletu ingemiscentibus*, ut habetur &c. Tertull. de Pudic. c. 1. *S. Cyprianus* etiam extra articulum mortis lapsis concessit Indulgentiam ingruente nova persecutione, sed post peractam severam pœnitentiam. Epist. 54. ait: „Cum videamus diem alterius per„ secutionis appropinquare, censuimus eis, qui „ pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum „ deprecari à primo lapsus die non destiterunt, „ pacem dandam esse. *Et Epist.* 53. Scripsistis „ mihi, Ninum, & Clementianum vi tormento„ rum subactus esse, nec tamen post hunc lapsum „ à Pœnitentia agenda per hoc triennium desti„ tisse. Puto, his Indulgentiam Domini non „ defuturam, quibus ad deprecandam clementiam „ Domini existimamus sufficere, quod triennio „ jugiter ac dolenter cum summa pœnitentiæ la„ mentatione planxerunt. *Et Serm. de Lapsis:* „ Nemo se fallat, si precem toto corde quis fun„ dat; si veris pœnitentiæ lamentationibus, & la„ chrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Do„ minum justis, & continuis operibus inflectat, „ misereri talium potest Deus, potest ille Indul„ gentiam dare: pœnitenti, roganti potest cle„ menter ignoscere; potest acceptum referre, „ quidquid pro talibus petierint Martyres, & fece„ rint Sacerdotes." Hæc erat Indulgentiarum veterum forma ad mentem Conciliorum, & Patrum usque ad Sæculum circiter undecimum, prout in Historia Indulgentiarum Part. 1. sect. 1. & Part. 2. sect. 4. fuse ostensum; à Sæculo vero undecimo usque ad annum 1390. nulla prorsus potest ostendi authentica concessio alicujus Indulgentiæ plenariæ, nisi Cruciatarum pro pergentibus, vel coadjuvantibus ad bellum sacrum, & unius vel alterius alligatæ ad determinatum locum, quo utique pergere non poterant, nisi paucissimi. Quando *S. Franciscus* obtinuit Indulgentiam plenariam pro Ecclesia SS. Angelorum, *Honorius III.* expresse testatus est: *Non esse consuetudinis Apostolicæ Sedis, talem Indulgentiam facere.* Et quando anno 1390. concessa est Indulgentia plenaria in forma Jubilæi pro regionibus Germaniæ, testantur Scriptores coævi corum temporum, ibidem relati, Indulgentiam illam plenariam fuisse primam in his partibus. Simile exemplum habetur de *Cœlestino V.* de quo Scriptor coævus apud Henschenium dicit: *Omnibus, qui tunc aderant, uberiore quam unquam auditum est, relaxatione veniam omnium peccatorum plenam, consummatamque concessit.*

Probatur 18. Universim ad lucrandum plenarium fructum Indulgentiæ plenariæ in suscipiente requiritur studium seu propositum satisfaciendi Deo congruè. Ergo Jubilæum vel alia Indulgentia plenaria non liberat Confessarium ab imponenda satisfactione congrua delictis proportionata. Antecedens ex instituto probabitur Disput. 7. quæst. 1. Interea sufficiat authoritas D. Bo-

D. Bonaventuræ, Innocentii V. Richardi Armacani, Hadriani VI. Cardinalis Cajetani, Cardinalis Palavicini, Cardinalis Baronii, Cardinalis Bellarmini. Sic habent.

I. *S. Bonaventura* in 4. fent. d. 20. q. 6. „qui „dat Indulgentias, cum eas tribuit, confideret „caufam, pro qua reputat cum dignum tanta „gratia; & fecundum quod plus, vel minus accedunt homines ad illam caufam, plus vel minus participant de Indulgentia. ut v. g. ftationes Romæ inftituerunt Patres propter peregrinos, qui veniebant de locis remotis, nec exiftimaverunt, dignum effe tanta gratia cum, qui „eft natus juxta Ecclefiam, ficut eum, qui venit „per longam viam, unde nec tantam recipit Indulgentiam, fed NB. aliquantam. Concedo „igitur, quod Indulgentiæ, quantum eft ex parte dantis, tantum valeant, quantum promittunt; concedo nihilominus, quod non valeant „æqualiter omnibus, fed fecundum exiftimationem ejus, quam habuit, vel NB. habere debuit, qui Indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere: quia omnes non fideles debent illud in corde præfupponere, quod dona, „& miferationes S. Spiritus donentur cum æquo „libramine. Nec hoc debet aliquem ab hia retrahere; quia femper plus valent, fi homo fit „in Charitate, quam valeat obfequium, vel aliud „aliquid, quod pro Indulgentia conceditur, vel „donatur."

II. *Petrus de Tarantafio*, poftea in Pontificatu dictus Innocentius V. in 4. fent. d. 20. q. 3. art. 3. ait: „Indulgentiæ valent ad meritum remiffionis pœnæ, non ad meritum adeptionis „vitæ æternæ, nifi ex confequenti. Remittere „vero pœnam totam vel homini, ad remiffionem „NB. bene difpofito, poteft Prælatus de Thefauro Ecclefiæ. Unde puto, quod valent Indulgentiæ in fe, quantum fonant. Quia vero „actus activorum non funt, nifi in fubjecto NB. „difpofito, ideo non valent indulgentiæ omnibus æqualiter, fed fecundum quod magis, vel „minus funt difpofiti per meritum redemptionis pœnæ, non adeptionis vitæ. Unde ficut „40. dies pœnitentiæ plus valent uni perficienti „eam cum majori fervore, & labore, quam alteri, qui cum minori; ita dico, quod 40. dies „Indulgentiæ plus valent illi, qui fe magis ad illam difponit, majori fcilicet fervore, feu afflictione, feu dati quantitate, unde cum veniens „à remotia magis difpofitus fit quoad meritum „remiffionis pœnæ, quia plus laboravit, plus valent ei cæteris paribus."

III. *Richardus* Archiepifcopus Armacanus, in quæftionibus Armenorum de Indulgentiis fic habet: „Caufa fufficiens, quæ movere debet ad „hujusmodi Indulgentiaa, non eft femper indigentia fola cum merito, feu juftitia; quia fic „confequeretur, quod Papa femper omnes juftos plene abfolveret; ut volarent de morte „corporis in vitam æternam. Sed funt confideranda multa, ficut exercitatio devotionis, „aut fidei, aut operum pietatis in illis, quibus „debet concedi; & non, ut præbeatur occafio „aliis, pœnitentiam omittendi; quod fieret manifefte, fi fummus Sacerdos omnes in morte, „aut in vita plene abfolveret, & fic ipfe delinqueret valde. -- homini conftituto in extremis veraciter pœnitenti poffunt concedere Indulgentiam plenam, vel particularem juxta „conditionem meritorum, & utilitatem, quam „obtulit Ecclefiæ &c. fic tamen, quod non „propter frequentem collationem hujusmodi „cæteri occafionem accipiant, pœnitentiam negligendi, aut torpendi in vita. Sublata vero caufa legitima movente Papam, aut alium, „non video, quod talis Indulgentia plena, aut „particularis valeat illis, quibus conceditur."

IV. *Hadrianus VI.* in 4. fent. de clavibus fic ait: „Concedo, quod eorum, qui idem opus „faciunt, unus plus confequitur de Indulgentiis, quam alter -- cum vero Prælatus pro exili caufa, puta, omnibus contribuentibus unum „ftuferum, dat plenam omnium peccatorum remiffionem, diffipatio eft, non difpenfatio Indulgentiarum; & tunc folum in ea parte, pro „qua rationabilis foret, confequitur; puta, fi „quia ex illa contributione tantum patitur, quod „dignum fe reddat, ut fi eft penitus pauper, totum confequitur; in aliis folum operatur ejus „partia remiffionem, qua ex fua contributione „fe dignum faciunt." Sicut hic Hadrianua difcurrit circa Indulgentiam plenariam pro contributione unius ftuferi refpectu paupcria, & divitis; Ita ob paritatem rationis difcurreret circa Indulgentiam plenariam conceffam pro oratione unius Pater & Ave refpectu gravati folum peccatis venialibus, & refpectu alterius gravati debito mille peccatorum mortalium.

V. *Cajetanus* Cardinalis, Legatus Apoftolicus in Germaniam, & Commiffariua contra Lutherum, eo fine miffus, ut Lutherum dedoceret fuos errores circa Indulgentias, ex inftitnto, & fufe confutat doctrinam, de qua agitur. In tractatu 10. de fufcipientibus Indulgentias fic habet: „Confeffi funt duplicis generis. Quidam „foliciti ad fatisfaciendum per fe ipfos pro peccatis fuis; quidam negligentes fatisfacere per „fe ipfos. Primi condignas pœnitentias, vel „petunt à Confeffariis fibi imponi, parati eas implere, vel fponte illas affumunt, dum continue „ftudent per fua fancta opera fatisfacere jejunando, orando, eleemofynas dando &c. Secundi vero parviffimam pœnitentiam aut rogant, aut læti fufcipiunt; & cum illam impleverint, quam fciunt effe minimam, non curant „amplius de fatisfaciendo, reputantea, fibi fufficere, quod non ibunt ad infernum. Et hi „funt, quibus Indulgentiæ non profunt judicio „meo. Et ratio, quæ me movet, eft; Nullua „indignus aliena fatisfactione pro pœna fibi debita veraciter confequitur fructum Indulgentiæ; fed quilibet in gratia conftitutus negligens fatisfacere per feipfum eft indignus aliena fatisfactione pro pœna propriis peccatis debita; Ergo nullus conftitutus in gratia negligens fatisfacere per feipfum aquirit fructum „Indulgentiæ." Hucusque Cajetanua, cujus doctrinam Raynaldus ad annum 1518. & 1519. ubique proponit tanquam doctrinam Ecclefiæ. Obfervo autem, argumentum Cajetani, cujus Minorem l. cc. efficaciter probat, faltem hoc pro-

bare, quod hujusmodi negligentes non consequantur totalem fructum Indulgentiæ, sed partem suo labori in lucranda Indulgentia impenso, utut modico, proportionalem.

VI. *Palavicinus* Cardinalis, in Histor. Trid. l. 1. c. 9. n. 5. postquam retulit sententiam Hadriani VI. supra recensitam, addit: „ Hanc opinionem non minus ingeniosam, quam rationi concordem confirmavit Hadrianus Bonifacii VIII. Constitutione in promulgando Jubilæo, ubi hortatur Pontifex Fideles ad exequenda opera ibi præscripta, quam maxima possint, pietate, quo plenius, efficaciusque Indulgentiæ beneficio perfruantur. Igitur, colligit ille, hoc beneficium magis, minusque plene consequi possumus, quique impositum opus melius perficit, plenius beneficium consequitur; jam vero apud se quisque perpendat, an ex hac sententia liceat arguere, quod hæc hominum fervorem frigefactura esset. Extingueretur potius hic fervor, ubi fideles opinioni contrariæ adhærerent. Tantum enim industriæ non adhiberent ad novas iterum Indulgentias aquirendas; neque, qui sacram Icunculam obtineret amplissimis Indulgentiis præditam, longas peregrinationes susciperet, aliaque opera magni laboris. Nonne illud ipsum pronuntiaverant S. Bonaventura, Richardus, Gabriel, Major, Gerson, Innocentius Pontifex, Felinus, Cajetanus? Quis illiteratus Confessarium mediocriter doctum percontatus idem non audivisset?"

VII. *Baronius* Cardinalis ad annum 1073. postquam retulit Indulgentiam à Gregorio VII. Lincolniensi Episcopo concessam, supra relatam, addit: „ Ut appareat, Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpentibus.

VIII. *Bellarminus* Cardinalis l. 1. de Indulgentiis c. 12. ad 5. ait: „ Omnino sic accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere."

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Per Indulgentiam plenariam remittitur totus reatus pœnæ. Ergo tempore Indulgentiæ plenariæ nulla debet imponi pœnitentia vindicativa, sed tantum medicinalis. *c. prob.* remissio totius pœnæ & obligatio ad pœnam non possunt simul stare.

Respondeo. d. a. remittitur totus reatus pœnæ vindicativæ. c. satisfactoriæ. n. Ex *Notando* 5. constat; reatum pœnæ subdividi in reatum *pœnæ satisfactoriæ*, quæ correspondet *justitiæ commutativæ*, & prærequiritur saltem ex promisso pœnitentis ad obtinendam remissionem culpæ; & in reatum pœnæ vindicativæ; quæ correspondet *justitiæ distributivæ seu legali*, ac remanet etiam post jam remissam culpam seu offensam. Ratio est; quia etiam in reconciliatione hominis ad injuriantem vel damnificantem in bonis fortunæ hoc observare licet, quod læsus inprimis in ordine ad reconciliationem titulo justitiæ commutativæ recte exigit compensationem honoris vel damni per aliquid æquivalens. Dein compensato damno ac secuta reconciliatione primum exercet justitia publica distributiva seu legalis suum officium, ut vindicativa pœna corripiat eum, qui deliquit in legem. Sic & Deus respectu pœnitentis gerit quasi duplicem personam, privatam videlicet, & publicam. Tanquam persona privata, seu tanquam Rex infinitæ dignitatis, exigit titulo justitiæ commutativæ compensationem honoris læsi, & damni illati in bonis gloriæ extrinsecæ. Cum vero homo non possit reddere *æquivalens simpliciter*, jure ejusdem justitiæ commutativæ recte ab homine exigit tantum, quantum moraliter potest reddere. Jam vero illud æquivalens *de congruo* in æstimatione divina, prout constat ex Scriptura & traditione, consistit partim in deprecatione, humiliatione, & afflictione pœnitentis, partim in aliis operibus bonis, ultro susceptis à pœnitente. Itaque manifestum est, quod detur reatus *pœnæ satisfactoriæ*, seu *compensatoriæ*, solvendæ aut certe promittendæ Deo in ordine ad obtinendam remissionem culpæ. At vero culpa seu offensa & indignatione personali, ut ita dicam, jam remissa, remanet adhuc justitiæ distributivæ seu legali suum jus ad vindictam publicam exigendam ab eo, qui in legem deliquit, nisi delinquens hanc vindictam legalem aut ultroneis operibus pœnitentiæ rigorosæ redimat, aut Legislator intuitu intercessionum, aut solutionis ab alio oblatæ, eam vindictam ultro condonet. Et hoc est *reatus pœnæ vindicativæ*, qui non nisi per pœnitentiam ultroneam rigorosam, aut per Indulgentias solvitur. In hoc ergo sensu potest responderi & Respondeo 2. Per indulgentiam plenariam remittitur totus reatus pœnæ, præsupposita tamen *satisfactione compensatoria*, quæ præexigitur ad remissionem culpæ. c. ea satisfactione compensatoria non præsupposita. n. Vel

Respondeo. 3. tr. a. d. c. Ergo nulla est imponenda pœnitentia vindicativa, qua talis, & in ordine ad exigendam vindictam c. quæ est talis, & in ordine ad exigendam satisfactionem compensatoriam. n. Ex prima Responsione & ex *Notando* 4. & 5. constat; quod Deo placuerit, in compensationem offensæ per modum alicujus æquivalentis de congruo acceptare partim deprecationem, humiliationem, & afflictionem pœnitentis, partim alia pia opera. Itaque præstatio ejusmodi actionum, quamvis habeat speciem pœnitentiæ vindicativæ, & possit etiam Deo offerri pro redimenda vindicta legali infligenda à Deo, secundum se tamen & denominative accepta, tantum habet rationem satisfactoriam, non vindicatoriam. Et cum satisfactio, præstanda per se juxta arbitrium offensi, prout Disput. 1. quæst. 2. *Notando* 2. & 3. & Disput. 5, quæst. 1. *Notando* 4. & 5. dictum est, relinquatur arbitrio sacerdotis, tanquam vicarii Christi, soleat esse valde moderata, sufficiet ea quidem ad obtinendam remissionem culpæ, per modum satisfactionis compensatoriæ de congruo; non tamen sufficiet ad tollendum *reatum pœnæ*, simpliciter dictum, videlicet illius pœnæ rigorosæ, quæ ex justitia legali est infligenda à Deo, nisi aut rigo-

rigorosis operibus pœnitentiæ redimatur, aut intuitu solutionis extrinsecæ ultro per sententiam absolutoriam condonetur, quod per Indulgentias fieri Disputatione sequente ostendam.

Objicitur 2. Summi Pontifices in Bullis Indulgentialibus, quando præcipiunt injungi *pœnitentiam*, præmeditate utuntur termino selecto, dicentes; injungendam esse pœnitentiam *salutarem*. Ergo non agnoscunt obligationem injungendi pœnitentiam vindicativam, aut satisfactoriam pro offensa. Confirmatur: ille terminus, pœnitentia *salutaris*, idem sonat, ac salubris, seu medicinalis. Ergo Summi Pontifices tantum requisierunt *pœnitentiam medicinalem*.

Respondeo. c. a. d. c. Ergo non exigunt vindicativam aut satisfactoriam, nisi etiam pœnitentia vindicativa, & satisfactoria sit salutaris, tanquam species contenta sub genere. c. secus. n. Ostensum enim est in *Notando* 3. 4. & 5. quod etiam pœnitentia vindicativa, & satisfactoria, sit *salutaris*. Ordinatur enim *vindicativa* ad præservandam communitatem ab libera transgressione legis; & pœnitentia satisfactoria ordinatur ad præservandam personam privatam ab iteranda offensa, prout Tridentinum *Notando* 4. relatum observat. Itaque, dum Ecclesia exigendo pœnitentiam utitur termino generico, & quidem exprimente intentionem primariam Dei in vindicta infligenda, & satisfactione exigenda, videlicet intentionem promovendi *salutem* generis humani, sapientissime Ecclesia, sic utitur eo generico termino, species contentas sub genere non excludendo, sed disjunctive involvendo, disjunctione determinanda ex natura rei, de qua agitur, seu ex subjecta materia.

Objicitur 3. In Bullis Indulgentialibus partialibus ante Concilium Tridentinum plerumque contestabantur Summi Pontifices; se *de injunctis vel injungendis pœnitentiis* tot annos, vel dies relaxare. Ergo, quando conferebant Indulgentiam plenariam, eoipso liberabant ab omnibus pœnitentiis injunctis vel injungendis. Confirmatur. Gregorius VIII. in Cruciata, quam edidit anno 1187. sic scribit: *Eis, qui corde contrito & humiliato spiritu itineris hujus laborem assumpserint, sive supervixerint, sive mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem se noverint habituros.*

Respondeo. c. a. n. c. Quia Summi Pontifices in Jubilæis & aliis Indulgentialibus Bullis ubi agitur de remissione plenaria peccatorum, nullibi dicunt, eam plenariam remissionem intelligendam esse de pœnitentiis injunctis vel injungendis, prout patet ex *Historia Indulgentiarum* à me edita part. 1. Sect. 3. Imo hoc tam constans discrimen, quod Summi Pontifices in Bullis Indulgentiarum partialium, & Bullis Indulgentiarum plenariarum constanter observant, ut ibi ordinarie addant *modum: de injunctis vel injungendis pœnitentiis;* in istis vero hunc modum semper omittant, fundat argumentum; Summos Pontifices noluisse plenam Indulgentiam valere pro *injunctis pœnitentiis* vel *injungendis*. Et hoc ipsum declaratum à Cardinali de Cusa, Legato Sedis Apostolicæ in Belgio; de qua declaratione Chronicon Belgii sic scribit: *Anno* 1450. *fuit annus Jubilæus Romæ. Anno sequenti Nicolaus Papa sub Jubilæi forma concessit Oppido Mechliniensi, ita ut venientes Mechliniam, si certas Ecclesias cum oblationibus visitarent, consequi Indulgentias omnium peccatorum possent. Eodem anno Nicolaus de Cusa, Cardinalis, per Alemanniam Legatus omnibus, qui in suæ legationis terminis habitabant, vere contritis & confessis, & qui ad certas Ecclesias de consilio Episcoporum ordinatas certam pecuniæ summam contribuerent, concessit Jubilæum, id est, plenam omnium peccatorum remissionem,* NON AUTEM A POENA ET CULPA ABSOLUTIONEM. *Quia, ut ipse in Synodo Provinciali, nobis audientibus, Magdeburgi per ipsum celebrata dicebat: Sedes Apostolica sub his verbis:* A POENA ET CULPA, *indulgentias nunquam dare consuevit, sed bene omnium peccatorum remissionem. Idem Cardinalis adjecit. Si quis pro uno peccato mortali septennem ageret pœnitentiam juxta Canonum decreta, & pro duplici peccato mortali quatuordecim annis pœniteret, nullam post hanc vitam subiturum pœnam. Quia vero multis obnoxius criminibus talem pro peccatis mortalibus agere pœnitentiam vix posset, idcirco dicebat dari Indulgentias, ut vel sic de thesauris Ecclesiæ suppleat, quod pro digna satisfactione sentit sibi deesse.* Hucusque Declaratio Legati Apostolici in Provinciali Synodo.

Ad Confirmationem. d. a. dicit hoc Pontifex per modum commutationis injunctæ satisfactionis in militiam sacram suscipiendam in Asia pro recuperatione terræ sanctæ. c. per modum solutionis vel absolutionis. n. Nam Pontifex in ista Bulla satisfactiones pœnitentiales injunctas tantum commutavit in aliud genus satisfactionis, aut difficilius, aut certe non facilius. Quia lucraturi eam indulgentiam debebant relinquere uxores, libros, amicos, domos, omnia bona, patriam, & suscipiendo militiam sacram transire per mare in Palæstinam, ibique vitam pro religione exponere vix non certæ morti. Hinc & Pontifex in præfata Bulla ait: *Non habemus Deo dicere cur ita fecerit* (Jerosolymam & exercitum Christianum Saraccnis). *Voluit forsitan experiri, si quis sit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum sibi pœnitentiæ tempus hilariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus consummetur in brevi, & compleat tempora multa. Eis autem qui itineris hujus laborem assumpserint, & in pœnitentia peccatorum & fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam, sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, impositæ satisfactionis relaxationem authoritate nostra se noverint habituros.* Hæc omnia tantum sapiunt commutationem satisfactionum injunctarum. Vide *Historiam Indulgentiarum* part. 1. Sect. 2. N. 12. Itaque verum relinquitur; in Indulgentiis partialibus remitti quidem aliquid *de injunctis* pœnitentiis, non omnes; in plenariis autem Indulgentiis ne quidem apponi *hunc modum*, sed relinqui judicio confessarii, quantum moderationis, aut rigoris *salutaris* quoad injunctionem satisfactionis compensatoriæ adhibendum duxerit.

Objicitur 4. In Bullis Pontificis non exprimitur hæc conditio, quod ad lucrandum plenarium fructum Indulgentiarum requiratur propositum congrue satisfaciendi pro peccatis saltem per studium bonorum operum; ergo si hoc requirerent, deciperent homines, promittendo plenam remissionem, & non manifestando hoc prærequisitum.

Respondeo 1. Summos Pontifices hoc prærequisitum sufficienter expressisse per hos terminos: *vere pœnitentibus*. Ita respondent duo Cardinales, Cajetanus, & Denoff. Prior Tract. 10. de Indulgentiis sic habet: *Confirmatur &c. antiqua forma Indulgentiæ, cum dicitur, vere pœnitentibus, hoc modo pœnitens non est, nisi solicitus ad satisfaciendum per seipsum.* Alter vero in suo Pastorali ait: *Ea mens Ecclesiæ manifestatur in Bullis Pontificiis, in quibus Summi Pontifices exprimunt, se Indulgentias elargiri vere pœnitentibus, quæ clausula sinceram omnium peccatorum detestationem, & voluntatem congrue Deo satisfaciendi importat.*

Respondeo 2. Non fuisse necessarium, ut hæc conditio exprimeretur, quia est conditio per se imbibita, quam prærequiri Fideles deberent scire ex Instructione Doctorum; sic etiam ad validam confessionem, & fructuosam Communionem variæ conditiones prærequiruntur, quæ non exprimuntur in Bullis Indulgentiarum v. g. actus fidei, & spei. Hæc responsio est iterum duorum Cardinalium, S. Bonaventuræ, & Palavicini. Prior in 4. sent. d. 20. q. 5. ait: *Indulgentiæ valent non æqualiter omnibus, sed secundum existimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit; qui Indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona, & miserationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine.*

Posterior vero in Histor. Trid. l. 2. c. 4. loquens de Doctrina Cajetani præfata, quam Petrus Suavis arcanum quoddam nominaverat, sic habet: *Quodnam tandem arcanum illud erat, quod potuisset, ac debuisset homines latere? nonne illud inter Scholasticos pronuntiaverant S. Bonaventura, Richardus, Gabriel, Major, & Joannes Gerson? inter Canonum Consultos Innocentius Pontifex, & Felinus? Quis illiteratus Confessarium mediocriter doctum percontatus idem non audivisset? Nec satis fuerit respondere*, Confessarios illud tanquam opinionem Disputationi obnoxiam, non tanquam veritatem obfirmatam dicturos fuisse, id enim abunde fuisset ad excitandum studium melius inquirendi in mentem Ecclesiæ, & ad deponendam incertam in re tanti momenti sine solicitudine bonorum operum fiduciam.

Objicitur 5. D. Thomas sentit, quod Indulgentia etiam indiscreta liberet ab onere operum pœnitentialium. in 4. d. 20. q. 1. a. 3. qq. 2. c. sic habet: *In arbitrio dantis Indulgentiam est taxare, quantum per Indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias, nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur.* Et ibidem d. 20. a. 3. qq. 4. c. dicit, tantum esse consilii, incumbere operibus pœnitentiæ: *Non est*, inquit, *in destructionem Indulgentias dare, nisi inordinate dentur: tamen consulendum est eis, qui Indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, præcipue; quia quandoque sunt plurium debitores, quam credant.* Et l. c. qq. 3. c. dicit, unum posse satisfacere pro alio, etiamsi alter non sit impotens ad satisfaciendum per seipsum.

Respondeo, D. Thomam loqui eo tempore, quo dabantur Indulgentiæ *ab injunctis pœnitentiis*, & quo injungebantur pœnitentiæ severissimæ, nisi daretur causa eas moderandi occasione Indulgentiæ alicujus partialis, quales tunc temporis, exceptis Cruciatis, erant fere omnes. Vult ergo dicere, eos, quibus tempore Indulgentiæ facta est moderatio circa *injunctas pœnitentias*, non quidem teneri obligatione Sacramentali ad persolvendas eas *pœnitentias injunctas*, quarum relaxatio per Indulgentiam facta est; nihilominus consultum esse, ut persolvantur; quia etiamsi lucrarentur totam eam Indulgentiam partialem, possunt tamen habere alia debita per eam Indulgentiam partialem nondum remissa. Hunc esse sensum D. Thomæ, eumque loqui de *pœnitentiis injunctis*, patet ex ipso textu: *Ne ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant.* Id vero non opponitur nostræ sententiæ, quia clarum est, pœnitentes, etiam gravissimorum criminum, homicidii, adulterii, rapinæ, &c. reos non obligari ad aliquam graviorem pœnitentiam Sacramentalem, si confessarius per imperitiam tantum imponat pro tot criminibus *unum Pater & Ave.* Hic vero non est quæstio de pœnitente, an teneatur sub peccato subire pœnitentiam graviorem, non injunctam, aut condonatam; sed quæstio est, utrum confessarius teneatur injungere pœnitentiam proportionatam, nostris præsertim temporibus, quo non solent tantum esse obviæ Indulgentiæ partiales, sed plenariæ, & quo, ob ipsam forte Indulgentiarum plenariarum multitudinem, sublata est ea Indulgentiarum formula: *ab injunctis pœnitentiis.* Itaque posset inverti argumentum. Indulgentiæ tempore D. Thomæ supponebant *injunctas pœnitentias*, earundemque regulariter tantum relaxabant partem; ergo tunc temporis adhuc residua erat pœnæ pars luenda in mundo, vel Purgatorio. Nec obstat, quod D. Thomas doceat, relaxationem pœnitentiæ injunctæ valere coram Deo, quin ad hoc requiratur impotentia satisfaciendi per seipsum. Nam S. Doctor solum admittit, eam relaxationem valere juxta mensuram æstimationis divinæ. Id ex eo colligitur, quia docet, unum pro alio posse satisfacere tantum de congruo; adeoque dependet ab acceptatione divina, an velit acceptare satisfactionem unius pro alio. Cum ergo aliunde doceat, repugnare legibus ordinariis justitiæ divinæ, ut peccatum maneat omnino impunitum; inferendum est, juxta mentem D. Thomæ ad hoc, ut satisfactio unius profit alteri, non quidem requiri omnimodam impotentiam ad satisfaciendum per seipsum, requiri tamen debilitatem ac infirmitatem, cui conanti, & laboranti deceat subvenire ex alieno. Id insinuat in 3. d. 20. q. 1. a. 2. qq. 3. c. ubi ait: *Secundum ordinem, quem nunc Deus rebus imposuit, non potest peccatum congrue sine*

fine pœna dimitti. Nec sequitur, quod si congruè pars pœnæ dimittitur, quod etiam congruè tota dimittitur; in eo enim, qui peccavit, est aliquod quod repugnat impunitati. Sic ille.

QUÆSTIUNCULÆ.

QUÆRITUR 1. An detur gravis obligatio, pœnitentiam à Confessario injunctam acceptandi, & adimplendi?

RESPONDEO. Nisi pœnitentia injuncta sit manifestè irrationabilis & moraliter impossibilis, datur gravis obligatio, eam pœnitentiam acceptandi & adimplendi; ita ut si pœnitens eam negligat ex contemptu, vel in quantitate notabili in ordine ad finem Sacramenti, omittat, peccet mortaliter.

PROBATUR. Confessarius debet habere intentionem sic ligandi pœnitentem ad pœnitentiam satisfactoriam. Ergo pœnitens vicissim obligatur. *Ant. patet* ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 8. relato quæst. 3. *Notando* 4. & ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. *utriusque*, ubi potestas *ligandi* Sacerdotibus concessa explicatur per potestatem *obligandi* ad talem satisfactionem.

QUÆRITUR 2. An pœnitens, si illi videatur injuncta pœnitentia nimis difficilis, possit tuta conscientia sine absolutione discedere, & adire alium Confessarium?

RESPONDEO. Si pœnitentia non sit irrationabilis, aut moraliter inobservabilis, talis pœnitens peccat moraliter.

PROBATUR 1. Hæc praxis vergit in perniciem animarum, & evertit ordinem justificationis à Christo institutum; ac frustrat eum fine per Christum intento. Ergo est graviter prohibita. *Ant. patet*; quia in tanta multitudine Confessariorum facile cuivis esset, reperire imperitum aut laxum.

PROBATUR 2. Etiam in judiciis profanis aut arbitriis habetur pro gravi culpa juridica, si actor vel reus deserat cœptum judicium non exspectata sententia. Ergo idem dicendum in hoc judicio Sacramentali.

PROBATUR 3. Talis pœnitens est ita constitutus, ut non sit paratus acceptare etiam ab alio Confessario ejusmodi pœnitentiam, sed tamdiu variare, donec inveniat sibi faventem. Sed hæc dispositio est graviter peccaminosa; & indonea ad gratiam. Ergo. *Min. prob.* quia talis est ita comparatus, ut studiose quærat Confessarium recedentem à communi sensu & doctrina Doctorum Ecclesiæ circa partem essentialem hujus Sacramenti, quod ipsum graviter opponitur ordini divinitus constituto.

QUÆRITUR 3. Quid agendum pœnitenti, si pœnitentia injuncta videatur illi irrationabilis, aut moraliter inobservabilis?

RESPONDEO. Pœnitens tenetur inprimis monere Confessarium de difficultate; & si nolit aquiescere; tenetur nihilominus pœnitentiam acceptare, cum proposito consulendi alium Confessarium. *Ratio* est, quia pœnitentes facile sibi blandirentur, pœnitentiam esse irrationabilem aut viribus suis improportionatam. Cum ergo Deus commutationem satisfactionis rigorosæ in moderatam reliquerit judicio Confessarii, & non pœnitentis; idem in causa respectivè appellationis observandum est.

QUÆRITUR 4. An alius Confessarius possit commutare pœnitentiam à priore Confessario injunctam?

RESPONDEO 1. Certum est, eam commutationem fieri non posse non cognita prius conscientia pœnitentis, & renovata priore confessione. *Ratio est*, quia ut Tridentinum Sess. 14. c. 5. observat: *Constat, Sacerdotes incognita causa judicium hoc exercere non posse; neque æquitatem in injungendis pœnis observare posse.*

RESPONDEO 2. Eam commutationem facile non esse faciendam, nisi pœnitentia sit manifeste irrationabilis, aut moraliter inobservabilis. *Ratio est*, quia etiam in causis profanis appellationum Legislator horret correctionem legum & judiciorum. Et manifestum est; alioquin enervandum nervum bujus disciplinæ divinitus institutæ, quod prudentia legislativa in mente divina renuit.

RESPONDEO 3. Commutationem, ubi facienda est, faciendam esse in pœnitentiam delictis proportionatam, & à Confessario habente jurisdictionem in pœnitentem. Ita S. Raymundus l. 3. §. 66. ubi ait: *Ad illud, quod quæritur: utrum Sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis ad petitiones ipsorum pœnitentium. Credo breviter quod sic; dum tamen discretè, & propter causam; & circa subditos suos; alias non.*

QUÆRITUR 5. An pro peccatis publicis etiam publica pœnitentia injungenda sit?

RESPONDEO. Confessarius tenetur pœnitentiam publicam imponere pro peccatis publicis, quæ nulla verosimili ratione à gravi peccato excusari possunt; ita tamen, ut publicitas pœnitentiæ eorum notitiam excedere moraliter non possit, ad quos scandalum dimanavit.

PROBATUR 1. ex Concilio Tridentino, quod Sess. 24. c. 8. sic habet: *Apostolus monet, publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam provocet vitam.* Hoc loco Tridentinum non loquitur de foro externo, sed de foro interno, prout patet legenti contextum antecedentem & subsequentem; quia præcedenter loquitur de recta administratione Sacramentorum, & subsequenter de constituendo Pœnitentiario in Ecclesiis Cathedralibus.

PROBATUR 2. ex Concilio Mediolanensi I. statim post Tridentinum celebrato, ubi *D. Carolus* Tit. de Pœnit. sic scribit: *Confessores, quemadmodum à S. Tridentina Synodo jussum est, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant; neque illud pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo facultate secreta, alia pœna commutare audeant. Genettus* in confirmationem hujus Responsionis adducit etiam Concilium *Genuense, Sipontinum, Burdigalense, Bituricense, Rothomagense, Turonense, & Aquense;*

fe; *Rituale Romanum*, & *Catechismum Romanum*. Rituale Romanum sic habet: *Ne absolvat eos, qui scandalum publicum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant.*

QUÆRITUR 6. Qualia sint illa crimina publica, pro quibus publica pœnitentia imponenda sit?

RESPONDEO. Quæ notoria sunt notorietate juris per sententiam judicis, v. g. adulteria, fornicationes, blasphemiæ, superstitiones &c. in foro externo punitæ; aut *notorietate facti*, ipsomet reo crimen publicè non negante.

QUÆRITUR 7. An Confessarius pro crimine publico possit imponere pœnitentiam publicam, etiam solennem?

RESPONDEO. Eam à Confessario imponi non posse. Vocatur autem solennis, quæ antiquitus indici solebat pœnitentibus publicis ab Episcopo in die Cinerum, ejiciendo eos ex Ecclesia?

QUÆRITUR 7. Quales pœnitentiæ publicæ imponi possint à Confessariis privatis pro peccato publico?

RESPONDEO. Imponi posse 1. Confessiones & communiones menstruas. 2. Peregrinationes ad loca pia aliquoties repetitas. 3. Visitationes Ecclesiarum pomeridianas diebus Dominicis & festis. 4. Auditiones plurium sacrorum diebus festis. 5. Abstinentiam annuam, aut magis diuturnam à vanis consortiis, conventiculis, choreis, comœdiis, venationibus, hospitiis &c. *Vialard*, Episcopus Catalaunensis teste *Genetto* præscribit sequentes: „Hortamur & obtestamur Decanos, ut quoties ad ipsos accesserint „ publicè blasphemantes, concubinarii omnibus „ noti, meretrices, ebriosi, scandalosi, Festorum & Dominicarum dierum violatores, qui „ manifestas exercent inimicitias, & alii similes „ peccatores, iis absolutionem non impertiantur; neque ad Sacramentorum participationem „ admittant, nisi prius scandalum sustulerint; & „ publicam satisfactionem peccati gravitati aliquo „ modo convenientem præstiterint, sive peccatum suum cum dolore confitendo coram iis, „ quos scandalo affecerunt, vel etiam coram aliis „ viris honore dignis; sive aliquid tribuendo ad „ Ecclesiæ ornatum; sive alio modo scandali magnitudini congruo. Præterea Curatos omnes, „ & Confessarios à nobis approbatos hortamur, „ ut eodem modo se gerant erga peccatores publicos, neque his indulgentiores sint. Ubi „ vero scandalum modum excesserit, nec satis „ compertum habuerint Parochi, qualem pœnitentiam imponere debeant, aut qualem pœnitentes subire possint, quemadmodum accidere „ solet in singularibus certaminibus, divortiis, „ cognatorum inimicitiis, & aliis hujuscemodi „ peccatis, iis significabunt Decani, nos id prius „ velle scire, quam quidquam statuant." *Genettus* vero suggerit alios modos, videlicet sequentes: „ Cum, *inquit*, præcipua ratio, propter quam imponitur pœnitentia publica, sit ad medendum „ scandalo, ut ait Concilium Tridentinum, oportet, ut confessores rationem habentes & qualitatis personarum, & peccati commissi præscribant pœnitentias, quæ clarè ostendant, peccatorem sui criminis pœnitere, & curare, ut Deo „ & Ecclesiæ per pœnitentiam à Confessario impositam satisfaciat. Sic v. gr. injungere posset „ Confessarius, ut qui publicè peccavit, genibus „ flexis, oculis demissis, & summa cum modestia „ vestitus, cereum in manu tenens, aut etiam „ sine cereo in vestibulo Ecclesiæ, aut ante januam per Missam Parochialem intersit. Ut cuidam processioni nudis pedibus incedens intersit. Ut comitetur SS. Eucharistiæ Sacramentum, cum defertur ad infirmos, accenso cereo „ in manibus per annum. Ut genuflectat per aliquot horas ante fores Ecclesiæ; & interim hoc „ corporis habitu recitet Psalmos pœnitentiales „ die festo. Posset etiam in pœnitentiam injungi „ blasphematori publico, ut coram illis, quos „ scandalo offendit, dicat, se suorum excessuum „ pœnitere, etiam atque etiam eos deprecans, „ ut orent Deum pro eo ad obtinendam suorum „ peccatorum veniam. Parochus posset etiam „ præscribere peccatori publico, ut genuflecteret „ in extrema Ecclesiæ parte tempore Catechismi, „ seu instructionis familiaris &c. Et, postquam „ cum pœnitente de hoc convenerit, posset adstantibus dicere talem, v. g. Petrum veniam petere „ à Deo & ab Ecclesia pro scandalo dato, & in „ pœnitentiam suscepturum talem peregrinationem pedibus &c. Confessarius tamen semper „ debet habere rationem commissi criminis, ætatis, sexus, conditionis, infirmitatis, aut constantiæ pœnitentis. Considerare etiam debet, „ pœnitentiam quæ levior foret, si privata esset, „ gravem fieri, quando publicè fit.

QUÆRITUR 8. An aliquando consultum sit, has pœnitentias à *Genetto* relatas, imponere peccatori publico?

RESPONDEO 1. Quando crimen notorium sufficienter punitur in foro externo, non est consultum, ut pœna aggravetur in foro interno pro reparando scandalo; utpote jam sufficienter reparato per pœnam publicam, & emendationem pœnitentis notoriam.

RESPONDEO 2. Si crimen grave notorium, v. g. duellum, adulterium, blasphemia, luxuria, non sufficienter punitur in foro externo, quantum par est pro reparando scandalo, rectè à Confessario imponitur satisfactio publica, dummodo crimen in foro externo jam sit declaratum, aut certè tam notorium ut nulla tergiversatione celari possit.

RESPONDEO 3. Inter pœnitentias ejusmodi publicas præ cæteris seligendæ sunt, quæ nullam inurunt aut relinquunt notam infamiæ publicæ. Non enim ad reparandum scandalum, ordinariè brevi transitorium, necessaria est infamiæ perpetuæ nota.

RESPONDEO 4. Si scandalum, seu occasio sumendi pravum exemplum, considerata conditione personarum & criminum, timetur perennaturum tantum in uno vel altero ex communitate, si vindicta publica v. g. adulterii negligatur, aut lenius tractetur, ne sic quidem pœnitenti publico est irroganda satisfactio inurens aut relinquens notam infamiæ perpetuam. Neque enim ad præcavendam possibilem ruinam spiritualem unius vel alterius pœnitens conjiciendus est in pericu-

periculum impœnitentiæ, deprecationis, litium, rixarum, contristationis perpetuæ &c. quæ facile fequerentur ex tali irrogatione infamiæ publicæ. Præterea pœna esset certa; effectus autem scandali valde incertus; cum non sit verosimile, defectum punitionis ejusmodi publicæ fore determinativum efficax ad cujusquam peccatum. Denique talia peccata, utut notoria in communitate, plerumque nec certo, nec exactè sciuntur ab omnibus, præsertim à junioribus; & à quibus sciuntur exactè, apud eos brevi oblivione oblitterantur. Econtra pœna publica, quæ incurrit in omnium oculos, instruit omnes de peccato, & hæret vivaciter in omnium memoria etiam post decem, viginti, aut triginta annos.

QUÆRITUR 9. An expediat, ut Episcopi certa quædam graviora crimina, notoria notorietate juris aut facti, reservent ad ejusmodi pœnas Canonicas?

RESPONDEO. Meo quidem judicio videri expediens, ut Episcopi absque censura excommunicationis, reservatæ Episcopo certis quibusdam gravioribus peccatis notoriis notorietate juris per sententiam, aut notorietate facti, confessata à pœnitente, statuant determinatas pœnas publicas Canonicas, ad quas imponendas ita obligentur Confessarii Episcopo subditi & non subditi, ut nisi eas acceptent pœnitentes Episcopo subditi, omnis in eos pœnitentes denegetur Confessariis jurisdictio; præsertim in locis, ubi tribunalia profana nimis molliter tractant quædam graviora crimina, imponendo tantum mulctas pecuniarias.

PROBATUR. Hæc praxis longe severius viguit per duodecim priora Sæcula, utpote conjuncta cum excommunicatione reservata Episcopo, solvenda in die Cœnæ; & motivum prorsus idem subsistit in locis, ubi certis gravioribus criminibus v.g. duellis, adulteriis &c. non infligitur proportionata pœna; ergo etiam nunc talia peccata possunt ita reservari jurisdictioni Episcopi, ut non possint remitti ab ullo Confessario, nisi pœnitens eam pœnam subeat. NEC OBSTAT; quod Mendicantes possint absolvere omnes ab omnibus peccatis specialiter Episcopo non reservatis; ea autem limitatio jurisdictionis non videatur esse *reservatio casus*, utpote non reservati *cognitioni*, sed tantum jurisdictioni Episcopi. Dicendum enim, eam limitationem jurisdictionis esse verum genus *reservationis*, quamvis moderatum. Perinde enim est: sive Episcopus aut alius superior expresse dicat: *Ego volo, ut pœnitentes adeant meipsum pro absolutione*; sive dicat: *Ego nolo, quempiam tali crimini obnoxium absolvi, nisi aut me ipsum adeat, aut talem pœnam subeat.* Sic enim omnes, qui scribunt de casibus reservatis Regularium, fatentur; quod Superior Confessario postulanti potestatem absolvendi à reservato possit dicere: *Non postulo mihi nominari pœnitentem; volo tamen, ut se sistat, aut subeat hanc vel illam pœnitentiam.* Quod si tamen Episcopus sine consultatione Romani Pontificis non censeat ejusmodi *reservationem jurisdictionis* tentandam, poterit quædam ejusmodi graviora crimina reservare etiam suæ cognitioni cum delegatione potestatis absolvendi à reservatis larga, concessa Parochis, & Confessariis probationibus, attamen sic limitata ad injungendam taxatam pœnam Canonicam.

QUÆRITUR 10. Quales pœnitentiæ possint convenienter injungi respectu nobilium aut divitum?

RESPONDEO. D. CAROLUS part. 2. Actorum Mediol. sequentia pœnitentiarum genera suggerit.

1. Pœnitens vestium sericarum (auro vel argento intextarum) usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo tempore abstineat.

2. Egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret. Pedes item lavet.

3. Peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

4. In publica domo, hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

5. Visitet qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

6. Se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

7. Aliquot diebus carne, aut vino abstineat,

8. Certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet; vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur.

9. Certo aliquo tempore non equitet.

10. Si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in Eleemosynam pauperibus Christi conferat.

11. Genibus flexis, aut etiam brachiis extensis in formam crucis certo tempore & hora præfinita ante Crucem; aliamve Sacram imaginem in Ecclesia oret.

12. Humi aliquamdiu jaceat, cubetve (aut in duriore strato).

13. Flagella certis diebus sibi adhibeat.

14. Cilicium aliquot dies induat.

15. Religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sanctaque conficiat.

16. Statos Psalmos Pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces piè recitet aliquot dierum spatio.

17. Certas Ecclesias, puta Stationales, vel præcipuæ devotionis, visitet.

QUÆRITUR 11. Quales pœnitentiæ possint imponi hominibus plebeis?

RESPONDEO 1. Pro delictis enormibus v.g. parricidio &c. rectè injunguntur pœnitentiæ perpetuæ per totam vitam v.g. jejunia hebdomadaria, eleemosynæ hebdomadariæ, preces statis temporibus, confessiones menstruæ &c. Ea enim est praxis Pœnitentiariæ Romanæ.

RESPONDEO 2. Pro delictis gravioribus v.g. adulteriis, fornicationibus frequentatis, bestialitate, incæstu &c. rectè injunguntur pœnitentiæ annuæ, biennales, triennales, pro gravitate & continuatione criminis.

RESPONDEO 3. Consuetudinariis quoad consuetudinem blasphemandi, imprecandi, pejerandi &c. rectè injunguntur cum pœnitentia absoluta etiam pœnitentiæ conditionales, ut quoties

DISPUTATIO VII.

De Indulgentiis.

Quam utilis est frequens Indulgentiarum usus in Ecclesia Dei, tam perniciosa est laxiorum Theologorum de Indulgentiis doctrina; asserentium, plenum Indulgentiæ plenariæ fructum obtineri posse à quibusvis peccatoribus maximis sine ullo proposito satisfaciendi Deo congruè pro tantis criminibus. Ex hac ergo doctrina languet in studio bonorum operum magna Ecclesiæ pars, quæ haud dubie generoso annisu ad opera misericordiæ, frequentiam orationis, & abstinentiam à delitiis carnis & vitæ profanæ illecebris, libens assurgeret, si non à molliori illa doctrina palparetur communis segnities. Alterum, quod circa Indulgentiarum expositionem emendandum est ad traditionis normam, ad privilegia indulgentialia pro defunctis pertinet. Docent novi hi expositores mentis Apostolicæ, Indulgentias pro defunctis habere effectum infallibilem per modum solutionis, ita ut Deus teneatur eas acceptare pro anima defuncti. Nec ista verò doctrina in sola speculatione subsistit; sed vergit etiam in morum præjudicium. Cum enim Christus caput vitæ christianæ in exercitatione virtutum, in extirpatione vitiorum, & in misericordiis erga pauperes hujus mundi posuerit, hujusmodi Doctores spe tanta redimendarum facillime animarum ope oratiunculæ pro defunctis populum allicientes, exhortationes è cathedra ad congerenda stipendia Missarum integris congiis effundunt; ad largiendas autem eleemosynas vivis, atque ad vitia eradicanda è populo vix tandem seriò mutiunt. His illud Christi oggerendum sæpius; *illa oportuit facere*, ut crebrò fideles ad subveniendum animabus per suffragia indulgentiarum animent; *sed hæc non omittere*; ut monstrent, quàm difficulter indulgentiarum subsidia, & quàm ancipiti exitu, pertingant ad defunctorum animas, præsertim eas, quæ neglectu satisfactionis propriæ, & emundationis internæ per extirpationem vitiorum sese reddiderunt indignos, ut pro illis acceptentur à Deo viventium suffragia. Ut itaque sana de Indulgentiis tam vivorum quam defunctorum doctrina, & æstimatio magna Indulgentiarum sine vilipensione in Ecclesia conservetur, scripsi Opus *Historico-Dogmaticum de Origine, Progressu, valore, ac fructu Indulgentiarum, nec non de Dispositionibus ad eas lucrandas requisitis*, quod anno 1736. Augustæ Vindelicorum apud Veithium excusum, anno verò 1738. à Vicurtio Venetiis recusum est. Cum istud Opus in præsentia Em^mi Cardinalis LERCARI offerrem SS^mo D. N. CLEMENTI XII. fel. record., is auditis Cardinalium & Prælatorum, quibus jam prius Exemplaria distribueram, judiciis mihi contestabatur; APPLAUDERE ROMAM HUIC OPERI. Eo Oraculo Pontificio animatus addidi altero anno SUPPLEMENTUM, in quo non solum exhibui RESOLUTIONES S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM, quas ex ipsis Protocollis S. Congregationis excerpseram, sed etiam descripsi Ordinem, ac formam omnium exactissimam, ab anno 1710. à S. Congregatione operâ potissimum RR^mi ac Ill^mi DD. JOANNIS DE LERMA, Archiepiscopi Tyrensis observatam, qua videlicet *postulata* Supplicantium in Congregatione *examinantur*; Supplicationes, Consultationes, & Responsiones in Protocollis annotantur, & fixæ Regulæ, à quibus non nisi rara extraordinaria gratia requisita prius specialiter mente SS^mi receditur, firmiter conservantur. Precor Deum, ut hæc forma semper illibata maneat, ne si Indulgentiæ per plures Canales in orbem effluant, Ecclesia iterum Indulgentiis Apocryphis repleatur. Regulæ saluberrimæ semel constitutæ pereant, & materia Indulgentiarum sine Protocollis, sine discussione, sine difficultatum & Responsorum annotatione in magnum chaos abeant.

Cæterum, si alicui difficilis visa fuerit ipsa Indulgentiarum potestas ac largitas, velim, attentè expendat textum illum D. AUGUSTINI, ubi *potestatem* remittendi peccata *ad unitatem Petri*, *ad unitatem Ecclesiæ* in ejus vertice, *efficaciam* verò *ad orationes Sanctorum*, atque *ad gemitum columbæ*, quæ est Ecclesia, restringit. Quamvis enim S. Doctor directè præ oculis habuerit remissionem peccatorum *quoad reatum culpæ*, ut nunc Theologi loquuntur; videtur tamen, S. Augustinum eo loco Ideam quandam confusam divinitus didicisse de natura Indulgentiarum Apostolicarum, se-

ris sæculis evolvenda, quam ipse quidem Spiritu prophetico data occasione vidit, sed clarè ac distinctè explanare nescivit, Deo explicationem sequioribus sæculis ex eventu facilem reservante. Itaque *de Baptismo* l. 3. c. 17. & 18. sic scribit: *Quod in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset, manifestum est, quod illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta. An forte per orationes Sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tanquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geritur Sacramentum, & occulta dispensatio misericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata solvantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedit? Nec enim in hæresi aut schismate constitutum Sanctorum Orationes, id est, illius unicæ columbæ gemitus poterunt adjuvare. - - - Petra tenet; Petra dimittit; columba tenet, columba dimittit; unitas tenet, unitas dimittit. Sicut autem isti, qui intus cum gemitu tolerantur, si corriguntur, incipiunt ad columbam pertinere, per cujus gemitus peccata solvuntur; sic qui foris sunt, cum correcti ad Ecclesiam veniunt, unitatis vinculo liberantur. - - Tales (hæretici vel Schismatici) Remissam peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. Solvitur, qui cum columba fecerit pacem, & ligatur, qui cum columba non habet pacem.* Hic textus D. Augustini, qui relatè ad remissionem peccatorum quoad reatum culpæ obscurus ac confusus est, planus tamen est relatè ad remissionem peccatorum baptismo supervenientium quoad reatum pœnæ, qui ex centro unitatis Apostolico per preces Sanctorum rectè dispositis solvitur. Huic proin fundamento meam de Indulgentiis doctrinam superstruxi semper, ac superstruo, quod eò alacrius exequor, quo majori solatio me perfudere SS. D. N. BENEDICTI XIV. ad me sub dato. 10. Januarii 1750. datæ Litteræ, in quibus inter alia his me verbis recreat: *Nos te plurimi facimus, dilecte fili, & etiam occasione nonnullorum, quæ edidimus occasione currentis anni Jubilæi, te tuamque doctrinam de Indulgentiis sæpe nominavimus, & laudavimus.* Respexerit sine dubio SS^mus per hæc verba ad Epistolam Circularem ineunte anno Jubilæo ad Confessarios Urbis editam sub titulo: *Lettera Circolare à Penitenzieri minori, è à Confessori deputati dal Cardinal Vicario di Roma per l'iminente anno santo.* Hanc epistolam integram Lector Benevolus reperiet adjectam in fine hujus Disputationis.

Cæterum Disputationem in sequentes Quæstiones ac Quæstiunculas divido.

QUÆSTIO I. An primis duodecim sæculis reperiantur exempla Indulgentiarum cum modernis Indulgentiis univoca?

QUÆSTIO II. Utrum Indulgentiarum plenariarum fructus plenarius possit obtineri sine proposito congrue satisfaciendi Deo?

QUÆSTIO III. Utrum Indulgentiæ pro defunctis infallibiliter liberent unam animam ex purgatorio? Et an duntaxat valeant per modum solennis deprecationis Ecclesiæ?

QUÆSTIUNCULÆ octoginta novem de Indulgentiis variæ; cum *Epistola Circulari* SS. D. N. BENEDICTI XIV. in qua præscribit Confessariis formam pro rectè administrando Sacramento Pœnitentiæ tempore Jubilæi.

* ** *

QUÆRITUR I. Quid sit Indulgentia?
2. Qualis est divisio Indulgentiarum?
3. Quid sit Indulgentia plenaria, & partialis?
4. Quid est Indulgentia 40. dierum? 7. annorum? & quid est carena, vel quadragena?
5. An ergo pœnitens lucraturus talem Indulgentiam partialem non tenetur persolvere vel acceptare pœnitentiam v. gr. duorum vel trium annorum à Confessario injunctam?
6. Quid sit Indulgentia localis, realis, & personalis?
7. Quid sit Indulgentia perpetua, quotidiana, & temporalis?
8. Quid sit Indulgentia extraordinaria *Jubilæi*, aut *Cruciatæ*?
9. Quid sit Indulgentia plena, plenior, & plenissima?
10. Quid notandum circa Indulgentias pro festis Sanctorum?
11. Quid notandum sit circa Indulgentias Stationum?
12. Quales sint Indulgentiæ septem Altarium?
13. Sub qua forma soleant concedi Indulgentiæ septem Ecclesiarum Urbis?
14. Sub qua forma concedi soleant Indulgentiæ pro feriis sextis in Quadragesima?
15. Sub qua forma concedantur Indulgentiæ scalæ sanctæ?

16. Qua-

16. Quales dentur Indulgentiæ in Dedicatione Ecclesiarum?

17. Quales deotur Indulgentiæ in festo & per octavam Corporis Christi?

18. Quales sint Iodulgentiæ Regularium?

19. Quæ sint notanda circa Indulgentias Regularium?

20. Quales soleant concedi Indulgentiæ extraordinariæ pro Monialibus?

21. Quales Indulgentiæ extraordinariæ soleant obtioeri à viris Regularibus, aut etiam Monialibus?

22. An communicatio Indulgentiarum quæ sunt eooceffæ uni ordini, aut loco se extendat ad reliquos ordines, vel loca reliqua ejusdem ordinis?

23. An omnes Indulgentiæ Confraternitatum ante Paulum V. concessæ, fuerint revocatæ?

24. Quales sint cooceffæ Indulgentiæ orantibus ad pulsum campanæ feria sexta?

25. Quales sint concessæ Indulgentiæ pro recitantibus Salutatiooem Angelicam ad pulsum campanæ mane, meridie & vespere?

26. Quales fiot cooceffæ Indulgentiæ orantibus vespere ad pulsum campanæ pro defunctis?

27. In quo sensu concedantur Indulgentiæ pro articulo mortis?

28. Quales fiot Indulgentiæ Numismatum, vel Rosariorum &c. Benedictorum à Papa?

29. An cruces & corooæ terræ sanctæ perdant Indulgentias si vendantur? & quænam sint earum Indulgentiæ?

30. Quales sint Iodulgentiæ pro recitantibus Rosarium B. V. etiamsi oon sint Confratres in confraternitate Rosarii?

31. Quales requirantur dispositiones ex parte lucrantis Indulgentiam?

32. An sufficiat ad lucrandam Indulgentiam opus aliunde præceptum vel imperatum?

33. An is qui per ignorantiam, obliviooem, aut impotentiam noo perficit unum aut plura ex operibus præscriptis, nihilominus lucretur Indulgentiam?

34. An is lucretur Indulgentiam, siquidem perficit opus præscriptum, sed noo integre, v. g. siquidem intersit officio divino in festo Corporis Christi, sed ooo integro?

35. An ad lucrandum Indulgentiam oecesse sit, ut opus præscriptum perficiatur nulla ioterveniente culpa, ne quidem veniali v. g. ut sub precibus Indulgentialibus non admittantur voluntaria distractio, aut intcotio vanæ gloriæ?

36. Ao quis uno eodemque actu possit lucrari plures Indulgentias?

37. An quis possit lucrari Indulgentiam vivorum pro alio?

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

38. An is, qui à Summo Pontifice habet multas Indulgentias, aliis distribuendas (seu intentiones ac Benedictiones, ut vocant) possit eam facultatem distribuendi in toto, vel parte donare alteri?

39. An quis possit lucrari Iodulgentiam, si opus ultimum præscriptum perficiat quidem in peccato mortali, post aliquot autem dies de hoc doleat per veram cootritiooem, seu an Indulgentiæ reviviscant?

40. An in communicatione generali omnium Indulgentiarum alicujus Ecclesiæ comprehcodantur etiam Indulgentiæ pro defunctis?

41. Ao qui possit lucrari Indulgentiam plenariam, retinens affectum ad aliquod peccatum veniale?

42. An requiratur specialis intentio ad lucrandas Indulgentias Stationum? & num in Ecclesiis Regularium possint à quibusvis Laicis obtineri?

43. Quæ sint notanda circa Indulgentiam Portiunculæ?

44. An quis Iodulgentiam vivorum, quam lucratur, propria authoritate possit applicare defunctis?

45. An Sacerdos habens obligationem celebrandi in Altari privilegiato, satisfaciat cum Numismate, aut Imagine habente Indulgentiam transferibilem in Defunctos?

46. Quid ootandum circa Altaria privilegiata?

47. Quales sint concessæ se invicem salutantibus hac formula: *Laudetur JEsus Christus?* aut dicentibus Litanias de B. V.?

48. Quid notandum circa Indulgentias, & preces confraternitatum?

49. Qua hora diei Indulgentiæ incipiant, aut desinant?

50. Quid notaodum circa revocationem Indulgeotiarum?

51. Ao & quomodo in materia Indulgentiarum locum habeat probabilitas?

52. Quid notandum de Indulgentiis viæ crucis?

53. An Iodulgentia possit haberi pro Authentica, quando concessionis in forma factæ habetur tantum copia autheotica?

54. Ao frustulum panni assutum vesti sufficiat ad hoc, ut quis dicatur deferre scapulare alicujus ordinis?

55. An una confraternitas possit aggregari alteri cum facultate participandi Indulgentias alterius confraternitatis?

56. Ao io revocatione Bullæ alicujus, in qua cootinentur varia Privilegia, censeaotur etiam revocatæ Indulgentiæ contentæ in Bulla.

57. An Indulgentiæ concedi soleant pro cultu Beatorum, aut Sanctorum, qui oon sunt in Martyrologio?

58. Quomodo & sub quibus conditionibus soleant concedi Altaria privilegiata?

59. Quomodo & sub quibus conditionibus soleat Ecclesiis concedi Indulgentia quotidiana pro Peregrinis?

60. Quid remedii, si in Altari privilegiato supersit tantus Missarum numerus, ut omnibus satisfieri non possit?

61. Quænam opera præscribantur ad lucrandas Indulgentias Jubilæi?

62. Quænam Indulgentiæ & facultates suspendantur in Jubilæo anni Sancti?

63. An quis possit Indulgentias Jubilæi lucrari sæpius, quando durant per duas hebdomadas? vel per annum?

64. An quis Jubilæo satisfaciat per opera aliunde præcepta?

65. An lucretur Indulgentias Anni Sancti, qui iter Romanum suscipit, sed occurrente impedimento non perficit?

66. An requiratur devota Visitatio Ecclesiarum? & quid ea velit dicere?

67. Quid requiratur, quando exigitur Visitatio Altarium?

68. Qualis requiratur Oratio ad lucrandum Jubilæum, vel alias Indulgentias?

69. An sufficiat orare præ foribus Ecclesiæ, si portæ sint clausæ, vel non possit intrari in Ecclesiam ob nimium concursum populi?

70. Quale jejunium, & quibus præscribatur tempore Jubilæi?

71. Quid notandum circa eleemosynam in Jubilæo largiendam?

72. Quid notandum circa Moniales, Religiosos, Eremitas, incarceratos, infirmos &c. aliosque impeditos quoad Visitationem Ecclesiarum, aut impletionem præscriptorum operum?

73. Quales soleant aliæ gratiæ annecti Jubilæo?

74. An translato festo, pro quo concessa est Indulgentia plenaria, etiam transferatur Indulgentia?

75. An Indulgentiæ juxta antiquam formulam concessæ de pœnitentiis injunctis etiam valeant pro pœnitentiis injungendis?

76. An valeant Indulgentiæ Confraternitatibus v. g. Rosarii, SS. Nomini Jesu &c. concessæ ante Decretum Clementis VIII. quo jubentur illæ Confraternitates de novo erigi, si de novo post illud Decretum erectæ non fuerint?

77. An quis sæpius eodem die visitando Ecclesiam possit sæpius lucrari eandem Indulgentiam?

78. An formula illa: Præsentibus ad septennium tantum valituris, intelligenda sit à die Dati, an vero à die Publicati Brevis?

79. An liceat recipere onera perpetua, ac fundationes ad Altaria privilegiata?

80. An quis possit obtinere Indulgentiam concessam sub formula: CONFESSIS, si deficiente Confessario eliciat actum contritionis?

81. Quomodo sit intelligenda illa clausula: *Volumus autem, ut si aliæ Indulgentiæ Ecclesiæ concessæ fuerint, præsentes nullæ sint?*

82. An Indulgentiæ, quæ visitantibus certam Ecclesiam vel capellam conceduntur, possint etiam obtineri ab absentibus?

83. An verum sit omnes Indulgentias ex recenti concessione Benedicti XIII. posse applicari Defunctis?

84. An in Altari privilegiato amittatur Privilegium, si in eo aliquoties non celebretur præscriptus Missarum numerus?

85. An Privilegium Altaris privilegiati concessum cum expressione numeri Sacerdotum in Ecclesia deservientium extinguatur imminuto eo numero?

86. An per aggregationem ad Basilicam Lateranensem vel aliam Ecclesiam cum aliarum Indulgentiarum communicatione etiam communicetur Altare privilegiatum?

87. Quinam possint concedere Indulgentias? & quales? ac quantas?

88. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut quis validè ac licitè conferat Indulgentias?

89. An Indulgentiæ omnes expirent morte concedentis?

APPENDIX.

Epistola circularis Sanctissimi D. N. Benedicti XIV. in qua determinat plus, quam quadraginta Quæstiones, hactenus in Authoribus de Jubilæo controversas.



QUÆ-

QUÆSTIO I.

Utrum primis duodecim Sæculis reperiantur exempla Indulgentiarum univoca?

NOTANDUM 1. Indulgentiam rectè definiri, quod sit *remissio pœnæ post absolutionem Sacramentalem residuæ, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ à Superiore legitimo, & in foro interno valida coram Deo.* Terminus *pœnæ* hoc loco sumitur strictè, prout dicit *pœnam vindicativam*, correspondentem justitiæ legali seu distributivæ, quæ exigit puniri delicta etiam eorum, qui per remissionem offensæ seu culpæ jam in gratiam & amicitiam Dei, tanquam offensæ personæ, recepti sunt. Neque enim hoc loco sermo est *de pœna satisfactoria, qua tali*, quæ exigitur à *justitia commutativa* in compensationem honoris læsi vel damni illati, vel titulo assecurationis in futurum. Hanc enim pœnam satisfactoriam, *qua talem*, ut ordinarie in moderata punitione delicti consistat, Indulgentiæ tollere nec volunt nec possunt, prout ostensum est *Disput.* 6. & adhuc monstrabitur *Quæstione* 2. inferius. Per *thesaurum* autem *Ecclesiæ* intelliguntur Passiones Christi, Sanctorum, & fidelium, quas obtulerunt vel offerunt pro Ecclesia in genere, sine determinatione personarum particularium. Quoad ista enim potissimum merita passionum intelligendum est, quod pertineat ad Episcopos, ea offerre Deo pro personis particularibus. *Essentiale constitutivum* hujus thesauri sunt Passiones Christi; sed *accidentale* sunt passiones Sanctorum.

NOTANDUM 2. Docuisse authores quosdam alioquin celebres nullas in primitiva Ecclesia reperiri Indulgentias, quæ conveniant cum modernis saltem *univoce*. Ut alios omittam, SUAREZ in 3. part. Disput. 49. Sect. 2. n. 10. sic scribit: *Nullo sufficienti fundamento affirmare possumus, illam remissionem, quæ tunc* (in primitiva Ecclesia) *fiebat à Prælatis, fuisse ejusdem rationis cum illo usu Indulgentiarum, quem nunc inquirimus, aut processisse ex potestate liberaliter remittendi pœnas peccatis debitas apud Deum, sed debitas tantum apud Ecclesiam.* Et n. 11. *His & hujusmodi rationibus videtur convictus Cajetanus, ut diceret, per Indulgentias, quæ sunt in usu Ecclesiæ, solum remitti pœnitentias per Ministros Ecclesiæ impositas, non vero pœnas ipsas in judicio Dei debitas. Quod quidem, licet falsum sit de præsenti statu Ecclesiæ; de illis tamen temporibus ante Gregorium Magnum non videtur improbabile; non quod positivè nobis constet, tunc non fuisse eundem modum, & usum Indulgentiarum, qui nunc est; sed tantum negativè, quod ex his, quæ de illis temporibus legimus, non satis convincitur hic usus. Solum ergo potest aliqua conjectura fieri ex illo antiquo usu.* Ita Eximius. Similiter ARRIAGA Disput. 24. de pœnit. Sect. 1 scribit: *Suarez Sect. 2. à n. 4. fuse probat nihil esse, quod efficaciter, aut etiam plausibiliter probet eum usum ante tempora Gregorii M. Quia omnia, quæ adducuntur de usu remittendi pœnas impositas pro peccatis, vel intelligenda sunt præcise de pœnis exterioribus, nihil interim remittendo de pœnis coram Deo debitis, vel de pœnis impositis in foro pœnitentiæ etiam quoad forum exterius. In quo discursu omnino assentior eidem Patri.* (Suarezio). Ita Arriaga.

DICO. Jam in primitiva Ecclesia dabantur Indulgentiæ cum modernis univocæ.

PROBATUR. Reconciliatio Pœnitentium, quæ fiebat per Episcopum in Cœna Domini, erat vera Indulgentia ejusdem rationis cum modernis. Ergo. *Ant. prob.* In illa reconciliatione Episcopali pœnitentium dabantur tria essentialia constitutiva modernarum indulgentiarum, videlicet 1. remissio pœnæ seu satisfactionis post absolutionem Sacramentalem residuæ, valida apud Deum. 2. Solutio deprecativa ex thesauro Ecclesiæ, seu oblatio meritorum Christi & Sanctorum. 3. Authoritas concedentis indulgentiam Episcopalis. Ergo. *Ant. prob.* quoad singula membra.

QUOAD PRIMUM MEMBRUM, *quod illa reconciliatio pœnitentium Episcopalis fuerit remissio pœnæ post absolutionem Sacramentalem residuæ*, valida coram Deo, probo quinque argumentis. PRIMUM ARGUMENTUM EST, quod, sicut constat ex Pœnitentialibus, & Disputatione 5. ac 6. ostensum est, Episcopi in relaxatione pœnæ Canonicæ, quæ fiebat in Cœna Domini, adhibebant similes formulas deprecatorias, quales adhibebantur in initio Quadragesimæ ad absolutionem Sacramentalem; in utraque rogant Deum, ut pœnitentibus remittat peccata; in utraque dicunt se uti potestate sui Ministerii; in utraque pœnitentes petunt absolutionem à peccatis in remedium ac salutem animæ suæ. Ergo sicut in Initio Quadragesimæ ista omnia respiciunt statum & forum internum quoad culpam, ita etiam respiciunt eundem statum quoad pœnam peccato debitam in Cœna Domini. *Antecedens patet* legenti *Ordinem Romanum* infra referendum. Num. 2.

ALTERUM MEUM ARGUMENTUM EST, quia tempore D. CYPRIANI Christiani putabant se liberari à vindicta Numinis & ira divina, si intercessione Martyrum obtinerent relaxationem pœnæ Canonicæ, & S. Cyprianus ipsemet fassus est, in hac re plurimum coram Deo valere intercessiones & merita Martyrum respectu eorum, qui se illis per conatum congruum pœnitentiæ dignos redderent. *Serm. de lapsis* sic habet: *Emersit novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævisset, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernities — ante expiata delicta, ante exomologesin criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Numinis pacem putant esse, quam quidam fallacibus verbis venditant. — Mandant aliquid Martyres fieri? si justa, si licita, à Dei Sacerdote facienda sunt. Ante est, ut sciamus illos impetrasse à Deo, quod postulant, tunc facere, quod mandant; neque enim statim videri potest à divina Majestate concessum, quod fuerat humana pollicitatione promissum. --- Orare oportet impensius, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, ut inde crimen & culpa redimatur — si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, potest indulgen-*

tiam dare; pœnitenti, roganti, operanti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. En! clarum est, quod coram Majestate divina in acceptis referatur, quod pro pœnitentibus gratia dignis petunt Martyres, & relaxando pœnas faciunt Sacerdotes. In Ep. 11. S. CYPRIANUS scribens ad Confessores dicit: *Ad me litteras direxistis, quibus lapsis dari pacem postulastis — & lapsis quidem in hoc* (quod celerem pacem ac Communionem petant) *potest venia concedi, quis enim mortuus non vivificari appetat? quis non ad salutem suam venire festinet? — Oro vos, ut caute desideria singulorum ponderetis, & inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum — & eos, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam intellexeritis, designetis.* Ex hoc patet, quod lapsi crediderint, se per intercessionem Martyrum eandem salutem consequi, quam consequerentur post longam pœnitentiam.

IDEM Ep. 12. ait: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum Exomologesin quoque facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam Martyres desideraverunt.* Hic iterum dicitur, intercessiones Martyrum, quas datis litteris seu libellis ad Episcopos pro lapsis faciebant, valere apud Deum, ut in casu necessitatis etiam à Diacono ab Excommunicatione & pœnis satisfactoriis absoluti *divinum remedium* consequerentur, ut postea loquitur. In Epist. 13. rursus ait: *Satis plenè vobis ad hanc rem me in proximis litteris scripsisse credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aut periculo cœperint, ad Dominum cum pace remittantur Exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita.* Omitto plures similes textus, quibus testatur, intercessiones Martyrum valere apud Deum pro peccatis, id est, pro expungendis pœnis peccato debitis.

ARGUMENTUM TERTIUM sumo ex *Tertulliano*, qui in l. de Pudicitia c. ult. testatur, hanc esse Universalem Ecclesiæ Catholicæ persuasionem, meritis & satisfactionibus Martyrum remitti peccata, seu pœnas iis debitas. Et quamvis ea persuasio malè explicetur, & reprehendatur à Tertulliano, tunc temporis jam hæretico, nihilominus de ejus existentia dubitari non potest. Quodsi ea persuasio in Ecclesia tota semel extitit, etiam perstitit; & si ea persuasio fuit quoad relaxationem pœnæ Canonicæ factam intuitu Martyrum, haud dubiè etiam talis persuasio fuit circa relaxationes pœnæ Canonicæ factas intuitu meritorum Christi. TERTULLIANUS, postquam Romanam Ecclesiam reprehenderat, quod mœchis tribueret veniam, c. 22. sic ait: *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem. — Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? — sufficiat Martyri propria delicta purgasse; ingrati vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem solvit, nisi solus filius Dei — proinde qui illum imitaris donando delicta, si nil ipse deliquisti, plane patere pro me; si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere tibi & mihi poterit? si propterea Christus in Martyre est, ut mœchos & fornicatores absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Christus est.* Ex his liquet, quod Ecclesia crediderit, intercessione Martyrum verè solvi peccata quoad reatum pœnæ, quamvis Tertullianus, ut conflet Ecclesiæ invidiam, id calumniose interpretetur, quasi Martyres id facerent authoritative, cum id fecerint tantum deprecatorie, ut patet ex eorum deprecatoriis litteris ad D. Cyprianum datis. Pluribus de hoc Tertulliani errore disserit LUPUS tom. 6. ubi agit de Indulgentiis. c. 1.

ARGUMENTUM QUARTUM. CLERUS ROMANUS in Epist. 30. ad D. Cyprianum testatur, totum populum Carthaginensem credidisse, per libellos Martyrum se jam obtinuisse pacem in Cœlis, & solum reprehendit, quod hoc sperare præsumpserint sine Ministerio Sacerdotum: ergo accedente hoc Ministerio admisit, valere relaxationes pœnæ Canonicæ coram Deo. Sic ait: *Mirati sumus, lapsos eousque prosilire voluisse, ut pacem non tam peterent, quam vindicarent, imo jam & in cœlis se habere dicerent — si dandam illis pacem Martyres judicaverunt, cur ipsi non dederunt? cur ad Episcopos remiserunt? — tempus est, ut agant delicti pœnitentiam; ut de submissione provocent Dei clementiam, & de honore debito in Dei Sacerdotem eliciant in se divinam misericordiam. — Facilius impetratur, quod petitur, quando is, pro quo petitur, condignus est, ut quod petitur, impetretur.* Ex hoc textu colligitur; cum lapsi per intercessiones Martyrum petierint veniam peccatorum & impunitatem coram Deo, etiam eam fuisse impetratam accedente Sacerdotis Ministerio, & congrua dispositione pœnitentis.

ARGUMENTUM QUINTUM. Sozomenus, & S. Ambrosius l. 1. de Pœnit. c. 15. testatur, pœnitentium peccata, quando ab Episcopo in Cœna Domini reconciliabantur, purgari intercessione totius populi tunc in Ecclesia præsentis: ergo multò magis purgabuntur intercessione Martyrum, & meritis Christi, adeoque illa reconciliatio facta in Cœna Domini, ac relaxatio pœnæ Canonicæ valet coram Deo. SOZOMENUS Hist. l. 7. c. 16. ait: *In Occidentalibus Ecclesiis & maximè in Romana est manifestus pœnitentium locus. Stant enim in eo mœsti & cum lamentatione se in terram pronos projiciunt; tum Episcopus consimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota Ecclesiæ multitudo lacrimis suffunditur - - pœna demum quasi pro debito exsoluta quisque a peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur.* Ad hunc ergo morem D. AMBROSIUS alludens ait: *Apostolus ait: Expurgate vetus fermentum; Jam tum igitur reddendum* (pœnitentem) *Sacramentis judicavit cœlestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait: Expurgate: velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, & plebis lacrymis abluitur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur a peccato, & in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quam Domini*

Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur. Hic sensus Pauli est, quem verba obscuriorem faciunt. Consideremus ipsum Apostoli sermonem, Expurgate, inquit, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis Azymi. Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore est, & quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea, quæ superflua sunt in aliquo, pœnitentiam agente, viritim misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Hucusque D. Ambrosius. Similia habet l. 2. c. 7. & 10.

QUOAD SECUNDUM MEMBRUM, quod illa vetus reconciliatio pœnitentium facta fit per applicationem seu oblationem meritorum Christi & Sanctorum, hoc est, prout nunc loquimur, ex *thesauro Ecclesiæ*; id patet ex dictis in Argumento Secundo; ubi D. Cyprianus manifestè docet, pœnitentes jam Sacramentaliter absolutos in eorum receptione ad pœnitentiam in ordine ad maturandam reconciliationem *absolutissimam* juvari *intercessione* & *prærogativa* Martyrum. Idem verò specialiter probatur *primò* ex ORDINE ROMANO, in quo post confessionem peccatorum pœnitens hoc modo precatur. *Obnixè etiam te Sacerdos Dei exposco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum DEUM nostrum, quatenus de his, & de aliis omnibus sceleribus meis veniam, & indulgentiam per merita, & intercessiones Sanctorum omnium assequi merear.* Et in *Cœna Domini*, quando Episcopus reconciliabat pœnitentes, erat etiam hæc Oratio. *Deus humani generis conditor, & reformator - - agnosce oves tuæ redemptionis, & constrictas vinculis peccatorum Ecclesiæ tuæ precibus exoratus absolve.*

PROBATUR SECUNDO ex modo, qui servabatur a pœnitentibus aspirantibus ad reconciliationem; hi enim implorabant omnium fidelium intercessionem, ut ea adjuti reconciliationem seu Indulgentiam promererentur. TERTULLIANUS in l. de pœnitentia c. 9. istam disciplinam his verbis describit. *Est Exomologesis prosternendi, & humiliandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu, & victu mandat, Sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere. Cæterum potum, & pastum pura nosse; plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, Presbyteris advolvi, Charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet.*

PROBATUR TERTIO EX D. CYPRIANO, qui pro remissione peccatorum multum valere intercessiones Martyrum testabatur, ut superius vidimus. Et ne putemus, eum tantùm respexisse ad honestatem quandam reverentiæ externæ ipsis Martyribus debitæ, non verò ad opera satisfactoria Martyrum, testatur, tales supplicationes Martyrum pro celeri reconciliatione lapsorum non facilè recipiendas, antequam mortem actu pertulerint. Hinc epistola 10. vehementer conqueritur, quòd ante mortem Martyrum ad horum intercessionem statim sine alia pœnitentia reconciliatio data fuerit; sic ait: *Hi contempta Domini lege ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pene Martyrum excessum communicant cum lapsis, & offerunt, & Eucharistiam tradunt.*

PROBATUR QUARTÒ EX D. AMBROSIO, qui l. 2. de Pœnit. c. 7. testatur, quòd in reconciliatione pœnitentium ratio habita fuerit intercessionum populi ac precum Ecclesiæ, quas fundebat pro pœnitentibus, aspirantibus ad reconciliationem. sic habet: *Præveniamus Dominum confitendo peccata nostra. Si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces - - Veniat ad monumentum tuum Christus, & si viderit pro te flere Martham, fœminam boni ministerii, flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, sicut Sancta Ecclesia, quæ optimam partem elegit, movebitur misericordia, cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet: Ubi posuistis eum? hoc est, in quo reorum statu est, in quo pœnitentium Ordine? videam, quem fletis, si lacrymis suis ipse se moveat; videam si ei peccato, cujus venia poscitur, jam defunctus est. Dicet plebs, veni & vide. Quid est, veni? hoc est, veniat peccatorum remissio. Veniet itaque, & levari lapidem jubebit, quem cervicibus peccatoris lapsus imposuit, poterat removere lapidem imperio sermonis; sed hominibus jussit, ut removerent, ut levarentur delictorum onera, moles quasdam reorum. Videns itaque Jesus grave onus peccatoris, illachrymat, solam enim flere non patitur Ecclesiam.* Idem l. cc. c. 10. ait: *An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare? pudeat te Deo supplicare, qui non erubescis peccata tua homini confiteri? an testes precationis & socios refugis, cùm si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres ut dignentur intervenire, ad genua te ipse prosternas, osculeris vestigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores? hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores? - - fleat pro te mater Ecclesia, & culpam lachrymis lavet. In Evangelio Christus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus resuscitavit. Ideo citius exaudivit JEsus Petrum, ut Dorcas resurgeret, quia paupere mortem mulieris ingemiscebant.* In hoc textu D. Ambrosius manifestè loquitur de constitutis in publica pœnitentia, qui, ùt Tertullianus dixit, adgeniculari debebant fidelium genibus in introitu Ecclesiæ, & eorum intercessionem postulare.

PROBATUR QUINTO ex *Stationibus Romanis*. Nam quando Romæ habebantur tempora pœnitentiæ, sicut in quatuor temporibus & Quadragesima, instituebantur comprecationes in præcipuis Urbis Ecclesiis, ut suffragio Sanctorum Deo pœnitentia commendaretur, ergo in relaxatione pœnitentiarum illa considerata fuerunt tanquam meritum remissionis. S. LEO in Serm. 1. de Jejunio decimi Mensis ait: *Quarta igitur & sexta feria jejunemus, Sabbato apud Beatissimum Apostolum Petrum Vigilias celebremus, qui & orationes, & jejunia, & eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adjuvare per Dominum nostrum JEsum Christum.* Et Serm. 2. *Quarta igitur &c. ut prius, cujus suffragantibus meritis, quæ poscimus,* impe-

impetrare possimus per D. N. J. C. Et Serm. 4. *Quarta &c. cujus orationibus adjuti in omnibus misericordiam Dei mereamur.* Similia habet Serm. 5. 6. 7. & 8. & Serm. 4. in Quadragesima. Et Serm. 1. & 4. in jejunio Pentecostes, in quo ultimo sic habet: *Charitatem vestram solemniter admonemus, ut per castigationem corporis, & per opera pietatis mundari ab omnium peccatorum sorde cupientes quarta & sexta feria jejunemus, Sabbato autem apud Beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, cujus meritis & Orationibus ita nos per omnia credimus adjuvandos, ut misericordia Dei & jejuniis nostris adsit, & votis, per Christum D. N.* Similia habet in Serm. 1. & 3. & 4. & 5. 6. 7. & 9.

Quoad tertium membrum, quod illa perfecta reconciliatio pœnitentium tantùm potuerit fieri per Episcopos, & non per presbyteros, id probo.

Primo, ex ordine romano, ubi sic habetur: *Feria quarta in Capite jejunii* (quadragesimalis) *præsumere debet Sacerdos omnes Christianos, quatenus in capite jejunii ad veram Confessionem, veramque pænitentiam festinantius accedant, & in Cæna Domini redeant ad reconciliationem.* Eam autem reconciliationem, quæ in Cœna Domini fit, per solum Episcopum factam esse tum ex eodem Ordine, tum ex Pœnitentialibus constat.

Secundo, In *Concilio Africano* dicitur: Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi necessitate cogente.

Tertio, quia D. cyprianus vehementer reprehendit Presbyteros, quod reconciliaverint pœnitentes sine authoritate Episcopi. Epist. 10. ait: *Diu patientiam meam tenui, tacere ultra non oportet, quod enim non periculum metuere oportet de offensa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, quod nunquam sub antecessoribus nostris factum est, cum contumelia, & contemptu Præpositi totum sibi vendicent - - nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus Communicationis accipiant: nunc ad Communicationem admittuntur nondum pænitentia acta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita.* Similes querelas D. Cyprianus sæpius repetit in sequentibus Epistolis.

Quarto, In variis Conciliis ea potestas relaxandi pœnas Canonicas tantum permittitur Episcopis, concilium ancyranum Can. 5. ait: *Statuimus, ut Episcopi modo conversationis examinato potestatem habeant utendi clementia, id est, ut Isidorus Mercator vertit, ut tempus pænitendi breviet.* Et Nicænum ex Interpretatione Dionysii Can. 12. *In his speciem pænitentiæ oportet explorare. quotquot enim lacbrymis, & bonis operibus conversionem suam demonstrant, in oratione communicent. postmodum* licebit Episcopo humanius aliquid de his cogitare. Ubi Paraphrasis Arabica sic habet. *Totum hoc negotium Episcopo Provinciæ committimus, ut si eos dignos viderit, aliquid de tempore definito eis detrahat.*

Objicitur 1. Episcopus in Cœna Domini pœnitentes tantum absolvit à pœnitentia solenni, statuta per Canones pœnitentiales: Sed hoc fieri poterat per solum actum jurisdictionis externæ. 2. In casu necessitatis etiam reconciliabant loco Episcopi presbyteri, imo etiam Diaconi. In ordine enim Romano dicitur: *Si necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pænitentem, ac det sanctam communionem.*

Respondeo. dist. *Maj.* Episcopus absolvit à pœnitentia solenni, *qua vindicativa.* c. *qua satisfactoria.* n. Episcopi enim ad eam absolutionem prærequirebant congruam satisfactionem pœnitentis. Inquantum vero illa solennis pœnitentia erat vindicativa, & adeo severa, ut etiam sufficeret ad emundandum peccatorem à reatu pœnæ, intantum ab Episcopis mitigabatur ex parte in *persona Christi*, & intuitu meritorum Christi & Sanctorum, vel omnino condonabatur.

Ad 2. dist. reconciliabant Diaconi nomine alieno Episcopi. c. proprio. n. sensus est, quod Diaconi nomine alieno Episcopi, qui tanquam Præses communitatis Ecclesiasticæ habet connaturaliter potestatem in bona communia nondum divisa intentione seu applicatione particulari, illa bona communia applicent personis vel generibus personarum determinatis. Vide etiam dicta in Historia Indulgentiarum quæst. prælim. §. 2. object. 1.

Objicitur 2. Si Papa vel Episcopus haberet potestatem remittendi peccata quoad reatum pœnæ coram Deo, vel id fieret per potestatem *ordinis*, vel per potestatem *jurisdictionis?* vel per modum *solutionis* vel *absolutionis?* Neutrum potest dici. Ergo. Non primùm; alioquin concessio Indulgentiæ esset vera absolutio sacramentalis erga præsentes vel absentes incognitâ causâ; & ea absolutio sacramentalis non perseveraret post mortem concedentis; quia multi Pontifices, quorum nunc gaudemus Indulgentiis, jam dudum obierunt. Neque etiam potest dici secundum; quia sola Jurisdictio Ecclesiastica non operatur in foro interno, nisi obligando vel deobligando circa observantiam legis externæ.

Respondeo; applicationem Indulgentiæ esse simul *absolutionem* & *solutionem*; absolutio est *authoritativa*; solutio verò est *secundùm quid authoritativa*, inquantum merita Christi & Sanctorum *indeterminata quoad personas* refert ad personas determinatas, quod pertinet ad officium ejus, qui præest communitati. *Secundum quid* autem *est deprecatoria*, inquantum merita Christi & Sanctorum deprecatoriè Deo offert pro personis determinatis. Nec sequitur; quod hæc absolutio sit *sacramentalis*, quia potestas Ordinis includit pro foro interno duos actus; *unum jurisdictionis*, quo pœnitens à Confessario ligatur ad pœnam satisfactoriam, circa graviora quædam crimina reservata Episcopo vel Papæ, & sic Episcopus vel Papa non absolvit per Indulgentias; quia per has non dimittitur pœna satisfactoria, requisita ex natura Sacramenti & titulo justitiæ commutativæ; sed remittitur partim authoritativè solvendò, partim deprecatoriè, sola pœna vindicativa. Et hoc est jurisdictionis. Alter actus ordinis est positio signi collativi gratiæ. Indulgentia

gentia autem non est signum collativum gratiæ interioris. Itaque Indulgentia non est actus Ordinis, sed jurisdictionis. Attamen hic actus jurisdictionalis, licet fiat per modum absolutionis authoritativæ, habet tamen sensum partim authoritativum, partim deprecatorium. Authoritativum quidem, in quantum applicat passiones Christi & Sanctorum pro Ecclesia in genere oblatas personis particularibus; deprecatorium verò, in quantum eas passiones deprecatoriè offert Deo, ut eas pro pœnitente acceptare dignetur. Sensus proin in conferente Indulgentias est iste: Ego contentus satisfactione tua congrua, quam in te suppono, & confisus de divina misericordia, quod hanc tuam satisfactionem pro congrua acceptet, per merita Christi & Sanctorum quæ pro te supplex offero, remitto tibi authoritate apostolica pœnam vindicativam ex parte vel ex toto, quam sacerdos tibi imposuit aut imponere debuit.

QUÆSTIO II.

Utrum Indulgentiæ plenariæ fructus plenarius obtineri queat sine proposito congruè satisfaciendi Deo.

NOTANDUM I. Communem esse Theologorum sententiam, ad lucrandam Indulgentiam plenariam plus non requiri, quam ut præstentur præscripta in Bulla Indulgentiali opera, & animus ab omni affectu actuali vel virtuali ad peccatum veniale immunis sit. Hanc tamen posteriorem conditionem communiter sic explicant, quod Indulgentia plenaria præcise non obtineatur pro eo genere peccati commissi, cui animus adhuc affectu venialiter peccaminoso inhæret, quamvis obtineatur pro omnibus aliis peccatis, quibus animus non amplius inhæret vitioso affectu actuali aut virtuali.

NOTANDUM 2. Fructum Indulgentiæ plenariæ communiter à modernis Theologis constitui *in indivisibili*; ita ut lucraturus Indulgentiam plenariam aut *nihil* obtineat aut *totum*, plenarium videlicet fructum pro omnibus illis peccatis, quibus nullo amplius affectu inhæret.

NOTANDUM 3. Authores sanioris doctrinæ docere; quod fructus Indulgentiæ plenariæ correspondeat cujuslibet congruæ dispositioni, consistenti potissimum in studio satisfaciendi congrue pro suis peccatis. Hinc pœnitens, v.gr. aliquis Aloysius, qui forte laborat unico vel altero peccato veniali, facile obtinebit plenarium fructum Indulgentiæ plenariæ. Econtra peccator onustus mille peccatis mortalibus, si ipsius conatus satisfaciendi congrue pro suis peccatis valde exiguus fit, etiam exiguam obtinebit indulgentiæ plenariæ partem. Quanta vero cuivis pars obtingat, dependet à sola æstimatione divina, qui in lance æquitatis gravitatem peccatorum, & congruentiam satisfactionum vel animorum ponderat.

NOTANDUM 4. Sententiam eorum, qui ad lucrandas indulgentias plenarias requirunt studium congrue satisfaciendi, non sic intelligendam esse; quod nihil obtineant destituti ejusmodi proposito, aut quod indulgentiæ non valeant pro personis destitutis hoc satisfaciendi studio. Cum enim præstatio operum ad lucrandam indulgentiam plenariam præscriptorum semper in se contineat aliquale, quamvis plerumque tenue, satisfaciendi propositum, nullus lucraturus Indulgentiam plenariam sine aliquo fructu recedit. Ex quo proin fideles alliciuntur ad frequentem indulgentiarum usum, & præcavetur, ne multiplicatarum tantopere indulgentiarum usus profanorum risui ac vilipensioni exponatur.

His prænotatis

DICO. Fructus plenarius Indulgentiæ plenariæ obtineri nequit sine proposito congruè satisfaciendi Deo.

PROBATUR I. Ecclesia primis decem Sæculis nullam, nequidem unicam, contulit indulgentiam plenariam sine actuali præstatione, aut certe sine promissione satisfactionis congruæ. Ergo Ecclesia censuit; se non habere potestatem conferendi talem indulgentiam sine proposito satisfactionis congruæ. *Ant. prob.* ab inductione ejusmodi Indulgentiarum, quarum primis decem Sæculis habentur exempla.

Exemplum I. Authores communiter pro Indulgentiarum primo exemplo ponunt eam condonationem, qua D. Paulus incæstuoso Corinthio post peractam ferme annuam rigorosam pœnitentiam condonat excommunicationem & partem residuæ adhuc pœnitentiæ. *Sufficit illi*, inquit, *objurgatio hæc, quæ fit à pluribus* (fugiendo hactenus ejus consortium ob excommunicationem) *propter quod, ne abundantiori tristitia absorbeatur, obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. — Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego, quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi.* 2. Cor. 2. Si hoc exemplum revera pertinet non solum ad excommunicationis solutionem pro foro externo, sed etiam ad remissionem pœnæ satisfactoriæ pro foro interno, prout recte colligitur ex illis verbis: *In persona Christi*, patet, præcessisse congruam pœnitentiam, ut *S. Chrysostomus* in Ep. 2. Cor. 2. Hom. 4. observat: *Ea verba*, (D. Pauli) inquit, *sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis.* Sed nec in futurum incæstuosus ille ab omni pœnitentiæ studio eximebatur, testatur enim *S. Chrysostomus* l. cc. S. Paulum non ideo Corinthio illi *aliquid* de pœnitentia donasse, *ut post impetratam veniam ignavior fieret, quasi sufficientem pœnitentiam jam egerit, aut contractas scelerum sordes jam absterserit, sed ne gravius aliquid in se admitteret. S. Anselmus* in Epist. 2. Cor. 2. testatur, incæstuosum hunc ante obtentam Indulgentiam jam *asperam egisse pœnitentiam.* Et *S. Thomas* in eandem Epistolam testatur, ne hanc quidem tam asperam pœnitentiam fuisse coram Deo sufficientem: *Potest dici*, inquit, *hæc pœnitentia sufficiens, non quantum ad Dei judicium, sed quantum expediebat tempori & personæ.* En! primam, ac veram Indulgentiarum ideam! Datur asperam agentibus pœnitentiam Satisfactionum Ecclesiasticarum condonatio, &, ne ignaviores reddantur, eos nondum sufficientem egisse pœnitentiam, nec contractas scelerum fordes abstersisse, admonentur; quantum vero ea condona-

tio coram Dei judicio valeat, ejus arbitrio relinquitur.

Exemplum II. Indulgentiæ habetur ex *Tertulliano*, qui *l. de Pudic. c. 1.* testatur, *Zephyrinum* Summum Pontificem concessisse indulgentiam in articulo mortis mœchis, si usque ad articulum mortis toto vitæ tempore se in operibus pœnitentiæ exercuissent: Et hæc ipsa Indulgentia, nova tunc & inaudita, pro intolerabilis laxitatis argumento à Tertulliano habebatur, quia primis duobus Sæculis tribus vitiorum generibus, videlicet idololatriæ, homicidii, & fornicationis, nulla ne quidem in articulo mortis concedebatur. Verba Tertulliani sic habent: „Audio Edictum „esse propositum & quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O Edictum, „cui adscribi non poterit bonum factum! Quid „agis mollissima & humanissima disciplina? Mœchia inter homicidium & idololatriam media „consedit; quis eam de vicinorum scelerum „complexu solam secernat ad pœnitentiæ fructum? Concorporavit hæc crimina Scriptura; „igitur aut nec illi, aut etiam istis pœnitentiæ „subsidia convenient. Assistit idololatres, assistit homicida, in medio eorum assistit & mœchus; pariter de pœnitentiæ officio sedent, in „sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant. Idololatrem quidem & homicidam damnas, mœchum vero de medio excipis? „ostendas, quibus exemplis aut præceptis soli „Mœchiæ pœnitentiæ januam expandas." Hucusque Tertullianus, jam implicatus erroribus Montanistarum. Ex quo tamen apparet, Zephyrinum, tantum Mœchis *pœnitentia functis*, id est, *diu sacco & cinere inhorrescentibus, fletu gemiscentibus &c.* indulgentiam concessisse.

Exemplum III. Indulgentiæ assignatur ab Authoribus Catholicis ex *S. Cypriano*; ex quo constat, eos, qui in persecutione idolis immolarunt, ac iterum ad Ecclesiam reversi sunt, ad intercessionem Martyrum ab Episcopis Indulgentiam obtinuisse. Idem tamen testatur; hanc indulgentiam concessam non esse, nec concedi potuisse, nisi iis pœnitentibus, qui diuturna pœnitentiæ afflictione tali indulgentia se dignos reddiderint. Ep 54. sic ait: „Statueramus; ut, qui in persecutionis infestatione lapsi essent, agerent diu „pœnitentiam plenam, &, si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent; sed, cum videamus diem alterius persecutionis appropinquare, censuimus eis, qui „pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum „deprecari à primo lapsus die non destiterunt, „pacem dandam esse. *Item Ep. 53. ait:* Scripsistis mihi; Ninum & Clementianum vi tormentorum subactos esse, nec tamen post hunc lapsum à pœnitentia agenda per hoc triennium „destitisse. Puto; his indulgentiam Domini non „defuturam, quibus ad deprecandam clementiam Domini existimamus sufficere, quod triennio jugiter ac dolenter cum summa pœnitentiæ „lamentatione planxerunt. *Item Serm. de Lapsis ait:* Emersit novum genus cladis, & accedit „sub misericordiæ titulo malum fallens; ante „expiata delicta, ante offensam placatam Domini pacem putant esse, quam quidam verbis fallentibus venditant; persecutio hæc est alia, per „quam subtilis inimicus grassatur impugnandis „lapsis, ut lamentatio quiescat, ut dolor sileat, „ut delicti memoria evanescat, nec Dominum „offensum longa & plena pœnitentia deprecetur. „Nemo se fallat; solus Dominus misereri potest; „veniam peccatis solus potest elargiri; nec remittere aut indulgentia sua donare servus potest, quod in Dominum commissum est. Sola „superest pœnitentia, quæ satisfaciat. Si precem toto corde quis faciat; si veris pœnitentiæ „lamentationibus & lachrymis ingemiscat; si ad „veniam delicti sui Dominum justis & continuis „operibus inflectat, misereri talium potest Dominus; „potest ille indulgentiam dare, pœnitenti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre, quidquid pro talibus petierint „Martyres, & fecerint Sacerdotes.

Exemplum IV. Indulgentiæ exhibet *Synodus Romana*, quæ indulgentiam quidem concedit iis, qui in persecutione lapsi sunt; sed non nisi in articulo mortis, & non nisi post peractam toto vitæ tempore pœnitentiam. Decretum Synodi Romanæ, quod extat apud S. Cyprianum Epist. 31. sic sonat: „Nos lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut eorum, quorum „vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non „potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac „pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes „vivendi secundum hominem nulla substiterit, „ita demum caute & solicite subveniri, ipso Deo „sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxiè „curantibus, ut nec pronam nostram improbi „homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.

Exemplum V. Indulgentiæ reperitur in *S. Petro Alexandrino*, qui concedit Indulgentiam quorundam piorum fidelium parentibus & fratribus in persecutione lapsis. Canone 11. sic ait: „Pro „parentibus vel fratribus, vel liberis (lapsis) „una dolore & tristitia affici neminem lædit; „scimus enim, propter aliorum fidem quosdam „esse Dei bonitatem consecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate. Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, „quas pro Christi nomine sustinuerunt, cum ipsi „etiam pœnitentiam egerint, &, quod à se factum est, corporis afflictione & mortificatione „defleverint, simul oremus, & postulemus pro „eorum reconciliatione cum aliis, quæ decet, „per eum, qui est nobis Advocatus apud Patrem, se nostris peccatis propitium exhibentem.

Exemplum VI. Indulgentiæ dat *Concilium Neo-Cæsariense*, quod Can. 3. sic ait: „Iis, qui in crimen Polygamiæ incidunt, tempus quidem pœnitentiæ constitutum est, sed conversatio eorum, & fides tempus abbreviat." Vult Concilium dicere; iis, qui in conversationem pœnitentiæ

tentiæ fervidam ostenderint, aliquid indulgentiæ abbreviando tempus pœnitentiæ condonari posse.

Exemplum VII. Indulgentia habetur in *Concilio Ancyrano*, quod quidem pœnitentibus relaxationem aliquam fieri permittit, sed non nisi post diuturnam probationem pœnitentiæ. Can. 2 ait: „Diaconi, qui immolaverunt, cessare debent ab omni sacro Ministerio; sed si ex Episcopis aliqui adverterint, eorum laborem, aut humiliationem mansuetudinis, & voluerint alleviare, penes ipsos erit potestas. *Can.* 5. *ait:* „Quicunque accesserunt (ad templa idolorum) „si triennale substrationis tempus impleverint, „sine oblatione recipiantur. Episcopi autem „potestatem habeant; examinato conversationis „modo humanius cum iis agendi, aut plus temporis adjiciendi; ante omnia autem & præcedens vita, & quæ consecuta est, discutiatur, „& ita eis humanitas commensuretur. *Can.* 7. „*ait:* De iis, qui in festo ethnico Gentilibus convivati sunt, visum est, cum biennio substrati „fuerint, esse recipiendos; an autem cum oblationibus recipi debeant, est cujuslibet Episcopi „examinare, & reliquam vitam in unoquoque „ponderare. *Can.* 16. *ait:* Quicunque ante vigesimum annum (cum pecoribus) peccaverunt, „postquam quindecim annis prostrati fuerint, „communionis ad orationem participes fiant. „Deinde, cum quinque annis in communione „perseveraverint, etiam oblationem attingant. „Discutiatur autem & eorum, quam duxerunt „in substratione, vita, & sic humanitatem consequantur." Ex his satis apparet; intentionem Ecclesiæ antiquitus fuisse, ut indulgentiæ cuilibet proportionaliter juxta suum satisfaciendi studium obveniant.

Exemplum VIII. Petitur ex *Concilio Laodiceno* quod ejusdem est intentionis in conferendis indulgentiis, ac Ancyranum. Can. 2. sic ait: „Eos, qui in diversis lapsibus peccant, & in oratione Confessionis, & pœnitentiæ perseverant, „& se à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ juxta proportionem delicti dato, propter Dei miserationes & bonitatem ad communionem adducere oportet." En! Indulgentiam juxta proportionem delicti & pœnitentiæ vetus Ecclesia contulit.

Exemplum IX. Extat in Concilio *Oecumenico Nicæno I.* quod iis solum confert indulgentiam, qui diuturno pœnitentiæ studio conversionem suam demonstrarunt. Can. 11. sic ait: „De his, „qui præter necessitatem prævaricati sunt, placuit Synodo, quamvis humanitate indigni essent, eis tamen bonitatem exhibere. Quicunque ergo ritè pœnitent, tribus annis inter audientes habeantur, & septem annos inter prostratos." Et Can. 12. ait: „Quicunque deponentes militiæ cingulum postmodum relapsi „sunt, decem annis prostrati sint. Sed in his „omnibus institutum & genus pœnitentiæ convenit explorare. Quicunque enim metu, & „lachrymis, & patientia, & bonorum operum „studio conversionem opere ostendunt, hi definitum tempus auditionis implentes, meritò „orationibus communicabunt, postmodum verò „licebit Episcopo humanius aliquid de illis cogitare.

Exemplum X. Petitur ex *Concilio Arelatensi II.* quod & ipsum confert indulgentiam lapsis, attamen primum post septem annorum pœnitentiam, & iis solum, quos Episcopus ex animo deflere errorem & agere pœnitentiam viderit. Can. 10. ait: „De his, qui in persecutione prævaricati sunt, Nicæna Synodus statuit, ut quinque annos inter Catechumenos habeantur, & „duos inter non communicantes. In arbitrio „tamen sit Episcopi, ut, si eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad „Communionem pro Ecclesiastica humanitate „suscipiat.

Exemplum XI. Præbet *Concilium Valentinum*, quod lapsis indulgentiam largitur, sed in articulo mortis solùm, & iis tantùm, qui toto vitæ tempore se pœnitentiæ tradiderunt. Can. 3. sic ait: „Circa eorum personas, qui se sacrificiis polluerunt, censuimus, ut his satisfactionis quidem „aditus non negetur, ne infelicibus lachrymis „solatii janua desperatione claudatur; acturis „verò pœnitentiam usque in diem mortis, non „sine spe remissionis, quam ab eo sperare debebunt, qui tam dives est in misericordia, ut nemo desperet.

Exemplum XII. Sumitur ex *S. Basilio*, qui suis contulit indulgentiam, sed primum post decem aut triginta annorum pœnitentiam, & iis solum, qui *lachrymas habent*, quæ clementiam moveant, qui *vitam misericordia dignam ostendunt*, qui *pœnitentiæ fructum monstrant*, qui salutis studium testificetur. Can. 2. in Epist. ad Amphiloch. ait: „Quæ fœtum corrupit, pœnas luat, oportet „autem non usque ad obitum extendere confessionem, sed decem annorum mensuram admittere; definire autem non tempore, sed modò „pœnitentiæ medicinam. *Can.* 7. *ait:* Eos, qui „in triginta annis propter immunditiam pœnitentiam egerunt, jube absque dilatione recipi, „maximè si lachrymas habeant, quæ tuam clementiam moveant, & vitam misericordia dignam ostendant. *Can.* 5. *ait:* Hæreticos, qui „in excessu è vita pœnitentiam agunt, recipere „oportet; recipere autem non sine judicio, sed „examinantes, an veram pœnitentiam ostendant, & si fructus habent, qui salutis studium „testificentur. *Can.* 53. *ait:* Est tuæ prudentiæ, „pro circumstantiæ proprietate pœnas intendere „vel remittere. *Can.* 74. *ait:* Sin autem unusquisque eorum, qui in prædictis peccatis fuere, „Confessus bonus evaserit, & is, cui solvendi „tradita est potestas, fiat clementior, videns „summam ejus, qui peccavit, confessionem, (*id est, pœnitentiam publicam*) ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus reprehensione; „cum historia Scripturarum significet, quod, qui „cum majori labore confitentur, Dei misericordiam celeriter apprehendant. *Can.* 75. *ait:* „Qui cum propria sorore pollutus est, triennio „defleat; postea alio triennio ad auditionem admittatur, deinde, siquidem lachrymis exquisivit, & Domino cum cordis contritione & valida humiliatione supplex procidit, detur ei „sub-

„ subtractio aliis tribus annis; & sic, postquam „ pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo „ anno suscipiatur in fidelium orationes. *Can.* „ 77. *ait:* Qui mulierem dimittunt, anno de„ flcant, biennio audiant, triennio substernan„ tur, septimo cum fidelibus consistant, & ita „ oblatione digni habeantur, si cum lachrymis „ pœnitentiam egerint. *Can.* 84. *ait:* Hæc omnia „ scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus pro„ betur; non enim omnino tempore judicamus, „ sed modum pœnitentiæ attendimus.

Exemplum XIII. Indulgentiæ affert *Gregorius Nyssenus*, qui & ipse indulget, sed post longam eamque gravem pœnitentiam. In Epist. ad Letojum Can. 11. sic habet: „ Pro ratione conver„ sionis pœnæ tempus contrahetur; adeo, ut „ novem annis in unoquoque gradu, vel octo, „ vel septem, vel sex, imo etiam quinque tan„ tum anni ponantur, si pœnitentiæ magnitudo „ tempus vincat, & superet correctionis studio „ eos, qui in longo tempore præstituto susceptas „ à se maculas segniter eluunt. *Can.* 8. *ait:* In „ iis, qui diligentia in conversione usi fuerint, „ & vita ostenderint, se esse emendatos, potest „ is, qui præest, pro Ecclesiasticæ Oeconomiæ „ utilitate tempus auditionis contrahere. „ Similia habet Can. 9. 13. 18. & 20.

Exemplum XIV. Indulgentiæ offert *Innocentius I.* Summus Pontifex, qui jubet, tunc primum adhiberi indulgentiam, cum præcesserit congrua satisfactio. Epist. 1. c. 7. sic ait: „ De „ pœnitentibus, qui sive ex gravioribus Com„ missis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, „ quinta feria ante Pascha remittendum Romanæ „ Ecclesiæ consuetudo demonstrat: cæterùm de „ pondere æstimando delictorum Sacerdotis est „ judicare, ut attendat ad Confessionem pœni„ tentis; & ad fletus, atque lachrymas corrigen„ tis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit con„ gruam satisfactionem.

Exemplum XV. Indulgentiæ sumitur ex *Concilio Carthaginensi*, quod in articulo mortis largitur indulgentiam, sed tamen cum obligatione agendi pœnitentiam, si æger redierit ad sanitatem. Can. 76. sic ait: „ Is, qui pœnitentiam in „ infirmitate petit, si continuò creditur moritu„ rus, reconcilietur per manus impositionem; si „ supervixerit, subdatur statutis pœnitentiæ legi„ bus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam de„ dit, probaverit. *Idem Can.* 75. *ait:* Negligen„ tiores pœnitentes tardius recipiantur.

Exemplum XVI. Indulgentiæ occurrit in *Concilio Agathensi*, quod pro obtinenda venia biennii tamen pœnitentiam requirit. Can. 60. sic ait: „ Lapsis, id est, qui in hæresin transierint, gran„ dem redeundi difficultatem sanxit antiquitas, „ quibus nos annorum multitudine breviata pœ„ nitentiam biennii imponimus.

Exemplum XVII. Habetur ex *Concilio Aurelianensi IV.* quod indulgentiam permittit, sed post dignam pœnitentiam. Can. 8. ait: „ De his, qui „ ad hæresin descendunt, in Episcoporum pote„ state consistant, cùm eos viderint dignam pœ„ nitentiam agere, quando vel qualiter pristinæ „ communioni reformentur. *Idem Can.* 27. *ait:* „ Quisquis homicidium commiserit, pro modo „ pœnitentiæ distringendus in Sacerdotis potesta„ te consistat.

Exemplum XVIII. Ex *Concilio Toletano* affertur; concedit enim indulgentiam, sed expleto satisfactionis tempore. Can. 11. sic habet: „ A „ Sancto Concilio jubetur, ut secundum formam „ Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ, hoc „ est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, à „ communione suspensum faciat inter reliquos „ pœnitentes ad manus impositionem crebro re„ currere; expleto autem satisfactionis tempore, „ sicuti Sacerdotalis contemplatio probaverit, „ eum Communioni restituat.

Exemplum XIX. Indulgentiæ habetur ex antiqua consuetudine, qua satisfactiones Sacramentales commutabantur in alia exercitia pietatis, ardua tamen & aspera. *Beda* in suo Pœnitentiali c. 14. sic habet: „ Qui implere poterit, quod in „ Pœnitentiali scriptum est, bonum est; qui au„ tem non potest, consilium damus per miseri„ cordiam Dei, inprimis pro uno die in pane & „ aqua quinquaginta Psalmoa psallat; & pro uno „ die valent ducentæ genuflexiones, vel unus „ denarius. Quidam dicunt, quinquaginta per„ cussiones quinquaginta Psalmos pro uno die va„ lent. Item; pro uno mense, quod in pane & „ aqua pœnitere debet, Psalmos 680. Et post„ ea omnea dies reficiat ad sextam, nisi quarta & „ sexta feria jejunet ad nonam: à carne & vino „ abstineat se. In secundo anno remissior pœni„ tentia erit. Item; qui non potest sic agere pœ„ nitentiam, in primo anno eroget in eleemosy„ na 23. Pro uno anno in pane & aqua donet in „ eleemosyna solidos 22. Et in unaquaque heb„ domada unum diem jejunet ad nonam, & alium „ ad vesperum, & tres quadragesimas; in secun„ do 20. solidos; pro tertio anno 18. solidos. „ Potentes homines pro culpis criminalibus fa„ ciunt, ut Zachæus ait: Domine, dimidium „ bonorum do pauperibus; & à quo die desinit „ peccare, non desinat, jejuniis, & vigiliis, & „ orationibus ad Dominum." Similes redemptiones Satisfactionum reperiuntur in *Pœnitentiali Theodori*, *Pœnitentiali Burchardi* l. 19. c. 21. & 22. & 23. Et in *Pœnitentiali Romano.*

Exemplum XX. Indulgentiæ præbet Epistola *Nicolai I.* Summi Pontificis, qui Romipetæ indulgentiam largitus est, sed post severissimam pœnitentiam. Scribens ad Rutholdum Episcopum sic ait: „Latorem præsentium Matricidam „ esse cognovimus, cui præcipimus, ut sub pœni„ tentiæ jugo permaneat, ita, ut per annum Ec„ clesiam non ingrediatur; completo anni curri„ culo inter audientes stet, sed nondum commu„ nicet. Completis trium annorum curriculis sa„ cræ Communionis gratia ei reddatur, oblatio„ nes vero non offerat, nisi prius aliorum septem „ annorum curricula expleantur. His autem „ omnibus annis carnem non manducet, neque „ vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus „ atque Dominicis, & à Pascha usque ad Pente„ costen; & quocunque ire voluerit, nullo ve„ hiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur; „ arma non sumat, nisi contra Paganos; jejunet „ autem tribus diebus per hebdomadam usque ad „ vesperam. Si autem ante annorum trium cur„ sum

„ fum finis vitæ illius appropinquaverit, Corpo„ris D. N. J. C. particeps fiat. Tamen fi illius „ converfionem & lachrymarum fontem in omni„bus videritis floridis actionibus & optimis ope„ribus pullulare, humanius circa eum veftra fo„licitudo pervigil appareat, mitisque omnibus „ demonftretur.

Exemplum XXI. Indulgentiæ habetur ex *Concilio Wormatienfi*, quod benignitate erga pœnitentes uti permittit, attamen fecundum favorem delinquentium. Can. 25. fic habet: „Pœnitenti„bus fecundum differentiam peccatorum Sacer„dotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Debet „ itaque Sacerdos in pœnitentia danda fingulorum „caufas fingulatim confiderare; originem quo„que & modum culparum, & affectus, gemitus„que delinquentium diligenter examinare, ma„nifefteque cognofcere, temporum etiam, & „ perfonarum, locorum quoque & ætatum quali„tates infpicere, ut pro confideratione locorum, „ ætatum, vel temporum, feu pro qualitate deli„ctorum, atque gemituum uniuscujusque delin„quentis à facris regulis oculos non deflectat.

Exemplum XXII. Dat *Concilium Triburienfe*, quod varias elargitur indulgentias, nunquam tamen fine congrua Satisfactione. Can. 52. fic ait: „ Placuit de homicidiis, quinquennii tempus ex„plere; modus autem bujus pœnitentiæ in Epi„fcoporum fit arbitrio, ut fecundum converfa„tionem pœnitentium poffint & extendere tar„dantibus, & minuere ftudiofe feftinantibus. „ *Can.* 55. *ait:* Si quis homicidium fponte fecerit, „ nihil manducet 40. diebus præter folum panem „ & falem, neque bibat nifi puram aquam. Si „ aliqua corporali infirmitate longo tempore oc„cupatus fit, ut non poffit rite jejunare, ad Epi„fcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, „ quomodo infirmum prudenter curare difponat. „ *Can.* 56. *ait:* Pœnitens poft illos 40. dies unum „ annum abftineat fe à carne & cafeo, à vino & „ medone, ac mellita cerevifia, nifi in aliquo „ magno itinere, vel fi in infirmitate detentus fit. „ Tunc licitum fit ei tertiam feriam & quintam, „ atque Sabbathum redimere uno denario, vel „ pretio denarii, five tres pauperes pafcendo. „ Poftquam autem de itinere domum revertatur, „ aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias „ non redimat, fed ftatuto modo pœniteat. *Can.* „ 57. *ait:* Secundum & tertium annum fimili mo„do pœniteat; excepto, quod prædictas tres fe„rias redimere jus habeat. *Et Can.* 58. Quar„tum annum, & quintum, fextum, & feptimum „ ifto modo obfervet: jejunet his fingulis tres „ quadragefimas, his quatuor annis fecundam at„que quartam feriam denario aut prædicti dena„rii pretio redimere jus habeat.

Exemplum XXIII. Indulgentiæ exhibet *Regino Abbas* in antiqua Collectione *Manufcripta, cujus textum exhibet Morinus* de pæn. Ut fequitur: „ Siquis forte non potuerit jejunare, & habuerit, „ unde poffit redimere, fi dives fuerit, pro fe„ptem hebdomadibus det folidos viginti; fi non „ habuerit tantum, unde dare poffit, det folidos „ decem. Si autem multum pauper fuerit, det „ folidos tres. Pro uno menfe, quod in pane & „ aqua jejunare debet quis, Pfalmos decantet „mille ducentos genu flexo, & fi non genufle„xo, mille fexcentos octoginta, & omni die, fi „ abftinere non poteft, reficiat ad fextam, nifi „ feria quarta, & fexta jejunet usque ad Nonam. „ Carnem & vinum non fumat, reliqua perci„piat.

Exemplum XXIV. Indulgentiæ exhibet antiquiffimus *Codex MS. Auguftanus*, in quo continetur Pœnitentiale Ecclefiæ Auguftanæ ufitatum ad initium Sæculi X. Ibidem permittitur fieri relaxatio pœnæ Sacramentalis, fed cum obligatione ad alia opera fatisfactoria fatis ardua. Sic habet: „Siquis forte non potuerit jejunare, & „ habuerit, unde poffit redimere, fi dives fue„rit, pro feptem hebdomadibus det folidos 20. „ fi tantum non habuerit, unde dare poffit, det „ folidos decem; fi autem multum pauper fuit, „ det folidos tres. Pro uno menfe, quod in pa„ne & aqua jejunare debet, canere debet mille „ & ducentos genu flexo, vel fine genu flexo „ Pfalmos 1680. Pro hebdomada 300. Pfalmos „ genua flectendo pfallat. Qui vero Pfalmos „ non novit, & jejunare non poffit, pro uno „ anno, quod jejunare debet in pane & aqua, „ donet in eleemofynas folidos 26. & in unaqua„que hebdomada diem unum jejunet ad Nonam, „ & alium ad Vefperam, & in tribus quadragefi„mis, quantum fumit, penfet, & medietatem „ tribuat in eleemofynam. Pretium autem diei „ hoc eft; Agapen duobus vel tribus pauperibus; „ alii totum Pfalterium in æftate; in hyeme vero „ 50. Pfalmos. Quidam judicaverunt 12. plagas „ vel percuffiones vel plus minus. Tamen tem„pora difcernere debet unusquisque judex.

Exemplum XXV. Proponunt Burchardus & Ivo, dum oftendunt, occultis quidem peccatis condonatam fuiffe publicam pœnitentiam, eos tamen de obligatione fatisfaciendi privatim admonitos fuiffe. *Burchardus* l. 19. c. 36. & Ivo part. 15. c. 53. fic habent: „Siquis inceftum oc„culte commiferit, & Sacerdoti occulte confef„fionem egerit, indicetur ei remedium Canoni„cum, quod fubire debuiffet, fi ejus facinus pu„blicatum fuiffet. Verum, quia latet commif„fum, detur ei à Sacerdote Confilium, ut falu„ti animæ fuæ pœnitentia occulta proficiat, hoc „ eft; ut veraciter, & ex corde fe graviter deli„quiffe confiteatur, & per jejunia & eleemofy„nas, vigilias, atque facras orationes cum la„chrymis fe purgare contendat, & fic ad fpem „ pro mifericordia Dei pervenire confidat.

Exemplum XXVI. Indulgentiarum colligitur ex *Concilio Salegunftadienfi*, quod prohibet, ne pœnitentes Romam pro obtinenda indulgentia proficifcantur, antequam prius congruam fatisfactionem egerint. Can. 18. fic ait: „Quia multi „ tanta mentis fuæ falluntur aftutia, ut in aliquo „ capitali crimine inculpati, (id eft, accufati) „ pœnitentiam à Sacerdotibus fuis accipere nolint, „ in hoc maxime confifi, ut Romam euntibus „ Apoftolicus omnia fibi dimittat peccata, San„cto vifum eft Concilio, ut talis indulgentia illis „ non profit, fed prius juxta modum delicti pœ„nitentiam fibi datam à fuis Sacerdotibus adim„pleant, & tunc Romam ire fi velint, ab Epi-

 „fcopo

„ ſcopo proprio licentiam, & litteras ad Apo- „ ſtolicum deferendas accipiant.

Hæc ſunt præcipua Indulgentiarum per mille priores annos Exempla, ex quibus ſatis colligitur; nullam tanto tempore extitiſſe indulgentiam, quæ pœnitentes exemerit ab obligatione ſatisfaciendi pro ſuis peccatis: nam pro peccatis occultis indicebantur pœnitentiæ Canonicæ, tunc temporis privatim cujuslibet arbitrio peragendæ, ut patet ex dictis Exemplis XXV. & probat Francolinus de pœnit. l. 1. & 2. Pro peccatis publicis imponebantur pœnitentiæ publicæ; & hæ quidem remittebantur iis, qui ſe jam diu in operibus pœnitentiæ probaverant dignos misericordia, ſed quantum ea remiſſio coram Deo valuerit, nulli promittebatur. Sæculo octavo pœnitentiæ hæ publicæ in alia pia opera, ut in eleemoſynas & recitationem Pſalmorum, aut flagellationes convertebantur; ut patet ex Exemplis XIX. XX. XXIII. XXIV. Sed ea ipſa erant ſatis rigoroſa. Hæc ergo facies indulgentiarum erat primis decem Sæculis. Sæculo XI. confluxus pœnitentium Romam frequentior erat, ſed benignitas Romanorum Pontificum non propterea major facta eſt, ut ex ſequenti argumento palam fiet. Sæculo XII. XIII. XIV. XV. liberior quidem pœnarum etiam pro peccatis occultis debitarum in eleemoſynas commutatio facta eſt, ſed quantum valoris ea commutatio coram Deo habuerit, ex conſtanti Traditione Eccleſiæ, & Doctorum ſententia infra palam fiet, ubi oſtendam, Eccleſiam ita ſenſiſſe; eam commutationem ſeu indulgentiam tantum cuilibet coram Deo profuturam, quantum ſtudio ſatisfactionum & bonorum operum coram Deo dignus inventus fuerit. Ex quibus omnibus liquet, indulgentias non tollere obligationem ſatisfaciendi congruè pro ſuis peccatis.

Probatur 2. A tempore Apoſtolorum usque ad annum 1391. nulla fuit conceſſa generalis indulgentia, quæ potuerit obtineri ab omni hominum ætate, ſexu, conditione, natione; nulla fuit talis pro puellis, juvenibus, ſenibus, mulieribus, Religioſis, pauperibus, ægrotis, Germanis, Polonis, Anglis, & infinitis aliis Chriſtianis in Occidente & Oriente. Ergo Eccleſia agnovit, ſe nullam habere poteſtatem, per indulgentias plenarias remittendi obligationem proportionatæ ſatisfactionis, quia alioquin fuiſſet crudelis, ſi tam inſigne & neceſſarium peccatorum remedium ad Sæculum ferè XV. in ſudario repoſitum abſcondiſſet, aut theſaurum adeo divitem, & hæreditatem filiorum Dei dedoſſet. *Ant. prob.* ab inductione omnium indulgentiarum, quæ ab anno milleſimo usque ad annum 1391. conceſſæ ſunt. De iis enim, quæ primis decem Sæculis conceſſæ ſunt, jam actum eſt.

Primum genus Indulgentiarum ſunt Jubilæa. Sed primum Jubilæum celebratum eſt tantum anno 1300. & ſecundum 1350. Hæc duo Jubilæa tantum celebrata ſunt Romæ, non vero in aliis Provinciis, ut nunc fieri ſolet. *Bonifacius IX.* anno 1391. conceſſit, ut Jubilæum celebraretur etiam in Germania, ſed Scriptores coævi teſtantur, illud primum fuiſſe in Germania. *Ulricus Futrer*, Hiſtoriographus Bavariæ, qui vixit Sæculo XV. ait: *Anno* 1392. *erat annus Jubilæus Monachii, quod SS. Papa Bonifacius in gratiam Ducum Bavariæ conceſſit, & hoc Jubilæum erat primum in Germania. Incipiebat in Dominica Oculi Quadrageſimæ, & durabat usque ad Octavam S. Jacobi in æſtate.* Manuſcriptum hujus Authoris in pergameno aſſervatur in noſtra Bibliotheca Pollingana. Quod attinet Jubilæa locorum particularium, nullum ante annum 1650. proſerri poteſt, cui indulgentia plenaria conceſſa ſit. Clarum ergo eſt, quod Indulgentia Jubilæi ante annum 1391. non fuerat pro omni Natione, aut ætate, aut hominum conditione. Ex tot enim Chriſtianorum millibus vix centeſimus quisque aut milleſimus Romam ire potuit ad obtinendam Indulgentiam.

Secundum genus Indulgentiarum ſunt Bullæ Cruciatæ; hæ incæperunt Sæculo XI. At nec iſta indulgentia erat pro omni hominum conditione; qui enim illam obtinere voluit, debuit tribus annis ſe abdicere militiæ ſacræ, ſumere arma, & pugnare contra Turcas aut Hæreticos; aut certè ſuis pecuniis alium bellatorem loco ſui conſtituere & ſuſtentare. Hæc utique indulgentia non erat pro mulieribus, Religioſis, Clericis, pauperibus, & infinitis aliis, quibus aut ætas deerat, aut ſexus, aut pecunia, aut opportunitas. Cœperunt quidem Romani Pontifices Sæculo XIII. etiam iis indulgentiam concedere, qui ad bellum ſacrum pecunias contribuiſſent; ſed ea indulgentia plena non erat, ſed cujuslibet tantum ſubſidio attemperata. Et ab hac ipſa utique excluſi erant pauperes, Religioſi, juvenes &c. *Gregorius VIII.* in Bulla Cruciata anno 1187. ſic ait: *Capta eſt Crux Dominica, captus eſt Rex, trucidati Epiſcopi. Accingimini, quoniam melius eſt nobis mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ; eis autem, qui itineris hujus laborem* (in Terram Sanctam) *aſſumpſerint, plenam indulgentiam pollicemur.*

Tertium genus Indulgentiarum eſt, quod concedebantur in Dedicationibus Eccleſiarum; ſed & in his, quamquam Solenniſſimis, quas peragebant ipſi Summi Pontifices, tantum concedebantur indulgentiæ exiguæ; vix unquam plenariæ. De Dedicatione Andegavenſis Eccleſiæ *d'Acherius* Spicileg. t. 10. ſic habet: *Urbanus II. anno* 1098. *Andegavos ſe contulit; tunc dedicata eſt Eccleſia S. Nicolai ab ipſo Papa, qui edicto juſſit, ut unoquoque anno apud S. Nicolaum ſeptima pars populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur. Baronius* de Dedicatione Ferrarienſi ex antiquo libro ad annum 1177. ſic habet: *Anno* 1177. *Alexander III. conſecravit in majori Eccleſia Ferrarienſi majus Altare, & in Feſtivitate Dedicationis hoc majus Altare viſitantibus annum unum de criminalibus, & ſeptimam partem venialium relaxavit. Oldoinus* in Urbano III. de Dedicatione Eccleſiæ S. Mariæ in Stellis ex antiqua inſcriptione ait: *Urbanum III. eam Eccleſiam dedicaſſe anno* 1187. *& in Anniverſario Dedicationis unum annum, &* 240. *dies conceſſiſſe. Raynaldus* ad annum 1247. teſtatur, Innocentium IV. Eccleſiam Lugdunenſem conſecraſſe, & ſequens indulgentiæ diploma conceſſiſſe: *Innocentius IV. Licet benefactoribus fabricæ Lugdunenſis Eccleſiæ, quæ dudum incæpta eſt, & ſumptuoſo opere,* 40. *dierum indulgentiam duxerimus conce-*

concedendam, quia tamen assistentibus nobis Cardinalibus, & quam plurimis Episcopis SS. Altare ipsius Ecclesiæ propriis manibus duximus consecrandum, volentes ob nostri memoriam indulgentiam hujusmodi ampliare, omnibus, qui eidem fabricæ manum porrexerint adjutricem, unum annum de injunctis sibi pœnitentiis annis singulis relaxamus. *Oldoinus* in Alexandro IV. ait ex antiqua inscriptione: *Anno* 1256. *Alexander IV. consecravit hanc Ecclesiam SS. Marcellini & Petri, & concessit à dicta die Consecrationis usque ad Octavam singulis annis indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum.* Ex his patet, Summos Pontifices etiam in solennissimis Ecclesiarum Dedicationibus nunquam concessisse indulgentiam plenariam; aut certo adeo raro, ut toti orbi, omni ætati, nationi, & conditioni hominum servire non potuerit.

QUARTUM GENUS Indulgentiarum reperitur in Canonizatione Sanctorum. Verùm & in hacnunquam concedebatur indulgentia plenaria, sed modica planè, prout ex Bullis Canonizationum, quæ continentur in Bullario, liquet. *Honorius III.* in Canonizatione S. Laurentii Dublinensis anno 1226. ait: *Nos omnibus, qui ad Ecclesiam S. Laurentii in die Solennitatis accesserint* (Dublini) *viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.* *Gregorius IX.* in Canonizatione S. Antonii Paduani 1236. ait: *Omnibus sepulchrum S. Antonii in Festivitate illius singulis annis visitantibus annum unum de injuncta pœnitentia relaxamus.* *Idem* in Canonizatione S. Dominici 1236. ait: *Omnibus sepulturam illius in ejus Festivitate visitantibus unum annum de injuncta Pœnitentia relaxamus.* *Idem* in Canonizatione S. Elisabethæ 1236. ait: *Omnibus ad sepulturam illius in ejus Festo se conferentibus unum annum & 40. dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.* *Innocentius IV.* in Canonizatione S. Edmundi 1248. ait: *Omnibus, qui ad sepulturam illius annuatim accesserint in Festo, unum annum & 40. dies, infra Octavam verò Festi 40. dies de injuncta pœnitentia relaxamus.* *Idem* in Canonizatione S. Petri 1253. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, annum unum & 40. dies, infra Octavam verò 40. dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.* *Idem* prorsus concedit in Canonizatione S. Stanislai 1254. *Alexander IV.* in Canonizatione S. Claræ 1255. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, unum annum & 40. dies de injunctis pœnitentiis relaxamus.* *Urbanus IV.* in Canonizatione S. Richardi 1261. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in Festo ipsius accesserint singulis annis, unum annum & 40. dies, infra Festi quindenam verò 40. dies de injuncta eis pœnitentia relaxamus.* *Clemens IV.* in Canonizatione S. Hedwigis 1271. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, unum annum, & 40. dies, infra Octavam verò centum dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.* *Bonifacius VIII.* in Canonizatione S. Ludovici Regis 1298. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, unum annum & 40. dies, infra Octavam vero 40. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.* *Joannes XXII.* in Canonizatione S. Ludovici Episcopi 1316. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, duos annos, & duas quadragenas, infra Octavam verò unum annum & 40. dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.* *Idem* in Canonizatione S. Thomæ Herford. 1320. ait: *Omnibus, qui ad sepulchrum illius in ejus Festo annuatim accesserint, duos annos, & duas quadragenas, infra Octavam vero centum dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.* *Idem* in Canonixatione S. Thomæ de Aquino 1323. ait: *Omnibus, qui ad ejus sepulchrum in ejus Festo annuatim accesserint, unum annum & 40. dies, infra Octavam vero centum dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus.* *Bonifacius* tandem *IX.* in Canonizatione S. Birgittæ 1391. ait: *Omnibus, qui sepulchrum illius in ejus Festo annuatim visitaverint, septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus.* Ex his patet, Indulgentias in Canonizatione Sanctorum usque ad annum 1391. fuisse planè modicas, easque tantum restrictas ad Ecclesiam sepulturæ, in quâ Sanctus sepultus fuit; adeoque patet, ne has quidem etiam modicas obtineri potuisse ab omni natione, ac hominum conditione.

QUINTUM GENUS Indulgentiarum conficiunt eæ Indulgentiæ, quæ præcipuis Christiani orbis Ecclesiis, videlicet Romanis, Vaticanæ, Lateranensi, B. V. Mariæ ad Nives, Compostellanæ, & Ecclesia Terræ Sanctæ concessæ fuerunt. Sed & hæ non erant plenariæ, sed aut indeterminatæ, aut ad exiguos dies, aut annos restrictæ. *Baronius* ad annum 1116. n. 6. ex Urspergensi ait: *Paschalis II. bis, qui propter animarum suarum remedium Apostolorum Limina visitarent, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, quadraginta dierum pœnitentiam indulsit.* *Onuphrius Panvinius* in l. de 7. Ecclesiis refert sequentem Bullam Nicolai IV. concedentis Basilicæ Vaticanæ indulgentiam aliquot annorum: „ *Nicolaus IV.* Hanc „ itaque Basilicam non nulli Prædecessores nostri „ cupientes à Christi fidelibus eò libentius & de„ votiùs visitari, salubriter providerunt, quòd „ eandem Basilicam visitantes assequerentur am„ plam veniam peccatorum: nam sicut ad Nos „ tam ex Scriptis antiquis in Basilica ipsa repertis, „ quàm ex Seniorum Canonicorum ejusdem Ba„ silicæ relatione pervenit, Prædicti Prædecesso„ res omnibus verè pœnitentibus & confessis ad „ præfatam Ecclesiam accedentibus in Festis Na„ tivitatis D. N. &c. Septem annorum & septem „ quadragenarum, & ab Octavis. B. Petri usque „ ad Kalendas Augusti trium annorum & trium „ quadragenarum, & in Festis Nativitatis B. V. „ M. &c. unius anni & 40. dierum, & reliquis „ singulis anni diebus 40. dierum remissiones suo„ rum peccaminum concesserunt. Nos igitur, „ qui præfatæ Basilicæ honoris & decoris augmen„ tum totis desideriis affectamus, præfatas remis„ siones approbamus, & de novo elargimur. „ Hanc Bullam *Nicolaus IV.* dedit circa annum 1288. *Idem* Pontifex dedit aliam Bullam Basilicæ S. Mariæ Majoris, quæ extat in descriptione ejusdem Basilicæ facta à *Paulo de Angelis*, & sic sonat: „ Nicolaus E. S. S. D. Dilectis Filiis Jacobo Car„ dinali, & Canonicis Basilicæ S. Mariæ de Urbe „ S. & A. D. - - - - Unde unius anni & 40. die„ rum à *Sixto III.* in die Consecrationis ejusdem, „ quando lapidem Altari majori superposuit con„secra-

„ secratum, ac unius anni & 40. dierum ab *Honorio III.* ab ipso Festo Consecrationis usque ad „ Octavam Assumptionis ipsius Virginis Concessam indulgentiam confirmamus. Datum Romæ „ 3. Cal. Aug. Pontif. anno 1. „ *Idem* Paulus de Angelis, exhibet Bullam *Honorii III.*, *quâ anno* 1223. *confirmat Indulgentias duorum annorum & totidem quadragenarum ab aliis Pontificibus Concessas Ecclesiæ S. Mariæ Majoris in Festo Nivis usque ad Octavam Assumptionis.* Idem affert Bullam *Gregorii IX.* anno 1240. Concedentis Basilicæ B. M. M. *in quibusdam Festis indulgentiam unius anni & 40. dierum. Idem* recenset Bullam Urbani IV. qui anno 1261. eidem Basilicæ B. Mariæ Majoris *in Festo Dedicationis usque ad Octavam Assumptionis concessit indulgentiam unius anni & 40. dierum. Bonifacius VIII.* cum summam exhibere vellet Romanis Ecclesiis gratiam, iisdem unum annum indulsit. *Onufrius Panvinius*, de ritu sepeliendi mortuos, affert Bullam hujus Pontificis, ut sequitur: „Bonifacius VIII. E. S. S. D. „ Etsi de cunctis Orbis Ecclesiis indefesso Solicitudinis studio cogitemus, de Romanis tamen „ eo propensius cogitare nos convenit, & ad statu & honoris earum incrementa felicia opem „ & operam efficacius impertiri. Sane perlustramus, qualiter B. Gregorius & alii Præcessores „ nostri Urbis Ecclesiis diversorum tenorum Stationarias indulgentias concesserunt: Nos Glor. „ Principum Apostolorum Ecclesias, nec non & „ Urbem, quam infra Sacrarium pectoris gerimus „ prædilectam, honoribus condignis attollere, „ uberibus prosequi gratiis, & præcipuis favoribus confovere cupientes, eorundem universas Stationarias indulgentias confirmamus; & „ ut paternæ dilectionis affectum, quem ad Urbem gerimus prælibatam, per effectum operis „ evidentius ostendamus, ac ipsam & easdem „ Ecclesias honoria & gratiæ potioris impendio „ prosequamur, omnibus, qui à die Cinerum „ usque ad Festum Resurrectionis prædictas Ecclesias visitaverint, annuatim unum annum & „ 40. dies de injunctis pœnitentiis relaxamus. „ Datum Laterani 8. Idus April. Pont. anno III. „ Hæc de Indulgentiis Ecclesiarum Urbis satis ostendunt, usque ad sæculum decimum quartum non fuisse moris, concedere indulgentias plenarias, quæ eluant omnes Pœnitentias. Quod attinet Indulgentias *Terræ Sanctæ*, de his Author Anonymus Sæculi XV. qui totum Archivum *Montis Sion* Jerosolymis perscrutatus est, & ex instituto de Indulgentiis Terræ Sanctæ scripsit, c. 12. ait: „ De Indulgentiis Terræ Sanctæ nullam apud Fratres Bullam Apostolicam haberi, sed tantummodò reperiri tabulas antiquas, in quibus contineatur, quòd ad petitionem Constantini & S. „ Helenæ Papa Sylvester Solemnissimas indulgentias contulit locis Terræ Sanctæ. Ita P. „ Franc. *Quaresmius* Ord. Min. in *Elucid. Terræ* „ *Sanctæ* l. 2. c. 3. Qui & rationem addit, cur „ nullæ concessæ fuerint Bullæ Indulgentiarum „ pro Terra Sancta his verbis: Quod nullæ priscorum Pontificum pro Indulgentiis locorum „ Sanctorum scriptæ fuerint Bullæ, fecit ipsorum „ summa dignitas, & infallibilitas. Cum quidam „ Quardianus Montis Sion supplicasset Eugenio „ IV. Papæ, ut litteras Apostolicas de præmissis „ Indulgentiis confici mandaret, fertur Papam „ respondisse: Loca illa Sanctissima non indigent „ Litteris nostris; nam potius esset quædam derogatio, quàm authenticatio; quia & Romæ „ sunt multæ indulgentiæ, super quibus scripta „ Apostolica non habentur. Hæc Eugenius. „ Ex his clarum est, quod Sæculo XV., quo vixit Eugenius IV. nulla adhuc extiterit Bulla Pontificia pro indulgentiis Terræ Sanctæ; adeoque eæ indulgentiæ, quæ in Terra Sancta extiterunt, tantùm fuerint fundatæ in spe obtinendi facilem & magnam peccatorum veniam ob Sanctitatem loci. *Compostellanæ Ecclesiæ* prima vice *Calixtus III.* anno 1123. indulgentias, sed indeterminatas, & tantum pro Anglis tribuit. *Baronius* enim ad annum 1123. n. 1. ex Wilhelmo Malmesburiensi ait: *Callixtus III. Anglos magis ad dictum locum* (Compostellam) *quàm Romam pergere admonuit; pro vitæ longitudine bis ad illum locum euntibus idem benedictionis refundendo commodum, quod haberent, qui semel Romam irent.* Ex quo sequitur, Ecclesiam Compostellanam tunc temporis nondum habuisse Indulgentiam plenariam, alioquin Angli etiam semel adeundo eam lucrari potuissent; sequitur ulterius, quòd Compostellana Ecclesia pro Lusitanis, & Hispanis, & aliis Nationibus non habuerit eas qualescunque partiales Indulgentias, quæ Romæ obtineri poterant; quia alioquin suffecisset etiam Anglis, eam Ecclesiam semel visitasse. Et ultimo denique generatim colligitur, indulgentias tum in Basilicis Romanis, tum in Terra Sancta, tum Compostellæ non fuisse plenarias usque ad annum 1391. nec etiam eas ab omni ætate, natione, & hominum conditione obtineri potuisse.

Sextum genus Indulgentiarum constituunt variæ indulgentiæ a Romanis Pontificibus diversis personis, & piis locis, aliisque ex diversis causis concessæ. Sed nullam omnino, aut certè vix ullam reperio indulgentiam plenariam à Sæculo XI. usque ad annum 1391. Nullum Monasterium ex tota Germania, nulla Ecclesia, nullus Sacer Ordo, nulla Confraternitas in toto orbe ullam Bullam Pontificiam proferre poterit, qua ipsi plenaria indulgentia ante annum 1391. concessa fit. Innocentius III. teste *Guilielmo Nangio* anno 1200. *Visitantibus Reliquias S. Dionysii Parisiis* 40. *dies indulsit.* Idem, teste D. Thoma: *Orantibus pro Rege Galliæ* 100. *dies concessit.* Idem, teste Matthæo Parisiensi, & Matthæo Westmon. anno 1210. *Recitantibus aliquam oratiunculam cum quodam Psalmo ad memoriam miraculosæ imaginis, Veronicæ dictæ, decem dies relaxavit. Honorius III.* teste Baronio ad annum 1222. n. 16. *Unum annum largitus est iis, qui interfuerint Romæ Processioni & deportationi Effigiei Christi. Innocentius IV.* teste Baronio ad annum 3250. n. 3. *Cum audisset Regem Angliæ in honorem Sanguinis Domini, cujus guttas aliquot Jerosolymis acceperat, templum magnificentissimum ædificare, & sumptibus planè regiis ditare velle, omnibus, qui quidpiam contulissent, unius anni indulgentiam concessit. Gregorius IX.* teste Baronio ad annum 1232. n. 12. *Concurrentibus ad prædicationem Bullæ Cruciatæ in Polonia* 40. *dies indulsit. Urbanus IV.* anno 1264. *Celebrantibus Festum*

Festum Corporis Christi, & ad divina officia præsentibus pro singulis divinis officiis 40. aut 100. dies indulsit, ut apparet ex ejus Bulla, quæ extat in Bzovio. *Clemens V.* teste Raynaldo ad annum 1305. n. 14. *Meditanti Regi Galliæ sacram ædem in honorem avi sui S. Ludovici excitare, eam adituris 40. dierum indulgentias impertitus est.* Idem, teste Raynaldo ad annum 1308. n. 38. *Contribuentibus pro munitione Famaugustæ centum dierum indulgentiam propofuit. Joannes XXII. Recitantibus quolibet noctis crepusculo ad pulsum Campanæ Ave Maria, 10. dies condonavit.* Ut patet ex ejus Bulla apud Raynaudum ad annum 1327. n. 54. Idem: *Sufferentibus contumelias pro fide apud Tartaros 20. dies relaxavit.* Ut patet ex ejus Bulla apud Raynaldum ad annum 1321. n. 4. Idem: *Principi Tartarorum 20. dies ob ejus singularem devotionem indulsit, quoties se ad Ecclesiam contulerit.* Patet ex ejus Bulla. *Bonifacius IX. Celebrantibus Festum Visitationis B. V. M. & ad divina officia præsentibus, 100. dies concessit.* Ut patet ex ejus Bulla apud Bzovium ad annum 1390. De Indulgentiis Montis S. Michaëlis in Normannia *R. P. Arturus du Monstier* in sua *Neustria pia* sic scribit: *Cum igitur hic locus per Neustriam, Angliam, Galliamque valde celebris esset, & à Catholicis honoratus, qui è longinquis etiam patriis eo peregrinationes susciperent, haud mirum est, si inibi indulgentiæ fuerint magnæ per Summos Pontifices concessæ, quarum tesseram hic subjicimus.* In die Resurrectionis Domini *Alexander IV.* concessit 100. dies Indulgentiæ iis, qui Ecclesiam illius Montis in periculo maris devote visitabunt. *Joannes XXII.* totidem dies. *Urbanus V.* annum unum & 40. dies singulis diebus sub Octava ejusdem Resurrectionis, & usque ad Ascensionem &c. En! Hæ tunc temporis erant magnæ indulgentiæ. Similes fere erant omnes, quotquot à Sæculo XI. usque ad annum 1391. concessæ; ut proin clarum sit, tunc temporis non fuisse concessas indulgentias plenarias pro omnibus.

SEPTIMUM GENUS Indulgentiarum faciunt Indulgentiæ, quæ Ordinibus Religiosis & Monasteriis concessæ sunt. Sed & hæ usque ad annum 1391. partiales erant omnes ac modicæ; pro toto aliquo Ordine usque ad illud tempus plenaria indulgentia concessa fuit nulla. *Canonici Regulares* in suo Bullario nullam prorsus exhibent indulgentiam ante Sæculum XV. nisi indulgentiam 40. *dierum*, & hanc Clemens V. anno 1306. tantum concessit Abbati & Conventui Monasterii S. Petri Papiæ, ubi requiescit corpus S. Augustini. *Bullarium Cassinense* ante annum 1391. nullam etiam pro toto Ordine exhibet indulgentiam, saltem Bullarium primæ editionis.

F. Angelus Manriquez in Chronica *Ordinis Cisterciensis* c. 6. & 13. enumerat quidem indulgentias, sed ante annum 1391. nullas affert, nisi sequentes. Anno 1222. *Honorius III.* Ecclesiæ S. Thomæ de Ozech. Cist. Ord. cui aliquas Reliquias transmiserat, concedit 40. dies. Anno 1228. *Gregorius IX.* Abbati, & Conventui de Besbenhusen Ord. Cist. in Dedicatione largitur 40. *dies*. Anno 1320. *Joannes XXII.* Omnibus Cist. Ord. in Generali Capitulo congregatis, & certas devotiones peragentibus largitur 20. *dies*. Bulla hujus Pontificis extat in Chrys. Henriquez. Hæ sunt omnes Indulgentiæ Cist. Ordinis ante annum 1391.

Joannes de la Paige, Ord. Præmonstratensis, in sua *Bibliotheca Præmonstratensi* de Indulgentiis sui Ordinis ante annum 1391. sic scribit: *Antiquitus Ordo habuit 16. Archiepiscopatus & Episcopatus. Prædicti sexdecim Archiepiscopi & Episcopi omnibus Benefactoribus, qui auxilio Ordinem Præmonstratensem promoverint, 100. Carenas contulerunt. Ab iisdem quoque omnibus diebus Dominicis; quibus Processiones fiunt, universis fidelibus, qui eis intersunt, dantur 1000. dies venialium, & 140. criminalium. Item, quocunque die Prælatus loci in cœnobio solenniter celebraverit, conferuntur audientibus illam 500. dies criminalium, & quinque anni venialium, & hæ Indulgentiæ fuerunt confirmatæ per speciales Bullas Romanorum Pontificum, Honorii, Eugenii, Martini, Gregorii, Benedicti, Clementis, Bonifacii, atque Alexandri.* Hucusque P. de Paige. Qui tamen non addit ullam Bullam taliter confirmatoriam, neque etiam exhibet litteras illorum 16. Episcoporum, neque explicat, unde habuerint potestatem conferendi tantas indulgentias, utpote quales conferre expresse prohibitum fuerat in Concilio Lateranensi; & qualium nullum aliud reperitur in Historiis exemplum. Observo etiam, Eugenium, Martinum, Gregorium, Benedictum, Clementem, Bonifacium, & Alexandrum, de quibus ipse loquitur ordine confuso, tantum vixisse Sæculo XV. Solus Honorius rexit ab anno 1285. usque 1287. Quidquid autem sit de concessione ista extraordinaria, certum est, quod P. de Paige nullam aliam, præter hanc, afferat pro suo Ordine ante annum 1391. & hæc ipsa indulgentia potius videtur concessa pro Laicis, quam pro ipsis Religiosis Ordinis Præmonstratensis. Quod attinet Ordinem *Eremitarum S. Augustini, Innocentius IV.* anno 1248. concessit 40. dies contribuentibus ad reparationem Ecclesiarum Ordinis. Bulla reperitur in Bullario Ord. Erem. S. Augustini. Sed hæc indulgentia potius est pro Laicis, quam pro Religiosis. *Albertus Argentinensis* testatur, *Clementem VI.* concessisse anno 1351. indulgentiam Jubilæi Capitulo Generali Ordinis. Sed hæc indulgentia non pertinult ad omnes Religiosos totius Ordinis, sed tantum ad eos paucos, qui Capitulo Generali intererant. Similiter etiam Indulgentiæ plenariæ, quæ recensentur in *Summario Indulgentiarum* concessarum Confraternitati Cincturatorum, non probantur ex Bullis, aut Documentis Synchronis, neque earum Documenta coæva hactenus producta sunt ex Sæculo decimo tertio, aut decimo quarto. Ob quod *Clemens X.* in Bulla confirmatoris earum testatur, eas à *Gregorio XV.* solum in generc, non in specie, expressas & Innovatas fuisse. Dein illæ Indulgentiæ, si revera fuissent concessæ, tantum datæ essent vivæ vocis oraculo, cujus clausulæ ignorantur. Ordo S. Francisci ante annum 1391. nullam habuit Indulgentiam plenariam. Indulgentia Portiunculæ concessa anno 1221. restricta fuit ad Ecclesiam Portiunculæ, & ipsimet Fratres Minores proficisci debuerunt Assisium, si hujus indulgentiæ participes fieri voluerunt. *Wadingus* enim in Chronica Ordinis ad an-

num 1480. n. 41. testatur, primum hoc anno indulgentiam Portiunculæ ad totum Ordinem extensam esse. *Aliqua privilegia*, inquit, *hoc anno impetravit Vicarii Generalis Socius; primum, ut omnes Fratres & Sorores magnam indulgentiam Portiunculæ lucrari possent in omnibus Ecclesiis nostræ Religionis.* Idem colligitur etiam ex Statuto Capituli Generalis anno 1295. quo statutum est: *Ut Ministri Ordinis non nimis faciles essent in concedenda licentia eundi Assisium pro lucranda indulgentia Portiunculæ, neque eam darent iis, qui alias eam lucrati essent, quia tanta concurrentium multitudo tum Conventui Assisiati, tum Provinciis, & domibus, per quas transirent, erat nimis molesta.* Item in Capitulo Generali anno 1446. constituitur, *ut anno quolibet non possint ad indulgentiam Portiunculæ mitti seu accedere ultra sex Fratres in totum pro unaquaque Provincia seu Vicaria, & quod, qui ad illam accesserint, non possint ad eandem redire per quinque sequentes annos continuos.* Ex his patet, Indulgentiam Portiunculæ non fuisse datam pro toto Ordine. Porro nec aliam ullam indulgentiam plenariam eidem Ordini ante annum 1391. concessam esse, ostendit Alphonsus Casarubios celebris Scriptor Seraphici Ordinis, dum in *Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum* Verbo, *Indulgentia*, nullam aliam ponit plenariam Indulgentiam, nisi eas, quæ Sæculo XV. à Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. &c. concessæ sunt. Inter Indulgentias vero particulares nullam aliam ponit, nisi qua Alexander IV. anno 1260. euntibus ad Capitulum Generale annum unum & 40. dies, euntibus vero ad Capitulum Provinciale 100. dies indulsit. Hæ sunt omnes Indulgentiæ Ordini Seraphico pro Religiosis ejusdem concessæ. Verum quidem est, anno 1259. plenariam Indulgentiam concessam esse Fratribus Minoribus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & anno 1260. 1310. 1330. pro Fratribus Minoribus in Syria periclitantibus pro fide, & anno 1299. pro Ecclesia Montis Alverniæ. Sed hæ indulgentiæ non pertinent ad omnes Religiosos hujus Ordinis.

Indulgentias *Ordinis Carmelitarum* complectitur *R. P. Augustinus à Virgine Maria* Carmelita in Libro, cui Titulus: *Privilegia Ordinum.* Enumerat quidem multas indulgentias particulares ante annum 1391. concessas, sed nullam inter eas reperio, quæ directe pro Religiosis Ordinis Carmelitici concessa sit. Omnes enim, quas enumerat, concessæ sunt Laicis eleemosynam pro Ecclesiis Carmelitarum contribuentibus, aut alias devotiones in Ecclesiis Carmelitarum peragentibus. Quod si dicatur, Religiosos Ordinis Carmelitici à fortiori harum indulgentiarum participes fuisse; hoc tamen manet, eas indulgentias fuisse particulares. Sic *Gregorius VIII.* anno 1187. & *Innocentius IV.* anno 1254. concedunt 40. dies recitantibus duo *Pater*, & *Ave* in Ecclesiis Carmelitarum.

Itidem *Alphonsus Casarubios* recenset Indulgentias *Ordini Prædicatorum* concessas. Affert multas, concessas Laicis contribuentibus eleemosynam ad Ecclesias Prædicatorum; nec tamen unicam affert seu particularem seu plenariam, quæ ante annum 1391. Religiosis Ordinis Prædicatorum concessa sit. Patet ergo, nullam plenariam Indulgentiam integro alicui Religioso Ordini ante annum 1391. concessam esse.

OCTAVUM INDULGENTIARUM GENUS est, quod Confraternitatibus conceditur. Sed & ex hoc fonte Indulgentiæ ante anoum 1391. saltem plenariæ non fuerunt pro toto mundo, pro omni natione, ætate ac hominum conditione. Et quidem ante finem Sæculi XV. nullam adhuc extitisse Confraternitatem, nisi SS. Scapularis, Rosarii, & Cincturatorum certum est. *Confraternitas Rosarii* primam Indulgentiam obtinuit anno 1478. *Sixtus IV.* in Bulla *Pastoris* sic ait: *Cum, sicut accepimus, in Ecclesia Ord. Præd. Coloniensi sit quædam Fraternitas, de Rosario nuncupata, instituta, Nos Confratribus septem annorum Indulgentiam concedimus. Datum* 1478. *Confraternitas Cincturatorum* ante annum 1391. nondum erat in aliis Ecclesiis, quam sola Bononiensi S. Jacobi introducta; adeoque ejus Indulgentiæ, qualescunque demum fuerint, non poterant obtineri ab omni conditione hominum, & omni natione. In *Confraternitate Scapularis* ex Summario Clementis X. unicam reperio Indulgentiam plenariam ante annum 1391. ab Honorio III. & Nicolao IV. concessam. Sed non additur cuinam, aut quibus conditionibus, an fortè in articulo mortis, concessa sit; ut proin in hac re saltem nulla proferri possit, quæ contineat ullam plenariam Indulgentiam ulli Confraternitati concessam. *Nec obstat*, quod Bulla Clementis X. assignet eam plenariam indulgentiam, & multas alias Confraternitati Cincturatorum, & Scapularis, quia Clemens X. has Confraternitatibus assignare voluit omnes indulgentias Ordini Carmelitarum, aut ejus Missionarus, aut *individuis*, aut *particularibus locis* imo etiam aliis Confraternitatibus, Ordinibus, personis, vel locis, cum quibus *participant* quomodocunque olim concessas; ut proin ex Summario Indulgentiarum *Clementis X.* non liceat inferre, eas indulgentias, quæ in eo continentur, Confraternitati, aut toti Ordini olim concessas esse. Revera, hanc fuisse intentionem Clementis X. quam Confraternitati Cincturatorum contulit. In ea sic habetur: *Præmittendum* 1. *Confratres uti posse indulgentiis toti Ordini Eremitarum S. Augustini concessis. Præmittendum* 2. *Leo X. omnes Indulgentias locis & personis dicti Ordinis in specie concessas extendit ad totum Ordinem. Præmittendum* 3. *quod Gregorius XIII. velit Confratribus omnes Indulgentias suffragari, quæ prius Confraternitati etiam per participationem Indulgentiarum cujusvis Religionis concessæ sunt.* Itaque, usque dum proferatur aliqua Bulla ipsi Confraternitati ante annum 1391. concessa, rectè negamus, extitisse ullam Indulgentiam pro ulla Confraternitate plenariam, maxime, cum aote Sæculum XV. nulla prorsus proferri possint vestigia ullius Confraternitatis, ut nunc solet, in tota Germania.

NONUM GENUS Indulgentiarum faciunt eæ, quæ Monasteriis, & Ecclesiis particularibus concessæ sunt. Sed eæ ante annum 1391. ferè in toto orbe erant modicæ, nulla reperietur plenaria, etiamsi excutiantur omnia Archiva omnium Monasteriorum & Ecclesiarum totius Germaniæ, Galliæ,

Galliæ, Hispaniæ, Italiæ &c. Hujus rei argumentum prabent Annales plurium Monasteriorum, in quibus, licet Indulgentiæ diligenter omnes recenseantur, nulla tamen uspiam reperitur plenaria. Sic v. g. Trithemius in Chronico Monasterii Sponbeim recenset indulgentias, nullas tamen alias, quam unam 40. dierum Romæ anno 1300. à tredecim Episcopis suo Monasterio concessam, & aliam itidem 40. dierum concessam anno 1338. *Christianus Schlöpken* in *Chronico Ecclesiæ Baderwik* recenset indulgentiam 40. dierum concessam 1297. & aliam 10. dierum concessam 1236. Item aliam 40. dierum concessam 1311. 1386. & 1392. in Chronico nostræ Canoniæ Pollinganæ, & in *Archivio nostro* extant litteræ Indulgentiarum 1. 40. dierum anno 1263. 2. 40. dierum 1268. 1281. 3. 140. dierum 1283. 4. 40. dierum 1284. 1288. 5. 10. Carenarum 1289. 6. 40. dierum 1298. & 1300. Aliam verò Indulgentiam ante annum 1391. licet Antecessores nostri Romæ sæpius pro Indulgentiis misso uno e suis Religiosis Romam vigilaverint, non obtinuerunt. Possem innumeras similes indulgentias proferre concessas variis Ecclesiis in Gallia, Italia, Germania, quæ tamen numerum dierum 40. aut 80. aut 100. aut 140. non excedunt.

Decimum ergo et ultimum genus Indulgentiarum omnium constituunt Indulgentiæ plenariæ particularibus personis & locis concessæ, quæ ante annum 1391. in digitis facilè numerari possunt, & sunt sequentes. 1. Indulgentia plenaria in Dedicatione Ecclesiæ Massiliensis anno 1040. & in Dedicatione Ecclesiæ Cassinensis anno 1065. facta à Summo Pontifice. Quæ tamen indulgentia non extendebatur ad Anniversarium Dedicationis. 2. Indulgentiæ Cruciatæ, de quibus egimus. 3. Indulgentia Jubilæi anno 1300. & 1350. sed Romæ tantùm. 4. Indulgentia Portiunculæ primo & secundo Augusti, data 1221. Sed pro Assiensi Ecclesia tantùm. 5. Indulgentia plenaria annua in Ecclesia Montis Alverniæ in Festo Stigmatum S. Francisci, data 1299. 6. Indulgentia plenaria annua initio Pontificatus concessa à Cœlestino V. & in perpetuum indulta Ecclesiæ Mauronensi. 7. Indulgentia plenaria concessa Missionariis Ordinis Prædicatorum & Fratrum Minorum ab Alexandro IV. 1256. 1260. & à Clemente V. 1310. & à Joanne XXII. 1330. 8. *Indulgentia*, quantùm videtur, plenaria concessa quibusdam Principibus, ut concessa Rogerio Comiti, ac Regi Siciliæ ab Urbano II. anno 1091. Item, Indulgentia centum annorum concessa Blancæ, filiæ S. Ludovici, à Clemente V. anno 1307. Item, Indulgentia plenaria concessa S. Petro Pareotio ab Innocentio III. annò 1200. cui Papa dixit: *Fili, Nos ab omnibus te absolvimus vinculis peccatorum, si per manus Hæreticorum fueris interfectus.* 9. Indulgentia plenaria concessa peste morientibus in Anglia 1344. & 1371.

Hæ sunt omnes Indulgentiæ plenariæ, & particulares, quas hactenus in Authoribus ante annum 1319. reperire potui. Et plenarias quidem quilibet videt fuisse paucas, ita, ut ne una quidem pro mille, quæ nunc sunt, respondeat, neque eas sic comparatas fuisse, ut ab omni ætate, sexu, natione, ac conditione hominum obtineri potuerint. Necesse ergò fuit à tempore Apostolorum usque ad annum 1391. infinitam fidelium multitudinem plenariis Indulgentiis destitutam debuisse aut subire terribiles cruciatus purgatorii, aut adhibere studium satisfaciendi Deo. Nulla ratione credibile videtur, Ecclesiam unquam tam grave onus fidelibus fuisse imposituram, si ipsi liberum fuisset, concessione liberaliori Indulgentiarum plenariarum obligationem satisfaciendi prorsus exterminare.

Probatur 3. A Sæculo XI., quo moderna Indulgentiarum forma introducta est, Summi Pontificea & Concilia sæpissimè protestati sunt, se nolle per Indulgentias tollere obligationem satisfaciendi privatim pro suis peccatis; ergo eadem etiam est mens omnium aliorum Pontificum, qui Indulgentias concesserunt. *Cons patet*; quia omnes alii Pontifices censentur velle dare Indulgentias *in forma Ecclesiæ consueta*, & juxta mentem ac sensum Ecclesiæ alias jam sufficienter explicatum. *Ant. demonstratur* ab Inductione.

1. *Ab anno* 1000. *usque ad annum* 1391. Summi Pontifices nullam omnino concesserunt Indulgentiam plenariam, nisi pro operibus difficillimis, videlicet pro suscepta militia Sacra, pro peregrinatione Romana, aut Assiana, &c. ut priori argumento ostensum est.

2. *Concilium Salegunstadiense* Anno 1022. cap. 18. expressè statuit, ut ii, qui Romam ire volunt ad obtinendam à Summo Pontifice plenam Indulgentiam, *prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant.*

3. *Alexander II.* Imponit anno 1065. alicui homicidæ 28. annorum pœnitentiam, nec permittit, ut illi aliquid de rigore jejuniorum relaxetur, nisi postquam tribus annis in ea pœnitentia perstiterit.

4. *Gregorius VII.* Anno 1073. Lincolniensi Episcopo largitur *indulgentiam* inquiens: *Absolutionem tibi mittere duximus, si tamen bonis operibus inhærendo commissos excessus plangendo, quantùm valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Addit Baronius: *ut apparet, Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, benè operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.*

5. *Idem.* Anno 1074. Belluacensibus scribit: *Quoniam detestanda perpetrastis, indultam absolutionem vobis destinavimus, &, si pœnitentiam adhuc non fecistis, Episcopi vestri salubri Consilio sine mora suscipiatis.*

6. *Idem.* Anno 1077. ait: *Senensis Episcopus Excommunicationis laqueum incurrit, nunc absolvi postulat; quod minimè faciendum esse judicavimus, nisi prius pro reatus sui pœnitentia aliquo tempore humiliatum fore cognosceremus.*

7. *Leo IX.* Anno 1050. concessit S. Eduardo Regi Angliæ Indulgentiam plenariam, *obligavit tamen eundem, ut in remissionem peccatorum construeret Monasterium.*

8. *Urbanus II.* Anno 1094. concedit Indulgentiam plenariam Crucesignatis; vult tamen, ut illud *iter* & *onus peregrinationis*, sine dubio difficillimum, pro pœnitentia suscipiant.

9. *Gelasius II.* Anno 1118. dat plenariam Indulgentiam Crucesignatis; *quoniam*, ait, *vos ipsos, & vestra extremis periculis objecistis.*

10. *Innocentius III.* Anno 1200. cuidam pœnitenti Romipetæ injungit, ut per undecim annos sexta feria jejunet in pane & aqua; nec permittit relaxationem, & temperamentum, nisi in æstate. Idem alteri cuidam pœnitenti Romipetæ injungit, ut tota sua vita carnibus abstineat, & singulis sextis feriis in pane & aqua jejunet; & solùm dat ipsi spem obtinendæ misericordiæ, si expleto in pœnitentia triennio Romam reverteretur.

11. *Concilium Lateranense.* Anno 1216. expressè cavet, ne per Indulgentias pœnitentialis satisfactio enervetur; adeoque nunquam fuit Ecclesiæ mens, obligationem satisfaciendi tollere. Cap. 62. sic habet: *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut indulgentia non extendatur ultra annum. &c.*

12. *Concilium Ravennatense* vult, ut in conferendis indulgentiis cum lenitate misceatur severitas; hoc autem non fieret, si in indulgentiis plenariis nulla prorsus requireretur obligatio satisfaciendi. Concilium hoc 1317. c. 20. sic ait: *Cùm jure contineatur, quòd Episcopi non possint concedere Indulgentiam ultra numerum* 40. *dierum, limitamus ad numerum* 40. *dierum, ad hoc diligenter considerantes, quod, qui aliis præsunt, lenitatem cum severitate miscere debent.*

13. *Bonifacius VIII.* Anno 1300. in Bulla Jubilæi dicit, eosdem indulgentiam plenariam amplius assecutures, qui *Basilicas Romanas amplius & devotius visitaverint.* Ergo supponit, eos non omnem plenitudinem indulgentiæ obtenturos, qui præcise ea opera præstant, quæ præscripta sunt. Adeoque requiritur majus studium satisfaciendi per pia opera, ad plenitudinem indulgentiæ obtinendam.

14. *Bonifacius IX.* Anno 1392. vehementer invehitur in eos Concionatores, & Quæstuarios indulgentiarum, qui pro levibus operibus indulgentias plenarias spondent. In Epistola ad Episcopum Ferrar. sic ait: *Indulgentiam* (plenariam) *quibusdam elargiri pro nihilo ducunt, & quasi hominibus perpetuam felicitatem in hoc sæculo polliceri conentur, & æternam gloriam in futuro &c.*

15. *Concilium Constantiense* vult, ut per frequentes indulgentias non præbeatur *incentivum delinquendi*, ac propterea statuit, ut indulgentiæ non nisi *ex maxima causa* concedantur; huic autem intentioni Concilii non satisfaceret moderna Ecclesia, si concedendo tam frequentes indulgentias, & ex causis levissimis non obligaret tacite lucrantem indulgentias, & studeat satisfacere pro peccatis. Concilium tit. 10. de Reform. sic habet: *Quia tempore schismatis multæ Indulgentiæ sunt concessæ in Ecclesiastici status ridiculum, quibus velut ex facilitate veniæ incentivum præbetur delinquendi, idcirco eas revocat &c.* Et in Concordatis Nationis Germanicæ art. 17. ibidem dicitur: *Videtur, quòd indulgentiæ exorbitantes concessæ tempore schismatis continentes remissionem omnium peccatorum sint penitus revocandæ; quodque deinceps non nisi ex maxima causa concedantur.* Celebratum est anno 1417.

16. *Concilium Basileense.* Anno 1436. concessit plenariam indulgentiam, attamen imposuit obligationem jejunandi feriis sextis per integrum annum. Est quidem hoc Concilium non approbatum à Sede Apostolica, habet tamen vim repræsentandi sensum ac mentem Theologorum tunc temporis præcipuorum in Germania, Polonia, & Gallia.

17. Quando 1450. prima vice indultum est à Sede Apostolica, ut liceat Indulgentiam Jubilæi lucrari in quibusdam Ecclesiis Germaniæ, additæ tamen sunt tres satis difficiles conditiones. Ii enim, qui tale Jubilæum lucrari volebant, debuerunt 1. Dimidium pecuniæ, quod probabiliter expendissent per iter Romanum, expendere ad causam piam ab Episcopo designatam. 2. Debuerunt per septem hebdomadas feria 2. 4. & 6. jejunare, hisque diebus recitare 30. Pater, & Ave. Quid opus tanto rigore, si dependet à voluntate Ecclesiæ liberare à tanto onere? Bulla Nicolai V. *Inter cunctas*, sic habet: *Singulis utriusque sexus fidelibus, - - - contritis & confessis, & qui pœnitentiam, quam hic inserimus, devotè in anno primo post Jubilæum impleverint, aut saltem in eo anno incœperint, & continuaverint, omnium suorum peccaminum plenissimam remissionem misericorditer impartimur. Pœnitentia vero, quam quisque pro assecutione hujusmodi plenissimæ remissionis cum omni charitate & devotione facere debet, hæc est, ut scilicet omnis persona utriusque sexus per septem ferias secundas, & septem quartas à carnibus, & septem ferias sextas à lacticiniis abstineat, & illis sextis feriis jejunet, & per eos viginti unum dies omni mane cathedralem aut matricem suam Ecclesiam adeat, Ecclesiam ter circumeat, & pro fidelibus defunctis decem Pater noster & totidem Ave Maria, in Ecclesia vero triginta & totidem Ave Maria dicat, ac Missam audiat, si reperiatur; de sero vero iterum Ecclesiam frequentet, semel circumeundo eandem, & quinque Pater noster & totidem Ave Maria pro defunctis dicat, in Ecclesia vero dicat quindecim & totidem Ave Maria. Hanc pœnitentiam etiam Sæculares Sacerdotes faciant, & totidem, videlicet viginti unam, Missas legere teneantur. Ultra hanc pœnitentiam volumus, quod quisque ex omnibus ad reparationem Ecclesiarum & piorum operum suffragium medium partem illius Summæ pecuniarum contribuat, quam ipse eundo, stando, & redeundo verisimiliter expendisset, si in propria persona ad limina SS. Apostolorum pro gratia tantæ remissionis assequenda accessisset &c.* Hæc Bulla Nicolai V. data est ad instantiam Episcopi Augustani pro ejus Diœcesanis, prout Pontifex in ea Bulla contestatur.

18. *Nicolaus de Cusa, Cardinalis* Apostolicæ Sedis Legatus per Germaniam 1451. in Synodo Provinciali Belgii declaravit, tantum *idcirco dari indulgentias, ut Ecclesia de Thesauro Ecclesiæ suppleat, quod homo pro digna satisfactione sentit sibi deesse, quia multis obnoxius criminibus dignam agere pœnitentiam vix posset, eo quod pro uno peccato mortali jam septennis pœnitentia agi deberet.*

19. *Paulus II.* In Bulla Jubilæi 1475. expresse docet, cum indulgentiis adhibenda esse alia

alia opera expiatoria, si velimus introire beatitudinem. *Attendant*, inquit, *fideles, & ponderent peccatorum suorum sarcinam, &, ut mortis æternæ ac damnationis detrimenta evitent, his atque aliis meritoriis operibus peccata sua omni ex parte studeant expiare, ut saltem per hæc media, atque remissionum & indulgentiarum largitionem hujusmodi, ac Sanctorum meritis & intercessionibus adjuti ad æternam mereantur beatitudinem pervenire.*

20. *Alexander VI.* In declaratione Jubilæi 1500. expresse requirit opera pœnitentiæ, etiam non præscripta, ut fideles eam Indulgentiam promereri valeant. Sic ait: *Præparent ergo omnes fideles corda sua Domino, & mores in melius commutare conentur, à malefactis abstineant, satisfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis spiritum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, & peregrinationibus, ut Ecclesias prædictas devotè visitantes, verè pœnitentes & confessi Apostolos, & Sanctos Intercessores, & plenissimam indulgentiam eorundem precibus consequi mereantur.*

21. *Concilium Tridentinum* absolute vult, ut pœnitentialis satisfactio non enervetur; ergo, si hunc finem non obtinet parsimonia Indulgentiarum, quam optavit, vult saltem, ut remaneat obligatio, privatim satisfaciendi pro suis peccatis. Sess. 25. 1563. sic ait: *SS. Synodus in indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* Ad hanc à Concilo concupitam moderationem, quod jam ante Concilium anno 1538. sub Paulo III. Congregatio Cardinalium specialiter delecta in articulis pro emendanda Ecclesia collectis proposuerat his verbis: *Nec Indulgentiæ dandæ essent, nisi semel in anno in unaquaque insignium civitatum.* fol. penult.

22. *Varii Summi Pontifices* in suis Bullis Indulgentiarum hortantur fideles, ut *redimant sua peccata operibus pœnitentiæ, ut his placent iram Numinis, ut iisdem promereantur divinam clementiam*; hoc autem verum non esset, si opera pœnitentiæ in ordine ad Indulgentias tantum essent conditio, qua posita per Indulgentiam totaliter redimerentur peccata. *Clemens VIII.* 1599. in Bulla ait: *Revertimini ad Dominum in toto corde, in jejunio, & fletu, & planctu, ite ad Matrem Gratiarum, ite ad Principes Apostolorum, plorate coram Domino, & preces cum lachrymis fundite, ut per merita & intercessionem Sanctorum veniam atque indulgentiam impetremus.* *Urbanus VIII.* 1628. in Bulla ait: *Thronum gratiæ adeuntes, peccata, jejunio, fletu, orationibus, & eleemosynis redimamus.* *Innocentius XI.* in Bulla 1681. ait: *Adeamus thronum gratiæ, scindamus corda nostra, & expiatis per veram pœnitentiam peccatis divinam indignationem placare, jejuniisque, & eleemosynis vires orationis intendere studeamus.* *Alexander VIII.* in Bulla 1689. ait: *Adeamus mente contriti ad thronum gratiæ, dolentes per veram pœnitentiam veniam petamus, instemus obsecrationibus die ac nocte, sanctificemus jejunia, eleemosynas in sinu pauperum abscondamus, aliisque pietatis operibus divinam clementiam conciliemus.* *Clemens XI.* in Bulla 1706. ait: *Adeamus ad thronum gratiæ; obsecrationibus, jejuniis; eleemosynis divinam iram placare studeamus.* En! Summi Pontifices in ipsis Indulgentiarum Bullis nos adhortantur ad opera pœnitentiæ, etiam non præscripta in Bulla, idque eo fine, ut redimamus nostra peccata.

23. In omnibus Bullis Pontificiis Indulgentiarum Summi Pontifices tantum concedunt Indulgentias *vere pœnitentibus*; sed hoc nihil aliud est, quam, habentibus propositum congruè satisfaciendi Deo: ergo. *Min. prob.* Hunc terminum sic explicant duo Emin. Cardinales, videlicet *Cajetanus*, qui in causa Indulgentiarum fuit constitutus à Leone Pontifice Legatus in Germaniam, ut Luthero Augustæ ad se vocato aperiret genuinum sensum Ecclesiæ; & Cardinalis *Denoff*, prior Tract. sic habet: *Confirmatur ex antiqua forma Indulgentiæ, cum dicitur, verè pœnitentibus; hoc modo pœnitens non est, nisi Solicitus ad satisfaciendum per seipsum.* Alter vero in sua Pastorali dicit: *Ea mens Ecclesiæ manifestatur in Bullis Pontificiis, in quibus Summi Pontifices exprimunt, se indulgentias elargiri verè pœnitentibus, quæ clausula sinceram omnium peccatorum detestationem, & voluntatem congruè satisfaciendi Deo importat.*

24. *Gregorius XIII.* Anno 1576. suæ Bullæ Jubilæi in Belgium, & ab eo tempore reliqui Pontifices usque ad nostra tempora addiderunt hanc clausulam: *Injuncta tamen pro modo culpæ pœnitentia salutari*, tali utique pœnitentia, qualem præscribit Tridentinum, quæ videlicet non tantum sit in medicinam ac novæ vitæ custodiam, sed etiam in vindictam peccati præteriti. Si ergo ea pœnitentia commensurata esse debet pro modo culpæ, non censeri debet Ecclesia per Indulgentias hanc obligationem remittere, etiamsi Confessarius sive ex imperitia, sive ex discretione proportionatam pœnitentiam non injungat.

25. *Innocentius XII.* In Declaratione Jubilæi 1700. instantis jam anno 1689. edidit Declarationem, in qua expresse hanc mentem Ecclesiæ declarat. Verba ejus sunt sequentia ex ore Cardinalium, quos ad specialem Congregationem ea de re instituendam deputavit: *Proponatur fidelibus utilitas, quam ex magna hac Indulgentia consequuntur; qualiter videlicet illius virtute ac operatione remittantur illæ pœnæ, quas homo divinæ justitiæ debet, modo divinæ gratiæ condigna satisfactione cooperetur; doceatur ergo populus, quod, licet per Sacramentum pœnitentiæ culpa & æterna pœna remittatur, nihilominus post remissionem delictorum debitam temporalis pœnæ, adeoque grave onus satisfactionis remaneat, quod copiosis eleemosynis, rigorosis jejuniis, & longis ac difficilibus operibus pœnitentiæ, ut tempore veterum ferventiorum Christianorum factum esse liquet ex Canonibus pœnitentialibus, aut horrendis purgatorii pœnis solvi deberet; cum vero talia sufferre humanæ infirmitati nimis grave foret, ideo Vicarius Christi tales satisfactiones per Indulgentias minuit.* Hucusque Declaratio Summi Pontificis recens, cui, quid addi possit, aut debeat ad confirmandam clarius Sententiam nostram, non video.

PROBATUR 4. Sancti Patres & tota antiqua Ecclesia agnovit, Christum noluisse, applicari ab Ecclesia fructum suæ Passionis peccatoribus post baptismum relapsis sine propria eorum satisfactione. Ergo Ecclesia non habet potesta-

tem per Indulgentias sic applicandi fructum Passionis Dominicæ, ut tollatur obligatio satisfaciendi. *Ant. prob.* ex multis Patrum textibus, in quibus apertè testantur, ea *conditione* & eo *pacto* condonari à Deo pœnam inferni, ut homo Deo satisfaciat operibus pœnitentiæ, ita ut vere operibus pœnitentiæ, tanquam impletione conditionis promissæ & pacti solutione, irrescindibiliter & irrevocabiliter æternæ pœnæ redimantur. Si enim homo conditionem indultæ veniæ & pactum per contemptum interpretativum non impleat, reddit aut contrahitur certè de novo qualificatus reatus inferni. Itaque Ecclesia non habet potestatem, generatim sine obligatione ad congruam satisfactionem condonandi reatum culpæ per absolutionem, aut reatum pœnæ satisfactoriæ aut vindicativæ per Indulgentiam plenariam. Textus Patrum sunt isti:

1. *S. Justinus M.* Anno 160. in Dial. cum Tryph. ait: Hic, qui peccatorum pœniteotiam „egerit, accipiet à Deo remissionem peccatorum, „non tamen ita, sicut vos seducitis vosmetipsos, „& alii itidem vestri hac in re persimiles, qui di„cunt, etiamsi peccatores sint, non imputatu„rum esse Dominum illis peccatum, ut modo „Deum agnoscant. Hujus rei unum testimo„nium habemus Davidis, qui ei propter gloria„tionem accidit, lapsum, cujus peccatum tum „demum remissum est, cum ita ploravit & la„mentatus est, sicut de eo scriptum est. Verum „enim vero, si viro tanto non est prius noxa „dimissa, quam pœnitentiam egit, & tum de„mum, cum tantopere flevit, & res tantas fe„cit, magnus iste Rex, & Unctus & Propheta, „quam tandem impuri isti, & nullius mentis, „comploratique adeo homines, nisi lamentati „fuerint, planxerint, & Pœnitentiam egerint, „spem habere possunt, non imputatum illis iri „Dominum peccatum?

2. *Tertullianus* de Pœn. c. 6. anno 200. ait: „Quam porro inceptum, quam pœnitentiam non „adimplere, & veniam delictorum sustinere? „Hoc est, pretium non exhibere, ad mercem „manum emittere: Hoc enim pretio Dominus „veniam addicere instituit; hac Pœnitentiæ com„pensatione redimendam proponit impunitatem. „*Et c.* 9. Satisfactio confessione disponitur, con„fessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus „mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi „& humiliandi hominis est disciplina, cooversa„tionem injungens misericordiæ illicem; mandat „sacco & cineri incubare, animum mœroribus „dejicere, jejuniis preces alere, ingemiscere, „lachrymari, ut æterna supplicia expungat.

3. *Origenes* anno 240. Hom. 15. in Levit. ait: „Pietas Legislatoris succurrit, ut peccati „debitum intra certum tempus redimi possit. „Quale pretium? Pœnitentiæ sine dubio lachry„mis congregatum, & manibus, id est, labore „boni operis inventum.

4. *S. Cyprianus* Anno 250. Serm. ad Lapsos ait: „Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac „lamentantis animi probate mœstitiam. Putasne „tu, Dominum cito posse placari, quem verbis „perfidis abnuisti? Putasne, eum facile misereri „tui, quem tuum non esse dixisti? Orare opor„tet impensius, diem luctu transigere, vigiliis „noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachry„mosis lamentationibus occupare, stratos solo „adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volu„tari; justis operibus incumbere, quibus pec„cata purgantur; eleemosynis frequenter insi„stere, quibus à morte animæ liberaotur, pœni„tenti, operanti, roganti potest clementer igno„scere; potest in acceptum referre, quidquid „pro talibus & petierint Martyres, & fecerint „Sacerdotes.

5. *Lactantius* Anno 320. l. 4. Instit. c. 7. ait: „Volens Deus saluti nostræ consulere, pœni„tentiam proposuit, ut si peccata nostra con„fessi fatis Deo fecerimus, veniam consequamur. „*Et l.* 6. *c.* 24. Poterit homo reduci ac liberari, „si eum pœniteat actorum, & ad meliora con„versus satisfaciat Deo.

6. *S. Hilarius* Anno 350. in Ps. 118. ait: „Hæc pœnitentiæ vox est, lachrymis ingemisce„re; hæc venia est peccati.

7. *Lucifer Calarit.* Anno 370. de Regibus apostat. ait: „Deus vult te tandem à malis emer„gere per pœnitentiam, per veram satisfactio„nem.

8. *S. Ambrosius* Anno 370. Ep. 82. ad Ecclesiam Verceil. ait: „Quæ nobis salus esse potest, „nisi jejunio eluerimus peccata nostra? *Et l.* 1. „*de Pœn. c.* 16. Volo, veniam reus speret, pe„tat eam lachrymis, petat gemitibus. *L.* 2. *c.* 5. „Qui agit pœnitentiam, non solum diluere de„bet lachrymis peccatum suum, sed etiam emen„datioribus factis operire, & tegere delicta su„periora, ut ei non imputetur peccatum. *Idem* ad Virginem lapsam c. 8. ait: „Pœnitudo neces„saria est; sed quanta putas? aut qualis neces„saria est pœnitentia? Quæ aut æquet crimi„na aut excedat. Nec aliud remedium consti„tutum est post baptismum, quam pœnitentiæ „solatium; quantumvis afflictionem, quantum„vis laborem, & indecorem subire esto conten„ta, dummodo ab æternis pœnis libereris. Lu„gubris tibi accipienda est vestis, defluant ocu„lis lachrymæ; totum corpus incuria macere„tur &c. Talis actio pœnitentiæ, si fuerit per„severans, audebit sperare, etsi non gloriam, „certè pœnæ vacuationem. Peccator ergo, si „sibi ipsi non pepercerit, à Deo illi parcitur, &, „si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc par„vo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æter„no judicio liberat.

9. *Pacianus* Anno 370. de Pœn. ait: „Rogo „vos, fratres, ne pudeat dejicere mœroribus „animum, sacco corpus involvere, cinere per„fundere, macerari jejunio, mœrore conficere; „in quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in „tantum vobis Deus parcet.

10. *S. Basilius* Anno 370. Hom. 3. ait: „Ma„gnum est & grave peccatum? Multa opus habes „confessione, lachrymis amarulentis, peracri „contentione vigiliarum, indivulso & conti„nenti jejunio. Levis est, nec intoleranda „offensio? Huicquoque exæquetur pœnitentia.

11. *S. Augustinus* Anno 400. Hom. ult. inter 50. c. 5. ait: „Non sufficit mores in melius com„mutare,

„ mutare, & à factis malis recedere, nisi etiam „ de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per „ contriti cordis Sacrificium, cooperantibus eleemosynis; non enim dictum est, ut tantum abstincatis à peccatis, sed & de præteritis, inquit, „ deprecare Dominum, ut tibi dimittantur. *Idem in Psalm* 44. Converte te ad punienda peccata „ tua, quia impunita esse non possunt; puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso. *Et in Psalm*. 50. Implora misericordiam, sed attende „ justitiam. Misericordia est, ut ignoscat peccanti; justitia est, ut puniat peccatum. Quid „ ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat David, respondeant lapsi & dicant: Non Domine, non erit „ impunitum peccatum meum. Sed ideo nolo, „ ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. *Enchir. c*. 70. *ait:* In melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impunè „ committere; nemini enim dedit laxamentum „ peccandi, quamvis miserando deleat jam facta „ peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

12. *S. Chrysostomus* Anno 400. Serm. de Confess. ait: „ Curet pœnitentia, quod delictorum „ macula sordidaverat, serpentinum virus satisfactionis antidoto recuretur, ut Dominum, quem „ nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia digna placatum." *Et Hom*. 2. *de lapsu primi hom. ait:* „ Ostendit Dominus, quibus officiis possint delicta purgari; ostendit confessione & deformitate cultus veniam posse facillime „ impetrari.

13. *Innocentius I*. Anno 406. Ep. 1. c. 7. ait: „ De pondere æstimando delictorum Sacerdotis „ est judicare, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.

14. *Sulpitius Severus* de Virt. B. Mart. anno 410. ait: „ Fornicatio deputatur ad pœnam, nisi „ satisfactione purgetur.

15. *Sixtus III*. Anno 430. de malis Doct. ait: „ Siquis post Sanctum lavacrum fidem dereliquerit, jam non per solam fidem, ut ante „ baptismum, veniam sperat, sed fletu, planctu, „ abstinentia, jejunio, cilicio, & cinere, & omni „ genere lamentationis implorat. Sed unde hic „ humanis mentibus error obrepserit, ante omnia „ nosse debemus, qui fidem Christi non tam ad „ destruenda, quàm ad protegenda censeat peccata venisse. Proteguntur enim plurimùm, „ cùm securitatis solatio nutriuntur: Maxima „ enim securitas est, ut per fidem suffragium aut „ parvo supplicio, aut nullo expianda credantur, „ quæ ante gratiæ tempus severius vindicabantur. Quod si ita est, nescio, quomodo Christus Dominus non venerit solvere legem, sed „ adimplere, si per ejus crudelitatem disciplina „ non aucta est, sed minuta. Timoris autem „ causa sublata est, si pœna dimota est; dimota „ vero est, si absque ulla pœnitenti satisfactione „ sub aliquo impunitatis fine conclusa est. Ita Sixtus. Bellarminus quidem putat, hoc opus esse Authoris alicujus Pelagiani. Utut tamen sit, in hoc minimè attingit Pelagianismum. Aptus ergo est Author, repræsentare sensum communem veteris Ecclesiæ, a qua etiam hæretici nisi in punctis controversis non recesserunt.

16. *Joannes Cassianus* Anno 430. Collat. 23. c. 15. ait: „ Quisquis post baptismum in illud „ corpus mortis irruerit, sciat se non quotidiana „ gratia Dei, id est, facili remissione, quam momentis singulis Dominus noster exoratus erroribus nostris donare consuevit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis ac pœnali dolore purgandum, aut certè pro his in futurum æterni „ ignis suppliciis addicendum.

17. *Isidorus Pelusiota* anno 440. l. 3. Ep. 295. ait: „ Si ante præstitum diem Deo per res ipsas „ satisfecerimus, in judicio misericordiam consequemur.

18. *Theodoretus* anno 440. in Epitome ait: „ Sunt medicabilia, quæ post baptismum fiunt „ vulnera; medicabilia autem non per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, „ & fletus, & luctus, & jejunium, & orationem, „ & laborem facti peccati quantitati commoderatum.

19. *S. Leo* anno 440. Epist. 91. c. 2. ait: „ Cristus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ „ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem admitterent.

20. *Petrus Chrysologus* anno 440. Serm. 167. ait: „ S. Joannes habebat vestimentum de pilis „ camelorum, ut, qui à recti detorserant disciplina, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, „ addicerentur duris satisfactionis angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent, ut attenuati in modum acus per angustum pœnitentiæ „ foramen amplæ remissionis intrarent.

21. *Eucherius* anno 450. Hom. 5. ait: „ Non „ putemus tam facilè remitti posse inusta semel „ crimina. Multo opus est fletu, multo gemitu, „ multo dolore; tota incumbendum est spiritus „ contritione. Non sufficit dicere summis labiis; „ Peccavi, parce, remitte. Et Saul dixit: Peccavi; sed non obtinuit illam veniam, quam „ David. Et hoc quare? Quia confessionem „ illam nuda magis verba, quàm veri gemitus „ exprimebant: quia non compensabat magnitudinem criminis lenta humiliatio supplicantis. „ Non levi agendum est contritione, ut debita „ illa redimantur, quibus mors æterna debetur; „ nec transituria opus est satisfactione pro malis „ illis, propter quæ paratus est ignis æternus.

22. *Cæsareus Arelatensis* anno 470. Hom. 1. in Quadrag. ait: „ Perduræ crucis exercitio deceptæ „ dudum carnis gaudia puniuntur, & sic mortificatione præsenti futura mortis sententia prævenitur, & dum culpæ author humiliatur, culpa consumitur; dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi Judicii „ offensa sedatur, & ingentia debita solvit labor „ exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor „ æternus. Hæc & hujusmodi commissa expiari „ precibus communi & mediocri, licet secreta, „ satisfactione non possunt, sed graves causæ „ graviores & acriores & publicas curas requirunt. „ Et Hom. de verbis Apost. 1. Cor. 3. ait: „ Istis operibus minuta peccata quotidie re„dimun-

„ diminuntur. Pro capitalibus vero criminibus „ non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata „ & prostrata longo tempore jejunia, largiores „ eleemosynæ, &c.

23. *Gennadius Massil.* anno 480. de Ecclef. dogm. c. 53. ait: „ Quem mortalia crimina post „ baptismum commissa premunt, hortor, publica „ pœnitentia satisfacere. Sed & secreta satisfa„ ctione solvi mortalia crimina non negamus, sed „ mutato prius sæculari habitu, & confesso Re„ ligionis studio per vitæ correctionem, & jugi, „ imo perpetuo luctu.

24. *S. Gregorius M.* anno 590. lib. 9. Mor. c. 17. ait: „ Delinquenti Dominus nequaquam „ parcit, quia delictum sine ultione non deserit; „ aut etiam ipse hoc homo in se pœnitens punit, „ aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. „ Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nul„ latenus sine vindicta laxatur. Bene ergo dici„ tur: *Sciens, quod non parceres delinquenti*; quia „ delicta nostra sive per nos, sive per semetipsum „ resecat, etiam cùm relaxat: Ab electis enim „ suis Iniquitatum maculas studet temporali affli„ ctione tergere, quas in eis in perpetuum non „ vult vindicare.

25. *Isidorus Hispal.* anno 620. de summo Bono l. 2. c. 13. ait: „ Quamvis per pœnitentiam „ propitiatio peccatorum fit, sine metu tamen „ homo esse non debet; quia pœnitentis satisfa„ ctio divino tantùm pensatur judicio, non hu„ mano; proinde quia miseratio Dei occulta est, „ sine intermissione flere necesse est. *Et l. 6. „ Etymol. c. 19.* Pœnitentia appellata est quasi „ punientia, eoquod ipse homo in se puniat pœ„ nitendo, quod malè admisit; nam nihil aliud „ agunt, quos *verè pœnitet*, nisi ut id, quod malè „ fecerunt, impunitum esse non sinant; eo quip„ pe modo sibi non parcentibus ille parcit, cujus „ altum justumque judicium nullus contemptor „ evadet.

26. *Eucherius Gallus.* in l. 4. Reg. c. 5. ait: „ Per panem subcinericium, quem verus Elias „ Dominus noster præcipit exhibere, quid aliud „ accipiendum est, nisi pœnitentiam satisfactio.

27. *Eligius* anno 640. Hom. 4. in Cœn: ait: „ Qui peccando factus est ei inimicus, nisi satis„ faciendo non potest ei reconciliari, ut fiat „ amicus. *Et hom.* 11. Pœnitentia satisfactionem „ ostentat, satisfactio sibi veniam divina pietate „ conciliat. Nec enim poterit indulgentia tri„ bui, nisi ita Dei possit confessione (id est pub„ lica pœnitentia) placari.

28. *Beda.* anno 700. Expos. alleg. in Esdram l. 2. c. 8. ait: „ Multi laboris est, eum, qui ac„ cepta fidei Sacramenta peccando contemnit, „ pristinam recipere dignitatem; quia non huic „ facile emundatio per aquam baptismi denuo dari „ potest, sed scelus longo pœnitentiæ labore, „ largis lachrymarum fluentis, districtiori conti„ nentiæ sudore eluendum est.

29. *Alcuinus* anno 650. de divin. Offic. c. 13. ait: „ *Qui veram pœnitentiam faciunt*, agant in je„ junio & fletu, in eleemosynis, & orationibus. „ *Et in Psalm* 118. *ad illud*; Exitus aquarum de„ duxerunt oculi mei, *ait*: Veram semper egit „ *pœnitentiam* hic spiritus, & non cessavit influen„ tis lachrymarum antiqua delicta diluere, ut tu „ intelligas, nisi veram pœnitentiam egeris, tibi „ facile non dimitti, quæ gesseris. Vera est „ enim pœnitentia, jugiter fletibus commissa di„ luere, & abluta non iterare.

30. *Anastasius Nicænus.* anno 860. Quæst. 76. ait: „ Etiamsi sit Sanctus is, qui condonat, „ nisi & is, qui peccavit, apud Deum purè & „ sincerè pœnitentiam egerit, non ei remittetur; „ etenim cùm Maria Moysen maledicto appetiis„ set, Moyses quidem condonavit, quam sepa„ rata fuit extra castra septem diebus.

31. *Rodolphus Flav.* l. 3. in Lev. c. 3. ait: „ Non „ sufficit peccata deseruisse, nisi congrua satisfa„ ctione, quod iniquè perpetratum est, abo„ leatur.

32. *Smaragdus.* anno 970. in Diadem. c. 14. ait: „ Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum „ suum satisfactione legitima plangit. *Et c.* 29. „ Nequaquam Deus delinquenti parcit, quoniam „ peccatorum aut flagello temporali, ad purga„ tionem ferit, aut judicio æterno puniendum „ relinquit, aut ipse in se hoc pœnitendo punit, „ quod male gessit.

33. *Petrus Damianus* anno 1050. Serm. de S. Andrea ait: „ Ne tibi blandiaris, si graviter pec„ canti levior pœnitentia a mansueto vel dissimu„ lante dictatur, cùm in purgatoriis ignibus per„ ficiendum sit, quidquid hic minus feceris; quia „ dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.

34. *Michaël Psellus.* anno 1050. in Disput. ait: „ Quot afferemus lachrymas, ut fonti baptismi „ exequentur? Facilè concordari possunt, quæ „ ante baptismum peccata sunt; quæ autem post „ baptismum, multis lachrymis indigent, nec fa„ cile condonantur.

35. *S. Anselmus* anno 1080. ad c. 3. Matth. ait: „ Pœnitere est anteacta deflere, & deflenda „ non committere; agere pœnitentiam est post „ pœnitentiam satisfacere, jejunando, eleemo„ synas dando &c. *Et in* 1. *Cor.* 11. Peccata si„ ve parva sive magna impunita esse non possunt; „ quia aut homine puniente, aut Deo judicante „ plectuntur.

36. *S. Bruno* anno 1080. ad c. 12. Epist. ad Hebr. ait: „ Licet peccata dimittat Dominus, „ nulli tamen pœna remittitur, quin vel in hac „ vita, vel in futura solvatur, vel ab ipso homi„ ne spontanea voluntate, vel ab alio sibi infe„ rente.

En! per mille annos primitivæ Ecclesiæ sensus universalis fuit, Christum nolle applicari fructum suæ Passionis peccatoribus post baptismum relapsis, sine propria eorum satisfactione. Impossibile est, aliam nunc esse mentem Ecclesiæ, dum conferendo indulgentias fructum Passionis Dominicæ peccantibus elargitur.

PROBATUR 5. Ex variis Rationibus.

RATIO I. Si Christus fructum suæ Passionis vellet per Indulgentias plenarias quotidianas ubivis nunc obvias omnibus post baptismum relapsis plenariè ac totaliter applicare, dummodo detestentur sua peccata, & adimpleant conditiones

nes in Indulgentiis præscriptas, plerumque leviſſimas, ſequeretur, quod in materia circa ſatisfactionem practicè vix hilo diſtemus ab hæreticis. Hæretici enim dicunt; quod Chriſtus omnibus verè pœnitentibus contulerit Indulgentiam plenariam ſine ulla noſtra ſatisfactione. Nos autem diceremus: quod Pontifex omnibus verè pœnitentibus conferat indulgentiam plenariam, dummodo geſtent Numiſma à Papa benedictum, vel recitent ſaltem unum *Pater*; aut in articulo mortis ſaltem devotè pronuntient nomen Jeſu &c. Sed hoc eſt abſurdum.

RATIO II. Si neceſſitas ſatisfactionis congruæ extingueretur per indulgentias plenarias, tot & tantæ contentiones Theologorum cum Hæreticis tempore Tridentini fuiſſent fruſtraneæ & lepidæ quoad articulum de ſatisfactione. Vel enim eorum argumenta, ducta ex Scripturis & Traditione, fuiſſent infirma, utpote elidente omnem fere illorum textuum vim frequentia Indulgentiarum; vel potuiſſent Theologi potius ſedare animos hæreticorum, aſſeverando, doctrinam Eccleſiæ Catholicæ tantum procedere *ſpeculativè*, non *practicè*, eò quod in praxi tantum opus ſit geſtatione parvi Numiſmatis Papalis, aut recitatione unius *Pater*, aut pronuntiatione SS. Nominis Jeſu &c. Quæ omnia quam abſurda ſint, nemo non videt.

RATIO III. Si Eccleſia haberet poteſtatem, per indulgentias plenarias innumeras eximendi fideles ab onere congruè ſatisfaciendi, ſequeretur, quod Eccleſia per quatuordecim priora Sæcula hanc ſuam poteſtatem vel ignoraſſet, vel eam non exercendo fideles ſuos crudeliter tractaſſet, eosque ſine remedio, in theſauris ſuis recluſo, ad pœnas purgatorii dimiſiſſet, ſed hoc iterum eſt abſurdum, & cogitare impium. Ergo. *Maj. patet*, quia ex Hiſtoria Indulgentiarum conſtat; usque ad annum 1390. nullam fuiſſe conceſſam Indulgentiam plenariam pro omnibus fidelibus. Indulgentiam enim *Cruciatarum*, quæ cœperunt primum Sæculo undecimo, non poterant lucrari ſenes, nec infirmi, nec fœminæ, nec juniores, nondum militiæ apti, nec pauperes, qui ſuis impenſis non poterant militare, nec etiam uxorati, qui debebant alere uxorem & liberos. Jubilæa autem tantum cœperunt anno 1300. & ſolum Romæ. Aliæ autem Indulgentiæ plenariæ, quarum vix ſex in toto orbe numerari poterunt ante annum 1390. erant tantum locales, quæ vix à milleſimo obtineri poterant inter Chriſtianos.

RATIO IV. Scriptores Catholici Luthero & Hæreticis exprobrant, quod tollendo opera pœnalia ſatisfactoria introduxerint doctrinam blandam carni, & ſanguini. Si vero Eccleſia per Indulgentias plenarias eximit fideles ab obligatione ſatisfaciendi congruè, idem poterunt exprobrare hæretici Romanæ Eccleſiæ, ac dicere: ſi Romanus Pontifex tam generaliter poteſt eam obligationem tollere, veroſimile eſt, eam à Chriſto nunquam fuiſſe impoſitam.

RATIO V. Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 8. neceſſitatem ſatisfactionis probat ex intrinſeca inconvenientia rei, ſi Chriſtus poſt baptiſmum relapſis tam facile remitteret peccata ſine ſatisfactione congrua. In eandem vero inconvenientiam Eccleſia reincideret, ſi per indulgentias plenarias tam generaliter fideles eximeret ab onere congruæ ſatisfactionis.

RATIO VI. eſt *Cajetani Cardinalis* Tract. 10. de Indulg. quæſt. 1. his verbis: „Indignus amicabili „adjutorio eſt indignus aliena ſatisfactione; ſed „negligens ſatisfacere per ſeipſum indignus eſt „amicabili adjutorio, quoniam, ſi ego pro me „ipſo nolo ſatisfacere, non amice peterem ab „amico, ut me negligente ſatisfacere, ipſe pro „me pateretur: ergo. Nec obſtat, quod Chriſtus, & Sancti jam paſſi ſint; quoniam ſimilis „eſt ratio de paſſionibus præteritis & de futuris, „quia illis ſolis proſunt præteritæ, pro quibus „patiendum erat; & ideo, ſi pro hujusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, „nec poſtea, quod paſſi ſunt, illis amicorum pro- „ſunt paſſiones.

RATIO VII. quæ etiam eſt *Cardinalis Cajetani* loc. cit. his verbis: „In qualibet bene ordinata Republica, quantumcunque rationabilis „adeſſet quandoque cauſa diſpenſandi commu- „nem Theſaurum in cives gravatos ære alieno, „negligentes tamen ſolvere, indigni cenſerentur „adjutorio theſauri; ex eo enim, quod poſſunt „de ſuo ſolvere & non curant, indignos ſe red- „dunt tali ſublevamine, & niſi tales pro indignis „haberentur, foveretur negligentia, quoniam „alii horum exemplo ad ſimilem negligentiam „provocarentur; legis autem eſt, facere virtuo- „ſos, non negligentes. Igitur cum Eccleſia ſit „à Deo ordinata, æquum non eſt, ut ſpiritualis „diſpenſatio theſauri negligentes ſatisfacere pro „dignis habeat; hoc enim verè eſſet enervare „ſatisfactiones pœnitentiales.

RATIO VIII. eſt *Navarri* in Commentario de Jubilæo Notab. 21. ubi ſic ait: „Movet me ad „hanc opinionem tenendam, quod per eam In- „dulgentiis ſuus honor ſervatur, Chriſtiani ad ſub- „eunda opera pœnitentiæ excitantur, obſtruun- „tur ora in Indulgentias debacchantium & ſuffra- „gia Eccleſiæ non contemnuntur, & negligentes „ſui corporis pœnas pendunt, aut ſaltem dili- „gentiæ aliorum fructum non percipiunt.

RATIO IX. quæ etiam eſt *Navarri* loc. cit. his verbis: „Indignus eſt aliena ope, qui ſibi „non vult opitulari, cum poſſit; cui alludit illud „Apoſtoli: Qui non vult operari, non manducet. Qui ergo pœnitens non vult, aut non „curat, cum poſſit, ſatisfacere de reliquiis ſuorum peccatorum, indignus erit ope aliena.

RATIO X. quæ pariter eſt *Navarri* loc. cit. his verbis: „Vicarius & Delegatus alicujus non „debet facere id, quod Principalis non faceret; „at Chriſtus non juvaret ſuis ſatisfactionibus eum, „qui torperet, & ſibi ſubvenire negligeret, juxta illud: Vigilate ergo &c.

RATIO XI. Quæ eſt *Concilii Tridentini*, dum Seſſ. 14. c. 8. probat neceſſitatem ſatisfactionis his verbis: „Sane & divinæ juſtitiæ ratio exige- „re videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipian- „tur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deli- „querint, aliter vero, qui ſemel à peccati & dæ- „monis ſervitute liberati, & accepto Spiritus

„Sancti dono scientes templum Dei violare, & „Spiritum Sanctum contristare non formidaverint: Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes velut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram Dei." Ita Tridentinum. Quivis autem videt, hanc rationem nullam habituram vim contra hæreticos, si Ecclesia per indulgentias plenarias quotidianas, ac cuivis obvia posset & vellet tollere necessitatem præstandi satisfactionem; respondebunt enim hæretici, & cogitabunt: si Ecclesia convenienter remittit omnibus verè pœnitentibus satisfactionem, nec inconveniens erit, si Christus generaliter omnibus verè pœnitentibus det plenariam Indulgentiam, & remittat satisfactionem.

RATIO XII. est *S. Bonaventuræ* in 4. d. 20. q. 5. ubi sic ait: „Dicendum, quod si Deus per „seipsum sic miseretur, ubi semper velit tenere „suam justitiam; multo fortius Dei Minister: „unde dispensatio bonorum Ecclesiæ discretè, „& cum moderamine supplenda est; alioquin nisi „discretè fieret, Deus non acceptaret. Et ne „bona spiritualia possent dilapidari, aut contra „divinam acceptationem tribui, quamvis possent „bona temporalia non solum dispensari, sed et„iam dissipari." Ita S. Bonaventura. Argumentum potest sic formari: Non convenit legibus divinæ sapientiæ, ut Deus se obliget ad acceptandam quamcunque remissionem peccatorum & satisfactionem à Romano Pontifice, etiam rationabiliter factam; ergo non tenetur acceptare indulgentias irrationabiliter concessas; atqui irrationabiliter concederentur, si non tantum pro casu particulari considerata dispositione alicujus personæ, sed generaliter per remissionem universalem quotidianam in tota Ecclesia non haberet amplius locum justitia in peccatis post baptismum commissis; ergo.

RATIO XIII. Quæ etiam est *S. Bonaventuræ* loc. cit. Dona & miserationes Spiritus Sancti donantur cum æquo libramine; non autem hoc fieret, si Spiritus Sancti dona darentur indiscriminatim æqualiter omnibus, quantumlibet inæqualiter dispositis: ergo. *S. Doctor* sic ait: „Quantitas indulgentiæ mensuratur secundum rectum „judicium Pontificis; ille autem considerat cau„sam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia, „quia omnes fideles debent illud in corde præ„supponere, quod dona, & miserationes Sancti „Spiritus donentur cum æquo libramine.

RATIO XIV. Doctores Scholastici, qui primi scripserunt de indulgentiis, & quidem eo Sæculo, quo modernus Indulgentiarum usus initia sumpsit, agnoscunt, Ecclesiam tacitè agnoscere obligationem satisfaciendi pro peccatis; ergo Ecclesia subsequentibus Sæculis eandem explicationem primævam intentionis suæ secuta est. *Ant. patet* ab inductione primi, qui de hac re scripserunt, fuerunt *Paulus Passaviensis*, *Alensis*, *Altisiodorensis*, *Hostiensis*, *Bonaventura &c.* qui unanimiter agnoverunt, Ecclesiam cuivis distribuere indulgentiam, secundum quod quisque dignus fuerit. *Paulus Passaviensis* ait: „Concedo indulgentias valere, quia Ecclesia obligat se orare „pro illo: Nec tamen dico illis prodesse, qui „fraude adhibent, volentes vivere luxuriosè & „splendidè. *Alensis* ait: Peccato mortali debe„tur pœna æterna; unde nunquam de justitia pos„set obtinere plenam Indulgentiam, nisi de Dei „misericordia fieret sibi Indulgentia, propter „quod debet semper in vita ista niti ad satisfactio„nem. Si autem quandoque contingat ipsum „fuisse attenuatum, tunc conveniret, quod ju„varetur à fratribus; attenuatus dicitur respectu „pœnæ, quam implere non potest. *Altisiodoren„sis* ait: Ad hoc, quod indulgentiæ valeant, „quantum promittit Ecclesia, exigitur necessitas „loci; & illius, cui fit indulgentia, quando non „potest jejunare pro debilitate, vel propter ægri„tudines injunctas pœnitentias facere. *S. Bona„ventura* ait: Concedo, quod Indulgentiæ valent, „non æqualiter omnibus, sed secundum existi„mationem ejus, quam habuit, vel habere de„buit, qui indulgentiam fecit." Ita *Paulus* Presbyter Passaviensis, qui scripsit circa annum 1200. in *Summa de pœnitentia* edita à *Duellio* Tom. I. Miscellaneorum. *Alensis* part. 4. q. 23. art. 1. *Altisiodorensis* l. 4. *de Relax. Bonaventura* l. cc.

RATIO XV. Sæculo XII. quo usus modernarum indulgentiarum invaluit, prorsus ignoratum fuit, quid valerent hæ Indulgentiæ, & ferè omnes scriptores unanimiter judicarunt, non tam facili conditione obtineri plenum indulgentiarum fructum, prout judicat sententia contraria; ergo mens Ecclesiæ ab initio, quo has indulgentias invexit, non fuit tollere omnem obligationem satisfaciendi. *Ant. prob.* Ex *Paulo Passav.* qui primus de hac re ad initium Sæculi XIII. scripsit; recensens enim opiniones Authorum de indulgentiis sic ait: „Videndum, quid „valeant indulgentiæ? Super hoc septem sunt „opiniones probabiles; septimam autem ample„ctimur, licèt aliæ possint esse veræ. Primi di„cunt, quod valeant, tanquam thesaurus, ut, „cum alia defecerint, & jam mereri non possi„mus, recipiant nos in æterna tabernacula. Se„cundi dicunt, quod valeant quoad delicta igno„rantiæ. Tertii dicunt, quod valeant quoad ve„nialia oblivioni tradita. Quarti dicunt, quod „valeant tanquam quodlibet bonum tamen am„plius propter authoritatem Ecclesiæ. Quinti „dicunt, quod valeant quoad mitigationem pœ„næ in purgatorio, quod hic non peregit pro„pter mortis præoccupationem. Sexti dicunt, „quod valeant quoad pœnitentiam negligenter „peractam. Septimi dicunt, quod in veritate „valeant propter duo, propter nummi donatio„nem, & quia Ecclesia se obligat orare pro illo." Ita antiquissimus Scriptor. Ex quo patet Sæculo XII. quo Indulgentiarum harum usus invaluit, nullum Authorum somniasse de tanto valore, ut tolleret obligationem ulteriorem satisfaciendi pro peccatis.

RATIO XVI. Relaxatio satisfactionis extra Sacramentum per indulgentias succedit relaxationi satisfactionis, quæ facta est in Sacramento pœnitentiæ per Sacerdotem; ergo sicut Sacerdos in Sacramento condonando pœnitentiam Canonum non potuit tollere obligationem satisfaciendi

ciendi, ita neque Ecclesia eandem obligationem tollere potest per indulgentias. *Ant. prob.* Ecclesia ab anno 1000. usque ad annum 1570. in omnibus Bullis Indulgentiarum tantum absolvit à pœnitentiis à Sacerdote vel Canone injunctis; ergo idem fecit, quod fecerunt antiquitus Confessarii, remittendo juxta suum arbitrium Canones pœnitentiales. *Ant. patet* ex omnibus Bullis indulgentiarum illorum temporum, in quibus semper continetur hæc formula: *Nos de misericordia Dei confisi tres v.g. annos de injunctis relaxamus.*

Ratio XVII. In omnibus Indulgentiis effectus Indulgentiarum promittitur & obtinetur interveniente misericordia Dei; atqui, ubi intervenit misericordia Dei, præsupponitur in pœnitente dispositio, quæ flectere possit Deum ad misericordiam, adeoque etiam studium satisfaciendi. *Ant. patet* ex formula omnium Indulgentiarum, in quibus adhibetur hæc formula: *Nos de misericordia Dei confisi tres annos v. g. relaxamus.*

Ratio XVIII. In multis Bullis & litteris Indulgentiarum Summi Pontifices & Episcopi contestantur, se per modum supplicantis orare Deum, ut, intervenientibus simul Sanctorum precibus & meritis, remittat pœnitenti debitas pœnas; ergo supponit Ecclesia pœnitentem se debere reddere dignum, ut sua oratio mereatur exaudiri. *Ant. prob. Gregorius VII.* l. 1. Epist. 30. ad *Gebhardum* Archiepiscopum Salisburg. scribit: *Gaudeat* (Romipeta) *quod diu quæsivit, scilicet S. Petri misericordiam, per Nos juxta votum suum impetrasse.* Idem l. 7. Ep. 13. ait: *De divinæ pietatis munere confisi peccatorum veniam pollicemur.* Et in *Concilio Romano VII.* idem ait: *Confidens de misericordia Dei, ejusque piissimæ Matris absolutionem peccatorum largior. Joannes Episcopus Cameracensis* anno 1428. sic habet: *De Dei misericordia, & Gloriosæ Virginis ac BB. Petri & Pauli, Sanctorumque & Sanctarum meritis & intercessionibus confisi* 40. *dies relaxamus.* Similes formæ occurrunt plures in litteris Indulgentiarum. Hinc & *Paulus* Passav. ait: *Valere Indulgentias, quia Ecclesia se obligat orare pro eo.* S. Raymundus ait: *Valorem* Indulgentiæ *dependere à deprecatione Ecclesiæ, atque à munero, & devotione suffragantium. S. Bonaventura* dicit: Valere Indulgentias, *quia proficiunt Orationes Ecclesiæ.* Similia habent plures Doctores.

Ratio XIX. Summi Pontifices nolunt peccare conferendo indulgentias; ergo nolunt conferre indulgentias sine tacita conditione competenter satisfaciendi. *conf. prob.* Plerique Doctores agnoscunt, Episcopos, & Romanos Pontifices peccaturos, si tam prodige, & indiscrete conferrent Indulgentias, ut satisfactiones negligerentur. S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. qq. 2. C. ait: *In arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam remittatur; si tamen inordinatè remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens indulgentias.* Hostiensis Tit. de remissionibus ait: *Concilium Lateranense arctavit Episcopos, ne propter remissiones indiscretas, & superfluas contingat contemni claves, & satisfactionem pœnitentiæ enervari: ergo Prælati, qui hoc fecerunt, agant pœnitentiam.* Idem est sensus aliorum Doctorum.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Ratio XX. Si omnes plenariæ indulgentiæ tollerent omnem obligationem satisfactionis, homines sine dubio eligerent tantum eas indulgentias, quæ possent facillimè obtineri, negligerent verò eas, quæ habent difficultatem; gestarent ergo secum aliquod Numisma Romanum, & negligerent Jubilæum: Quod est absurdum.

Ratio XXI. Si Ecclesia per quascunque indulgentias plenarias ubivis obvias revera tollit omnem obligationem satisfactionis; cur aliquibus indulgentiis annectit adeo difficilia opera, quæ minime sunt necessaria? Cur prioribus Sæculis tam arduas proposuit conditiones volentibus lucrari plenariam indulgentiam v. g. iter Romanum, militiam sacram? Cur privando infinitos populos tam salubri remedio misit infinitam hominum multitudinem ad purgatorium? nulla unquam potest reponi causa, quæ excusaret Ecclesiam à tanta crudelitate, si revera potuisset tollere satisfactionem seu injunctam, seu sponte suscipiendam.

Ratio XXII. Si Indulgentiæ plenariæ haberent tantam vim tollendi satisfactionem omnem, *annus Jubilæus*, in quo suspenduntur omnes indulgentiæ plenariæ, deberet potius vocari *annus mœroris, luctus*, & *doloris*, utpote in quo innumeri homines ex defectu plenariæ indulgentiæ detruderentur in purgatorium; at hoc est absurdum.

Ratio XXIII. Si Ecclesia potest tollere omnem reatum pœnæ per indulgentias, posset etiam facere, ut calamitates temporales, pestilentia, fames, bella, non amplius essent in pœnam peccati, sed tantum ad agonem, sicut dici solet de pœnis peccati originalis post baptismum; sed hoc est contra sensum communem Ecclesiæ, quæ perpetuò in publicis supplicationibus clamat, ut has calamitates suis peccatis debitas avertant. Hoc clamant omnes & singuli, quantumvis lucrati sint indulgentiam.

Ratio XXIV. Absolutio Sacramentalis facta à Sacerdote vel Episcopo tantum remittit partem pœnæ proportionalem merito, dispositioni, contritioni, ac fervori pœnitentis; ergo idem operatur indulgentia Summi Pontificis. *Prob. conf.* Antequam potestas conferendi indulgentias plenarias fuit *reservata* Summo Pontifici, eandem habuerunt omnes Sacerdotes, & Episcopi authoritate clavium, ut docet *Hostiensis, Rainerius, Armacanus, Gerson, Dominicus Sotus, Marsilius, Barthol. Fumus, Medina, Michaël Medina,* Theologus Concilii Tridentini, ex cujus mandato suum Tractatum de indulgentiis edidit. D. 5. c. 17. sic habet: *Fui ego in ea sententia, ut Petro, & ejus Successoribus indulgentias tribuendi potestas ordinaria, reliquis verò tantùm ex commissione à Christo tributa fuisset. Cæterum, cùm relaxandi pœnas usum ab universis Episcopis usurpatum adverto, cùm deinde omnium pene Theologorum in contrariam partem (omnes enim docent in Episcopis quoque quandam in hac re esse ordinariam potestatem) consensum satis expendo, cùm tertiò tum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum Decreta, quæ Indulgentias tribuere ad Episcopalem dignitatem pertinere* docent,

docent, confidero, mutata Sententia alios textus inquirendos video.

RATIO XXV. Multi antiqui authores carpunt nimiam liberalitatem Episcoporum, conferendo innumeras indulgentias levibus de causis, idque propterea solum, quia timebant, homines nullum amplius, aut exiguum satisfactionum studium adhibituros; ergo multò magis carperent modernas indulgentias millies plures, & longè levioribus de causis concessas, si eo animo datæ essent, ut homines agnoscant, se ab omni ulteriori satisfactione esse liberatos. ALBERTUS MAGNUS in 4. dist. 20. art. 21. ait: *Dicendum, quòd Episcopus in sua Diœcesi potest conferre indulgentiam, quantam vult, nisi à Papa limitetur; limitatio autem, ut mihi videtur, rationabilis est, propter nimium abusum Indulgentiarum, quæ modo fiunt.*

RATIO XXVI. *Tridentinum* Sess. 25. ait: *SS. Synodus in Indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* De facto post Tridentinum numerus Indulgentiarum non tantùm non fuit imminutus, sed & in immensum auctus: si ergo per has tam innumeras Indulgentias insuper tollitur obligatio satisfaciendi desiderio Tridentini nullatenus satisfactum est.

RATIO XXVII. Non est conveniens, ut Ecclesia remittat peccata omnibus per absolutionem generalem sine cognitione distincta peccatorum & status pœnitentis; ergo etiam conveniens non est, ut Ecclesia remittat pœnas peccatorum sine cognitione de statu ac dispositione pœnitentis. Cùm ergo remittat eas pœnas sine cognitione sua, non remittet sine cognitione ac discretione divina, quæ examinat merita singulorum.

RATIO XXVIII. Non est conveniens secundùm leges divinæ Sapientiæ gubernativæ, ut relinquat humano arbitrio absolutam, & authoritativam dispensationem eorum donorum, quorum in debita mensura & modo dispensandorum ratio justa non potest cognosci ab intellectu humano, & cujus insuper dispensationis abusus enormis merito esset timendus, ac facilis; sed talis est dispensatio Indulgentiarum, si dependeret ab arbitrio Episcoporum, tollere obligationem satisfaciendi per dispensationem meritorum Christi: ergo non habet Ecclesia eam potestatem, sed tantum habet potestatem dispensandi merita Christi juxta condignitatem recipientis soli Deo cognitam, & ad lancem Divinæ justitiæ appensam.

RATIO XXIX. Si Ecclesia haberet potestatem post baptismum tollendi obligationem satisfaciendi, non debuisset suis Catechumenis permittere antiquis temporibus, ut tot annis differrent baptismum tantùm ex eo fine, ut postmodum per baptismum tolleretur omnis obligatio ad pœnam pro peccatis; potuisset enim Ecclesia monere Catechumenos, in nostra Ecclesia etiam post baptismum dari medium tollendi omnem satisfactionem propriam, videlicet indulgentias.

RATIO XXX. Si Summus Pontifex haberet absolutè potestatem dispensandi thesaurum meritorum Christi, eamque illimitatè, etiam in iis casibus, in quibus dispensationis æquitas dependet à circumstantiis humanæ providentiæ incognitis, tunc posset ex eodem thesauro impendere gratias actuales Gentilibus, Hæreticis, & peccatoribus, & augmentum gratiæ justis, quibuscunque vellet; posset etiam ex eodem thesauro sumere tantum satisfactionum, quantum sufficeret ad mitigandam iram divinam in populum Christianum. *Nec potest dici*, calamitates in hoc mundo illatas potius esse adminiculum ad regnum cœlorum; & propterea fieri, ut Vicarius Christi, qui habet claves regni cœlorum, possit tollere pœnas in altero mundo perferendas, non verò eas, quæ in hoc mundo infliguntur. Hoc inquam dici non potest, quia plurimæ calamitates, v. g. oppressio omnium Christianorum in Asia à Turcis non est adminiculum ad regnum cœlorum eligibile ab homine, quamvis Deus eandem ad multorum salutem permittat, & ordinet.

RATIO XXXI. Christus non contulit Ecclesiæ potestatem, quæ cedit potius in destructionem Ecclesiæ, quàm in ædificationem; sed talis potestas tollendi obligationem satisfaciendi pro peccatis cederet potiùs in destructionem Ecclesiæ: ergo. *Min. prob.* Sublata obligatione satisfaciendi plerique à Religiosis, Parochis, Clericis, Christianis se tradent vitæ molli, blandæ, commodæ, minimè seriæ, eoquod non sint soliciti de expungendis peccatorum debitis per studium virtutis; atqui talis vita est in destructionem Ecclesiæ, quia à talibus Clericis captantur occasiones lucri, vitia non extirpantur, Charitas Dei, & proximi relinquitur, Scientia Ecclesiastica non comparatur, & in omnibus statibus ex molli vita via ad omnes abusus, & grandia vitia panditur. Tantùm quis examinet omnes abusus & vitia in claustris, in Episcopatibus, in Clericis, Parochis, laicis, & reperiet pleraque ex eo promanare, quod tales homines enervatò animò, ac neglecto ferventioris vitæ studio se molli ac commodæ vitæ tradiderint.

RATIO XXXII. Probabilior est eorum Theologorum Sententia, satisfactionem unius præstitam pro alio non esse satisfactoriam de condigno, sed de congruo tantùm; ergo etiamsi Ecclesia per indulgentias satisfactiones Sanctorum applicet pro pœnitente, eæ tamen tantùm erunt satisfactoriæ de congruo, ergo Deo erit liberum, independenter a promissione eas acceptare, vel non acceptare; adeoque præsumendum est, Deum independenter à congrua nostra satisfactione eas non acceptaturum. *Nec dici potest*, Deum jam tacitè promisisse, se has satisfactiones acceptaturum; quia hoc gratis fingitur.

RATIO XXXIII. Si Indulgentiæ tollerent obligationem omnem satisfaciendi, tunc haberent majorem vim, aut mererentur majorem æstimationem, quàm Sacramenta, quæ fluxerunt à latere Christi in salutem Ecclesiæ; sed hoc est absurdum: ergo. *Maj. prob.* Indulgentiæ immediatè homines immitterent cœlo, delerent omnem reatum, tollerent onus immensum satisfactionum, & delerent purgatorium, quod, excepto Sacramento baptis-

baptismi, nullum aliud præstaret Sacramentum, alia enim Sacramenta conferunt quidem gratiam, delent etiam venialia, & armant adversus insidias Diaboli, Indulgentiæ verò non tantum præbent occasionem simul augendi gratiam, sed tribuunt ipsum cœlum, delent venialia etiam quoad reatum pœnæ, & eripiunt totum hominem diabolo, dummodo secum gestaret devote numisma, aut in agone devotè cogitaret *Nomen Jesu*; sola hæc cogitatio vitam sceleftissimam Neronis, & Sardanapali omni reatu liberaret, tantaque esset indulgentiarum vis, ut pœnitenti permitteret hic gaudere in terris, & post hanc vitam immediatè lætari in cœlis.

Ratio XXXIV. In republica humana Legislator non concedit Indulgentias plenarias omnium criminum perpetuas, quotidianas, & ubivis obvias, tollendo omnem castigationem criminum; ergo neque in Republica Christiana similes Indulgentias largitur Legislator Divinus. *Conf. prob.* Est eadem prudentia legislativa in Republica humana, & in Republica Christiana, & eadem proportio mediorum ad finem, eadem dispositio in animis hominum ad vitia, idem metus pœnarum, eadem ratio & necessitas generalis, ut terrore indispensabili absterreantur, & coërceantur sensus humani proni ab adolescentia in malum, & barathrum perditionis.

Ratio XXXV. Censent Insignes Authores, ut *S. Thomas*, *Augustinus de Ancona*, & alii, ipsummet Christum, quando descendit ad inferos, non liberasse omnes animas è purgatorio; ergo nulla poterit dari generalis indulgentia plenaria, qua Ecclesia suo arbitrio ab omnibus tollat obligationem ad pœnam.

Ratio XXXVI. *S. Joannes Baptista* Matth. 3. & Luc. 3. ostendit, Deum hanc sibi constantem posuisse legem, ut de via ordinaria nulli pœnas peccati debitas penitus dimitteret, suamque fugere iram concederet, nisi exhibitis fructibus dignis pœnitentiæ; ergo & Summus Pontifex nulla via directa, seu indirecta hanc legem infringere poterit per indulgentias. Sacer textus sic habet Matth. 3. *Progenies viperarum! quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Et Luc. 3. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Nec dici potest, per fructus dignos pœnitentiæ tantum intelligi novam vitam; quia 1. *S. Gregorius* Hom. 20. dicit: „Quisquis illicita nulla commisit, huic „jure conceditur, ut licitis utatur; at si quis in „fornicationem, vel adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit illicita perpetrasse; neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minus, & „ejus, qui amplius deliquit. Cum ergo dicitur; „facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora „quærat bonorum operum lucra per pœnitentium, quanto graviora sibi intulit damna per „culpam." *Idem in l. 1. Regum* ait: „Non promissa inania, non sterilia desideria, non fructu „vacuum propositum pœnitentiæ probat Deus, „sed opera quærit peccatorum gravitati respondentia: Idcirco omnis confessio excipitur, ut „fructus pœnitentiæ sequatur; unde & Dominus „arborem foliis ornatam maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis." 2. *Druthmarus* ad c. 3. Matth. ait: „Fructum dignum pœnitentiæ facere est præterea „mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & mala commissa eleemosynis redimere." 3. *Adilredus* in Speculo amoris c. 46. ait: „Est „ordo necessarius, ut qui commisit illicita, ab „usu licitorum se restringat, in qua restrictione „duo consideranda sunt, modus satisfactionis, „& necessitas purgationis; modus satisfactionis, „ut secundum modum culpæ rigor continentiæ „extendatur, quatenus secundum Baptistæ vocem dignos pœnitentiæ fructus faciamus." 4. *S. Chrysostomus* in Matthæum Hom. 10. ait: „Agamus pœnitentiam; pœnitentiam vero dico, non „solum, ut à malis prioribus desistamus, verum „etiam, ut bonorum operum fructibus impleamur; facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. „Quo autem modo fructificare poterimus? Si „utique peccatis adversa faciamus. v. g. Aliena „rapuisti? Incipe donare jam propria. Deliciis „antea & tumulentia diffluebas? Jejunio, & aquæ „potu utrumque compensa." Hæ omnes Rationes simul sumptæ videntur sufficere ad determinandam Ecclesiam, ne tam innumeras sine tacita conditione satisfaciendi elargiatur.

Probatur 6. Insigniores Theologi, qui scripserunt ante Sæculum decimum sextum, aut docuerunt expresse, quod ad obtinendum plenarium Indulgentiarum fructum requiratur animus satisfaciendi congruè, aut certè posuerunt ea principia, in quibus moderna abundantia Indulgentiarum plenariarum non potest defendi tanquam rationabilis, nisi supponatur à Summis Pontificibus tacitè supponi à quovis fidelium animum congruè satisfaciendi, eamque conditionem involvi implicitè sub termino *verè pœnitentium*. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione.

I. *Paulus Presbyter* circa annum 1200. adeoque omnium Authorum è Scholasticis primus, qui scripsit de Indulgentiis, c. 15. de pœnit. ait: *Indulgentiæ valent propter duo, propter nummi donationem, & quia Ecclesia se obligat, & constituit se orare pro illo. Nec tamen dico illis prodesse, qui fraude adhibent, volentes vivere luxuriosè & splendidè.*

II. *Alexander de Ales* Parte 4. quæst. 23. art. 2. memb. 1. anno 1230. sic habet: „Potest unus satisfacere pro alio, sed oportet, quod fiat Authoritate Superioris, cujus est hæc duo considerare, scilicet debitam in subditis dispositionem, & debitam proportionem in pœna; debitam dispositionem voco, quod in uno sit sufficientia, in altero indigentia, ut insinuatur Lev. „25. Si attenuatus frater tuus vendiderit se &c. -- „Propter quod ille, cui facta est plena indulgentia, semper in vita ista debet niti ad satisfactionem, & debiti solutionem. Si autem quandoque contingat, ipsum fuisse attenuatum, tunc „conveniret, quod juvaretur à fratribus; attenuatus enim dicitur respectu pœnæ, quam implere non potest. *Item q. 24. ait:* Respondeo, „quod unus potest satisfacere pro alio illo vivente „in

„ in casu, utpote fitille', pro quo fit satisfactio, „ impotens fit.

III. *Gulielmus Altisiodorensis* l. 4. Tit. de relaxat. Anno 1240. ait: „Ad hoc, quod indulgentiæ valeant, quantum promittit Ecclesia, sex „ exiguntur. 1. Est potestas ligandi, & solvendi. 2. Necessitas loci, & illius, cui fit indulgentia, quando non potest præ debilitate, vel „ propter ægritudines injunctas pœnitentias facere. 3. Devotio fidei. 4. Status contriti. 5. „ Discretio, ut scilicet discernat apud se, pro „ quanto vellet exonerari, vel quantum vellet „ dedisse, ut absolutus esset à tanta pœnitentia. „ 6. Justa æstimatio, ut, secundum quod ei dimittitur, ipse recompenset. Ista ergo sex intelliguntur in Indulgentiis, quas facit Ecclesia, „ ut prosint, quantum Ecclesia promittit. Ad illud, quodcunque solveritis. Dicimus, quod „ intelligendum est justè, & per justè intelliguntur „ illa sex, quæ diximus. Adhuc ergo tenetur „ homo facere fructus dignos pœnitentiæ, quia „ nescit, quantum prosint illi indulgentiæ. Papa „ habet potestatem, ut faciat Crucesignatos participes omnium suffragiorum Ecclesiæ, sed non „ habet hanc potestatem, ut istum, qui est pœnæ „ debitor, faciat evolare sine solutione pœnæ, „ imo necesse est, quod suscipiat de manu Domini duplicia, & quod faciat fructus dignos pœnitentiæ.

IV. *P. Raymundus de Penafort* Summa l. 3. §. 63. Anno 1230. sic ait: „Si Papa faciat generalem remissionem pro subsidio Terræ Sanctæ, valet sibi talis eleemosyna ad onus pœnitentiæ sublevandum, & hoc propter duo, scilicet propter „ devotam erogationem, & quia obligat eum, qui „ facit remissionem, imo & totam Ecclesiam, ut „ suffragetur ei. Sciendum tamen, quod majoritas, vel minoritas remissionis attenditur secundum majorem & minorem devotionem ipsius „ pœnitentis, & ipsorum, qui suffragantur; cum „ igitur nullus possit scire mensuram talium, nec „ per consequens potest scire remissionis mensuram. Nunquid ergo poterit pœnitens post collectionem talis eleemosynæ cessare ab executione pœnitentiæ sibi ab Ecclesia impositæ? Non „ credo.

V. *Hostiensis Cardinalis* in 5. Decretal. Tit. de pœnis. Anno 1260. sic ait: „Quid valeant indulgentiæ, vetus est quæstio, adhuc tamen satis „ dubia. Hoc certum est, quod valent, quantum „ ad Deum quoad minorem peccati pœnam, sicut „ & alia bona. Sed pone, quod alicui imposita „ est septennis pœnitentia, datis septem denariis „ habet septem annos remissionis; nunquid ultra „ jejunare tenetur? Respondeo, non tenetur ex „ necessitate jejunare, sed ex honestate tenetur, „ &, si contemnit, peccat mortaliter, debet enim „ semper dolere de peccato, quia nescit, an sit ei „ dimissa pœna; &, si commodè potest, adæquari „ debet pœna cum præcedente culpa, & punire in „ se, quod deliquit.

VI. *S. Bonaventura* in 4. dist. 20. q. 6. Anno 1265. ait: „Quantitas indulgentiæ mensuratur „ secundum rectum judicium Pontificis, qui Indulgentias facit; ille autem, qui dat indulgentias, considerat causam, pro quo reputat eum „ dignum tanta gratia; & secundum quod plus „ vel minus homines accedunt ad illam causam, „ plus vel minus participant de indulgentia. Concedo igitur, quod Indulgentiæ, quantum est „ ex parte dantis, tantum valent; quantum promittunt; concedo nihilominus, quod cuilibet „ valent tantum, nec æqualiter omnibus, sed secundum existimationem ejus, quam habuit, vel „ habere debuit, qui Indulgentiam fecit, quam „ non oportuit exprimere, quia omnes fideles „ debent illud in corde præsupponere, quod dona, & miserationes Sancti Spiritus donentur „ cum æquo libramine. Nec hæc debet aliquem „ ab his retrahere, quia semper plus valent, si „ homo sit in charitate, quam valeat obsequium „ vel aliud aliquid, quod pro indulgentia conceditur.

VII. *Innocentius V.* vocatus prius *Petrus de Tarantasio*, in 4. d. 20. q. 3. a. 3. ait: „Puto, quod „ valent indulgentiæ in se, quantum sonant. „ Quia vero actus activorum non sunt, nisi in „ patiente dispositio ideo non valent Indulgentiæ „ omnibus æqualiter, sed secundum quod magis „ vel minus sunt dispositi per meritum redemptionis pœnæ (id est, studium satisfaciendi) unde „ sicut 40. dies pœnitentiæ plus valent uni perficienti eam cum majori fervore & labore, quam „ alteri, qui cum minori, ita dico, quod 40. dies „ Indulgentiæ plus valent illi, qui se magis ad eam „ disponit, majori scilicet fervore & labore, seu „ affectione. Omnibus tamen valent, quantum „ videntur sonare, in genere; unde, cum veniens „ à remotis magis dispositus sit quoad meritum „ remissionis pœnæ, quia plus laboravit, plus valent ei, cæteris paribus.

VIII. *Albertus M.* in 4. dist. 20. a. 17. Anno 1265. sic ait: „Indulgentiæ valent, quantum eas „ prædicat Ecclesia, sed requiritur justa æstimatio solutionis ejus, pro qua indulgentia est instituta: justam autem voco æstimationem bonorum virorum considerato tempore & facultate personæ. Hinc nulla est delusio, quia pro „ obolo recipit, quoad secundum facultatem „ suam, & Ecclesiæ valet oblata; & non recipit „ tantum, quantum credunt illusores.

IX. *S. Thomas* in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. qq. 2. C. Anno 1270. ait: *In arbitrio dantis indulgentiam est, taxare, quantum per indulgentiam de pœna remittatur; si tamen inordinatè remittat, ita, quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens indulgentias.* Idem dicit in 4. d. 20. a. 3. qq. 4. *Non est in destructionem, indulgentias dare, nisi inordinatè dentur, id est, taliter, ut homines ab operibus pœnitentiæ revocentur.* Et in 3. d. 20. a. 1. qq. 3. ad 3. *In remissione peccatorum oportet, quod sit aliquid ex parte misericordiæ remittentis, ut aliquid de pœna remittatur, & aliquid ex parte recipientis, ut scilicet in aliquo puniatur; in eo enim, qui peccavit, est aliquid, quod repugnat impunitati.* Ita S. Thomas. Itaque cum Pontifex nolit peccare profundendo Indulgentias, prout tamen juxta S. Doctorem peccaret, inferendum est, copiosissimas, quæ nunc habentur, Indulgentias non eximere à conditione tacita satisfactionis congruæ. Cæterum ubi D. Thomas videtur docere oppositum, intelligendus est de satisfactione

injuncta

injuncta, ita ut revera coram Deo non teneatur ad majorem satisfactionem Sacramentalem, quam à Sacerdote habenti Indulgentiam est injunctum.

X. *Henricus de Gavo*, Quodlib. 15. q. 14. Anno 1290. ait: „Dico, quod indulgentiarum „concessio mensuranda non est ex voluntate con-„cedentis illas, ut tantum valeant, quantum „velit, eas valere, tantas conferendo, quantas „voluerit, dicendo; sic volo, sic jubeo, sit pro „ratione voluntas; hoc enim est contra ratio-„nem. Nec similiter est mensuranda ea condi-„tione personæ, cui confertur, neque etiam ex „aliquibus circa illam, quæ debitum inducunt „ad conferendum illas, quasi reddant personam „dignam, aut condignam ad recipiendam illas, „quasi ex debito puro; hoc enim est præter ra-„tionem. Et sic dico, quod nec conferuntur „donatione, nec redditione, sed dispensatione, „quæ mediam viam tenet; unde, quia dispensa-„tio respicit voluntatem in dispensante, & di-„gnum congruitatis in eo, cui fit dispensatio, „concessio indulgentiarum potest mensurari par-„tim secundum voluntatem conferentis illas, „partim vero secundum meritum & debitum ope-„ris illius, cui dispensantur, ut nec fiat dispensatio „indulgentiarum abundans nimium, nec nimis di-„minuat, sed secundum regulam rectæ rationis.

XI. *Richardus de Mediavilla*, in 4. dist. 20 q. 3. Anno 1290. ait: „Potest unus pro alio sa-„tisfacere, utroque existente in charitate, & „debitore per se satisfacere non potente; qui „enim satisfacere potest per se ipsum in hac vita, „& non vult, verè pœnitens non est, & ideo „opus, quod aliquis facit pro isto, non satis-„facit pro pœna istius, quamvis possit ipsum ju-„vare per modum meriti de congruo. *Idem* „*Art.* 3. *q.* 1. *ait:* dicendum, quod Indulgentiæ „valent dispositis; per eas enim remittitur ali-„qua portio pœnæ à Deo taxatæ. *Et Art.* 3. „*q.* 2. Nec propter hoc sequitur, quòd tantùm „remittatur uni de pœnitentia, quantum alii; „quia pœnitentia unius anni in hac vita non tan-„tum valet illi, qui eam facit ex minore chari-„tatis fervore, & remissam, sicut illi, qui eam „facit ex majori & asperam.

XII. *Augustinus de Ancona* l. de Potest. Eccles. q. 22. art. 3. Anno 1300. sic ait: „Ut com-„municatio indulgentiæ habeat totalem effectum, „tria requiruntur ex parte facientis indulgen-„tiam. 1. Intentio. 2. Clavis rectus usus & „jurisdictio. 3. Discretio. Et quodcunque „istorum trium deficit, puto, quòd ipsa indul-„gentia non consequatur effectum suum saltem „totum, & complete. Ex parte recipientis si-„militer tria requiruntur. 1. Fides in intelle-„ctu. 2. Charitas in affectu. 3. Impletio cau-„sæ, pro qua sit indulgentia. Quandocunque „istorum trium deficiat ex parte recipientis indul-„gentiam, puto, quòd effectum ejus non con-„sequitur completum. Nec credo, quòd Papa „possit scire totum, quod potest facere per po-„tentiam suam, & potissimum, quod potest fa-„cere per communicationem thesauri Ecclesiæ; „& istud probatur tribus rationibus. 1. Illa „potentia est homini ignota, quæ est in virtute „voluntatis, & æquitatis sibi ignotæ; sed Papa „agit in virtute & æquitate Dei, quæ est sibi „ignota. 2. Potentia Papæ est respectu thesauri „infiniti; omne autem infinitum est ignotum: „ergo & potentia. 3. Dupliciter potest homo „satisfacere; primò satisfactione exigentiæ, & „sic quilibet satisfaciat pro se ipso; secundò sa-„tisfactione condecentiæ; sic unus potest satis-„facere pro alio. In communicatione indulgen-„tiæ attenditur satisfactio condecentiæ. Cum „ergo talis satisfactio consistit in acceptione „Dei, sicut acceptatio Dei ignota est Papæ, & „cuilibet creaturæ, ita & talis satisfactio, quæ „fit per communicationem indulgentiæ, est sibi „ignota.„ Ita Anconitanus. qui si nostris temporibus viveret, utique ex applicatione suorum principiorum necessariò concluderet, plenum indulgentiarum effectum rarò obtineri.

XIII. *Astesanus* Summa. l. 5. tit. 40. Resp. 2. Anno 1320. ait: „Indulgentiæ tantum valent, „quantum sonant, non tamen æqualiter, sed „plus vel minus, secundùm quod homo se dis-„ponit ad eas majori vel minori fervore, labo-„re, dati quantitate; unde quandoque duorum „æqualiter divitum, quorum unus dat unum de-„narium, & alius decem, ille, qui minus dat, „obtinet remissionem pœnæ unius anni, sicut „ille, qui plus dat, nec propter hoc oportet, „quòd tantum remittatur de pœna uni à Deo ta-„xata, quantum alteri.

XIV. *Franciscus Mayronis* in 4. dist. 19. q. 2. Anno 1320. ait: „Quomodo valent indulgen-„tiæ pro purgatorio? si dantur decem dies, nun-„quid sunt decem dies in purgatorio? Dico, „quòd non. Quia Ecclesia non habet authori-„tatem proportionandi illas pœnitentias, sed se-„cundùm quod Deus permiserit, ita debet fieri.

XV. *Fr. Rainerius* Pantheolog. V. indulg. c. 1. „licet indulgentiæ valent, sicut sonant, non „tamen omnibus æqualiter sonant, sed secun-„dum majorem Ecclesiæ utilitatem & majorem „fidei devotionem, & fervorem, quia actus acti-„vorum non sunt, nisi in patiente, & disposi-„tio; unde 40. dies Indulgentiæ plus valent ad „remissionem pœnæ illi, qui ad illam indulgen-„tiam suscipiendam magis se disponit, scilicet „majori fervore & devotione, & majori labore „& majore affectione, quàm dati quantitate.

XVI. *Guido de Monte Rotherii* Manipul. curat. p. 2. tr. 4. Anno 1330. ait: „Si quis potest „per se satisfacere, dico, quòd vivus non potest „pro alio satisfacere, & ratio, quæ me movet „ad hoc, est ista: Æquitas divinæ justitiæ exi-„git, ut, qui peccat, satisfaciat, & hoc si potest, „per se. Si autem non potest per se satisfacere, „tunc dico, quòd alius potest pro eo satisface-„re, sed ad hoc requiritur ex parte illius, pro „quo satisfit necessitas, & etiam impossibilitas, „scilicet, quòd non possit per se satisfacere.

XVII. *Petrus de Palude* in 4. dist. 20. q. 3. Anno 1330. ait: „Quæritur, utrum unus possit „pro alio satisfacere? Siquis sit potens satisfa-„cere per se ipsum, dicunt aliqui, quod non „potest satisfacere per alium. Sed contra hoc „est, quia tunc gratia Dei in baptismo require-„ret planctum & gemitum. Dicendum est igitur, „quòd

„ quòd si quis propter nimium amorem carnis „ suæ vellet facere per alium, quod esset sibi „ impositum, non liberaretur; sed si, occupat „ se in iis, quæ sunt Deo magis accepta, quàm „ sit illud, & vult satisfacere per alium, videtur, quòd sit plena satisfactio apud Deum, ut „ puta, si pugnando contra hostes fidei, vel prædicando, vel peregrinando, vel aliis piis operibus æque domet carnem, & mallet satisfacere „ per se, quàm per alium, nisi quia credit, istud „ magis Deo acceptum, non est dubium, quòd „ satisfaceret. *Et quæst.* 4. Quando datur plena, „ aut plenior vel plenissima indulgentia omnis „ pœna remittitur; alii dicunt, quòd videtur iste „ esse sensus verborum: Remitto tibi unum annum de pœnitentia injuncta; nec credunt, quòd „ propter has generales indulgentias minus teneatur agere pœnitentiam in hac vita. Et horum dictum satis videtur concordare æquitati, „ ut notat Innocentius. Et dicunt, quòd, ex „ quo forma Indulgentiarum non distinquit, quantacunque sit pœnitentia injuncta pro diebus vel „ annis, remittitur æqualiter minor vel major, „ non quia plus meretur unus, quàm alius, sed „ ex impotentia distinguendi ex parte indulgentiam concedentis, qui non potest pœnitentias „ distinguere, & ideo eligit, quod omnibus est „ commune, puta, dies, vel annus, vel pars „ aliquota, quæ etiam diversa est pro diversitate „ peccantium. Cum datur indulgentia visitanti „ Ecclesiam, tot dies lucratur, qui venit de vico, quantum, qui venit de ultra mare; sed „ sicut plus valerent quatuor dies de pœnitentia „ cum labore peregrinationis, quàm cum uno „ passu vel duobus, sic & plus valent indulgentiæ isti quàm illi.

XVIII. *Richardus Archi-Episcopus Armacanus* in quæst. Armen. de Indulg. Anno 1350. ait: „ Habens potestatem Apostolicam merita Beatorum compensare potest pro peccatis indigentium fratrum; non tamen semper sunt efficaces indulgentiæ, sed tunc solum, cum ex causa „ rationabili, & apud Deum acceptabili indigentibus conferuntur; quia confessio semper habet „ conditionem tacitam, scilicet, si ii, quibus „ conceditur, indigeant. Sed in iis, quibus debet concedi, sunt consideranda multa, sicut „ exercitatio devotionis, fidei, aut operum pietatis, & non, ut præbeatur aliis occasio, pœnitentiam omittendi. Sic homini constituto „ in extremis possunt concedere Indulgentiam „ plenam juxta conditionem meritorum, aut alias „ circumstantias exercitationis, devotionis, aut „ pœnitentiæ in aliis; sic tamen, quòd non propter frequentem collationem hujusmodi cæteri „ occasionem accipiant pœnitentiam negligendi, „ aut torpendi in vita. Sublata verò causa legitima non video, quòd talis indulgentia valeat „ illis, quibus conceditur. Unde dicitur; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis „ peccata, remittuntur eis; volens clare ostendere, quòd opus Prælatorum in remittendo „ peccata est omnino invalidum, nisi à Spiritu „ Sancto in opere moveantur.

XIX. *Thomas de Argentina* in 4. d. 20. a. 2. Anno 1350. ait: „ Prout satisfactio est solutio „ pretii pro reatu ipsius peccati, tunc causa existente rationabili unus homo potest satisfacere „ pro alio; causam autem tunc appello rationabilem, quando homo, qui tenetur satisfacere, „ vel omnino non potest satisfacere, vel saltem „ non potest commodè.

XX. *Gerson* tr. de Indulgent. prop. 9. Anno 1412. ait: „ Indulgentiarum concessio non est „ parvi pendenda; constat enim, quòd fructuosior est, & acceptabilior Deo operatio talibus „ innitens indulgentiis, quàm altera, cæteris paribus, non innitens; consilium igitur est, quòd „ absque curiosa discussione de præcisa vel evidenti & certa quantificatione seu mensuratione „ hujusmodi indulgentiarum studeat homo priùs „ tales acquirere secundum qualitatem suæ vocationis, pondus autem illi relinquere, qui omnia „ facit, & fecit in numero, pondere, & mensura.

XXI. *Joannes de Imola* in 5. Decret. tit. de pœnis. Anno 1430. ait: „ Est advertendum, „ quòd sicut dicit Guillielmus Altisiodorensis, ad „ hoc, ut indulgentiæ valeant, requiritur necessitas pœnitentis, quia pœnitens non potest „ jejunare, vel aliam pœnitentiam facere.

XXII. *Joannes Nider* in Glossa ad Summam Raymundi Anno 1430. ait: „ Dic, quòd Indulgentiæ, sive fiant à Papa, sive ab Episcopis, „ valent, quantum ad liberationem, & exonerationem pœnitentiæ ab Ecclesia inflictæ, ita, „ quòd non tenentur ii, quibus fiunt hujusmodi „ indulgentiæ, facere pœnitentiam exteriorem „ pro ex parte, quæ per hujusmodi indulgentias „ est eis remissa, vel etiam pro toto, si tota pœnitentia per hujusmodi indulgentias in totum „ est remissa; hujusmodi tamen remissiones non „ præjudicant divinæ justitiæ, quando cujuslibet „ peccatum sufficienter puniatur vel hic vel in „ purgatorio, aut pœna ejus sufficienter redimatur per eleemosynas, aut orationes, & cætera „ suffragia, vel amicorum, vel Ecclesiæ facta „ pro satisfactione hujusmodi peccati. Puto, „ quod indulgentiæ tantum valent de se, quantum sonant; sed quia actus non sunt nisi in patiente disposito, ideo non valent omnibus „ æqualiter, sed secundùm quod sunt magis vel „ minus dispositi per meritum remissionis pœnæ.

XXIII. *Dionysius Carthusianus* in 4. d. 20. Anno 1440. „ Dico quod concessio Indulgentiarum „ mensuranda non est ex voluntate conferentis „ eas, ut valeant, quantum velit; hoc enim est „ contra rationem: Nec mensuranda est ex conditione personæ, cui confertur; neque ex aliquibus circa ipsam, quæ debitum inducant ad „ conferendum illas, quasi reddat personam dignam, seu condignam ad ipsas. propterea dico, quòd nec condonatione arbitraria, nec „ redditione ex justitia, sed dispensatione præstantur, quæ sententia mediam tenet Viam, „ quoniam dispensatio respicit voluntatem in dispensante, & meritum seu dignum congruitatis „ in eo, cui fit dispensatio; aliter non dispensatio esset. Hæc Henricus. Et videtur positioni Alberti, & Bonaventuræ plus concordare. *Et Summa fidei Lib.* 4. *c.* 142. *n.* 2. Cùm „ datur Indulgentia indeterminatè, ut, qui im- „ pendit

„ pendit auxilium ad Ecclesiæ fabricam, intelli-
„ gendum est de tali auxilio, quod congruit dan-
„ ti secundum statum facultatemque ejus, & pro-
„ ut magis vel minus accedit ad hoc, plus aut
„ minus obtinet de indulgentiis.

XXIV. *Paulus Wan*, Vir illuminatus & Prædicator Civitatis Pataviensis de tribus partibus pœnit. M. S. 1467. ait: *Dubitatur, utrum unus pro altero possit satisfacere?* Ad hoc respondet: *Quod, si ille, pro quo debet satisfacere, potest per se satisfacere, tunc alter non potest satisfacere pro eo, quia ratio divinæ justitiæ exigit, quod ille, qui peccat, satisfaciat, si potest.*

XXV. *S. Antoninus* Part. 1. tit. 10. c. 3. §. 3. Anno 1470. ait: „Valent Indulgentiæ, quantum „ sonant. Et sicut in mundo 40. dies pœniten- „ tiæ plus valent perficienti cum majori devotio- „ ne, quam valeant alteri; ita 40. dies indulgen- „ tiæ plus valent illi, qui cum majore charitate, „ seu rei datæ quantitate accedit. Alii dicunt, „ quod videtur esse iste sensus: Remitto tibi „ unum annum de pœnitentia injuncta; nec cre- „ dunt, quod propter has indulgentias generales „ minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita. „ Et horum dictum satis concordare videtur æqui- „ tati: ut notat Innocentius.

XXVI. *Angelus de Clavasio* Summa Angel. V. Indulg. n. 1. & n. 10. Anno 1480. ait: „Quarta „ opinio est, quod per Indulgentias remittitur „ solum illa pœna debita peccatis, pro quibus „ non satisfecit ex negligentia. Et hæc est falsa; „ quia remunerare vult negligentiam. Non enim „ negligentibus subvenitur, sed necessitate rerum „ impeditis. Indulgentia tantum dimittit, quan- „ tum sonat, dummodo homo faciat, quod sibi im- „ ponitur, secundum quod decet eum facere.

XXVII. *Joannes Major* in 4. dist. 20. q. 2. Anno 1490. ait: „Dubitatur, an aliquis possit „ satisfacere pro alio? Distinguitur; si ille non „ potest satisfacere in propria persona, quia de- „ bilis, vel statim moriturus, sic unus pro alio „ satisfacere potest. Quia non credo verum, „ quod Pontifex possit ad nutum Indulgentiam „ exhibere sine causa. Istud surda aure pertran- „ seo, verbum Apostoli commemorans: sic nos „ existimet homo, ut Ministros Christi, & dispen- „ satores Mysteriorum Dei, si enim irrationabili- „ ter Prælatus aliquid promittat, hoc non servat „ Deus. Dicitur à Doctore Seraphico, & non „ improbabiliter, quod dives non tantum conse- „ quitur, quantum pauper, nisi proportionaliter „ det in ea proportione, qua opes suæ opes pau- „ peris exuperant. Sed dicis: Sic non constat, „ quando pauper consequatur complete magis, „ quam dives. Respondetur. Hoc non est in- „ conveniens; nam potest homo scire, eas sibi „ valere, licet nesciat, quantum valeant. Se- „ cundo potest dici, quod Indulgentiæ inæquali- „ ter valent, si æqualiter porrigant, quia est in- „ æqualitas ex parte dantium, utrique tamen ali- „ quid valebunt, quod sufficit; & hoc est magis „ ad mentem Bonaventuræ. Summatim colli- „ gam ea, quæ de indulgentiis occurrunt dicen- „ da. Inprimis tantum valent, quantum sonant, „ clave non errante: Hoc autem includit ratio- „ nabilem causam. Unde Gerson. Cum datur „ Indulgentia pro contribuentibus, intelligit de „ auxilio, quod sit conveniens ei, qui dat, & se- „ cundum quod accedit ad hoc, plus vel minus „ de indulgentia consequitur; ergo secundum eum „ duorum facientium similia opera unus plenè „ consequitur Indulgentiam, alius partem tan- „ tum, & plus vel minus, secundum quod acce- „ dit ad causam; pro qua concessæ sunt Indul- „ gentiæ. Et Doctor Seraphicus dicit: Dans In- „ dulgentiam considerat causam, pro qua repu- „ tat eum dignum tanta gratia; & secundum quod „ homines plus vel minus accedunt ad illam cau- „ sam, plus vel minus participant de illa Indul- „ gentia. v. gr. Indulgentias Stationum Romæ „ instituerunt Patres propter peregrinos, qui de „ longè veniunt, nec existimaverunt dignum „ tanta gratia, qui est natus juxta Ecclesiam, si- „ cut qui de longe venit, nec tantam recipit in- „ dulgentiam, sed aliquantam. Nec Ecclesia „ fallit, sed tacet verum, quod dicere non tene- „ tur; sed si homines credant, Indulgentiam va- „ lere ad nutum Pontificis, tunc sese fallunt, nec „ eos Ecclesia fallit, & hoc est sub honestiore „ locutione cum Altisiodoro coincidere in sen- „ tentia.

XXVIII. *Stephanus à Nottis* in Opere Remissionis Anno 1500. ait: „Indulgentiæ, licet non „ valeant ad relaxationem injunctæ pœnitentiæ „ quoad Ecclesiam, valent tamen quoad mino- „ rem peccati pœnam quoad Deum, sicut alia „ bona; debet enim, si commodè potest, ad- „ æquari pœna cum peccato; & licèt fiat genera- „ liter indulgentia in omnibus casibus, tamen „ unus plùs alio habet, secundum quod plus de- „ votus est, vel quod plus dat, vel quod plus „ laborat, vel quod majoribus periculis se expo- „ nit: Deus omnia moderatur in numero, pon- „ dere, & mensura. Ita in Ecclesia ob Indulgen- „ tiam à Prælato impositam de gratia debetur alii „ plus, alii minus; nec est in his multum curan- „ dum vel cogitandum, nisi quia credendum, „ quod Dominus, cujus natura pia est & libera- „ lis, de suo semper adjicit ultra gratiam & justi- „ tiam.

PROBATUR 7. Insigniores Theologi, qui vixerunt Sæculo decimo sexto, quo celebratum est Concilium Tridentinum, ad obtinendum plenarium fructum indulgentiæ plenariæ requisierunt satisfactionem congruam, quorum Doctrinam etiam Sæculo 17. & 18. insignes Theologi amplexi sunt. Ergo cum hæc sententia etiam sit Traditioni priorum temporum conformior, prout in probatione 1. 2. 3. 4. 5. & 6. ostensum est, unicè tenenda est. *Ant. prob.* ab inductione.

I. *Hadrianus VI. Summus Pontifex*, ubi scribit in quartum Sententiarum dist. 2. *de clavibus*, sic scribit: „Ad valorem indulgentiæ non suffi- „ cit in concedente authoritas, sed requiritur ex- „ istentia causæ rationabilis. Aliud est autem „ causa sufficiens, allud causa æquivalens. Si pro „ causa æqualitatis solum conceduntur Indulgen- „ tiæ, supervacua invenitur authoritas. Simile „ est de administratione Reipublicæ, cujus est „ distribuere de publico bene meritis, non stri-

„ cto commercio præcise, tantum in pretio, quantum valet labor susceptus pro Republica, sed aliunde & ultra meritum, ut aliquid gratiæ de publico reportent; semper tamen in proportione secundum justitiam distributivam. Hinc concedo, quod eorum, qui idem opus faciunt, unus plus consequitur Indulgentiis, quam alter; nec hoc est inconveniens. Unde dicit Thomas in 4. Cum indeterminatè datur Indulgentia contribuentibus ad fabricam, intelligitur de auxilio, quod sit conveniens ei, qui dat, & secundum quod magis accedit vel minus, de Indulgentia consequitur; unde pauper dans denarium, totam indulgentiam consequitur, dives non, quem non decet ad tam pium opus & fructuosum tam parum dare. Unde manifestè vult B. Thomas, quod eorum, qui idem opus faciunt in substantia, unus plenè consequitur Indulgentiam, alius partem, & plus vel minus, secundum quod accedit ad causam, pro qua concessæ sunt Indulgentiæ. Similiter Richardus de Media-Villa d. 20. in 4. q. 2. a. 2. Cum Indulgentiæ generaliter concedantur, quicunque dedit eleemosynam pro tali facto, habebit annum de indulgentia, pares sunt quoad remissionem extensionis pœnæ sed secundum Geometricam proportionem ad dantem. Et clarius Bonav. d. 20. in 4. Dans Indulgentias considerat causam, pro qua reputat dignum tanta gratia, & secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus, vel minus participant de indulgentia. Concedo igitur inquit, quod indulgentiæ, quantum est ex parte dantis, tantum valent, quantum promittunt, non tamen æqualiter omnibus, sed secundum existimationem illius, quam habuit, vel habere debuit, qui Indulgentias dedit, quem non oportuit exprimere; quia omnes fideles debent in corde præsupponere, quod dona & miserationes Spiritus Sancti donentur cum æquo libramine. Nec hoc debet aliquem ab his retrahere, quia semper plus valent, si homo sit in charitate, quam valeat obsequium vel aliud, pro quo Indulgentia conceditur. Hæc ille. Ex his dico: cùm Prælatus pro exili causa, puta, omnibus contribuentibus unum stuferum, vel dimidium stuferum dat plenam omnium peccatorum remissionem, dissipatio est, & non dispensatio Indulgentiarum; & tunc solum in ea parte, pro qua rationabilis foret, consequitur: Puta, si quis ex illa contributione tantum patitur, quod dignum se reddit, ut si est penitus pauper, totum consequitur, in aliis solum operatur ejus partis remissionem, qua ex sua contributione se dignos faciunt. Ex his omnibus, ut valeant Indulgentiæ, quantum sonant, quatuor requiruntur: Ex parte concedentis authoritas & rationabilis causa; ex parte promerentis status gratiæ, & impletio ejus, pro quo concessæ sunt Indulgentiæ. Quibus concurrentibus promeretur quis plenè indulgentias, si causam ad sufficientiam expleat, nam ad proportionem & mensuram causæ sufficientis Indulgentiæ commensurantur; quod satis probari videtur ex Bulla Bonifacii VIII. qua concedit verè pœnitentibus plenissimam veniam peccatorum, adjiciens, unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur; qui Basilicas ipsas amplius, & devotius visitabit; sed plenissimam Indulgentiam adeptus nihil potest ultra consequi: ergo mens Papæ est, quod, nisi sufficienter devotè visitaverint, plenissimam Indulgentiam non assequuntur, sed infra ad proportionem devotæ visitationis; & sic semper, qui devotius & amplius visitaverit, efficacius Indulgentiam consequatur.

II. *Cardinalis Cajetanus*, qui à Summo Pontifice Augustam in Germaniam missus est, ut revocaret Lutherum ab erroribus circa materiam Indulgentiarum, ac propterea optimè fuerit informatus de mente Ecclesiæ in hac materia, *in Tractatu* 10. de suscipientibus Indulgentias, sic scribit: „Quæstio I. An præter gratiam requiratur ex parte suscipientis Indulgentias aliqua alia dispositio? Circa suscipientes Indulgentias dubium duplex occurrit. Primum, an præter gratiam requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio? Secundum est, an tempore, quo fit opus pro Indulgentia, oporteat operantem esse in gratia?

„ Et in primo quidem dubio pro parte negativa est Authoritas Doctrinæ communis tenentis, ad Indulgentiam sufficere tria, Authoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa.

„ In oppositum est, quod ad plenariam remissionem pœnæ per viam Sacramenti Pœnitentiæ non sufficit gratia ex parte suscipientis; ergo nec ad plenariam hujusmodi remissionem per viam Indulgentiæ sufficit gratia ex parte suscipientis. Antecedens est clarum, alioquin quilibet confessus in gratia consequeretur plenariam remissionem pœnæ. Consequentia vero probatur: Tum, quia Sacramentum est potius, quam Indulgentia; & distributor Thesauri per Sacramentum est longe liberalior, quam quilibet Pontifex: Quoniam liberalitas divina infinitum excedit liberalitatem humanam.

„ In hac quæstione, quia difficile admittitur oppositum eorum, quæ consuevimus, censorem delidero, intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici, quod non sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam Indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis: Quidam soliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas pœnitentias vel petunt à confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continuè student per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando &c. ad hoc. Secundi vere parvissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt: Et cum illam impleverint (quam sciunt esse minimam) non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere, quod non ibunt ad infernum. Et hi sunt, quibus indulgentiæ non prosunt meo judicio. Et ratio, quæ me movet, est; nullus indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita

„ bita consequitur veraciter fructum Indulgentiæ; „ sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita: „ ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum acquirit fructum Indulgentiæ. Major propositio intelligentibus terminos est evidens; Indulgentia enim per satisfactionem alienam (hoc est Christi, & Sanctorum) parit fructum, qui est remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ: Ac per hoc, si est aliquis indignus aliena satisfactione, indignus est Indulgentia. Indignos autem Indulgentia non consequi veraciter fructum illius, tam verum ac manifestum est, ut probatione non egeat apud intelligentes, distributionem divinorum donorum in solis dispositis habere locum: constat autem, indignos non esse dispositos, & divina operatione remissiones fieri pœnarum per Indulgentias humano ministerio ritè concessas.

„ Ad evidentiam autem Minoris prælibanda sunt duo. Primum est, quod satisfactio, pro pœna temporali actuali peccato debita, est onus personale; tenetur enim ipse, qui peccavit, facere satis. Secundum est, quod, licet tam contritio, quam confessio sit ita personalis, quod non possit per amicum suppleri, satisfactio tamen, quia per exteriora bona fit, inter quæ computantur amici, ita est onus personale, quod capax est amicabilis adjutorii. Quibus præmissis probatur minor 1. sic: Indignus amicabili adjutorio est indignus aliena satisfactione; sed constitutus in gratia negligens satisfacere per se ipsum indignus est amicabili adjutorio, quoniam amicitiæ ratio poscit, quòd amicorum sit idem velle, & idem nolle: Et propterea, si ego pro me ipso nolo satisfacere, par est, ut amicus quoque hoc nolit, quin potiùs non amicè peterem, ut me negligente satisfacere, ipse pro me pateretur. Possentque rectè hujusmodi negligentes, quærentesque per Indulgentias satisfacere verbo Domini reprehendi: Alligant onera gravia, & importabilia in humeros hominum, id est, amicorum, digito autem suo nolunt movere ea. Nec obstat, quid Sancti jam passi sunt, quoniam similis est ratio de passionibus præteritis, & futuris, quia illis solis prosunt præteritæ, pro quibus patiendum fuerat: Et ideo, si pro hujusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, nec postea, quod passi sunt, illis amicorum prosunt passiones. 2. Probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem Ecclesiæ thesaurum: Quia in qualibet bene ordinata Republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri: Ex eo enim, quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia; quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur: Legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit à Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat: Hoc enim verè esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt igitur Indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt indulgentia, sed oportet ultra gratiam dispositos ipsos esse, ut digni sint alienis satisfactionibus; fiunt autem digni per hoc, quod sunt parati per seipsos satisfacere: Sic enim sunt digni amicabili adjutorio ad satisfaciendum. Parati autem ad satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus, nisi impedita. Confirmatur autem hoc ex antiqua forma Indulgentiæ, cùm dicitur: Verè pœnitentibus. Pœnitens enim dupliciter dicitur, vel per exclusionem contrarii, vel per positivum affectum pœnitentiæ, quia scilicet vis affectus pœnitentialis in eo secundùm veritatem viget, & hoc modo pœnitens non est, nisi sollicitus ad per se ipsum satisfaciendum. Cùm ergo dicitur; verè pœnitentibus, nisi superfluè, seu ad majorem expressionem oppositum sit ly, Verè, denotat Indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui soli sunt verè pœnitentes, significante participio actum pœnitendi: Qui non invenitur apud negligentes, sed apud sollicitos. Manifestius quoque suadetur hoc idem ex alio verbo ejusdem formæ, cum dicitur: De injunctis pœnitentiis. Constat enim communiter, quemlibet pœnitentem paratum esse ad adjunctam pœnitentiam peragendam, alioquin non acceptasset illam. Et propterea ex hoc verbo duo habentur: Alterum est, quòd Indulgentia non prodest nisi parato per se satisfacere; primum enim horum explicitè, secundum autem implicitè (in quantum paratus ad satisfaciendum supponitur) ex eodem verbo habetur.

„ Et hinc sequitur primò, quòd frustra faceret quis sibi injungi magnas pœnitentias à Confessore, non ut ipsas adimpleret, sed ut per Indulgentias ipsas exsolveret: Quoniam hoc non est esse paratum ad satisfaciendum, sed ad imponendum amicis jugum suum. Sequitur secundò, quòd, si forma Indulgentiæ mutaretur, & ad non injunctas pœnitentias extenderetur, dispositio tamen suscipientis non propterea mutaretur, quoniam ex natura rei exigitur ex parte suscipientis esse paratum ad satisfaciendum secundùm vires per seipsum, ut declaratum est. Nec intelligo hanc præparationem ad satisfaciendum ita strictè, quin per aliquid æquivalens, aut majus suppleri possit, ut patet ex hoc, quod contingit, quandoque causam, pro qua datur Indulgentia, tale ac tantum exigere opus, ut excedat præparationem ad satisfaciendum; puta, si detur plenaria pro actu, quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuæ mancipationi alicujus pii Servitii, aut aliquo hujusmodi. Et tunc causa Indulgentiæ ex parte concedentis tenet lo- „ cum

„ cum causæ rationabilis tantæ Indulgentiæ, & „ ex parte suscipientis supplet locum dispositio- „ nis reddentis dignum amicabili satisfactione. „ Secùs autem est, si daretur plenaria pro visi- „ tante aliquam Ecclesiam: Nam dato quòd cau- „ sa esset rationabilis ex parte concedentis, visi- „ tatio tamen ipsa non supplet vicem præparatio- „ nis ad satisfaciendum, cùm nec illi æquivaleat, „ nec excedat.

„ Ad objectionem autem in oppositum dici- „ tur: Quantum ad D. Thomam spectat, quòd „ aliorum opiniones secutus est, ùt ipsemet tria „ illa colligendo explicat in 4. Sen. dist. 20. q. 1. „ a. 3. q. 2. Quantum verò ad communem „ Doctrinam, quia non nisi opinativa est (cum „ bona reverentia dictum sit) non inconvenit „ adinventis ab ipsis aliquid novi superaddi, quod „ sub forma Indulgentiæ latebat, & ratione pro- „ babili roboratur. Et scito, quòd juxta hunc „ dicendi modum solvuntur omnes quæstiones „ tam de nimis largo Dei foro, quàm de omit- „ tendis suffragiis pro plenariè absolutis in mor- „ te, quàm de admiratione sapientum, & de ab- „ locutionibus detrahentium; & excitantur Chri- „ sti fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid „ adimitur efficaciæ Sacramentorum ex hoc, quòd „ oportet accedentes ad illa esse dignè disposi- „ tos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli quoi- „ dem indigni Indulgentia ab illius fructu juxta „ dicendi modum excluduntur.

Notandum verò, quòd Raynaldus in continuatione Annalium Baronii ad annum 1518. & 1519. doctrinam hanc Cajetani ubique proponat tanquam doctrinam Ecclesiæ.

III. *Bertholdus* Episcopus Chiemensis in Bavaria in *sua Theologia* c. 89. de Indulgentiis, sic scribit: „ Nunc dicam de tribus temporalibus „ pœnis, quæ homini in hac vita imponuntur. „ Prima est à Deo inflicta, altera Evangelica, „ tertia Canonica. Prima est illa, qua Deus „ aliquando punit, & hæc non remittitur per „ Indulgentias, cum & ipsi Pontifices tales pla- „ gas sæpè tolerare debeant; sicut & modernus „ Pontifex (Clemens VII.) à suis hostibus ob- „ sessus in adversitates incredibiles incidit. Al- „ tera pœna est Evangelica, & hæc consistit in- „ terius in patientia, contritione, dolore, de- „ votione, exteriùs in castigatione corporis, & „ multis aliis piis operibus erga Deum & proxi- „ mum; & hanc pœnam Evangelicam nulla in- „ dulgentia tollere potest; alioquin simul tolle- „ retur Crux Christi, quam omnes homines se- „ quendo Christum ferre debent pro nostris pec- „ catis, in quibus perpetuo jacemus, & ratione „ quorum perpetuo oramus: Dimitte nobis de- „ bita nostra. Tertia pœna est Canonica, seu „ judicialis, & hæc iterum est duplex; una con- „ sistit in fori externi punitione, altera datur in „ foro interno. Ea, quæ est fori externi, non „ remittitur per indulgentias; ea verò, quæ est „ in foro interno, est objectum indulgentiarum. „ Indulgentiæ ergo contemnendæ non sunt, eo- „ quòd sint compendiosa via, & opportunum „ auxilium, quo homo adjutus speret, se post „ hanc mortalem vitam brevi æternam consecu- „ turum. Attamen, iisdem ne nimium fidas, „ cave, ne forte in te timor Domini minuatur. „ Omnimodè plus timere oportet Divinam justi- „ tiam, quàm sine actuali satisfactione ac pœni- „ tentia in sola gratia ac misericordia sperare. „ Nam Pontificia indulgentia nec tollit naturalem „ obligationem satisfactionis, quam semper Deo „ præstare tenemur, nec pœnitentiam Evange- „ licam, quam ultrò in nos suscipere obligamur. „ Hinc ob obtentam indulgentiam non segnior „ sis in vitando malo, & studio bonorum ope- „ rum, sed persevera in iis usque ad vitæ ter- „ minum. Indulgentiæ Pontificiæ iis concedun- „ tur, qui veraciter dolent, & pœnitent; verus „ autem dolor est, nullam pœnitentiam fugere. „ Etiamsi indulgentiam Pontificiam consequaris, „ non tamen propterea eo ipso purgatus es ab „ omni reatu & debito, ut statim evoles in cœ- „ lum. Bullæ Pontificiæ non ad pœnam Evan- „ gelicam, aut ad tribunal divinæ jurisdictionis „ ampliari debent, sed intra justos limites coër- „ ceri, ne simplices seducantur, & timor Dei „ cum pecunia perdatur.

IV. *Dominicus Soto*, Ordinis D. Dominici, & insigne lumen illius sæculi, in 4. dist. 21. Disput. 22. art. 2. scribit: „ Ut valeant Indul- „ gentiæ, requiritur causa pia, & justa confe- „ rendi indulgentias: Et quia indulgentiarum „ collatio est vera absolutio à peccatis, sicut in „ Sacramento non potest Sacerdos pro suo libito- „ quemquam absolvere à culpa, sed eum dum- „ taxat, quem judicat absolutione dignum, ne- „ que pœnam temporalem in quamcunque com- „ mutare, sed æstimata qualitate personæ, & „ circumstantiarum; ita neque extra Sacramen- „ tum potest pœnas, quæ relinquuntur, prout „ ei libuerit, relaxare, sed pro causa pia, quæ „ in bonum Ecclesiæ referatur. Indulgentia- „ rum Authores debent illud munus exercere „ exemplo Dei, cujus sunt Ministri; Deus au- „ tem, dum culpas remittit, non gratis omnes „ pœnas condonat; nam sic est summè miseri- „ cors, ut sit etiam summè justus: Et ideo re- „ linquit pœnitentem satisfactionibus obnoxium, „ quas non sine causa remittit; ergo neque ejus „ Ministri absque ulla causa eas possunt relaxare. „ Profectò ratio est urgentissima. Sic enim de- „ bent Ministri satisfactiones Christi & Sancto- „ rum aliis impertiri, ut ejus justitiæ nulla irro- „ getur injuria. Irrogaretur autem, si absque „ ulla prorsus causa homines absolverent à pec- „ catorum pœnis; hac enim ratione facile pur- „ gatorium vacuum relinquerent. Dubium est, „ utrùm quæcunque causa ad quantascunque In- „ dulgentias sufficiat? Sunt enim nonnulli ex „ Discipulis S. Thomæ, qui arbitrantur, hanc „ fuisse ejus opinionem, ut etiam minima causa „ sufficiat. Sed revera nulla hoc ratio permit- „ tit; quoniam causa respectum habere debet ad „ effectum. Non tamen requirimus æqualitatem „ causæ, sed proportionem. Quemadmodum „ autem ex parte conferentis requiritur causa „ pia, ita etiam ex parte recipientis requiritur „ causa pia, ut aliquid faciat in subsidium illius „ causæ, quòd aliquam proportionem habeat „ ad illius Indulgentiæ quantitatem; ergo si ille

„ nihil,

„ nihil, quod fit alicujus momenti, faciet in „ proportione ad illam indulgentiam, certe non „ valebit ei, quantum fonat. Nam etiamfi ne- „ ceffariæ effent preces Ecclefiæ pro incolumita- „ te, nihilominus concedere Indulgentiam ple- „ nariam cuicunque recitanti Ave Maria, vel „ Pater nofter profecto nullam haberet propor- „ tionem, imo quafi pro nihilo fieret illa am- „ pliffima remiffio. Ideo Indulgentia fine pro- „ portionali caufa non valet, quantum fonat.

V. *Bartholomæus Fumus* in Armilla V. Indulg. n. 4. 10. 12. 13. Anno 1545. ait: „Ad effi- „ caciam Indulgentiæ exigitur caufa rationabilis „ non folum Indulgentiæ, fed & tantæ quanti- „ tatis. Non effet rationabile, quod ifte de „ uno jejunio haberet centum dies de Indulgen- „ tia, & alius ut fic haberet mille annos. Quan- „ do dicitur, quod Indulgentiæ tantum valent, „ quantum fonant, intelligendum eft negative, „ id eft, non plus valent, quam fonant, vel in- „ telligitur de difcretis quoad caufam. Dico, „ Indulgentias effe occafionem fæpius multorum „ malorum, maxime quando dantur in tanta „ abundantia, quia propter iftas homines negli- „ gunt bona opera, & pœnitentias facere, & „ magis ad peccandum fiunt proclives, & multi „ jejunarent, & abftinerent à carnibus in Qua- „ dragefima, fed quia per unum Carlinum ha- „ bent indulgentiam, non abftinent; & fic ex „ indifcretis indulgentiis venit ruina Ecclefiæ. „ Ad hoc, quod indulgentia alicui profit, non „ fufficit, quod fit in gratia, fed aliquid aliud re- „ quiritur. Pro quo nota, quod pœnitentes funt „ in duplici differentia; quidam libenter reci- „ piunt pœnitentias à Confefforibus, & implent „ per fe ipfos, & iftis bene difpofitis profunt in- „ dulgentiæ. Aliqui autem funt tepidi, qui li- „ cet fint in gratia, rogant tamen fibi dari pau- „ ciffimam pœnitentiam, & gaudent cum parva „ datur, &, cum illam executi fuerint, non cu- „ rant aliam facere, &, cum poffent fatisfacere „ pro pœna peccatorum, negligunt, & iftis fic „ negligentibus non profunt indulgentiæ. Quod „ autem iftis non profint, patet, quia negligens „ fatisfacere per feipfum eft indignus tali indul- „ gentia: unde in forma indulgentiarum dicitur. „ vere pœnitentibus. In quo verbo intelligitur, „ quod vis affectus pœnitentialis in pœnitente „ viget fecundum veritatem, & non tantum per „ conclufionem contrarii, & fic vere pœnitens „ hoc modo effe non poteft, nifi follicitus ad fa- „ tisfaciendum per feipfum.

VI. *Petrus de Soto* Primarius Theologus Pontificius in Concilio Tridentino inftruct. Sacerd. de Indulg. 1548. fic ait: „Tertia fententia affe- „ rit, tantum valere conceffionem indulgentiæ, „ quantum fufficit caufa, pro qua datur, fecun- „ dum divinam æftimationem. Quare tantum „ proderit indulgentia, & tantum auferet pœnæ, „ quantum pro illa caufa Deus judicat auferen- „ dum. Non ergo, inquit hæc Sententia, valor „ operis tantum confideratur, fed caufa, quæ, „ cum in judicio Dei non eft rationabilis aut fuf- „ ficiens ad totam indulgentiam confequendam, „ acceptabitur ad eam confequendam, ad quam „ coram illo fufficiens eft. Hæc Sententia non „ parum eft probabilis, quam & Hadrianus VI. „ Pontifex in 4. efficaciffimis rationibus confir- „ mat, & Cajetanus Cardinalis in Tr. de Indulg. „ Nunc quartam referamus Sententiam, quam „ B. Thomas, & cæteri magna ex parte fequun- „ tur, valde fane applaufibilem. Dicunt igitur, „ tantum valere indulgentiam, quantum fonat, „ modo fit rationabilis caufa. Quod certe, fi „ verum eft, magna eft collata Authoritas Ec- „ clefiæ & major quodammodo, quam in ipfis „ Sacramentis. Habet quidem hæc fententia, „ quod juxta eam confuetudo Ecclefiæ magis „ plene verificetur; fed, ut verum dicamus, ni- „ mia videtur, & magis ex nimia quadam pietate „ orta; nec confideraverunt, quod poftea ex illa „ in Ecclefia tam late progreffæ funt conceffio- „ nes indulgentiarum; tunc autem 40. dies, aut „ concedebantur, nunc paffim indulgentiæ ple- „ nariæ, & multa centenaria conceduntur. „ Quare pofteriores diligentius confiderantes „ omnino putant, id effe negandum, & ample- „ ctendam effe tertiam Sententiam. Cæterum „ fimpliciter tenentes illam tertiam Sententiam „ efficaciffimis rationibus illam confirmant; & „ quamquam non fit opus certius aliquid defini- „ re, vere tamen tertia Sententia multo videtur „ probabilior, & magis confona juribus ipfis." Hucusque Petrus de Soto, cujus authoritas in noftra Diœcefi Auguftana eo majus pondus habere debet, quia Liber de Inftructione Sacerdotum, ex quo hæc defumpfi, in hac Diœcefi noftra ab Ottone Cardinale & Epifcopo Auguftano omnibus pro regula præfcripta eft; in fua enim Epiftola Paftorali libro præfixa ait: „Da- „ mus vobis doctiffimi fimul, & pientiffimi, & „ nunquam fatis laudati hujus viri (Petri de Soto) „ de inftitutione Sacerdotum librum, omnibus, „ qui animarum curam gerunt, non folum uti- „ lem, fed & neceffarium. Profefforibus Scho- „ læ noftræ (Academiæ Dilinganæ) injungimus, „ ut hunc librum difcipulis fuis perpetuo quo- „ dam ordine à principio usque ad finem legant, „ & finitum rurfus legere incipiant, atque hujus- „ modi lectionem ad eundem modum fingulis an- „ nis continuent, ut fic difcipuli fufficienter „ eruditi Sacris initiandi in examine Ordinando- „ rum ad facros ordines promoveri poffint; ita „ enim à nobis certo conftitutum eft, & Exami- „ natoribus noftris mandatum, ut non alios ad „ facros ordines fufcipiendos admittant, quam „ quos prædicto modo inftructos effe deprehen- „ derint. Actum Dilingæ 1558." Obfervo etiam Summam Cajetani Cardinalis in Synodo Auguftana 1548. in Diœcefi noftra præfcriptam effe; ut proin fequendo doctrinam Cajetani, & Petri de Soto non tam veritatem fequamur, quam Majorum imperia.

VII. *Andreas Vega* Infignis Theologus in Concilio Tridentino L. de juftificat. l. 13. c. 13. Anno 1550. fic ait: „Non placet abrogare po- „ teftatem Sacerdotibus ad remittendum in to- „ tum peccata; diceremus igitur, habere quidem „ Sacerdotes eam facultatem, &, fi legitime ipfa „ fungantur, poffe penitus omnem reatum pec- „ catorum expungere. Tunc autem legitime ea „ fungun-

„ funguntur, cum condignas satisfactiones pœnitentibus injungunt; intellexit enim Ecclesia, „ neque dubium est, quin id didicerit ab Apostolis, non aliter sibi traditam esse hanc potestatem, quia neque aliter expediebat commodæ „ gubernationi fidelium, neque gratia baptismi „ derivanda erat ad alia Sacramenta, ne retundantia clementiæ cœlestis incentivum fieret „ delinquendi, & ipsa Indulgentiæ facilitas testimonium videretur, quod aut Deus non offenderetur peccatis nostris, ant quod ipsa non „ essent ita gravia, & lugenda mala, ac nobis „ passim tradit verifica Scriptura. Cumque illis „ verbis: Quorum remiseritis &c. Apostoli intellexerint, se constitutos esse Judices peccatorum, ex ipsa natura Judicii intelligere potuerunt, non aliter sibi tradi potestatem dimittendi peccata, quam condignis satisfactionibus „ impositis. Et quo nomine pejus audire poterat apud infideles nostra Religio, quam si intelligerent, apud nos una contritione & detestatione peccatorum creditum esse in totum „ dimitti peccata? Quod perniciosius exemplum „ ad ipsos transmitti poterat? Qua ratione abusum concedendi plenissimas indulgentias propter unum Ave Maria, vel unum Pater noster, „ aut alia similia, vehementer cuperem de Ecclesia tolli; enervat enim satisfactiones pœnitentiales, & dedecorat Ecclesiam, atque ipsas indulgentias contemptui exponit, & Adversariis „ nostris causam calumniandi præbet, & contra „ authoritatem veterum, & contra ipsum jus „ Pontificium est introductus." Ita Vega. Et revera procedit ipsius Argumentum, nisi Ecclesia tacitè apponat indulgentiis conditionem congruè satisfaciendi.

VIII. *Michael Medina* Insignis Theologus in Concilio Tridentino, qui & suum Tractatum de indulgentiis jussu ejusdem Concilii conscripsit, eidemque dedicavit, Tr. de Indulg. Disp. 8. c. 41. Anno 1560. sic ait: „Dico, Pontificem alí„ quando per modum potestatis tantum, id „ est, nullo Ecclesiastici Thesauri adjuncto auxilio, posse peccatorum temporales pœnas „ condonare; quemadmodum & nullis rationibus convinci potest, eundem seposita pauli„ sper potestate per Ecclesiasticum Thesaurum „ tantum eas pœnas posse compensare. Est autem advertendum, tunc æquam esse condonandi pœnas peccatorum per modum potestatis occasionem, quando pœnitens alioqui per „ externas afflictiones in seipso bene punit, quod „ male gessit. Utendi autem tantum applicatione thesauri occasio est, quando constante legitimo cordis dolore, acpœnitentia, sine quibus valere nequaquam possunt indulgentiæ, „ aut per veram impotentiam, aut per animi fragilitatem peccator in satisfactorios illos cruciatus prodire nequit. Potestate demum ac thesauro simul, quando peccator neque pro pœnarum dilutione acerbas illas afflictiones suscipit, neque tamen omnino illis cruciatibus & „ pœnis compensandis est excors. Primi autem „ ratio est, quoniam hujus potestatis Ministri „ non in destructionem eandem acceperunt, sed „ in ædificationem Ecclesiæ; esset autem ingens „ Ecclesiæ subversio erga eos potestate uti, qui „ nihil ex se ad debiti solutionem impenderent. „ Secundum etiam ex eadem ratione apertum est; „ nam si tunc tantum utendum est Ecclesiasticis „ Clavibus ac potestate, quando peccator per „ voluntariè susceptas afflictiones eisdem potestati & clavibus se præbet idoneum, quando „ ergo hæc ratio non occursaverit, erit Ecclesiastico Thesauro debito faciendum satis. Tertii ratio ex his dilucescere satis poterit. Nam „ si peccator per susceptas juxta hujus vitæ mortalis fragilitatem condignas pœnitentias se clavibus & solvendi potestati idoneum præbet, „ utendum est sola potestate; & quando non per „ ullam animi malitiam, sed per solam quamdam „ infirmitatem, quæ citra peccatum accidere solet, non satisfacit, utendum est Ecclesiastico „ thesauro. Certè quando peccator satisfacere „ quidem aliquatenus satagit, sed non tanto est „ in hac parte animi fervore, ut omnino erga „ illum potestate sit utendum, simul & potestate, „ & thesauro utendum erit.

IX. *Joannes Hesselius* Professor Academiæ Lovaniensis, & celebris Concilii Tridentini Theologus Part. 2. Cacech. c. 46. anno 1560. ait: „Si plenariam indulgentiam acciperet omnis, „ qui utcunque contritus est, & confessus, qui „ est in statu gratiæ, male diceret Bonifacius „ VIII. Extrav. Antiq. quod unusquisque plus „ mereretur, & efficacius consequetur indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius & devotius „ frequentaret. Quare non est putandum, ut „ quidam docent, quod, quicunque indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur, „ absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum, oportet, pro peccato „ pœniteat, & valde pie perfecteque participet „ indulgentias, cui hoc contingit. Et revera, „ si ad hoc, ut plenarias indulgentias homines „ acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ, „ plurimum evacuaretur studium pœnitentiæ & „ satisfactionis, nec vellent homines ullam subire „ pœnitentiam, si putarent, se alioquin plenarias „ indulgentias, & totius promeritæ pœnæ condonationem esse accepturos.

X. *Martinus Navarrus* Dictus Monarcha Juris, Comment. in §. levit. de Jubilæo Notab. 21. anno 1570. sic ait: „Videtur ad Indulgentiam „ sufficere, ut homo sit vere contritus & confessus, & opus impleat. Contrarium tamen „ Cajetanus affirmat, dicens, necessarium esse præter prædicta adepturo Indulgentiam, acceptasse „ à Confessario agendam, aut omnino proposuisse agere tantam pœnitentiam, quanta illi „ pœnæ delendæ sufficit; aut certe illa esse „ mente, ut per sua bona opera, piasque passiones, & labores velit in hoc Sæculo Deo „ satisfacere; aut opus, ob quod Indulgentia „ conceditur, adeo sit arduum, ut velle id ob „ illam quærendam subire sit tantum, vel plus „ facere velle, quam pœna debita pro sua satisfactione requirat; quod contingit in his, qui„ bus ob mortem naturalem vel civilem propter „ Chri-

„ Christum oppetendam plenaria conceditur indulgentia. Quæ opinio abhinc duodeviginti annis cùm in celeberrima Salmanticensi Academia prælegerem, arridere cœpit, & nunc etiam perplacet. Movet me autem ad hanc opinionem tenendam, primò, quòd per eam Indulgentiis suus honor servatur &c. Secundò, quòd indignus est aliena ope, qui sibi non vult opitulari &c. Tertiò, quòd Vicarius, & Delegatus alicujus non debet facere id, quod Principalis non faceret; at Christus non juvaret suis satisfactionibus eum, qui torperet &c. Quartò movet me, quòd, qui irrationabiliter vult sibi distribui indulgentiam, peccat, & indignum se facit eâ; at, qui pœnitens pro pœna per eum personaliter luenda, cùm possit, non vult pro se redimendo laborem perferre, & vult Christum & servos ejus pro eo pati, irrationabiliter id videtur velle; quoniam perinde se habet, ac debitor pœnæ verberum, si is habitu corporis ad labores apto, & pecuniosus nollet suo se labore vel pecunia à tam gravibus cruciatibus redimere, sed vellet, & peteret, ut suus amicus omnem laborem ad id necessarium subiret, vel pecuniam omnem solveret: Irrationabiliter profectò id vellet & peteret, ac per consecutionem peccaret saltem venialiter; indulgentia autem per actum, qui malus est, etiam venialiter tantùm, quæri nequit. Non obstat huic rationi, quòd Christus & ejus Sancti jam sunt passi, & ita hujusmodi pœnitens nun velit eos pati, sed passionibus eorum per Ecclesiam dispensatis frui: Quoniam illi non passi, pro quibus erat patiendum, & ideò, si pro pœnitentibus satisfacere negligentibus non erat patiendum, non sunt etiam pro eis passi. Sextò movet me, quòd ex ærario publico non debet succurri eis, qui, cum possint de suo æs alienum solvere, nolunt; quoniam per id daretur materia negligentiæ delicti. Et ne dicas: hanc rationem concludere, nemini ferè largiendum esse indulgentiam, eoquòd ferè nemo est, qui, si velit, non possit pro suis peccatis satisfacere. Ne, inquam, hoc dicas: considera, quòd, qui non potest commodè facere, non posse dicitur. Septimo movet me, quod ii, qui proponunt in hac vita satisfacere justitiæ divinæ, soli dicuntur verè pœnitentes, eoquod non solùm carent actu contrario pœnitentiæ, sed etiam habent actum virtualem ejus, nempe voluntatem justè pro pœna satisfaciendi, & indulgentia tantùm verè pœnitentibus conceditur &c. Itaque in ea sum opinione, ut satis putem solertem disputatorem posse quidem ad hæc Argumenta coloratè in hominum etiam doctorum theatro respondere, coram Deo vero, & in scrinio conscientiæ sereno, minimè. Quare omnes etiam atque etiam rogo, & adhortor, ut hanc opinionem amplectantur, eam concionentur, populoque ad indulgentias prono eam suadeant, & ad concipiendos animos satisfaciendi pro peccatis suis in hac vita pro viribus cohortentur.

XI. *Fr. Franciscus Polygranus* Assert. Dogm. Ecclesiæ. f. 63. Anno 1571. ait: „ Quomodo licitus, utilisve sit talium Indulgentiarum usus, aliquot regulis explicabimus. 1. Indulgentiæ apud divinam justitiam tantum de pœnis perferendis tollunt, quantum concedit homo. Ut si Pontifex pro una eleemosyna sive oratiuncula centum annos relaxet de injunctis pœnitentiis, debitor non sum hos annos pœnitere; nec tamen sequitur, mox relaxatos annos centum de pœnis purgatoriis, si totidem mihi quoque deputasset Deus. Ratio est, quia sicut Deus non approbat clavem in dimissione culpæ, nisi id rei pœnitudo promereatur, ita nec in dimissione pœnæ, nisi id vel devotio, vel opus pietatis in accipiente mereatur. Quare sæpissimè fallunt indulgentiæ, quæ vel humano favore, aut recipiendi cupiditate parum dignis pro re levi distribuuntur, & quidem sub annorum aut centenariis, aut millenariis; fallunt, inquam, si anni concessi non ad hominis pœnas, sed ad Dei justitiam referantur. 3. Indulgentiæ dandæ non sunt, nisi pro opere aliquo pietatis, & quidem conferendum est ejusmodi opus cum dono, vel agentis devotione, vel operis magnitudine, ut id divinitus comprobari impartiens indulgentias non dubitet. Nihil enim potest humana sententia, si non quoque faveat divina. 4. Opus pietatis, quod pro merendis fit indulgentiis plus valet ad relaxandum, quàm simile, quod nullo fit indulgentiarum respectu. 6. Non sunt nisi pro manifesta necessitate aut rationabili causa donandæ indulgentiæ, ut, puta, dum vel vires vel tempus satisfaciendi præsumitur homini deesse, ne per venias homo ad malum laxetur facilius, vel fidentius à vitæ rigore torpescat. Quàm vero parum pia fit prodiga indulgentiarum pollicitatio, S. Cyprianus videtur suo ævo conquestus. l. 1. Epist. 4. & Serm. 5. de lapsis, dum ait &c. Hæc atque alia vir pius S. Cyprianus in suborientem veniarum abusum proloquitur, quibus & palam ostendit, eos sic indulsisse peccantibus, ut opera satisfactoria, seu dignos pœnitentiæ fructus prorsus eliderent, ac Dei misericordiam minimè agnoscerent, quod & nos pari fide damnamus, qui nihil dicimus, hun anam indulgentiam, nisi à Dei misericordia prius profecta sit, nec cuiquam prodesse, si hinc fiat ad operandum remissior.

XII. *S. Carolus Borromæus* in Concione, seu Pastor. Anno 1575. Romipetas suos tempore Jubilæi sic alloquitur: „ Cum tali affectu ac devotione hanc sanctam peregrinationem instituere debetis; relinquentes omnem curiositatem, vanitatemque mundanam. Nec id vobis satis videre debet, quod Urbem Romanam, ac Ecclesias & Reliquias Sanctorum visendas adieritis; sed huic quoque vestram & perfectam pœnitentiam adjungere debetis, quatenus peregrinatio ista in gratia Dei cum tali carnis, sensuumque vestrorum mortificatione instituta in satisfactionem pro peccatis vestris vobis esse possit.

XIII. *Joannes Egolfus* Episcopus Augustanus, qui anno 1575. præfatam S. Caroli admonitionem suam fecit, dum eam suis ovibus commen-

mendavit, in Promulgatione Bullæ Pontificiæ per Diœcesin Augustanam sic ait: „ Omnibus „ animarum Pastoribus sollicitè commendatum „ esse cupimus, ut populum de Indulgentiarum „ virtute instruentes ad easdem plenè consequendas exhortemini; quod quo facilius facere possitis, Illust. Card. & Arch. Borromæi Concionem de hoc argumento italicè conscriptam & „ nuper Mediolani editam in Latinam pariter „ & Germanicam linquam transferri, & typis „ mandari curavimus; vos omnes monentes, ut „ salutarem pientissimi Præsulis exhortationem „ licet alibi, & ad alios habitam, ad vestram „ utilitatem, accedente etiam nostra commendatione, convertere studeatis.

Datum Dilingæ 1575.

XIV. *Baronius Cardinalis* Anno 1600. postquam ad annum 1073. retulerat, Gregorium VII. Episcopo Lincolniensi Indulgentiam misisse his verbis: „ Absolutionem peccatorum tuorum, „ sicut rogasti, tibi mittere duximus, si tamen „ bonis operibus inhærendo commissos excessus „ plangendo, quantum valueris, corporis tui „ habitaculum Deo mundum templum exhibueris. *Subjungit hanc suam reflexionem*: Ut appareat, Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, be- „ ne operari non præmittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.

XV. *Cardinalis Palavicinus* Hist. conc. Trid. l. 2. n. 5. ait: „ Narrat Petrus Suavis, Adrianum „ propenso fuisse animo, ut eam doctrinam, „ quam privatus Author tradiderat, Pontificia „ authoritate firmaret, nimirum Indulgentiarum „ fructum percipi pro ea mensione pietatis, qua „ injunctum opus perficitur, sed addit, Pontificem à Cajetano esse deterritum, dicente, sibi „ quoque hanc opinionem animo insedisse, sed „ suis in voluminibus ita temperasse, ut non „ nisi homines in litteris exercitatissimi germanum è verbis suis sensum possent elicere; quod „ si hæc doctrina fuisset evulgata, periculum „ esse, ne hæc res hominum fervorem in obtinendis indulgentiis esset frigefactura. Verum „ hæc narratio ab horum Scriptorum Sententia „ valde discrepat: Nam Adrianus in 4. opinatur „ quidem, Indulgentiæ fructum non aliter metiendum, quam pro mensura rationis, cujus „ gratia hujusmodi operi conceditur indulgentia; sed nec ille unquam putavit, hoc rationis momentum coarctari ad tantum fructum, „ & non amplius, quantum consequeretur à „ Deo illud opus per seipsum, & absque indulgentiæ dono. Sententia ab Adriano excogitata, qua tum omnium indulgentiarum largitio „ ut rationi consentanea defenditur, tum stimulantur fideles ad opera per eas injuncta peculiari pietate præstanda, in eo versatur, quod quodcunque opus honestum oriri potest ab actu charitatis magis, magisque ferventi; unde si operatio illa exterius consideretur, prout conflat „ unum meritum conjunctum cum voluntate „ interiore, à qua procedit, ejusmodi semper „ esse potest, ut jure optimo Pontifex ejus gratia indulgentiam quantumvis amplam impertiatur. Quapropter Pontifex nunquam elargitur „ nec ex irrito, neque prodigè, concedendo „ quamcunque, vel maximam indulgentiam ex „ quocunque vel minimo opere, cùm habeat in „ animo eam concedere, quatenus peragatur „ opus ex tanta charitate, quanta satis est, ad „ causam constituendam hujusmodi concessioni „ congruentem, cùm verò charitas hunc infra „ gradum adest, ex mente Pontificis conceditur „ tanta pars indulgentiæ, quanta congruè concedi possit illius operis gratiâ, eo modo peracti. Quare ex una parte fideles certò sciunt, „ sibi aliquid emolumenti ex indulgentia proventurum, ubi divinæ gratiæ compotes præscriptum sibi opus compleant; ex altera stimulantur ad illud, quàm exactissimè possunt, exercendum, quò uberiorem fructum inde decerpant. Præterea, cùm illis nunquam in „ comperto sit, opus eo pietatis ardore à se „ perfectum fuisse, qui satis fuerit ad plenam „ indulgentiam consequendam, compelluntur, „ ne nova unquam piacularia opera prætermittant, quo perpetuò ex aliis atque aliis indulgentiis subsidia sibi comparent. Hanc autem „ opinionem non minus ingeniosam, quàm rationi concordem, validè confirmavit Adrianus „ Bonifacii VIII. Constitutione in promulgando „ seu instituendo Jubilæo, ubi hortatur Pontifex „ fideles ad exequenda opera ibi statuta, quàm „ maxima possint, pietate, quo plenius efficaciusque indulgentiæ beneficiò perfruantur. „ Jam vero apud se quisque perpendat, an ex „ hac sententia liceat arguere, quòd hæc hominum fervorem frigefactura esset. Extinqueretur potius hic fervor, ubi fideles opinioni „ contrariæ firmiter adhærerent, hoc est, obtinendi plenitudinem indulgentiæ, quocunque „ tandem modo injunctum opus perfecerint; „ tantum enim industriæ nequaquam adhiberent „ ad novas iterum indulgentias aquirendas, neque, quò lucra ex iis caperent, qui sacram „ iconculam obtinerent, amplissimis indulgentiis „ præditam, longas peregrinationes susciperent, „ aliaque opera magni laboris. Præterea, quodnam tandem arcanum illud erat, quod debuisset, ac potuisset homines latere? Nonne „ illud pronunciaverant inter Scholasticos S. „ Bonaventura, Richardus, Gabriel, Major, & „ Joannes Gerson? Inter Canonum consultos „ Innocentius Pontifex, & Felinus? Nonne „ paucos ante annos in duobus Tractatibus illud „ typis impresserat ipsemet Cajetanus? Quis „ illiteratus Confessarium mediocriter doctum „ percunctatus idem non audivisset. Nec satis „ fuerit respondere, Confessarios illud tanquam „ opinionem disputationi obnoxiam, non tanquam veritatem obsirmatam, dicturos fuisse: „ Nam ad elevandam in populo fiduciam, æstimationemque Indulgentiarum primum abundè „ fuisset. Non igitur ex tam inepta ratione, „ quam acutissimo Cajetano Suavis imponit, sed „ ex alia causa id statuere non oportebat. Ea „ verò fuit, quòd Ecclesia minimè soleat sententias damnare pluribus, præcipuisque Theologis innixas, qualis erat contraria sententia. „ Et quo refelleretur Lutheri oppositio, modi-

„ câ

„ ea verborum impensa satis erat hoc breve re„sponsum: Si ipsi minus congrua videbatur opi„nio liberalior de indulgentiarum vi, strictiori „adhæreret, nec communem Ecclesiæ doctri„nam improbaret cujusdam rationis objectu, „quæ illi doctrinæ vim universe non incutit, sed „uni solum peculiari modo, quo eam amplificant „nonnulli Scriptores. Ut adeo plus quam ve„rum sit, illud ipsum Pontificum, Sedisque Apo„stolicæ causam strenuè tueri.

XVI. *Thomas Zerula* Episcopus Beneventanus Ord. FF. Minorum Tr. de Jubil. & indulg. c. 14. n. 17. Anno 1600. sic scribit: „Quæritur, „si conceditur Indulgentia plenissima, & propter „illam lucrandam imponitur aliquod opus fa„ciendum, & aliqui vere pœnitentes facerent „idem opus, an omnes isti æqualiter lucriface„rent? Respondetur, quod sic, si omnes æqua„liter & sufficienter illud facerent: si vero alter „illorum majore devotione, fervore, charita„te, & pœnitentia illud perageret, majorem „consequitur. Et sic posset stare, quod quis to„tam, alter dimidiam, alter tertiam, alter quar„tam partem consequeretur; nam causa conce„dendi indulgentiam multum augetur, vel mi„nuitur ex modo eam implendi. Solet etiam „aliquis plus, minusve lucrari ob respectum mi„noris, & majoris pœnæ debitæ; nam qui mi„norem deberet, lucraretur plenissimam, qui „majorem non tantum, sed aliquam partem ad „diluendam partem illius, & non totam. Si ali„cui conceditur indulgentia plenaria ob causam „aliquam levem, puta, si visitaverit Ecclesiam „aliquam vicinam, dicere unum Pater noster, „vel audire concionem, esse præsens Benedictio„ni Papali vel Episcopali, an consequatur illam, „stante hac causa levi, & facili? Respondetur, „quod ille posset hoc facere cum tanta charitate, „& fervore, & habere tam parum pœnæ persol„vendæ, quod consequatur totam illam indul„gentiam, etsi plenissima esset. Et econtra, si „alicui concedatur indulgentia talis cum aliqua „causa ardua & difficili, & ille cum tali exili & „parva devotione, lenta suorum peccatorum „contritione, pigra reverentia illud faciat, quod „non consequetur illam totam: puta, si diceret „indulgentia, qui jejunaverit quarta, & sexta „feria, & Sabatho, & die Dominico confessus „fit, & communicaverit, & largitur eleemosy„nam, si hoc faceret mente frigida, & tepida „devotione, non lucraretur plenissimam, sed „tantam, ad quantum se extendit illa sua prædi„ctorum adimpletio. Nav. Not. 13. 14. Ger„son, c. 15. dub. 25. Dubium, an in suscipien„te requiratur plusquam charitas? Respondetur, „quod Cajetanus dicat, quod si quis in hac vita „aut parum, aut nihil curat redimere pœnam, „seu parum curat satisfacere pro suis peccatis, „illi Indulgentiæ non prosunt. Tamen Soto, & „multi Recentiores dicunt, quod ei prodest, etsi „hoc non haberet. - - - Respondetur ergo, „quod, quando dicitur, aut nihil aut totum lu„crari, intelligitur nihil, si deficiat aliquod essen„tiale, puta, jejunium, eleemosyna, confessio; „uno illorum dempto nihil lucratur. Si vero „servatis essentialibus, puta, illis omnibus, de„ficitur aliquantulum in accidentalibus, puta, „causa non sufficiens, vel torpor, parva contri„tio, hebetudo, parva devotio, tunc lucratur „juxta proportionem causæ, & dispositionis sus„cipientis; & ita concordantur omnia. --- Se„cundo maxime notandum est, & quod solitus „fui inculcare sæpius in meis Concionibus publi„cis & privatis, dum sermo aliquando incideret „de indulgentiis, quod ex præmediato animo, „consultissime ponitur à Summo Pontifice in Bul„lis Indulgentiarum illud adverbium; verè pœ„nitentibus. Nam pauci, & puto, paucissimi „acquirunt indulgentias. Et ratio prima est de „contritione, quæ difficilimè haberi potest; „nam in contritione requiritur dolor magnus „propter offensam Dei, & non propter pœnas „inferni, & votum satisfaciendi. Et sic cessat „admiratio quorundam dicentium; ô magnam „Indulgentiarum largitatem! Magna nimirum „largitas, sed exigua acquisitio. Quid ergo di„cendum; ergo nullus lucrifaciat indulgentias? „Respondetur, quod sic; ut viri pii frequentan„tes Sacramenta, se exercitantes in actibus bo„nis, & operibus misericordiæ non habentes ma„lum habitum in vitiis, nec malas voluntates, „verum dolorem de præterito, verum propofi„tum de futuro, & desiderium, si non potest „actu, saltem virtute præstandi reliqua, confi„dere in divina misericordia, laborare in satis„faciendo, & suspirare apud Clementissimum Ju„dicem, & adhibere sibi Sanctos Advocatos. „Non alias, si millies Romam pergas ad annum „Sanctum Jubilæum, & millies vadas ad Loca „Sancta indulgentiarum, sine his requisitis, mil„lies vestigia teres, & oleum, & somnum per„des. Igitur hæc debemus bene ruminare; nam „multi putant lucrari indulgentias, quas longius „potius fugant à se: & quod Summi Pontifices „& Prælati Ecclesiæ non sunt adeo largi & libera„les ad concedendas indulgentias, licet multas „indies concedant, quia postea restringunt per „adverbium illud tremendum: Vere pœniteni„bus.

XVII. *Genettus Episcopus* Vasionensis in Archiepiscopatu Avenionensi, cujus Theologiam Moralem *Clemens XI.* legit & imprimi jussit, Tract. 6. c. 7. q. 9. sic ait: „Quæres: Possuntne Confes„sores abstinere ab imponendis satisfactionibus „convenientibus tempore Jubilæi? Videtur „enim indulgentias fore inutiles, si peccatores „semper tenentur exequi satisfactiones peccatis „convenientes & proportionatas? Resp. In nul„lo legimus Concilio, in nullo Ecclesiæ Patre, „quod Jubilæum, aut quæcunque alia Indulgen„tia eximat Confessores ab onere injungendi „pœnitentias salutares, ac qualitati criminis, & „facultati pœnitentium convenientes. Unde „semper ejusmodi satisfactiones imponi debent; „primo, quia ut diximus, ex Concilio Tridenti„no, magnopere à peccato revocant. Secun„do, quia Ecclesia non videtur ea tollere, quæ „à Sanctis Scripturis, Conciliorum Decretis, ac „Patrum Sententiis præcipiuntur, qui, ut optime „notavit S. Carolus, obligant peccatores, ut „dignos pœnitentiæ fructus faciant, & ad Deum „se convertant in jejunio, fletu, & planctu.

„ Quare ut ait idem Archiepiscopus, Parochus „ videbit, ne pro peccatis gravibus levissimas „ pœnitentias injungat. Ipsi etiam Summi Pontifices in Bullis Jubilæi asserunt, se Indulgentias „ conferre vere pœnitentibus & confessis; ut patet ex Bulla Bonifacii VIII. & Paulus II. in Bulla reductionis Jubilæi, quæ incipit; Ineffabilis „ addit: ut mortis hujus, & damnationis detrimenta evitent, his atque aliis meritoriis operibus peccata sua omni ex parte studeant expiare, ut saltem per hæc remedia atque remissionum & Indulgentiarum largitionem hujusmodi „ ad æternam mereamur beatitudinem pervenire. „ Ideoque S. Carolus in Pastorali monet, ut non „ solum in Jubilæo Romam adeant, verum etiam, „ ut iter hoc cum tanta carnis & sensuum mortificatione conficiant, ut prodesse valeat in satisfactionem peccatorum. Quod quidem declarat, Sanctum hunc Archiepiscopum manifestare voluisse, unumquemque eniti debere, misericordiam Dei promereri bonis operibus, & Jubilæi Indulgentiam intueri, non tanquam occasionem negligendæ pœnitentiæ, sed tanquam „ medium, quod supplere possit impotentiæ & infirmitatis nostræ defectus, nosque juvare, ut „ plenam, integramque pro peccatis nostris Deo „ satisfactionem exhibeamus. Illi igitur, qui vere cupiunt esse dispositi ad accipiendas indulgentias, debent, ut Ecclesiæ puræ intentioni „ respondeant, sese excitare ad sinceros pœnitentiæ motus, operam dare, ut anteactæ vitæ „ peccata purgent, secundùm vires suas vero, „ sinceroque studio, illius Apostoli ad Galatas „ dicti recordantes: nolite errare, Deus non irridetur. Et tunc licet satis virium, satis constantiæ non suppeteret, ut ex toto implerent, „ quod requiritur ad peccatorum satisfactionem, „ Ecclesia, quæ habet rationem bonæ eorum voluntatis, & fragilitatis miseretur, supplet per „ exhibitas indulgentias eorum defectus, ut divinæ justitiæ perfectè satisfacere valeant, quod „ per sua bona opera præstare minime prævalent.

XVIII. *Eminentissimus Cardinalis Denoff. V.* Genettum. l. cc. sic ait: „Cavete abusum, quem „ aliqui Confessarii introducunt, ut tempore Jubilæi, & occasione Indulgentiæ plenariæ, sub „ prætextu, quod, si ad litteram adimpleantur „ opera præscripta in concessione Summi Pontificis, remittantur cum culpa omnes pœnæ, imponunt magnis peccatoribus levissimas pœnitentias: quia scilicet hæc praxis contraria est „ intentioni Ecclesiæ, quæ vult quidem adjuvare „ filios suos, ut per indulgentias possint satisfacere pro pœnis debitis, quas aliqui non possunt „ omnino persolvere, aut propter debilitatem „ virium, aut propter brevitatem vitæ, aut certe, quia vix aliquando pœnitentias peccatis „ convenientes impleverunt; sed Ecclesia non „ intendit dispensare à lege divina, quæ ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos obligat, aut „ pigritiam seu negligentiam inspirare in exercendis operibus satisfactoriis tantopere in sacra „ Scriptura & à sanctis Patribus commendatis. „ Eadem Ecclesiæ mens manifestatur in multis „ Bullis Pontificiis, in quibus Summi Pontifices „ exprimunt, se indulgentias elargiri vere pœnitentibus; quæ clausula sinceram omnium peccatorum detestationem, firmum non peccandi „ propositum, & voluntatem congruè satisfaciendi importat. Equidem, si ita dispositus sit „ peccator, & juxta vires conetur divinæ justitiæ „ satisfacere, tunc Ecclesia, velut pia Mater cum „ indulgentiis adhibitis adjuvat, ut possit debita „ omnino persolvere, si plenariæ sunt, aut aliquam partem, si sunt limitatæ. Quapropter „ aliquando fieri potest, ut Indulgentias plenarias non omnes illi plene consequantur, qui deposito peccatorum affectu conditiones præscriptas ad litteram impleverunt, quia scilicet non „ omnes æqualis summæ debitores sunt, nec omnes „ æqualiter conati sunt debita minuere; & superior indulgentias concedens dictas circumstantias saltem habitualiter attendit & ponderat. „ Hæc est S. Bonaventuræ doctrina: Indulgentiæ, „ inquit, quantum est ex potestate dantis, tantum „ valent, quantum promittunt; non tamen cuilibet tantum valent, nec æqualiter omnibus, „ sed secundùm existimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit, qui Indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere, quia omnes „ fideles debent illud in corde præsupponere, „ quod dona & miserationes Spiritus Sancti donentur cum æquo libramine. Illud etiam inferri potest ex aliquibus Summorum Pontificum „ constitutionibus, Bonifacii VIII. Innocentii IV. „ & hæc est Cardinalis Cajetani opinio. Ecclesia „ etiam nunc Indulgentiarum thesaurum cum eadem intentione dispensat; idcirco, dum concedit Jubilæos, imponit semper opera ex natura „ sua satisfactoria, ut sunt jejunia, eleemosynæ, „ orationes, & Ecclesiarum Visitationes; & dum „ alias Indulgentias plenarias elargitur, obligat „ ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ad „ implendam operam pœnalem præscriptam, ut „ ita modum suggerat fidelibus lucrandi tales indulgentias, aut dando complementum cum his „ operibus satisfactioni jam inceptæ, aut supplendo, quod deest pœnitentiarum defectibus, „ exercendo opera pœnitentialia in Bullis præscripta, & dolendo de peccatis cum extraordinario fervore. Cum igitur hæc opinio Ecclesiæ „ menti magis conformis videatur, cum S. Bonaventura concludendum est: Ideò sanum consilium est, quòd homo semper pœniteat. „ Hucusque Eminentissimus.

His addi posset Epistola hactenus inedita Bellarmini, quam Roma à Subsecretario S. Congregationis Indulgentiarum accepi. Quia tamen magis adhuc notabilia continet circa *Altaria Privilegiata*, eam in Quæstionem sequentem reservo. Præter allegatos autem Scriptores attuli plures alios in *Historia Indulgentiarum*, Augustæ apud Veithium edita, & recussa Venetiis apud Ricurtium, quibus addi possunt PONTASIUS, P. ANTOINE S. J. & VIRGINIUS VALSEUHI, Ord. D. Benedicti in Italia, cujus opus fuit editum Florentiæ sub titulo: *Delle Indulgenze, e delle dispositioni per conseguirle.* Addi nunc possent alii Scriptores non Galliæ solum, sed etiam Italiæ, qui hanc quæstionem attingunt; inter quos Abbas

bas HIERONYMUS FRANSONE, in opusculo: *Disinganno per li Sacerdoti.*

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Datur in Ecclesia potestas, dispensandi thesaurum Ecclesiæ etiam pro totali remissione pœnæ temporalis. Ergo in indulgentia plenaria ad obtinendum totalem ejus fructum non requiritur conatus satisfaciendi congruè. Ita P. THEODORUS in Opere de *Indulgentiis* in genere & specie Romæ impresso c. 8. art. 3. fol. 278. *c. patet*, quia si requireretur conatus congruè satisfaciendi, Indulgentia plenaria jam non esset remissio totius pœnæ temporalis. *Ant. prob.* ex Bulla Clementis VI. *Unigenitus* de Pœnit. & Remiss. ubi sic habetur: *Quem thesaurum per B. Petrum, ejusque successores commisit fidelibus salubriter dispensandum, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ.* 2. Pontifices in Bullis Indulgentialibus concedendò Indulgentiam plenariam nullibi requirunt propositum congruè satisfaciendi, aut aliam conditionem, nisi quod debeat fieri *ex rationalibus causis*, ut habetur in præfata Bulla CLEMENTIS VI.; atque ut recipientes indulgentiam sint *verè pœnitentes*, seu, ut in alia Bulla Leonis X. *Per præsentes* habetur, ut *charitate jungente sint membra Christi*, quod totum habetur per statum gratiæ, seu contritionem sufficientem ad obtinendum statum gratiæ. Ergo non requiritur studium congruè satisfaciendi.

RESPONDEO

Ad 1. dist. datur potestas ad thesaurum *salubriter* ac *rationabiliter* dispensandum. c. *insalubriter & irrationabiliter*. n. Ipse Pontifex hunc terminum ac modum potestatis apponit. Esset autem *insalubris & irrationabilis* Indulgentiarum plenariarum à ducentis annis facta profusio, nisi iis inesset tacitus modus, ut Indulgentia plenaria valeat quidem omnibus plenariè in *actu primo*, sicut passio Christi, sed in *actu secundo* tantùm proportionatè ad cujusque satisfaciendi studium; imo etiam plenariè iis, qui considerata qualitate criminum & satisfactionum plenario ac totali effectu digni sunt coram divina bonitate & justitia. *Ad prob. c.* dist. Non esset plenaria *in actu secundo*, & *per accidens*, ob indispositionem negativam subjecti. c. in *actu primo ac per se*. n. Sicut enim gratiæ sacramentales, quantum est de se, semper in actu primo conferunt plenum ac perfectum effectum Sacramenti; attamen ob variam dispositionem recipientium *uniformiter difformiter*; quod ipsum observare licet in luce, calore, igne, anima motrice membrorum; sol enim de se omnem oculum & aerem perfectè illuminat; & anima omnia membra de se perfectè animat & movet; sed in actu secundo sol imperfectè illuminat oculum & aerem vaporibus gravem, & anima imperfectè movet tibiam curvam, aut manum paralitici, ita etiam applicatio thesauri Ecclesiastici totius operatur *uniformiter difformiter* pro diversa dispositione recipientium. Eam autem dispositionem consistere vel non consistere in proposito firmo congruè satisfaciendi est ipsissimum punctum controversiæ, quod est in quæstione, nec ex hoc argumento resolubile.

Ad 2. dist. nil aliud requirunt *explicitè*. tr. *implicitè*. n. Omnes enim Bullæ Pontificiæ requirunt, ut recipientes indulgentiam, sint *verè pœnitentes*. Sub his verò terminis non præcise significari dolorem de præterito & propositum de futuro, sed etiam propositum congrue satisfaciendi, constat partim ex declarationibus ipsorum summorum Pontificum & Doctorum; partim ex natura ipsius concessionis, quæ foret imprudens, nisi haberet imbibitum tacitum hunc modum, prout in deductione argumentorum ostensum est; partim ex natura veræ pœnitentiæ, prout declaratum est Disput. 1.

OBJICITUR 2. D. THOMAS docet, ad Indulgentiam plenariam non requiri propositum congrue satisfaciendi. Ergo. *Ant. prob.* in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. qq. 1. sic scribit: *Christus poterat relaxare absque omni satisfactione pœnam peccati; ut patet Joan.* 8. *De muliere adultera. Ergo Papa idem potest, qui non est minoris potestatis, quàm Paulus fuit.*, condonans incæstuoso in *persona Christi.* 2. BONIFACIUS VIII. anno 1300. interrogatus, quanta esset illa Indulgentia Jubilæi? respondit: *Plenissimam esse, quantum claves Ecclesiæ se extendere possunt.* 3. CONCILIUM LATERANENSE 4. dicit: *Per indiscretas & superfluas Indulgentias pœnitentialis satisfactio enervatur*, atqui non enervaretur, si indulgentiis inesset, tacita conditio vel modus, congruè satisfaciendi.

RESPONDEO. dist. Christus poterat relaxare sine omni satisfactione potentia absoluta. c. ordinata. *subdist.* accedente motivo vel casu extraordinario. c. passim ac universim. n. Non enim videtur conforme futurum divinæ sapientiæ, si Christus omnibus post baptismum relapsis voluisset condonare omnem satisfactionem, sicut nunc facerent Romani Pontifices, si eorum Indulgentiis non inesset tacitus modus seu obligatio tacita ad congruam satisfactionem. *Hinc posset inverti argumentum*; Christus nec voluit, nec decenter potuit usque ad finem mundi valere potentiam suam absolutam condonandi omnibus relapsis obligationem congruè satisfaciendi. Ergo nec Romani Pontifices indulgentiarum collatione id volent, nec poterunt. Ad summum ex hoc argumento sequitur, quod Papa in casu extraordinario, ubi illi particulatim constat de dispositione ac meritis impetrantis, possit absoluta potestate uti sine tacita obligatione ulteriore ad congruè satisfaciendum. Quia tamen de ea dispositione non potest esse modo humano certus, id nunquam videtur contigisse. Cæterum D. THOMAM non fore contrarium nostræ sententiæ si etiamnum viveret, & videret tantam abundantiam Indulgentiarum plenariarum, colligitur ex ejus principiis. Nam inprimis in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. qq. 2. sic scribit: *In arbitrio dantis Indulgentiam est taxare, quantum per Indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias.* Et in 4. dist. 20. a. 3. qq. 4. c. *Non est in destructionem, indulgentias dare, nisi inordinatè dentur, id est, prout in priori textu explicat, taliter,*

ut homines ab operibus pœnitentis revocentur. Et in 3. dist. 20. a. 1. qq. 3. ad 3. *In remissione peccatorum oportet, quod sit aliquid ex parte misericordiæ remittentis, ut aliquid de pœna remittatur, & aliquid ex parte recipientis, ut scilicet in aliquo puniatur; in eo enim, qui peccavit, est aliquid, quod repugnat impunitati.* Ita S. Doctor.

Ad 2. c. a. n. c. hoc ipsum enim est in quæstione, utrum claves Ecclesiæ potentia ordinaria & ordinata se extendant ad condonandam passim omnibus Christianis obligationem congruè satisfaciendi; prout fieret juxta adversarios in præsenti alluvione Indulgentiarum plenariarum.

Ad 3. dist. *Maj.* enervatur eo tempore, quo Indulgentiæ conferuntur tantum de pœnitentiis injunctis. c. quo conferuntur de jungendis. n. Eo tempore, quo imponebatur satisfactio rigorosa non solùm compensativa offensæ in ordine ad delendum reatum culpæ, sed etiam vindicativa proportionata ad delendum reatum pœnæ, confundebantur indivisim pœnitentia satisfactoria & vindicativa; ut proin remissis per Indulgentiam pœnitentiis injunctis eoipso remitti videretur etiam pœnitentia satisfactoria; aut si hoc non fieret, certè enervatio quædam esset pœnitentiæ satisfactoriæ si ab illa separaretur ratio vindicatoria. At verò, postquam Ecclesia ad præcavendum eum abusum declaravit, Indulgentias concedi de injunctis vel injungendis, & simul per os Doctorum Synchronorum Sæculò XVI. fideles instruxit, relinqui obligationem satisfactionis congruæ imponendæ, aut si non imponatur, ultro in se recipiendæ, ex hoc tempore jam non per copiosas indulgentias hæc privata satisfactio enervatur, sed supponitur & confirmatur.

Objicitur 3. si in Indulgentiis implicitè exigeretur vel supponeretur obligatio congruè satisfaciendi, indulgentiæ essent piæ fraudes Sed hoc non potest dici. Ergo. *Maj. prob.* Indulgentiæ plenariæ promitterent totalem remissionem pœnæ, vel partiales viginti annorum remissionem pœnæ vicennariæ; & tamen hoc esset falsum; quia adhuc remaneret obligatio satisfaciendi. Ita denuo P. Theodorus l. cc. 2. Est commune axioma: *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.* Sed hoc esset falsum. quia Indulgentia plenaria non valeret plenariam remissionem.

Respondeo

Ad 1. n. *Maj. ad prob.* dist. promitterent remissionem totalem, *in actu primo*, ac *per se* talem. c. talem in *actu secundo* & *per accidens*. n. Sensus distinctionis patet ex dictis ad objectionem 1.

Ad 2. c. *Maj.* n. *Min. ad prob.* dist. non valeret plenariam *in actu secundo*, & *per accidens* ob indispositionem particularem subjecti. c. *in actu primo*, *per se*, & universim. n. Indulgentia enim plenaria semper in actu primo est apta & efficax ad conferendam totalem remissionem, si reperit subjectum debitè dispositum, hoc est, præditum firmo proposito satisfaciendi congruè ac proportionate ad qualitatem & quantitatem criminum; sicut ad Object. 1. responsum est.

Objicitur 4. Hæc tacita ac imbibita obligatio congruè satisfaciendi non sufficienter probatur. Ergo Indulgentiis non est annectenda. *Ant. prob.* Si probaretur hæc obligatio, inter alias rationes essent etiam hæ 1. quod sit indignus fructu alienæ satisfactionis, qui negligit conferre propriam. 2. Quia in Republica pro nullo solvitur ex ærario publico, qui adhuc potest, & negligit solvere ex suo. 3. Quia antiquitus indulgentiæ solum concedebantur sollicitis de complenda satisfactione congrua. 4. Quia alias peccarent Pontifices, concedendo tot superfluas indulgentias. 5. Quia antiqua Ecclesia alias aut fuisset crudelis, aut errasset, nullam concedendo indulgentiam. 6. Quia alias circa necessitatem satisfactionum à Lutheranis solum distingueremur uno & altero *Pater noster;* Sed hæ omnes rationes nihil probant. Responderi enim potest ad *primum*; quod juxta Dominicum Soto etiam amicus negligens in suis negotiis non sit indignus, cui succurratur. Ad *secundum* negatur paritas; quia etiam negligentes in operibus satisfactoriis sunt tamen amici Dei; & ideo digni beneficio. Dein thesaurus pecuniarius Reipublicæ deficere posset, & ideo debet reservari tantum dignioribus; thesaurus autem Ecclesiasticus non potest deficere. Ad *tertium* dicitur; licet antiquitus fuerit alia Disciplina, requirendo ad indulgentias plenarias satisfactionem congruam; tamen non reputabantur invalidæ non præcedente satisfactione congrua. Ad *quartum* respondetur; etsi Indulgentiæ indiscretæ sint illicitæ, non tamen sunt invalidæ. Ad *quintum* reponitur; Christianos ante sæculum duodecimum fuisse ita servidos, ut non indiguerint Indulgentiis. Ad *sextum* dicitur, sufficiens discrimen à Lutheranis haberi, quod adhuc conservetur necessitas satisfactionis *medicinalis;* etsi Ecclesia possit totaliter tollere satisfactionem *vindicativam.* Ita P. Theodorus loco superius citato.

Respondeo n. a. ad prob. tr. *Maj.* n. *Min. ad* 1. dist. Talis non est indignus auxilio, ubi non est generale periculum sovendi negligentiam generalem omnium amicorum. tr. secus. n.

Ad 2. eodem modo. dist. Sunt digni beneficio, nisi per hoc foveatur generalis negligentia, & universalis eversio legum præstabilitarum à divina sapientia & justitia requirendi satisfactionem congruam. c. secus. n. hanc enim generalem negligentiam bonorum operum in sententia adversa foveri, & legem satisfactionis congruæ præstabilitam à divina sapientia ac justitia agnitam esse ab Ecclesia per duodecim prima Sæcula, evidens erit legenti meam *historiam de Indulgentiis*, & perpendenti argumenta superius adducta.

Ad 3. tr. a. n. c. Quia eoipso, quod fuerit alia disciplina, fuit agnita aliqua lex, necessitas, & ratio constans immobilis exigendi satisfactionem congruam. Itaque, sive concessio prodiga & contraria legi divinæ sit valida sive non; certum tamen est, Pontifices non velle tantum operari *validè*, sed etiam *licitè*. Igitur ex ea veteri Disciplina sequitur; etiam modernis Indulgentiis adhuc inhærere eam obligationem ex ordinata mente Pontificum.

Ad 4. idem respondetur tr. a n. c. quia Pontifices tot Indulgentiis plenariis inundando mundum

dum revera sustulissent obligationem satisfaciendi congruè, à tota Ecclesia veteri agnitam; & sic, etiamsi ponerentur egisse validè, peccassent & corrupissent Ecclesiam enormiter, quod vel cogitare iniquum est.

Ad 5. n. a. quia in *Historiâ Indulgentiarum* demonstravi; & Historiæ peritis evidens est, Christianos duodecim primis Sæculis adeo non fuisse ferventiores, ut potius econverso Ecclesia semper in perfectione creverit. Itaque hæc *P. Theodori* responsio fundatur in gratuita suppositione, quam ostendo non subsistere. Legantur enim ea, quæ Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, & Salvianus scribunt de moribus Christianorum suo tempore, & patebit, non minus illos abhorruisse ab operibus pœnitentiæ, nec minus illos indulgentiarum cupidos fuisse, quam Christianos horum temporum. Quanta importunitate fornicatores anno 200. indulgentiam intercessione Martyrum obtinendam ambiverint, testatur *Tertullianus* l. de Pudic. c. 22. ubi ait: *Ut quisque vincula induit, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lachrymæ circumstagnant, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt; violantur viri & fœminæ in tenebris, planè ex usu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de sua periclitantur; alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur.* *S. Cyprianus* anno 251. de numero, & importunitate lapsorum, qui ante præstitam pœnitentiam voluerunt reconciliari, graviter conqueritur. Ep. 31. dicit: *Aspice totum penè orbem vastatum, & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas, & idcirco grande expeti consilium, quam latè propagatum videtur delictum.* Et Ep. 26. *Nihil numerus impudens ad extenuationem delicti facere consuevit.* Ep. 11. Martyres alloquens ait: *Quoniam audio, impudentia vos quorundam premi, oro vos, ut petentium desideria cautè ponderetis.* Ep. 15. ait: *Cum comperissem, lapsos exambire ad Martyres passim, Confessores quoque; importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem, literas feci, quibus Martyres & Confessores ad Dominica præcepta revocarem; postmodum, cum quidam de lapsis audaci flagitatione proruerent, ut pacem sibi à Martyribus & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, mandavi, ut ad illorum violentiam mitigandam, si qui libello accepto de Sæculo excederent, cum pace ad Dominum dimitterentur.* Et Ep. 23. ait: *Jam in Provincia nostra per aliquot civitates in Præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem, quam semel cunctis à Martyribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coëgerunt, territis & subactis Præpositis suis. Apud nos etiam turbulenti pacem sibi datam extorquere cœperunt.* Et Ep. 26. Martyres ad S. Cyprianum sic scribunt: *Animadvertimus, te eos dignè objurgasse, qui immemores delictorum suorum pacem à Presbyteris per absentiam tuam præcipiti cupiditate extorsissent.* -- *Nihil numerus impudens ad extenuationem delicti facere consuevit.* Ep. 29. ait: *Litteras misit de quorundam temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes.* Ep. 30. *Clerus Romanus* ad S. Cyprianum sic scribit: *Mœrorem nostrum vigor tuus temperat, dum quorundam improbitatem justè coërcet, quos satis mirati fuimus ad hoc usque prosilire voluisse, ut pacem sibi non tam peterent, quam vindicarent.* Quis jam dicere audebit, in primitiva Ecclesia Christianos ob fervorem charitatis pœnitentias Canonicas adamasse? *D. Paulus* Corinthio largitur Indulgentiam, ne omnino in desperationem verteretur; tempore *Tertulliani* currunt mœchi passim ad Martyres; tempore *S. Cypriani* omnino vi Indulgentiam multitudo lapsorum extorquet, & subsequentibus Sæculis perpetua occurrunt exempla, quod pœnitentes omni modo possibili pœnarum Canonicarum imminutionem quæsierint. Non igitur vetus Ecclesia propterea fideles omnimoda pœnarum relaxatione destituit, quod illos reperierit ad subeundas pœnas promptissimos ob fervorem charitatis. Ostendo jam, etiam mores veterum Christianorum, comparando totam antiquam Ecclesiam, ad modernam, non fuisse Sanctiores; adeoque nec illa prætensa morum sanctitas in causa est, quod vetus Ecclesia non indiguerit indulgentiis. *S. Cyprianus* describens mores suorum temporum *Serm. de Lapsis* sic ait: *Quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem censura cœlestis erexit: Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti, quid credentes facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant; non in Sacerdotibus Religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates; prostituere Gentilibus membra Christi, non jurare tantum temere, sed etiam pejerare &c.* Vides; mundum semper fuisse sui similem. *S. Chrysostomus*, quando Hom. 40. usque eo progreditur, *ut in tot millibus* Antiochenæ urbis *dubitet centum salvari*, unicè fundatur in morum corruptela: *Quanta*, inquit, *in juvenibus, quæso, malitia, quantus in senibus torpor. Filii curam gerit nemo, nemo Zelum habet.* Nos equidem in nostris urbibus plures quam centum salvari piè confidimus. L. 3. *contra vituperatores vitæ Monasticæ. S. Chrysostomus* depingit mores urbis Constantinopolitanæ; videamus & istos. Sic ait: „Dedita „opera liberos vestros perdere euratis; imperat „Christus ultione abstinere; vos in ejusmodi pe„stibus illos semper enutritis; dimittere ille uxo„rem non permittit; vos modo pecunias acci„pere ampliores liceat, hoc etiam præceptum, „ut illi aspernent, imperatis; vos, si quem id „servare videritis, etiam ridetis: ut filii vestri „ulcisci se possint, curam omnem adhibetis; vos „hæc universa simul congeritis, & imponentes „peccatorum onus importabile ita demum in ge„hennam immittitis, favorabilius appellationi„bus vitia obducitis; Circensibus ludis & specta„culis cæteris interesse, urbanitatem & facetias „vocatis; arrogantiam confidentiam, prodigali„tatem elementiam, injustitiam fortitudinem esse „asserentes. Atqui nondum supremum verticem „& culmen malorum omnium dixi. Audien„dum jam, ac dicendum est. Quod ergo tan„dem istud malum est? Amor quidam novus, pe„stis deterrima: Naturæ pervertuntur leges, ni„hil

„ hil jam ferè ad impudicitiæ rationem fornicatio „ esse existimatur: periclitatur jam superfluò esse- „ ctus esse sexus muliebris, adolescentibus vices „ ejus omnes supplentibus; quod cùm per se est „ acerbissimum, facit id, quod tertius est, quod „ tantum scelus incredibili audacia, summaque „ jam libertate admittitur, flagitiumque lex fa- „ ctum est: nemo jam metuit, nemo perhorre- „ scit, nullus continetur verecundia, nullus ru- „ bore suffunditur. Cæterum ista impudentia se „ ornari putant, & faceti videri ex scelere vo- „ lunt; nihil jam leges, nihil judicia valent; non „ Pædagogi, non parentes obsistere jam valent. „ Adeo mediis in civitatibus veluti in solitudine „ ingenti masculi in masculos turpiter desæviunt; „ siqui tamen hos laqueos effugere potuerint, „ opinionem saltem, quod sint ejusmodi, diffi- „ culter evitabunt; primum quidem, quod sint „ ipsi admodum pauci, sicque facillime operiun- „ tur improborum multitudine; secundo, quod „ flagitiosi illi, cùm eos, qui se spernunt, non „ possint aliter ulcisci, vel in hac parte violare „ illos student. Libcrorum vero, qui ejusmodi „ contumeliis afficiuntur, patres hæc taciti fe- „ runt, nec ullum malo remedium inquirunt: & „ quisquam asserere audebit, tantis malis inver- „ santes, salvos fieri." Hucusque S. Chrysostomus. Possent produci innumera talia testimonia de moribus priorum temporum. Falsum ergo est, illis temporibus in Christiano populo tantum viguisse fervorem charitatis, ut non indiguerit Indulgentiis; sed jam tunc verum erat, quod *S. Cyprianus Serm. de Lapf. ait: Pœnitentia de pectoribus excussa est.* Plura in hanc rem reperies in *Francolino l. 2. de pænit.*

Ad 6. n. a. Si enim Ecclesia potuit & actu voluit tollere tam generaliter obligationem satisfactionis vindicativæ, jam manus datur hæreticis; & actum est de firmo argumentorum robore, quæ à nostris Polemicis adhiberi solent contra hæreticos circa necessitatem satisfactionum, tantis motibus in Tridentino agitatam.

OBJICITUR 5. Potest dici, quod in primitiva Ecclesia fuerit concessa universalis ac perpetua Indulgentia plenaria. 1. Pro omnibus peccatis occultis. 2. Pro juvenibus, servis, mulieribus. 3. Pro omnibus in articulo mortis. Ergo etiam tunc dabantur Indulgentiæ, quæ exemerint ab obligatione satisfaciendi. *Ant. prob.* Quia inprimis pœnæ Canonicæ probabilius non pertinebant ad peccata occulta; ut patet ex Exemplo XXV. Neque etiam imponebantur morituris; ut patet ex innumeris Canonibus. Neque juvenes, mulieres, & famuli ad satisfactiones Canonicas adstringebantur; imo nec Clerici, & Conjugati. *Siricius* Pontifex Ep. 1. n. 14. ait: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitentiam nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci. Secunda Synodus Romana sub Sylvestro I. c. 12.* ait: *Nemo det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum, petenti. Concilium Arelatense II.* anno 390. Can. 22. ait: *Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.* Et *Concilium Aurelianense* c. 24. ait: *Ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat. Certè conjugatis, nisi ex consensu partium, & ætate jam plena, eam dare non audeat. Joannes Jejunator*, Patriarcha Constantinopolitanus in suo Pœnitentiali ait: *Quæcunque perpetrata sunt ante annum trigesimum sive à viris, sive à mulieribus, facile & celeriter condonentur, qualiacunque sint, ita, ut duorum vel trium annorum pœnitentiam non excedant.* Idem, *quoad jejunia servis & ancillis tantum mediam partem pœnitentiæ, quæ aliis imponitur, imponi debere monet.*

RESPONDEO, morituris non absolutè condonatas esse pœnas suis peccatis debitas, sed eos in casu, quo convaluerint, iterum subire debuisse onus pœnitentiæ. Clerici etiamsi publicam non egerint pœnitentiam, eam tamen agere debuerunt privatam. Similiter peccata mulierum, juvenum, aut alia quæcunque peccata occulta debuerunt privata satisfactione emendari, quia etiam pro his peccatis pœnitentiæ, si non injungebantur, certè indicebantur. Nulla ergo etiam pro his peccatoribus extitit indulgentia, quæ eos ab obligatione satisfaciendi exemerit. Singulas assertiones probo. De morituris GREGORIUS NYSSENUS Can. 1. ait: *Si quis fidem in Christum negavit, in hora sed e vita excessus Sacramenti Communionis erit particeps; si autem contigerit, ut convalescat, in eodem rursus vivet judicio, mysticorum Sacramentorum usque ad vitæ exitum expers; totum tempus vitæ suæ exitum expers.* CONCILIUM NICÆNUM Can. 13. ait: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua servabitur, ita, ut, si quis egreditur de corpore, ultimo & maximè necessario Viatico minime privetur, quòd si iterum convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantum consequantur.* De Clericorum privata pœnitentia agenda ZACHARIAS PONTIFEX in Responsione ad Pipinum & Episcopos c. 14. sic habet: *Presbyteri aut Diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi; unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei secreta est expetenda secessio.* De peccatis occultis BURCHARDUS l. 19. c. 36. & Ivo part. 15. c. 53. hanc ex S. Augustino afferunt sententiam: *Si quis incæstum occulte commiserit, & Sacerdotali occulte Confessionem egerit, vindicetur ei remedium Canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset; verùm, quia latet commissum, detur ei à Sacerdote Consilium, ut saluti animæ suæ pro occulta pœnitentia proficiat, hoc est, ut veraciter & ex corde se graviter deliquisse consiteatur, & per jejunia & eleemosynas, vigilias, atque sacras Orationes cum lacbrymis se purgare contendat, & sic ad spem veniæ pro misericordia DEI pervenire confidat.* CONCILIUM AURELIANENSE relatum ab Ivone part. 13. c. 43. ait: *Si quis publicam rapinam & furtum fecerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta Canonum Sanctiones; si verò occultè, Sacerdotum consilio pœniteat.* De juvenibus non est verum, quòd nullam debuerint agere pœnitentiam. CONCILIUM enim ANCYRANUM Can. 16. ait: *Quicunque ante annum vicesimum peccaverunt, postquam quinque annis prostrati fuerint, communionis ad orationem participes fiant.* POENITENTIALE ROMANUM, *Theodori, Bedæ, Burchardi, Ivonis, Augustanum,* faciunt etiam expressam

pressam mentionem de peccatis puerorum eorumque pœnitentiis Canonicis. Pœnitentiale expressum habet Caput de Sordidatione puerorum, in quo sic ait: *Pueri se manibus invicem coinquinantes*, 40. *dies pœniteant*, *Majores verò centum diebus; parvulus a majore puero oppressus*, *hebdomada pœniteat*, *si consenserit*, 20. *dies*. De famulis ipse Joannes jejunator statuit, ut saltem dimidiam partem pœnitentiæ suscipiat; prout ex textu supra adducto liquet. Frustra ergo fingitur; fuisse datam aliquam indulgentiam seu pro peccatis occultis, seu pro publicis, quæ exemerit fideles ab obligatione satisfaciendi Deo. SS. Patres generaliter ad opera pœnitentiæ, iisque redimenda peccata adhortabantur; & fideles nullo medio se vindictam Numinis evasuros, & peccati obtenturos veniam sperabant, nisi iram Numinis Sacrificio Pœnitentiæ placassent. Addo; etiam hoc esse falsum; quod peccata occulta non fuerint reservata ad pœnitentiam publicam, nisi ætas aut conditio status indicio Confessarii suaderet pœnitentem eximendum, prout ostendi in Demonst. Crit. Relig. Cath. & Canones Pœnit. ac Pœnitentialia satis ostendunt.

Objicitur 6. Etiamsi Ecclesia nunc per indulgentias remittat obligationem satisfaciendi, & eadem Ecclesia antiquitus per indulgentias non remiserit obligationem satisfaciendi, ex hoc tamen non sequitur, quòd aliæ nunc forent indulgentiæ quoad substantiam; quia major vel minor benignitas Ecclesiæ non mutat substantiam indulgentiæ. Ergò mala est hæc nostra argumentatio: *Antiquæ indulgentiæ non relaxarunt obligationem satisfaciendi; ergo nec modernæ indulgentiæ eam relaxant.*

Respondeo. Si antiqua Ecclesia non remiŭt per indulgentias obligationem satisfaciendi, eo ipso ostendimus, quòd ea antiqua Ecclesia non habuerit à Christo potestatem remittendi obligationem satisfaciendi ordinariè ac generaliter; adeoque non pependit ab arbitrio, œconomia, majorique vel minori benignitate Ecclesiæ remittere vel non remittere eam obligationem satisfaciendi; ergo indulgentiæ illæ antiquæ non habuerunt vim à Christo, ut possent ab Ecclesia applicari in relaxationem omnis satisfactionis; ergo illæ antiquæ indulgentiæ habuerunt à Christo eum defectum virtutis & applicabilitatis; ergo, cum omnes eæ proprietates sint de natura, substantia, & essentia indulgentiæ, & cujuscunque alterius rei à Christo institutæ, quas Christus illi tribuit immutabiliter, necesse est, ut dicatur, eam veterum indulgentiarum infirmitatem, quam mutare aut tollere non licuit Ecclesiæ, pertinuisse ad substantiam ac essentiam veterum illarum indulgentiarum. Et ex hoc ipso sequitur, quòd, siquis modernis indulgentiis arrogare velit vim ac virtutem tollendi obligationem satisfactionis, eoipso invehat alias indulgentias novas, à veteribus substantialiter ac essentialiter diversas. Tota itaque quæstio eo devolvitur; an Ecclesia antiqua, quæ per indulgentias non tulit obligationem satisfaciendi, habuerit potestatem remittendi eam obligationem? Dico, quod non habuerit eam potestatem, prout in argumento ostensum est; *quia*, si habuisset eam potestatem, fuisset tyrannica, ea non utendo, ut pariter in argumento dictum est. *Secundo*. Si Ecclesia habuisset potestatem remittendi obligationem satisfaciendi, frustra litigamus cum Hæreticis de necessitate satisfactionis, utpote quam omnem tollere possit Ecclesia per generalissimas indulgentias. *Tertiò*. Antiqui Patres, qui per mille annos à tempore Apostolorum vixerunt, agnoverunt, Ecclesiam non habuisse potestatem remittendi obligationem Satisfactionis. S. Cyprianus relaxationem satisfactionis dicit esse contra legem Domini, contra præceptum Dominicum, contra Evangelii vigorem. Epist. 10. ait: *Quando Martyres contra legem Domini plus cuperent, admoneri deberent*. Ep. 11. ait: *Cum Presbyteri quidam contra Evangelii legem ante actam pœnitentiam dare audeant, Præpositorum est, præceptum tenere*. Epist. 15. ait: *Cum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem, litteras feci, quibus Martyres ad Dominica præcepta revocarem.* Epist. 23. ait: *Lucianus litteras scripsit, Martyres universis pacem dedisse, quibus pene omne vinculum fidei, & timor DEI, & mandatum Domini, & Evangelii Sanctitas & firmitas solveretur: Litteras ad eos feci, ut Dominica legis, & Evangelii ratio teneretur*. Ep. 26. *Martyres ad S. Cyprianum* scribunt: *Animadvertimus, te eos dignè objurgasse, qui sine respectu Evangelii Sanctum Domini canibus profana facilitate donassent. Ubi enim divinus metus relinquitur, si tam facilè peccantibus venia præstetur?* Et Epist. 30. *Clerus Romanus* ad S. Cyprianum scribit: *Majorem nostrum vigor tuus, & secundum Evangelicam disciplinam adhibita severitas temperat*. Et Epist. 31. idem Clerus Romanus ad S. Cyprianum scribit: *Quid in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret, necesse est. Nec hæc apud nos adversus improbos modo supervenerunt repentina subsidia, sed antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua; quoniam nec tantas laudes de nobis Apostolus protulisset, nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum degenerem esse, maximum crimen est. Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere.* Ita Clerus Romanus, ita sentiebat Romana Ecclesia. Adhucne requiritur, ut etiam aliorum Patrum innumeris testimoniis infirmam eorum opinionem opprimam, qui dicunt; liberum fuisse antiquæ Ecclesiæ, indulgentiis omnem obligationem satisfaciendi pro peccatis suis relaxare?

Dices forte; hunc rigorem iterum pertinere ad peccata publica, & disciplinam externam? Sit ita sanè; attamen & in peccatis occultis eadem est ratio, quæ nullo unquam casu vel minima indulgentia Ecclesiastica remissa sunt. Et Patres loquuntur indiscriminatim de peccatis tam publicis, quam occultis, dum necessitatem satisfactionis astruunt; ut argumento V. palam fiet. At verò non ita esse; sed etiam peccata occulta ad pœnitentiam publicam reservata fuisse, ostensum est à me in Demonst. Crit. Relig. Cath. de pœnit. nisi conditio ætatis vel status eximeret.

Obji-

Objicitur 7. Etiamsi modernæ indulgentiæ tollant obligationem satisfactionis, non tamen antiqua Ecclesia foret tyrannica, si nullam talem indulgentiam concessisset; quia multa egregia ad cœlum subsidia in moderna reperiuntur Ecclesia, quæ non reperiebantur in antiqua, v. g. cultus B. Virginis recitatione Rosarii, cultus Sanctorum, eorumque patrocinia, pietas erga defunctos, Missæ privatæ, frequens usus Confessionis Sacramentalis distinctæ & auricularis, Religiosi Ordines, Confraternitates, libri ascetici & moralis Theologia, &c. Quæ omnia non eo saltem modo reperiebantur in antiqua Ecclesia; imo sequeretur, Ecclesiam antiquam etiam in nostra Sententia fuisse tyrannicam, quia non usa est ea benignitate, qua utitur moderna Ecclesia, dum videlicet non adstringit ad rigorosas illas pœnitentias Canonicas.

Respon. in nostra Sententia Ecclesiam semper mansisse in eodem rigore. Semper reliquit satisfactionem pro peccatis occultis arbitrio pœnitentis, ut ostendit *Francolinus* l. 2. de pœnit. nunquam tamen eam obligationem omnimode remisit; sed tantum pœnitentiam fidelium suis precibus, sua absolutione, & oblatione meritorum Christi ad Deum commendavit; id olim præstitit supplicationibus publicis, rogando Deum, ut pœnitentiam populi grataner susciperet. Idem nunc præstat suis indulgentiis, dum ex thesauro meritorum Christi & Ecclesiæ supplet, quod deest humanæ infirmitati. Quod attinet enumerata Christianæ pietatis subsidia, ea non ita necessaria sunt fidelibus, sicut necessaria foret condonatio satisfactionum, si harum condonandarum facultas unquam in Ecclesia extitisset, quod ostendo: sine condonatione satisfactionum difficillima redditur ad cœlum via, & quia sine dubio infiniti fideles à condigna satisfactione ob ejus difficultatem absterrentur, consequens est, ut infiniti detrudantur ad durissimos cruciatus purgatorii, dum interim Ecclesia clauderet thesaurum meritorum Christi filiis summè indigentibus, & litrum redemptionis nostræ tot millionibus animarum frustra opem inclamantibus otiosum in suis manibus per tot Sæcula detineret. Vel enim ignoravit Ecclesia per mille annos potestatem, vel agnitam noluit in salutem populorum explicare? Si ignoravit; quantum nascitur contra talem potestatem præjudicium? Neque enim Ecclesiam inter infortunatorum illorum, qui non norunt sua bona, numero reponimus. Si vero agnovit potestatem, & non usa est; quæ tandem causa, quod ingens bonum, aut damnum, quæ necessitas excogitari poterit, ut non liceat Ecclesiæ extremè miseris è Thesauro Ecclesiæ subsidia impertiri? Qui fieri poterit, ut pia Mater Ecclesia quotidie siccis oculis videat, post tot annorum asperrimam pœnitentiam filios suos ad cruciatus purgatorii longe acerbiores, & tempore diuturniores raptari sine auxilio, quod ipsamet unica Indulgentiæ Bulla posset elargiri? A me quidem non impetro, ut hanc tenacitatem Ecclesiæ sine tyrannicæ crudelitatis nota cogitare possim, si verum esset; antiquam Ecclesiam tot plenariis Indulgentiis, ut nunc eas habemus, fideles suos ab obligatione satisfaciendi potuisse liberare.

Objicitur 8. Potest dici, jam ante annum 1391. extitisse plurimas Indulgentias plenarias, quarum tamen documenta interierint. Ergo Probatio 2. & 3. nostræ Conclusionis non est efficax.

Respondeo. Hoc prorsus dici non posse. 1. Quia in plerisque Monasteriis, & Ecclesiis adbuc diligenter asservantur litteræ Originales omnium Indulgentiarum particularium; ut patet ex eorum Chronicis. Multò majori cura asservatæ, aut certe annotatæ fuissent indulgentiæ plenariæ, si aliquæ extitissent. 2. Constat ex indubitatis Bullis Pontificiis, supra adductis, & aliis Documentis, Summos Pontifices in iis occasionibus, in quibus præcipue locus esse poterat plenariis Indulgentiis, tantum concessisse Indulgentiam aliquot dierum, aut unius anni, v. g. in Romanis Ecclesiis, aut in Dedicatione Ecclesiarum facta à Summo Pontifice, cui intererant plurimi Cardinales, Principes, & Episcopi ex universa Italia, Gallia, Germania in Canonizatione Sanctorum, in Festis solemnissimis, in locis peregrinationum celeberrimis &c. Ubique tantum concedebantur dies, aut annus. Nulla est ergo ratio suspicandi, in aliis occasionibus prorsus similibus concessas esse plenarias indulgentias. 3. Si tunc temporis extitissent plures plenariæ Indulgentiæ, non fuisset tam stupendus concursus ad Bullas Cruciatas; quis enim voluisset relinquere domum, uxorem, liberos, propinquos, bona, patriam, militare tribus annis etiam in regionibus transmarinis, vitam denique ipsam tantis periculis objicere præcise spe obtinendi indulgentiam plenariam Cruciatæ, si habuisset domi, aut in Provincia, se per Indulgentiam aliquam plenariam liberandi ab onere Pœnitentiæ? Certè, quamprimum cœperunt multiplicari in Provinciis Indulgentiæ, non fuit tam ingens amplius concursus ad Cruciatas eorum saltem, qui militarent propriis stipendiis. Atqui fuit olim Concursus ad Cruciatas prorsus admirandus. *S. Bernardus* de hoc Concursu c. 5. Serm. Exhort. ad milites templi ait. *Paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas, nisi utique sceleratos, & impios, raptores, & sacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros, de quorum profectione duplicatur gaudium; quandoquidem de suo discessu tam suos lætificant, quàm illos de adventu, quibus subvenire festinant.* Et in Ep. 246. ait: *Vacuantur urbes, & castella, & penè jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres, virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris.* Certè Scriptores *Belli Sacri* testantur, intra spatium trium annorum ultra millionem Crucesignatorum ex Europa in Asiam transiisse. Sine dubio illi sceleratorum exercitus mansissent domi, si domi indulgentiam plenariam invenissent.

4. *Honorius III.* quando confirmavit indulgentiam plenariam Portiunculæ à Christo datam, testatur, non esse moris Romano Pontifici, concedere indulgentiam plenariam. *Benedictus de Arezzo*, qui ipsemet accepit habitum Ordinis à S. Francisco, & omnia, quæ scribit, se accepisse ait à *F. Massæo Marignan* Socio S. Francisci, sic ait: *Ipse*

Ipse (Massæus) fuit cum B. Francisco apud Perusiam ante præsentiam S. Memoriæ D. Papæ Honorii, cum petivit indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti & confessi convenirent ad locum S. Mariæ de Angelis, quæ Portiunculæ nominantur; quæ Indulgentia, cum fuisset à B. Francisco petita, fuit tandem à Summo Pontifice liberalissime concessa, quamvis diceret ipse Summus Pontifex, non esse consuetudinis Apostolicæ Sedis, talem Indulgentiam facere. 5. Quando *S. Franciscus* prima vice promulgavit Indulgentiam plenariam Portiunculæ, Episcopi, qui aderant, omnes indignati sunt ob magnitudinem Indulgentiæ; ergo non erat moris, uspiam haberi Indulgentiam plenariam. *Lucas Wadingus* in Annal. Min. ad annum 1223. sic ait: *Honorius III. Indulgentiam à B. Francisco postulatam concessit, scripsitque Episcopis Assisiensi, Perusino; Tudertino, Spoletano, Fulginatensi, Nucerino, & Eugubino, ut ad Kalendas Augusti ad prænominatam ædem convenirent, & solenniter Indulgentiam hanc promulgarent; Franciscus ergo hortatu Episcoporum suggestum ascendit, præmissoque Sermone feriem retulit, concludens, per Summum Pontificem concessam esse plenam omnium peccatorum remissionem. Accedentes autem Episcopi indignati sunt, dicentes: Frater Francisce, licet Dominus Papa nobis mandet satisfacere tuæ voluntati quoad hoc, non est tamen ejus intentio, ut te sequi debeamus in eo, quod congruum non est; ideo denuntietur tantum Indulgentia decem annorum. Surrexitque Episcopus Assisiensis volens publicare indulgentiam decem annorum, tamen aliter eloqui non poterat, quam B. Franciscus dixerat.* 6. Quando *Concilium Lateranense* anno 1216. c. 62. vetat, dari indulgentias majores, quam unius anni, testatur, ne quidem Romanum Pontificem concedere indulgentias majores, quam unius anni. *Decernimus*, inquit, *ut, cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum; ac deinde in Anniversario Dedicationis 40. dies remissio non excedat; hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* 7. Quando *Cœlestinus V.* initio sui Pontificatus concessit in Ecclesia Muronensi Indulgentiam plenariam, addit Scriptor vitæ illius apud *Henschenium* ad 19. Maji, hoc fuisse inauditum. *Omnibus*, inquit, *qui tunc adsliterant, uberiore, quam unquam auditum est, relaxatione veniam omnium peccatorum plenam, consummatamque concessit.* Ex hoc clarum est, anno 1292. quo ea indulgentia à Cœlestino concessa est, homines adhuc nullam alicubi habuisse plenariam indulgentiam, nisi Assisii. 8. Ut supra vidimus, Indulgentia Jubilæi, seu plenaria, quæ anno 1391. in gratiam Ducum Bavariæ Monachii concessa est, à Scriptoribus illorum temporum dicitur fuisse prima in Germania. Itaque frustra suspicantur, qui putant, ante annum 1391. frequenter extitisse Indulgentias plenarias, aut unicam pro omni conditione hominum, ac natione, quarum tamen perierint documenta.

Dices 1. Potest dici, Ecclesiam ante annum 1391. habuisse quidem potestatem per indulgentias plenarias remittendi obligationem satisfaciendi pro peccatis, sed eam noluisse uti hac potestate, ne impediretur majus bonum, videlicet refrænatio major carnis, continentia morum, expeditiones belli sacri, & potissimum edomatio barbaræ adhuc naturæ in hominibus à Gentilismo conversis. Certum enim est, tribus primis Sæculis homines à Gentilismo conversos multum adhuc retinuisse corruptissimæ in Ethnicismo naturæ. Sæculo IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. in Hispania, Gallia, Germania, & plerisque Provinciis horrenda erat confusio vitiorum; leges civiles paucæ erant, quæ publica etiam scandala tollerent; Provinciæ in innumera dominia divisæ erant; Clerici erant pauci, aut plerumque rudes, Scholæ paucissimæ, perpetua ubique latrocinia, homicidia, stupra, adulteria; nec videbatur in promptu esse remedium, quo tanto malo obviam iretur, nisi rigor disciplinæ: Cùm ergo Ecclesia videret, bonum, quod ex rigore consequitur, tunc temporis sperari & obtineri potuisse jam dispositis ad rigorem hominum barbaris mentibus; ex opposito vero, nullo alio remedio, nisi rigore, mala illa temporum infelicium sanari posse, prudenter omnino fecit, non utendo potestate sibi à Christo concessa, per indulgentias plenarias relaxandi obligationem satisfaciendi Deo. Postquam vero Sæculo XIII. ortus est Ordo *S. Francisci*, *S. Dominici*, & alii Ordines per Europam clarius illucescere, ac diffundi cœperunt, barbaries mentium emolliri, leges civiles melius disponi, populus erudiri, occasiones à malo retrahentes, & ad pia exercitia, quæ mentes viatorum distrahant, exstimulantia multiplicari, tunc etiam apparuit benignitas Ecclesiæ, sensim ad majores ac majores Indulgentias progressæ, donec ad modernam clementiam descenderit.

Respondeo. Pulcherrimè ista dici posse. Et hoc quidem non nego, mores illorum priorum infelicium temporum indiguisse ferro & igne; hoc tamen nego; mores nostrorum temporum in fræno & maxillâ constringi non oportere. Si enim semper impunitas delicti habita est pro libertate peccandi, omnino verosimilius est, Christum nunquam voluisse sic condonare peccata, iisque applicare fructum suæ Passionis, ut nulla prorsus pro tot millibus peccatorum pendenda esset satisfactio. Argumentum præcise probat, quod antiquitus Ecclesia uti debuerit rigore in imponendis duris operibus pœnitentiæ, quæ tunc à potiori saltem usque ad Sæculum XVI. satis graves à Confessariis imponebantur, prout facile demonstrari posset; nunc autem, cùm opus non sit, mentes unctione S. Spiritus plenius delibutas coërcere tam violentis remediis, recte Ecclesia modum satisfactionis cujuslibet pœnitentis arbitrio remittit. Adeoque licebit omnino invertere argumentum, atque in ipsos Adversarios intorquere hoc modo: Ecclesia eousque persequitur bona ingentia ex obligatione satisfaciendi nata apta consequi, quousque sperare potest, se illa bona per obligationem satisfaciendi obtenturam; econtra eousque insectatur mala ex destructione satisfactionum nata apta consequi, quousque non videt, se per opportuniora remedia ea mala destructuram; atqui in omni ætate Ecclesiæ fuit, est, eritque mens fidelium sic disposita, ut

Ecclesia sperare possit bona, vitare non possit mala, ex obligatione aut destructione satisfactionum nata apta consequi: ergo. *Major patet*; quia Ecclesia non habet à Christo potestatem in destructionem Ecclesiæ, sed in ædificationem; adeoque, si mens fidelium semper fuit, & erit ad assignata bona speranda, & mala vitanda disposita, nullam etiam accepit potestatem Ecclesia, qua illa bona tolli, mala vero permitti possint; potestas enim, quæ nunquam reduci poterit in actum, data non est, nulla est. *Min. prob.* Est certum, innumeros Clericos, & laicos vivere vitam mollem, tardam ad bonum, pronam ad malum, ex qua necesse est sæpe refrigescere charitatem Dei & proximi, & nasci scandala; in quo statu Clericorum & Laicorum consistit corruptio Ecclesiæ. Sperare autem merito possumus, hæc à potiori non secutura, si homines crederent, se teneri aut ad ardendum, aut satisfaciendum.

Dices 2. Credibile est, Religiosos tunc temporis potuisse lucrari Indulgentias Portiunculæ, & alias plenarias in suis Ecclesiis; ergo non debet dici, nullam tunc temporis fuisse datam Indulgentiam plenariam pro Religiosis.

Respondeo. neg. ant. Quia 1. certum est; ipsosmet Religiosos, etiam Fratres Minores, ex variis Provinciis adhuc Sæculo XV. profectos esse ad Ecclesiam Portiunculæ, ut possent lucrari Indulgentiam, ita, ut debuerit in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum edi Decretum, quo cautum est, ne intra quinquennium idem Religiosus iter illud suscipiat. 2. Certum est; in Jubilæo 1350. Religiosos, & Moniales passim ex toto orbe Romam convolasse, ut etiam subin exhauserint Monasteria. Ita testantur Scriptores Belgii coævi, & Historiæ Boicæ. Tanto autem extremo remedio, & non nunquam scandalo opus non fuisset, si potuissent Religiosi in suis Monasteriis lucrari Indulgentias Jubilæi, aut alias plenarias. 3. Constat ex Bulla *Sixti IV.* primum anno 1480. Indulgentiam Portiunculæ sic extensam esse ad totum Ordinem S. Francisci, ut Religiosi eam Indulgentiam in suis Ecclesiis lucrari potuerint. 4. Constat ex aliis Bullis *Sixti IV.* primum circa annum 1480. concessum esse variis Religiosis privilegium, ut Indulgentias aliarum Ecclesiarum in suis Ecclesiis lucrari possent. 5. Authores illorum temporum disputant, utrum Religiosis deberent à Summo Pontifice dari aliquæ Indulgentiæ; hoc autem fieri non potuisset, si palam constaret, & obvium cuivis ubique esset, Religiosis datum esse Privilegium, ut lucrentur Indulgentias omnes in suis Ecclesiis. Certum ergo est, pro Religiosis tunc temporis nullam extitisse Indulgentiam plenariam. *Confirmari* idem posset ex eo, quia *Eugenius IV.* & *Martinus V.* qui primi concesserunt quibusdam Religiosis Indulgentiam plenariam in articulo mortis, nullam facit mentionem in sua Bulla alicujus similis concessionis à Prædecessoribus factæ, quod semper solet fieri in Bullis Pontificiis, quando talis prævia concessio facta est.

Dices 3. Potuerunt Germani, & alii populi illis temporibus contribuere pecunias ad bellum sacrum; atqui taliter contribuendo jam lucrabantur Indulgentiam plenariam: ergo non debet dici, quod pro Germanis, & aliis populis nulla tunc extiterit indulgentia plenaria.

Respondeo, *inprimis* contribuentibus pecunias ad bellum sacrum tantum concessam esse indulgentiam in *Bulla Cruciata* anni 1215. & 1291. adeoque saltem ante illa tempora, & extra hos duos annos nullam habuissent indulgentiam plenariam. *Secundo.* Ea Indulgentia, quæ præfatis annis conceditur contribuentibus pecunias ad bellum sacrum, non erat plenaria, quia expresse dicitur in Bulla: Erunt Indulgentiæ participes *juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum.* Quod nihil aliud est, quam dicere: *tantum quisque habebit de Indulgentia, quantum merebitur juxta proportionem subsidii & devotionem.* Plus forte concessit taliter contribuentibus *Gregorius XI.* Sed primum 1373.

Dices 4. Potuit tunc temporis obligatio satisfaciendi Deo pro suis peccatis satis deleri per indulgentias particulares sæpius frequentatas; ergo non requirebantur Indulgentiæ plenariæ.

Respondeo, *inprimis* Sæculo XI. & XII. etiam Indulgentias particulares fuisse rarissimas, & non statim obvias. *Secundò.* Eæ erant admodum tenues, utpote unius aut alterius ad summum anni: Credebatur insuper, coram Deo pro uno peccato mortali deberi septennem pœnitentiam. Si ergo quis habuit plura peccata mortalia, vix potuit tot lucrari Indulgentias, ut credere potuerit, se jam coram Deo liberum esse ab obligatione satisfaciendi. *Tertiò.* Credebatur tunc temporis, Indulgentias ordinariè non valere pro peccatis oblitis, prout docuerunt illorum temporum Theologi passim; hinc etiam erat Speciale Privilegium, quod *Gregorius XI.* 1373. & *Urbanus VI.* 1382. & subsequentes aliquando Pontifices concesserint indulgentiam pro peccatis etiam oblitis; nullus autem hominum persuadere prudenter sibi poterat, se nulla oblitum esse peccata, adeoque nec credere poterat, à se jam ablatam esse obligationem satisfaciendi. *Quartò.* Tunc temporis præcipui Doctores sic instruebant populum, ut non obstantibus indulgentiis adhuc necessarium crederetur studium satisfaciendi Deo; prout manifestum fiet ex textibus Doctorum. *Quintò.* Si populi tunc temporis credidissent, se per multiplices Indulgentias particulares idem obtinere posse, quod obtineri potest per indulgentiam plenariam v. gr. Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi Romani, non exhaustæ fuissent urbes, & Provinciæ, teste *D. Bernardo*, nec cogi potuissent tanti exercitus præcise spe obtinendæ Indulgentiæ plenariæ, ut cuivis est manifestum. *Sextò.* Erat tunc temporis inter Doctores satis receptum, *Indulgentias extingui morte concedentis*, quo admisso principio indulgentiæ particulares non erant adeo obviæ, & copiosæ. *Septimò.* In *Concilio Lateranensi* 1215. restricta fuit potestas concedendi indulgentias particulares ad certum dierum, & annorum numerum; idque factum est, ut ipsummet fatetur Concilium, *ne satisfactio & nervus disciplinæ Ecclesiæ enervetur.* Hoc autem non obtinuisset Ecclesia, si per tales Indulgentias particulares obligatio satisfaciendi pro suis peccatis fuisset earum iterata susceptione sublata.

Ex

Ex his omnibus liquet; Argumenta P. *Theodori* non esse sufficientia ad stabiliendam doctrinam oppositam, & infirmandam nostram sententiam, pro qua definienda S. Congregatio Indulgentiarum deliberavit; an supplicandum sit SS. D. *Clementi XII.* anno vitæ & Pontificatus ejus ultimo cum hac notabili expressione, quod hæc sententia sit *Theologorum primi Ordinis*. Ac certè huic sententiæ nunc adstipulantur cordatiores Romæ Theologi, eaque semper prævalebit, prout mihi scribit *P. Thomas Sergius*, Theologus Pontificius, Romæ celebris.

Pro Coronide hujus Quæstionis annecto Epistolam anecdotam Cardinalis Bellarmini, quæ circumferebatur apud Eruditos Romæ, cum ibi versarer ante quindecim annos.

COPIA EPISTOLÆ

Responsoriæ ineditæ,

scriptæ 5. Septembr. Anno 1608.

ab Eminentissimo Cardinale

BELLARMINO

ad

P. JOAN. BAPTIST. CARMINATA

Societatis Jesu.

De Indulgentiis & Altaribus Privilegiatis.

„ Antequam loquar Pontifici de eo, quod sua „ Reverentia petit pro sua Capella, scire „ priùs debeo, utrum sua Reverentia centum „ annos Indulgentiæ petat pro vivis, an pro mortuis. Præterea sciendum, quòd in Congregatione Indulgentiarum nunquam conceduntur „ indulgentiæ centum aut plurium annorum, „ prout à quibusdam postulantur; sed reducuntur ad centum dies. Ratio est, quia Indulgentiæ centum aut plurium annorum sunt inventiones novæ, & possunt numerari inter abusus, „ quos Concilium Tridentinum præcipit emendari *juxta antiquam & probatam Ecclesiæ consuetudinem.* Seff. 25. cap. ult.; consuetudo autem „ antiqua erat, ut concederentur minimæ Indulgentiæ. Unde Innocentius III. in Cap. *Cum ex eo.* de pœnis & remiss. dicit, quod Romanus „ Pontifex non soleat concedere Indulgentias „ ultra unum annum & quadraginta dies; & improbat Indulgentias excessivas, & immoderatas. Hoc autem Capitulum est Concilii Generalis Lateranensis. S. Petrus Damianus refert, „ consuetudinem Romanæ Ecclesiæ suo tempore „ (anno 1060.) fuisse hanc, ut venientibus ad „ Limina Apostolorum ultra mare concedantur „ tres anni, venientibus ultra montes unus annus, & venientibus citra montes quadraginta „ dies. Una inter alias causas, cur concedi debeant exiguæ Indulgentiæ, est hæc, quia requiritur gravis causa. Indulgentiæ enim enervant „ Disciplinam Ecclesiasticam, & quando magnæ „ Indulgentiæ conceduntur pro exigua causa, probabile est, quòd non valeant. Videat ergo „ sua Reverentia, quantam ista duo inter se habeant proportionem, audire, aut legere unam „ Missam, & liberari à gravissimis pœnis ad centum annos à Deo impositis.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

„ Quod attinet ad Altare Privilegiatum, sua „ Reverentia sciat, Papam mihi & duobus aliis „ Cardinalibus dedisse in commissis, ut investigaremus, & ipsi exponeremus, quodnam fundamentum habeant Altaria Privilegiata? Nostra Responsio erat, Altaria Privilegiata non „ habere solidum fundamentum, nec exemplum „ antiquum, & fortè non erant in usu ante Gregorium XIII., qui illis replevit mundum. „ Propterea Sixtus V. volebat tollere omnia Altaria privilegiata; hoc tamen non executus est, „ ne scandalizaret populum. Hinc Papa statuit, „ ea non concedere, nisi cum multis restrictionibus, & ad tempus, ne decipiantur homines, „ existimando per Missam ad Altare Privilegiatum infallibiliter animam liberari ex Purgatorio. His itaque suppositis sua Reverentia mihi „ scribat de novo, quidnam velit, ut petam. Si „ autem meum placeat sequi consilium, consulo, „ ut paucas petat. Indulgentiæ enim, quo minores fuerint, eò sunt securiores; & si potestas staret à me, darem exiguas, prout faciebat „ sua Sanctitas Pius V.

QUÆSTIO III.

Utrum Indulgentiæ pro defunctis infallibiliter liberent unam animam ex Purgatorio? Et num solum valeant per modum solemnis Deprecationis Ecclesiæ?

NOTANDUM I. Communem esse Theologorum sententiam, quod Indulgentiæ pro defunctis non valeant per modum *absolutionis;* quia Summus Pontifex non habet *jurisdictionem* in Purgatorium, ut possit ligare aut solvere animas, quas, & quot voluerit.

NOTANDUM 2. Valde communem esse Theologorum sententiam, quod Indulgentiæ pro defunctis valeant per modum *solutionis;* inquantum Summus Pontifex ex thesauro Ecclesiæ solvit pro debito animarum purgantium. Verum non conveniunt inter se; utrum Deus teneatur acceptare eam solutionem pro aliqua anima Purgatorii? Multi contendunt; omnem Indulgentiam pro defunctis habere hunc infallibilem effectum, ut semper liberet unam animam ex Purgatorio. Alii verò afferunt; eum effectum non esse infallibilem, eo quod acceptatio solutionis à Summo Pontifice factæ dependeat à liberrima voluntate Dei.

NOTANDUM 3. Posse esse sententiam tertiam; quæ admittit, ad Indulgentias defunctorum concurrere quidem solutionem ex thesauro Ecclesiæ; ita tamen, ut, cum Deus eam solutionem non teneatur acceptare, valor ejusmodi Indulgentiæ *in actu secundo* potissimum dependeat à solenni deprecatione Ecclesiæ, inquantum supplicatio illa Ecclesiæ Deum movet ad acceptandam passionem Christi & Sanctorum pro anima, cui applicatur Indulgentia. Ex hoc ipso tamen consequitur per se, effectum non esse infallibilem.

DICO. Valor Indulgentiarum pro defunctis *in actu primo* dependet à solutione ex thesauro Ecclesiæ, facta authoritative à Papa; in *actu* tamen

men *ſecundò* dependet à ſolenni deprecatione Eccleſiæ, & à liberrima acceptatione Dei.

Senſus Concluſionis eſt, quod ſatispaſſiones fidelium, quas offerunt pro Eccleſia in genere, non determinando perſonas, pro quibus eas offerre poſſent, à Præſidente Eccleſiæ offerantur ſpecifice pro perſonis, aut generibus perſonarum, determinatis. Hoc pertinet ad Officium ſeu authoritatem Papæ, inquantum eſt Caput Eccleſiæ. Sicut enim intentio contrahentium de ſe indeterminata ſubſtat directioni legum, & intentioni Legislatoris, ita etiam intentio fidelium ſatispatiendi pro Eccleſia in genere ſubſtat Directioni illius, qui præeſt Eccleſiæ, & nomine totius Eccleſiæ ex officio deprecatur. Quia tamen ſatispaſſiones alienæ non neceſſariò acceptantur à Deo pro illis, pro quibus offeruntur, ideo etiam valor Indulgentiarum pro defunctis in actu ſecundo dependet à merito, & motivo, & modo reſpectivo deprecantis Eccleſiæ relate ad animam, pro qua offeruntur, & à gratuita acceptatione Dei.

Conclusio ſic explicata probatur ſequentibus argumentis.

Argumentum I. *Sixtus IV.* anno 1477. ex inſtituto definivit, Indulgentias pro defunctis verſari, valere, & prodeſſe *in genere deprecationis.* ergo dicendum; quod valor Indulgentiarum in actu ſecundo dependeat à ſolenni deprecatione Eccleſiæ, quæ theſaurum ſatiſpaſſionum Chriſti ſanctorum, & fidelium deprecatoriè offert pro anima defuncti per Præſidentem Eccleſiæ, & à gratuita acceptatione DEI. Bulla Sixti IV., quam impreſſam reperi in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ ſic habet: *Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſal. & Ap. Ben. Romani Pontificis provida diligentia maxime ſuæ declarationis adminiculum curat ſolertius adhibere, quæ animarum ſalutem, & fidei Catholicæ conſervationem concernunt, ut amotis ambiguitatibus, & erroribus per rectam interpretationem veritatis via aperiatur. Cum itaque ſuperioribus menſibus nobis relatum eſſet, in publicatione Indulgentiæ per nos alias Eccleſiæ Xanctonenſi conceſſæ plura ſcandala, & diſcrimina fuiſſe exorta, prædicanteſque in hujusmodi publicatione multos abuſus commiſiſſe, multoſque errores prædicaſſe, ac inter alia occaſione dictæ indulgentiæ, quam animabus in purgatorio exiſtentibus per modum ſuffragii conceſſimus, nonnullos ſcripta noſtra male interpretantes publicè aſſeruiſſe, atque aſſerere, non eſſe ultra opus pro animabus ipſis orare, aut pia ſuffragia facere, ex quo quam plurimi à bene agendo retrahebantur. Nos ſcandalis, & erroribus hujusmodi ex paſtorali officio obviare volentes per Brevia noſtra ad diverſos illorum partium Prælatos ſcripſimus, ut Chriſti fidelibus declarent, ipſam plenam Indulgentiam pro animabus exiſtentibus in purgatorio per modum ſuffragii per nos fuiſſe conceſſam, non ut per Indulgentiam prædictam Chriſti fideles ipſi à piis, & bonis operibus revocarentur, ſed ut illa in modum ſuffragii animarum ſaluti prodeſſet; perindeque ea indulgentia proficeret, ac ſi devotæ orationes, piæque eleemoſynæ pro earundem animarum ſalute dicerentur, & offerrentur. Nuper vero non ſine gravi animi noſtri diſplicentia intelleximus, nonnullos minus rectè, & longe aliter, quam intentio noſtra fuerit, aut ſit, hujusmodi verba interpretatos eſſe; propter quod miramur plurimum, quod inquietudinis ſpiritus, qui mentes fidelium perturbare, & animarum ſaluti invidere, non ceſſat, tantum in cordibus malignantium invaluerit, ut illi Apoſtolicæ Sedis honori, & authoritati detrahentes, vel ſalutem animarum, vel pacem bonarum mentium affectantes, Phariſæorum more verba vitæ in deteriorem partem acceperint, & rectum ſenſum in ſiniſtrum traxerint, occaſionem inde ſumentes in ipſam Sanctam Sedem, Matrem omnium, ejusdem confeſſarios, ac in nonnullos magnæ doctrinæ, ut accepimus, viros machinandi, in malum exemplum, ac ſcandalum plurimorum, devotionis diminutionem, ſalutis animarum detrimentum, & Catholicæ fidei perturbationem, ex quo profecto deteſtabilem eorum opinionem & valde miramur, & juſte damnamus, cum ita obcæcati ea ſentire, & palam ferre cum tanto Chriſtianorum diſcrimine non erubuerint, quæ à mente, & intentione noſtra ſunt omnino aliena, & quæ ipſi, ſi religionem chriſtianam profitentur, nequidem cogitare debuiſſent. Qua quidem in re Catholici Antiſtites, ad quos Brevia noſtra direximus, reprehenſione, & culpa non carent; quippe qui de eorum officio hujusmodi errantium opinionem viriliter impugnare, & ſcripta noſtra non ad ſiniſtram, ſed ad rectam, non ad malam, ſed ad bonam referenda eſſe, ut certo referri debent, inſtantiis perſuadere debebant, neque permittendum erat, ut nodus in ſcirpo quæreretur. Non enim nos, qui licet immeriti ſacroſanctum Petri ſolium obtinemus, quique omnes ad bene de Deo merendum ſtudemus allicere, ad ſupradictos Prælatos ſcripſimus, & declaravimus, ſupradictam indulgentiam plenariam animabus in purgatorio exiſtentibus, ac ſi fierent pro eisdem devotæ orationes, piæque eleemoſynæ efficerentur videre prodeſſe, non quòd intenderemus, prout nec intendimus, neque etiam inferre vellemus, indulgentiam non plus proficere, aut valere, quam eleemoſynæ, & orationes; aut eleemoſynas, & orationes tantum proficere, tantumque valere, quantum indulgentia* PER MODUM SUFFRAGII, *cum ſciamus eleemoſynas, & orationes & indulgentiam* PER MODUM SUFFRAGII *longe diſtare, ſed eam perinde valere diximus, id eſt* PER EUM MODUM, PER, AC SI, *id eſt, per quod orationes, & eleemoſynæ valent, & quoniam orationes, & eleemoſynæ valent tanquam ſuffragia animabus impenſa, Nos, quibus plenitudo poteſtatis ex alto eſt attributa de theſauro univerſalis Eccleſiæ, qui ex Chriſti, ſanctorumque ejus meritis conſtat, nobis commiſſo, auxilium, & ſuffragium animabus purgatorii afferre cupientes, ſupradictam conceſſimus indulgentiam, ita tamen, ut fideles ipſi pro eisdem animabus ſuffragium darent, quod ipſæ defunctorum animæ per ſe nequeant adimplere. Hæc in ſcriptis noſtris ſenſimus, & ſentimus, hoc diximus, & dicimus; hoc illa continent, & ſonant, modo ab æquo interprete ſanus, rectusque ſenſus eliciatur. Ut igitur ſanctum, & laudabile deſiderium hoc noſtrum à nullo poteſt jure damnari, etiam intentio, & ſana mens, quæ non niſi ad apertum bonum intendit, impugnari per ambiguitatis medium non debet, cum ſecundum theologicæ diſciplinæ rationem quæcunque propoſitio dubium intellectum in ſe continens ſemper in eo ſenſu ſit accipienda, in quo vera redditur locutio. Quam ob rem volentes, ſicut tenemur, omnem ulterioris ſcandali materiam amputare, ne cuipiam deinceps malignandi, litisque doloſis diſceptationibus*

nibus

nibus suscitandi, & mentes fidelium perturbandi locus relinquatur, ac denique, ut videantur rationi, & veritati adhærere; non autem à recto tramite deviare, præsentium tenore decernimus, declaramus, in quibuscunque scriptis nostris semper nostræ intentionis fuisse, & nunc esse, ipsam plenariam indulgentiam, per modum suffragii animabus in purgatorio existentibus concessam sic valere, & suffragari, & ita ab omnibus accipi, intelligi, & interpretari debuisse, & debere volumus, & Authoritate Apostol. mandamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, declarationis, approbationis, concessionis, reprehensionis, statuti, præcepti, decreti, determinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, siquis hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnip. Dei, & B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno incarnat. Dominicæ MCCCCLXXVII. V. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

Ex Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ.

Ex hac Bulla Pontificia videtur satis clarè esse definitum, indulgentias pro defunctis in actu secundo tantum valere per modum deprecationis, quamvis plus valeant, quàm privatæ cujuslibet orationes, ac eleemosynæ, eoquod plus incomparabiliter valcant preces Ecclesiæ, dum authoritative offert Deo merita Christi, & Sanctorum. Posset proin ex Bulla sic construi argumentum. Indulgentiæ eo modo prosunt defunctis, quo modo prosunt defunctis orationes, & eleemosynæ fidelium; ergo simpliciter prosunt per modum deprecationis; quamvis enim orationes, & eleemosynæ habeant aliquid solutionis, cum sint simul satisfactoriæ, effectus tamen, & applicatio talium satisfactionum dependet à deprecatione offerentis, in quantum offerens exorat Deum, ut dignetur tales satisfactiones acceptare pro anima defuncti.

Si dicas: Romanum Pontificem expressè dicere, quod indulgentiæ plus valeant, quam orationes, & eleemosynæ. Respondeo 1. sic. si in ipso genere deprecationis datur major, ac minor efficacia, tunc illa major efficacia indulgentiarum non tollit modum deprecationis; sed. ergo, *Min. patet* ab experientia; quia majoris efficaciæ sunt preces amici, parentis, aut alterius personæ in authoritate constitutæ, aut personæ ingentia simul afferentis munera, quam alterius personæ vilis, & vilia tantum afferentis munera: cum ergo Ecclesia sit majoris authoritatis, eaque authoritative Deo offerat merita Christi & Sanctorum, etiam illius preces erunt validiores orationibus privati hominis. 2. Si Pontifex cum majori efficacia indulgentiarum vult simul retineri eundem modum efficaciæ inter orationes, & indulgentias, tunc habent eundem modum efficaciæ, sed: ergo. 3. Si Pontifex per suam declarationem voluit explicare, quomodo indulgentiæ, & alia pietatis opera pro defunctis debeant iterari, tunc intendit inter indulgentias, & orationes, ac eleemosynas paritatem quoad fallibilitatem effectus provenientem tantum à gratuita acceptatione Dei solutionis deprecatoriæ, adeoque eoipso declaravit, indulgentias in actu secundo tantum valere per modum deprecationis; atqui hanc iterandi obligationem voluit explicare Pontifex, ut patet ex Bulla: ergo.

Argumentum II. Etiam alii Summi Pontifices, qui à sæculo nono usque ad sæculum decimum sextum reliquerunt indulgentiarum pro defunctis specimina, præcisè defunctos juvarunt per modum deprecationis. Ergo, cum in hac re non possit admitti novatio in Ecclesia Dei quoad substantiam, dicendum; valorem indulgentiarum pro defunctis, etiamsi interveniat authoritativa solutio, in actu secundo dependere à deprecatione Ecclesiæ, hoc est, à solutione authoritativa modo deprecatorio oblata. *Ant. prob.* ab inductione.

Primum indulgentiarum pro defunctis exemplum, omnium, quæ extant, antiquissimum, in *historia* mea *indulgentiarum* ex Baronio ad annum 878. n. 34. attuli, ubi *Joannes VIII.* Galliæ Episcopis de militibus pro defensione Ecclesiæ occisis sic habet:

Omnibus Reverendissimis, ac sanctissimis venerabilibus Co-Episcopis per totum regnum charissimi filii mei Ludovici Regis.

Quia veneranda Fraternitas vestra modesta interrogatione sciscitans quæsivit; utrum, qui pro defensione S. Dei Ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis, & Reipublicæ in bello nuper ceciderunt, aut de reliquo, pro ea re casuri sunt, indulgentiam possint consequi delictorum. Audenter confisi Christi DEI nostri pietate respondemus, quoniam illi, qui cum pietate Catholicæ Religionis in belli certamine cadunt, requies eos æternæ vitæ suscipiet, contra paganos, atque infideles strenuè dimicantes, eoquod Dominus per Prophetam dignatus est dicere; peccator, quacunque hora conversus fuerit, omnium illius iniquitatum non recordabor amplius. Et venerabilis ille latro in una confessionis voce de cruce meruit paradisum. Manasses quoque impurissimus quondam Rex captus, carcerique arctissimo religatus ibi pœnitentiam agens cum perfectione indulgentiæ propter Domini misericordiam, quæ immensa est circa genus humanum, adeptus est solium. Nostra præfatos mediocritate, intercessione B. Petri Apostoli, cujus potestas ligandi, atque solvendi est in cœlo, & in terra, quantum fas est absolvimus, precibusque illos Domino commendamus. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere, hæc Joannes de indulgentia tam pro vivis, quam pro defunctis. ex hoc sic argumentor. 1. Si ad applicandum pro defunctis absolutionis Pontificiæ effectum intervenire debet intercessio B. Petri Apost. tunc indulgentiæ pro defunctis tantum valent per modum deprecationis; sed. ergo, *Min. patet* ex verbis adductis. 2. Si ista verba Pontificis, *quantum fas est*, non habent alium sensum, quam hunc; *quantum permittet Deus; quantum placuerit divinæ bonitati*, tum absolutio illa Pontificia est tantum deprecatoria. sed; ergo. *Major* proximè ostendetur. *Min. prob.* ex una parte non potest assignari alius horum verborum sensus; ex altera vero parte Romani Pontifices in aliis Bullis ea verba sic explicant, dum eorum loco ea substituunt; *quantum divinæ bonitati placuerit*, ut proxime videbimus. Si dicas; sensum horum verbo-

verborum esse: *quantum permittit dignitas, ac capacitas animæ, cui applicatur indulgentia*, vel sic; *inquantum ego habeo potestatem*. RESPONDEO, neutrum dici posse. *Posterius* indignum est gravitate Pontificia, cùm supponat, Pontificem ignorare limites suæ potestatis, sicut si superior dubius in casu particulari de limitibus suæ potestatis daret subdito licentiam, aut Sacerdos dubius de sua jurisdictione absolveret, cum dicto; *in quantum possum*, quod nihil aliud est, quam dicere, *si possum*. Particula enim, *in quantum*, quando refertur ad rem indivisibilem, qualis est absolutio, non est divisiva objecti, aut reduplicativa, sed conditionalis, & suspensiva, *prius vero* superfluum, ac insulsum, adeoque & ipsum à mente Pontificis alienum est; non enim, dum absolvimus pœnitentem, dicimus, *in quantum fas est te absolvo*, quamvis absolutionis effectus dependent à dignitate, & capacitate pœnitentis. 3. Si Pontifex animas defunctorum post earum absolutionem precibus Deo commendat, tunc existimat, ad applicandum defunctis talia absolutionis effectum esse necessarias, aut utiles preces; quod si verò necessariæ, aut utiles sunt ad hunc finem, eo ipso sequitur indulgentiarum effectum dependere à deprecatione Ecclesiæ, quod ipsum nihil aliud est, quam Indulgentias valere per modum deprecationis. Ergo.

Secundum Indulgentiarum pro defunctis exemplum in præfata *Historia Indulgentiarum* attuli ex *Raynaldo* ad annum 1118. ubi in tabula Ecclesiæ Cathedralis Januensis de *Gelasio II.* sic scribit: *Anno MCXVIII. dedicatio facta est Ecclesiæ Januensis, quæ consecrata fuit à Gelasio Papa, in qua consecratione fecit remissionem cunctorum peccatorum ex parte Dei Omnipotentis, Beatæque Genitricis Dei Mariæ, & omnium Sanctorum, & sua, in quantum potuit, omnibus defunctis, qui sepulti sunt in cæmeterio Ecclesiæ Januensis, & sepelientur usque in finem Sæculi.* Ex hoc textu sic argumentor. 1. qui efficaciter ponit effectum, non dicitur posuisse effectum, *in quantum potuit*. Amicus, qui solvit totum amici debitum, non dicitur juvisse, aut solvisse, *in quantum potuit*; sed tunc dicitur juvisse, *in quantum potuit*, si interposuit pro amico preces, aut pro viribus aliquam partem debiti solvit, non tamen obtento effectu principali. Ergo si Pontifex dicitur fecisse remissionem, *in quantum potuit*, effectus non dependet ab ejus potestate, sed ab alterius insuper potestate, nempe à gratuita acceptatione Dei, adeoque à deprecatione Ecclesiæ.

CONFIRMATUR. Hic modus loquendi, *in quantum potuit*, dicit divisionem, ac inadæquationem potentiæ, prout patet ab inductione similium locutionum, v. g. si dico: Titius pro liberatione sui amici fecit, in quantum potuit, sed non obtinuit liberationem à Judice, quia media, ac potentia liberandi præcipue resident in persona Judicis, non in persona Titii; ergo etiam liberatio animarum non adæquate, ac totaliter residet in absolutione, aut solutione Pontificis, sed præcipue in arbitrio Dei Judicis. 2. Pontifex *remittit* in hac concessione *peccata sepeliendorum in tali cæmeterio usque ad finem Sæculi*; hoc fieri non potest per modum absolutionis, aut solutionis; ergo per modum deprecationis. Absolvi nemo potest à futuris peccatis, maximè qui nondum existit, adeoque etiam actualiter solvi non potest pro futuris peccatis; litrum redemptionis, nempe merita Christi, poni potest ante peccatum, sed hoc litrum à Pontifice actu expendi, solvi, ac applicari non potest pro peccatis futuris: Restat ergo, quod Pontifex solum potuerit rogare Deum, ut clemens sit in futurum iis, qui sepelientur in tali cæmeterio, sicut Salomon L. 3. Reg. c. 8. rogat Deum, ut in posterum sit propitius populo, si peccaverit dicens: *Si peccaverit homo in proximum suum, & venerit coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies. --- Si peccaverint tibi, & tradideris eos inimicis, & captivi ducti fuerint ad te exaudies preces eorum, & propitiaberis populo tuo.* En! hæc est deprecatio, quæ se extendit in Sæculo pro remissione peccatorum.

Tertium ejusmodi Indulgentiarum exemplum in præfata historia attuli ex Bulla *Alexandri VI.* ubi concedit Jubilæum contra Turcas cum annexa indulgentia pro defunctis. Forma autem hujus Indulgentiæ consistebat præcise in communicatione bunorum operum, qualis communicatio etiam nunc fieri solet à Religiosis Ordinibus. Cùm vero iis, qui contribuerunt pro bello contra Turcas singulis darentur litteræ indulgentiales, eorum exemplum, in Archivio nostro Pollingano asservatur hujus tenoris: *Raymundus &c. Presbyter Cardinalis ad Germaniam --- Apostolicæ Sedis Legatus. --- Notum facimus, quod Alexander VI. concessit omnibus fidelibus pro tuitione fidei contra Turcas manus adjutrices porrigentibus Jubilæum, & alias indulgentias --- indulsit etiam SS. D. N. motu suo proprio, omnes fideles hujusmodi, ac eorum parentes, & benefactores, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, Missis, eleemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis, ac cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt, & fieri poterunt, in tota Universali Ecclesia militante, & & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri, & ne super præmissis à quoquam verti posset in dubium, voluit SS. D. N. ut præsentibus nostris litteris, adhibeatur fides --- & quia devoti in Christo Joannes Præpositus, Joannes Dassaner Decanus, Joannes Diesser --- Canonici, Regulares S. Augustini Monasterii Pollingani Augustensis Diœcesis ad fidei defensionem --- de bonis suis contulerunt, ideo, ut dictis Indulgentiis, & gratiis gaudere valeant, concedimus.* Datum 6. Martii 1502.

Ex his evidens est, Indulgentias has pro defunctis concessas fuisse per modum participationis bonorum operum; ita ut animæ defunctorum redditæ fuerint participes omnium orationum, & bonorum operum, quæ fiunt in tota militante Ecclesia. Igitur, cùm aliunde certum sit: ejusmodi participationes bonorum operum in actu secundo valorem suum tantum habere à deprecatione communicationem tribuentium, & à gratuita acceptatione Dei, idem circa indulgentias pro defunctis sentiendum est. *Neque verosimile* est, Alexandrum VI. hanc *participationem bonorum operum* erga defunctos sumpsisse in alio sensu, quam eo tempore hic terminus solebat sumi in Bullis Pontificiis, v. g. dum *Nicolaus IV.* Tertiarios

rios S. Francisci reddit participes omnium bonorum operum, quæ fiunt in ordine S. Francisci, dum *Joannes XXII.* & *Alexander V.* & *Clemens VII.* deferentes Scapulare Carmelitarum reddit participes omnium bonorum spiritualium Ordinis Carmelitici, vel dum *Sixtus IV.* in Bulla, *inter præcipuas*, anno 1477. confratres cincturatorum reddit participes omnium bonorum, quæ fiunt per Fratres Eremitarum S. Augustini, & in tota Ecclesia, quo modo etiam Cassinenses fiunt participes omnium bonorum, quæ fiunt in omnibus Ordinibus &c. cum ergo non detur dominium duorum in solidum, hæ omnes participationes in actu secundo tantum habent valorem deprecationis qualificatæ.

Aliud hujus veritatis testimonium sumo ex Bulla *Julii II.* anno 1510. & *Leonis X.* 1517. qui & ipsi concedendo indulgentias pro defunctis nihil aliud faciunt, quam ut defunctos reddant participes bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia. Bulla *Julii II.* sic habet: *Julius Episcopus, Servus servorum Dei -- liquet omnibus -- §. VII. Omnes, qui in capsis in subsidium fabricæ S. Petri pias eleemosynas posuerint, plenissimam omnium peccatorum remissionem consequantur. --- §. XXIII. Et animabus in purgatorio, quantum cum Deo possumus, succurrere cupientes, de divina misericordia ac Apostolicæ potestatis plenitudine volumus, & concedimus, ut si qui pro animabus eleemosynam ad fabricam erogaverint, ipsa plenissima indulgentia animabus in purgatorio per modum suffragii suffragetur; ac omnes fideles, qui ad fabricam contulerint, ac omnes eorum defunctos parentes, & benefactores in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, jejuniis, orationibus, Missis, horis Canonicis, disciplinis, peregrinationibus, & cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt, & fieri poterunt in tota universali sacrosancta Ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem participes in perpetuum fiant &c.*

Bulla *Leonis X.* anno 1517. de verbo ad verbum banc formam *Julii II.* repetit, ut patet ex litteris publicis *Alberti* Archiepiscopi Moguntini à me recensitis Parte II. ex quibus omnibus apparet, Indulgentias à tribus Romanis Pontificibus concessas, nempe ab *Alexandro VI. Julio II.* & *Leone X.* tantum fuisse participationem bonorum operum defunctis indultam.

Quartum Indulgentiarum pro defunctis exemplum attuli ex Bulla *Gregorii XIII.* quæ sic habet: *Animabus defunctorum de Thesauro Ecclesiæ subsidia subministrare studemus, ut illæ, quantum divinæ bonitati placuerit adjutæ, ad cælestem patriam facilius pervenire valeant. De divina igitur misericordia confisi concedimus, ut anima per celebrationem Missæ ad Corpus* S. JUVENALIS *easdem peccatorum remissiones consequatur, quas consequeretur, si Sacerdos ad Altare S. Gregorii celebraret.* Jam sic: si Pontifex concedendo indulgentias pro defunctis committit divinæ bonitati, quantum exinde juvari animas voluerit, tunc effectus Indulgentiarum dependet ab arbitraria acceptatione Dei, adeoque à deprecatione Ecclesiæ: sed. Ergo. *Minor patet* ex verbis Pontificis, *quantum divinæ bonitati placuerit*, quæ verba non adhibentur in absolutione pœnitentis, aut aliis divinis effectibus ex pacto, promissione, aut quovis modo ex justitia debitis.

Quintam indulgentiam pro defunctis recensui ex Bulla *Pii IV.* ubi Pontifex sic ait: *Cuicumque animæ in purgatorio existenti, pro qua eleemosyna per deputatos taxanda hospitali erogabit, ut indulgentiam plenariam à pœna, & culpa, quantum pietati Majestatis divinæ placuerit, consequatur, concedimus.* Ex his verbis idem argumentum confici potest, quod prius.

Sextam indulgentiam sumpsi ex Bulla *Sixti V.* quæ sic habet: *Divina miseratione confisi concedimus, ut quoties quilibet aliqua ex præmissis pro animarum in purgatorio existentium salute adimpleverit, ipsæ animæ, pro quibus id fecerit, efficacissimi D. N. J. Christi meritis, ac B. V. M. sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum, & sanctorum precibus, & intercessionibus suffragantibus easdem indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur.* Jam sic: si ad applicandum defunctis indulgentiarum effectum opus est precibus, ac intercessionibus Sanctorum, tunc etiam opus est deprecatione Ecclesiæ, qua exoret Ecclesia vel Sanctos ad interponendam suam intercessionem, vel ipsum Deum ad condonandam animabus purgantibus pœnam; sed. Ergo, ex his omnibus liquet, octo Romanos Pontifices satis indicasse, *indulgentias pro defunctis valere per modum deprecationis.*

ARGUMENTUM III. Ante finem Sæculi XV. dabatur vix ullus aut certe rarissimus usus indulgentiarum pro defunctis; ergo tunc antiquis temporibus agnovit Ecclesia, non dari modum defunctos juvandi per indulgentias, nisi deprecatorium: alias enim per novam introductionem tot indulgentiarum fuisset facta magna variatio in aliquo articulo disciplinæ Ecclesiasticæ, qui ob perpetuam suam exigentiam in re omnium gravissima non deberet esse per leges prudentiæ subjectus tantæ, tam universali, ac tam diuturnæ oblivioni, ac tam feræ mutationi. In aliis punctis disciplinæ Ecclesiasticæ dantur, ac sciuntur rationes, ob quas deceat mutatio: Quæ vero ratio esse potest; animas purgantes per tot sæcula relinquendi in terribilibus flammis non recluso thesauro Ecclesiæ, non aperiente Dispensatore communi bonorum omnium manum, nec interponente authoritatis suæ plenitudinem, ut reduceret ad Deum è carcere sponsas sibique ipsi conscriberet inempto oris verbulo copiosas in auxilia Ecclesiæ è cœlo copias? De hac re per tot sæcula nunquam Romano Pontifici, inter tot innumeras, ac quotidianas, quæ etiam privato cuivis bono Ecclesiæ civi cælitus ingeruntur, inspirationes fuisse injectas, sentire, ne dicam, eloqui injurium divinæ providentiæ, non dormienti per tot sæcula, sed instar piissimæ Matris vigilanti in bonum Ecclesiæ. Itaque incredibile est, novam indulgentiarum pro defunctis quotidie increscentium formam quoad substantiam aliud esse, quam antiquas, ac solennes deprecationes Ecclesiæ pro defunctis, quæ, dum manent eædem, pro diversis moribus temporum habitum alium, ritumque recipiunt, non naturam. Itaque id unice mihi probandum video; indulgentias pro defunctis ante finem Sæculi XV. vix ullas fuisse, aut certe singulares, ac prorsus rarissi-

rarissimas. Id ostendo 1. negativè, quia ex nullo Archivio Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ &c. hactenus producta est ulla authentica Bulla indulgentiarum pro defunctis ante finem Sæculi XV. excussi plusquam sexcentos Authores, qui scripserunt de indulgentiis, in nullo reperi tenorem, aut datum, aut textum ullius talis Bullæ. Lustravi plusquam quinquaginta Bibliothecas Bavariæ, & vicinarum urbium, ac in iis sedulo evolvi multa manuscriptorum veterum millia; attamen, quamvis multas indulgentiales Bullas pro vivis in iis repercrim, nullam uspiam pro defunctis reperi. Præterea in multis Monasteriis ex Archivio mihi prolatæ sunt omnes Bullæ indulgentiales à quingentis, ac sexcentis annis Monasterio concessæ, ac sollicite asservatæ, inter omnes tamen ante finem Sæculi XV. nullam pro defunctis reperi. Nec ego solus in investigandis antiquis talibus Bullis infelix fui, sed & omnes alii, qui huic inquisitioni incubuerunt. *Alphonsus Casarubios*, quo nullus alius diligentius inquisivit in privilegia sui ordinis fratrum minorum. V. *Indulgentia.* ubi affert tres indulgentias à *Julio II.* ad initium Sæculi XVI. concessas. Fatetur has solas esse authenticas: *solum tres præfatæ concessiones*, inquit, *pro liberandis animabus purgatorii reperiuntur authenticæ.* In omnibus cruciatis, in omnibus Jubilæis, in indulgentiis omnium ordinum, in quibusvis aliis indulgentiarum occasionibus, v. g. Ecclesiarum dedicationibus, peregrinationibus, Canonizationibus, festorum celebrationibus &c. nulla reperitur indulgentia pro defunctis. In historia indulgentiarum attuli tenorem plusquam quingentarum talium Bullarum, & concessionum veterum, una, ac altera excepta, reliquæ omnes nec minimam faciunt mentionem pro defunctis. Itaque, cum incredibile sit, omnes Bullas indulgentiales pro defunctis fuisse perditas, cum tamen reliquæ Bullæ indulgentiales pro vivis, etiam minimæ, fuerint tam sollicite ubivis locorum asservatæ, ex hoc argumento negativo recte concludo, aut nullas, aut certe rarissimas, ac prorsus singulares fuisse Bullas indulgentiarum pro defunctis.

IDEM OSTENDO etiam positive. 1. Ex testimonio Authorum, qui vixerunt Sæculo XV. jam exeunte, & tamen testantur, suo tempore non fuisse consultas indulgentias pro defunctis. *Gabriel Wiel*, qui scripsit circa annum 1490. in expositione Missæ lect. 56. quærit; an possint dari indulgentiæ pro defunctis? contra hoc sic argumentatur. *Si valerent indulgentiæ pro defunctis, tunc Ecclesia, & Papa negligenter agerent in tam crebris indulgentiis nostris temporibus concessis non extendendo illas ad animas defunctorum.* Dein respondens Adversariis objicientibus consuetudinem Ecclesiæ ait: *Ad consuetudinem Ecclesiæ, dum facit prædicari crucem, ibique concedit, quod assumens crucem habet indulgentiam pro duabus, vel tribus, aliquando pro decem animabus tam vivorum, quam mortuorum, dico, quod non constat de hoc modo; nam contra turcas nostris diebus, & etiam contra Bohemos crux prædicata est; similiter plenissimæ indulgentiæ in reductione Græcorum tempore concilii Basileensis; item in anno Jubilæo tempore Nicolai Papæ anno 1450. & nullibi appositæ sunt conditiones, per quas exdenteretur ad purgandos in purgatorio.* Dein lect. 57. fatetur, se interea devenisse in notitiam, quod fuerint aliquæ indulgentiæ pro defunctis concessæ, & exemplum affert ab Ecclesia Xantonensi in Gallia, Tyraconensi in Hispania ac tribus Ecclesiis Romæ, quod ipsum confirmat, alia indulgentiarum exempla authentica pro defunctis, nisi forte rarissima non extitisse, eo quod Author solertissimus facta diligentissima inquisitione non potuerit alia talium indulgentiarum exempla reperire, quam præfata, prorsus paucissima, ac singularia. 2. Romani Pontifices in iis occasionibus, in quibus habebant motivum gravissimum concedendi indulgentias pro defunctis, nullas tamen concesserunt; ergo non erat consuetudo Ecclesiæ, ullas eo tempore concedendi indulgentias pro defunctis. Quod in *Cruciatis* nullas concesserint, jam ostensum est; & tamen eo tempore gravissimum erat motivum, ut animæ per indulgentias liberatæ assisterent Christianis, sicut adstitisse narrantur *Rogerio* Regi Siciliæ, quod ipsum exemplum non debuit esse Romanis Pontificibus ignotum. Item Romani Pontifices gravissimum motivum habebant concedendi indulgentias pro animabus Regum, ac Principum defunctorum, qui Sedi Apostolicæ erant specialiter devoti; constat enim, quod eorum salutem ante, & post eorum mortem procurare voluerint. Concesserunt indulgentias orantibus pro salute talium Principum ante eorum mortem, & concesserunt etiam indulgentias orantibus pro eorum anima post mortem, & tamen nullam concesserunt indulgentiam quæ posset applicari pro anima talis defuncti Principis. Affero exempla. *Nicolaus IV.* ad Carolum Regem Siciliæ anno 1289. sic scribit:

Omnibus, qui devotis orationibus divinam pro te misericordiam imploraverint, singulis diebus, quibus id fecerint, decem dies de injuncta eis pænitentia relaxamus. & post hujus mortem *Clemens V.* anno 1309. hanc addit Bullam: *Clemens V. &c. Cum claræ memoriæ Rex Siciliæ Carolus optimam repositam gratiam habere credatur, Mariæ Reginæ Siciliæ relictæ viduæ precibus annuentes, omnibus, qui pro anima prædicti Regis devote Deum oraverint, singulis diebus quibus id fecerint, viginti dies de injunctis sibi pænitentiis relaxamus. Innocentius IV.* anno 1251. ad instantiam Berengariæ, filiæ Ferdinandi Regis Hispaniæ optime de Ecclesia meriti pro anima Berengariæ Matris Ferdinandi, quæ eum ad debellandos gentiles excitaverat, hanc Bullam edidit. *Innocentius IV. Omnibus, qui ad sepulturam Berengariæ accesserint, orationum suffragia impensuri, 40. dies, nec non & illis, qui pro animæ ipsius remedio orationem Dominicam dixerint, 10. dies de injunctis sibi pænitentiis relaxamus. Joannes XXII.* anno 1316. ad Clementiam Reginam Galliæ sic scribit: *Omnibus, qui devotis orationibus pro te, & prole Tua, nec non pro animabus claræ Memoriæ Ludovici Regis Francorum viri tui, & parentum tuorum divinam misericordiam imploraverint, quoties ad Deum hujusmodi preces effuderint, viginti dierum indulgentiarum impartimur. Raynaldus* ad annum 1322. num. 22. ait: *Sublatus è vivis est Philippus Francorum Rex: moriens Joannis XXII. apud Deum preces ad expiandas reliquias crimi-*

criminum maculas imploravit; nec pio Joannem defuisse officio indicant litteræ, quibus 20. dierum indulgentiam preces pro illius anima Deo porrecturis impertit. In *Papebrohio* ad 5. Junii in vita Ferdinandi habetur hæc Bulla ad annum 1470.: *Paulus II. universis Christi fidelibus - - - - cupientes, ut capella S. Antonii Ulixbonensis, in qua ex ordinatione Isabellæ Ducissæ Burgundiæ in die obitus Ferdinandi Infantis Portugalliæ, ejusdem Ducissæ fratris, qui ad expugnationem infidelium in Africa transfretavit, & pro liberatione Christianorum in partibus illis tunc existentium, ac inde aliter liberari non valentium in manibus eorundem infidelium sponte obsidem se tradidit, ac per ipsos infideles diris carceribus mancipatus, & tormentis affectus per plures annos extitit, ac in fide catholica viriliter persistens, ut athleta fortis post plurima supplicia, ægritudines, ac labores in eorundem infidelium partibus, & captivitate constitutus Redemptori suo animam reddidit, solenne Anniversarium annis singulis celebratur, & ut congruis honoribus frequentetur, omnibus, qui Capellam prædictam in die Anniversarii visitaverint, & pro Isabellæ, Ferdinandi, & progenitorum eorundem animarum salute preces effuderint, septem annos de injunctis eis pænitentiis relaxamus.* En! nulla hic Indulgentia pro defunctis anno 1470. quamvis majus motivum vix excogitari possit. Obiit Princeps Regius pro salute Christianorum inter barbaros; jubet Pontifex, ut fideles pro illius anima orent, & tamen huic animæ nullam concedit indulgentiam directam. Quæ causa esse potest tantæ paucitatis, nisi quia Pontifex vidit; idem ferme quoad substantiam defuncto fieri lucrum ex deprecatione Ecclesiæ solenni facta authoritate Papæ, quod sperari posset ex Indulgentiis nostrorum temporum? Addo, quod adhuc circa medium Sæculi XVI. nondum fuerit consuetudo Ecclesiæ in confraternitatibus, ac ipsa etiam confraternitate defunctorum concedendi Indulgentias pro defunctis, sed tantum concedendi indulgentias pro vivis, qui oraverint pro defunctis. In Archi - Confraternitate Orationis, & mortis, seu defunctorum Bulla *Pii IV.* anno 1560. sic habet: *Pius IV. Divina - - - non nulli ordinarunt, ut pauperum defunctorum corpora propriis humeris, candelis, & expensis sepelirent. Nos confratribus, qui pro viribus preces effuderint intuitu unius animæ cujuscunque fidelis defuncti centum annos; illis vero Confratribus, qui Pauperum decedentium corpora ad locum sepulturæ detulerint, mille annos de injunctis sibi pænitentiis relaxamus.* In Confraternitate B. Mariæ de *suffragio* pro defunctis *Clemens VIII.* anno 1592. adeoque jam in fine Sæculi XVI. hanc solum, & nullam aliam Indulgentiam concedit. Bulla illius sic habet: *Clemens VIII. Ex debito &c. Cardinalis Sfortia nuper nobis exposuit quod nonnulli ex Parochianis suæ Ecclesiæ unam Confraternitatem animarum purgatorii, alias* SUFFRAGII *nuncupatam, cujus præcipuum institutum hoc esset, pias ad Deum preces pro dictis animabus in purgatorio existentibus effundere, erigendam atque instituendam statuerint. Nos - - - omnibus fidelibus, qui Ecclesiam Confraternitatis in omnium &c. ac per totam Octavam, ac Nativitatis B. V. M. Festivitatibus annis singulis visitaverint, & pro animarum in purgatorio existentium liberatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam indulgentiam peccatorum suorum, & remissionem elargimur; ipsisque Confratribus, qui qualibet feria secunda primæ hebdomadis cujusvis mensis SS. Sacramentum eisdem animabus purgatorii Psalmos, & Orationes recitando susceperint, 7. annos, & tot, quadragenas - - - relaxamus.* Datum Romæ 1594.

Similes Indulgentias tantum pro vivis concessas reperies plures in mea historia indulgentiarum Part. I. ubi actum est de Indulgentiis confraternitatum.

Id ipsum confirmatur ex epistola *Bellarmini* Cardinalis superius ad finem prioris quæstionis posita, ubi testatur, *usum Altarium privilegiatorum esse valde novum.*

Argumentum IV. Demonstratum est mathematicè, intra duos, aut tres annos plures Indulgentias plenarias applicari pro defunctis, quod potuerint in purgatorium animæ descendere ab origine mundi usque ad hæc tempora; ergo clarum est, quod Indulgentiæ pro defunctis non semper extrahant animam; alias quotidie exhauriretur purgatorium per novas indulgentias. Si autem non semper extrahunt animam, eorum effectus dependet ab acceptatione Dei, adeoque profunt modo deprecatorio. Hujus rei demonstratio hæc est.

Constat ex Geographia; quod in toto orbe non dentur ultra mille milliones hominum. *P. Kolb* in sua Geographia p. 4. §. 11. admittit in Europa 150. milliones, totidem in Africa, 200. milliones in America, 300. milliones in Asia, quorum omnium summa est 1000. milliones, si his omnibus ex abundanti addo 200. milliones, fiunt mille milliones. Constat ulterius per experientiam, quod per decursum unius anni inter 25. homines ad summum moriantur unus. Ita constat ex singulis Parochiis; si v. gr. sint in Parochia 500. animæ, per annum vix moriuntur 20. & in communitatibus quibuscunque, ubi sunt v. g. 50. vix per annum moriuntur duo. In urbibus, ubi sunt animæ 5000., vix moriuntur 200. *Londini* computantur animæ 700000. & tamen numerus mortuorum annuus ordinariè non ascendit ultra 28000. *Parisiis* computantur animæ 600000. & tamen annuus numerus mortuorum ordinarie non ascendit ultra 22000. *Romæ* computantur animæ 150000., & tamen numerus annuus mortuorum ordinarie non ascendit ultra 6000. Itaque demonstratum est, quod è mille millionibus hominum intra annum in toto orbe non moriantur ultra 40000000. seu quadraginta milliones hominum. Ex quo ipso constat, quod intra unum diem in toto orbe non moriantur ultra 109589. seu rotunde 110000. hoc est, centum, ac decem millia hominum. Jam vero certum est, quod inter omnes homines in toto mundo duæ tertiæ partes sint gentiles, videlicet idololatræ, ac Turcæ, qui non perveniunt, nisi forte in casu ignorantiæ invincibilis raro, ad purgatorium; igitur deletis duabus tertiis ex 110000. remanent Christiani 36666. inter Christianos rursus dimidia pars servit errori, ac hæresi; Abyssiniæ, Ægypti, Moscoviæ, Succiæ, Daniæ, Angliæ &c. populi ab Ecclesia, ac salute, nisi in quantum paucos ignorantia invincibilis ad pur-

D. Amort Tract. de Pœnitentia. Rr gato-

gatorium admittit, avulsi sunt. Major pars Belgii, ac Germaniæ, Armeniæ, & Græciæ itidem in errores & hæreses divisa est; ut proin pro Catholicis quotidie per orbem universum ad aliam vitam transeuntibus vix superfit pars dimidia 18333. Jam ex his octodecim Catholicorum millibus vix tertia pars purgatorio adscribi potest. Unam enim tertiam morientium parvuli usque ad septennium decedentes conficiunt, ut monstrat experientia. Aliam tertiam sibi infernus, vorago insatiabilis, deposcit. Itaque ad purgatorium quotidie ultra 7000. animarum deferri non possunt. Et hoc haud dubie nimium foret, si exempla narrari solitis fidem adhibeamus. Dicitur *Bertholdo* Franciscano, cujus vita continetur in *Bavaria sancta Raderi*, Ratisbonæ revelatum esse, intra 60000. hominum tantum 4. ad purgatorium pervenisse. Si ergo inter 110000. admitto 7000, ex abundanti multum admitto; imo, ne tenacior videar, auctarium gratuitum facio trium millium, & quotidie ad purgatorium descendere transmitto decem morientium millia. Igitur intra annum ad purgatorium descendent 3650000. & intra quinque annorum millia, si supponatur, semper fuisse tot fideles, ac nunc, 18250000000., id est, octodecim millia millionum. Atqui certum est numerum fidelium ante Christum natum per 4. annorum millia fuisse ad minimum decuplo minorem, ac nunc; adeoque dum nunc intra annum lustralibus flammia adscribuntur 365000., ibi intra annum eo vix perveniebant 36500.; adeoque intra 4. annorum millia 146000000. Si addamus annos 1730. computando pro singulis annis 3650000. fient 6314500000. adeoque summa omnium animarum purgantium usque ad nostra tempora erit ad summum 7460500000. id est, septem millia millionum. Videamus, quanto tempore ad eorum liberationem opus sit? Catholici sunt 166000000. utpote dimidia pars Christianorum, qui sunt tertia pars hominum, omnium, nempe mille millionum. Si igitur quilibet Catholicorum intra tres annos tantum lucretur, ut solet fieri, quinque Indulgentias pro defunctis, jam lucrabuntur octo millia millionum; adeoque intra tres annos homines lucrantur de facto plures indulgentias pro defunctis, quam pervenerint animæ ad purgatorium ab origine mundi. Præterea, quot legantur quotidie sacra pro defunctis in Altaribus privilegiatis? quot per annum ab nno fidelium applicantur indulgentiæ pro defunctis? quot legantur alia sacra? quot redemit Christus? quot S. Martinus, & alii Sancti? certe in Ecclesia quotidie celebrantur ad minimum sexcenta millia sacra; habentur inter tot sacra ad minimum 20000. privilegiata. Præterea offeruntur tot communiones à fidelibus, ut in singulos dies distributæ ad minimum conficiant centum millia. Si ergo omnes indulgentiæ pro defunctis, & Missæ in Altari privilegiato liberant unam animam è purgatorio, impossibile est, aliquam animam amplius morari in purgatorio, cùm per unum diem ad summum in purgatorium descendant decem millia animarum. Quod si vero certissimum est, dari etiamnum animas, easque plurimas in purgatorio diu cruciari, prout dubitari non potest, eoipso inferendum est, Indulgentiarum effectum dependere ab acceptatione arbitraria Dei, *adeoque eas tantum suffragari animabus per modum deprecationis interpositæ ab Ecclesia.*

ARGUMENTUM V. Sæculo XIII. XIV. XV. multi Theologorum adhuc dubitarunt, an Indulgentiæ valerent pro defunctis; ergo non dabatur traditio, aut sensus universalis Ecclesiæ, dari in Ecclesia remedium pro defunctis tam efficax, ac infallibile, ut differat quoad substantiam à deprecatione Ecclesiæ; tale enim remedium tamdiu latere non potuisset, nec tacuisset Ecclesia ad errorem Theologorum publicè, & tamdiu, nempe per tria Sæcula passim contradicentium. *Antecedens vero prob.* ab inductione. *Joannes Major*, qui scripsit ad finem Sæculi XV. nempe 1490. in 4. sent. dist. 20. quæst. 2. sic ait: *Secundo dubitatur, an existentibus in purgatorio Papa possit concedere Indulgentiam? Hostiensis, & multi Theologi partem negativam tenent; & primo anno, quo Doctor eram, hac materia proposita in Facultate nostra* (Parisiensi) *multi gravissimi Magistrorum nostrorum partem negativam tenuerunt. --- Ego, quia super fines non intellexi, fisto in illa examinatione.*

Hostiensis Cardinalis, qui scripsit 1260. in summa tit. de remissionibus c. 6. ait: *Indulgentiæ vivis tantum prosunt, non mortuis; sicut enim membrum corporale, putridum, vel resecatum, vel mortuum non potest nutriri, vel vivificari cibo corporali, sic nec membrum spirituale Corporis Christi cibo spirituali. Licet alia suffragia Ecclesiæ mortuis prosint; quia charitas sola prodest in purgatorio, sed potestas clavium non habet ibi locum, nec obstat, quod Ecclesia solvit, & ligat post mortem, quia ibi fit absolutio ad consolationem vivorum, & absolvitur mortuus, id est, antequam moreretur, absolutus fuisse per contritionem monstratur, vel declarat Ecclesia, quod omnes pro excommunicato mortuo liberè orent.*

Gerson Cancellarius Parisiensis sermone 2. pro defunctis quæst. 9. sic quærit: *Possuntne indulgentiæ acquiri pro defunctis?* ℞. *Teneo, quod non, quia Indulgentiæ ordinatæ sunt pro his, qui submittunt se curiæ misericordiæ, quæ hic est, & durat usque ad mortem, non autem post mortem.* Idem in Tract. de Indulgentiis §. 11. sic habet: *Utrum Claves Ecclesiæ se possint extendere non solum super terram, sed sub terra in purgatorio, maxime quoad remissionem pœnæ, aut venialis culpæ, sunt opiniones ad utramque partem probabiles, & favorabile est, dicere, quod sic, saltem per indirectum propter communionem in charitate.*

Item Anonymus, qui scripsit 1480. de indulgentiis ait: *Dicendum &c. quod ista indulgentiæ non proficiunt existentibus in purgatorio, quia ibi pœna, quæ determinata est per superiorem Judicem, non potest per inferiorem Dominum æque tolli.*

Bertholdus Episcopus Chiemensis in Bavaria, qui scripsit suam Theologiam 1529. c. 89. de indulgentiis sic ait: *Postquam anima corpore soluta est, non amplius Pontifici, sed immediate divino judicio subjecta est; hinc nec potestas, nec indulgentia Pontificis se ad purgatorium, utpote in alienum territorium se extendit.* Ex his, & pluribus aliis Authoritatibus sequenti argumento offerendis patet, potestatem concedendi indulgentias pro defun-

ctis

ctis usque ad Sæculum XVI. non fuisse à Theologis omnibus pro certa agnitam. Ex eo autem infero: quod usus indulgentiarum pro defunctis non debuerit esse frequens; quia alias ob universalem sensum Ecclesiæ de ea potestate dubitari non potuisset. Infero etiam; quod nulla tunc temporis extiterit universalis traditio de valore talium indulgentiarum distincto in actu secundo à solenni deprecatione Ecclesiæ pro defunctis determinatis, adeoque valor earum indulgentiarum tam infallibilis esse non debet; quia de tam infallibili, ac efficacissimo remedio debuisset semper dari universalie notitia in Ecclesia, maximè, cum nullum unquam fuerit motivum, cur Deus hanc notitiam subtraheret Ecclesiæ, eamque primum reservaret ad tam sera tempora.

Objicitur. Hæc sententia, quòd valor indulgentiarum pro defunctie *in actu secundo* dependeat à deprecatione Ecclesiæ, nullos pro se habet graves Theologos. Ergo non est tenenda.

Respondeo. n. a. nam satis multi Theologi antiqui, & moderni docent, indulgentias pro defunctis dependere ab acceptatione Dei arbitraria, adeoque eas tantum esse deprecatorias.

I. *Alexander de Ales* p. 4. q. 23. a. 1. memb. 5. ait: *Probabiliter, & verissime præsumitur, quod illis, qui sunt in purgatorio, potest Pontifex facere indulgentias. - - - Potest ergo dici, quod illis, qui sunt in purgatorio, possunt fieri relaxationes per modum suffragii, sive impetrationis, non per modum judiciariæ absolutionis, sive commutationis.*

Ad illud, quod primo objicitur, (Christum tantum dixisse, quæ solveris *supra terram*) *potest dici, quod illa & solutio dicatur esse super terram, quæ fit per modum suffragii, & deprecationis.*

II. *S. Raymundus de Pennafort* in Summa l. 3. de Pœnitent. §. 63. & 64. dicit: *Si Papa facit generalem remissionem pro subsidio terræ sanctæ, si aliquis fecerit eleemosynam, valet sibi talis eleemosyna ad onus pænitentiæ sublevandum, & hoc propter duo, scilicet propter devotam erogationem, & quia obligat eum, qui facit remissionem, imo & totam Ecclesiam, ut suffragetur ei. Numquid igitur, si erat pænitentia septennis, & dedit in prima die 7. nummos successive habentibus remissiones annuales, erit continuo liberatus totaliter? nam in parte, an in quota parte? hæc omnino nec scio, nec credo, aliquem mortalem scire, nisi esset alicui divinitus inspiratum. - - Sciendum tamen, quod majoritas, & minoritas remissionis pænitentiæ attenditur secundum tria, scilicet secundum majorem, & minorem devotionem ipsius pænitentis, & ipsorum, qui suffragantur, & secundum majorem, & minorem numerum eorundem suffragantium; cum igitur nullus possit scire mensuram, & numerum talium, nec per consequens potest scire remissionis mensuram. - - - quod autem per orationes, & suffragia Ecclesiæ fiant hæc, patet per multa exempla; Nam per orationes Danielis solutus est populus à captivitate; per Orationem Moysis remisit Deus iram populo Israel; ad orationem David removit Deus plagam à populo suo. Item, numquid per hujusmodi suffragia, & eleemosynas, quas pro eisdem remissionibus dant aliqui pro animabus parentum, vel aliorum fidelium defunctorum, liberabuntur tales animæ à purgatorio, cum hoc ipsum contineatur in litteris* D. *Amort Tract. de Pænitentia.* *remissionis? Credo, quod sic, secundum modum prædictum.*

III. *S. Bonaventura* in 4. dist. 20. q. 5. *Dicendum, quod relaxatio duo dicit, thesauri Ecclesiæ communicationem, & cum hoc quandam Judiciariam absolutionem. Dico igitur, quod, quia thesaurus Ecclesiæ est in Summi Pontificis potestate, & illi, qui sunt in purgatorio, ratione charitatis idonei sunt, spiritualia beneficia recipere, quod Papa potest eis bona Ecclesiæ communicare; quantum autem ad authoritatem judicandi, cum illi jam exierunt forum Ecclesiæ, videtur, quod eis non possit fieri absolutio, nisi per modum deprecationis, & ita proprie loquendo non fit eis relaxatio.*

IV. *Cajetanus Tract.* 16. quæst. 5. ait: *Quæritur, qua via indulgentia per modum suffragii perveniat ad animas in purgatorio, una, eademque via est, qua Ecclesiæ suffragia satisfactoria, ut jejunia, peregrinationes &c. ad defunctorum animas perducuntur, & per quam indulgentia ad illas pervenit. Et via hæc non est via justitiæ, sed via gratiæ, seu misericordiæ, quoniam universa Ecclesiæ suffragia divinam efflagitant gratiam. Nec putes, propterea Ecclesiastica suffragia pro defunctis esse vana, aut incerta, sed scito, esse utilia, & certa, sicut etiam utilia sunt & certa suffragia orationum pro illis, quæ constat divinæ misericordiæ inniti: bene siquidem nobiscum agitur, & cum illis, si divina gratia acceptata Ecclesiæ suffragia ad relevamen animarum deducuntur, non est nobis via juris aliqua adeundi forum illud ad alicujus redemptionem, sed gratia opus est.*

V. *Jacobus Latomus*, Celebris Professor Lovaniensis, qui scripsit 1525. L. adversus hæreses art. 7. de indulgentiis sic scribit: *Quod attinet indulgentias pro defunctis, nihil sine præjudicio melioris sententiæ probabilius apparet, hominem mortalem nullam habere potestatem juvandi animas à corpore separatas, nisi per viam supplicationis, orando Judicem, ad cujus tribunal animæ sistuntur, sicut pro fidelibus defunctis orat Ecclesia, & Christo Altaris, jejuniorum, & eleemosynarum offert sacrificia, quibus certum est, eos juvari, sed per viam potestatis nihil in eas posse videntur homines, quod judicio eorum per mortem subducta sint, & causa eorum vocata ad tribunal superius, ubi supplicare, vel satisfactionem offerre potest communis amicus; sed in arbitrio Judicis erit, an acceptare velit, nec ne? Dices. Nihil præjudicii divinæ justitiæ fiet, si Christa ex communi meritorum thesauro satisfiat; nihil enim referre videtur, unde fiat solutio, modo satisfiat.*

Respondeo. *Cum thesaurus ille ipsius Christi sit, videndum est, an pro illo quod hic negligenter omissum est, Christus sibi solvi velit, aut in solutum accipere, pro eo maxime, qui non audivit suadentem Judicem, ut concordaret cum inimico, dum esset in via & fortasse illi, qui de communi pro isto offert, Christus dicturus est, conclusum est in causa, functus es officio tuo; si vis hunc juvare, de tuo, opus est, dones. Pendet ergo à sententia Judicis, pro qua sententia ad clementiam flectendam pia sanctorum oratio sive viatorum, sive comprehensorum indubitanter valet, & fidelium viatorum opera ad eum finem directa suffragantur eisdem. Et boc ego arbi-*

tror, Doctores velle dicere, cum indulgentias animabus prodesse posse ajunt per modum suffragii.

VI. *Polygranus* de indulgentiis. *Sunt opiniones diversæ, num etiam animabus in purgatorio Pontifices indulgentias impartiri queant, aliis id asserentibus, aliis vero negantibus. Nos cum aliis dicamus; clavium potestatem uti nec in aliis, ita nec in dandis indulgentiis se ad defunctos extendere. Veruntamen charitate adhuc nobis uniti sunt, & ideo potest Pontifex eis charitatis intuitu veniam exoptare à Deo, ut de thesauro Ecclesiæ dignetur eis subvenire, authoritate tamen clavium nec numerum, nec mensuram eis assignaturus.*

VII. *Estius* in 4. dist. 20. §. 11. *Dicendum, indulgentias defunctis prodesse non per modum absolutionis, sed per modum suffragii. Declaravit hoc ante centum annos Sixtus IV. hoc autem, ut melius intelligatur, phrasis ipsa explicanda est. Nomine suffragii auxilium Ecclesiasticum oportet intelligere, eo modo quo fideles per pia opera subveniunt seu vivis, seu defunctis. Pervenit autem hæc indulgentia ad defunctos non per viam justitiæ, sed per viam gratiæ, & misericordiæ. Quare exspectanda est misericordia Judicis, videlicet Dei, ut is oblata pro illis suffragia satisfactoria gratiose acceptare dignetur, ut bene explicat Cajetanus.*

VIII. *Neesen* in Theologia p. 2. tr. 5. q. 6. dub. 8. *Petes, an indulgentia defunctis concessa certo, & infallibiliter illis prosit? Respondeo negativè. Sed solum per modum impetrationis, & suffragii secundum liberalem Dei voluntatem id acceptantis. Hoc probatur ex communi sensu fidelium, qui accepta una indulgentia pro defuncto aliam de novo solent accipere, & celebrata una Missa in Altari privilegiato alias plures pro eodem defuncto curant celebrari.*

IX. *Prognolus* in speculo Clericorum tr. 14. de indulg. c. 6. Resol. 5. *Summus Pontifex animabus in purgatorio indulgentias applicare potest per modum suffragii, & adjutorii Ecclesiastici illis applicati exhibendo Deo satisfactionem, & quasi pretii solutionem, adjunctis precibus, ut eam misericorditer acceptare dignetur ad liberationem animarum, Deum rogando, ut dignetur hujusmodi satisfactionem ad liberationem dictarum animarum acceptare. Ita Layman, Vivaldus, Toletus, Navarrus, Corduba, Suarez, Coninck, & alii relati à Bonacina, & quamvis probabilis sit opinio Soti, Navarri, Valentiæ, Suarez, & Coninck apud Laymann, asserentium, indulgentias defunctis certo, & infallibiliter prodesse (sicut & aliæ preces Ecclesiasticæ infallibiliter exaudiuntur positis conditionibus) probabilia, tamen videtur sententia infra citandorum Doctorum, asserentium, indulgentiam pro defunctis concessam non habere effectum certum, & infallibilem, sed tantum prodesse per modum suffragii, ac impetrationis secundum liberalem Dei acceptantis voluntatem, quia Christus se non obligavit ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorum. Ita docent Bonaventura, Richardus, Durandus, Cajetanus, Corduba, Canus, Petrus Sotus, Henriquez, & inclinat Bellarminus.*

X. *Theodorus Pletanus S. J.* l. 2. de Satisfactione, & purgatorio c. 16. *Fatendum est, indulgentias non eodem modo prodesse vivis, atque defunctis. Viventibus prosunt per modum absolutionis, & justæ commutationis, defunctis autem neutro istorum modorum prosunt. Prosunt autem illis solum per modum suffragii. Utrobique tamen justitia suum locum retinet; fit enim, quod condonationum causa factum oportuit: quod autem per alium fiat, & per alium factum liberaliter admittatur, id est gratiæ, & misericordiæ. Cæterum indulgentiæ pro defunctis justitiæ imitantur, aut tantum Dei liberalitati, ut preces, & supplicationes, quæ illorum causa fiunt? sed neque citra distinctionem responderi potest; constat enim, aliud esse eleemosynam pro defuncto erogare, aliud pro eodem orare, vel jejunare, vel sacrificare, aliud rursus sponte id facere; aliud ex Ecclesiæ, vel defuncti mandato; aliud pro eo, qui meritus est, aliud pro eo, qui oppositum promeritus est.*

XI. *Henricus Henriquez S. J.* in Summa Theol. Moral. L. 7. de Indul. c. 7. *Duo sunt considerandà in liberatione animæ à purgatorio per indulgentias. 1. Ut Papa de thesauro applicet justam compensationem. 2. Ut Deus, qui est justus Judex, & Pater futuri sæculi, acceptare gratis velit ex misericordia alienam satisfactionem indulgentiæ. Nam, quamvis valor præsentis pœnæ ex Christo, & Sanctis applicatæ sit æqualis purgatorii debito, forum tamen præsentis vitæ Ecclesiasticum est multo mitius; nam in purgatorio nuda anima sine corporis veste patitur ab igne, ut instrumento vindictæ divinæ, & fit pro criminali causa executio in Persona, & Judex propter oblationem pecuniæ, aut alienæ satisfactionis redemptionem non tenetur reum de justitia liberare. Per hæc concordari possent Doctores; nam res per indulgentiam oblata ex Christi satisfactione non est minoris valoris, quam pœna in purgatorio debita, sed quia intercedit applicatio thesauri pro reo alieni fori, non videtur lege justitiæ obligari Deus, ut pro defuncto acceptare debeat ex infallibili promissionis pacto. Quare Pontifex offert Deo indulgentias per modum suffragii, per modum deprecationis, ut Deus ex misericordia dignetur acceptare subsidium, quod pro anima applicatur.*

XII. *Natalis Alexander*, in Theologia Dogmatica, & Morali. Lib. 2. de Indulgent. Regula 16. · · · *Quibuscunque purgatorii animabus plenaria indulgentia applicatur, non ideo à pœnis statim liberantur; non enim certum est; an hujusmodi suffragium Divina misericordia pro illarum liberatione acceptum habuerit. Deinde id suffragiorum genus illis solis prodest, qui in hac vita, ut sibi prodessent, meruerunt; quamvis autem meruerint omnes, qui in gratia, & charitate obierunt, ut hæc sibi possent prodesse non tamen, ut hæc sibi reipsa prodessent, sed illi soli, qui reverentia, ac devotione singulari erga claves Ecclesiæ, & indulgentias affecti fuere, qui misericordia, sollicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, studio ad suffragandum pro defunctis insignes extitere, inquit Cajetanus, in hujusque rei confirmationem affert verba sancti Thomæ 3. p. q. 52. a. 8. ad 1. scribentis; non posse ex verbis sancti Augustini concludi, quod omnes illi, qui in purgatorio erant, cum Christus descendit ad inferos, fuerint à purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet, qui jam sufficienter purgati erant, vel etiam, qui adhuc, dum viverent, meruerunt per fidem, & devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur à temporali purgatorii pœna. Quod si Christus Pontifex futurorum bonorum, plenariam indulgentiam sanguine suo partam illis dumtaxat animabus indulsit, qua liberarentur à purgato-*

rii pœna, cum descendit ad inferos, quæ id singulari fide, & devotione ad mortem ejus futuram meruerant, non est existimandum, indulgentiam plenariam à Romano Pontifice Christi Vicario in terris animabus purgatorii concessam; & à fidelibus in hac vita constitutis aliquibus speciatim applicatam, illis ad pœnæ totius relaxationem, plenamque liberationem suffragari, nisi fide, & devotione ad indulgentias singulari, solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, misericordia, studioque suffragandi defunctis, aliisve piis operibus Deo in hunc finem acceptis, inter quæ pietatem erga Passionem Christi, SS. Sacramentum, & B. Virginem numerari existimaverim, ut sibi Indulgentiæ suffragarentur, meruerunt. His Authoribus addi possunt *Florentinus de Cocq, Corduba, Canus, Petrus Sotus,* & plures alii. Nec dubitandum, eos quoque in hanc sententiam ituros, quos adduxi in *quæst.* 2. de dispositione ad lucrandas indulgentias pro vivis.

Itaque concludendum; Indulgentias pro defunctis differre quidem à nuda oratione, ac deprecatione Ecclesiæ, in quantum per Indulgentias exhibentur Deo satisfactiones Christi, & Sanctorum *authoritativè*, sicut si amicus capitalis criminis rei offerret summam pecuniarum ad se pertinentem, rogando Judicem, ut hanc compensationem pecuniarum pro condonanda capitali pœna acceptare dignetur; *quia tamen hæc acceptatio Dei est mera gratia, sequitur, quod ultimata vis Indulgentiarum pro defunctis in actu secundo sit tantum deprecatoria.* - - -

QUÆSTIUNCULÆ.

QUÆRITUR 1. Quid sit Indulgentia?

RESPONDEO. Est remissio pœnæ post absolutionem Sacramentalem pro peccatis residuæ.

QUÆRITUR 2. Qualis est divisio Indulgentiarum?

RESPONDEO. Dividuntur 1. in *plenarias*, seu totales, & *partiales*. 2. in *plenam*, pleniorem *plenissimam*. 3. in *locales, reales, & personales*. 4. in *quotidianam, perpetuam, & temporalem*. 5. in *ordinariam*, & *extraordinariam Jubilæi*, vel *Cruciatæ*. 6. in indulgentiam *pro vivis*, & Indulgentiam *pro defunctis*.

QUÆRITUR 3. Quid sit Indulgentia plenaria, & partialis?

RESPONDEO. *Plenaria*, seu *totalis* est, quæ de se in pœnitente rite disposito est remissiva totius pœnæ post absolutionem Sacramentalem pro peccatis residuæ. *Partialis* est, quæ de se in pœnitente rite disposito est remissiva tantum partis pœnarum residuarum post absolutionem Sacramentalem. Exinde oritur divisio Indulgentiarum Partialium in indulgentias 10. vel 40. dierum; 1. 2. 3. 7. 10. vel 1000. *annorum*; & in *carrenas*, seu *quadragenas*?

QUÆRITUR 4. Quid est Indulgentia 40. dierum; 7. annorum? & quid est *carrena*, vel *quadragena*?

RESPONDEO 1. Per Indulgentias *dierum*, vel *annorum* intelligitur remissio pœnitentiæ tot dierum vel annorum conformiter ad Canones pœnitentiales à Confessario injunctæ vel injungendæ non solum in ordine ad satisfaciendum pro offensa, sed etiam pro vindicando competenter delicto. Per *carrenam* vero seu *quadragenam* intelligitur remissio abstinentiæ seu jejunii quadragesimalis à Confessario conformiter ad Canones pœnitentiales injuncti vel injungendi.

QUÆRITUR 5. An ergo pœnitens lucraturus talem Indulgentiam partialem non tenetur persolvere vel acceptare pœnitentiam v.g. duorum vel trium annorum à Confessario injunctam?

RESPONDEO. Si antiquitus Confessarius viderat, opus pro lucranda Indulgentia requisitum consideratis circumstantiis esse proportionatum saltem genere proportionis infimæ ad satisfaciendum pro offensa, hoc est, ad compensandum congruè honorem, & damnum, & assecurandam constantiam, non poterat titulo vindicandi delicti pœnitentia vindicativa ulteriore castigare ad præscriptum Canonum delictum pœnitentis, nec poterat obligare pœnitentem ad suscipiendam pœnam Canonicam, indulgentia relaxatam. Hoc tamen non obstante poterat & debebat Confessarius à pœnitente exigere pœnitentiam congruam delicto titulo *satisfactionis* seu *compensationis* pro honore læso, pro damno bonis divinis illato, & pro cavenda indemnisatione divinæ gloriæ in posterum. Itaque si Confessarius viderat aut nunc videat, nullam offenso aliam congruè præstari posse satisfactionem, nec cautionem sufficientem Deo præberi posse de cavendis imposterum injuriis, nisi per pœnitentiam annuam, biennalem aut triennalem &c. pœnitens tenetur eam pœnitentiam etiam tempore Jubilæi acceptare, non quidem titulo justæ vindictæ, quæ per indulgentiam extinguitur saltem in facie Ecclesiæ, sed titulo congruæ *satisfactionis*. Plura de hac re vide in Epistola Circulari SS. D.N. Benedicti XIV. infra in fine hujus Disputationis subjicienda.

QUÆRITUR 6. Quid sit Indulgentia *localis, realis, & personalis*?

RESPONDEO. *Localis* est, quæ conceditur omnibus certum locum pium v.g. Ecclesiam, devote frequentantibus, aut pio subsidio venerantibus, ita ut Indulgentia potius alligata sit loco, quam personæ. Indulgentia *realis* est, quæ alligatur rei mobili, v.g. rosario, vel numismati, ita ut indulgentia gaudeant personæ, rem illam devotè gestantibus. Indulgentia vero *personalis* est, quæ conceditur personæ individuæ vel certo generi personarum, v.g. Confratribus alicujus Confraternitatis, vel personis certum opus pietatis obeuntibus, quin ea indulgentia sit alligata certo loco aut rei. Posset addi indulgentia ex locali, reali, & personali *mixta*, v. gr. quæ conceditur Confratribus alicujus Confraternitatis certum scapulare gestantibus, & certam Capellam vel aram visitantibus.

QUÆRITUR 7. Quid sit Indulgentia perpetua, quotidiana, & temporalis?

RESPONDEO. *Perpetua* dicitur, quæ non indiget renovatione, sed perseverat sine præfixione termini. *Temporalis* est, quæ exspirat suo tempore, quo elapso renovanda est, v. g. post *septennium*, quod spatium temporis ordinariè nunc Indul-

Indulgentiis localibus annectitur. *Quotidiana* vocatur, quam adeuntes certam Ecclesiam aut locum plum quotidie, aut semel per annum quovis anni die liberè deligendo lucrari possunt. Et tales concedi solent in locis peregrinationum solennium, ubi concursus peregrinantium per annum ascendit ad centum millia.

QUÆRITUR 8. Quid sit Indulgentia extraordinaria *Jubilæi*, aut *Cruciatæ*?

RESPONDEO. Indulgentia *Jubilæi* vocatur, quæ olim concedebatur singulis annis centesimis, dein quinquagesimis; nunc autem concedi solet singulis annis vigesimoquintis. Cum autem in ejusmodi Indulgentiis Jubilæis Romani Pontifices annectere soleant varia privilegia, v.g. absolvendi à casibus reservatis, & censuris, necnon dispensandi circa vota aut irregularitates &c. ideo etiam aliæ Indulgentiæ habentes annexa similia privilegia dicuntur concessa *ad instar*, seu *ad modum Jubilæi*. Indulgentia *Cruciatæ* vocatur, quæ conceditur contribuentibus aut cooperantibus ad *bellum sacrum* contra infideles. Et talis *Bulla Cruciatæ* in Hispania est perpetua, quia ibi perpetuo contra Turcas, Africanos, & Mauros, invasores navium Christianarum & urbium, pugnandum est.

QUÆRITUR 9. Quid sit Indulgentia plena, plenior, & plenissima?

RESPONDEO. Hi termini in authoribus significationem ab acceptione arbitraria authorum accipiunt. Authores autem Indulgentiam *plenam* vocant quamcunque Indulgentiam plenariam. *Pleniorem* nominant, quæ habet annexam potestatem absolvendi à casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi à juramentis, absolvendi à censuris, concordandi ac componendi circa restitutionem bonorum incertorum &c. *Plenissimam* dicunt, in qua annectitur ea potestas commutandi, dispensandi, componendi &c. amplissime sine exceptionibus aut clausulis limitantibus.

QUÆRITUR 10. Quid notandum circa Indulgentias pro festis Sanctorum?

RESPONDEO. NOTANDUM 1. Ordinarie non concedi indulgentias pro Festis Sanctorum aut Beatorum, quorum nomina non sunt descripta in Martirologio Romano. *P. Theodorus* in Opere *de Indulgentiis in genere* part. 2. c. 1. § 4. affert Decretum S. Congregationis Rituum, editum 16. Junii 1674. ubi Eminentissimi Patres statuerunt; *Indulgentias non esse concedendas in posterum, nisi Sanctis descriptis in Martirologio.* Quod si tamen in casu extraordinario obtinentur, S. Congregatio rescribit quidem: *Pro gratia; citra tamen expressionem Beati vel Sancti in Litteris Apostolicis.*

NOTANDUM 2. Ecclesiis Cathedralibus concedi duplicem indulgentiam plenariam. Una conceditur pro festo Titulari, altera pro alio festo, quod solenniter celebratur. Collegiatæ vel Parochiales Ecclesiæ obtinere solent unam indulgentiam plenariam & alteram partialem septem annorum & totidem quadragenarum pro diebus à Summo Pontifice, vel ab Ordinario designandis. Regularium Ecclesiis, & aliis inferioribus conceditur unica tantum indulgentia plenaria, aut pro festo Titulari, aut pro alio, quod fortasse majori celebritate servatur. Si plures sint ejusdem Ecclesiæ Sancti Titulares, vel Festum Tituli pluries in anno recurrat, pro uno die indulgentia plenaria, pro alio vero vel aliis partialis septem annorum & totidem quadragenarum concedi solet. Quamobrem Ecclesiis sub titulo B. V. Mariæ, cujus septem celebrantur Festivitates; concedi solet indulgentia plenaria pro uno ex dictis festis, in aliis festivitatibus reliquis Indulgentia partialis septem annorum, & totidem quadragenarum.

NOTANDUM 3. Ab hoc stylo S. Congregationem Indulgentiarum non recedere, nisi specialis Christi fidelium ad Ecclesiam confluentium devotio, aut loci qualitas, ubi Ecclesia constructa est, alterius indulgentiæ plenariæ concessionem suadeat. Ideoque, si Ecclesia præclarissimas possideat reliquias, aut in ea insignis miraculi memoria recolatur, prævia super his Ordinarii informatione aliam indulgentiam plenariam non raro solet concedere; nulla tamen in Litteris Apostolicis facta expressione Reliquiarum & miraculi, vel sub aliqua adhibita cautione. Eadem gratia conceditur Ecclesiis vel in Indiis, vel sub hæreticorum dominio constitutis, vel conterminis, ut fideles pluries per annum possint commode infra annum indulgentiæ plenariæ participes fieri.

NOTANDUM 4. Ad obtinendas ejusmodi indulgentias requiri; ut in Libello supplici exponatur 1. Ecclesiæ Titulus. 2. Ecclesiæ qualitas, videlicet, an sit Cathedralis, vel Collegiata, vel Parochialis, aut Regularis, & cujus Ordinis; vel sæcularis neque Cathedralis, neque Parochialis. 3. Locus Diœcesis. 4. Festum Sancti, quod celebratur, pro quo petitur indulgentia. 5. An Ecclesia gaudeat alia vel aliis Indulgentiis *specialiter concessis*. Hæc ultima expressio tam rigorose requiritur saltem pro Ecclesiis Regularium, ut, si omittatur, supplex Libellus nequidem recipiatur à S. Congregatione, prout ab ea Decretum est die 27. Julii anno 1733. An & quomodo translato festo transferantur indulgentiæ, dicetur q. 75.

QUÆRITUR 11. Quid notandum sit circa Indulgentias Stationum?

RESPONDEO. NOTANDUM esse 1. Nullas stationes gaudere indulgentiis, nisi quæ exprimuntur in Missali Romano ad Missam. Ita declaratum est à S. Congregatione Indulgentiarum.

NOTANDUM 2. Nunquam ad eundem diem concurrere duplicem indulgentiam plenariam. Ita declaratum est ab eadem S. Congregatione.

NOTANDUM 3. Non constare de ulla Indulgentia plenaria Stationum. Ita respondet novissimè *P. Theodorus*, S. Congregationis Indulgentiarum Consultor l. cc. c. 1. art. 2. §. 3. q. 2. ubi sic scribit: *Respondemus; non constare Stationum indulgentias esse plenarias. Inspecta siquidem Bonifacii VIII. ætate Stationum indulgentia non erant plenariæ. Alias Bonifacius Stationibus quadragesimali tempore occurrentibus non addidisset partialem unius anni & quadragenæ. Superfluum quippe foret post indulgentiam plenariam adjicere aliam unius anni. Nec*

Sæculi

Saeculi XII. aut superiorum disciplina patiebatur, indulgentiam plenariam pluries intra annum acquirendam fidelibus despondere. Quantum vero ad Summos Pontifices Bonifacii VIII. Successores attinet, plenariam unquam dedisse nullibi deprehenditur. Septem vero Ecclesiarum Urbis indulgentias in Stationibus contineri, nullo solido argumento probari potest. Ita P. Theodorus. Similiter Passerinus q. 98 n. 770. scribit: Ego, licet hic Romae consuluerim peritissimos Ministros Curiae, & viros eruditissimos, nihil aliud potui invenire, nisi quod incertum sit, quantae & quales sint hujusmodi Indulgentiae Stationales concessae Stationum intuitu; sicut & incertum est, quantae & quales sint Indulgentiae concessae septem altaribus privilegiatis in Basilica S. Petri. Ita Passerinus. Idipsum fusius probatum reperies in meo Supplemento Historiae Indulgentiarum quaest. 43. Ex his vero colligitur; emendandos esse libellos Sodalitatis Marianae usitatos in Scholis; in quibus non una tantum sed interdum duplex indulgentia plenaria, & myriades Indulgentiarum recensentur. Haec publicare non licet, cum Tridentinum prohibeat, incertas publicare indulgentias.

Notandum 4. Etiam incertum esse, & probabilius falsum esse, Indulgentias Stationum in Ecclesiis Regularium à laicis obtineri posse; cum ea extensio ad laicos nullibi legatur concessa esse.

Notandum 5. Indulgentias Stationum certas nullas alias reperiri, nisi quae continentur in Bulla *Bonifacii VIII.* & quae describuntur à *Mabillonio* in *Musaeo Italico* tom. 2. Comment. in Ord. Rom. *Bonifacius VIII.* in Bulla, *Sublimi*, sic habet: *Solicita meditatione discutimus, qualiter B. Gregorius pluribus Urbis Ecclesiis primo, prout tradit antiquitas, & alii postmodum Romani Pontifices Praedecessores nostri diversorum tenorum Stationarias Indulgentias concesserunt. Nos igitur — universas Stationarias Indulgentias praedictas eisdem Ecclesiis sub quacunque forma contentas, sive eis à Praedecessoribus nostris ipsis concessas confirmamus, easque obtinere volumus perpetui roboris firmitatem; & ut easdem Ecclesias gratiae potioris impendio prosequamur, omnibus vere poenitentibus & confessis, qui ad praedictas Ecclesias à die Cinerum usque ad Festum Resurrectionis Dominicae inclusive, venerabiliter visitaverint, annuatim unum annum & quadraginta dies de injunctis poenitentiis relaxamus &c. Pontificatus anno tertio*, hoc est anno 1297. Quales autem fuerint indulgentiae Stationales, quas Bonifacius VIII. dicit esse concessas à suis Praedecessoribus, discimus ex Caeremoniali Romano *Gregorii X.* qui Bonifacium VIII. viginti annis in Pontificatu praecessit. In eo Caeremoniali prout refert *Mabillonius* l. cc. reperiuntur sequentes Indulgentiae pro Stationibus Quadragesimalibus, quae promulgabantur post Evangelium Missae à Concionatore, qui eo die Sermonem ad populum habuit: *Feria 4. Cinerum, qua fiebat collecta in Ecclesia S. Anastasiae; Statio vero in Ecclesia S. Sabinae, septem annorum, & totidem quadragenarum. Prima Dominica, in qua est Statio in Ecclesia S. Joannis in Laterano, caeterisque sequentibus, quinque annorum, & quinque quadragenarum. Quarta Dominica, & Rosae, & Dominica*, OAUDETE, *septem annorum. Feria quinta in Coena Domini, qua est pariter Statio in Ecclesia S. Joannis in Laterano, unius anni, & unius quadragenae civibus Romanis; exteris duorum annorum & duarum quadragenarum; illis, qui transierant montes, trium annorum & trium quadragenarum; aliis qui transierant mare, quatuor annorum & quatuor quadragenarum.* Ita hae Indulgentiae promulgabantur Romae sub Gregorio X. qui ad Pontificatum venit anno 1271. Eodem modo hae Indulgentiae promulgabantur adhuc anno 1398. nisi quod in ultima Statione respectu venientium ultra mare loco quatuor annorum promulgati fuerint septem anni.

Quaeritur 12. Quales sint Indulgentiae septem Altarium?

Respondeo. Harum indulgentiarum quantitas indeterminata est more veteri; & ideo, cum Tridentinum vetet promulgari indulgentias incertas, nullae determinatae promulgandae sunt; praesertim cum etiam Romae in Basilica Vaticana, unde communicatio ad alias Ecclesias porrigitur, nulla determinata inscripta reperiatur Altaribus, sed tantum affixa sit altaribus tabula cum hac inscriptione: *Unum ex septem.* De bis P. *Theodorus* l. cc. art. 3. §. 1. sic scribit: *De Indulgentiis septem Altarium Basilicae S. Petri de Urbe non una est Scriptorum sententia. Sunt, qui pro singulis ex iis septem Altaribus visitatis Indulgentiam decem & octo annorum acquiri putant, ex tabella pro instructione peregrinorum veteris Basilicae S. Petri* (dirutae à Leone X. circa annum 1510.) *cujus fidem facit Joannes B. Hordonus Subarchivista dictae Ecclesiae. Alii easdem esse credunt, quas lucrantur visitantes septem Urbis Ecclesias. Alii tandem, Indulgentiam plenariam horum Altarium visitatione percipi scribunt. Et ideo nos ob hanc authorum varietatem citra erroris periculum nihil possumus definire.* Ita P. Theodorus.

Quaeritur 13. Sub qua forma soleant concedi Indulgentiae septem Ecclesiarum Urbis?

Respondeo. Sub hac: *Volentes septem Ecclesias N. Dioeces. ab Ordinario designandas speciali dono illustrare, omnibus fidelibus, qui semel tantum in anno Ecclesias hujusmodi in uno die per eundem Ordinarium specificando, devote visitaverint, quo die id egerint, ut eas omnes & singulas indulgentias, quas visitando septem Urbis Ecclesias consequerentur, consequi possint & valeant, concedimus praesentibus ad septennium valituris.* &c. Ex hac forma denuo patet, obtineri Indulgentias indeterminatas. In mea *Historia Indulgentiarum* recensui quidem varias Indulgentias septem Ecclesiarum Urbis; Cum tamen illae determinatis festis & diebus alligatae sint, non est verosimile eas omnes Indulgentias per communicationem in unum anni diem determinatum à Summo Pontifice coacervari, quo *semel in anno* tantum ejusmodi Ecclesiae visitandae sint.

Quaeritur 14. Sub qua forma concedi soleant Indulgentiae pro feriis sextis in Quadragesima?

Respondeo sub ista: *Omnibus fidelibus verè poenitentibus & confessis & sacra communione refectis, qui Ecclesiam N. Dioecesis N. in una ex feriis sextis mensis Martii per Ordinarium designanda ab ortu usque ad occasum solis feria hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum*

num Indulgentiam concedimus. Insuper eisdem vere pœnitentibus & confessis & Sacra communione refectis prædictam Ecclesiam in reliquis feriis sextis mensis Martii hujusmodi, ut supra visitaverint, qua feria prædictarum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis seu alias quomodocunque debitis pœnitentiis relaxamus &c. Præsentibus ad septennium valituris &c.

QUÆRITUR 15. Sub qua forma conceduntur Indulgentiæ scalæ sanctæ?

RESPONDEO sub hac: *Omnibus verè pœnitentibus & confessis & sacra communione refectis, qui Scalam in Ecclesia N. Civitatis N. ad instar Scalæ sanctæ de urbe, ut asseritur, constructam, & Orationi tantum destinatam, in quatuor anni diebus, per Ordinarium semel tantum designandis, flexis genibus pie ascenderint, ibique pro Christianorum pr. conc. &c. pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam Indulgentiam concedimus. In reliquis vero anni diebus Scalam hujusmodi ut supra ascendentibus, quacunque vice id egerint, centum dies relaxamus.*

QUÆRITUR 16. Quales dentur Indulgentiæ in Dedicatione Ecclesiarum?

RESPONDEO. In ipsa Dedicatione Ecclesiarum conceditur Indulgentia unius anni. In anniversario autem die Dedicationis habetur Indulgentia perpetua 40. dierum. Ita statuitur in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III., ubi sic habetur: *Decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra unum annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Ad lucrandam hanc certam & præcipuam indulgentiam nil aliud requiritur, quam devota visitatio Ecclesiæ. Deplorandum sane; quod nunc populus eo die peccata magis accumulare soleat, quo antiquitus erat in summa æstimatione hæc solennis remissio. Optandum; ut Parochi in Tabella hanc Indulgentiam publicent, & populum pro lucranda hac Indulgentia ad tempus vespertinum circa occasum solis, ubi convivia soluta sunt, & choreæ claudendæ essent, solenni quadam devotione, sed brevi, per modum gratiarum actionis peragenda cum hymno decantando, invitent.

QUÆRITUR 17. Quales dentur Indulgentiæ in festo & per octavam Corporis Christi?

RESPONDEO. *Martinus V.* in Bulla: *Ineffabili* 26. Maji 1429. concessit sequentes: *Singulis vere pœnitentibus & confessis, qui & quoties in ipsius Sacramenti profesto jejunium vel loco illius aliud pium juxta suorum consilia confessorum, opus fecerint, centum dies; & qui præmissa in Ecclesiis, quibus illa (Festivitas SS. Corporis) celebrari contigerit, officiis interfuerint, pro matutinali ducentos, & pro Missæ officio totidem, ac pro qualibet vesperarum ducentos; reliquarum vero, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii Festi, octoginta. Rursus quibuslibet octavarum diebus pro singulis Matutinalium, Missarum, & Vesperarum, similiter centum: nec non reliquarum horarum hujusmodi quadraginta de injunctis eis pœnitentiis relaxamus.* Has Indulgentias confirmavit *Eugenius IV.* in Bulla *Excellentissimum* 26. Maji 1433. Suaderem; ut etiam hæ Indulgentiæ per illam Octavam exponantur in Tabula; & parochianis bene inculcetur monitum Bellarmini in Epistola superius adducta; ex Indulgentiis particularibus non raro plus lucri reportari, quam ex plenariis. *Indulgentiæ*, inquit, *quo minores sunt, eo sunt securiores.*

QUÆRITUR 18. Quales sint Indulgentiæ Regularium?

RESPONDEO. Paulus V. antiquatis omnibus aliis Indulgentiis solas sequentes in Bulla: *Romanus*, concessit, Summarium illius Bullæ in cujus recensione per hæc signa v. p. Item c. aut S. C. r. intelligi velim *vere pœnitentes, confessos, & sacra communione refectos*, & per c. p. *concordia principum &c.* sic habet: „*Paulus V.* &c. Romanus Pontifex prospicere debet, ne ex Indulgentiarum multiplicitate Confusio oriatur. Cùm itaque Cardinales gratias Ordinibus Concessas examinaverint, ac circa Indulgentias varia dubia ac incertitudines repererint, Nos Regularibus tantum infra scriptas Indulgentias suffragari debere declaramus.

„1. *Plenariam* omnibus, qui causa profitendi regularem habitum susceperint *die ingressus eorum in Religionem*, si v. p. &c. ac S. C. r. f.

„2. Cuilibet *Novitio plenariam in die Professionis* v. p. & c. C. r.

„3. Cuivis Religioso *in festo principali sui Ordinis*, si c. & S. C. r. aut si Missam recitans pro c. Part. I. &c. pias ad Deum preces fuderit, *plenariam.*

„4. *Plenariam in articulo mortis*, si v. p. &c. S. C. r. f. aut saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem, corde devotè invocaverit.

„5. *Plenariam iis, qui ad Presbyteratus Ordinem Canonice promoti*, & confessi primam Missam celebrabunt; nec non etiam iis Religiosis, *qui* pariter confessi, ac Sacra Communione refecti *eidem Missæ interfuerint*, aut ipso die Missam similiter celebrabunt.

„6. *Plenariam* iis, *qui* de suorum Superiorum licentia à negotiis *per decem dies* alieni in cella commorabuntur, aut *ab aliorum Conversatione separati* in piorum librorum & aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes Mysteriorum Fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis D. N. J. C.; & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus se exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem aut annualem, aut ordinariam, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, quoties hoc exercitium peregerint.

„7. Religiosi intra claustra viventes, *qui suam Ecclesiam devote visitaverint*, & ut præfertur (P. C. p. C.) oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes *Ecclesias Urbis*, & extra eam *diebus stationum* consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

8. Omni-

„8. Omnibus item Religiosis intra claustra „viventibus, *quinquies Orationem Dominicam*, & „*toties Salutationem Angelicam* ante Altare eorum „Ecclesiæ in quolibet die *quinque annos*, & toti„dem quadragenas.

„9. Iis vero, qui de suorum Superiorum li„centia in itinere existentes aut *extra claustra de*„*gentes* tanquam Prædicatores & Lectores *quinquies* „*eandem Orationem* Dominicam, & toties Saluta„tionem Angelicam ante quodlibet Altare simili„ter dixerint, etiam quinque annos & totidem „quadragenas.

10. Nec non etiam eisdem Religiosis, qui „per mensem integrum singulis diebus spatio me„diæ horæ Orationem mentalem fecerint, ac „confessi, & sacra Communione ultima Domi„nica mensis hujusmodi refecti fuerint, sexagin„ta, & totidem quadragenas.

„11. Qui vero contrito corde & pœniten„tes eorum culpas & peccata ac imperfectiones „in capitulis culparum accusabunt, & spirituali„ter communicabunt, & exercitium virtutum „facient, tres annos & totidem quadragenas.

„12. Plenariam Missionariis bis, videlicet „quando itineri se accingent, & quando Provin„ciam ingressi fuerint: ii c. & f. c. r. aut Missam „celebraverint.

„13. Plenariam iis, qui spatio saltem dua„rum horarum in diverso tempore interfuerint „orationibus 40. horarum, quas Superior in vi„sitatione generali ordinaverit, si p. C. p. C. &c. „& pro disciplinæ Regularis augmento orave„rint. Hæ Indulgentiæ etiam suffragentur „Monialibus perpetuam clausuram servantibus.

„Omnes autem & singulas Indulgentias qui„buscunque Ordinibus & Institutis Regularibus, „etiam Mendicantibus tam vigore Litterarum „Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo aut „alias quovis modo per quoscunque Romanos „Pontifices concessas, confirmatas, & innova„tas revocamus." Datum Romæ 23. Maji. 1606.

Quæritur 19. Quæ sint notanda circa Indulgentias Regularium?

Respondeo sequentia. 1. In Bulla præfata *Pauli V.* revocatæ sunt omnes Indulgentiæ etiam *locales* Regularium Ecclesiis concessæ, si præcise concessæ sunt intuitu seu favore Regularium, ut ipsi eas lucrari possint; quales sunt concessæ Mendicantibus à Leone X. si propriam Ecclesiam visitaverint. 2. Si indulgentiæ concessæ sunt Personis non Regularibus, aut Laicis, Ecclesias Regularium visitantibus, hæ non comprehenduntur sub revocatione Pauli V. Ita declaravit S. Congregatio Indulgentiarum 7. Sept. 1607. ut refert *Lantusca.* v. *Confraternitas.* 3. In revocatione Pauli V. etiam comprehenduntur Indulgentiæ ab anterioribus Pontificibus concessæ pro articulo mortis. Ita probabilius videtur; quia non est stylus Romanæ Ecclesiæ pro eodem articulo duas concedere Indulgentias plenarias. Itaque, nisi Paulus V. anteriores Indulgentias pro articulo mortis concessas revocasset, novam pro eodem articulo non concessisset. 4. In eadem revocatione comprehenduntur Indulgentiæ *directè* vivis concessæ, defunctis autem tantum *indirectè*. Tales sunt in quibus continetur hujusmodi forma: *Omnibus, qui tale opus N. fecerint, plenariam indulgentiam, & remissionem peccatorum, quam etiam animabus defunctorum per modum suffragii applicare possint, concedimus.* Econtra Indulgentiæ defunctis directè concessæ non comprehenduntur in ea revocatione. Id colligitur partim ex eo, quia *Paulus V.* in præfata constitutione nullam Indulgentiam pro defunctis concessit *directè*: quod non est verosimile eum facturum fuisse, si præcedentes revocasset: partim, quia *Peyrinus I.* Part. V. *Indulgentia* testatur, Paulum V. sic vivæ vocis oraculo pro Congregatione Fuliensi declarasse. 5. Indulgentiæ à *Paulo V.* revocatæ, non fuerunt per ejus Successores restitutæ. Id patet ex propositione ab *Alexandro VII.* damnata 1666. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & à Paulo V. revocatæ, hodie sunt revalidatæ.* 6. In ea revocatione non comprehenduntur Indulgentiæ, quæ *directè* concessæ sunt Tertiariis Ordinum Regularium. In ea tamen comprehenduntur Indulgentiæ, quæ illis tantum concessæ sunt indirectè, & intuitu Ordinum Regularium, id est, per communicationem, seu extensionem. Ita declaratum est ab *Innocentio XI.* 10. Octobr. 1686. Ratio autem est, quia Paulus V. tantum revocavit Indulgentias Regularibus, hoc est, adstrictis ad tria vota Ordinis Religiosi, concessas, quales non sunt Tertiarii, & Tertiariæ. 7. Definita etiam fuit à S. Congregatione Indulgentiarum controversia 1737. in partem negativam circa prætensam communicationem inter Tertiarios Carmelitarum, & D. Francisci. 8. Novitii juxta *P. Theodorum* non possunt lucrari Indulgentias à Paulo V. Regularibus concessas. Ita respondet *P. Theodorus* l. cc. p. 2. S. 2. a. 1. §. 3. q. 2. Ratio est, quia Paulus V. in præfata constitutione expresse requirit annum Novitiatus completum. *Cuilibet Novitio*, inquit, *qui post completum probationis annum professionem emiserit, plenariam.* Hoc tamen non obstante, opposita sententia est mihi probabilior: quia non est verosimile, Paulum V. voluisse in hac Bulla recedere à communi doctrina, quod Novitii in favorabilibus gaudeant privilegiis Ordinis. Neque per verba proxime adducta Pontifex voluit ponere *modum, conditionem* & *claudam restringentem* Indulgentiis in sua Bulla contentis; sed potius voluit Indulgentias jam in Novitiatu obtentas ampliare per Indulgentiam in professione post expletum probationis annum obtinendam. 9. In ea revocatione comprehenduntur etiam Indulgentiæ antiquitus concessæ Canonicis Regularibus. Ita declaratum est à S. Congregatione Indulgentiarum 1713. 8. Maji. 10. Indulgentiis à Paulo V. Personis Regularium, vel ab aliis Pontificibus Ecclesiis Regularium directe in favorem Laicorum concessis gaudent etiam Moniales, quantumvis non amplius existant sub gubernio Ordinis, sed sub regimine Episcopi. Ita declaravit eadem S. Congregatio 2. Februarii 1720. & speciatim confirmavit Innocentius XIII. 9. Maji 1722. per Breve Apostolicum editum in favorem Canoniarum, Beyrberg, Beyharting, Bernried, Diessen, Dietramzell, Indersdorf, Polling, Raitenbuech, Ranshoven, Rorschledorf, Wayarn, ad S. Magnum.

QUÆRITUR 20. Quales soleant concedi Indulgentiæ extraordinariæ pro Monialibus?

RESPONDEO. *P. Theodorus* Consultor S. Congregationis Indulgentiarum l. cc. §. 5. sic respondet: *Afferemus nonnullas hic Indulgentias, quarum concessiones ad limitatum dumtaxat tempus, puta ad septennium &c. juxta Apostolicæ Sedis stylum à Regularibus obtineri soleant. Pro omnibus & singulis Monialium Monasteriis cujuscunque Ordinis & Instituti tam Monialibus, quam exteris puellis inibi degentibus per Brevia distincta conceduntur sequentes gratiæ ad indulgentias pertinentes.*

I. Quatuor Indulgentiæ plenariæ visitantibus Capellas intra clausura existentes diebus vel in Brevibus designatis, vel ab Ordinario designandis.
II. Indulgentiæ septem Ecclesiarum Urbis.
III. Indulgentia pro Novena Nativitatis D. N. J. C.
IV. Indulgentiæ septem Altarium.
V. Indulgentiæ feriarum sextarum Mensis Martii.
VI. Indulgentiæ scalæ sanctæ.
VII. Indulgentia in articulo mortis (relatè ad exteras.)
VIII. Indultum Altaris privilegiati pro anima cujusque ex Monialibus, earumque consanguineis, & affinibus primi & secundi gradus, ac pro Benefactoribus Monasterii. Quod si Monialium monasteria perfectam clausuram non fervent, prædicta Brevia minimè conceduntur; ideoque non raro audivimus in S. Congregatione Indulgentiarum oblaturum preces pro hujusmodi indulgentiis obtinendis fuisse rejectas. Ita P. Theodorus.

QUÆRITUR 21. Quales Indulgentiæ extraordinariæ soleant obtineri à viris Regularibus, aut etiam Monialibus?

RESPONDEO. *P. Theodorus* l. cc. sic respondet. Alia conceduntur Indulgentiarum Brevia particulari Religioni vel Provinciæ, vel Monasterio, sive virorum, sive mulierum pro quibusdam piorum operum exercitationibus, si S. Congregatio id expedire judicaverit, & potissimum Orationi mentali vacantibus: Subjicimus hic hujus concessionis formulam: *Omnibus Fratribus N. qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxamus. Iis vero, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus per totum mensem dabunt operam, & verè pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christ. Prin. &c. preces ad Deum effuderint, plenariam semel quolibet mense Indulgentiam, quam etiam animabus* (defunctorum) *applicare possint, concedimus &c. Præsentibus ad septennium tantum valituris.*

QUÆRITUR 22. An communicatio Indulgentiarum quæ sunt concessæ uni ordini, aut loco se extendat ad reliquos ordines, vel loca reliqua ejusdem ordinis?

RESPONDEO. Indulgentiæ difficilis concessionis, hoc est, quæ raro, & cum difficultate conceduntur intuitu specialis meriti, aut motivi, non comprehenduntur in generali communicatione privilegiorum. Ratio est, quia latitudo communicationis unice dependet à voluntate seu intentione concedentis, qui non prudenter communicaret indiscriminatim omnibus privilegia concessa loco, Monasterio, aut Ordini ob motiva particularia. Ita cum aliis respondet etiam *P. Theodorus* l. cc.

QUÆRITUR 23. An omnes Indulgentiæ Confraternitatum ante Paulum V. concessæ fuerint revocatæ?

RESPONDEO negativè. Ita respondit S. Congregatio indulgentiarum die 16. Jan. 1674. dum libratis utrinque rationibus censuit: *Non constare de revocatione generali indulgentiarum Confraternitatum omnium.* Videri potest *P. Theodorus* l. cc. art. 2. §. 5. ubi fuse disputat de Indulgentiis Confraternitatum.

QUÆRITUR 24. Quales sint concessæ Indulgentiæ orantibus ad pulsum campanæ feria sexta?

RESPONDEO. *Benedictus XIV.* 23. Dec. 1740. concessit sequentes: *Ad Passionis & Agoniæ Redemptoris D. N. J. C. in fidelium animis excitandam atque fovendam omnibus, qui singulis feriis sextis totius anni hora tertia post meridiem ad sonum campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium, quarum Parochis, aliisque Superioribus, ut campanam uniuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devote recitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non salutari peccatorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxamus; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris &c.*

QUÆRITUR 25. Quales sint concessæ Indulgentiæ pro recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ mane, meridie & vespere?

RESPONDEO. *Benedictus XIII.* 14. Sept. 1724. concessit sequentes: *Omnibus verè pœnitentibus & confessis, ac S. Communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere ad pulsum Campanæ, Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria flexis genibus devotè recitaverint; & pro C. p. c. h. e. ac S. m. e. e. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die mensis duntaxat, per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam indulgentiam concedimus. In reliquis vero anni diebus iisdem Christi fidelibus verè contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* Exorto autem dubio, an tempore Paschali hæ preces flexis genibus, an vero stando dicendæ sint, Benedictus XIV. confirmatis prædictis Benedicti XIII. Indulgentiis, præscripto Rubricarum inhærens, jussit orationem illam à Vesperis cujuslibet Sabbati usque ad totam Dominicam sequentem à stantibus recitari; ac insuper durante tempore Paschali, quod in Vesperis Dominicæ SS. Trinitatis terminatur, loco supra memoratæ

Ora-

Orationis Antiphonam: *Regina cœli &c.* cum versiculo & oratione correspondente: *Deus, qui per resurrectionem &c.* à stantibus dicendam substitui; iisdem eam devote dicentibus, Indulgentias concessis, ita tamen, ut ii, qui eam Antiphonam memoriter dicere nescíverint, easdem Indulgentias aquirant supradictam orationem, *Angelus Domini*, recitantes; ut habetur ex Notificatione *Emin. Card. Quadagni* SS. D. N. Vicarii Generalis Romæ publicata die 20. April. 1742. Circa Regulares extat alia Declaratio & Indultum Benedicti XIII. hujus tenoris:

Indultum,

Quo conceditur, ut Regulares, aliique in Religiosis Domibus Commorantes, si consuetas preces ANGELUS DOMINI *&c. ad sonitum campanæ recitare non possint, nihilo minus Indulgentias alias concessas, lucrari valeant, dummodo easdem preces recitent flexis genibus statim, ac opus ad Regularem observantiam spectans expleverint.*

„Litteris in forma Brevis emanatis die 14. Septembris 1724. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIII. omnibus utriusque Sexus Christi fidelibus ad sonitum campanæ consuetas preces *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*, & ter Salutationem Angelicam flexis genibus recitantibus semel in mense die ab unoquoque eligendo, si confessi, & Sacra Communione refecti fuerint, & pro Christianorum Principum Concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oraverint, plenariam Indulgentiam concessit. Reliquis vero diebus prædictas preces ut supra recitantibus Indulgentiam centum dierum. Quia vero Sanctitati suæ expositum fuit, quod sæpe Regulares, aliique in Religiosis Domibus commorantes, & tempore, quo mane, meridie, aut Vespere Campanæ pulsantur, quibusdam actionibus ad Regularem observantiam spectantibus detinentur, & ideo easdem preces recitare tunc temporis minime possunt; ac in simul præfatorum nomine humillime supplicatum fuit, ut ex Apostolicæ Sedis dispensatione prædictas preces alio tempore recitando easdem Indulgentias lucrari valeant. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster audito voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositæ, benigne indulsit, ut Regulares omnes, aliique in Religiosis Domibus commorantes, si, dum, ut supra Campanæ pulsantur, aliquod opus exercent, quod ad Regularem observantiam pertineat, nihilominus supra memoratas Indulgentias acquirere possint, dummodo statim, ac opus prædictum expletum fuerit, preces supra memoratas flexis genibus devotè recitent. Datum die 5. Decembris 1727.

L. Card. Picus, Præfectus.

Loco † Sigilli.

Raphaël Cosmus de Hieronymis, Secr.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Quæritur 26. Quales sint concessæ Indulgentiæ orantibus Vespere ad pulsum campanæ pro defunctis?

Respondeo. Clemens XII. 14. Augusti 1736. concessit sequentes: *Omnibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanæ Psalmum de profundis, vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum versiculo Requiem æternam. &c. in suffragium animarum fidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis relaxamus. Insuper eisdem fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac S. Communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro c. p. c. h. e. ac s. m. e. e. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet anni dumtaxat per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam Indulgentiam concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

Quæritur 27. In quo sensu concedantur Indulgentiæ pro articulo mortis?

Respondeo. In hac re dari tres sententias. *Canus*, *Covarruvias*, & *P. Theodorus* existimant; intelligi verum mortis articulum, ita ut talis Indulgentia nunquam obtineatur, nisi in ipso momento mortis, quo anima solvitur in corpore. Fundamentum P. Theodori est, quia Pontifices Romani, v. g. Paulus III. 29. Nov. 1539. Confraternitati SS. Sacramenti, Indulgentiam pro articulo mortis expresserunt sub hac forma: *In mortis articulo, etiamsi tunc mors non subsequatur.* Dein, quia praxis impertiendi Indulgentiam in articulo mortis erat, ut daretur à Sacerdote sub hac forma: *authoritate mihi commissa &c. omnem Indulgentiam tibi concedo, si tamen hac vice moriaris; alias eam tibi reservo pro vero mortis articulo.* *Secunda* est Sententia *Navarri*, quod talis indulgentia tantum obtineatur in articulo mortis præsumpto, id est in proximo periculo mortis, in quo sensu dicit *Rituale Romanum*, ægrum à quovis Sacerdote posse absolvi in *articulo mortis*. In hac sententia, si æger in tali articulo mortis constitutus utatur Indulgentia, & præter opinionem convalescat, non potest amplius lucrari eandem Indulgentiam in altero, aut etiam vero articulo mortis. *Tertia* sententia est *Cordubæ*, qui docet, talem Indulgentiam obtineri in *præsumpto*, & in vero articulo mortis, ita ut si homo singulis v. g. annis constitueretur in articulo mortis præsumpto, toties obtineret Indulgentiam. Mihi sine ulla hæsitatione præferenda videtur tertia sententia, ita ut toties homo obtineat hanc Indulgentiam, quoties constituitur in articulo mortis, hoc est, in probabili periculo mortis.

Ratio est 1. quia hæc Indulgentia est id ipsum, quod erat antiquis *perfecta reconciliatio* pœnitentium in articulo mortis. Illa autem habuit suum valorem & effectum statim, quando ægro conferebatur, prout patet ex dictis Disput. præced.

2. Est exorbitans à stylo Ecclesiæ, & sana ratione, suspendere effectum Indulgentiæ ad conditionem independentem ab homine, quantumvis jam posuerit omnes conditiones ex parte sua pro lucrandis Indulgentiis requisitas.

3. Si vera esset prima sententia, falsificaretur forma, Romæ pro communicanda Indulgentia in articulo mortis præscripta, ubi semper significatur effectus de præsenti. v. g. in his verbis: *Remissionem omnium peccatorum tuorum tibi concedo.* Forma ista applicandi moribundis Indulgentiam, qua uti solent Regulares varii præsertim erga Confratres suarum Confraternitatum, reperitur in P. Theodoro: & aliqua etiam reperitur in mea *Historia Indulgentiarum.* Neque oppositum probant rationes P. Theodori. Prima enim ratio potius servit pro nostra sententia, quam pro opposita, ut patet consideranti. Praxis illa antiqua, sicut erat privata authoritate introducta, & erat per se absurda, ita tacite revocata est per novam formam Romæ præscriptam pro communicanda Indulgentia in articulo mortis. Cæterùm *si quæras*, qualis sit differentia inter morientem cum lucratione Indulgentiæ plenariæ, & morientem cum communicatione *solenni* Indulgentiæ plenariæ sub illa determinata formula, non video discrimen, nisi ex merito, pro ægro nomine Ecclesiæ, aut alicujus Ordinis, particulatim deprecantium.

QUÆRITUR 28. Quales sint Indulgentiæ Numismatum, vel Rosariorum &c. Benedictorum à Papa?

RESPONDEO. Hæ Indulgentiæ exprimuntur in Notificatione sedente *Benedicto XIII.* edita *Romæ, & à Clemente XII. & Benedicto XIV. servata*, prout *P. Theodorus* testatur. Præcipua Indulgentia in illa formula contenta est plenaria in Festis Nativitatis D. N. J. C. Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, SS. Trinitatis, & Corporis Christi; & die Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis B. V. & in Nativitate S. Joannis B. & in Festis Petri, & Pauli, & reliquorum undecim Apostolorum, & in articulo mortis. Ad has tamen Indulgentias lucrandas requiritur inprimis, *ut quis ejusmodi coronas & Numismata secum habeat. Dein ut quis saltem semel in hebdomada coronam Domini, aut Rosarium, ejusque tertiam partem, aut officium vel divinum, vel parvum B. Virginis, vel defunctorum, vel septem Psalmos pœnitentiales, vel Psalmos graduales recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis ægrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam vel audire, vel si est Sacerdos celebrare consueverit, & ut vere pœnitens, & confessus Eucharistiæ Sacramentum acceperit.* Hæ sunt conditiones lucrandi Indulgentiam plenariam. Adduntur ad varia bona opera Indulgentiæ partiales annorum vel dierum. In fine additur conditio, *ut ejusmodi Coronæ, Cruces, Rosaria, Numismata, & sacræ imagines non transeant personam illorum, quibus à sua Sanctitate concessæ sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari, aut precario dari possint; alioquin careant Indulgentiis jam concessis; & aliqua re ex prædictis deperdita pro ea subrogari altera nullo modo possit. Prohibet sua Sanctitas hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem. Raphaël Cosmus de Hieronymis Secretarius.* Circa has Indulgentias duo notari merentur. 1. quod ad eas lucrandas requiratur, ut quis *consueverit* præscripta bona opera peragere. Quanto tempore? non dicitur. 2. quod prohibeatur hæc formula extra Urbem imprimi. qua de causa? non dicitur.

QUÆRITUR 29. An cruces & coronæ terræ sanctæ perdant Indulgentias si vendantur? & quænam sint earum Indulgentiæ?

RESPONDEO. Ad primum affirmativè. Ita declaratum est à Sacra Congregatione Indulgentiarum 11. Martii 1721. occasione *Jacobi de Cruce* Civis Augustani, qui postmodum, cum interdiceretur ipsi mercimonium harum mercium, in quas coëmendas in Palæstina totam suam substantiam impenderat, ad paupertatem redactus apostatavit à fide Augustæ ad Lutheranos. Est autem eadem ratio circa Numismata, Cruces & alias res à Papa benedictas vel circa cruces caravacenses; quia in concessione Indulgentiarum pro iis lucrandis modus & conditio ponitur, ut *distribuantur*, quæ verba in sensu à Summis Pontificibus rationabiliter intento significant distributionem gratuitam, non venditionem. Imo, cum formula harum Indulgentiarum prohibeatur extra Urbem imprimi, videtur, hanc distributionem ex intentione Summorum Pontificum tantum permitti iis, qui personaliter accesserunt Romam, & ibi commorantes eadem obtinuerunt. Et hinc etiam mercatoribus Romanis prohibitum est, talia Numismata, vel Rosaria jam benedicta vendere, sed postquam à peregrinis empta sunt, primum portantur ad Pontificem, ut benedicantur. Cæterum Indulgentiæ hujusmodi crucum, & coronarum terræ sanctæ sunt quoad plenarias eædem, quæ sunt concessæ crucibus & aliis rebus ejusmodi à Papa benedictis, prout habetur in Bulla Innocentii XI. data 28. Jan. 1688.

QUÆRITUR 30. Quales sint Indulgentiæ pro recitantibus Rosarium B. V. etiamsi non sint Confratres in confraternitate Rosarii?

RESPONDEO. Benedictus XIII. concessit sequentes: *SS. D. N. Benedictus XIII. audito voto S. Congregationis Indulgentiis præpositæ omnibus utriusque sexus Christi fidelibus Rosarium, vel saltem tertiam partem ejusdem devote recitantibus pro qualibet Oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica Indulgentiam centum dierum concessit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Rosarium, vel pariter saltem ejus tertiam partem, si Confessi, ac S. Communione refecti fuerint, & pro c. p. c. h. e. ac s. m. e. e. oraverint, semel in anno die ab unoquoque eligenda insuper concessit Indulgentiam plenariam, etiam cum facultate applicandi defunctis. Declaravit tamen Sua Sanctitas, ut ad effectum lucrandi prædictas Indulgentias requiratur, ut Rosarium fuerit de more benedictum à Fratribus Ordinis Prædicatorum. Dabam die 13. Aprilis 1726. L. Cardinalis Picus Præfectus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secretarius.*

QUÆRITUR 31. Quales requirantur dispositiones ex parte lucrantis Indulgentiam?

RESPONDEO. Ex parte lucrantis Indulgentiam requiritur 1. *Ut sit baptizatus* quia Indulgentiæ fundantur in potestate clavium, quæ in catechumenos exerceri non potest. Cum vero Indulgentiæ pro defunctis se non habeant per modum absolutionis, sed per modum solutionis deprecatoriæ, potuerunt applicari etiam

pro

pro catechumenis defunctis; maxime cum Ecclesia pro his etiam offerat Sacrificium Missæ. 2. *Ut non sit excommunicatus*, quia excommunicatio privat usu bonorum Ecclesiæ. Si tamen quis contritus serio petat solvi vinculo excommunicationis, & citra suam culpam maneat excommunicatus in foro externo, videtur ab Ecclesia non excludi ab iis Indulgentiis, in quibus non requiritur Confessio, & Communio; cum etiam apud Deum non excludatur à gratia. Opposita tamen sententia sensui veteris Ecclesiæ est multo conformior, dum pœnitentes ante expleta pœnitentiæ constitutæ tempora, & ante receptionem Communionis Dominicæ, ac Ecclesiasticæ non censebantur esse capaces Indulgentiæ. 3. Irregulares tamen, suspensi, & interdicti sunt capaces Indulgentiæ. 4. Requiritur *impletio præscriptorum operum*, & quidem moraliter eo tempore, vel die, quo præscribitur. Hinc si præscribatur *Communio* & *Confessio*, sufficiet quidem meo Judicio, si Confessio fiat die præcedente, & Communio eo die, quo incipiunt Indulgentiæ; non antem sufficiet regulariter, si confessio fiat duobus diebus ante communionem; quia juxta modernam disciplinam Ecclesiæ Confessio non solet coordinari ad communionem subsequentem, nisi fiat die immediate antecedente, aut eodem. Moralis autem æstimatio de unione morali, ac ordine duorum ad invicem sumitur à consuetis, non ab extraordinariis; ab iis videlicet, quæ communiter contingunt, non ab iis, quæ raro contingunt, qnia attentio hominum fertur ad obvia. Vide dicta respons. S. Congreg. 1712. mense Martio n. 3. si quæ tamen personæ haberent consuetudinem in hebdomada bis confitendi, sæpius autem communicandi, crederem, confessionem etiam biduo præcedentem sufficienter ordinari ad Communionem. 5. Requiritur *status gratiæ* saltem in ultimo opere, & in aliis operibus ex sua natura operativis, aut præsuppositivis gratiæ, ut sunt Confessio, & Communio. Si enim præcepto Communionis Paschalis non satisfit per Communionem sacrilegam, etiam non satisfiet intentioni, ac conditioni Pontificiæ requirenti Confessionem, & Communionem *verè pœnitentis*, prout exprimitur in Bullis. 6. Requiritur *propositum* juxta vires suas *congruè satisfaciendi* Deo per studium bonorum operum, saltem ad obtinendum totalem ac plenarium Indulgentiæ fructum, prout Quæst. 2. ostensum est. 7. Requiritur etiam *status gratiæ ad lucrandum Indulgentias pro defunctis*. Ratio est, quia Ecclesia conferendo Indulgentias pro defunctis utitur solutione deprecatoria, conjungendo merita Ecclesiæ cum pio opere lucrantis Indulgentiam, eaque conjunctim offerendo divinæ Majestati, quæ non tenetur ea necessario acceptare, prout patet ex Quæst. 3. Cùm ergo non deceat, ut Ecclesia opus mortuum existentis in peccato mortali offerat pro redemptione animarum ex pœnis, non est censendum, quod Ecclesia merita Ecclesiæ conjungere velit cum ejusmodi opere, sicque applicare indulgentiam defunctis. Multo minus præsumi poterit, quod velit applicare Indulgentiam defunctis dependenter à confessione, vel communione sacrilega, tanquam à conditione. Ratio hujus doctrinæ est, quia, ut constat ex origine Indulgentiarum pro defunctis, Ecclesia non voluit opera vivorum esse nudam conditionem; sed meritum, quod elevare intendit ad majorem vim impetrandi, conjungendo deprecatoriè merita Sanctorum, seu Thesaurum Ecclesiæ. In Sacerdote tamen celebrante in Altari privilegiato habetur effectus ex opere operato, saltem aliquis; etiamsi Sacerdos celebrans sit in statu peccati mortalis 8. Requiritur etiam *Intentio lucrandi Indulgentiam*; saltem *virtualis*, qualis esset, si homo v. g. in festo pergit ad Ecclesiam animo confitendi, quia scit, ibi haberi Indulgentiam. 9. Requiritur, ut, si in indulgentia exigitur *oratio ad finem determinatum*, v. g. pro concordia Christianorum Principum, conversione peccatorum, avertendis calamitatibus &c. fiat formalis, ac explicita oblatio orationis ad eos fines in Bulla expressos. Ratio est, quia oratio cum oblatione specifica est longe validior, quam generalis, ac confusa. Sic est efficacior oratio, si quis determinatè oret pro patre, matre, aut Petro, quam si tantum oret pro iis, pro quibus principaliter debet. Idem est de offerente Sacrificium. Igitur Ecclesia præsumenda est requirere talem oblationem explicitam.

Quæritur 32. An sufficiat ad lucrandam Indulgentiam opus aliunde præceptum vel imperatum? v. g. an Breviarium possit offerri pro Indulgentia, ubi præscribuntur devotè preces, an idem dicendum de 6. vel 7. Pater & Ave, quæ recitantur in horis Canonicis? An idem tenendum de pœnitentia injuncta, v. g. oratione 5. Pater & Ave? Item an recitando v. gr. 7. Pater & Ave, quæ præscribuntur in variis Confraternitatibus, satisfiat omnibus illis Confraternitatibus in ordine ad lucrandas earum indulgentias? & num recitando Rosarium pariter in tali casu satisfiat omnibus Confraternitatibus, in quibus requiruntur ad summum 7. Pater & Ave?

Respondeo. Nisi manifestè ob particulares circumstantias constet, Pontificem contentum esse opere aliunde præcepto, nunquam sufficiet opus aliunde præceptum, aut imperatum ad lucrandam indulgentiam. Ratio est, quia regulariter extra casum particularis circumstantiæ Pontifex concedendo indulgentias intendit promovere studium bonorum operum superogatorium, ùt liquet tum ex legibus prudentiæ œconomicæ Ecclesiasticæ, tum ex ipsis Bullis Pontificum. Certè Princeps non prudenter administraret ærarium publicum, si regulariter vellet illud effundere in remunerationem operum aliunde debitorum, v. gr. in remunerationem steurarum, taxarum, servitutum &c. Idem sensit Eugenius IV. dum Monachis Vallisoletanis concessit Indulgentiam plenariam in articulo mortis sub conditione, ut per totum annum singulis sextis feriis jejunent. Expresse enim subjungit hæc verba: *Si prædictis feriis ex præcepto Ecclesiæ, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare tenentur, uno alio die singularum septimanarum ejusdem, quo ad jejunandum non sunt adstricti, jejunent.* Accedit, quod in multis Indulgentiis intendatur à Summo Pontifice vel placatio iræ divinæ, vel obtentio specialis assistentiæ divinæ, quæ non ita effica-

efficaciter obtinentur per opera aliunde debita. *Dixi, nisi de mente alia Summi Pontificis constet ob particulares circumstantias.* Sic enim tempore Jubilæi, ubi cum jejunio præscripto concurrunt varia alia bona opera supererogatoria, puta eleemosyna, Visitatio Ecclesiarum, Orationes, constat, Summum Pontificem Romæ esse contentum jejunio, quamvis incidat in diem jejunii Ecclesiastici de præcepto. Sic etiam in nonnullis Bullis Indulgentialibus finis primarius est, ut reducatur observantia quarumdam legum hactenus neglectarum, quo casu opus aliunde præceptum prudenter utique servit pro conditione lucrandi Indulgentiam. Sic Paulus V. Religiosis Ordinis Præmonstratensis 1606. 19. Oct. *Concessit sequentes Indulgentias: Qui dimidium horæ quotidie meditationi rerum divinarum dabunt*, 40. *dies*, *qui examinandæ conscientiæ per quartam circiter horæ partem quaque die incumbent*, 100. *dies*, *qui matutinarum Officium nocte decantabunt*, 10. *dies*, *qui aliquem ex Religiosis Ordinis Præmonstratensis ad reformationem inducent*, 7. *annos*, *qui lectioni, dum mensæ accumbitur, legendo vel audiendo operam dabunt*, 30. *dies &c.* Huc pertinent pœnitentiæ injunctæ in illa ipsa confessione, quæ ordinatur ad lucrandam Indulgentiam. Cum Pontifex talem confessionem admittat in partem conditionis pro lucranda Indulgentia, videtur, quod etiam in partem conditionis admittat compartes confessionis, contritionem, & satisfactionem. Id confirmatur ex sensu, ac praxi communi Confessariorum, frequentissimè imponentium pro pœnitentia, ut confitentes recitent preces indulgentiarum. Cæterum quod pro lucranda Indulgentia Jubilæi non sufficient per se opera aliunde injuncta, patet inferius ex Declaratione SS. D. N. *Benedicti XIV.* num. 53.

QUÆRITUR 33. An is, qui per ignorantiam, oblivionem, aut impotentiam non perficit unum aut plura ex operibus præscriptis, nihilominus lucretur Indulgentiam?

RESPONDEO. Non lucrari. Probatur ex sensu communi Doctorum, existimantium, quod Pontifex pro conditione essentiali ponat complexum operum, ubi requiruntur plura opera, & à fortiori opus unum, ubi requiritur unicum.

QUÆRITUR 34. An is lucretur Indulgentiam, siquidem perficit opus præscriptum, sed non integre, v. g. siquidem interfit officio divino in festo Corporis Christi, sed non integro?

RESPONDEO. Qui sive ex ignorantia, sive ex negligentia, aut etiam impotentia omittit notabilem partem operis præscripti, sic, ut in æstimatione morali non sit amplius simpliciter verum, perfici opus, ne quidem lucratur partem Indulgentiæ. Probatur ex eodem sensu communi Doctorum. Secus dicendum, quamvis solum probabiliter, si omittatur pars minima, sic ut saltem moraliter, vel quoad substantiam censeatur perfici opus præscriptum. Patet ex eodem sensu communi, cui conformis esse præsumitur in similibus sensus, ac intentio Pontificis; cùm eadem sit prudentia œconomica directiva intentionis in Pontifice, & Doctoribus. Cæterum, quænam sit pars minima, sumendum est *respectivè*; quia si ad lucrandam indulgentiam requiratur Rosarium, omissio unius Pater & Ave, censeri potest esse pars minima; si vero requirantur quinque Pater & Ave, omissio unius Pater & Ave, utpote quintæ partis non censetur esse minima. Eodem modo judicandum de jejunio, auditione sacri &c. vel de opere inchoato, non vero completo.

QUÆRITUR 35. An ad lucrandum Indulgentiam necesse sit, ut opus præscriptum perficiatur nulla interveniente culpa, ne quidem veniali v. g. ut sub precibus Indulgentialibus non admittantur voluntaria distractio, aut intentio vanæ gloriæ?

RESPONDEO. Me amplecti sententiam *Bellarmini*, & *Laymanni* distinguentium; si enim opus præscriptum stante concomitante culpa veniali nihilominus habeat aliquam bonitatem, per quam serviat ad finem à Pontifice intentum; v. g. si preces, jejunium, eleemosyna, stante interveniente vana gloria, nihilominus contineat aliam intentionem bonam, realiter aut virtualiter distinctam, qua serviant ad placandam iram Numinis, impetrandam gratiam &c. aliumve finem à Pontifice intentum, sufficient ad lucrandam saltem partialiter indulgentiam; si vero opus præscriptum unicè fiat ex fine malo, aliamve habeat circumstantiam, ex qua ita reddatur vitiosum, ut nullam habeat bonitatem moralem, qua serviat ad finem à Pontifice intentum, puta ad placandum Deum, ad obtinendam concordiam Principum, ad exhibendum verum cultum Deo, aut Sanctis, non sufficiet ad lucrandam indulgentiam. Ratio est, quia prudentia œconomica exigit, ut Pontifex pro conditione indulgentiæ exigat opus *verè meritorium*, & hunc finem Pontifices millies exprimunt in suis Bullis, ut scilicet promoveatur cultus Dei & Sanctorum; ergo eam conditionem actu exigunt, cùm juxta textum juris supra citatum universim id præsumatur factum, aut requisitum, quod de jure, vel juxta leges prudentiæ debuit requiri.

QUÆRITUR 36. An quis uno eodemque actu possit lucrari plures Indulgentias?

RESPONDEO distinguendo. Si Indulgentiæ diversæ concessæ fuerint ad eundem diem ex diversis titulis, & opus in quavis indulgentia præscriptum eodem die est initerabile, censendum est, posse opus offerri pro quavis indulgentia. Sic exempli causa, si in eundem diem incidat duarum diversarum Confraternitatum, Indulgentia menstrua, indulgentia 40. horarum, Indulgentia Numismatis Pontificii, Indulgentia Numismatis alterius quinque vulnerum &c. poterit eadem confessio ac communio servire ad lucrandas saltem partialiter, omnes has indulgentias. Ratio est, quia fructus indulgentiæ plenariæ est divisibilis, ac proportionatus gravitati causæ, seu motivi, & gravitati præscripti operis. Itaque non repugnat naturæ indulgentiarum, si idem opus offeratur pro pluribus indulgentiis, concessis ex diverso motivo. Cumque ejusmodi oblatio non sit irrationabilis, eoquod præbeat occasionem exercendi diversas virtutes ob respectum ad diversa motiva, censendum est, Summum Pontificem eam habere ratam; quod ipsum colligitur ex communi sensu Doctorum. Si vero con-

concurrant indulgentiæ ex eodem titulo, aut opera sint iterabilia, censendum est, non esse locum ad lucrandas plures Indulgentias, nisi iterentur opera, v. g. si quis habeat duo Numismata Pontificia, non poterit eodem die lucrari duas plenarias indulgentias. Etsi eodem die concurrunt Indulgentiæ duarum Confraternitatum, & indulgentia menstrua, non poterit eodem actu obtineri triplex Indulgentia, sed necesse erit, pro lucrandis singulis offerre distinctas preces. Ratio est, quia alioquin concessio Pontificis non foret rationabilis, utpote non debitè proportionata ad intentum suum finem, ut supra ostensum est Q. 32. ex dictis vero sequitur reiteratione ejusdem actus virtutis eodem die posse obtineri sæpius indulgentiam Confraternitatis partialem, v. g. 100. dierum, quia rationabile est, ut Pontifex concedat iteratas similes indulgentias reiteratis actibus virtutum, sicut concedit reiteratas indulgentias iterantibus Ave Maria juxta numerum granulorum Rosarii.

Quæritur 37. An quis possit lucrari Indulgentiam vivorum pro alio?

Respondeo negativè, Ratio est, quia ea facultas in nullis Bullis, nisi in antiquioribus Cruciatis, legitur expressa, in quibus datur indulgentia plenaria mittentibus alium loco sui ad bellum sacrum. Estque hæc sententia certa; ut prorsus illa persuasio habenda sit pro errore populari, qua nonnulli credunt, se posse obtinere indulgentiam Portiunculæ, si mittant alium loco sui ad aliquam Ecclesiam Ordinis D. Francisci. Hoc enim Privilegium, quod practicatur Assisii in Ecclesia Portiunculæ, si verè subsistit, nunquam fuit communicatum aliis Ecclesiis Ordinis. Nec obstat, quod refert Rodriquez tom. 1. q. 33. a. 2. his verbis: *Urbanus V. concessit generalem Ministrum posse dare de toto Ordine suffragia indulgentiarum, & orationum, & beneficiorum spiritualium quibuscunque devotis & benefactoribus nostri Ordinis. Ita habetur in libro: Monumenta Ordinum, & in supplemento, & eandem concessionem habent alii Prælati Regulares.* Respondetur; si de tali concessione Pontificia, cujus nullum reperitur exemplum in Bullis Pontificiis, aliisque gratiis indubiis, constaret authenticè, & ille liber monumentorum citaret fontem, concessionem illam sic esse intelligendam, quod Provinciales Minorum Benefactoribus Ordinis potuerint communicare Indulgentias soli alioquin ordini concessas, id est, facultatem lucrandi easdem indulgentias, si personaliter præstiterint præscripta, eo ferè modo, quo nunc à nonnullis distribuuntur Numismata indulgentialia. Eo vero casu non ipsi Prælati propriè loquendo concedunt indulgentias, sed ipse Summus Pontifex; neque in eo casu unus lucratur Indulgentiam pro alio. Ita respondet *P. Gobat* tr. de Indulg. n. 110.

Quæritur 38. An is, qui à Summo Pontifice habet multas Indulgentias, aliis distribuendas (seu intentiones ac Benedictiones, ut vocant) possit eam facultatem distribuendi in toto, vel parte donare alteri?

Respondeo. Negative. Ratio est, quia videtur oppositum prorsus esse contrarium intentioni ordinatæ, ac per rationem regulatæ summi Pontificis, quod colligitur tum ex natura concessionis, tum ab exemplo similium. Ex natura concessionis quidem, quia Pontifex censeri debet elegisse industriam, ac prudentiam œconomicam Personæ, cui eam facultatem distribuendi Indulgentias contulit. Neque enim cuivis concredenda est tanta facultas, quæ dari debet tantum bene meritis. Ab exemplo similium idem colligitur, quia & Alexander VII. speciali Decreto edito 6. Feb. 1657. cavit, ne Indulgentia annexa Rosariis, vel Numismatibus piis transiret personam, cui semel in usum Indulgentialem concessa est. Hinc & *Gobat*, qui in prima editione docuerat oppositum, in secunda revocat suam sententiam tr. 4. p. 1. c. 11. potissimum ob rationes Dianæ testantis de opposita praxi Curiæ Romanæ his verbis: *Ego non recedo à sententia negativa, quam semper docui, nixus authoritate Curiæ Romanæ; & ita mihi etiam responderunt Magistri cæremoniarum SS. D. N. in his materiis Indulgentiarum versatissimi.* Ex dictis colligitur, quòd, si quis v. g. Religiosus, dum erat in vivis, Indulgentias, seu intentiones, ut vocant, nondum distribuit, Superior non possit eas distribuere post illius mortem; quia sic distribuerentur ab alio, quam ab eo, cui Pontifex indulsit distribuendi valide facultatem.

Quæritur 39. An quis possit lucrari Indulgentiam, si opus ultimum præscriptum perficiat quidem in peccato mortali, post aliquot autem dies de hoc doleat per veram contritionem, seu an Indulgentiæ reviviscant?

Respondeo. *Negative. Ratio* est, quia non decet Pontificem habere hujusmodi intentionem concedendi Indulgentiam generaliter pro ejusmodi circumstantia; neque habentur indicia probabilia, quod aliquando habuerit, aut soleat habere ejusmodi intentionem. Isque sensus Pontificis colligitur ob communia dictamina prudentiæ ex sensu communi Doctorum, quorum plerosque Gobat hic n. 156. testatur, tenere negativam circa reviviscentiam Indulgentiarum.

Quæritur 40. An in communicatione generali omnium Indulgentiarum alicujus Ecclesiæ comprehendantur etiam Indulgentiæ pro defunctis?

Respondeo. *Affirmative*, exceptis Altaribus. *Ratio est*, quia nostris temporibus non datur speciale motivum, cur Pontifex exciperet à concessione generali Indulgentias pro defunctis, cum æque facile jam concedantur, ac Indulgentiæ pro vivis: adeoque non est opus illarum specifica expressione, quali opus est quoad Altaria Privilegiata; quæ sicut non solent tam facile concedi, ac cæteræ Indulgentiæ, ita non præsumuntur comprehendi in communicatione generali, nisi exprimantur.

Quæritur 41. An qui possit lucrari Indulgentiam plenariam, retinens affectum ad aliquod peccatum veniale?

Respondeo. Talem quidem lucrari Indulgentiam plenariam, sed non totaliter. Quia ut supra ostensum est fructus Indulgentiarum est divisibilis: nec est rationabile, quod Pontifex suas Indulgentias respectu majoris partis hominum, inhæ-

inhærentium hujusmodi affectul, velit exponere tam universali periculo nullitatis. Sed verosimile est, quod compatiens humanæ infirmitati, & intendens excitare etiam languidos ad studium bonorum operum, omnes perficientes præscripta opera velit donare saltem aliqua parte veniæ, & pœnarum relaxatione, non eo sensu, quasi talibus remittatur pœna debita peccatis, quorum retinent affectum habitualem, aut totalis pœna reliquis peccatis; quorum deposuerunt affectum, debita; sed quod consequantur respectu horum posteriorum peccatorum partem plenariæ Indulgentiæ.

QUÆRITUR 42. An requiratur specialis intentio ad lucrandas Indulgentias Stationum? & num in Ecclesiis Regularium possint à quibusvis Laicis obtineri?

RESPONDEO. Ad eas lucrandas requiritur specialis intentio. Nam ad lucrandas has Indulgentias debent saltem Religiosi preces suas offerre pro *Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione*. Quia Paulus V. dum Religiosis in sua Bulla Indulgentiarum revocatoria concedit Indulgentias Stationum, satis clare requirit hanc intentionem. *Nec refert*, quid hic per Romani Pontificis salutem intelligatur. Si enim absolutè quis intelligere velit salutem ejus æternam, conditionate autem temporalem, id est, si fuerit ad majorem Dei gloriam, non repugnabit Pontifex; nec volet vivere sanus invito Numine, & in detrimentum Ecclesiæ. Præterea notandum, quod videatur etiamnum incertum esse, an sæculares lucrentur Indulgentias Stationum in Ecclesiis Regularium, habentium communicationem Privilegiorum cum aliis Regularibus. *Ratio est*, quia sicut concessio Altaris Privilegiati ob speciales considerationes pro ejusmodi difficiliori concessione occurrentes non comprehenditur in communicatione generali Indulgentiarum, & Privilegiorum, ita etiam Indulgentiæ Stationum pro sæcularibus non videntur comprehendi communicatione generali Indulgentiarum cum aliis Ordinibus. Et hunc fuisse sensum Romanorum Pontificum, ac ipsarum Religionum, patet ex eo, quia *Gregorius XIII.* 1584. 5. Dec. & 1573. 26. Augusti tanquam specialem gratiam Scholaribus, Parentibus, Fratribus, ac Medicis Religiosorum Societatis Jesu concessit, quod possent lucrari Indulgentias Stationum in Ecclesiis Societatis Jesu. Idem erat sensus totius fere Societatis tempore, quo *Gobat* parabat suam primam editionem. nam p. 2. c. 8. n. 343. sic scribit: *Perdoctus quidam nostræ Societatis Theologus Romæ habitans, consultus à me hac super quæstione respondit mihi anno* 1648. 22. *Febr. in hæc verba: De quæstione illa, quam mihi R. V. proposuit, indagavi apud Patres quam plurimos, eosque variæ rationis, ac doctrinæ, judicio, rerumque usu præstantes; non potui autem ab ullo, præterquam Theophilo Raynaudo intelligere, quis velit admittere, quod omnes Christi fideles possint in templis nostris lucrari Indulgentias Stationum, sed restringunt ad Sodales B. V.* (& ad illos, de quibus infra) *asserentes, ita habere praxin in Germania, Hispania, Gallia, Italia, Lusitania, Belgio, &c. Ita P. Gobat.* Itaque tunc temporis non erat Pontifici, & Regularibus notum; Privilegium de Indulgentiis Stationum, concessum Servitoribus Ecclesiarum ab Innocentio VIII. circa annum 1495. pro sæcularibus extendi posse, aut debere ad Ecclesias aliorum Ordinum. Cum ergo ea extensio, adeoque ipsæ Indulgentiæ Stationum pro sæcularibus incertæ sint, publicari non debent, quia prohibitum est, publicare Indulgentias incertas.

QUÆRITUR 43. Quæ sint notanda circa Indulgentiam Portiunculæ?

RESPONDEO. Notatu digna esse sequentia. 1. Eam Indulgentiam datam esse ab Honorio Papa anno 1221. 2. Eam ab initio extitisse solum Assisii in Capella rurali, dicta de Angelis usque ad annum 1480. hinc ipsimet Religiosi & Moniales Ordinis S. Francisci usque ad illud tempus debuerunt ire Assisium ad diem 2. Augusti, si voluerunt lucrari eam Indulgentiam. 3. Anno 1480. fuisse à Pontifice impetratam gratiam, ut Religiosi & Moniales habentes Clausuram, Ordinis S. Francisci, possint obtinere Indulgentiam Portiunculæ in suis Ecclesiis. 4. Eadem extensio ac concessio anni 1515. fit in specie pro Monialibus S. Claræ, ut videlicet in suis Ecclesiis possint lucrari Indulgentiam Portiunculæ; ne habeant ansam discurrendi: ex quo colligitur, eam tunc temporis nondum fuisse concessam pro sæcularibus, nisi tantum Assisii, & in Bavaria Monachii in Ecclesia Monialium S. Claræ, cui Ecclesiæ Bonifacius IX. anno 1401. concessit Indulgentiam Portiunculæ etiam pro sæcularibus; in aliis vero Ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci Indulgentia Portiunculæ primum concessa est pro sæcularibus anno 1622. 4. Julii à Gregorio XV. per Bullam *splendor Paternæ gloriæ*, quæ asservatur in Tabulario Capituli gen. Romæ, ut testatur Rodericus Resol. 77. n. 50. 5. Eandem Indulgentiam anno 1608. à Paulo V. ad decennium, & anno 1622. in perpetuum à Gregorio XV. extensam esse ad Ecclesias Capucinorum, ut habetur in Annalibus Capucinorum Boverii. Ex quo colligit *P. Gobat* p. 2. c. 9. n. 351. Indulgentiam de Portiuncula non competere omnibus Ecclesiis Minorum per viam communicationis Privilegiorum. 6. Eandem anno 1643. extensam esse ab Urbano VIII. ad Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci his verbis: *Cum fideles ad Ecclesias dicti Ordinis non confluant, quia Indulgentia Portiunculæ prædictis Fratribus expressè concessa non reperitur, nos omnes fideles, qui Ecclesias Fratrum Tertiariorum prima die Augusti visitaverint, plenariam remissionem consequi declaramus, ac si in Ecclesiis Minorum de observantia peragerent.* 7. Indulgentiam Portiunculæ non posse eodem die obtineri sæpius, ut supra ostensum est. 8. Neque pro absentibus ut patet ex Q. 37. 9. Ad eandem lucrandam extra Assisium requiri Confessionem, Communionem, Visitationem Ecclesiæ, & orationem juxta tres consuetas intentiones, ut patet ex duabus Bullis Pauli V. & Gregorii XIII. proxime citatis. Dixi *extra Assisium*, quia Assisii juxta Rodriquez T. I. q. 55. a. 18. non requiritur Communio. 10. Indulgentiam ipsius Ecclesiæ Portiunculæ non quidem suspen-

suspendi tempore Jubilæi, eandem tamen suspendi in aliis Ecclesiis. Prius patet ex Bulla Urbani VIII. *Cum nuper*. Data 1624. & Innocentii X. *Cum ob sacri*. 1650. posterius ex praxi. Cæterum assertioni, quod hæc Indulgentia non possit applicari absentibus, prout defendit P. Andreas Mohr in sua Portiuncula Theologica, aut defunctis, minime obstat, quod Indulgentia Portiunculæ sit anno 1622. communicata Ecclesiis Minorum. Aliud enim est, communicari Indulgentiam; & aliud communicari simul Privilegia eidem annexa. Sic Indulgentia Portiunculæ Assisii habet annexum Privilegium, quod ex concessione Pontificia non suspendatur tempore Jubilæi, nec tamen hoc Privilegium communicatur simul cum Indulgentia aliis Ecclesiis Minorum. Itaque etiamsi Indulgentia Assisii haberet hoc Privilegium, ut possit applicari absentibus, de cujus concessione non habetur documentum, non tamen idem Privilegium per generalem concessionem Indulgentiæ Portiunculæ extenderetur ad alias Ecclesias Minorum, sed indigeret speciflca mentione, ac extensione, cum utique in mente Pontificis non urgeant eadem motiva pro concessione utriusque, videlicet Indulgentiæ, & annexi privati Privilegii; pro illa enim dantur motiva suadentia, pro ista dantur motiva dissuadentia, ac retrahentia; aut certe talia, quibus attentis Pontifex Privilegium illud probabiliter non concessisset, si explicite fuisset postulatum. Adeoque, cum ipsa Indulgentia, & præfatum Privilegium sint diversæ rationis, in concessione unius non includitur concessio alterius; sicut etiam ob communicationem Indulgentiarum alterius Ecclesiæ non censetur communicari Altare Privilegiatum, præcise ex eo, quia hoc conceditur difficilius, quam illæ; & concesso faciliori, non eoipso conceditur id, quod est difficilius, nisi exprimatur.

QUÆRITUR 44. An quis Indulgentiam vivorum, quam lucratur, propria authoritate possit applicare defunctis?

RESPONDEO. *Negative*. *Ratio* est, quia Indulgentia vivorum est absolutio à pœna. Sicut ergo absolutus à culpa non potest suam absolutionem donare alteri, ita nec absolutus à pœna. Hinc patet responsio ad argumentum *Gobati* hic p. 2. c. 21. n. 466. asserentis: *Nullum plane inconveniens apparet in hac precatiuncula: Clementissime Deus, rogo te, ut illam Indulgentiam plenariam, quam cras in die Portiunculæ comparare studebo, digneris admittere potius pro expiandis Parentis mei defuncti peccatis, quam pro meis.* Inconvenientia enim in eo consistit, quod absolutionem sui velit transferri defunctis. Hinc merito idem Author *recantavit* in appendice his verbis: *Legisti lector, quid abhinc annos plus quam viginti censuerim de quæstione proposita. Si autem quæras, quid etiam nunc judicem? respondeo, eam responsionem jam non videri mihi tam probabilem, quam antea videbatur, idque ob solam authoritatem contrariam. Siquidem reperio tres Doctores, qui me citato non probant illam doctrinam. Primus est Diana, alter Cotonius; tertius est P. Burghaber. Sane hi triumviri injiciunt non irrationabilem metum, ne illa mea responsio non sit vera.*

QUÆRITUR 45. An Sacerdos habens obligationem celebrandi in Altari privilegiato, satisfaciat cum Numismate, aut Imagine habente Indulgentiam transferibilem in Defunctos?

RESPONDEO. *Negative*. *Ratio* est, quia non est tam certum, concessam esse revera Indulgentiam huic Numismati in individuo, quam eam esse concessam huic Altari. Hinc ob talem incertitudinem quasi generalem circa Numismata, & res similes conferens stipendium præsumitur rationabiliter esse invitus, si Sacerdos non celebret in Altari privilegiato. Aliter respondendum, si certo, & non dubie constaret de alia voluntate dantis stipendium. Responsio est *Bonacinæ*, *Gavanti*, *Cardinalis Lugo*, & aliorum; adeoque ob hanc ipsam authoritatem sententia fit dubia, & eoipso, cùm versetur in materia, ubi agitur de præjudicio tertii, non amplius licita in praxi.

QUÆRITUR 46. Quid notandum circa Altaria privilegiata?

RESPONDEO. NOTANDUM 1. Privilegium Altaris privilegiati ea hebdomada, mense, vel die non currit, quo non implentur conditiones præscriptæ, v. gr. si inguente bello, peste, vel ex alia causa non possunt celebrari tot Missæ, quot pro usu Altaris privilegiati in concessione Pontificia requiruntur, non valet pro ea die, hebdomada &c. Privilegium. Ita declaratum est à S. Congreg. Indulg. 1720. 10. Julii.

NOTANDUM 2. Quando Indulgentiæ unius Ecclesiæ vel Congregationis communicantur alteri Ecclesiæ, non censetur in communicatione comprehensum privilegiatum Altare. Ita declaratum est à S. Congregat. Indulg. 1729. 9. Maji & 25. Martii 1725.

NOTANDUM 3. Quando alicui Ecclesiæ conceditur Altare privilegiatum sub hac formula: *Volentes Ecclesiam N.N. in qua aliud Altare privilegiatum non reperitur erectum, hoc speciali dono illustrare &c.* to *aliud* non excludit aliud Altare privilegiatum diversæ rationis, sed tantum ejusdem rationis. Id colligitur ex paritate cum simili formula circa Indulgentias vivorum; ubi illa clausula: *Volumus autem, ut si aliæ Indulgentiæ Ecclesiæ concessæ fuerint, præsentes nullæ sint*, tantum intelligitur de Indulgentiis ejusdem rationis: prout patet ex declar. S. Congreg. Indulg. 1716. 28. Aprilis. Itaque si Ecclesiæ concessum fuerit Altare privilegiatum pro omnibus fidelibus indiscriminatim, non excluditur, quin possit obtineri aliud pro certo genere Personarum v. g. pro confratribus alicujus confraternitatis, aut pro defunctis alicujus familiæ, sepultis in Capella &c. Attamen si in Ecclesia exstet Altare privilegiatum quotidianum pro omnibus fidelibus defunctis, non poterit obtineri aliud ad aliquam feriam hebdomadæ pariter pro omnibus fidelibus; quia censentur esse ejusdem rationis ex æstimatione Indulgentias concedentium, ùt constat ex praxi constanti Romana, de qua, etiam antiqua, testatur Gobat hic p. 2. c. 26. his verbis: *Abhinc 30. annos legi Rescriptum quoddam Ill. D. Nuntii Viennensis ad Parochum Halensem, in quo hæc verba erant expressa: Possunt in eadem Ecclesia præter unum Altare privilegiatum pro animabus esse plura alia pro anima-*

bus è variis Confraternitatibus defunctorum. Sed, & anno 1650. *fuerunt mihi ex urbe missa tria Brevia pro tribus Altaribus privilegiatis cum hac explicatione: Circa Altare privilegiatum pro omnibus fidelibus clausula illa, simili ad præsens Privilegio condecorata, intelligenda est bene; neque enim præjudicant alia Altaria privilegiata, cum sint pro animabus Confraternitatum &c. prout consideranti patebit, & per hoc excluditur Altare simile pro omnibus, vel Altare simile pro iisdem Confraternitatibus; non vero Altare pro alia Confraternitate. Ita P. Kobler, quotidianus procurator horum, aliorumque Brevium.*

NOTANDUM 4. Si Altare tantum est portatile, cui tantum imponitur imago alicujus Sancti, dubium est, an sufficiat ad hoc, ut serviat pro privilegiato, & ob hanc ipsam dubietatem non potest haberi, ac publicari pro privilegiato. Quod vero valor talis Altaris sit dubius, patet ex eo, quia S. Congregatio noluit tale Altare statim declarare pro privilegiato, ut patet ex responso edito 1715. mense Julio n. 5.

NOTANDUM 5. Quando in concessione Apostolica dicitur, quod tantum *Sacerdotes* alicujus *Ecclesiæ* uti possint privilegiato Altari; per illos Sacerdotes non intelliguntur tantum Canonici, aut Parochi illius Ecclesiæ, aut Convictores, sed etiam alii Ecclesiæ illi deservire soliti, ut Cantores, Organædi, habentes cooperaturam, coadjutoriam, exspectantiam; ac imprimis Beneficiati. Ita colligitur ex responso S. Congregationis dato 1713. mense Septembri n. 3.

NOTANDUM 6. Quando concessum est Altare privilegiatum perpetuum sine clausula expresse restrictiva ad dies *non impeditos* festo duplici, satisfit obligationi celebrandi in eo *Altari* Missam de Requiem, si in eo dicatur Missa de festo duplici. Ita declaratum est ab *Alexandro VII.* his verbis: *Creditæ nobis cælitus dispensationis Officium salubriter exequi satagentes, & quam plurima dubia in diversis mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum deducta occasione decreti ejusdem Congregationis die* 5. *Augusti* 1662. *editi, ac à nobis approbati, de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus tollere, atque dirimere cupientes de memoratorum Cardinalium consilio authoritate Apostolica tenore præsentibus approbamus, inprimis illud Decretum prædictæ Congregationis editum in urbe Novariensi die* 22. *Novembris* 1664. *quo declaratum fuit, Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem, relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus etiam in duplici majori contingentis non comprehendi in dicto Decreto. Ulterius quoad Altaria privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ sint Missæ de Requiem ex obligatione, authoritate, & tenore prædictis declaramus, per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratæ Missæ de Requiem ad formam Privilegiorum, salva tamen semper in præmissis authoritate supradictæ Congregationis &c. Datum Romæ* 22. *Januar.* 1667. Ex hoc Decreto colligitur, tantum iis Missis, quæ ex fundatione testatorum deberent esse *de Requiem*, satisfieri in Altari privilegiato celebrando de duplici, prout colligitur ex hoc termino Decreti: *dictis obligationibus*; minimè vero sequitur, in Altari privilegiato celebrando de duplici satisfieri universim etiam iis Missis, quæ ex voluntate personarum adhuc viventium, ac stipendium pro Missa de Requiem conferentium, celebrandæ sunt de Requiem; Ratio est, quia, cùm quilibet sit rerum suarum moderator & arbiter, poterit determinatè conferre Missæ stipendium pro Missa de Requiem, & non pro Missa de duplici. Hoc modo etiam concordari potest responsum S. Congregationis de anno 1725. 16. Julii, ubi fuit declaratum: *Privilegium in Altari privilegiato perpetuo ad dies non impeditos ante declarationem Alexandri VII. concessum non suffragari universim etiam diebus impeditis festo post illam declarationem.*

NOTANDUM 7. In Altari privilegiato etiam occurrente festo duplici potest legi Missa de duplici pro defunctis cum applicatione Indulgentiæ. Ratio est, quia nunquam à S. Congregatione Rituum, vel Indulgentiarum aliove Decreto fuit prohibitum, legere de duplici in Altari privilegiato cum applicatione Missæ & Collecta pro defunctis; sicque uti Privilegio; sed solum fuit prohibitum, ne in festo duplici dicerentur Missæ privatæ de Requiem. Neque etiam S. Congregatio, quando Altare privilegiatum concedit pro *Missis Defunctorum*, hoc termino intendit restringere Privilegium ad solas *Missas de Requiem*. Aliud enim est *Missa de Requiem*, & aliud *Missa Defunctorum*. Ille terminus est specificus, ac significat ritum determinatum; iste vero terminus *Missa Defunctorum*, est terminus genericus, & nihil aliud significat, quam Missam applicatam pro defunctis, sive dein celebretur sub ritu mortuali, sive de festo. Neque obstat, quod Barbosa v. *Missa Defunctorum*, dicatur afferre declarationem Congregationis Rituum, qua declaratur, per Missam defunctorum intelligi *Missam de Requiem*: nam S. Congregatio non intendit declarare, quod universim, ubicunque in Brevibus Apostolicis occurrit nomen: *Missa Defunctorum*, debeat intelligi *de Requiem*; sed ipsa potius declarat, terminum hunc: *Missa pro Defunctis*, seu *Missa Defunctorum*, habere duas significationes; unam generalem, qualis est in Brevibus Apostolicis, aliam vero strictiorem, ac forte famosiorem, & usutatiorem in communi usu; propterea enim explicandi causa, dum adhibet hunc terminum: *Missa pro Defunctis*, addit, se hunc terminum hic, & nunc accipere *pro Missa de Requiem*. Quod vero illa declaratio Rituum patiatur, & exigat hanc interpretationem, probo ex eo, quia & tenor Decreti hunc sensum admittit, & quia intentio S. Congregationis non erat, Altaria privilegiata reddere in tota Ecclesia inutilia pro festis duplicibus. Tenor Decreti est sequens: *Cum Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. in Visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit, in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas privatas pro Defunctis etiam in festis duplicibus contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani; eundemque abusum Decreto Congregationis eliminari præceperit; innotuerit vero sacrorum Rituum Congregationi, hujusmodi abusum etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus indultum pariter reperiri; sacra eadem Congregatio, ut Missalis Rubricæ inviolatè serventur, districtè præcipit omni-*

omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam sæcularibus, quam Regularibus &c. ut in posterum dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro Defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant. Quodsi ex Benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum Duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum.

NOTANDUM 8. Diruta Ecclesia non perseverare Altare privilegiatum, ut habetur ex Responso S. Congreg. 1712. mense Julio n. 6. & 1732. mense Februario n. 3. Si vero manente eadem Ecclesia in renovatione Ecclesiæ constituantur loco priorum Altarium privilegiatorum nova, non amittitur Privilegium, sed perseverat. Ita responsum est à S. Congreg. 1723. mense Febr. n. 1. & 3.

NOTANDUM 9. Falsum esse, quod Confraternitati S. Rosarii concessum fuerit Altare privilegiatum perpetuum, nulla amplius indigens confirmatione de septennio ad septennium. Ita constat ex Responso S. Congregat. edito 1729. mense Majo n. 2. Hinc vehementer deciperetur populus, si in hac & similibus Confraternitatibus Altare haberetur pro privilegiato, & non peteretur confirmatio Privilegii singulis septenniis; quia in hac materia error populi non tribuit Privilegium Altari.

NOTANDUM 10. Indulgentias Altaris privilegiati, uti & cæteras Indulgentias pro defunctis non suspendi in Jubilæo. Patet ex Declaratione Innocentii X. & Clementis X. quorum sensui censentur etiam inhærere alii Pontifices in Bulla Jubilæi. De priori testatur Gobat p. 2. c. 26. n. 533. his verbis: Non interrumpi (Privilegium Altaris Jubilæo) satis ostendi in Tr. de Jubilæo. Accedit Declaratio Innocentii X. cujus omni exceptione major testis existit Diana; ipse enim à duobus nostris Patribus Romæ visitatus affirmavit iis: S. D. Nostrum bebdomada præcedente in examine Episcoporum se præsente, & audiente interrogatum, quidnam sua Sanctitas velit determinatum de Indulgentiis pro hoc anno Sancto circa defunctos, & in articulo mortis? Respondisse, eas Indulgentias à se non revocatas. Declaratio autem Clementis X. ponetur infra.

QUÆRITUR 47. Quales sint concessæ se invicem salutantibus hac formula: *Laudetur JEsus Christus?* aut dicentibus Litanias de B. V.?

RESPONDEO. Hæ continentur in Bulla Sixti V. & in Notificatione Benedicti XIII. Bulla Sixti V. sic habet: *Quia non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen* JESU, *idcirco omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari, seu latino sermone:* LAUDETUR JESUS CHRISTUS; *& his, qui sic responderint:* IN SÆCULA, *vel:* AMEN. *aut:* SEMPER. *utrisque tam salutantibus, quam respondentibus quinquaginta, ubicunque id factum fuerit. Qui autem nomen* JESU *nominaverint reverenter, vel nomen* MARIÆ, *viginti quinque dies. Qui autem in mortis articulo ore vel corde (si ore non potuerint) idemque nomen invoca-*

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

verint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem nomen Jesu, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem. Quique Litanias ejusdem SS. Nominis recitaverint trecentos; qui Litanias B. V. Mariæ, ducentos, nec non prædicatoribus Verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi seu nominandi nomen Jesu & Mariæ auditores monuerint, & quicunque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, authoritate & tenore præmissis concedimus. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ Nominis Jesu, & B. Mariæ juxta morem, & consuetudinem in Romana Curia, & domo B. V. Mariæ usitatum recitentur, decernentes præsentes litteras nullo unquam tempore per quascunque alias litteras Apostolicas revocari, suspendi, aut limitari, aut illis derogari posse &c. Has Indulgentias, quatenus respiciunt salutationem, pronuntiationem SS. Nominum, & litanias B. V. confirmavit Benedictus XIII. ut patet ex adjecta Notificatione, impressa typis Cameræ Apostolicæ; & ex Bullario. Adverto tamen, in præfata confirmatione allegari, quod Sixtus V. salutantibus & respondentibus concesserit Indulgentiam centum dierum; quod sic intelligendum est, ut quinquaginta dies tribuantur salutanti, & reliqui quinquaginta dies respondenti. Si enim hæc confirmatio non sic explicaretur, allegaret falsum; cum in Bulla Sixti V. salutanti tantum tribuantur 50. dies; non 100. d. & hæc mea observatio propterea est notabilis, quia hucusque ex malo intellectu præfatæ Confirmationis tam in Concionibus, quam in libellis passim fuit publicatum, quod & salutans & respondens, quilibet seorsim, habeat Indulgentiam centum dierum.

Indulgentiæ,

Pro se invicem salutantibus dicendo: LAUDETUR JESUS CHRISTUS, *& respondentibus* AMEN, *& pro invocantibus* SS. *Nomen* JESUS, ET MARIÆ, *aut Litanias* B. V. MARIÆ, *recitantibus.*

Alias San. me. Sixtus V. Bulla, quæ incipit: Redditure, edita die 11. *Julii anno* 1587. *Universis Christi fidelibus, qui se invicem salutantibus dixerint:* SIA LODATO GIESU CHRISTO, & *respondentibus: Amen, aut in sæcula, sive Italico, sive Latino, vel quocunque alio idiomate id expresserint, quoties id egerint, Indulgentiam centum dierum, & illis, qui Sanctissimum Nomen Jesus, aut Mariæ devote invocaverint, Indulgentiam viginti quinque dierum concessit. Iis verò, qui præfata agere consueverint, si in articulo mortis constituti, & ore, vel si non potuerint, saltem corde Sanctissimum Nomen Jesus & Mariæ invocaverint, insuper plenariam Indulgentiam adjecit.*

Easdem Indulgentias tribuit Prædicatoribus, qui inter prædicandum Auditores hortati fuerint, ut modo supra exposito Sanctissimum Nomen JEsus, laudantes sese invicem salutent, & idem Nomen Jesus & Mariæ devote invocent, cæterisque omnibus, qui hanc salutationis formam usui esse curaverint. Reci-

tantibus tandem Litanias B. V. Mariæ bis centum dies Indulgentiæ dedit.

Cum autem Sanctissimo D. N. Benedicto Papæ XIII. humillime supplicatum fuerit, ut omnes & singulas Indulgentias supra memoratas confirmare dignaretur, Sanctitas Sua audito voto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, hujusmodi precibus benigne annuens easdem Indulgentias Apostolica Authoritate confirmavit. Datum die 22. Januarii 1728.

L. Card. Picus,
Præfectus.

Loco † Sigilli.
Raphael Cosmus de Hieronymis,
Secretarius.

QUÆRITUR 48. Quid notandum circa Indulgentias, & preces confraternitatum?

RESPONDEO. Qui inscribitur confraternitati, non tenetur quidem sub peccato observare præscriptas leges, & recitare constitutas confraternitatis preces, si tamen easdem non persolvat, aut servet, pro eo die, hebdomada, mense, vel anno, quibus eas negligit, non lucratur Indulgentias confraternitatis. Ratio est, quia eadem videtur in aliis confraternitatibus esse intentio, suscipientium & ingredientium, vel Episcoporum, ac Papæ Statuta confraternitatis confirmantium, quæ est in confraternitate Rosarii; in ista tamen non datur obligatio sub peccato ad Statuta, prout testatur *Navarrus* l. cc. Miscell. 8. his verbis: *Tertium statutum (confraternitatis Rosarii) continet, quod nullatenus peccent prædicti confratres non dicendo illa præfata Psalteria per negligentiam, occupationem, vel oblivionem; sed solum perdant participationem omnium bonorum, quæ fiunt à Confratribus in toto orbe Christiano pro hebdomadis, quibus recitare omiserint; quod quidem provide factum est, ad tollendos scrupulos, quibus multi omittentium, qui hoc ignorant, anguntur; imo eorum aliqui peccant contra legem eorum conscientiæ, eoquod credant se peccare, quod ipsum videtur dicendum de confratribus non implentibus Statutum 7. & 8. de interessendo certis Missis defunctorum &c.* Ita Navarrus l. cc. & Miscell. 14. ubi docet, eum confratrem, non lucrari Indulgentias confraternitatis, qui facit Rosarium recitari per alium. Confirmatur à paritate, cum Indulgentiis Defunctorum in Altari privilegiato, quas S. Congregatio Indulgentiarum, ut supra dictum est, declaravit non sortiri effectum tantum eo mense, vel ea hebdomada, quibus non implentur præscriptæ conditiones.

NOTANDUM I. Indulgentiam in articulo mortis non prodesse iis confratribus, qui non habent serium animum implendi Statuta confraternitatis. Hanc esse intentionem Summorum Pontificum, patet ex communi sensu Doctorum, in quibus, & in Summo Pontifice principia directiva prudentiæ, & intentionum utique sunt unisona, cum fundentur in eodem lumine rationis, & in prudentia œconomica Ecclesiastica. De sensu autem communi Doctorum testatur *Gobat* hic c. 35. his verbis: Q. *An Indulgentiam pro articulo mortis acquirere possint, qui Albo Congregationis Annuntiatæ expuncti sunt ob mores discolos, aut qui sponte et nuntium miserunt? Eadem quæstio movetur de confratribus Rosarii, Scapularis, &c. Ratio dubitandi est, quia Gregorius XIII. dicit, se impertiri hanc Indulgentiam omnibus,* QUI IN PRÆDICTAM CONGREGATIONEM RECIPIENTUR. *Ex altera parte videtur dicendum, hunc favorem tantum iis reservari, qui tanquam legitima & actualia Congregationis membra moriuntur. Nam pro uno actu solo* qualis est sola inscriptio in Confraternitatem) *non solent dari plures indulgentiæ; ergo, cùm pro ingressu detur plenaria, non datur simul pro eodem Indulgentia in articulo mortis. --- Dein Eugenius IV. & Innocentius VIII. in Bullis datis* 1430. *pro Monachis Vallisoletanis, &* 1493. *pro Eremitis S. Augustini; ubi concedunt illis Religiosis Indulgentiam plenariam pro articulo mortis, addunt expresse hanc clausulam: Quamdiu sub Regulari observantia fuerint. Hæ rationes mihi persuadent, ad propositam quæstionem esse respondendum negativè. Et ita etiam respondendum censuerunt Docti, sapientesque Patres è Societate Jesu nostra à me consulti; quamvis Navarrus de Orat. Miscell.* 30. *loquens in specie de indulgentia in articulo mortis promissa Confratribus Rosarii dicat, ejus fieri compotes omnes, qui illi Congregationi inscripti sunt cum vera voluntate implendi omnia Statuta.* Hucusque Gobat. Itaque sensui communi non est conforme, eos lucrari Indulgentiam in articulo mortis, qui in ingressu non habuerunt serium animum servandi Statuta, & in eo animo saltem habitualiter perseverent. Quia tamen in mea, & communiori sententia Indulgentiæ sunt divisibiles, sperari potest, eos, qui adhibuerunt saltem aliquam diligentiam in servandis Statutis, lucraturos in articulo mortis partem Indulgentiæ proportionalem suæ dispositioni.

QUÆRITUR 49. Qua hora diei Indulgentiæ incipiant, aut desinant?

RESPONDEO I. Quando conceditur Indulgentia plenaria à primis Vesperis usque ad occasum solis in die festo, incipiunt ea hora, qua in loco Indulgentiæ, aut in vicinia solent inchoari Vesperæ primæ; finiunturque ea hora, qua ibi locorum sol subire solet Horizontem, ut spectatus in plano, aut in vicinis apicibus montium. Ratio est, quia, ut supra instar axiomatis positum est, conditiones requisitæ in Bullis Indulgentialibus intelligendæ sunt juxta morem, ac consuetudinem loci, pro quo Indulgentiæ conceduntur. Itaque & primæ Vesperæ intelligendæ sunt juxta morem loci, aut viciniæ; & occasus solis intelligendus utiliter relatè ad totum ambitum viciniæ, intra quam etiam comprehenduntur apices vicinorum montium. Si enim intelligeretur occasus solis alio modo ex suppositione planitiei, opus esset peritia astronomica, quam non requirunt Pontifices ad intelligendas suas Bullas; aut in nonnullis Ecclesiis; quæ sitæ sunt ad radices montium, ubi tota hyeme sol non fit spectabilis, ut fieri dicitur in celebri Monasterio Stams in Tyroli, cessaret indulgentiarum usus.

2. Quando conceditur Indulgentia plenaria pro aliquo die festo, aut feriali, non exprimendo primas Vesperas, videtur, saltem circa Indulgentias à ducentis annis concedi solitas, eam incipere à medio noctis, & durare usque ad medium

dium noctis, non autem à primis Vesperis. Ratio est, quia illud discrimen, quod in nonnullis Bullis Indulgentiarum, initium statuatur à primis Vesperis, in aliis autem Bullis id non exprimatur; minimè censeri debet otiosum & vacuum ratione; adeoque eum hujusmodi Bullæ destinato consilio quoad determinandum Indulgentiarum initium diversæ sint, etiam operentur earundem initium diversum, & cum stylo Ecclesiastico per analogiam cum aliis rebus Ecclesiasticis, puta Festis, Horis Canonicis, Missis, jejuniis conforme sit tempus à medio noctis usque ad medium sequentis, pronum est, etiam Pontificem ad hoc tempus quoad indulgentias respexisse. Confirmatur ex eo, quia anno 1700. Em. Vicarius Generalis Romæ declaravit, Basilicas Romanas visitari debere à medio noctis, ùt infra dicetur. Vide infra Declarationem SS. D. N. *Benedicti XIV.* qui utrumlibet modum in Jubilæo concessit n. 6.

QUÆRITUR 50. Quid notandum circa revocationem Indulgentiarum?

RESPONDEO 1. Omnes Indulgentiæ *Quæstuariæ*, videlicet illæ, quæ fuerunt concessæ sub *conditione porrigendi manus adjutrices*, seu dandi Eleemosynam ad fabricam Ecclesiæ, aliudve opus pium, fuerunt revocatæ à *S. Pio V.* Revocationis Bulla habetur in mea historia indulgentiarum p. 2. f. 1. 2. Ibidem habetur revocatio aliarum variarum indulgentiarum. 3. Quando in una eademque Bulla continentur duo diversa indulgentiarum genera, quarum aliquæ sunt quæstuariæ, aliæ autem non sunt quæstuariæ; non censentur posteriores revocatæ. Quia utile per inutile vitiari non debet. Exemplum talium habetur p. 1. f. ult. Indulgentiis. Resolutio patet ex Responso S. Congregationis dato 1715. mense Januario n. 2. ubi talis Indulgentia agnoscitur pro valida.

NOTANDUM 4. Indulgentiæ concessæ à Concilio Basileensi, & Felice V. sic in sua obedientia dicto, vel ab eorundem delegatis non sunt revocatæ, sed potius confirmatæ a *Nicolao V.* per Bullam: *Ut pacis.* datam 1449. 14. Kal. Julii: ubi expresse dicit, se pacis studio confirmare omnes indulgentias à Concilio Basileensi, Felice V. eorumque delegatis, concessis.

NOTANDUM 5. Indulgentiæ concessæ per vivæ vocis oraculum ante *Gregorium XV.* & *Urbanum VIII.* probabilius comprehenduntur sub revocatione *omnium Indultorum ac Privilegiorum* emanatorum per vivæ vocis oracula ab his Pontificibus facta. Ratio est, quia etiam Indulgentiæ proprie sunt aliquod Indultum; & quia eadem certè, si non major ratio erat revocandi hujusmodi Indulgentias; cùm manifestum sit, ex allegationibus talium vivæ vocis oraculorum in œconomia Indulgentiali nasci ingentem confusionem.

CONFIRMATUR responsio ex eo, quia S. Congregatio non statim confirmat tales indulgentias vivæ vocis oraculo concessas, nec eas de novo concedit, imo si de novo concederet, agnosceret abrogatas, ùt patet ex Responso dato 1715. mense Januario n. 2. ubi supplicatum fuit, pro nova talis Indulgentiæ concessione, adeoque eoipso ex parte Oratorum de earum valore dubitatum. Anno 1718. mense Febr. n. 4. fuit absolutè denegata Confirmatio Indulgentiæ cujusdam, quæ ex aliquo Scriptore probabatur concessa vivæ vocis oraculo. Similis denegatio facta 1719. mense Aprili n. 3. & 1722. mense Augusto n. 5. & dilatio facta usque ad productionem documentorum 1726. 11. Martii. Itaque hujusmodi Indulgentiarum valor est ad minimum dubius; & ob hanc ipsam dubietatem non amplius promulgare eas licet per Decretum *de Indulgentiis dubiis.* Ut autem revocationis Tenor sciatur; appono ipsos terminos Urbani VIII. Constit. 121. T. 4. Bullarii sic habet: *Urbanus VIII. &c. alias f. r. Gregorius XV. ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus & abusibus ex Privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris sequentis: -- ROMANUS PONTIFEX &c. Cùm autem experientia rerum Magistra compertum sit, concessiones & gratias vivæ vocis oraculo etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in Disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; idcirco his, & NB. aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia omnia & singula Privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque per Summos Pontifices, Prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis Oraculo, & S. R. E. Cardinalium quorumcunque manu firmata quibuscunque Generalibus, Superioribus, & Personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatibus sive Sæcularibus, sive Regularibus, sive ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Jesu, aut ejus Clericis, vel Presbyteris, aliisque Personis prædictis quacunque de causa &c. illorum tenores præsentibus pro expressis habentes revocamus &c. — etiamsi pro illorum derogatione de illis expressa mentio habenda foret &c. Romæ* 30. *Decemb.* 1631.

NOTANDUM 6. Quando in Bulla Indulgentiali habetur hæc clausula, ut nunquam possit revocari, nisi in Bulla revocatoria fiat expressa mentio omnium articulorum, quibus hæ Indulgentiæ constant, non censebitur revocata per revocationem generalem, v. g. his verbis: *Revocamus qualescunque indulgentias à nobis vel nostris Prædecessoribus nostris concessas;* sed ad ejus revocationem requiritur, & sufficit, sin in Bulla revocatoria habeantur ista vel similia verba: *Revocamus omnes Indulgentias, etiam illas, quarum de verbo ad verbum oporteret facere expressam mentionem.* Ita communis. Palao credit sufficere hanc in posteriore casu formulam: *Revocamus indulgentias omnes sub quacunque forma concessas.* Censeo inspiciendam esse Pontificis intentionem & motiva, si iste fuerint ita generalia, ut merito timeatur, eum in Bulla revocatoria voluisse respicere etiam ad Indulgentias alioquin exceptas, eoipso tales Indulgentiæ habendæ sunt pro revocatis, aut certe pro dubiis; adeoque non sunt amplius promulgandæ ob Decretum de Indulgentiis dubiis non promulgandis.

NOTANDUM 7. Eodem modo discurrendum esse de Indulgentiis concessis pro articulo mortis, & pro defunctis. Quamvis enim varii Autho-

Authores à Gobat relati censeant, indulgentias pro articulo mortis, & pro defunctis non revocari per clausulam hanc vel similem: *Revocamus omnes indulgentias, quibuscunque Ordinibus ac Personis Regularibus, aut sæcularibus quovis modo concessas, confirmatas, innovatas*, censeo tamen, inspiciendam esse mentem Summi Pontificis, & de illa sumendam conjecturam ex circumstantiis, sic v. g. si Pontifex in Bulla revocatoria concederet alias Indulgentias pro articulo mortis, prout factum est in Bulla revocatoria *Pauli V.* vel si concederet alias pro defunctis, non dubitarem revocatas esse priores indulgentias pro articulo mortis, & pro defunctis. Idem dicendum circa Altaria privilegiata. Universim etiam locum habet in hac materia illa Regula Criticæ de interpretatione: *Propositio universalis* (v. gr. revocatoria) *eam habet universalitatem, ad quam promam erat loquenti respicere*, consideratis ejus scopo & motivis.

QUÆRITUR 51. An & quomodo in materia Indulgentiarum locum habeat probabilitas?

RESPONDEO 1. Qui prætermittit aliquam conditionem, modum, vel partem operis præscripti, quam juxta opinionem probabilem, aut etiam probabiliorem credebat non esse necessariam, non lucratur indulgentiam, si illa conditio, modus, aut pars operis præscripti revera fuit requisita in mente concedentis. Ita communis. Ratio est, quia opinio probabilis, aut etiam probabilior non potest facere, ut actualiter concessum fuerit, quod actu concessum non est; quod tamen ad valorem Indulgentiarum, quæ se habent per modum absolutionis, absolutè requiritur, cùm ad absolutionem validam non sufficiat voluntas absolvendi præsumpta, sed requiratur actualis. NEC OBSTAT, quod Sacerdos errore communi cum titulo colorato habitus pro vero Parocho validè absolvat, quia jurisdictio suppleri potest per voluntatem præsumptam; voluntas autem absolvendi non potest suppleri per voluntatem præsumptam. Nec obstat rursus, quod Tannerus, teste Gobat n. 712. asseruerit, se audivisse ex ore viri dignissimi, *Urbanum VIII.* aliquando interrogatum generatim de interpretatione verborum indulgentias proponentium respondisse: *Suam, Sedisque Apostolicæ mentem hanc esse, ac voluntatem, ut eæ valeant illo modo, quo prudentes, pii, doctique Theologi existiment valere.* Quia sicut non decet, voluntatem testatoris valere, qui vult relinquere confectionem testamenti voluntati alienæ; ita non decet, ut Pontifex relinquat valorem indulgentiarum, ac respectivè concessionem ad hanc, vel illam circumstantiam variæ semper opinioni Theologorum, adeoque sensus prudenter intendibilis responsi Pontificii solum potest esse hic, quod *Urbanus VIII.* dicat, suam & Summorum Pontificum actualem voluntatem saltem implicitam ex legibus prudentiæ œconomicæ respicere ad easdem conditiones, modum, ac circumstantias, tanquam requisita essentialia; ad quas plerique Theologi idonei censuerint fuisse à Pontifice respiciendum voluntate legali, id enim, ùt sæpius dictum est, Pontifex voluit, quod voluntate legali *juxta rationem melioris* debuit velle, cujus voluntatis signum est judicium prudentum, Theologorum videlicet idoneorum saltem à potiori in unam sententiam conspirantium.

RESPONDEO 2. Non licet promulgare Indulgentias dubias, etiamsi probabiles, aut etiam probabiliores. Quia Ecclesia non habet *rationem sufficientem*, aut necessitatem proponendi populo Indulgentias dubias, ubi labor ex parte fidelium esset certus, & fructus incertus; maxime hoc tempore, quo est tanta Indulgentiarum certarum copia. Nec obstat, quod Ecclesia in aliis materiis, v. g. cultu Reliquiarum, aliisque actibus Religionis publicis sequatur probabilitatem; quia ibi datur idem fructus, ac meritum etiam in suppositione falsa, ac vera; cùm cultus v. g. sit relativus ad Deum idem, etiamsi Reliquia sit falsa.

RESPONDEO 3. Quando Indulgentia, quæ habebatur pro certa, incipit fieri dubia, datur obligatio, apud S. Congregationem requirendi certam loco dubiæ, aut abstinendi ab ulteriori promulgatione. Quia non decet populum sollicitare ad lucrandas indulgentias dubias, ne quidem si moneatur de dubietate; cùm id Religioni sit parum honorificum, & obstat Decretum, de non promulgandis Indulgentiis dubiis, quod Decretum, cùm sit favorabile honestati publicæ nostræ Religionis, debet esse amplæ interpretationis, adeoque extendendum ad Indulgentias dubias omnes, etiam eas, quæ sunt in actuali possessione. Neque obstat, quod sit favorabilior causa possidentis; quia id verum est, quando ex parte possidentis agitur de damno vitando; non verò, quando agitur de lucro captando, & quidem cum dedecore ac damno boni, aut honoris publici.

RESPONDEO 4. Privatim tamen cuivis licet habere intentionem, ac conatum etiam lucrandi indulgentias dubias; quia nec id jure prohibetur, nec cedit in cujusquam præjudicium.

QUÆRITUR 52. Quid notandum de Indulgentiis viæ crucis?

RESPONDEO. Indulgentias has reperiri Jerosolymis variis in locis, seu stationibus, quæ vocantur *Via Crucis*. Earum nonnullæ concessæ dicuntur à *S. Sylvestro* Papa tempore Constantini Magni, & S. Helenæ; prout etiam aliquæ dicebantur concessæ Basilicæ Lateranensi, de quibus actum est p. 1. S. 1. §. 46. & p. 1. S. 8. *Innocentius XI.* anno 1686. 5. Sept. & *Innocentius XII.* anno 1695. 17. Kal. Jan. per litteras Apostolicas concesserunt indulgentias, quæ reperiuntur *in locis, & Ecclesiis Terræ Sanctæ*, subjectis Ordini Fratrum Minorum S. Francisci, communicari aliis Ecclesiis ejusdem Ordinis per totum orbem pro Religiosis Ordinis; & *Innocentius XII.* in iisdem litteris declaravit, in ea communicatione Indulgentiarum specialiter comprehendi *pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii ad recolendam, seu meditandam Passionem Christi.* Anno 1726. V. Nonas Martias *Benedictus XIII.* non solum Indulgentias locorum Terræ Sanctæ confirmavit, sed easdem etiam extendit ad omnes fideles, qui in Ecclesiis Fratrum Minorum exercitium *Viæ Crucis* obirent. *Clemens XII.* 1731. concessit, ut fideles easdem Indulgentias consequerentur, si *exercitium Viæ Crucis* obirent etiam extra Ecclesias Fratrum Minorum in locis

non

non dependentibus ab Ordine, dummodo erigeretur *Via Crucis* à Religiosis deputatis præfati Ordinis. Itaque ad intelligendas has Indulgentias requiritur 1. *ut sciamus, quale sit exercitium Viæ Crucis?* 2. *quales sint stationes*, quæ comprehenduntur in Via Crucis? 3. *quales sint Indulgentiæ* cuivis Stationi concessæ? *Ad primum* dico, quod *exercitium Viæ Crucis* consistat in devota contemplatione Passionis Dominicæ coram pictis tabellis, in quibus exhibetur tota Passionis series, ita explicat eum terminum *Benedictus XIII.* in sua Bulla his verbis: *Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum petitionem exhibendam nobis curavit, qua continebatur, Fratres ejusdem Ordinis pium exercitium*, VIÆ CRUCIS, *appellatum, quo tota Dominicæ Passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures Stationes distributa, eo modo, quo peregrini Civitatis Sanctæ Jerusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes, & frequentantes invisunt, contemplanda proponeretur, in varias Provincias intulisse &c.* *Ad secundum* dico, Stationes Passionis Dominicæ, quæ Jerosolymis habent indulgentias, describi à Patre *Angelico Müller*, Ordinis Servorum Mariæ Definitore, qui eadem loca propriis oculis lustravit, & in libro, cui titulus: *Peregrinus in Jerusalem*, hoc modo descripsit, ac enumeravit. 1. Ubi Christus sudavit sanguinem indulgentia plenaria. 2. Ubi Christus ad Apostoloa dixit: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* I. 7. annorum. 3. Ubi Christus fuit comprehensus Indulg. plen. 4. Apud torrentem Cedron, nbi Christus lapidi impressisse dicitur vestigia. Indulg. plen. 5. Ubi Christus in domo Annæ Pontificis fuit examinatus, & à servo percussus. Indulg. plen. 6. Ubi Christus in domo Caiphæ à Concilio fuit condemnatus. 7. In domo Pilati Indulg. plen. 8. In Palatio Herodis Indulg. plen. 9. Ad columnam, ubi Christus fuit flagellatus. Indulg. plen. 10. Ubi Christus in purpura illusus. Indulg. 7. ann. 11. Ubi Christus populo productus, & à Pilato dictum: *Ecce homo.* Indulg. plen. 12. Ubi B. V. occurrendo Christo bajulanti Crucem traditur passa deliquium. Indul. plen. 13. ubi Christus traditur sub onere crucis cecidisse, & Crux Simoni Cyrenæo imposita. Indulg. plen. 14. Ubi creditur à Christo impressam fuisse faciem Sindoni Veronicæ. Indulg. plen. 15. Ubi Matronæ Jerosolymitanæ plorantes occurrerunt Christo. Indulg. plen. 16. Ubi Christus creditur fuisse incarceratus. Indulg. plen. 17. Ubi milites diviserunt vestimentum Christi. Indulg. 7. annorum. 18. Ubi crux fuit collocata. Indulg. plenar. 19. Ubi Corpus Christi creditur fuisse aromatibus conditum. Indulg. plen. 20. Ubi Corpus Christi fuit sepultum. Indulg. plen. Si ab his 20. stationibus detrahantur quinque, videlicet 4. 12. 14. 16. 19. quæ in Scriptura & Documentis scriptis primorum temporum non sunt fundatæ, remanebunt quindecim Stationes omni veneratione dignæ.

Alio ordine stationes Jerosolymitanas describit *P. Conradus Hietling* Ord. S. Francisci, olim Guardianus Betlehemiticus, adeoque & ipse testis idoneus l. 2. manduct. 1. sic habet: Procedamus ad Mysteriorum considerationem, prout defacto per Processiones quotidianas post completorium per hymnorum Cantum, & thurificationes devotè obitur. *Prima statio* fit in Capella B. V. ubi fertur, Christum post resurrectionem apparuisse primo Matri suæ. *Secunda statio* est in hoc ipsa Capella, ubi Columna flagellationis veneratur. *Tertia statio.* Ad servandum ordinem Processionis transitur pro nunc ad Mysterium, ubi Christus apparuit Magdalenæ, quod in reditu habet suam stationem, & aditur Carcer Christi dictus, qui est ad latus manus sinistræ Ecclesiæ Majoris. Dicitur autem carcer Christi, quia inibi, ut traditur, aliquamdiu detentus fuit, antequam omnia parata essent ad eum crucifigendum super montem calvariæ. *Quarta statio.* Retro ipsam Ecclesiam dictam (Resurrectionis) ex adverso est Capella divisionis vestimentorum Christi, hic fit statio. Huic loco vicina scala est, & descensus per 50. circiter gradus ad locum inventionis S. Crucis. *Hic fit statio quinta. Statio sexta.* Per aliquot gradus ascendendo à loco inventionis S. Crucis ad dexteram Capella S. Helenæ invisitur. *Statio septima.* Capella improperiorum Christi supra scalam ad lævam versus montem Calvariæ, seu Capella Coronationis, ubi memoria Coronationis reflectitur, vel ut alii volunt, hic acetum felle mixtum præparatum fuit. Tandem ascenditur mons Calvariæ. Præsentes fuere crucifixioni B. V. & S. Joannes, locus utriusque, ubi steterunt indicatur marmoreo signali. *Octava statio.* Prius Christus in pavimento fuit inclavatus cruci, antequam cum cruce erigeretur. Mysterium hujus inclavationis, seu crucifixionis ad dexteram conscenso Calvariæ monte concinnatis ex petris artificiosis figuris repræsentatur. *Statio nona.* In loco crucis plautatæ Capella dolorosæ Virginis adjacet monti Calvariæ. Hoc in loco Passionem & mortem filii sui videns defecit viribus. Statio hic non fit. *Statio decima* ad petram unctionis, quæ est elatum marmor album. *Statio undecima* in Sanctissimo Sepulchro. *Statio duodecima.* ubi Christus apparuit Magdalenæ.

Adrichomius viam crucis n. 118. hoc modo describit: Christus incipiens à Palatio Pilati per 26. gressus processit ad locum, ubi crux ei imposita est; (1) Unde crucem bajulans per 80. gradus progressus est ad locum, ubi primo cum cruce cecidisse traditur. (2) Inde statim per sexaginta gressus ad locum cum B. Maria, cum Joanne filio suo occurrit. (3) Hinc autem per septuaginta unum pedem, & sesquipedem ad quoddam trivium, ubi Simon Cyrenæus crucem post Jesum portare coactus est. (4) Isthinc per centum nonaginta unum gressus & semipedem ad locum, ubi ipsi Veronica occurrit. (5) Atque illinc per trecentos triginta sex gressus & duos pedes ad portam judiciariam, ubi rursum cum cruce lapsus est. (6) Deinde ardua, saxosa, atque paulatim ascendente via versus septentrionem processit per trecentos quadraginta octo gressus & duos pedes ad bivium quoddam, ubi mulieres plorantes allocutus est. (7) Ac isthinc continuo per centum sexaginta unum gressus & sesquipedem ad pedem seu radicem Montis Calvariæ, ubi ultimo cecidit. (8) Deinde ulterius per octodecim gressus ad locum, ubi carnifices ipsi vestes extraxerunt, ubi & vino myrrhato,

rhato, fele mixto potatus eſt. (9) Dehinc per duodecim greſſus ad locum, ubi clavis cruci affixus eſt. (10) Inde poſtremo per quatuordecim greſſus ad locum, ubi de cruce pendens in foramine rupis Calvariæ fixus eſt, (11) A Palatio itaque Pilati, usque ad locum, ubi crux rupi infixa fuit, ſunt greſſus mille trecenti viginti & unus, ſive pedes ter mille, trecenti & tres.

Hæc linea eſt quarta pars pedis, quo uſus eſt author, in cujus menſura cuivis greſſui duo pedes cum dimidio. Idem author deſignat alium, ubi B. V. ſtetit cum mulieribus ſpectans cruſixum, diſtans 18. ulnis à cruce. (12) Et ubi milites diviſerunt veſtimentum. (13) Et ubi in ſinum B. V. Corpus Chriſti traditum. (14) Et locum ſepulchri. (15)

Ad tertium dico, à S. Congregatione prohibitum fuiſſe, ſingulis Stationibus adſcribere determinatas Indulgentias; adeoque etiam non licebit mihi eas deſignare, vel determinare. Videri etiam poteſt reſponſum S. Congreg. Indulg. 1710. menſe Nov. n. 1. Pro majori notitia addo Bullam Innocentii XXII. & Benedicti XIII. & Encyclicam A. R. P. Provincialis in Bavaria. Cæterum ſi quæ occurrant dubia tam circa exercitium viæ Crucis, quam circa Stationes & Indulgentias v. g. cur *Benedictus exercitium viæ crucis* definiſt eſſe illud, quo NB. TOTA PASSIONIS SERIES repræſentatur, cum tamen in via crucis tantum repræſentetur *pars* Paſſionis? cur *P. Müllerus* pro lapſu Chriſti, & ſubſtitutione Cyrenæi ponat unam Stationem & Indulgentiam, alii duas? &c. &c. non eſt meum ejusmodi controverſias examinare. Bulla *Innocentii XII.* ſic habet:

I.

INNOCENTIUS XII. *&c. ſua nobis F. Diaz. Ord. FF. Minorum Familiæ Ultramontanæ Procurator petitione monſtravit, quod a f. r. Innocentio XI. litteræ* 5. *Sept.* 1686. *emanarint, in quibus confirmata reperitur communicatio Privilegiorum, & Indulgentiarum etiam plenariarum, uſque tunc non revocatarum inter Eccleſias, Loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & Perſonas utriusque ſexus, Obedientiæ vel Directioni Miniſtri Generalis Fratrum Minorum ſubjectas, à pluribus Romanis Pontificibus eisdem per diverſa loca conceſſa; à qua communicatione, prout iteratis vivibus à Sede Apoſtolica extitit declaratum, reſultare dignoſcitur, quod, quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Eccleſia, aut una confraternitas, ſeu quævis Congregatio, Ordove aliquarum è dictis Perſonis, aliqua Indulgentia, ſive plenaria, ſive non, applicabili per modum ſuffragii, ſive non applicabili pro animabus Purgatorii; ad favorem earundem tantum perſonarum, vel omnium ſimul Chriſti fidelium conceſſa; minime tamen revocata, qui in eo loco, Altari, vel Eccleſia Confraternitatum in diebus in conceſſione expreſſis perfecerint, quod per eandem conceſſionem fuerit præſcriptum; in omni Loco, Altari, vel Eccleſia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & Perſonarum præfatarum eadem Indulgentia ab omnibus reſpective acquiratur, qui eisdem diebus easdem emiſerint diligentias, in conceſſione taxatas. Verum ſicut eadem petitio ſubjungebat, prætendentibus nonnullis ſcrupuloſis, quod in præfata generali communicatione comprehenſa non veniant NB. Loca, & Eccleſiæ Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis, exiſtentium extra Jeruſalem; ad tollenda de medio quæcunque dubia, fuit nobis pro parte præfati Ordinis humiliter ſupplicatum, quatenus declarare dignaremur, non eſſe excluſa præmemorata Loca in ea Generalitate, ſub qua loquuntur conſtitutiones Pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut Indulgentiæ dictæ eisdem conceſſæ, & uſque modo non revocatæ, obtineri valeant ſine ullo dubio in aliis Eccleſiis, Altaribus, & Locis piis, ac devotis ſpectantibus ad Perſonas præmemoratæ Obedientiæ vel Directioni ſubjectas, ſtante, quod Sanctæ Sedis mens fuit ſemper, hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalens, quod dictæ perſonæ in Dei, ac Sanctæ Eccleſiæ ſervitio peragunt.*

Nos verò præfatam declarationem commiſimus Congregationi Concilii, quæ 16. Julii currentis anni declaravit, prædicta Loca, & Eccleſias Terræ ſanctæ, aliarumque partium Orientis extra Jeruſalem eſſe comprehenſa, ſive comprehenſas in dictis Privilegiis, Indultis; & Indulgentiis; & deinde ſub die 27. ejusdem menſis ſententiam prædictæ Congregationis approbavimus. Sed quia adhuc dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit ſtabilire, quod pia loca VIÆ CRUCIS *ſeu Calvarii ad recolendam, ſeu meditandam Chriſti Paſſionem à præmemoratis Perſonis ſeu Ordinibus ad inſtar Stationum Calvarii montis, juxta diverſa etiam Privilegia Sedis Apoſtolicæ erecta, comprehenſa ſint in præfata mutua communicatione; eadem Congregatio ſub die* 12. *Nov. mox elapſi declaravit, NB. etiam præfata pia loca* VIÆ CRUCIS *ſeu Calvariæ comprehendi in ſæpe dictis Litteris dicti Innocentii XI. ac proinde frui, & gaudere poſſe Indulgentiis, & Privilegiis in eisdem litteris contentis, & expreſſis; ac nos ſententiam præmemoratæ Congregationis ſub die* 15. *ejusdem Menſis Novembris approbavimus. &c.* Datum *Romæ* 1605. 17. *Kal. Januarii.* Sequitur jam Bulla Benedicti XIII.

II.

BENEDICTUS XIII. *&c. inter plurima ſigna Bonitatis divinæ flammam charitatem declarat Paſſionis Dominicæ Sacramentum. Ea propter Fr. Joſephus Maria ab Ebora Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum B. Franciſci, qui de obſervantia nuncupantur, petitionem nobis exhibendam curavit, qua continebatur, Fratres ejusdem Ordinis pium exercitium,* VIÆ CRUCIS *appellatum, quo* TOTA PASSIONIS SERIES *pictis tabulis, ubi commode fieri poſſet, expreſſa, & in plures Stationes diſtributa, eo modo, quo peregrini Civitatis Jeruſalem Loca ipſa, ubi Chriſtus paſſus eſt, recolentes & frequentantes inviſunt, contemplanda proponeretur, in varias Chriſtianorum Provincias magno animarum fructu intuliſſe, ac Innocentium XII. ejusmodi exercitium largitione cæleſtium munerum* 1692. *per litteras Apoſtolicas incipientes:* AD EA, *promoviſſe, ubi inter alia omnibus Fratribus & Monialibus, atque aliis utriusque ſexus perſonis Ordinum & Congregationum, Obedientiæ ſeu directioni Miniſtri Generalis Fratrum Minorum de Obſervantia ſubjectis, Chriſtique fidelibus,*

bus, Confratribus, & Consororibus quarumcunque Confraternitatum, & Societatum, sive sub Titulo B. M. Virginis immaculatæ, sive sub alia qualibet invocatione in eorundem Fratrum & Monialium Ecclesiis Canonice erectarum, sive erigendarum, orationi mentali, quæ dicitur VIÆ CRUCIS EXERCITIUM, quo ratione suæ Regulæ, & constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, perque totum mensem Orationi & exercitio hujusmodi vacantibus, dummodo vere pœnitentes & peccata sua confessi, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, proque c. p. c. h. e. ac S. M. E. e. pias AD DEUM preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum Indulgentiam, quam per modum suffragii animabus Purgatorii applicare possent, concessit. Postmodum dictus Innocentius per alias litteras incipientes: SUA NOBIS 1695. declaraverat, pia loca VIÆ CRUCIS seu Calvarii ad recolendam & meditandam Christi Passionem à prædictis Fratribus, & Monialibus, aliisve personis ad instar Stationum Calvarii Montis erecta, atque instituta in Privilegiorum atque Indulgentiarum plenariarum nondum revocatarum generali mutua & reciproca communicatione per Apostolicam Sedem concessa, & Litteris Innocentii XI. 5. Sept. 1681. comprehendi, ideoque frui & gaudere Indulgentiis in iisdem Litteris Innocentii XI. expressis. Cum autem sicut eadem petitio F. Josephi de Ebora subjungebat, prædictum EXERCITIUM VIÆ CRUCIS in omnibus ferme Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia diebus festis tam pio operi adsignatis Religiose peragatur à quam plurimis Christi fidelibus Ministro Generali nequaquam subjectis extra Ordinem quoque illuc accedentibus, idcirco iidem Fratres Indulgentias, & Privilegia etiam per viam communicationis, ut præfertur, concessa, & utriusque Innocentii litteras memoratas confirmari cupiant, & Indulgentias & Privilegia eadem quascunque fideles Ministro Generali non subjectos extendi, & ampliari deposcant. Hinc ut omnes Dominicæ Passionis memoriam sæpe animo repetant, Indulgentias etiam pro animabus Purgatorii applicabiles, & Privilegia etiam per viam communicationis concessa, in Litteris utriusque Papæ Innocentii, inque Decreto S. R. E. Cardinalium expressa, & declarata, ac quibuscunque aliis Litteris Apostolicis idem EXERCITIUM VIÆ CRUCIS respicientibus, declaramus, Fratres, Moniales, ac personas superius memoratas EXERCITIUM VIÆ CRUCIS hujusmodi peragentes, de Privilegiis, & Indulgentiis etiam plenariis, sub generali, mutua, & reciproca Communicatione per Sedem Apostolicam concessis vere communicare, & participes fieri, propterea que frui & gaudere Indulgentiis, ac Privilegiis, quæ Romani Pontifices Locis Sanctis, ac illorum Stationibus intra & extra Jerusalem largiti fuerunt, perinde, ac si exercitium prædictum ibidem peragerent; atque ita ab omnibus asseri, & censeri debere volumus; ideoque ea omnia, hactenus recensita, Authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, & innovamus; ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur iisdem adjicimus, omnesque & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus. Insuper, ne participatione bonorum spiritualium, quæ ab EXERCITIO VIÆ CRUCIS provenire speramus, ullus arceatur, Indulgentias etiam animabus Purgatorii applicabiles, & Privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis Indulgentiarum, quæ locis sanctis in, & extra Jerusalem concessæ fuerunt, aut alias quomodolibet Fratribus, Monialibus, ac personis jam dictis, quæ per nos approbantur, & confirmantur, ad quoscunque Christi fideles utriusque sexus, Ministro Generali nullo modo subjectos, qui EXERCITIUM VIÆ CRUCIS, & alia Christianæ pietatis opera eisdem modo, & forma, quæ à Fratribus & personis prædictis peraguntur, pie ac devote penes Fratres dicti Ordinis private quoad alios quoscunque peragent, & implebunt, perpetuo extendimus, & ampliamus &c. &c. Datum Romæ 1726. Nonas Martias.

III.

EPISTOLA ENCYCLICA
Adm. R. P. Provincialis Ord. Min. in Bavaria.

FR. SIGISMUND. NEUDECKER,
Ordinis Minorum S. Francisci, Lector Jubilatus, Reformatæ Provinciæ S. Antonii Paduani Bavariæ tertiò Minister Provincialis & Servus.

Cùm piissimum EXERCITIUM VIÆ CRUCIS plurimis jam in locis ingenti animarum fructu introductum existat, & nos passim conveniamur, ut per Deputatos à nobis etiam in plurimis aliis locis præfatam VIAM CRUCIS erigi faciamus, facultate ad id à Summo Pontifice nobis concessa; idem autem Sanctissimus novissimam Declarationem circa VIAM CRUCIS emanari fecerit, in eaque velit, ut populus debitè instruatur de necessario modo EXERCITIUM VIÆ CRUCIS cum favore Indulgentiarum ritè peragendi; hinc tam pro erectione VIÆ CRUCIS, quam pro instructione populi circa exercitium ipsius debitè, ac uniformiter facienda communicamus extractum memoratæ Declarationis, in quo extractu ea, quæ cursivis Litteris expressa inveniuntur, formalia sunt Declarationis. Tenor autem sequens est:

I. Clemens XII. in Declaratione, quæ incipit: EXPONI NOBIS. Sub dato 16. Jan. 1731. concessit, quod VIÆ CRUCIS erectæ & erigendæ in Ecclesiis, ac locis piis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine FF. Minorum S. Francisci de observantia fruantur Privilegiis, & Indulgentiis, quibus gaudent institutæ in Ecclesiis & Locis ejusdem Ordinis.

II. Ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda modus & forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis & Locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt. Et

III. Accedat licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, & Superiorum Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, & Loci pii, ubi de iis pro tempore erigendis agi contigerit.

Et in Declaratione ab Emin. D. Cardinale Pico, Præfecto S. Congregationis Indulgentiarum ex mandato Suæ Sanctitatis 3. Aprilis ejusdem anni facta notatur ulterius.

IV. Quod hæc facultas erigendi VIAS CRUCIS Religiosis, Ministro Generali FF. Minorum tam observantium, quam reformatorum subjectis privativè quoad alios quoscunque subjecta sit, nec ab aliis erectæ gaudebunt Indulgentiis.

V. *Quod non possint erigi, nisi ex commissione Superiorum Ordinis à Religioso ejusdem Ordinis, qui tamen sit vel Prædicator, vel saltem Confessarius approbatus.*

VI. *Quod debeant esse 14. Stationes, & collocentur in locis nulli irreverentiæ subjectis.*

VII. *Fiat brevis instructio circa modum necessarium visitandi Stationes pro lucrandis Indulgentiis.*

VIII. *Modus autem iste consistit in hoc, ut (si hoc Exercitium privatim frequentatur) ad quamlibet Stationem fiat brevis meditatio Passionis Domini (quod est opus injunctum ad aquirendas Indulgentias) & juxta modum communiter introductum recitetur unum Pater & Ave, cum actu aliquo contritionis.*

IX. *Si vero processionaliter à toto populo instituatur fiat sub directione unius aut plurium Sacerdotum Ordinis; qui ad quamlibet Stationem legat alta voce considerationem correspondentem mysterio, & post dictum* PATER & AVE, *ac factum aliquem actum contritionis procedatur ulterius. In Processu intra unam Stationem usque ad alteram cantetur Stropha ex Hymno:* STABAT MATER, *vel alia.*

X. *In Processione mares incedant separati à fœminis.*

XI. *Si apud Moniales erigatur, Benedictio crucium, & Instructio fiat apud crates absque ingressu in clausuram.*

XII. *Numerus Indulgentiarum ad Stationes non inscribatur, cum observatum fuerit, sæpe vel ex inadvertentia, vel ex errore, aut translatione de uno ad alterum mysterium ob specialem ad id devotionem easdem inter se fuisse confusas. Sed sufficit, quod hanc viam frequentantes sciant se lucrari eas ipsas indulgentias, quas lucrarentur, si personaliter visitarent has Stationes Jerosolymis, dummodo meditentur Passionem Domini.*

XIII. *Quando* VIA CRUCIS *erecta est in Ecclesia, intermittatur hoc exercitium (puta in visitatione publica, secus in privata) tempore divini Officii, & S. Missæ, vel quando adsit tantus concursus, ut possit causari perturbatio, eo magis, quod ubi non sit impedimentum, debeant visitari omnes Stationes secundum Ordinem.*

XIV. *Notandum etiam, has indulgentias non posse applicari pro vivis aliis, sed pro se duntaxat, vel pro defunctis &c.*

QUÆRITUR 53. An Indulgentia possit haberi pro authentica, quando concessionis in forma factæ habetur tantum copia authentica?

RESPONDEO affirmativè. Patet ex Responso S. Congreg. facta 1711. mense Febr. n. 2. verum authentica non elt copia, quam non constat sumptam ex originali.

QUÆRITUR 54. An frustulum panni assutum vesti sufficiat ad hoc, ut quis dicatur deferre scapulare alicujus ordinis?

RESPONDEO negativè. Patet ex Responso 1716. mense Aprili n. 2. quod continetur in mea *Historia Indulgentiarum* in Supplem.

QUÆRITUR 55. An una confraternitas possit aggregari alteri cum facultate participandi Indulgentias alterius confraternitatis?

RESPONDEO negativè. Patet ex Responso S. Congreg. 1716. mense Dec. n. 2. & 1715. mense Jan. n. 2. vide *Historiarum indulgentiam &c.* in Supplem.

QUÆRITUR 56. An in revocatione Bullæ alicujus, in qua continentur varia Privilegia, censeantur etiam revocatæ Indulgentiæ contentæ in Bulla?

RESPONDEO. Inspiciendam esse mentem Summi Pontificis revocantis. Si enim Pontifex insinuet, se revocare Bullam ex motivo devitandi contentiones, & querelas, signum est, eum tantum revocare voluisse Privilegia contentiosa, quæ possunt aliis inferre præjudicium; & in tali casu non censendæ sunt revocatæ esse Indulgentiæ. Responsio patet ex Resolutione S. Congreg. data 1733. mense Jan. n. 3. Si vero intentio Pontificis non restringatur manifesto aliquo signo, sub generali revocatione etiam comprehenduntur Indulgentiæ. vid. *Hist. Indulg.*

QUÆRITUR 57. An Indulgentiæ concedi soleant pro cultu Beatorum, aut Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio?

RESPONDEO. Id rarissime obtineri, ut patet ex Responsis S. Congregat. 1715. mense Jan. n. 3. & mense Majo n. 3. 1718. mense Aprili n. 5. 1722. mense Augusto n. 6. 1727. mense Jan. & mense Octob. ejusdem anni n. 6. & 1731. mense Jan. n. 1. mense Febr. n. 2. & mense Septemb. n. 3. vide meam *Hist. Indulg.*

QUÆRITUR 58. Quomodo & sub quibus conditionibus soleant concedi Altaria privilegiata?

RESPONDEO. Id colligi posse ex Responsis S. Congreg. 1710. mense Sept. n. 5. & 1712. mense Martio & 1712. mense Majo n. 2. & 1712. mense Dec. n. 3. & 1713. m. Aug. n. 1. & 1715. mense Sept. n. 3. & 1720. m. Jan. n. 4. & 1720. m. Aprili. n. 5. & 1722. m. Martio n. 5. Ea Responsa continentur in mea Historia Indulgentiarum. Sed interdum Summi Pontifices gratia extraordinaria favent postulatis.

QUÆRITUR 59. Quomodo & sub quibus conditionibus soleat Ecclesiis concedi Indulgentia quotidiana pro Peregrinis?

RESPONDEO. Aliquando ob celebritatem loci & difficultatem aditus solet concedi ob concursum non valde magnum. Aliquando solet attendi ad numerum communicantium annuatim in ea Ecclesia, vel ad numerum Processionum ad eam Ecclesiam venientium. Nunc regulariter requiritur numerus centum millium Peregrinorum ad novam concessionem, & ne tunc quidem semper conceditur, quando in vicinia est Ecclesia habens similem Indulgentiam. Sed pro confirmatione semel obtentæ gratiæ aliquando conceditur pro minori, dummodo Episcopus testetur, concursum priorem, qui fuit motivum concessionis prioris, non fuisse imminutum. Hæc omnia possunt colligi ex Responsis S. Congregat. 1712. m. Febr. n. 4. 1712. m. Jul. n. 4. 1727. m. Jan. n. 4. 1733. m. Januar. n. 5. & 1733. m. Jul. n. 3.

QUÆRITUR 60. Quid remedii, si in Altari privilegiato supersit tantus Missarum numerus, ut omnibus satisfieri non possit?

RESPONDEO. Supplicandum S. Congregationi Indulgentiarum, ut Missæ residuæ possint celebrari in alio Altari cum facultate, ut valeant, ac si celebratæ essent in Altari privilegiato. Ex-

empla habentur in Responsis S. Congreg. 1710. m. Nov. n. 2. & 1714. m. Majo n. 2. & 5.

Quæritur 61. Quænam opera præscribantur ad lucrandas Indulgentias Jubilæi?

Respondeo 1. In Jubilæo Anni Sancti requiri nunc solet, ut Romani & Urbis Incolæ per triginta dies sive continuos, sive interpolatos; exteri vero & Advenæ per quindecim dies continuos, vel interpolatos devotè visitent quatuor Romanas Basilicas, videlicet S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, ac S. Mariæ Majoris &c. & ut confiteantur, de consuetudine etiam requiri solet, ut communicent, quamvis ista conditio in Bulla non exprimatur. Clemens X. in sua Bulla 1675. concessit, Religiosos satisfacere, si præfatas Basilicas visitent tribus diebus continuis, aut interpolatis; circa pauperes vero indulsit, ut Confessarii habeant facultatem *assignandi numerum visitandarum Ecclesiarum*, id est, quoties eas visitare debeant. Ob hanc vero difficultatem adeundi Romam, aut visitandi Ecclesias in isto Jubilæo Anni Sancti, nec solent requiri Eleemosynæ, ne jejunia, ut patet ex Bullis relatis p. *. S. 2.

Respondeo 2. In aliis Jubilæis extraordinariis duarum hebdomadarum solet exigi jejunium, & eleemosyna. Quoad alia convenit maxima parte cum Jubilæo Anni Sancti, etiam quoad facultatem absolvendi à reservatis, & à censuris, & commutandi vota. Dantur & aliæ Indulgentiæ in forma Jubilæi, quarum tenores, cùm inter se diversi sint, singulatim sunt inspiciendi. Sed ea de re vide infra Declarationes SS. D. N. Benedicti XIV.

Quæritur 62. Quænam Indulgentiæ & facultates suspendantur in Jubilæo anni Sancti?

Respondeo 1. Suspendi in Anno Sancto omnes plenarias Indulgentias in toto orbe, non autem partiales. Probatur ex eo, quia in antiquioribus Bullis suspensivis Sixti IV. quæ incipit: *Quemadmodum*, referturque in 6. Decretalium T. de Pœn. & Remiss. & Gregorii XIII. quam describit Navarrus de Jubil. notand. 32. tantum suspenduntur Indulgentiæ plenariæ his verbis: *Suspendimus omnes, & singulas Indulgentias plenarias.* Adeoque cùm posteriores Pontifices non censeantur recedere à mente, ac dispositione Antecessorum, nisi id exprimant clare, eorum verba suspensiva: *Suspendimus omnes & singulas Indulgentias*, tantum intelligenda sunt de Indulgentiis plenariis. Dein juxta universalem regulam Summi Pontifices censentur illud velle voluntate legali, quod juxta leges prudentiæ debent velle; non autem videretur esse actus prudentiæ, si in toto orbe suspenderent omnes, quantumvis non Episcopales, sed tantum Pontificias Indulgentias etiam partiales; sic enim clauderent quasi totum Thesaurum Ecclesiæ innumeris fidelium millibus per integrum annum, quod antea nunquam factum est ab initio Ecclesiæ per sedecim Sæcula usque ad tempora Gregorii XIII. inclusivè. Dixi *quasi totum*; quia ipsa potestas Episcoporum in concedendis Indulgentiis ad arctissimos limites contracta est. Quod plus est, id faciendo subtraherent tot millionibus fidelium incitamentum tot bonorum operum, universale, ac quotidianum, & præcipuum, & occasionando tantam torpescentiam non possent prudenter sperare alium fructum, nisi ut è centum millionibus Catholicorum fortè unus, aut duo, tempore Jubilæi veniant Romam, alioquin non venturi, nisi simul cum Indulgentiis plenariis suspenderentur etiam partiales. Tantæ parcitatis species non potest stare in mente Pontificis *optimi Maximi*. Confirmatur ex praxi, quia *Gobat* testatur hic c. 9. append. 3. Illustrissimum Nuntium Lucernensem, D. Odoardum Principem de Cybo in ipso anno sancto impertitum fuisse indulgentias centum dierum applicandas vivis aut defunctis pro arbitrio communicantium. Accedit, quod tempore Jubilæi ut proxime dicetur, non suspendantur indulgentiæ concessæ ab Episcopis, Patriarchis &c. Igitur Pontifex non potest habere specialem finem suspendendo proprias indulgentias partiales; quamvis enim Indulgentiæ Pontificiæ partiales sint copiosiores indulgentiis Episcoporum, earum tamen suspensio remanentibus indulgentiis Episcopalibus, & Patriarchalibus, ac Cardinalitiis ex millione hominum vix unum è locis Roma remotioribus moveret ad suscipiendum iter Romanum. Hæ rationes fortes quidem sunt; occurrit tamen mihi non minus gravis ratio pro opposita sententia, ut fateri cogar, Indulgentias partiales Pontificias tempore Jubilæi esse dubias. Ratio consistit in hoc, quod *Clemens X.* in sua Bulla suspensiva 1675. à generali suspensione excipiat non tantum Indulgentias scalæ sanctæ, & septem Ecclesiarum in urbe, sed etiam Indulgentias septem annorum, ac totidem quadragenarum, quæ dantur Romæ in comprecatione 40. horarum. Hac enim exceptione non fuisset opus, si Indulgentiæ partiales in Jubilæo non suspenderentur, nisi dicatur Pontificem tantum voluisse has determinatas Indulgentias eximere omni dubio, reliquas relinquendo sub Judice. vide n. 3.

Respondeo 2. In Jubilæo non suspendi Indulgentias concessas ab Episcopis, Nuntiis, vel Cardinalibus. Ratio est, quia Pontifex tantum dicit, se suspendere *Indulgentias à se, ac suis Prædecessoribus concessas.* Verba Innocentii X. in sua Bulla suspensiva sunt: *Omnes & singulas Indulgentias per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac etiam nos concessas suspendimus*, adeoque cum non soleat Pontifex derogare juribus, & Indultis Episcoporum, nisi clare id exprimat, & idipsum exigat bonum Ecclesiæ, non est præsumendum, Indulgentiis Episcopalibus, à tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. moderatissimis derogari. Accedit, quod inauditum sit in Ecclesia, unquam ab aliquo Pontifice, Episcopis suspensam esse omnem potestatem conferendi Indulgentias; nec præsumendum est summos Pontifices sine extrema, atque ineluctabili necessitate descendere ad tantam contractionem potestatis Episcopalis, quam Episcopi sempar ab initio Ecclesiæ exercuerunt.

Confirmatur ex Declaratione edita 1700. quam exhibet *P. Viva* his verbis: Notificatio. *Gaspar* &c. S. R. E. Cardinalis *de Carpineo*, Papæ Vicarius Generalis &c. cum S. Congregationi specialiter à SS. D. N. deputatæ pro celebra-

celebratione præsentis anni Jubilæi, habitæ 26. Febr. anno præterito porrecta sint varia dubia, placuit suæ Sanctitati facere sequentes declarationes. Quod videlicet visitatio quatuor Basilicarum debeat fieri uno die continuo intra 24. horas, & quod dies debeat incipere & finiri à media noctis usque ad alteram mediam noctis sequentis. Quod Confessariis indulta facultas commutandi opera pia, & abbreviandi visitationem Ecclesiarum pro Romanis, qui inchoarunt, sed ob infirmitatem, vel aliud impedimentum non potuerunt finire visitationem Basilicarum, extendatur à sua Sanctitate etiam ad eos, qui non potuerunt ex eadem causa illam incipere; admonentur tamen confessarii, ut ea facultate utantur prudenter & moderatè. Præterea sua Sanctitas declarat, quod Indulgentiæ concedi solitæ à Cardinalibus, Legatis, Nuntiis Apostolicis, & Episcopis, vel in usu Pontificalium, vel in Benedictionibus, vel sub alia consueta forma, remaneant in suo vigore, non obstante generali suspensione Indulgentiarum facta 4. Junii 1699. Datum in nostro Palatio 6. Martii 1700.

Respondeo 3. In ea suspensione non comprehendi Indulgentias scalæ sanctæ, & septem Ecclesiarum Urbis, & Indulgentias 7. annorum pro comprecatione 40. horarum Romæ. Ita expresse habetur in Bulla suspensiva CLEMENTIS X. his verbis: *Ut conservetur pium institutum, & consuetudo visitandi templa, concedit sua Sanctitas, non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint fideles, quas alias consequebantur, si visitent septem Ecclesias, & scalam sanctam diebus determinatis eo modo, & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt concessæ. Non suspenduntur etiam Romæ Indulgentiæ septem annorum, & totidem quadragenarum toties obtinendæ, quoties aliquis comprecationi 40. horarum, in qua habetur expositum Venerabile, interfuerit, ibidemque inter preces aliquo tempore detentus fuerit.*

Respondeo 4. An Indulgentiæ pro Defunctis concessæ tempore Jubilæi suspendentur, dependet à voluntate summorum Pontificum. Quod non velint suspendere Indulgentias pro Defunctis directè concessas, constat ex Bullis plerisque anteriorum Pontificum. Quod verò attinet Indulgentias directè pro vivis concessas cum facultate eas applicandi pro Defunctis, illæ adhuc suspensæ fuerant sub *Clemente X.*, prout patet ex verbis præfatæ illius Bullæ sequentibus: In suspensione. - - Verum *Benedictus XIII.* p. m. In Jubilæo 1725. eas pro Defunctis non suspendi voluit, sed pro Defunctis valere indulsit. Hujus exemplum merito secutus est SS. D. N. *Benedictus XIV.* in Bulla suspensoria Indulgentiarum 1750. quæ habet.

Suspensio Indulgentiarum, & Facultatum vertente anno 1750.

BENEDICTUS, EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

„Cum Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem „in hac Alma Urbe à Vigilia Nativitatis „Domini Nostri Jesu Christi proximæ futuræ in„choandam, & usque ad finem sequentis anni „duraturam, universo populo Christiano, de Ve„nerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardi„nalium assensu, indixerimus, ac omnibus utrius„que Sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, „& confessis, ac Sacra Communione refectis, qui „Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, nec „non Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ „Mariæ Majoris de Urbe Basilicas certis vicibus „visitaverint, plenissimam omnium peccatorum „suorum indulgentiam, remissionem, & veniam „concesserimus, prout in nostris desuper con„fectis literis plenius continetur; Cupientes ut „Christianæ Nationes ex omnibus terrarum orbis „locis in hac urbe nostra, in fidei, ac Religionis „unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devo„tionis Spiritu Basilicas prædictas, quo maximo „fieri poterit concursu durante eodem Jubilæo, „visitantes, & frequentantes, tanti & tam certi „spiritualis emolumenti compotes fiant; multo„rum Romanorum Pontificum Prædecessorum „nostrorum exemplo adducti, Indulgentias, & „facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias „emanatas, pro hoc anno suspendere; & nihilo„minus tum spiritualibus fidelium per universum „orbem degentium necessitatibus Paterna chari„tate consulere; tum pium devotionis fervorem „erga laudabilia quædam Religionis & pietatis „opera in Christianorum animis conservare, & „fovere; tum demum suffragia in fidelium de„functorum levamen atque subsidium erogari so„lita neutiquam imminuere, eorumdem Præde„cessorum vestigiis insistentes, decrevimus, & „constituimus.

„Itaque, præservatis & firmis remanentibus „indulgentiis concessis in articulo mortis, ac fa„cultatibus seu indultis illas impertiendi seu com„municandi tam venerabilibus fratribus Episco„pis, ac dilectis filiis Prælatis locorum ordinariis „in vim, seu ad formam nostrarum Literarum „nonis Aprilis anni 1747. editarum, quam aliis „quibuscumque communiter aut personaliter, „seu pro certo personarum genere, gradu, aut „numero, concessis; iisque pariter, quas felic. „record. Prædecessor noster Benedictus Papa „XIII. cunctis fidelibus Salutationem Angelicam, „seu alias preces de tempore, mane, aut meri„die, seu Vespere ad Campanæ pulsum, de ge„nu, vel juxta dierum, & temporum rationem „stando recitantibus; Item indulgentia septem „annorum, & totidem quadragenarum, quam „ipse Benedictus novissimo Jubilæi anno duran„te, omnibus Christi fidelibus, tam in urbe, quam „extra eam ubicumque degentibus, qui sacra„mentaliter confessi, & sacra communione re„fecti, vel saltem vere contriti, & cum firmo „proposito confitendi, Ecclesias, in quibus Au„gustissimum Eucharistiæ Sacramentum pro ra„tione quatraginta horarum, eo anno durante, „expositum esset devote visitassent, ibique juxta „Sanctæ Matris Ecclesiæ mentem orassent, to„ties, quoties id egissent, benigne concessit; „quamque nos etiam, illius exemplo, pro pro„xime ineunte Jubilæi anno, & tam pro Urbe, „quam pro aliis ubique locis, præsentium teno„re,

„ re, libenter concedimus, & elargimur; Atque „ illis etiam, quas similis memoriæ Innocentius „ XI., & Innocentius XII. Romani Pontifices „ Prædecessores nostri, fidelibus Sanctissimum „ Eucharistiæ Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devotè comitantibus, vel Lumen, aut „ facem per alios ea occasione deferendum, seu „ deferendam mittentibus, similiter concesserunt; „ tum etiam indulgentiis à S. R. E. Cardinalibus „ de Latere Legatis, & Apostolicæ Sedis Nunciis, ac Episcopis, in usu, seu exercitio Pontificalium, aut impertienda benedictione, aliave „ forma consueta, concedi solitis; Item salvis, & „ firmis remanentibus Indulgentiis Altarium Privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque „ eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; „ atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis, & „ peccatorum remissionibus alias pro vivis concessis, ad effectum dumtaxat, ut Christi fideles „ illas animabus fidelium defunctorum, quæ Deo „ in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, „ per modum suffragii directè applicare valeant; „ quas omnes & singulas licet, pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante generaliter, ut infra, suspensas, ad prædictum tamen effectum, ipsius anni decursu, „ etiamsi in earum concessionibus bujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis „ dispositionibus impleverint, aquiri posse concedimus, & indulgemus.

„ Præservatis etiam, & firmis remanentibus „ facultatibus tribunalis officii inquisitionis adversus hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti, ejusque officialium, Missionariorum quoque, & Ministrorum, qui ab eodem „ tribunali, seu à Congregatione Venerabilium „ Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ fidei præposita, vel „ alias à Sede prædicta ad id deputati fuerint, & „ præsertim facultate absolvendi ab hæresi illos, „ qui abjuratis eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus, quæ ab officio Pœnitentiariæ nostræ Apostolicæ, Missionariis, in locis missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendæ, concessæ fuerint. Item salvis, & illæsis remanentibus facultatibus tam venerabilium fratrum „ Episcoporum, aliorumque superiorum Antistitum, in suis respectivè Diœcesibus, circa dispensationes, & absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ „ reservatis, prout ipsis à Sacra Tridentina Synodo, seu aliàs etiam in publicis à jure communi Ecclesiastico, & ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis, & casibus indultæ, permissæque dignoscuntur; quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsis „ in Regulares pariter sibi subjectos à Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt:

„ Cæteras omnes & singulas Indulgentias, tam „ Plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, „ & indulta absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam „ super irregularitatibus, & impedimentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, „ etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, „ Congregationibus, Confraternitatibus, etiam „ Laicorum, Universitatibus, & piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, „ Magistris, Superioribus. Et tam sæcularibus, „ quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum „ Regularibus personis, Coronisque, Granis, „ Imaginibus, & Numismatibus ex metallo, seu „ quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque „ Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac „ etiam nos, etiam ad instantiam Imperatoris, „ Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut „ ipsis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & „ Principibus, vel aliis, quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocunque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, „ sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum „ quibusvis clausulis, & decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, quorum omnium „ tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica Authoritate, de eorumdem fratrum consilio, & assensu, ac potestatis nostræ plenitudine, suspendimus, & suspensas, ac suspensa esse „ declaramus, easque, & ea eodem anno durante, nulli prodesse, ac suffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter, „ vel ignoranter contigerit attentari.

„ Quocirca per præsentes Authoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim „ præter superius expressas, alia, quam indicti à „ Nobis prædicti Jubilæi. Indulgentiæ, sive publicè, sive privatim, quovis prætextu, ubivis „ locorum, & gentium sub excommunicationis „ eoipso incurendæ aliisque arbitrio ordinariorum „ infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, „ aut in usum demandentur.

„ Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis nec non „ Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, „ Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, „ & Locorum, aliorumque prædictorum, etiam „ juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiisquoque, exemptionibus, „ & Indultis Apostolicis iis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque per „ eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos, sub quibuscumque tenoribus, & formis, „ ac cum quibusvis clausulis & decretis, & ex „ quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehen-

 „ dantur

„ dantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris ad „ effectum præmissum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

„ Et quia difficile nimis esset, præsentes, quocumque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & Sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamque prorsus fidem in judicio, & extra, ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, sexto decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.
visa de Curia
J. C. Boschi.

Loco † Blumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

„ Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1749. Indictione duodecima, die vero vigesima quarta Maji, Pontificatus SS. D. N. Benedicti XIV. Supra dictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum, & Basilica Lateranensi, & S. Mariæ Majoris, & ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Righi Apostolicum Cursorem.

Antonius Besani,
Magister Cursorum.

Respondeo 5. Non suspendi Indulgentias pro articulo mortis. Id expresse continetur in præfata Bulla his verbis: non habeantur suspensæ concessæ in articulo mortis.

Respondeo 6. Non quidem suspendi Indulgentiam Portiunculæ Assisii, eam tamen suspendi in aliis Ecclesiis. Patet ex Bulla.

Respondeo 7. In Jubilæo etiam suspendi *omnes & singulas facultates absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis.* Non tamen per hoc suspenditur facultas, quam habent Episcopi ex Trid. Sess. 24. c. 6. absolvendi ab occultis Papæ reservatis, & dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis ad forum contentiosum (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario) aut facultas absolvendi impeditos adire Romam. *Ratio* est, quia hujusmodi facultates competunt Episcopis ratione officii & de jure communi. Idem dicendum de facultatibus, quas habent Prælati Regulares ratione proprii muneris in ordine ad absolvendum subditos.

Respondeo 8. Eas Indulgentias, quæ conceduntur ad septennium occurrente Jubilæo ita suspendi, ut ille annus nihilominus currat pro complendo septennio. Adeoque si annus Jubilæus incidat in annum hujusmodi septimum, Indulgentiæ renovandæ erunt immediatè expleto Anno Jubilæo, quamvis tantum utiles fuerint per sexennium. Ita constat ex praxi.

Quæritur 63. An quis possit Indulgentias Jubilæi lucrari sæpius, quando durant per duas hebdomadas? vel per annum?

Respondeo negativè. Ratio est, quia in Bulla Jubilæi non dicitur; *quoties intra duas septimanas talia opera præstiterit*, sed hoc modo: *qui in prima vel sequenti septimana talia præstiterit.*

Confirmatur ex eo, quia teste Filliutio Tom. 1. Tract. 8. n. 261. S. Congregatio Concilii, ad quam illis temporibus pertinebant etiam quæstiones de Indulgentiis, declaravit, tantum semel acquiri Indulgentiam per Jubilæum. Verba ejus sunt sequentia: *Adverte hoc mense Maji anni 1620. declarasse S. Congregationem Concilii, tantum semel acquiri Indulgentiam per Jubilæum, & semel tantum à casibus absolvi quempiam posse, quare huic declarationi standum erit.* Videri etiam possunt dicta q. 74. Attamen SS. D. N. Benedictus XIV. pro Jubilæo Universali concessit, ut saltem Romæ, ubi durat per integrum annum, obtineri possit sæpius, prout inferius dicetur in Declarationibus illius num. 84.

Quæritur 64. An quis Jubilæo satisfaciat per opera aliunde præcepta?

Respondeo. Videnda dicta q. 32. & Declaratio SS. D. N. n. 53.

Quæritur 65. An lucrentur Indulgentias Anni Sancti, qui iter Romanum suscipiunt, sed occurrente impedimento non perficiunt?

Respondeo affirmativè. Id patet ex Bulla *Clementis X.* quæ sic sonat: *Quoniam contingere potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa urbe ægritudine, vel aliqua legitima causa impediti, aut morte præventi, præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, & dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem verè pœnitentes, & confessos prædictæ indulgentiæ & remissionis participes perinde volumus, ac si prædictas Basilicas diebus à nobis præscriptis re ipsa visitassent.* Hinc sequitur, eos lucrari Jubilæum, qui v. gr. in itinere accepto nuntio de morte uxoris, de incursione hostili, de grassatione morborum, vel de alia consimili circumstantia, quæ prudentem quemvis paris conditionis virum domi retineret, redeunt domum. Idem dicendum de illis, qui in via corripiuntur aliqua infirmitate, in qua quidem possent physicè Romam pervenire, sed non nisi cum maxima difficultate, vel cum sumptibus triplo, aut quadruplo majoribus. Requiritur tamen ab his, si volunt lucrari Jubilæum, ut confi-

confiteantur & communicent. Idem Pontifex concessit, ut advenæ, qui, nisi citius Romæ discederent non possent exspectare aliorum commoditatem, vel qui adveniunt, dum alii jam lucrati sunt Indulgentias, satisfaciant visitando quinquies Ecclesias; & illi, qui cum confraternitate semel visitant Ecclesias, satisfaciant visitando bis seorsim Ecclesias. vide Declarationes SS. D. N. Benedicti XIV. num. 14.

Quæritur 66. An requiratur devota Visitatio Ecclesiarum? & quid ea velit dicere?

Respondeo 1. Requiri in Bulla expresse devotam visitationem Ecclesiarum. Per hoc autem non requiritur solum devotio in templo, sed etiam in via & actu visitationis. Hinc si quis jocando, confabulando, aut discole se gerendo ad Ecclesiam pergeret, in ipso tamen ingressu & precibus ibi fusis devotionem servaret, non satisfaciet conditioni. Sequitur ulterius, eum Indulgentiam non lucraturum, qui visitaret Ecclesiam præcise ob curiositatem; cùm talis visitatio non ordinetur ad Dei cultum. Imo nec ille obtinebit Indulgentiam, qui principalius visitat Ecclesiam ob curiositatem, illam alioquin non visitaturus, quia talis visitatio non procederet ex visitationis motivo, secùs dicendum, si curiositas tantum se habeat concomitanter.

Respondeo 2. Etiam eos, qui sunt in peccato mortali, attamen cum proposito confitendi, & se emendandi, posse habere devotionem sufficientem ad lucrandam postmodum completo ultimo opere in gratia Indulgentiam.

Probatur ex Tridentino Sess. 6. c. 7. ubi anathematizat eum, qui dixerit, *omnia opera ante justificationem esse mala*. Cùm ergo peccatores possint exercere actus moraliter bonos, quamvis conjunctos cum habituali defectu ordinis efficacis ad ultimum finem, adeoque cum peccato; poterunt etiam exercere actum devotionis, quamvis conjunctum cum aliqua deordinatione habituali, vel etiam actuali. Si tamen quis in Ecclesiarum visitatione committeret peccatum mortale, v. g. habendo animum inducendi alium ad peccatum, non lucraretur Indulgentiam; quia peccatum mortale actuale non simul compatitur devotionem actualem, aut certè destruit rationem devotæ visitationis Ecclesiarum. vide Declarationes SS. n. 75. & 76.

Quæritur 67. Quid requiratur, quando exigitur Visitatio Altarium?

Respondeo. Quando pro aliqua Indulgentia consequenda præscribitur visitatio trium aut quinque Altarium, non sufficit præcise esse in templo, in quo sunt ea Altaria, & animo converti ad illa, sed requiritur, ut aliquo gestu, vel conversione capitis aut corporis significes conversionem animi ad singula Altaria; nam exigitur visitatio sensibilis, hoc est, talis actio, quæ exterius significet orationem, aut alium Religiosum actum fieri ad tale Altare, ùt ratiocinatur Lugo n. 98. loquens etiam de illo, qui est in medio templo. Hinc ne qnidem ipsa conversio, & motus corporis sufficiunt, nisi quis sit in eo loco aut situ, ut moraliter censeri possit orare ad quodlibet ex iis Altaribus; nam aliter nemo dicet, visitari illa Altaria. Ita rectè *Gobat* hic c. 20. n. 131. & *Lugo*.

Quæritur 68. Qualis requiratur Oratio ad lucrandum Jubilæum, vel alias Indulgentias?

Respondeo 1. Probabiliter quidem sufficere orationem mentalem, quia & nomen Orationis indifferens est etiam ad mentalem juxta illud Apostoli: *orabo Spiritu, orabo & mente.* 1. Cor. 14. & oratio interna neque inepta est ad potestatem, neque ad finem concedentis Indulgentias, cum aliquando pro meditatione interna concedatur Indulgentia, ut patet ex Responsis S. Congregationis; videtur tamen esse temeritatis, nolle recitare unum vel alterum *Pater*. sicque sequendo probabilem se exponere periculo perdendi Indulgentiam.

Respondeo 2. Etiam minimam orationem sufficere ad lucrandam Indulgentiam. *Ratio* est, quia Indulgentia est divisibilis; adeoque nihil obstat, quin ponens orationem minimam lucretur aliquam partem Indulgentiæ; aut etiam totam, si etiam minima oratio fuerit proportionata ad totalitatem debiti expungendi, v. g. in casu, quo lucraturus Indulgentiam vel minima commisit, vel maxima aliis operibus pœnitentiæ fere ad quadrantem usque jam expunxit.

Respondeo 3. Quando pro lucrandis Indulgentiis non præscribuntur determinatæ preces, non requiruntur quasi ex lege consuetudinis determinatæ 3. 5. 6. aut septem *Pater & Ave*, sed relinquitur cujusvis arbitrio, quot & quales velit fundere ad Deum preces; hinc poterit tales sumere etiam ex devoto libello precatorio. SS. D. N. Benedictus XIV. in Jubilæo requirit etiam orationem vocalem prout patet ex ejus Declaratione num. 88.

Quæritur 69. An sufficiat orare pro foribus Ecclesiæ, si portæ sint clausæ, vel non possit intrari in Ecclesiam ob nimium concursum populi?

Respondeo. In casu necessitatis id sufficere. Ita communis; & ratio est, quia in tali casu adhuc verum est *visitari Ecclesiam;* & quia ita teste *Sanctorello* practicatur Romæ à peregrinis, quæ praxis videtur interpretari intentionem Pontificum. Aliter respondendum foret, si in Bulla diceretur: *Qui in Ecclesia oraverit.*

Quæritur 70. Quale jejunium, & quibus præscribatur tempore Jubilæi?

Responseo 1. Præscribi jejunium juxta morem Patriæ. Hinc non est necesse abstinere à lacticiniis, ubi non solet ab iis abstineri in Quadragesima; patet ex praxi.

Responseo 2. Ad hoc jejunium tempore Jubilæi adstringi omnes, qui volunt lucrari Indulgentias, etiam adolescentes, senes, artifices, rusticos &c. quotquot stantibus aliis suis obligationibus moraliter sine periculo infirmitatis, aut alterius gravis damni tolerare possunt jejunium. Ita communis. Cum iis vero, qni habent difficultatem tolerandi jejunium moraliter insuperabilem sine periculo infirmitatis, aut gravis alterius damni, censeo posse Confessarium facere commutationem, transferendo jejunium à die Mercurii, Veneris, & Sabbati in dies non impeditos,

peditos, vel illud alleviando, vel in aliud opus pœnale commutando.

Respondeo 3. Hoc jejunium etiam esse observandum, etiamsi Jubilæum, & dies jejunii incidat in tempus Paschale, aut festum solennissimum; quia *Urbanus VIII.* in Jubilæo extraordinario, quod concessit currente anno Sancto 1625. 21. Aprilis, quo festum Paschale incidit in 30. Martii, requisivit nihilominus triplex jejunium, quamvis Jubilæum inciderit in tempus Paschale. Id ipsum fecit Pontifex in Bulla prorogatoria Jubilæi anni 1634. per Quadragesimam Romæ celebrati, ut videre est apud Cherubinum.

Respondeo 4. Non satisfacere Jubilæo, qui in Quadragesima habens Privilegium vescendi carnibus, tribus diebus pro jejunio præscriptis vesceretur carnibus. Ratio est, quia id juxta sensum, ac prudentem æstimationem Doctorum repugnat intentioni per rationem regulatæ Pontificis, ut censet *Lugo*, *Azor*, *Gobat.* Si quis tamen abstinendo à carnibus incurreret periculum infirmitatis, posset cum ipso fieri dispensatio, aut commutatio.

Respondeo 5. Si quis extra prandium & collatiunculam vespertinam modicum quid gustet, censet *Suarez* eum non lucrari Jubilæum; sed *Gobat* & *Filliutius* tenent oppositum; idque merito, quia si in opere præscripto parum deficiat salva operis substantia, id non officit Indulgentiæ, ut dictum est Q. 34.

Respondeo 6. Si jejunium injungatur ad aliquod impetrandum à Deo, negat *Laymann*, illum frui Jubilæo, qui se die jejunii inebriat. Hæc doctrina videtur *Gobato* tunc maxime probabilis, cum quis se inebriat, ne difficultatem jejunii persentiscat; Mihi autem hæc doctrina est certa: quia si non est ille dignus favore legis, qui committit in fraudem legis, quanto magis indignus est tam sancta gratia, qui fraudulenter declinat conditiones gratiæ?

Respondeo 7. Quando Messor, aut Operarius propter laborem, quem subit necessitate alendæ familiæ causa, jejunare nequit, potest juxta *Navarrum* de orat. miscell. 60. & juxta *Rodericum* in summa c. 184. n. 10. confessarius commutare ejus jejunium in aliud opus. Hæc doctrina, quam sequitur etiam *Reginaldus*, non displicet *Gobato*, quia hujusmodi personæ habent impotentiam moralem jejunandi. Censeo non opus esse commutatione, sed tantum moderatione jejunii, ut si sentiant ita sub labore deficere, ac languere vires, aut prævideant certo, eas sic defecturas, ut labori in ordine ad justam mercedem insistere non possint, possint sumere refectiunculam necessariam ad restaurationem virium.

Respondeo 8. Hæc tamen moderatio non est extendenda ad eos, qui laborem cum jejunio incompatibilem non assumunt ex necessitate, puta, personæ, aut familiæ, seu officii, vel status, sed ob lucrum tantum non necessarium decentiæ status.

Respondeo 9. Non lucratur Jubilæum, qui jejunium dividit in duas hebdomadas, aut qui jejunat v. g. die Jovis loco diei Mercurii, quia non implet conditiones requisitas, quæ ex sensu communi Doctorum censentur essentiales, ut testatur Gobat hic c. 28. n. 213. Vide Declarationes SS. num. 20. 35.

Quæritur 71. Quid notandum circa eleemosynam in Jubilæo largiendam?

Respondeo. Ad curandum Jubilæum sufficit per se eleemosyna etiam modicissima. Ratio est, quia, ut supra dictum est de oratione, Indulgentia est divisibilis; adeoque etiam conferens eleemosynam minimam non est indignus, cui aliqua à Deo pars remittatur de pœna, imo & totum debitum, si talis minima eleemosyna fuerit proportionata cum onere delictorum, prout posset contingere in eo, qui v. g. tantum habet amplius eluendum unum peccatum veniale. Censeo tamen raro condonandum à Deo totam pœnam, nisi quis dederit eleemosynam non tantum proportionatam suo statui, sed etiam proportionatam suis delictis. Quia id exigit æquitas divinæ justitiæ, adeoque etiam intentio summi Pontificis. Sic ergo possunt concordari sententiæ aliqua saltem ratione, si dicatur, ad obtinendum plenarium fructum Jubilæi requiri orationem proportionatam statui; utrasque vero proportionatas insuper oneri delictorum; id tamen non requiri ad lucrandam partem plenariæ de se remissionis.

Confirmatur Responsio ex forma Concessionis Pontificiæ; quia in Bulla Innocentii X. dicitur: *Si eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint.* Et in Bulla Clementis X. *Qui eleemosynas pro arbitrio suo fecerint, prout cuique suggeret devotio.*

Respondeo 2. Per hanc eleemosynam ex sensu Doctorum non intelligi spiritualem v. g. orationem vel instructionem, sed corporalem. Nomine autem eleemosynæ corporalis intelligitur hic præcipue elargitio stipis. *Gobat* n. 218. censet, intelligi etiam commodationem, aut mutuationem omnino gratis factam alicui indigenti, ut si ægro pauperi commodes equum vehiculum &c. ad proximum pagum; tum si hospitio, aut tecto excipias mendicum; peregrinum pauperem, Religiosum; & universim omnia ex septem operibus misericordiæ sunt proprie dicta eleemosyna, ut patet ex *D. Thoma* 22. q. 32. a. 3. Sed de hac opinione dubito; quia sensus fidelium intelligit verba Bullæ de elargitione stipis, consistentis in pecunia, vel re pretio æstimabili.

Respondeo 3. Regulares & pauperes posse lucrari Jubilæum, etiamsi non erogent eleemosynam, dummodo hanc obligationem faciant sibi à Confessario commutari in aliud opus. *Ratio* est, quia hoc genus hominum habet impedimentum vel morale, vel moraliter insuperabile sine peccato, aut ridiculo, aut absurdo: adeoque, licet aliqua individua hujus generis non laborent eo impedimento, censentur tamen & ipsa eximi ob universalitatem legis, quæ more omnium legum horret difformitatem, & exceptionem singularium in eodem genere, nisi ipsa necessitas gravissimi motivi fundet præsumptionem, legislatorem de casu tali extraordinario non cogitasse, aut si cogitavit, noluisse eum casum compreben-

prehendere sub lege, aut Privilegio. Hæc regula ex L. *nam ad ea* ff. de legibus, ubi Celsus ait: *ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facile, quam ad ea quæ raro eveniunt; quia, quæ semel aut bis accidunt, contemnunt Legislatores.* Dixi, *insuperabile sine ridiculo*: quis enim non rideat, si duo pauperes sibi invicem donent, velintque persuadere se, & alios, quod erogaverint eleemosynam? aut si Religiosus se credat donasse eleemosynam, si donavit Procurator, ipso nequidem sciente, aut ipsius consensu non requisito? Quod si etiam ratihabeat, nihilominus id non erit datio eleemosynæ, sed pia affectio dandi eleemosynam, maxime in casu, ubi ratihabitio nil operatur, sicut nihil operatur, ubi singularium non requiritur consensus. Dein hujusmodi formalitates in ratihabendo, sicut inter centum Religiones vix uni aut alteri præ cæteris ingeniosiori incidunt, ita non sunt *faciles*, sed raræ, adeoque Legislator non censetur juxta præfatam regulam juris universalem suam legem alligare ad hujusmodi ingeniosam formalitatem, paucissimis obviam; sed censendus est potius respicere totum genus Religiosorum, & mendicabulorum, valdeque pauperum, tanquam *impedimentum* ab erogatione eleemosynæ.

CONFIRMATUR ex Bullis referendis q. 72. Quia tamen hæc sententia non omnibus videbitur certa, consulo, ut præsertim Religiosi habentes aliqualem usum pecuniæ per modum depositi, ut vocant; & pauperes habentes de sua parsimonia redundantiam tribuant pauperibus. Idem consulo circa pauperes, ut à Confessariis recipiant quendam modum erogandi eleemosynam, si quis eorum conditioni congruat, v. g. in esculentis, vel auxiliis erga respective indigentiores vel miseriores.

RESPONDEO 4. Qui absolute nequeunt dare eleemosynam, tenentur à confessario petere commutationem in aliud opus pium. *Responsio* est contra *Gobat*, qui pro se citat Navarrum, videtur tamen Bullis præfatis, & sensui recentiorum authorum conformior. Sic v. g. *Van-Ranst* Ord. S. Dom. q. 7. n. 24. dicit: *Quod si quis tamen vel tantillum erogare non posset, talis impotentia foret per accidens, sicut per accidens est; quod ægrotus non possit jejunare ad lucrandum. Quare sicut tunc ægroto commutanda sunt jejunia, ut possit esse particeps Jubilæi, ita & in tali casu pauperi esset commutanda eleemosyna in aliud opus, puta, in preces aliquot.* Idem sentit *Viva* hic q. 8. art. 6. & patet ex Bullis referendis q. 72. Adeoque cum hæc responsio sit ad minimum probabilis, in praxi, ne exponatur quis periculo amittendi Jubilæum, facienda est cum pauperibus, & Religiosis commutatio eleemosynæ in aliud opus pium.

RESPONDEO 5. Nomine pauperum, quos pro *impeditis* habere convenienter possumus, veniunt illi, qui vivunt dictim prope de quotidiano labore, qui a tales non videntur adstringi ad dandam eleemosynam sub conditione, alias perdendi gratiam Jubilæi; quoad rem consentit *Diana. Prob.* ex eo, quia hæc intentio Papæ servat *rationem melioris*, & confirmatur ex Bullis referendis Q. 72. Si vero de labore suo vel mendicatione sibi comparaverunt quantitatem pecuniæ suo statui in præsenti tempore non necessariam pro decentia, videtur eos prudenter posse obligari ad dandam modicam eleemosynam; sicque non habendos pro impeditis.

RESPONDEO 6. Si uxor, famuli, liberi &c. non habeant de jure, vel consuetudine sui in eodem districtu similium liberum usum circa quasdam pecunias, pro decentia sui status præsenti tempore non necessarias, non licet ipsis, ut surripiant Maritis, Dominis, Parentibus &c. aliquid, idque erogent in eleemosynam. Sed tales personæ tanquam impeditæ debent petere commutationem.

PROBATUR, quia Pontifex præscribendo conditiones pro lucrando Jubilæo tanquam prudens dispensator censetur agere *juxta rationem melioris*; hæc autem intentio Pontificis est melior non ipsa, quia servat optimum rerum à Deo ordinatarum ordinem.

RESPONDEO 7. Si Herus famulo porrigat pecuniam, ut eam distribuat in pauperes, non privabitur gratia Jubilæi. ita *Van-Ranst*. Patet ex communi sensu hominum, qui censerent, Pontificem non solum minus decenter, sed & irrationabiliter exclusurum hujusmodi Heros à Jubilæo. *Lugo*, *Diana*, *Gobat* tenent quidem oppositum, sed si ipsimet fuissent Pontifices, credo humanius cum Heris fuisse acturos.

RESPONDEO 8. Nomine pauperum, quibus eroganda est eleemosyna, hic veniunt omnes, qui se non possunt sustentare pro decentia sui status. Nec requiritur, ut sint vere pauperes, dummodo appareant, & à dante eleemosynam credantur esse pauperes. Patet ex sensu communi Doctorum; & quia hæc intentio in mente Pontificis est melior non ipsa. Quamvis autem *Clemens VIII.* in Jubilæo anni 1595. in genere pauperum comprehenderit etiam Ecclesias, aliaque Religiosa loca, nisi tantum ad conventus Regularium existimatorum *vere pauperum*. Quia sensus communis explicat hæc verba, ac intelligit de personis pauperibus, non de locis pauperibus.

QUÆRITUR 72. Quid notandum circa Moniales, Religiosos, Eremitas, incarceratos, infirmos &c. aliosque impeditos quoad Visitationem Ecclesiarum, aut impletionem præscriptorum operum?

RESPONDEO. Quoad hos alia est formula in Jubilæis extraordinariis; alia vero in Jubilæo Anni Sancti. In prioribus est hæc in Bullis *Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII. Clementis XII.* formula: *Navigantes vero & iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali in loco eorum domicilii eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscunque Laicis quàm Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa, vel* eorum

eorum aliqua præstare nequiverint, *ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem*, *seu approbandis*, *eis in alia pietatis opera commutare*, *vel ad aliud proximum tempus prorogare possit*, *eaque injungere*, *quæ ipsi pœnitentes efficere potuerunt*, *Concedimus & Indulgemus*.

Formula vero in Jubilæis Anni Sancti, qua usi sunt *Urbanus VIII.* 1625. *Innocentius X.* 1650. *Clemens X.* 1675. & *Innocentius XII.* 1700. est sequens: *Pontificia sollicitudo præcipue Sanctimonialium profectibus studet providere. Ipsæ enim sunt amplectentes illam vitæ rationem*, *quæ eas Angelis quodammodo æquat. Quoniam autem consimile vitæ genus plurimi Anachoretæ*, *atque Eremitæ*, *ut supernarum rerum contemplationi vacent*, *laudabiliter elegerunt*, *spiritualibus quoque ipsorum incrementis paternis visceribus maxime ducimus consulendum. Cum igitur tam ipsi*, *quam præfatæ Sanctimoniales perpetuæ vivant Clausuræ mancipati; nec non multi*, *ut accepimus*, *utriusque sexus fideles partim carceribus detenti*, *partim vero diuturna infirmitate præpediti*, *non solum in Italia*, *sed in aliis etiam Regionibus*, *Provinciis*, *& locis reperiantur*, *qui & quæ hujusmodi respective impedimentis remotis pro percipiendis præsentis anni Jubilæi fructibus ad urbem prædictam omnino venirent*, *& Basilicas ad id Deputatas indubitanter visitarent; verum ob præfata impedimenta ad Urbem minime venire*, *neque respective Basilicas visitare valent; Nos omnibus*, *& singulis Sanctimonialibus quorumcumque Monasteriorum etiam illorum*, *quæ ab ordinaria jurisdictione exempta sunt*, *vel esse asseruntur*, *& Anachoretis*, *atque Eremitis hujusmodi*, *ac utriusque sexus fidelibus*, *qui impedimentis longæ carcerationis*, *ac diuturnæ infirmitatis cessantibus ad eandem Urbem pro thesauris hujusmodi consequendis venturi fuissent*, *vere pœnitentibus & confessis*, *quod in locis*, *ubi eos esse contigerit*, *pia Christiana pietatis & charitatis opera juxta normam ab Ordinariis locorum*, *seu Sanctimonialium*, *& Anachoretarum*, *Eremitarumque hujusmodi Superioribus*, *vel de eorum mandato à prudente confessario præscribendam pro cujuslibet statu & conditione*, *ac loci habita ratione exercendo*, *& alia in nostris litteris Indictionis Anni Jubilæi contenta adimplendo; omnes & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones etiam plenissimas consequantur*, *quas consequerentur*, *si in hoc præsenti anno Jubilæi diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas Basilicas*, *pro quibus visitandis Indulgentiæ præfatæ concessæ sunt*, *personaliter visitarent*, *eisdem Sanctimonialibus*, *Anachoretis*, *atque Eremitis*, *& Christi fidelibus impeditis hujusmodi concedimus*.

NOTANDUM 2. Per Sanctimoniales hic intelligi etiam Mulieres, quæ licet tria vota Religiosa non emittant, vivunt tamen collegialiter intra aliquod Monasterium cum obligatione servandi perpetuam clausuram; item Novitiæ, & aliæ mulieres, vel puellæ educationis, vel alia ex causa in Monasteriis ex licentia Sedis Apostolicæ degentes: Mulieres illæ, quarum institutum à Sede Apostolica approbatum est, *oblatæ* vocantur. Id patet ex Bulla Innocentii XII. præfata, ubi sic habetur: *Cum Sanctimoniales istæ perpetuæ vivant clausuræ mancipatæ*, *& multæ Puellæ*, *& Mulieres sæculares educationis*, *vel alia ex causa de licentia Sedis Apostolicæ in Monasteriis degant*, *ibique clausuræ leges observent*, *multæque etiam reperiantur oblatæ*, *quarum institutum à Sede Apostolica approbatum existit*, *& quæ in Domibus*, *seu conservatoriis in communi vivunt*, *has Jubilæi Indulgentias Authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus*. Hic vero intelligenda est clausura stricte talis, vi cujus ne quidem licet exire negotiorum causa, ut censent Doctores.

NOTANDUM 3. Per *Anachoretas*, *& Eremitas* non intelligi illos, qui ab hominum Societate non sunt remoti, habentque liberam eundi, & redeundi, quo voluerint, potestatem, sed eos, qui, ut vacent contemplationi, è Claustro non exeunt, sicque solitariam prorsus vitam ducunt. Tales sunt inprimis Carthusiani, & nonnulli Cistercienses, ac Religiosi, v. g. de la trappe. &c.

NOTANDUM 4. Per *incarceratos* intelligi omnes, qui ob suam culpam, aut aliam causam v. g. belli, sui juris non sunt, ut possint egredi è custodia, etiamsi pro carcere nonnunquam sit ambitus totius urbis, aut navis. Huc vero non pertinent milites & Religiosi; cum enim non detineantur aliena, sed propria voluntate, non possunt dici esse in custodia.

NOTANDUM 5. Nomine infirmorum intelligi eos, qui sic languent, ut nequeant ad Urbem tendere sine periculo gravi detrimenti magni quoad valetudinem; adeoque in eodem numero comprehenduntur etiam valetudinarii. Porro infirmitas illa debet esse *diuturna*, talis videlicet, quæ saltem tamdiu duratura præsumatur, ut nulla anni pars supersit, qua possit sanus commode ire & redire domum. Senes tamen sub eis non continentur, prout aliqui censent. Quia Pontifex censetur sumere verba in sensu obvio, ac trito, videlicet de infirmitate physica. Referendi tamen huc sunt Podagrici, leprosi, cæci, claudi, morbo caduco, si frequenter occurrat, obnoxii, Pthysici, paralitici &c. Et hoc Privilegium non solum pertinet ad personas sæculares, sed etiam Regulares, si infirmæ sunt, ut censet Van-Ranst.

NOTANDUM 6. In talibus personis requiri voluntatem seriam conditionatam eundi Romam, si non haberent tale impedimentum. Dixi *tale*, si enim solum laborent alio impedimento v. gr. quia non habent viaticum, aut carent comite, vel consensu parentum &c. non lucrabuntur hoc Jubilæum.

NOTANDUM 7. Commutationem operum pro *impeditis* non posse fieri in opera aliunde debita. patet ex Q. 32. neque in opera notabiliter inæqualia; alioquin, ut observat Gobat hic n. 109. non foret commutatio, sed dispensatio. Ea vero æqualitas operum non debet æstimari ex valore dignitatis, sed ex æqualitate meriti, vel ex fine concedentis Indulgentiam; quia Pontifex conformiter ad naturam Indulgentiarum censetur requirere studium bonorum operum.

QUÆRITUR 73. Quales soleant aliæ gratiæ annecti Jubilæo?

RESPONDEO I. Solet in Jubilæo Anni Sancti annecti, quod Regulares Apostatæ possint impune reverti ad suum Ordinem, ut patet ex Bullis *Urbani VIII.* 1625. *Clementis X.* 1675. & *Bene-*

Benedicti XIII. de qua re fuse hic tractat *Gobat* c. 6. & *P. Theodorus* in Opere *de Jubilæo.*

2. In Jubilæo Anni Sancti aliquando annectitur facultas *componendi* cum confessario circa bona injuste parta. Hæc facultas consistit in eo, quod, si quis per usuram, rapinam, furtum, aliaque illicita ratione comparavit bona, & nunc nescit eas personas, quibus facienda est restitutio, possit à Confessario obtinere condonationem restitutionis saltem ex notabili parte, aut etiam in totum juxta exigentiam circumstantiarum. Si enim v. g. in tali casu deberet in pauperes restituere mille aureos, potest illi imponi minor summa; Gobat censet locum esse compositioni etiam tunc, quando quidem scitur Dominus, sed ob distantiam loci, aut justum metum gravis infamiæ non potest fieri restitutio.

3. Conceditur Confessariis potestas absolvendi ab omnibus casibus reservatis, sive sint reservati à Papa, sive ab Episcopo, sive à Superiore Regulari. Id patet ex Bulla Clementis X. cujus intentioni etiam alii Pontifices censentur suam velle conformare in verbis dubiis, sic habet: *Datur facultas absolvendi in ordine ad Jubilæum lucrandum fideles ab omnibus sententiis, & censuris Ecclesiasticis contra illos pronuntiatis, & fulminatis à sacris Canonibus, aut Judicibus quacunque de causa; & ab omnibus peccatis, & excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam à casibus reservatis, non solum ab Episcopis, aut alias à Prælatis inferioribus, verum etiam à Pontifice ipso, etiam in Bulla cœnæ Domini, & in aliis quibuscunque constitutionibus summorum Pontificum, in foro conscientiæ tantum.* Ubi advertendum, quod licet hæresis signo externo manifestata, nisi in Bulla specialiter excipiatur, prout in Jubilæis extraordinariis solet excipi, comprehendatur in hac facultate, in Italia tamen ob speciales declarationes S. Congregationis Inquisitionis reservata manet etiam tempore Jubilæi, ut *Van-Ranst* testatur, qui nihilominus fatetur, etiam in Italia absolvi in Jubilæo posse receptatores, & imprimentes libros hæreticorum; uti & Schismaticos, quia tales in rigore non sunt eo ipso hæretici. Præterea advertendum, locum habere hanc absolutionem à reservatis, etiamsi peccatum commissum foret ex confidentia Jubilæi, & ipso tempore Jubilæi. Imo si confessionem inciperet ultimo die Jubilæi, eamque finiret altero die juxta *Van-Ranst*, valida esset absolutio, quia esset moraliter eadem confessio. Idem dicendum, si peccatum reservatum, quod oblitus fuisset tempore Jubilæi, confiteretur finito Jubilæo. Quod si quis durante Jubilæo absolutus est à peccato reservato cum proposito implendi reliqua opera præscripta, quæ tamen postea non adimplet, non reincidit in reservationem. Quia absolutio non potest esse in Sacramento conditionalis. V. Declarationes SS^mi num. 35. 36. 44. 45. 47. – 64.

4. Conceditur in Jubilæo Confessariis facultas commutandi vota omnia, exceptis votis substantialibus Religiosis, voto perpetuæ Castitatis, & voto intrandi Religionem. Ita habetur in Declaratione Jubilæi facta à Cardinali Carpegna Vicario Generali Urbis 1675. ubi sic habet: *Poenitentiarii & Parochi durante hoc anno Jubilæo commutare possunt omnia vota, exceptis castitatis, & Religionis. – Concedit pariter sua Sanctitas Confessariis Religiosis facultatem eandem absolvendi à censuris & casibus reservatis, commutandi vota, modo ea non sint substantialia Religionum, Ordinum, Institutorum &c.* Advertendum tamen, ea vota non posse commutari in Jubilæo, quæ edita, & acceptata sunt in favorem tertii, v. g. votum dandi tres aureos Petro pauperi, si Petrus eam promissionem sibi manifestatam jam acceptavit; aut votum ædificandi Monasterio Chorum, si jam fuerit acceptatum à Superiore. Aliter dicendum foret, si in hujusmodi casibus votum acceptatum fuisset à solo Deo. Quia promissiones, quæ fiunt soli Deo, censentur habere hanc imbibitam conditionem, nisi aliter de mea voluntatis destinatione disposuerit Superior, ac constitutus à Deo moderator animi Supremus, videlicet Papa. Itaque in Jubilæo commutari possunt vota jejunii, precum, peregrinationum, etiam Jerosolymam, Compostellam, ad limina Apostolorum; vota perpetua, v. gr. abstinendi à vino, dandi omni die eleemosynam, votum non nubendi, votum servandi castitatem conjugalem, votum non fornicandi, votum castitatis ad tempus v g. ad annum &c. ac tandem ipsum votum non petendi commutationem voti; & votum suscipiendi sacros ordines; & vota conditionalia sub conditione primum futura, v. g. ingrediar Religionem, si Pater consenserit &c. Econtra non possunt commutari vota Religiosis Ordinibus annexa, v. gr. votum Carthusianorum non edendi carnes, votum Societatis eundi ad Missiones, votum manendi in pignus sub paganorum potestate in Ordine Redemptionis captivorum; votum ordinis S. Francisci de Paula abstinendi à lacticiniis; votum ingrediendi Ordinem militarem, qui solum vovet castitatem matrimonialem, quales sunt Ordines S. Jacobi, Calatravæ &c. votum ingrediendi strictiorem Ordinem &c. Si quæratur, an possit commutari votum dubie reservatum, eoquod dubitetur vel de reservatione, vel de deliberatione actus, & aliis conditionibus ex parte actus, ad reservationem requisitis? Respondeo, votum non habendum pro reservato; quia Legislator non censetur reservare vota in casu dubio ob multitudinem talium casuum, quibus sæpe perturbarentur etiam pii. Cæterum in ipsa commutatione observandum est, ut vota perpetua commutentur in alias obligationes perpetuas, & vota realia in alia realia, personalia autem in personalia, universim vero commutanda sunt in opera, quæ magis conducunt ad profectum animæ, v. g. in frequentatione Sacramenti pœnitentiæ, & Eucharistiæ, lectionem librorum Asceticorum. &c. V. infra Declarationes SS^mi.

5. Conceditur in Jubilæis facultas absolvendi ab omnibus censuris, non tamen ab irregularitate. Id patet ex Declaratione facta à Clemente X. 1675. cui se conformavit Innocentius XII. 1700. sic habet: *Datur facultas Parochis tam sæcularibus quam Regularibus omnium Parochiarum Romæ durante Jubilæo Anni sancti, absolvendi in ordine ad lucrandum Jubilæum fideles ab omnibus sententiis,*

tentiis, & censuris Ecclesiasticis contra illos promuntiatis, & fulminatis à sacris canonibus, aut Judicibus quacumque de causa; ut tamen sua Sanctitas declaret, se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi, aut rehabilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum aut inhabilitatem quomodocunque contractam spectant, ne quidem in foro conscientiæ. Neque vult sua Sanctitas, ut præsens facultas illi suffragetur, qui à summo Pontifice, aut Judicibus Apostolicis, vel aliis Ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti fuit declarati, vel publice denuntiati ob sententias, & censuras Ecclesiasticas, quas incurrerunt, adeo ut isti omnes absolvi non possint, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint. Ex his sequitur, tempore Jubilæi non dari facultatem absolvendi ab irregularitate etiam ex delicto, v. g. ex homicidio occulto; quamvis Episcopus in tali casu urgente aliqua necessitate posset Clerico dare facultatem celebrandi, donec Roma obtenta fuerit dispensatio. Sequitur secundo, si quis sit excommunicatus denuntiatus ob damnum illatum proximo, v. g. ob homicidium Patrisfamilias, non posse absolvi, nisi in hoc casu satisfecerit hæredibus, puta, uxori & liberis. Censebitur autem satisfecisse, si eo modo res disposuerit, ut sine dubio secutura sit satisfactio v. g. si jam actu deposuerit pecuniam apud Confessarium, vel aliam personam fidelem. In tali ergo casu potest absolvi in foro interno, in ordine ad hoc, ut absolutus à censura etiam possit absolvi à peccatis, in foro tamen externo debebit se gerere pro excommunicato, alioquin si sit Sacerdos, celebrans fiet irregularis. V. Declarat. SS^{mi}.

6. Concedi solet in Jubilæis potestas eligendi pro confessario quemcunque Sacerdotem approbatum ab eo Episcopo, cui Sacerdos tunc temporis subditus est. Hinc non sufficit approbatio ab Ordinario pœnitentis. Hæc facultas tam in Jubilæo Anni sancti, quam in Jubilæo extraordinario competit etiam Religiosis & Monialibus, quia specialiter non excipiuntur, neque est ratio eas excipiendi urgens, præsertim quoad Moniales, quæ solent habere summam nonnunquam difficultatem circa suos confessarios. V. Declarationes SS^{mi} num. 36.

7. Non est necesse, ut commutatio votorum, aut operum præscriptorum, & absolutio à reservatis fiat, aut petatur ab uno eodemque Confessario; sed poterit fieri à diversis, ita *Gobat* n. 241. & ratio est, quia facultas non restringitur ad unum eundemque Confessarium.

8. Censet idem Author, Jubilæum semel obtentum tribuere jus ad fruendum bis Jubilæi Privilegiis etiam finito Jubilæo. *Quando*, inquit, *cæpisti mihi confiteri tempore Jubilæi, & distuli ex causa absolutionem, potero tamen transacto Jubilæo te absolvere ab omnibus peccatis, censuris, votis, à quibus poteram durante Jubilæo. Si es à me absolutus, postmodum à quovis, qui id temporis habebit potestatem in communia tua peccata mortalia, poteris petere absolutionem peccatorum, quæ prius eras oblitus, vel commutationem votorum, quorum commutationem es oblitus petere. Ita Gobat* cum communi, verum contrarium declaravit SS. D. N. Benedictus XIV. in Epistola Circulari num. 84. Multo minus possum Gobatum approbare, quod addit; videlicet etiam illa vota multis annis post transactum Jubilæum à quovis confessario posse commutari, quorum commutationem certa de causa quis noluit petere tempore Jubilæi. Id enim videtur repugnare intentioni summorum Pontificum per rationem regulatæ, in quantum decet finire, ac limitare gratiarum tempora, ne vilescant. Hæc de gratiis Jubilæo annexis, quia ad ipsam Indulgentiarum naturam non pertinent, paucis libasse sufficiat. Mei enim propositi erat, de Indulgentiis ipsis, non de Privilegiis per se cum Indulgentiis non annexis, pertractare.

Quæritur 74. An translato festo, pro quo concessa est Indulgentia plenaria, etiam transferatur Indulgentia?

Respondeo. Quamvis *P. Theodorus de Indulgentiis* p. 2. c. 1. §. 8. respondeat *negative*; sicque declaratum esse testetur à S. Congregatione Rituum 3. Sept. 1679. censeo tamen, distinguendum esse; si enim festum, pro quo Indulgentiæ concessæ sunt, non est ex sua natura, vel consuetudine mobile, non possunt transferri Indulgentiæ, translato festo, & perinde est, sive festum transferatur simul in foro & choro, sive sit solenne ac publicum, sive privatum, quia Responsa S. Cong. Indulg. mox referenda agunt etiam de translatis simul in choro & foro, & de solennibus; & decretum est generale. Id patet ex Decreto S. Congreg. edito 10. Junii 1690. quod, prout refert *La Croix* l. 6. p. 2. n. 2055. sic habet: *Translato festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali.* Idem patet ex variis Responsis S. Congreg. ubi referuntur variæ concessiones translationis Indulgentiæ translato festo, qua concessione opus non fuisset, si transferretur per se Indulgentia translato festo. Talis translatio Indulgentiæ ex speciali Indulto facta est circa festum Annuntiationis B. V. pro Congregationibus erectis à Societate Jesu per Bullam *Sixti V.* 1580. 3. Cal. Oct. cujus tenorem refert *Gobat* p. 2. de Indulg. c. 7. Et circa idem festum à S. Congregatione 1712. 25. Jan. n. 1. pro Anicensibus. Et circa festum B. Mariæ de Mercede 1712. die 26. Sept. n. 2. Et Inventionis S. Crucis pro Bohemia &c. 1726. 11. Martii. Denegata vero fuit licentia transferendi cum festo Indulgentiam in festo S. Ludovici Bertrandi 1731. 4. Octob. n. 4. ac denuo obtenta in alio festo, videlicet S. Georgii 1731. 10. Dec. n. 5. postmodum iterum negata in festis S. Magdalenæ de Pazzis, S. Angeli, & S. Alberti 1733. 16. Nov. n. 3. ubi observo, Responsa S. Congregationis negativa incidere ad festa non multum solennia in foro; econtra affirmativa ad festa solennia in choro; in utrisque tamen opus est concessione Pontificia pro translatione Indulgentiæ.

Neque obstat, quod Gregorius XIII. videatur declarasse oppositum, dum in Bulla relata à Peyrinis T. 2. V. *festum* sic habet: *Cum Festum S. Francisci de Paula post Octavam Paschæ transferri soleat,*

foleat, & ideo in dubium verti poffet, an Indulgentia die, quo feftum transferri contigerit, à fidelibus adipifci poffit, volumus, & declaramus, ut translata effe cenfeatur. Adeoque, cum declaratio non ponat, fed fupponat naturam rei, cenfendum eft, per fe independenter ab omni difpenfatione, aut nova conceffione translato fefto transferri Indulgentiam.

RESPONDETUR enim ad hanc objectionem; Pontificem non uti in hoc cafu fola *declaratione*, fed infuper prævia *difpofitione*, quæ infinuatur verbo: *volumus*. Et quod fit opus tali difpofitione, patet ex eo, quia ipfimet Religiofi hujus ordinis in eodem fefto fupplicarunt pro translatione Indulgentiæ ad diem Quadragefimæ, ut patet ex Refponfo S. Cong. Indulg. 1714. 26. Nov. n. 2.

DIXI *tamen, fi feftum ex fua natura, vel confuetudine non fuerit mobile.* Si enim Indulgentia data fuerit v. g. prima, fecunda, aut tertia Dominica Menfis, & folennitas à prima frequenter transferri foleat in fecundam, aut viciffim; videtur etiam transferri Indulgentia, maxime cum & Romæ folennitas SS. Rofarii apud Patres Dominicanos transferri foleat à prima Dominica in fecundam, quin fideles per hoc cenfeantur defraudari confuetis Indulgentiis.

QUÆRITUR 75. An Indulgentiæ juxta antiquam formulam conceffæ de *pœnitentiis injunctis* etiam valeant pro pœnitentiis *injungendis*?

RESPONDEO. Affirmative. Id enim fic declaraffe *S. Pium V.* fcribit *R. P. Bartholomæus* Ord. S. Dominici in fuo opufculo edito Neapoli 1574. fub titulo: *Confolatione de Pœnitenti*, ubi c. 4. fic fcribit: *Indulgentiæ valent ad delendas pœnas non tantum injunctas à Confeffario, aut taxatas per facros Canones, fed univerfim omnes coram divina juftitia debitas. Pro hujus confirmatione recordor, quod cum aliquando de hac quæftione loquerer cum Magiftro Ambrofio Salvio di Bagnolo, nunc Epifcopo di Nardo, refponderit; hoc ipfum dubium fe propofuiffe oretenus Pio V. fummo Pontifici, ab eodemque petiiffe declarationem. Poft longum ea de re colloquium tandem S. Pontifex oculos, & manus in cœlum elevans in hæc verba prorupit: Ego Pius V. Authoritate DEI omnipotentis, & BB. Apoftolorum Petri & Pauli declaro, & fic volo, quod quotiescunque in aliqua Bulla reperiuntur conceffæ Indulgentiæ tot annorum pro pœnitentiis injunctis, debeat intelligi non folum de pœnitentiis à confeffario injunctis, fed de pœnitentiis quocunque modo debitis, ac injungendis.*

QUÆRITUR 76. An valeant indulgentiæ Confraternitatibus v. g. Rofarii, SS. Nominis Jefu &c. conceffæ ante Decretum Clementis VIII. quo jubentur illæ Confraternitates de novo erigi, fi de novo poft illud Decretum erectæ non fuerint?

RESPONDEO. Eas non valere. Id patet ex variis Refponfis S. Congreg. fupra relatis præfertim edito 1719. 27. Nov. Excipitur Confraternitas SS. Sacramenti. De ifta enim confraternitate Julius Lavorius Em. Cardinalis Muti Auditor in Tractatu de Jubilæo, & Indulgentiis edito Romæ 1625. in 4. Part. 2. c. 14. n. 97. fic habet: *Quoad Indulgentias Societatis SS. Sacramenti eft emanatum Decretum ab eadem Congreg. Indulg. tenoris infra fcripti.*

Licet fel. rec. Paulus Papa III. per binas fuas conftitutiones conceſſerit, ut SS. Corporis Chrifti confraternitates omnes, & fingulæ ubivis locorum tunc inftitutæ, ac inftituendæ iisdem Privilegiis, conceffionibus, Indulgentiis, gratiis, & Indultis, quæ confraternitati SS. Sacramenti in Ecclefia S. Mariæ fupra Minervam de Urbe erectæ à fe largitæ fuerant, ac in pofterum elargirentur, uti, potiri & gaudere poffent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apoftolicas Conftitutiones & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præfertim vero per recol. mem. Clementis VIII. Conftitutionem de aggregationibus editam, facultates & Indulgentiæ tam fupradictæ S. Mariæ de Minerva, quam cæteris omnibus Confraternitatibus antea conceffæ, aut abrogatæ, aut faltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere Decreta funt, ex quibus in dubium revocari poffe videtur, an hujusmodi Pauli III. conceffiones priftinum fuum robur adhuc retineant. Congregatio Illuftriff. & RR. S. R. E. Cardinalium à SS. Domino Noftro Paulo divina providentia Papa V. Indulgentiarum reformatori Præfectorum, optans fummopere SS. Sacramenti venerationem, & cultum indies magis augeri, ad idque fideles fpiritualibus gratiis excitari, fpeciali Sanctitati fuæ Ordine vivæ vocis oraculo habito decernit, ac declarat, juxta easdem Pauli III. Conftitutiones omnes & fingulas Confraternitates SS. Corporis Chrifti ubique terrarum hactenus Apoftolica vel ordinaria authoritate erectas, vel de cætero erigendas absque nova, aut peculiari alia conceffione, communicatione, vel aggregatione fore, ac effe debere participes quorumcunque Privilegiorum, Conceffionum, Facultatum, Gratiarum, & Indultorum à Sanctitate fua Archi-Confraternitati SS. Sacramenti de Minerva per Breve datum Romæ apud S. Petrum die 3. Nov. 1606. nominatim & expreffe conceſſorum, ac impofterum à Sede Apoftolica concedendorum, illisque omnibus & fingulis uti, potiri, gaudere poffe, ac debere ftatim, atque Confraternitatum earundem erectio Apoftolica, vel Ordinaria Authoritate facta fuerit, fervata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Conftitutione. Non obftantibus Conftitutionibus & Ordinationibus Apoftolicis de Indulgentiis ad inftar non concedendis, nec aliis contrariis quibuscunque. Datum Romæ die 15. Febr. 1608.

R. Card. Bellarminus.

Archiepifc. Aragrinus. Secretar.

QUÆRITUR 77. An quis fæpius eodem die vifitando Ecclefiam poffit fæpius lucrari eandem Indulgentiam?

RESPONDEO negativè. Id enim patet ex variis Refponfis S. Congregationis præfertim eo quod editum eft 1717. 27. Sept.

CONFIRMATUR ex declaratione *Innocentii XI.* edita 1678. 7. Martii, atque à me in *Hiftoria Indulgentiarum* relata p. 2. S. 2. ubi declarat, quod Indulgentiæ Stationum non poffint obtineri fæpius eodem die. Item CONFIRMATUR ex Bulla 36. *Sixti IV.* ubi declarat; Indulgentiam plenariam, conceffam Ecclefiæ Mariæ de populo pro fefto Annuntiationis transferendam effe in Dominicam fequentem, fi quandoque illud fe-

 ftum

stum inciderit in aliquem diem Sabbati tempore Quadragesimæ, quo die jam aliunde in eadem Ecclesia habetur Indulgentia plenaria. Itaque non est Intentionis Pontificiæ, pro eodem die, ex eodem saltem titulo, qualis hic erat cultus B. V. Concedere eidem Ecclesiæ plures Indulgentias, possunt etiam videri dicenda Q.

Quæritur 78. An formula illa: *Præsentibus ad septennium tantum valituris*, intelligenda sit à die Dati, an vero à die Publicati Brevis?

Respondeo. Intelligenda est à die Dati. Ita declaratum fuit à S. Congregatione 1711. 23. Augusti. Circa Altaria autem Privilegiata, prodiit alia declaratio hujus tenoris.

Die 4. Febr. 1736.

Quum post expeditionem Privilegiorum Altarium in Urbe factam Brevia Apostolica, in quibus eorum concessio continetur, Ordinariis Locorum, ut par est, nonnulli præsentare negligerent, & detrectarent eorum executionem; Sac. hæc Congregatio sub die 18. Maji 1711. provide modum impositura gratiarum executioni, statuit tempus in Brevibus Apostolicis positum pro Concessione Privilegii Altaris, non à die præsentationis Brevis Ordinario Loci, sed à die datæ esse computandum. Sed cum nimis diversa distantia Locorum, ad quæ hujusmodi Brevia transmittuntur in Regiones ab Urbe remotas, per longa etiam, & incerta maris itinera, nedum multorum mensium, sed annorum spatio Epistolæ & Brevia retardentur, idque ut pluries citra oratorum negligentiam, inolevit praxis præventivè confirmationem gratiæ ad tempus concessæ expetere, eamque nondum expirato tempore primævæ concessionis expedire, ut opportunè transmissa subsecuta Privilegia ante pristinorum expirationem exequi possent; nec vacuum tempus intercederet defunctorum suffragio, & fidelium Indulgentiis.

Quoniam vero in Brevi concessionis Privilegii Altaris adjicitur clausula --- Dummodo in eadem Ecclesia nullum aliud sit Altare simili Privilegio decoratum: propositum est dubium ab EE. VV. discutiendum; an secundum Breve Prioris confirmativum subsistat? quamvis enim executione minime detur, nisi post lapsum temporis in primo Brevi præfixi: tamen, quando secundum Breve in Urbe expeditur, verè Ecclesia Privilegio Altaris decoratur.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere,

An & quomodo sit respondendum in casu? &c.

Resolutio. *Tempus non à die datæ, sed à die præsentationis Brevis Ord. esse computandum in Regionibus remotis tantum.*

Quæritur 79. An liceat recipere onera perpetua, ac fundationes ad Altaria privilegiata?

Respondeo negativè. Ita responsum est à S. Congreg. 1711. 14. Dec. Vide Hist. Indulg.

Quæritur 80. An quis possit obtinere Indulgentiam concessam sub formula: confessis, si deficiente Confessario eliciat actum contritionis?

Respondeo negativè. Ita declaratum fuit à S. Congregatione 20. Sept. 1734. Et videtur hæc generalis Declaratio etiam intelligenda de iis, qui alioquin jam putant se esse in statu gratiæ, nisi soleant bis aut ter confiteri in hebdomada, sic ut in æstimatione morali confessio præcedens respectivè ad talem personam, vel communitatem possit haberi pro præparatione ad subsequentem communionem, & sic intelligi aliqua moralis unio, ac continuum inter confessionem & communionem. Ratio est, quia S. Congregatio censetur ea requirere, quæ debet. Debet autem ab iis hominibus, qui rarius confitentur, quam bis aut ter in hebdomada, juxta modernam disciplinam Ecclesiæ requiri, ut accessuri ad S. Communionem *se probent* per confessionem, & ob reverentiam Sacramento debitam regulariter expurgent conscientiam etiam à venialibus. Cumque Decreta debeant ferri generaliter sine exceptione ob ea, quæ debent fieri regulariter, etiam hoc decretum relatè ad præfatas personas est censendum generale. Vide Declarationem SSmi. num. 3.

Quæritur 81. Quomodo sit intelligenda illa clausula: *Volumus autem, ut si aliæ Indulgentiæ Ecclesiæ concessæ fuerint, præsentes nullæ sint?*

Respondeo. Hæc Clausula declarata est ab ipsa S. Congregatione indulgentiarum 28. Aprilis 1716. per sequens Decretum: *Cùm à S. Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita Cameracensis Archiepiscopus quæsiisset, quæ sit vis & sententia Clausulæ, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet:* Volumus autem *&c. Sacra Congregatio re diligentius examinata Clausulam sic explicandam censuit, si videlicet SSm. D. N. visum fuerit; eâ minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis; neque Indulgentias certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium opus in Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasque hujusmodi Orationes recitantibus, nec iis, qui Christiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui SS. Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum Oratione 40. horarum interfiunt; neque Stationum Urbis, & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Caterum si alia Indulgentia seu plenaria, seu non plenaria in perpetuum, vel ad tempus tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christi fidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, vel Capellam visitantibus eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam Clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem facta relatione ad SSmum. D. N. die 18. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit.*

C. Cardinalis Maximus.

Loco † Sigilli. Michael Angelus Riccius. Secret.

Quæritur 82. An Indulgentiæ, quæ visitantibus certam Ecclesiam vel capellam conceduntur, possint etiam obtineri ab absentibus?

Respondeo negativè. Id patet ex pluribus revolutionibus S. Congregationis de anno 1716. 14. Dec. anno 1724. mense Januario, & anno 1732. mense Nov. Et cum ea gratia postularetur à nonnullis Confraternitatibus Bohemiæ, & Hispaniæ, constanter denegata est à S. Con-

Congregatione. Unicum exemplum hujus gratiæ reperitur pro *Sodalitate puellarum Choreis*, pessimo abusu in hac regione nostra Germaniæ introductis, *renuntiantium*, quæ satisfaciunt visitando suam Ecclesiam Parochialem. Sodalitas illa reperitur erecta in nostra Ecclesia Pollingæ; & largissimæ gratiæ illi Sodalitati concessæ cum legibus reperiuntur in Libello separato.

QUÆRITUR 83. An verum sit omnes Indulgentias ex recenti concessione Benedicti XIII. posse applicari Defunctis?

RESPONDEO negativè. *Illustrissimus Archiepiscopus de Lerma*, Secretarius S. Congregationis Indulgentiarum, mihi Romæ communicabat suam *eruditissimam* deductionem, ac supplicationem, qua postulabat à Summo Pontifice, ut ea applicatio fieret in omnibus indulgentiis. Sed tulit repulsam, prout fusius prosecutus sum in *Supplemento* ad meam *Historiam de Indulgentiis*.

QUÆRITUR 84. An in Altari privilegiato amittatur Privilegium, si in eo aliquoties non celebretur præscriptus Missarum numerus?

RESPONDEO. Privilegium non amitti, sed tantum eo die, vel tempore non suffragari, quo præscriptus Missarum numerus omittitur. Ita declaratum fuit à S. Congregatione 1720. 10. Junii. V. *Hist. Indulg.*

QUÆRITUR 85. An Privilegium Altaris privilegiati concessum cum expressione numeri Sacerdotum in Ecclesia deservientium extinguatur imminuto eo numero?

RESPONDEO. Affirmative. Ita declaratum fuit à S. Congreg. 16. Julii 1725. V. Hist. Indulg.

QUÆRITUR 86. An per aggregationem ad Basilicam Lateranensem vel aliam Ecclesiam cum aliarum Indulgentiarum communicatione etiam communicetur Altare privilegiatum?

RESPONDEO. Negative. Ita declaratum fuit à S. Congregatione 9. Maji. 1729. & 1725. 25. Martii. V. Hist. Indulg.

QUÆRITUR 87. Quinam possint concedere Indulgentias? & quales? ac quantas?

RESPONDEO 1. Papa potest concedere plenariam pro vivis, & Defunctis. Patet ex praxi.

2. *Concilium generale* accedente tacitò saltem consensu legitimi capitis potest conferre Indulgentiam etiam plenariam, illo vero legitimo capite expresse, ac rationabiliter repugnante, ne quidem poterit conferre partialem. Patet ex observantia perpetua. V. *Hist. Indulg.* p. 1. S. 1. §. 20. 21. 22. 25. & S. 2. §. 6. & §. 11. ubi habentur Indulgentiæ concessæ à Concilio Nicæno, Aurelianensi, & Lateranensi.

3. *Concilia Provincialia*, & Episcopi seclusa reservatione Pontificia, possunt quidem conferre Indulgentiam plenariam sub ratione *absolutionis*, sed non sub ratione *solutionis* ex thesauro universali Ecclesiæ. Prior pars responsionis patet ex observantia primorum temporum, dum Episcopi, maxime ad intercessionem Martyrum, aut ex aliis motivis, passim receperunt ad communionem lapsos, saltem post actam aliquamdiu pœnitentiam. Recipere autem ad communionem fuisse concessionem Indulgentiæ plenariæ, ostendi in Diss. prælim. & hic q. 4. Secunda pars probatur ex eo, quia Episcopis ex tacita intentione fidelium non committuntur merita omnium fidelium, prout committuntur Patrifamilias totius Ecclesiæ, ut ea, aut dispenset, aut offerat, prout permiserit eorum natura pro indigentibus, juxta eorundem fidelium intentionem tacitam, sic exigente lege communitatis, & vinculo charitatis.

4. *Episcopis* primum in Concilio Lateranensi 1216. potestas conferendi Indulgentias restricta est. Sic sonat: *Quia per indiscretas ac superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & Claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus dedicetur, ac deinde in anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteris *præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur.*

5. Eandem & non majorem potestatem habent *Archiepiscopi*. Ita explicat sensum Concilii Generalis Cardinalis *Ostiensis* de Indulg. c. 5. qui eo tempore vixit. V. Hist. Indulg. p. 2. S. 3. §. 10. c. 5.

6. *Cardinales* antiquitus conferebant Indulgentiam 140. dierum; nunc conferunt tantum 100. dierum. Exemplum prioris ad annum 1283. habetur p. 1. S. ult. & posterioris ad annum 1477. & 1490. ibidem. Eam vero potestatem haberi consuetudine, non scripto jure, Navarrus Not. 21. observat.

7. *Nuntii Apostolici* antiquitus conferebant tres annos Indulgentiæ; nunc annum non excedunt. Prioris exemplum ad annum 1441. habetur t. 1. S. ult. in *Joanne Cardinale de Bavaria*. Posterioris exempla refert *Gobat* tr. 4. de Indulg. c. 6. q. 20. his verbis: *Sub annum 1666. Illustrissimus Dominus Sedis Apostolicæ ad Helvetios & Rhætos Nuntius, ejusdem Sedis Authoritate per Alexandrum VII. indulta omnibus Christi fidelibus Diœcesis Constantiensis, Curiensis, Lausanensis, Basileensis concessit ducentorum dierum Indulgentias, quotiescunque devote, & flexis genibus ante imaginem S. Francisci Xaverii recitaverint orationem hanc: O Deus ego amo te &c. Dominus vero Nuntius Viennensis per suam Nuntiaturam impertiit propter eandem pietatem undecim mensium Indulgentiam, Coloniensis tantundem.*

8. *Vicarii Generales, Abbates*, Prælati, Generales, ac Provinciales Ordinum &c. *non possunt* potestate ordinaria conferre Indulgentias. Ratio est, quia antiquitus ea potestas reconciliandi pœnitentes, sicque conferendi Indulgentiam reservabatur solis Episcopis, ut constat ex D. Cypriano relato in Diss. prælim. Postea vero dignitatibus inferioribus Vicariatus, Abbatiæ &c. nunquam legitur fuisse delegata per jus aut consuetudinem.

QUÆRITUR 88. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut quis validè ac licitè conferat Indulgentias?

RESPONDEO. Requiri 1. Jurisdictionem in eos, quibus conferuntur Indulgentiæ, quia se habent per modum absolutionis, ut supra ostensum est; quando tamen Cardinales, aut Episcopi conce-

concedunt *Indulgentias Locales*, quæ valent etiam pro aliis Diœcesis alterius, aut alias non subditis, censendum est, accessisse consensum Episcoporum aliorum tacitum, sicut nunc accedit respectu pœnitentium accedentium ad confessarium alterius Diœcesis; vel potest dici, quod in ordine ad conferendas Indulgentias habeant Jurisdictionem à Summo Pontifice tacite delegatam, ut concedens Indulgentias non sit excommunicatus, aut suspensus. Cum enim concessio Indulgentiæ sit actus jurisdictionis, non esset valida cessante jurisdictione.

2. Ad conferendam Indulgentiam *authoritate propria* requiritur ad minimum Character Sacerdotalis, quia Indulgentiæ se habent per modum absolutionis à pœna, ut supra ostensum est; funaturque ea potestas in usu clavium, ut patet ex Bullis Pontificiis. Ad talem autem absolutionem in foro interno non sufficit potestas jurisdictionis, quæ respicit externa, sed requiritur potestas tradita per Sacramentum operativum circa interna, quale non est aliud, quam Sacramentum ordinis. Possunt tamen Episcopi non habentes gradum Sacerdotii ex potestate jurisdictionis conferre confessariis absolvendi à pœna potestatem; quia Presbyteri secundum se non sunt incapaces hujusmodi potestatis ad absolvendum, si ea potestas ab Episcopis positive delegetur, aut non reservetur. Talis vero concessio Indulgentiæ est alterius rationis, quam prior ordinario consueta, dum Episcopi absolvunt per se ipsos à pœna.

3. In Germania Episcopi possunt conferre Indulgentias ante confirmationem Sedis Apostolicæ; quia, ut habetur c. Nihil. de Elect. habent administrationem in temporalibus & Spiritualibus statim post electionem concorditer factam.

4. Ad licitam concessionem requiritur motivum ac causa proportionata ad quantitatem Indulgentiæ. Quia tanquam prudens œconomus divinarum gratiarum debet attendere, ne profusione nimia vilescat donum, ne liberalitate immoderata enervetur disciplina Ecclesiæ, ac lex regulariter cessante motivo extrinseco satisfaciendi congrue, præstabilita à Deo; ne denique facilitate veniæ languescat studium bonorum operum. Si hoc negligat, aget contra obligationes prudentis œconomi, seu dispensatoris, ut patet ex sensu communi Theologorum præeunte D. Thoma; imo aget contra intentionem Concilii Generalis Lateranensis, & Tridentini relati in Hist. Indulg. p. 2. f. 2. §. 6. & 26.

5. In mea sententia illa proportio causæ ad quantitatem Indulgentiæ non debet necessario esse major, quam ea, quæ sufficit ad hoc, ut saltem animæ sanctiores, quæ vel habent minima peccata, eaque levissima, vel quæ peccata graviora pœnitentiis jam maxima parte expurgarunt, vel quæ excellunt charitate instar Magdalenæ, possint lucrari plenarium fructum ejusmodi Indulgentiæ. Ad hoc enim, ut Indulgentia rationabiliter detur, ex suppositione, quod fructus Indulgentiarum sit divisibilis, sufficit, quod possit ex parte prodesse omnibus, totaliter vero plene dispositis, ac melioribus.

QUÆRITUR 89. An Indulgentiæ omnes expirent morte concedentis? Ratio dubitandi est, quia Indulgentiæ se habent per modum absolutionis; absolutio autem à mortuo dari non potest.

RESPONDEO. Indulgentias, quibus non apponitur terminus, durare etiam post mortem concedentis; etiamsi concessæ sint à delegato v. g. Nuntio Apostolico, Cardinali, Provinciali. Ita *Gobat* hic n. 646. Suarez, Lugo &c. dico tamen, eas post mortem concedentis ab uno genere transire in aliud, videlicet à genere absolutorio in genus solutorium, vel commissorium, quo videlicet concedens offert deprecatorie solutionem alienam pro præsentibus, & futuris, vel quo committit Confessariis lege stabili potestatem absolvendi etiam à pœna. Vide Declarationem SS^mi num. 8.

****

APPENDIX.
DECLARATIONES
SS. D. N.
BENEDICTI XIV.
circa
varias Quæstiones Controversas de Usu Jubilæi.

Sanctiss. D. N. Benedictus XIV. anno 1749. 3. Decembris publicavit Romæ Epistolam Circularem ad Pœnitentiarios & Confessarios Romanos, in qua dirimit & declarat varias Controversias, hactenus ab Authoribus circa usum Jubilæi, & circa facultates Confessariorum agitatas. Titulus Epistolæ prolixæ, Idiomate Italico editæ, est iste: *Lettera Circolare Della Santita di Nostro Signore* BENEDETTO PAPA XIV. *a' Penitenzieri minori, e a' Confessori deputati dal Cardinal Vicario di Roma per l' imminente Anno Santo.* Declarationes vero sunt sequentes:

I. Ad lucrandas Indulgentias Jubilæi præsentis præter Confessionem requiritur etiam Sacra Communio. num. 2.

II. Ad illas lucrandas non sufficit *sola communio sacramentalis*, quæ sumitur in statu peccati mortalis, nec *sola communio spiritualis* consistens in desiderio fervido sumendi Eucharistiam, sed requiritur communio simul sacramentalis & simul spiritualis. num. 2.

III. Ad consequendas Indulgentias hujus Jubilæi non sufficit actus contritionis cum *Confessione in voto*, sed requiritur *Confessio actualis in re.* n. 3.

IV. Quando in Bulla Jubilæi dicitur, quod à Romanis quatuor Urbis Basilicæ debeant visitari per *triginta dies*, à peregrinis vero per *quindecim dies*, perinde est, sive illi dies sint *continui sive interpolati*, dummodo illæ Basilicæ visitentur trigesies à Romanis, & quindecies à peregrinis. num. 8.

V. Ad

V. Ad lucrandas Indulgentias Jubilæi non sufficit, si quælibet illarum quatuor Basilicarum visitetur trigesies aut quindecies seorsim, sed requiritur, ut uno eodemque die visitentur omnes quatuor Basilicæ. n. 11.

VI. Liberum cuivis est, pro visitandis præfatis Basilicis computare integrum diem à media nocte usque ad mediam noctem; vel à Vesperis diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei subsequentis. n. 13.

VII. Peregrinantes Romam causa lucrandi Jubilæi, si in via aut Romæ moriantur confessi & Sacra Communione refecti, lucrantur Jubilæum, etiamsi visitationes Basilicarum inchoare vel complere nequiverint. n. 14.

VIII. Suspensio Indulgentiarum durante anno hujus Jubilæi manet, etiamsi interveniret mors Papæ. n. 18.

IX. In Bulla Jubilæi sunt omnes Indulgentiæ aliæ suspensæ, quæ non fuerunt nominatim exceptæ. n. 22.

X. In hac suspensione omnium Indulgentiarum comprebenduntur etiam omnes Indulgentiæ partiales, quæ non fuerunt nominatim exceptæ. n. 22.

XI. Durante suspensione Indulgentiarum tempore hujus Jubilæi omnes Indulgentiæ possunt applicari pro defunctis, etiamsi in earum concessione non fuit data expressa facultas, ut possent applicari defunctis. n. 23. 24.

XII. In hoc Jubilæo, dum suspenduntur omnes facultates & Indulta absolvendi à casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, non comprehenduntur facultates Superiorum Ordinum Regularium, quæcunque ipsis in Regulares sibi subjectos à Sede Apostolica tributæ fuerunt. n. 25.

XIII. In hoc Jubilæo suspenduntur omnes facultates absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ, reservatis, sive illæ facultates concessæ fuerint intuitu Indulgentiarum, vel in ordine ad Indulgentias, sive concessæ fuerint ex aliis motivis. n. 29. 30. 31. 32.

XIV. In hoc Jubilæo datur Pœnitentiariis quatuor Basilicarum facultas absolvendi quoscunque Regulares cujuscunque Instituti, etiamsi in eorum Constitutionibus, à Sede Apostolica approbatis, prohibeantur confiteri peccata sua extra propriam religionem. n. 36.

XV. Pœnitentiarii quatuor Basilicarum Urbis in hoc Jubilæo possunt absolvere ab omnibus peccatis & excessibus, quantumcunque gravibus & enormibus. n. 37.

XVI. Pœnitentiarii præfati possunt *dispensando commutare* omnia vota simplicia, etiam reservata Sedi Apostolicæ, etiamsi fuerint juramento confirmata. n. 44. 45.

XVII. *Commutare dispensando* vota idem est, ac materiam operis pii, in quod votum commutatur, & quod in sola commutatione deberet esse majus vel æquale voto, posse aliquantisper recedere ab æqualitate cum voto. n. 47.

XVIII. In Jubilæis non censetur concessa facultas commutandi vota, vel in iis dispensandi, nisi illa facultas exprimatur in Bulla. n. 47.

XIX. In hoc Jubilæo Pœnitentiarii quatuor Basilicarum Urbis non solum possunt absolvere à censuris, sed etiam possunt dispensare ab irregularitate contracta à Clericis ob ministrationem in Ordine sacro ligatis censura. n. 48. 49. 50. 51.

XX. Pœnitentiarii præfati possunt numerum visitationum triginta aut quindecim ob interveniens impedimentum commutare in alia bona opera; ita tamen ut non commutentur in opera jam alias injuncta, v. g. confessionem, communionem, & orationem. n. 52. 53.

XXI. Indulgentiæ non possunt obtineri per opera jam alias injuncta, nisi id exprimatur à concedente. n. 53.

XXII. Nec in Jubilæo potest sacerdos absolvere complicem in peccato turpi & inhonesto, si potest haberi alius sacerdos, nisi exinde posset nasci sacerdoti, vel pœnitenti infamia, aut causari scandalum. Tenetur tamen tam sacerdos quam pœnitens adhibere *omnem diligentiam* ad removendam infamiam vel scandalum. n. 58. 59.

XXIII. Pœnitentiarii Basilicarum Urbis non possunt uti facultate absolvendi à casibus reservatis extra confessionem; nec etiam facultate commutandi, aut dispensandi. n. 63.

XXIV. In Jubilæo, non obstante quod pœnitens velit lucrari Jubilæum, tenetur Sacerdos imponere pœnitentiam salutarem, & pœnitens tenetur eam non solum acceptare, sed etiam implere. n. 64. 65.

XXV. Pœnitentiarii habentes facultatem absolvendi à censuris incursis ob damnum alicui illatum non possunt absolvere pœnitentem, nisi satisfecerit parti læsæ, aut nisi sub juramento promittat, se satisfacturum. n. 66.

XXVI. Alii Confessarii, constituti à Vicario Generali Urbis, non habent aliam potestatem dispensandi, vel commutandi visitationes Basilicarum Urbis in alia opera pia, quam habent Pœnitentiarii Basilicarum. n. 67.

XXVII. Religiosi, vel Parochi, vel uxores non habent potestatem eundi Romam ex motivo lucrandi Jubilæum sine licentia & consensu aliunde necessario suorum Superiorum. n. 68.

XXVIII. Quando in Bulla Jubilæi dicitur; quod *Romani* teneantur visitare quatuor Basilicas per triginta dies, sub hoc termino, *Romani*, intelliguntur omnes, qui *nati sunt & habitant* Romæ vel qui nati sunt Romæ & habitant in ejus districtu ad quinque milliaria, nempe Italica. Sub nomine autem *Incolarum Urbis* intelliguntur ii, qui alicujus negotii causa se Romæ detinent ultra sex menses, in quorum numero veniunt etiam Aulici, Procuratores, Advocati, Studiosi, Mercatores, habentes causam forensem. n. 69. 70. 71. 72.

XXIX. Sub nomine peregrinorum & forensium intelliguntur omnes alii, qui non comprehenduntur sub nomine Romanorum vel Incolarum Urbis. n. 72.

XXX. Etiam illi, qui veniunt Romam ex alio motivo, quam causa lucrandi Jubilæi, tenentur per triginta dies visitare quatuor Basilicas Urbis, si volunt ea occasione lucrari Jubilæum. n. 72.

XXXI. Quamvis Pontifex ardenter desideret, ut omnia opera pro lucrando Jubilæo requisita fiant in statu gratiæ ac proin, ut fiant post fructuosam confessionem vel contritionem, non tamen excludit à fructu Indulgentiæ eum, qui visitando Ecclesias se disponit ad reconciliationem cum Deo, & saltem ultimum opus peragit in statu gratiæ, & visitationes Ecclesiarum fiant devote, hoc est, cum intentione ac voluntate honorandi Deum & Sanctos, atque ut eundo ad Ecclesias & intrando Ecclesias id fiat cum modestia, & ibi exerceatur aliquis actus religionis. n. 73. 74. 75. 76.

XXXII. Hinc non lucrantur Jubilæum, qui eunt ad Ecclesias sine ullo fine bono, sed ex mera curiositate; & si tantum itur animo spatiandi; & multo magis illi, qui constituti in peccato mortali habent animum alios inducendi ad peccatum. n. 76.

XXXIII. Ad lucrandum Jubilæum tenentur confiteri etiam illi, qui habent solum peccata venialia. n. 77. 78.

XXXIV. Qui confessus est ante primam visitationem Basilicarum & dein incidit in peccatum mortale, non satisfacit lucrando Jubilæo, si ante ultimum opus præscriptum eliciat contritionem, sed tenetur confiteri ante ultimam visitationem Basilicarum; non tamen tenetur repetere præcedentes visitationes Basilicarum. n. 79.

XXXV. Etiam infantes necdum admissi ad sacram Communionem possunt lucrari Jubilæum, ita tamen ut Confessarii iis sacram communionem commutent in alia pia opera. n. 80.

XXXVI. Ad lucrandum Jubilæum non requiritur, ut lucraturi ingrediantur Basilicas per Portam sanctam. n. 81.

XXXVII. Qui ante publicationem Indulti, quod interdum durante anno sancto fit pro diminutione visitationum, si jam ante Indultum Ecclesias aliquoties visitavit, potest eas visitationes computare in numerum visitationum reductum & si jam complevit omnes visitationes in Indulto requisitas, satisfacit pro lucrando Jubilæo, dummodo supperaddat saltem unam visitationem. n. 82.

XXXVIII. Ad lucrandas Indulgentias Jubilæi sufficit pia oratio vocalis; laudandus vero est, qui orat mentaliter, dummodo etiam adjungat aliquam orationem vocalem. Et quamvis oratio brevis facta magno fervore possit satisfacere intentioni Pontificis; attamen brevitas orationis solet procedere ex parva devotione, aut ab exiguo affectu ad exercitia spiritualia, aut ex negligentia & tædio. n. 83.

XXXIX. Pro lucrando Jubilæo necessarium est, ut oretur Deus pro exaltatione Ecclesiæ, extirpatione hæresum, concordia Catholicorum Principum, salute & tranquillitate populi Christiani. n. 83.

XL. Nemo quidem potest eodem die per iteratam visitationem Ecclesiæ sæpius lucrari eandem Indulgentiam juxta Decretum Congregationis Indulgentiarum expresse approbatum à S. M. Innocentio XI. & legaliter promulgatum 7. Martii 1678. ubi dicitur: *Semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.* Verum cum hac in parte non agatur de Jubilæo duarum hebdomadum, sed de Jubilæo integri anni, Indulgentia hujus Jubilæi intra annum sæpius obtineri potest, si præscripta pia opera sæpius repetantur. Sed aliæ gratiæ Jubilæo annexæ, si quis post primam lucrationem de novo incurrit censuram, vel casum reservatum; aut de novo opus habeat commutatione votorum, de novo obtineri non possunt. n. 84.

XLI. In Jubilæo non datur facultas absolvendi ab hæresi externa. n. 85.

XLII. Quamvis ille, qui habuit verum propositum adimplendi requisita pro Jubilæo, & propterea in confessione obtinuit absolutionem à censuris, vel commutationem votorum, non reincidat in censuras, nec annulletur prior commutatio, si proposito mutato requisita Jubilæi non adimpleat, peccat tamen talis mortaliter, quia in re gravi defraudat intentionem concedentis facultatem Confessariis. n. 86.

XLIII. Aliis Confessariis Regularium deputatis à Vicario Generali Urbis pro anno sancto relatè ad pœnitentes regulares suos Collegas præter potestatem ferme eandem, quæ data est Pœnitentiariis Basilicarum Urbis, concessa insuper est facultas dispensandi cum illis circa irregularitatem incursam ob violationem censurarum. Hæc tamen specialis facultas non competit aliis Confessariis non deputatis à Vicario Generali. n. 88.

XLIV. Aliis Confessariis ex Clero Sæculari, specialiter à Vicario Generali Urbis non deputatis pro anno sancto, uti etiam Confessariis Regularibus, nec datur nec aufertur aliqua specialis facultas, si quam habent; quia suspensio facultatum solum comprehendit Confessarios existentes extra Urbem. n. 89.

Hæ sunt Declarationes SS. D. N. BENEDICTI XIV., quæ in ejus præfata Epistola Encyclica fuse exponuntur. Hujus tenor est, ut sequitur:

EPISTO-

EPISTOLA CIRCULARIS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PP. XIV.

Ad Pœnitentiarios Minores, & Confessarios à Cardinali Vicario Urbis deputatos pro imminente Anno Sancto.

In qua indicantur

Disputationes, & Controversiæ alias excitatæ, & sublatæ à Sanctitate sua in tribus Constitutionibus,

nempe

in una incipiente

PEREGRINANTES,

& alia:

CUM NOS NUPER,

& tertia:

CONVOCATIS,

Quæ ab eadem Sanctitate sua publicatæ sunt pro proximo Anno Sancto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii,

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

I.

De variis controversiis spectantibus ad Jubilæum, & quomodo solvantur.

Inter labores, quos subivimus, ac etiamnum subimus, ut Imminens Annus Sanctus, qua ratione oportet, celebretur, & fideles consequantur fructum spiritualem sanctæ Indulgentiæ, ultimum certè locum non habuit labor perscrutandi, & legendi libros, qui tractant de Jubilæo Anni Sancti, numero certè non pauci. Eos legendo observavimus, quod aliqui tractent, & resolvant controversias recipiendo unicè ad ea, quæ scripserant eorum prædecessores, & resolvendo puncta juxta rationis convenientias, ac captum proprii intellectus sine ullo respectu ad constitutiones Summorum Pontificum, in quibus indicitur fidelibus Jubilæum Anni Sancti, cum tamen in iis, inserta inveniantur aliqua verba, præcedentes controversias dirimentia. Alii authores sunt, qui accuratè considerando verba dictarum Bullarum Pontificiarum, eadem benè ponderare non omittunt. Hinc consequenter pro diremptis habent excitatas contentiones ab authoribus, qui vel scripserunt ante emanatas Constitutiones præfatas sublativas difficultatum; vel si scripserunt post eas, scripserunt sine debitis reflexionibus ad verba Apostolicarum Constitutionum. Imminens Annus Sanctus, si placebit Deo Maximo prolongare nobis vitam ad illud usque tempus tertius erit, quem Nos vidimus Romæ celebrari: & benè recordamur Disputationum, quæ non sine fervore agitabantur inter Confessarios Urbis & Confessarios extra Urbem, quando hic terminata celebratione Anni Sancti locis extra Urbem Jubilæum transmittebatur. In Constitutionibus, quas de Anno Sancto edidimus, inseruimus quædam verba, quæ nec à Nobis, nec à Doctoribus, qui ante nos scripserunt, habita fuere tanti valoris, ut aufferant difficultates antecedenter excitatas. Fecimus equidem quasdam Declarationes circa nonnullas quæstiones, quæ hactenus manserant indecisæ, & quæ resolutæ dici non poterant vi tantum verborum Constitutionibus insertorum: at non exinde promittimus Nobis, quod solverimus omnia dubia, quæ in mentem venerint hominibus cerebri nimis subtilis, & Metaphysici, utilis quidem pro materiis speculativis, sed tanto incommodi pro materiis moralibus. Speramus tamen stravisse viam, quam alii minùs ac Nos occupati, prosequi poterunt liberis vestigiis. Atque ut omnia, quæ egimus, aliis utilia evadant, præsertim Confessariis, & animarum Directoribus, dirigimus ad vos, Dilecti Filii, hanc Nostram Circularem Epistolam, adimplentes hoc modo promissionem, quam dedimus in Nostra Allocutione Consistoriali habita à Nobis in Consistorio die 5. Maji Anni currentis 1749. Ut omnis excludatur confusio, & debito ordine procedatur, tractabimus particulatim de qualibet Constitutione de Anno Sancto à Nobis publicata usque in præsentem diem.

D. Amort Tr. de Pœnitentia.

I.

De Apostolica Constitutione, quæ incipit PEREGRINANTES, *in qua indicitur Universale Jubilæum Anni Sancti, publicata die 15. Maji Festo Ascensionis Domini 1749.*

2\. In hac Nostra Constitutione sequentia leguntur verba: *Verè pœnitentibus, & confessis, sacraque communione refectis.* Nos primi sumus, qui confessioni univimus Communionem, annumerantes eam inter opera injuncta, & præscripta pro consequendis Indulgentiis Anni Sancti: Motiva Communionis adjungen- — De Communione Sacramentali.

jungendæ fuerunt à Nobis expressa in Nostra Allocutione Consistoriali facta in Consistorio habito die 5. Maji 1749. Non arbitramur, excitari posse quæstionem, utrùm nomine Sacræ Communionis intelligatur Communio Sacramentalis, vel Communio Spiritualis, licet Sacrum Concilium Tridentinum (a) facit mentionem de tribus communionibus, nempe de sola sacramentali, quæ est illorum, qui eam recipiunt in peccato mortali; de sola spirituali, quæ est illorum, qui summè desiderantes gustare Panem Eucharisticum cum fide viva, *quæ per dilectionem operatur*, exinde fructum & utilitatem sentiunt: & de Sacramentali simul, & spirituali, quæ est illorum, *qui prius ita se probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad Divinam Mensam accedant*. Nos sub nomine Sacræ Communionis intelleximus, & intelligimus Communionem Sacramentalem simul & spiritualem: hic quippe sensus obvius verborum est; nec unquam credimus, alicui in mentem venire posse, quod nomine Sacræ Communionis intelligi possit sola Communio Sacramentalis, sicuti etiam bene advertit *Pater Passerinus* (b) non obstante, quod iste, licet scripserit post damnationem propositionis factam ab Alexandro VII. 7. Septembris 1665. *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, scripserit tamen ante damnationem propositionis, factam à venerabili Servo Dei Innocentio XI. 3. Martii 1679. *Præcepto communionis annuæ satisfit per Sacrilegam Domini manducationem*.

De Confessione Sacramentali.

3. In celebri Constitutione Bonifacii VIII. incipiente *antiquorum* sub titulo: *De Pœnitentiis & remissionibus, inter extravagantes communes*, ubi indicit Jubilæum Anni Sancti, sequentia leguntur verba: *Verè pœnitentibus & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur*: & in Extravagante *Unigenitus* Clementis VI. libro Sexto, tit. eodem, leguntur hæc alia verba: *Verè Pœnitentibus & confessis*: & ex his verbis quandoque orta est gravis quædam controversia, utrùm ad consequendam Indulgentiam sufficiat confessio *in voto*, vel requiratur etiam confessio *in re*, quod idem est, ac quærere, utrùm ad consequendam Indulgentiam necesse sit Sacerdoti peccata actualiter confiteri, vel utrùm etiam sufficiat de illis pœnitere cum vero actu contritionis, & proposito peccata confitendi, differendo ad aliud tempus confessionem, & speciatim ad Paschale, quo tempore quilibet fidelium obligatus est ad recipiendam Sacram Communionem.

4. Quæstio ista indicata quidem est, sed non fuit resoluta *à Cardinali de Lugo* (c) Nos eam invenimus formaliter discussam. *Ludovicus Bologninus* clari nominis Canonista in suo Tractatu de Indulgentiis inclinat in sententiam, quod sufficiat actus Contritionis cum dicto proposito. *Felinus Sandeus*, vir etiam celebris per suos Commentarios in Jus Canonicum, in suo Tractatu *de Indulgentia plenaria*, in eandem inclinat sententiam, sed asserit, quod contraria sit magis secura. Opera *Bolognini*, & *Felini* sunt impressa in Tractatibus, qui vulgariter appellantur *Magni*. (d) Insignis Theologus *Sylvester* in sua summa (e) post manifestatam suam inclinationem in sententiam confessionis *in voto*, consulit actualem confessionem pro consequendis Indulgentiis: & eidem sententiæ subscribit etiam Venerabilis Cardinalis *Bellarminus* (f). *Santarelli* (g) multo & accurato studio colligit Authores, qui stant pro una, & pro altera opinione, & requirit actualem confessionem pro consequenda Indulgentia Anni Sancti, & Authoribus ab hoc ipso collectis Nos adjungemus *Joannem Baptistam Pauliani* (h), qui scripsit in Jubilæum Anni Sancti, publicatum à Julio III. qui tenet, requiri actualem confessionem vigore verborum *verè pœnitentibus & confessis*.

5. *Navarrus* adeò celebris, qui quondam secutus est opinionem, quod sufficiat confessio *in voto*, motus Authoritate Cardinalis *Cajetani*, in suo Tractatu de Jubilæo (i) illam deseruit, & egregius evasit assecla opinionis, quæ actualem requirit confessionem, referens grandem utilitatem, & fructum, quem sciebat provenisse ex practicata opinione, requirente actualem confessionem. *Pater Viva* (k) qui scripsit occasione Jubilæi Anni Sancti publicati ab Innocentio XII. & *Pater Constantini* (l) in suo Tractatu de Anno Sancto publicato à Benedicto XIII. asserunt, quod sub verbo *verè pœnitentibus* comprehendantur peccatores contriti: attamen verbis *verè pœnitentibus* adjungendo alia, & *confessis*, in his ultimis præscribatur confessio actualis.

6. Hæc

(a) Seff. 13. cap. 8.
(b) De Indulgentiis quæst. 43. & 44.
(c) De Pœnit. Disp. 27. Sect. 6. num. 94.
(d) Tom. 14. edit. Venet. anno 1584. pag. 145. à terg. pag. 158. à terg.
(e) In verbo: *Indulgentia* num. 20.
(f) Tom. 2. controversiarum lib. 1. de Indulgentiis cap. 13. §. tertia quæstio.
(g) Variarum resolut. quæst. 76. a num. 7. usque ad num. 13.
(h) Lib. 3. cap. 2. pag. 147. & sqq.
(i) Notabil. 18. num. 1. & sqq. & num. 6.
(k) De Jubil. quæst. 8. art. 3.
(l) Part. 2. art. 5.

6. Hæc sententia dici potest adoptata judicio sanctæ Sedis, siquidem in Congregatione Indulgentiarum proposita fuit quæstio, utrum, quemadmodum Missionarii, existentes in Infidelium Regionibus, licitè Sanctam Missam celebrant præmisso actu contritionis propter peccatum commissum, non existente ibi Confessario, cui confiteri possint, & die festiva urgente, ne fideles Sancta Missa priventur: ita etiam debeant dici capaces consequendi Indulgentias concessas *verè pænitentibus & confessis*, qui actum contritionis eliciunt, & confessionem non præmittunt; dicta Congregatio respondit, istos Indulgentiarum capaces non esse, sed supplicandum esse Summo Pontifici, ut eos per novam gratiam capaces reddat, ut adeo contriti sine præmissa confessione, copia Confessarii deficiente, efficiantur habiles ad consequendas dictas Indulgentias. Et Noster Prædecessor Clemens XII. approbavit resolutionem, gratiamque concessit. Documenta adducuntur in opere *Patris Theodori* Consultoris dictæ Congregationis Indulgentiarum. (m)

7. Nos sub his terminis *verè pænitentibus & confessis*, intelleximus, & semper intelligemus actualem confessionem, quam inter opera injuncta reponimus, adimplenda pro consequendis Indulgentiis. Sufficiens forsitan fuisset hæc nostra declaratio opportunum tamen duximus fore, si exponerentur fundamenta præfata, quibus innixum est nostrum judicium.

De visitatione Basilicarum. 8. In Bulla *Peregrinantes*, post præscriptam visitationem quatuor Basilicarum, nempe S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, adjungitur, dictam visitationem faciendam esse *semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, sive naturales, sive Ecclesiasticos, nimirum à primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani vel incolæ urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies.* Quibus verbis bene, & sicuti Nos ea intelligimus, intellectis, è medio tolluntur duæ alias excitatæ controversiæ.

9. Prima est, utrùm, sicuti visitatio quatuor Basilicarum fieri potest juxta tenorem Constitutionis in diebus interpolatis, veluti exempli gratia fieri potest una visitatio quatuor Basilicarum decima mensis Januarii, & alia visitatio quatuor Basilicarum decima quinta; ita etiam fieri potest visitatio e. gr. duarum Basilicarum in uno die, & visitatio aliarum duarum Basilicarum in uno alio die, usque dum sit completus numerus triginta vel respective quindecim visitationum pro qualibet Basilica.

10. Verba *saltem semel in die* etiam leguntur in citata decretali Bonifacii VIII. *Antiquorum*: & *Glossa* commentans in dicta verba testatur, quod dictus Pontifex in Consistorio declaraverit, Visitationes Basilicarum fieri posse modo paulo ante adducto, hoc est, unius visitationem Basilicæ in uno die, & alterius in altero, dummodo numerus visitationum cujuslibet Basilicæ sit trigesimus, quantum ad Romanos, & decimus quintus, quantum ad Peregrinos, & externos. Si factum à Glossa relatum subsistit, credimus, dicendum esse, quod Pontifex Bonifacius non jam declaraverit, talem esse sensum verborum *saltem semel in die*, sed quod concesserit gratiam particularem, vi cujus, non obstante contraria dispositione suæ decretalis, visitationes Ecclesiarum modo adducto peragi possent: & sane quicunque temporibus subsequentibus scripserunt in Bullas Jubilæi Anni Sancti, in quibus semper inveniuntur verba; *saltem semel in die*, attendendo, quòd dicatur *in die* in singulari, & non *in diebus* in plurali, dixerunt, visitationem quatuor Basilicarum in uno die esse faciendam. Videri possunt *Navarrus* (n) & *Benzonius* (o). Ita pariter ratiocinantur *Santarelli* (p), *Lavorius* (q), *Quarti* (r), *Passerinus* (s), *Pasqualigo* (t), *Riccius* (u), qui hoc etiam adjunxit, quod, quando à Summis Pontificibus in Anno Sancto Basilicæ visitantur, visitentur omnes quatuor in uno die.

11. Hoc non obstante, occasione Anni Sancti 1700. intimati à Pontifice Innocentio XII. operæ pretium fuit habitum, in quadam Congregatione particulari, ex variis Cardinalibus & Prælatis composita, novo examini supradictum punctum subjicere, utrùm visitatio quatuor Ecclesiarum facienda sit in uno solo die, vel utrum etiam fieri possit in diebus interpolatis, visitando e. g. duas Ecclesias in uno die, & duas in altero: & unanimi votorum concordia fuit resolutum, visitationem omnium qua-

Yy 3

(m) De Indulgent. part. 1. cap. 11. art. 5. in fine.
(n) De Jubil. & Indulg. notab. 32. n. 41.
(o) De Anno Jubil. l. 5 dub. 5.
(p) Variar. resolut. quæst. 75. n. 1. & sq.
(q) De Jubil. & Indulg. part. 1. c. 17. n. 5.
(r) Tract. de Jubil. punct 2. dub. 1.
(s) De Indulg. q. 49. n. 363.
(t) De Jubil. qu. 45.
(u) Tract. de Jubil. cap. 117.

quatuor faciendam esse in uno die: atque ita etiam intimatum fuit in quadam Notificatione, publicata à Cardinali *Gasparo de Carpegna*, tunc temporis urbis Vicario, Nomina eorum, qui Congregationi interfuerunt, & ejusdem resolutio registrata est à *Joanne Riganti* in regulas Cancellariæ (x); & declaratio habetur typis edita à *Patre Viva* (y) est etiam indicata à *Patre Vanranst* (z). Et Nos adhærentes obvio sensui verborum *semel saltem in die*, communi Doctorum opinioni, & præcedentibus resolutionibus, in Nostra Constitutione *Peregrinantes* declaramus, & protestamur, Nos intellexisse, visitationem quatuor Ecclesiarum in uno die esse faciendam.

De die, quo visitari debent quatuor Ecclesiæ.

12. Secunda Controversia respicit conditionem diei, quo, sicuti dictum fuit, facienda est visitatio quatuor Ecclesiarum. Aliqui crediderunt, diem metiendum esse à media nocte præcedente, ad alteram mediam noctem subsequentem, e. g. à media nocte diei Jovis usque ad mediam noctem diei Veneris subsequentis. Alii deinde crediderunt, diem mensurandum esse à primis vesperis diei præcedentis ad vesperas diei subsequentis, v. g. à vesperis diei Jovis, usque ad secundas vesperas diei Veneris subsequentis, hoc est, usque ad principium noctis, sive usque ad horam vigesimam quartam diei Veneris; completorium quippe est orationum diei complementum.

13. Examinata fuit hæc controversia occasione Anni Sancti celebrati à Pontifice Clemente X. & resoluta non fuit, veluti testatur *Febeus* (a). Exposita fuit novo examini occasione Anni Sancti indicti ab Innocentio XII. *Riganti* loco citato adhæsit sententiæ, quod dies computandus sit à primis vesperis usque ad vesperas diei subsequentis neque omisit validissimas afferre rationes pro suo assumpto, proponens hanc valde opportunam suo proposito reflexionem, quod sanctæ Portæ aperiantur in Vigilia Nativitatis Domini Nostri ante vesperas & claudantur in subsequenti Vigilia Nativitatis Domini post vesperas, hoc est, versus solis occasum. Rationes istæ approbatæ, & assumptæ fuerunt à quibusdam, qui congregationi fuere præsentes, & ab aliis, quorum opiniones ab eadem congregatione fuerunt postulatæ. Alii deinde ex congregatione, & etiam nonnulli ex iis, quæ consulnit eadem congregatio, sequebantur sententiam, quod dies mensuranda esset à media nocte ad alteram. Prævaluit hæc opinio, ùt videri potest apud eundem *Riganti*: & in citata Notificatione Cardinalis *de Carpegna* Vicarii, declaratum fuit, quod dies à media nocte ad alteram incipere, & finire intelligatur. Nos autem, ut fideles visitationem quatuor Basilicarum imminente Anno Sancto facilius adimplere possint, in nostra constitutione abscidimus omnem disputandi occasionem, declarantes, quod visitatio quatuor Basilicarum fieri possit vel primo, vel secundo modo, hoc est, ab una media nocte ad aliam mediam noctem, vel à vesperis diei præcedentis, usque ad vespertinum crepusculum diei subsequentis.

De confluentibus, qui visitationes præscriptas adimplere non possunt.

14. Denique in citata Constitutione *Peregrinantes* stabilitur, quod illi, qui iter ad urbem aggressi fuerint, vel in urbe advenientes complere non possunt, aut inchoare visitationem Basilicarum, morte præventi, vel alia legitima causa detenti, consequantur fructum Indulgentiæ, dummodo sint pœnitentes, & confessionem deposuerint, & Sacro-sanctam Eucharistiam receperint: *Eosdem verè pœnitentes, & confessos, ac sacra Communione refectos prædictæ Indulgentiæ, & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus à Nobis præscriptis re ipsa visitassent.*

15. Bonifacius Papa VIII. in sæpius citata sua Decretali *Antiquorum*, in qua Annum Sanctum indicit, prædictam declarationem comprehensivam Externorum, aut Peregrinorum non inseruit: propterea ab eodem facienda fuit verbalis declaratio in Consistorio in favorem Externorum, velut testatur *Glossa* in decretalem *Antiquorum* (b) inter Extravagantes communes. Orta postea fuit quæstio; utrùm, non facta hac declaratione, illi, qui Romam venire intendentes, & iter jam incohantes, aut omnino Romæ advenientes, non tamen aut inchoare, aut finire potuissent præscriptam Basilicarum visitationem, sint consecuti Indulgentiam Jubilæi, dummodo verè de peccatis pœnitentes confessi fuerint. Nec defuit non nemo, opinans, quod eam consequerentur. Alii majoris fidei, & nominis contrarium tulerunt judicium, tenentes, Indulgentiam sola voluntate non esse consequendam, sed

(x) Tom. 4. ed regulam 53. à n. 22. usque ad fin.
(y) De Indulgentiis pag. 668. edit. Patavin. anno 1715.
(z) Opusc. de Indulg. & Jubil. q. 7. n. 10.
(a) De Anno Jubil. part. 2. cap. 15. pag. 141.
(b) Vers: *Sed quæro, aliquis verè pœnitens & confessus.*
(c) Inter tractatus magnos cit. tom. 14. pag. 159. à tergo n. 36.
(d) Lib. 3. de Jubil. cap. 5.

sed requiri effectum. Ita discurrit *Felinus* in suo Tract. de Indulg. (c) supra citatus *Joannes Baptista Pauliani* (d) hoc assumptum variis probavit Argumentis. Similis controversia tractatur à *S. Thoma* (e) ubi inquirit, utrùm ille, qui crucintam assumpsit vestem, iturus pro recuperanda Terra sancta, propter quam insignem actionem consequebatur Indulgentiam plenariam, eam consecutus sit, si in statu veræ pœnitentiæ existens moreretur ante inceptum iter? Et sanctus Doctor respondet; necesse esse, ut bene observetur textus concessionis Indulgentiæ; propterea quod si in textu dicitur, Indulgentiam concedi illi, qui cruce se vestit, cruce signatus illicò Indulgentiam aquirit, ejusdemque fit particeps, si moritur, priusquam iter inceperit: quod si in textu concessionis Indulgentia ista solum restringatur ad illos, qui mare transmeabunt, crucesignatus, qui ante superatum mare moritur, Indulgentiam non consequitur.

16. Clemens Pontifex VI. qui reduxit Jubilæum à centis annis præfixis à Bonifacio VIII. ad annos quinquaginta, in sua Decretali *unigenitus* titulo *de pœnitentiis & remissionibus* inter Extravagantes communes, primus fuit, qui declarationem in favorem Peregrinorum & Externorum edidit, editamque prædictæ suæ Decretali inseruit: atque exinde celebris Jurisconsultus *Joannes de Anania* Archidiaconus Bononiensis in suo Tractatu *de Jubilæo*, sub rubrica *de sortilegiis*, post proposita ad discussionem quatuordecim dubia, spectantia ad materiam *de Jubilæo n. 9.* sequens reponit dubium: *dubitatur de illo, qui ivit usque ad mediam viam, & non potuit ulterius ire; de illo, qui non implet numerum dierum*: & ad hoc dubium ita respondet: *ista tolluntur in Bulla præcedenti*, quæ est Clementis VI. supra ex Ipso adducta. Eadem declaratio habetur in Constitutionibus, & Indictionibus Annorum Sanctorum factis à Summis Pontificibus Successoribus. Et Nos omnem controversiam tollere volentes, eorumque exemplum libentissime secuti, dictam declarationem inseruimus nostræ constitutioni *Peregrinantes*. Advertendum tamen est, quod hæc declaratio unicè comprehendat Externos & Peregrinos, neque se extendat ad Romanos, vel ad urbis incolas, veluti etiam bene notavit *Benzonius* (f), propterea quod Romanis, & in urbe habitantibus impeditis, & Basilicas visitare impotentibus alia via, & modo provideatur, sicuti alibi dicetur.

(c) Inter tractatus magnos cit. tom. 14. pag. 159. à tergo n. 36.
(d) Lib. 3. de Jubil. cap. 5.
(e) Quodlibet 2. art. 16.

II.

De Constitutione incipiente: CUM NOS NUPER, *signata die* 17. *Maji* 1749.

17. In primis quinque Jubilæis non legitur, suspensas fuisse alias Indulgentias, neque etiam reliquas facultates absolvendi à casibus reservatis: & primus qui dictam suspensionem fecit occasione Anni Sancti, fuit Sixtus Papa IV. uti videre est in sua Decretali *quemadmodum* titulo de *pœnitentiis & remissionibus*, inter extravagantes communes, qua invitat fideles, ut Romam veniant, & plenariam consequantur Indulgentiam, quam Fidelibus in Anno sancto obtulerat. Ipsius exemplum secuti sunt alii Ejusdem Successores. Aliqui suspensionem Indulgentiarum, & facultatum inseruerunt eidem Bullæ, in qua Jubilæum Anni Sancti indicebant. Ita practicavit Sixtus IV. Alexander VI. idem fecit, sed per separatam Constitutionem. Exemplum Sixti IV. in omnibus & per omnia prosecutus est Clemens VII. & Julius III. uti apparet ex Bullis Jubilæi. & Gregorius XIII., qui suspensionem facultatum, & Indictionem Jubilæi per distinctas iterum Bullas innotescere fecit, sicuti antea fecit Alexander VI.: & ita succedentibus temporibus observatum fuit. *Sirus*, *Valentia*, *Salas*, nominati à *P. Baldello* (g) quos & ipsemet secutus est, dixere, superfluam esse dictam suspensionem, cum aliunde jam inserta esset Juri Canonico in Decretali Sixti IV. uti paulo ante dictum fuit. Non ignoramus; habendas in honore esse non eas tantumodo Decretales, quæ insertæ sunt Collectionibus factis jussu Gregorii IX. Bonifacii VIII. Et Clementis V. sed illas etiam, quæ Extravagantes Communes appellantur, inter quas habetur memorata Sixti IV.; siquidem quanquam Collectio istarum facta fuerit privata authoritate, nihilominus tamen fons unde emanarunt, idem ipse est, quem habent omnes aliæ, propterea quod & istæ, & illæ suam sumpserint originem ab ipsa Apostolica Authoritate, uti optime etiam advertit Ven. Frater de facto *Episcopus Volterraneus* (h) in suo Opere nuper in lucem edito. Attamen reflectentibus Nobis, quod saltem in dubium rationabiliter vocari possit, utrum suspensio indulgentiarum & facultatum facta à Sixto Papa IV. non fuerit revocata; exinde originem duxit necessitas novæ suspensionis tam quoad Indulgentias, quam quoad facultates, quæ suspensio fieri solet,

De suspensione Indulgentiarum durante Anno Sancto

(f) De Anno Jubilæi Lib. 5. dub. 10.
(g) Tom. 1. Theol. Moral. Lib. 5. de Lege Disp. 10. n. 8.
(h) Institution. Juris Canon. cap. 59. n. 8.

solet, quando Annus Sanctus indicitur.

18. Suspensio Indulgentiarum & facultatum facta à Sixto IV. sequentibus fuit expressa verbis: *usque ad nostrum, & ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus, illasque, durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ, suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari*: & quantum statuitur per clausulam *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, durat etiam post mortem Pontificis eam stabilientis: enimvero stabilitum non cessat, si non est revocatum à Successore: *si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur; tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à Successore fuerit revocata*: quod non contingit, quando Pontifex concedit quidquam *usque ad suæ voluntatis beneplacitum*, Concessio enim expirat per mortem concedentis: *si gratiose tibi à Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, hujusmodi gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat*; sunt verba Bonifacii Papæ VIII. (i).

19. *Navarrus* in suis Consiliis (k) dicit, se ad amussim examinasse istam materiam: & profecto suso de eadem calamo scripsit in suo Tractatu *de Jubilæo & Indulgentiis* (l) ubi post examinatam significationem clausulæ *ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, dicit, certam esse mortem Sixti IV. sed incertum esse, utrum hic ante suum obitum revocaverit suspensionem, vel utrum quidam alius Ejusdem Successor hoc fecerit: quapropter se ostendit sequacem opinionis tenentis, suspensionem Sixti etiamnum durare. Vixit *Navarrus* temporibus Gregorii XIII. & ubi observavit, quod hic Pontifex in suspensione Indulgentiarum Anni Sancti adhibuerit clausulam *ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, desuper locutus est cum officialibus Romanæ Curiæ, qui Eidem responderunt, Sixtum Papam nunquam universalem fecisse suspensionem Indulgentiarum, neque prætendi posse, inductam fuisse hanc revocationem præterlapso Anno Sancto; sed credi posse, quod Ipsemet Sixtus, exspirante Anno Sancto, particularem quamdam fecerit aliquarum Indulgentiarum suspensionem, ut petitionibus quorumdam fidelium faveret; & adjunxere, quod etiam Gregorius Papa XIII. eandem methodum sequi cogitaverit: & quantum asserit *Navarrus*, id ipsum quoque confirmat *Benzonius* (m) & *P. Theodorus* (n).

20. Quod si vero aliquis dixisset, aut diceret, verum esse, Pontificias determinationes expressas per verba: *Ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, non expirare morte Pontificis, qui eas condidit; & necessariam esse revocationem faciendam à quodam Illius Successore, credibile etiam esse, Sixtum IV. elapso Anno Sancto non solum nullam expressam & generalem fecisse revocationem, sed ne particularem quidem, confirmando quasdam Indulgentias suspensas: attamen simul subjunxisset, aut subjungeret, dari quasdam revocationes, uti scholæ loquuntur, virtuales, & æquivalentes revocationibus expressis, & illas intervenisse in casu, de quo agitur: quippe, non obstante suspensione Indulgentiarum facta tempore Anni Sancti, summis Pontificibus semper optime notum atque perspectum fuit, quod homines pii ac Religiosi, elapso Anno Sancto ex Cathedris populo proposuerint, & publicaverint Indulgentias tempore Jubilæi suspensas, eas suis inseruerint libris, atque in easdem suse scripserint, nec unquam Sedes Apostolica quemquam ex prædictis actibus ad censuram revocavit, tametsi non omiserit Indulgentias prohibere Apocryphas, & etiam per varia decreta specificare revocatas, quotiescunque occasio se obtulit id faciendi; unde haud dubie in angustias, uti dici assolet, fuisset redactus *Navarrus*, & redigeretur etiam in Easdem, quisquis se fuisset professus, aut profiteretur sequacem opinionis *Navarri*.

21. Reflexio præsens non nostra est, sed *Castro-Palai* in suis operibus moralibus (o) & si ex prædicta reflexione quidquam aliud deduci non possit, aut deducatur, nisi quod saltem materia dubia sit, potuit hoc sufficere nostris Prædecessoribus, & sufficiens Nobis fuit causa faciendi novam suspensionem Indulgentiarum, & facultatum occasione Jubilæi Anni Sancti, non obstante suspensione Sixti IV. inserta, veluti dictum fuit, Juri Canonico. In Nostra Constitutione *cum Nos nuper*, de qua impræsentiarum loquimur, non adhibuimus clausulam *ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, sed adduximus hanc aliam *Apostolica Authoritate &c. suspendimus &c. easque eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere &c.* usi sumus

(i) In cap. *si gratiose*, de rescriptis in Sexto.
(k) Lib. 5. de Pœnitentiis & Remissionibus Consil. 17.
(l) Notabili 28. n. 27. & 28. ac Notabili 33. n. 7.

(m) De anno Jubil. l. 4. cap. 8. dub. 6.
(n) Tom. 1. de Indulg. cap. 13. art. 5.
(o) Part. 4. Tract. 24. Disp. unic. punct. 12. §. 2. n. 1. & 13.

mus hac clausula, tum quia Clemens VIII. in suspensione Indulgentiarum & facultatum in Anno Sancto, eandem adhibuit, & Ipsius exemplo adhæserunt omnes alii Ejusdem Successores, quorum temporibus celebrati fuerunt Anni Sancti, tum quia per hanc clausulam dirimitur difficultas alias oborta, utrum post annum Sanctum perseveret, vel non, suspensio Indulgentiarum, sicuti optime ad propositum observant *Lavorius* (p) & *Quarti* (q).

22. Qui aliquam quamvis mediocrem habet notitiam de Authoribus Moralistis, haud dubiè non ignorabit multas quæstiones, quæ ab illis agitantur in ordine ad Indulgentias, quæ Anni Sancti tempore suspenduntur. Nos ad easdem è medio tollendas, in nostra Constitutione Generalem fecimus suspensionem: antea tamen, uti in ea legi potest, revocationi generali subtraximus quasdam Indulgentias, quas etiam expressimus, & nominavimus: unde consequitur, illas Indulgentias, quæ non sunt nominatim præservatæ, habendas esse ut suspensas. Gravis erat controversia, utrum sub suspensione solæ comprehenderentur plenariæ Indulgentiæ, vel etiam utrum ista suspensio se etiam ad non plenarias, & partiales extenderet? *Navarrus* (r) *Benzonius* (s) *Lavorius* (t) *Viva* (u) tenuere, solas plenarias esse suspensas. Alii deinde existimabant, & plenarias, & non plenarias, vel uti vocant, partiales, suspensas manere. Ita scripsit *Vanranst* (w) *Quarti* (x) *Pignatelli* (y). Difficultas originem duxit à variis formulis in suspensione adhibitis, in aliquibus quippe sequentia legebantur verba; *omnes, & singulas Indulgentias plenarias*, in aliis, *omnes & singulas Indulgentias*. Reflectebant aliqui, quod, licet in formulis suspensivis nominatæ non fuissent Indulgentiæ non plenariæ, hoc non obstante credendum esset, easdem in illis esse comprehensas; propterea quod aliqui summorum Pontificum, durante Anno Sancto gratiam concesserint, vi cujus quædam partiales Indulgentiæ in suo remanerent vigore, & publicarentur: quod sane non fecissent, si antea non habuissent intentionem easdem comprehendendi sub suspensione. Ita scripserunt P. P. *Constantini* (z) & *Theodorus* (a) Nos ad removendam omnem quæstionem, postquam expressimus Indulgentias, quas non revocamus, hunc in modum subjungimus: *Cæteras omnes, & singulas Indulgentias tam plenarias, quam non plenarias &c. suspendimus, & suspensas esse declaramus &c.*

23. Ne à præsenti materia vel minimum deflectamus, dicimus, Nos excepisse, & revocationi subtraxisse Indulgentias directè concessas pro animabus Defunctorum. Supererat Controversia in ordine ad illas, quas consequi vivi possunt, cum facultate eas applicandi defunctis per modum suffragii. *Quarti* (b) & *Pignatelli* (c) opinati sunt, supradictas Indulgentias non esse sub revocatione comprehensas. Contrariæ opinionis erant *Viva* (d), *Vanranst* (e), & *Constantini* (f). Neque negari potest, hanc sententiam fuisse magis receptam, & etiam per longum sanctorum annorum decursum in praxim deductam. Michael Angelus Ricci, Secretarius Congregationis Indulgentiarum, primùm Abbas, dein Cardinalis tempore Anni Sancti celebrati à Clemente X. in Congregationibus habitis, & in quibus examinata fuit, sed non exaudita quarumdam devotarum Personarum instantia, ut stabiliretur, universali indulgentiarum suspensione non comprehendi Indulgentias vivis concessas cum facultate eas pro defunctis applicandi, non modicè se adhærere demonstravit opinioni tenenti, quod prædictæ Indulgentiæ suspensæ sint in Anno Sancto, & comprehensæ sub revocatione, vel universali suspensione. Patrocinatur etiam huic sententiæ sequens ratio; quod in Indulgentiis, quæ vivis conceduntur, cum facultate eas applicandi pro defunctis *per modum suffragii*, duo considerari possint: unum, quod principale est, & respicit vivos: alterum, quod est accessorium, & respicit defunctos: & cùm sub revocatione pars principalis sit comprehensa, pars accessoria non posse à revocatione excipi videtur.

De Indulgentiis non suspensis pro proximo anno.

24. Ut nihil de præcedentibus notificationibus loquamur publicatis in decursu aliorum Annorum Sanctorum, legitur

(p) De Jubil. & Indulgentiis Part. 1. cap. 10. n. 15.
(q) In suo Tract. de Jubil. punct. 1. de suspensione Indulg. dub. 7.
(r) De Jubil. & Indulgent. notabili 33. n. 26.
(s) De Jubil. lib. 4. cap. 8. dub. 2.
(t) De Jubil. Part. 1. cap. 10. n. 3. & 4.
(u) De Jubil. præsertim Anni Sancti quæst. 4. art. 1.
(w) In Opuscul. Histor. Theologic. de Indulg. & Jubil. quæst. 5.
(x) In Tract. de Jubil. cap. 3. punct. 1.
(y) In Tract. de Anno Sancto cap. 15. dub. 10.
(z) In suo Tract. de Jubil. Anni Sancti Part. 3. cap. 7.
(a) De Indul. Tom. 1. cap. 13. art. 5. quæst. 2.
(b) In Tract. de Jubil. cap. 3. punct. 1. p. 198.
(c) In suo Tract. de anno sancto c. 13. dub. 20.
(d) De Jubil. quæst. 4. art. 4.
(e) In Opuscul. Histor. Theolog. de Indulg. & Jubil. quæst. 5. n. 9.
(f) In Tract. de Jubilæo part. 3. cap. 7. p. 244.

gitur in quadam publicata à Cardinali *de Carpegna* Vicario Urbis 1675. anno Jubilæi, ex mandato Clementis Papæ X. - - *Non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus Purgatorii per modum suffragii.* Ejusdem tenoris fuere Notificationes publicatæ in Anno Sancto celebrato tempore Innocentii XII. & Benedictus Papa XIII. id ipsum observavit in sua notificatione publicata die 10. Januarii 1725. Anno Jubilæi. Attamen cùm describi dignè nequeat devotio hujus Piissimi, & pleni Spiritu Pontificis Benedicti, Benefactoris nostri, erga animas Purgatorii, veluti bene colligitur, etiam ex sermonibus de Purgatorio ab Eodem in lucem editis; 19. Februarii ejusdem anni aliam publicavit notificationem, quæ videri potest in historia Sanctorum Annorum typis data ab *Alfanio* (g) & paulo post 20. April. ejusdem Anni edidit quoddam Breve, quod apud Patrem *Theodorum* insertum suo sæpius citato tractatui de Indulgentiis (h) habetur, ubi declaravit, sub revocatione à se in Anno Sancto facta non contineri Indulgentias vivis concessas cum facultate eas pro defunctis applicandi, secundùm hanc tamen solummodo partem, quæ respicit suffragium pro animabus defunctorum: & licet pro regula habeatur, Indulgentias vivis concessas, non posse *per modum suffragii* applicari pro defunctis, si hoc non exprimatur in concessione: adjunxit tamen prælaudatus Pontifex, quod durante anno, ne miseræ animæ in purgatorio opportunis privatæ essent suffragiis, possent à vivis Indulgentiæ applicari pro animabus defunctorum, quamvis in concessione expressa non fuisset facultas, qua applicari pro defunctis possent. Exemplum tam Magni Pontificis &c. & Nos promptissimo animo in Nostra Constitutione sumus secuti.

De suspensione facultatum durante Anno Sancto. 25. In Nostra Constitutione *Cùm Nos nuper* non solùm, sicut hucusque dictum est, suspenduntur durante Anno Sancto, Indulgentiæ, sed etiam omnes facultates, & indulta absolvendi à casibus reservatis etiam *in Bulla Cœnæ*, juxta illud, quod legitur in §. *cæteras omnes:* Nos, quo usi sumus modo in suspensione indulgentiarum, eodem etiam usi sumus in suspensione facultatum, & indultorum, & in particulari expressimus facultates, & indulta, quæ non intendimus sub revocatione comprehendere: ex quo infertur, quod indulta, & facultates non exceptæ inclusæ sub revocatione permaneant. In generali suspensione facultatum & indultorum alias dubium agitatum fuit, utrùm etiam comprehensæ sint facultates, quæ competunt Prælatis Regularibus ratione proprii officii, facultates nempe absolvendi suos Regulares subditos à casibus reservatis, & dispensandi super aliquibus impedimentis, uti videri potest apud *Viva* (i), *Constantini* (k) & *Pasqualigo* (l). Nos vero ad tollendam omnem ambiguitatem, inter facultates à suspensione exceptas excepimus etiam illas *Superiorum Ordinum Regularium, quæcunque ipsis erga Regulares pariter sibi subjectos à Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.*

26. Quia vero Regulares non solis gaudent indultis & facultatibus in suos subditos Regulares, sed aliqui ex illis etiam prætendunt, se habere facultates & indulta concessa ipsis à Sede Apostolica, & nunquam revocata, in ordine ad absolvendas personas Sæculares à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, & ad commutanda vota, & concedenda varia alia, quæ hic necesse non est recensere; remanet gravis controversia, utrùm istæ facultates maneant comprehensæ sub indultorum & facultatum suspensione, quæ fieri solet in Anno Sancto? qua in Controversia volunt aliqui, manere suspensas facultates absolvendi à casibus reservatis, commutandi vota, licet collatæ non sint ratione, vel occasione Indulgentiarum. Alii deinde distinguunt inter facultates absolvendi, collatas ratione vel occasione Indulgentiarum, & inter facultates collatas ex aliis motivis, dicuntque, primas in Anno Sancto manere suspensas, minimè secundas, uti videri potest apud *Viva* loco citato, *Constantini* loco citato (m), *Vanranst* (n) & apud multos alios, quos nominare hic inutile est.

27. Qui primæ adhærent sententiæ tenenti, suspensas manere facultates, & indulta tam concessa ratione seu occasione Indulgentiarum, quam ex aliis motivis, pro fundamento habent & universalitatem, quacum conceptæ sunt Bullæ suspensivæ, & exceptionem aliquarum facultatum & Indultorum à generali forma suspensionum, uti videri potest apud *Sorbo*, & *Rodriquez* relatos à *Pasqualigo* (o); atque ad hoc probandum non parum servit factum quoddam Julii III., qui in Anno Jubilæi, postquam illis

(g) Pag. 564.
(h) Part. 1. pag. 375.
(i) De Jubil. quæst. 4. art. ult. §. 4.
(k) De Jubil. anni sancti part. 3. cap. 7. p. 150.
(l) Quæst. 160.
(m) Pag. 146. & sqq.
(n) Cit. Opuscul. de Indulgentiis quæst. 5.
(o) Citata quæstione 160.

lis Confessariis, qui eam habebant, suspendit facultatem absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, ex particulari gratia Patribus Soc. Jesu concessit, ut durante Anno Sancto, qui tunc currebat, gaudere possint privilegio absolvendi à casibus Summo Pontifici & Sedi Apostolicæ reservatis, quod Privilegium profectò ipsis à Paulo III. concessum fuit non ratione, aut occasione Indulgentiarum, sed ex aliis motivis; unde consequitur, quod dicta privilegia fuerint ab Eodem comprehensa sub suspensione, quam fecerat in Anno Sancto. Factum enarrat *Orlandinus* in historia Soc. Jesu, & testatur *Fœbeus* (p), *Vitorellus* (q), *Alfanus* (r) & *Riccius* (s).

28. Qui vero secundæ adhæret opinioni, hac utitur reflexione, quod nempe Romani Pontifices consueverint quasdam concedere facultates pro facilitanda indulgentiarum consecutione, nec non pro removendis impedimentis: & quod istæ facultates sint illæ solæ, quæ suspensæ habentur in Anno Sancto: cùm pro earum suspensione militet desiderium, quod habent Romani Pontifices, ut Anni Sancti tempore Romam veniant ad aquirendas Indulgentias: non autem quod suspensæ maneant facultates absolutæ concessæ non in ordine ad Indulgentias, aut earum causa, & intuitu. Ita post multos alios tenet *Quarti* (t). *Navarrus*(u) commentatus in Bullam suspensivam Indulgentiarum factam à Gregorio XIII. Anno Jubilæi, tametsi facilem ad Papam haberet accessum, qui illum magna erat prosecutus benevolentia, magnaque in æstimatione habuerat, refert, quod, nolens frequentiori accessu esse importunus, desuper locutus fuerit cum Prælato tunc temporis Datario, viro peritissimo, cui apprime nota erat mens Pontificis, illumque interrogaverit, utrùm sub universali suspensione comprehensæ essent facultates, & indulta ex aliis motivis concessa, & non ratione, aut occasione indulgentiarum: & sequentem accepit responsionem. *Intentionis Sanctissimi Domini Nostri fuisse, suspendere solas & omnes Indulgentias plenarias, & sola & omnia earum quærendarum causa concessa, & indulta; ita quod nulla Indulgentia, quæ non esset plenaria, nec ulla facultas, quæ non esset causa Indulgentiæ plenariæ quærendæ concessa, censeatur suspensa.* Similis alia Declaratio Clementis VIII. refertur à *Cardinali de Lugo* (x).

29. In hac controversia utrum Bulla suspensionis universalis omnium Indulgentiarum & facultatum absolvendi à casibus Sanctæ Sedi reservatis, solas facultates in Anno Sancto comprehendat, intuitu Indulgentiarum concessas; vel etiam ad illas se extendat, quæ ratione Indulgentiarum nequaquam concessæ sunt: Nos semper credidimus & credimus, exortam esse, & exoriri opinionum diversitatem à diversitate verborum & clausularum, sub quibus conceptæ sunt Bullæ Suspensionis, & ex eo quod scripto nullam fecerit reflexionem, quod suspensiones non sint uniformes, & quod sub una suspensione possint esse comprehensæ omnes facultates absolvendi à casibus reservatis, & sub altera aliquæ solummodo, & non omnes. In Decretali *Quemadmodum* Sixti IV., qui primus fuit, sicuti etiam supradictum est, qui in Anno Sancto suspendit Indulgentias, & facultates absolvendi à casibus reservatis, sequentia leguntur verba: *Omnes & singulas plenarias, etiam adinstar Jubilæi &c. deputandi Confessores cum potestate absolvendi etiam in Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones, & indulta, à Nobis & eadem Sede, vel Illius auctoritate concessas.... suspendimus &c.* Quæ formula adhibita fuit ab Ejus Successoribus Alexandro VI. Clemente VII. & Julio III. in Constitutionibus, in quibus indixerunt universale Anni Sancti Jubilæum. Formula ista verba continet nimis universalia, omnemque abscindit viam, qua suspensio restringi posset in ordine ad facultates absolvendi, concessas causa Indulgentiarum, propterea quod hæc suspensio etiam comprehendere debeat facultates absolvendi, concessas ex aliis motivis: atque exinde nullus admirabitur, si Julius Papa III., qui hac usus erat formula, Patribus Societatis Jesu concesserit, ut durante Anno Sancto, quem celebrabat, absolvere possent à casibus reservatis, voluit nempe gratiose respicere privilegium, ipsis à Paulo III. concessum, quod antea comprehenderat sub universalitate suæ suspensionis, uti etiam paulo ante dictum est.

30. Ita formulæ universalitas usque ad Gregorium XIII. fuit continuata, qui in facta Indulgentiarum & facultatum suspensione, vertente Anno Sancto ab Eodem celebrato, eam sequentem in modum restrinxit: *De Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus .... omnes, & quas-*

(p) Tract. de Anno Jubil. part. 2. cap. 10. pag. 162.
(q) In historia de Jubilæo Pontificio part. 3. pag. 371.
(r) In historia de annis sanctis p. 311. & seqq. *D. Amort Tract. de Pœnitentia.*
(s) Tract. de Jubil. cap. 38.
(t) Tract. de Jubilæo cap 3. punct. 2. p. 219.
(u) De Jubilæo & Indulgentiis notabili 33. sub num. 2.
(x) De Pœnitentia disp. 20. sect. 8. n. 145.

quascunque plenarias, etiam adinstar Jubilæi, & earum causa, facultates, concessiones, & indulta ejusque authoritate quibuscunque Ecclesiis &c. digna sunt observatione verba, *& earum causa*, de istis quippe manat comprehensio sub Bulla suspensiva solarum facultatum absolvendi, concessarum intuitu Indulgentiæ: unde optime stabilitur explicatio data ab Illius Datario & opinio *Navarri*, sicuti pariter supra memoratum est.

31. Restrictio Gregorii XIII. servata non fuit à Clemente VIII., qui assumpsit antiquam universalitatem: *Omnes & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, & facultates, & indulta etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis .... suspendimus.* Et hanc methodum secuti sunt Ejus Successores, qui omiserunt verba, *& earum causa*, ex quibus restrictio oriebatur. *Cardinalis de Lugo* loco supra citato vult, solam admittendam esse suspensionem facultatum concessarum in Ordine ad Indulgentias, minime aliarum ex aliis motivis concessarum, tametsi etiam in Bulla suspensiva data à Clemente VIII. desint verba *& earum causa*, asserens, id declarasse eundem Pontificem: *Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eandem fuisse intentionem suam, & ad tollendum dubium edita fuit iterum Bulla additis eisdem verbis*, nempe *earum causa*. Nos circa hanc mutationem nihil opponimus: & si subsisteret, probaret, quod, si in Bulla suspensiva non sint hæc verba, *earum causa*, intelligantur sub ejus universalitate comprehensæ facultates absolvendi concessæ sive in ordine ad Indulgentias, sive ex aliis motivis. Etiam verba *earum causa* omissa fuerunt in Bullis suspensivis Urbani VIII. & reliquorum Successorum: & quantumvis supra memoratus *Cardinalis de Lugo*, suam prosequens sententiam, dicat, Bullam Urbani intelligendam esse juxta explicationem Clementis VIII. alicui datam; advertendum tamen est, quod non dicat, Urbanum ita declarasse, sed hunc ipsum Cardinalem ita opinatum fuisse: *quare, cum iterum de hoc dubitaretur, æque dixi, non fuisse revocatam Regularium facultatem.* Et perlustrati profecto fuerunt Annales de Anno Sancto Urbani Papæ, neque ulla inventa est memoria, quæ contingat materiam, de qua agitur. Diligentissime etiam perlecti fuere Annales Congregationum habitarum Anno Jubilæi celebrati à Clemente X., & ex istis colligi potuit, assessores fuisse opinionis, quod non expressis in Bulla suspensiva verbis, *& earum causa*, intelligerentur revocatæ facultates absolvendi, sive concessæ, sive non concessæ in ordine ad Indulgentias. Unde nulli pepercerunt labori, ut à Summo Pontifice declararetur, uti declaratum fuit, quod etiam durante Anno Sancto possent Regulares uti privilegiis absolvendi proprios subditos Regulares à casibus reservatis: quod nequaquam fecissent, nisi supposuissent, quod sub suspensione facta à Clemente Papa comprehensæ etiam essent facultates absolvendi, non concessæ intuitu Indulgentiarum, propterea quod tales essent eæ ipsæ, circa quas petitio fuit facta, ut præservarentur in favorem Regularium.

32. Pater *Constantini* in suo Tractatu sæpius citato de Anno Sancto (y) optime dicit, ubi dicit, totum dependere à Pontificis intentione. Nos nostræ Constitutioni non inseruimus verba, *& earum causa*, sicut inseruit Gregorius XIII. Neque ea verba jussimus adjungi secundæ editioni Constitutionis nostræ, sicuti *Cardinalis de Lugo* loquitur, factum fuisse à Clemente VIII. Nos magni æstimamus verborum universalitatem: atque exinde protestamur, quod, præter facultates expresse exceptas, suspensæ maneant durante Anno Sancto aliæ facultates absolvendi à casibus reservatis Sedi Apostolicæ etiam *in Bulla Cœnæ*, sive deinde concessæ fuerint intuitu & in ordine ad Indulgentias, sive ex aliis motivis. Et quantumvis hoc sufficere deberet ad manifestandam hac in re, quæ pertinet ad scopum, de quo agitur, nostram intentionem, nihilo tamen minus repetendum esse duximus in nostra constitutione incipiente *Convocatis*, suspensas esse omnes facultates absolvendi & dispensandi, sive concessas causa & occasione Indulgentiarum, sive concessas ex quocunque alio titulo, vel causa, quando agitur de earum usu extra Romam; non tamen in Urbe; & quando agitur de earundem usu supra sæculares, non tamen quando agitur de earum usu vel extra vel intra Romam, supra subditos Regulares pro illis Prælatis, & superioribus Regularibus, qui sunt in legitima possessione dictarum facultatum, sicuti etiam supra §. 52. memoratum fuit.

III.

De Apostolica Constitutione incipiente CONVOCATIS, *signata Die* 25. *Novembris* 1749.

§. I.

33. Non hic integram de Annis Sanctis historiam componere intendimus: à multis enim aliis hoc factum est, & etiam

(y) Part. 3. cap. 7. pag. 246.

& etiam occasione Anni Sancti celebrati à Benedicto Papa XIII. à supra citato *Patre Alfani* ex ordine Prædicatorum: ac propterea omittemus enarrare, quomodo & in quo numero Nostri Prædecessores inceperint deputare minores Pœnitentiarios, & postea alios illis adjunctos, in Basilicis SS. Apostolorum Petri & Pauli, S. Joannis, & S. Mariæ Majoris, ad excipiendas Confessiones, & ad absolvendos à suis peccatis omnes illos, qui venerant ad eas visitandas pro consequenda plenaria Indulgentia. Nec pariter loquemur de deputatione, quæ tractu temporis à Cardinali Urbis Vicario etiam fieri incepit circa alios Confessarios, qui in ipsorum Ecclesiis excipere Confessiones possent pro majori Pœnitentium commodo. Deputationem tam minorum Pœnitentiariorum in Basilicis, quam adjunctorum, sicuti pariter Sacerdotum à Cardinali Vicario electorum, Nos invenimus fuisse introductam, & dicere possumus, nos etiam deductam vidisse in praxin aliis duobus præcedentibus Annis Sanctis, quos Romæ celebrari vidimus. Dabantur Oraculo Pontificio opportunæ facultates minoribus Pœnitentiariis Basilicarum & adjunctis, & eodem interveniente Oraculo dabantur à Cardinali Vicario aliquæ facultates Confessariis, quos ipse designabat. Exinde quædam species Confusionis & inordinationis nascebatur, tametsi publicarentur instructiones pro recto usu facultatum concessarum & illis, & istis, & per varias notificationes varia solverentur dubia, quæ sæpe sæpius oriebantur. Nos omnia in una Constitutione unire studuimus, quæ Constitutio ea ipsa est, de qua modo loquimur. Huic inseruimus facultates, quas minoribus Pœnitentiariis Basilicarum concedimus, & aliis Confessariis adjunctis in istis, & aliis Urbis Ecclesiis, inseruimus instructiones pro recto earum usu, facultates concessas Confessariis à Cardinali Vicario designatis, declarationes aliquorum dubiorum alias propositorum; ut adeo in unico oculi ictu, uti dici solet, quilibet videre posset, quantum requiratur ad adimplendum in futuro Anno Sancto Ministerium Pœnitentiarii, & Confessarii, uti supra, designati. Unde nihil aliud superest, quam ut exhortemur & injungamus, uti exhortamur, & injungimus cuilibet tam Pœnitentiario quam Confessario designato, ut attente legat, quantum cuilibet concedatur, ne suæ authoritatis limites excedat non sine præjudicio suæ animæ, & animarum Pœnitentium.

(z) In suo Tractatu de Jubilæo part. 3. cap. 5. §. *Secundam quod.*

§. II.

De facultatibus in Constitutione, CONVOCATIS, *pro imminente Anno Sancto Concessis Pœnitentiariis, in ordine ad* ABSOLUTIONES *à peccatis, & censuris incursis.*

34. Duo sunt, quæ Nobis in proposito instituto notatu digna videntur. Primum respicit Pœnitentes: alterum pertinet ad peccata. De Pœnitentibus Regularibus.

35. Gravis est controversia, utrum aliqui Regulares tempore Jubilæi Anni Sancti, vel etiam in aliis Jubilæis, in quibus datur Pœnitentibus facultas eligendi sibi Confessarium ab Ordinario approbatum, confiteri possint Confessario sæculari, vel etiam Regulari alterius Religionis, qui approbatus sit ab Ordinario pro excipiendis sæcularium Confessionibus, & utrùm hoc possint sine licentia suorum Superiorum? aliquæ enim Religiosæ Communitates, aut Religiones, privilegiis gaudent ipsis ab Apostolica Sede concessis, vi quorum, non obstante facultate, quæ temporibus Jubilæi datur, confitendi alicui Confessario approbato ab Ordinario, hoc prohibitum maneat earum alumnis, si non expressus concurrat assensus Superiorum suorum Regularium. Tale Privilegium dicitur esse concessum à Leone X. Minimis, ab Alexandro VI. Cisterciensibus, à S. Pio V. Prædicatoribus, à Sixto V. Barnabitis. Amplum est illud privilegium, quod Gregorius XIII. concessit Societati Jesu in Bulla incipiente: *Decet Romanum Pontificem*, ubi declarat, *non esse, nec fore unquam mentis nostræ aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressa Superiorum ejusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ &c. hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares etiam Mendicantium hujusmodi facultatibus uti possint.* Et de hoc privilegio alii Ordines Regulares prætendunt se participare per viam communicationis, uti bene observat citatus Pater *Constantini* (z).

36. Quæstio ista accurate discussa est in opere posthumo, cui titulus *de Privilegiis Religiosorum*, Opere composito à quodam Canonico Regulari Lateranensi prædefuncto, quod *P. Eusebius Amort* pariter Canonicus Lateranensis nuper in lucem dedit, & notis diligentibus, & accuratis illustravit (a). In prædicto

(a) De potestate Regularium eligendi sibi Confessarium. num. 17. pag. 750.

dicto Opere fuse probatur, posse Canonicos Regulares Lateranenses tempore Jubilæi eligere sibi etiam absque suorum Superiorum licentia Confessarium sive Sæcularem, sive Regularem alterius Ordinis, ab Episcopo tamen approbatum. *P. Viva* in suo sæpius citato Tractatu (b) generaliter hanc examinat quæstionem: & denique sequitur opinionem contrariam libertati Regularium, atque non nisi ùt probabilem agnoscit sententiam ipsis favorabilem. *Natalis Alexander* (c) profitetur, se reperire non posse, quomodo talis libertas tempore Jubilæi Regularibus auferri possit. *Cardinalis de Lugo* distinguit inter Bullam Cruciatæ, & Bullam Jubilæi, dicens, vigore primæ à Regularibus eligi non posse Confessarium approbatum ab Episcopo pro sæcularibus, absque licentia suorum Superiorum Regularium: quod pariter statutum fuit à multis Summis Pontificibus Nostris Prædecessoribus, ac etiam à Nobis in nostra Constitutione incipiente *Apostolica Indulta* (d). Privilegium enim Cruciatæ est privilegium permanens, quod, si in Religionibus suum haberet vigorem, haberet ad earundem damnum; posse autem à Regularibus eligi supradictum Confessarium vigore Jubilæi, quod privilegium exiguo durat tempore, & favet omnibus, nec ulli nocet. Alii deinde docent, hanc controversiam non habere locum, quando Regulares pro deponendis Confessionibus adeunt Pœnitentiarios minores Basilicarum Urbis aut in Anno Sancto, aut extra Annum Sanctum; tum quia hoc publicè ab ipsis in praxin deducitur absque aliqua licentia suorum Superiorum, quod secum affert tacitam quamdam permissionem Summorum Pontificum; tum quia, cùm isti Pœnitentiariis à Romanis Pontificibus sint collocati in Basilicis ad excipiendas Confessiones omnium fidelium tam Sæcularium, quam Regularium; Religiosi, qui ad istorum sacrum Tribunal accedunt, accedunt confessuri Sacerdoti designato à proprio Pastore, Romanus etenim Pontifex Supremus est Pastor omnium Christi Ovium, & omnium Pastorum earundem. Authores, qui ita docent, magnô numerô refert, & sequitur *Rotarius* (e). Fuse idipsum confirmavit *Pater Sirus*, qui multis annis munus Pœnitentiarii egit in Basilica Lateranensi, in Tractatu de facultatibus Minorum Pœnitentiariorum Basilicarum Urbis (f). Nos verò minimè eorum juri præjudicare volentes, sed, uti dici solet, *jura juribus addendo*, & unicè cupientes conscientias magis magisque securas reddere, expressimus in facultatibus, quas currente Anno Sancto concedimus Pœnitentiriis Basilicarum, etiam istam, videlicet, quòd *absolvere possint - - - quascunque personas sibi confitentes, etiam Regulares, cujuscunque sint Ordinis, Congregationis, & instituti, etiamsi ex præscripto Superiorum vel suarum Constitutionum etiam à Sede Apostolica approbatarum, vel aliis ex Indulto, decreto, aut præcepto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur.*

37. Et hæc de his, quæ pertinent ad Pœnitentes. Jam verò in Ordine ad peccata, in Diariis *Joannis Burchardi* Magistri Cæremoniarum Pontificiæ Capellæ tempore Alexandri VI. in Annalibus *Bzovii*, & in sæpius citata Historia *Alfani* (g) de Annis Sanctis, registratæ habentur petitiones, quas Alexandro Papæ VI. fecerunt Pœnitentiarii ad S. Petrum pro Anno Sancto, quod tunc temporis celebratum fuit: inter quas registrata est petitio facultatis in ordine ad dandam absolutionem *à peccatis omnibus quantumcunque enormibus*: & Pontifex in una sua Constitutione incipiente *cum in principio*, eam concessit, sed cùm exceptione quatuor casuum, nempe conjurationis contra personam Summi Pontificis, & Ejusdem Statum, falsificationis Litterarum & Commissionum Apostolicarum, Transvectionis armorum, & aliarum rerum prohibitarum ad Regiones Infidelium, & violentæ percussionis Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum & aliorum Ecclesiasticorum Superiorum. Eandem exceptionem legimus à Pontifice Clemente VII. pro Anno Sancto, quem ipse celebravit, ipsis etiam Pœnitentiariis Basilicæ Vaticanæ factam, in una Constitutione, quam apud Nos habemus, incipiente *Pastoris æterni*. De prædictis casibus, & etiam aliis, sermo est in una Constitutione Pauli II. incipiente *Etsi Dominici Gregis* inter Extravagantes communes tit. *de pœnitentiis & remissionibus*, quod aliquibus ansam præbuit credendi, & scribendi, Pœnitentiarios Minores Basilicarum tempore Anni Sancti absolvere non posse à prædictis casibus exceptis. Nos verò ad removendam omnem difficultatem, insistentes etiam exemplo aliorum nostrorum Prædecessorum in nostra Constitutione, de qua nunc agimus, §. quarto dedimus memoratis Pœnitentiariis authoritatem absolvendi à censuris etiam reservatis in *Bulla Cœna* Summo Pontifici, & Apostolicæ Sedi,

De peccatis & censuris, ad quas se extendunt facultates Pœnitentiariorum

(b) De Jubilæo quæst. 9. art. 1.
(c) De Indulgentiis cap. 3. regul. 17.
(d) Ordine centesima §. 7. Bullar. tom. 1.
(e) In Theol. moral. Regular. tom. 3. lib. 1. cap. 1. punct. 2. n. 18.
(f) Part. 1. cap. 1. dubio 6.
(g) Lib. 8. de Anno Sancto suo. pag. 244. num. 7. 8. & 9.

Sedi, insuper *ab omnibus peccatis & excessibus quantumcunque gravibus & enormibus.* Præterea §. trigesimo tertio declaravimus, salvas, & in suo vigore illæsas hoc ipso Jubilæi Anno permanere allas facultates aut pridem concessas, aut forsitan ipsis concedendas per Cardinalem Majorem Pœnitentiarium.

38. Non intelligitur, sicut inferius dicetur, unquam concessa authoritas absolvendi ab hæresi externa, tametsi verba Indulti universalia sint, aut universalissima, si hæresis illa expresse & in individuo nominata non fuit. In facultatibus, quas Pœnitentiariis pro Anno Sancto concessimus, casus hæresis externæ expresse nominatus est in §. sexto, ubi tamen facultas absolvendi à Censuris propter hæresin formalem externam incursis certos intra limites restringitur, ad quos Pœnitentiarium bene attentum esse oportet, ne faciat, cujus faciendi potestatem non habet.

39. De Confessario, qui privatus est potestate absolvendi personam complicem in peccato turpi, & peccato inhonestatis contra sextum præceptum, similiter inferiùs sermo instituetur; terminantes præsens institutum circa facultates, quæ hoc Sancto Anno Pœnitentiariis Minoribus conceduntur in ordine ad absolutionem à peccatis & censuris, eos admonemus, ut nostram Constitutionem circa facultates Cardinalis Majoris Pœnitentiarii & Officii Pœnitentiariæ attentè legant, & considerent: eam enim legentes bene colligere poterunt, non obstante universalitate verborum concessionis, & non obstante, quid ipsis fuerit communicatum, aut in posterum communicaretur ab ipsomet Cardinali Majori Pœnitentiario, esse ipsis tamen prohibitum omne illud, quod supradicto Cardinali in Constitutione prohibetur. Exempli causa si Cardinalis Major Pœnitentiarius absolvere non potest *in occultis etiam in foro conscientiæ* eum quicunque, vivente Romano Pontifice, prævios fecit tractatus, suffragia collegit, aut pacta iniit in ordine ad electionem novi Successoris, vel etiam qui per astrologiam judiciariam vel per se, vel per alium inquisivit iu statum Reipublicæ Christianæ, & in vitam, & mortem Papæ viventis; multo minùs talem absolvere nequibit minor Pœnitentiarius. Constitutio, cujus initium est *Pastor bonus*, quæ est ordine nonagesima quinta in nostro Bullario tom. 1. si bene legitur, & attente consideratur, magnum præbere lumen poterit minoribus Pœnitentiariis; quos insuper admonemus, ut occurrente ipsis aliquo ex prædictis casibus recurrere non omittant ad Cardinalem Summum Pœnitentiarium, cui à Nobis remedia opportuna, & necessaria insinuabuntur, & præscribentur.

§. III.

De facultatibus Minorum Pœnitentiariorum circa VOTA, *contentis in Constitutione* CONVOCATIS.

40. In Anno Sancto celebrato ab Alexandro VI. uti videri potest apud *Bzovium* (h), inter alias petitiones, quas Pœnitentiarii minores Pontificii fecerunt, ordine undecima sequens est: *commutatio omnium votorum, dempto continentiæ, aut Religionis solemni.* Verùm quamvis hoc illo tempore fuerit dictis Pœnitentiariis concessum, indubitata tamen res est, temporibus subsequentibus nihil aliud fuisse illis concessum, quam authoritatem *commutandi dispensandò in alia opera pia*, omnia Vota *simplicia*, etiam Sedi Apostolicæ reservata. De Votis Sanctæ Sedi reservatis.

41. Sensus horum verborum est, non posse eos dispensare in votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, solemnizatis per Religiosam Professionem, aut per receptionem Ordinis Sacri. Ista enim sola sunt vota solemnia, & omnia alia vota, quamvis publice facta, sunt tantum simplicia, juxta Decretalem Bonifacii VIII. (i) & communem Auctorum sententiam (k); posse autem è contrario dictos Pœnitentiarios omnia alia simplicia vota, etiam Sedi Apostolicæ reservata *commutare dispensando* in alia opera.

42. *S. Thomas* (l) non facit mentionem, nisi duorum votorum simplicium Papæ reservatorum, *Continentiæ* nempe, *& peregrinationis terræ sanctæ*: & de prædictis duobus solis Sanctus Doctor locutus fuit, quia illo tempore sola illa duo Sedi Apostolicæ reservata fuerunt. Postea successu temporis crevit numerus simplicium Votorum Papæ reservatorum, quæ, sicut unusquisque non ignorabit, sunt vota ingrediendæ Religionis, Castitatis perpetuæ, peregrinationis in Terram Sanctam, ad S. Jacobum in Galætiam, & Romam ad visitandas Basilicas SS. Apostolorum Petri & Pauli: sive hoc proveniat à consuetudine, sive etiam à subsequente Canonica dispositione Sixti IV. inserta Cap. etsi

(h) Ad Annum Christi 1500. num. 5.
(i) Cap. unic. *de voto & voti redemptione*, in sexto.

(k) Apud Pontas in verb. *votum*, in princip.
(l) 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad Tertium.

etsi Dominici (m). Alii inter vota Summo Pontifici reservata adjungunt votum visitandi Sacram domum Lauretanam: sed de hoc nulla habetur probatio. Alii denique ad hanc classem revocant omnia vota perpetua; quod errorem parere potest, nisi aliquid aliud addatur: propositio enim intelligenda est de solo voto perpetuo, quo aliquis, acceptans Episcopatum, se obligat ad curam retinendam animarum ipsi concreditarum, juxta responsionem Innocentii III. (n) & doctrinam majoris nominis Theologorum, uti videri potest *in Sylvio* (o).

43. Super hucusque dictis, non recordamur exortam fuisse aliquam controversiam. Controversia autem alias excitata versabatur circa hoc dubium; utrum Pœnitentiarius, qui facultatem habet absolvendi à votis simplicibus, loquendo etiam de quinque Sedi Apostolicæ reservatis, hac auctoritate uti possit; quando ista vota sunt juramento confirmata. In hac controversia aliqui affirmativam tenuerunt sententiam, docente *S. Thoma* (p) majus esse vinculum voti, quam juramenti, atque exinde pœnitentiario habente auctoritatem absolvendi à voto, dicendum esse, quod habeat pariter auctoritatem absolvendi à voto jurejurando confirmato. Aliis negativa placuit sententia, propterea: quod, in voto jurejurando confirmato, cum duo interveniant vincula diversa, unum, quod nascitur à voto, alterum, quod à juramento, qui auctoritatem habet unum dissolvendi vinculum, non habeat auctoritatem solvendi alterum, si hæc illi in specie non fuit collata; pro qua re magna stat ratio, si perpendatur, eum, qui per vim emisit votum, ad id implendum non esse obligatum, esse tamen obligatum ad illud implendum, si hoc jurejurando confirmavit: similiter præbet fortem rationem, si perpendatur; eum, qui promittit solvere usuras, ad eas solvendas obligatum non esse, esse tamen obligatum ad earum solutionem, si eam jurejurando firmavit juxta Decretalem *debitores de jurejurando*.

44. Nomina Auctorum sive primæ sive secundæ sententiæ faventium, videri possunt in *Leandro* (q). *Azorius* (r) autem refert rationes utriusque sententiæ, qui in fine adhæret sententiæ neganti, eum, qui auctoritatem habet absolvendi à votis, suam exercere posse potestatem, quando vota sunt jurejurando confirmata. *Pater Sirus* (s) vult; facultatem datam in ordine ad commutanda vota, comprehendere etiam vota jurata. Et Nos ad tollendam omnem controversiam inter datas Minoribus Pœnitentiariis pro Anno Sancto facultates §. sexto hujus nostræ Constitutionis, non solum illis dedimus facultatem, ut *omnia & singula vota simplicia, etiam Sedi Apostolicæ reservata*, COMMUTARE DISPENSANDO *possint in alia opera pia*, sed ibidem etiam adjunximus, quod hoc facere queant, etiamsi vota sint jurejurando confirmata, *etiam jurata commutare* &c. quod idem etiam à Nobis factum est in citata Nostra Constitutione *Pastor bonus* circa facultates Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, ubi tractantes de Auctoritate, quæ ipsi dabatur in ordine ad *commutanda dispensando* in alia pietatis opera vota simplicia Sanctæ Sedi reservata, sequentia verba adjunximus: *tametsi privato juramento confirmata*. In his omnibus ita ordinandis exemplo Nobis præivit *factum Gregorii XIII. cum Patribus* Societatis Jesu. Concesserat Paulus Papa III. ipsorum Confessariis Ordinariis, facultatem commutandi vota, excepta Sanctæ Sedi reservatis. Dubio deinde orto, utrum dicta facultas comprehenderet vota jurata, Gregorius XIII. salva exceptione Pauli III. auctoritatem extendit etiam ad vota jurata, ut videre est in Compendio Privilegiorum Societatis Jesu (t).

45. Dignum consideratione est, quod facultates, de quibus hucusque actum est, non sint facultates commutandi simpliciter, & absolute, sed sint facultates *commutandi dispensando*; diversa enim inter se sunt commutatio & dispensatio: dispensatio quippe tollit obligationem voti, sine aliqua subrogatione: per simplicem autem commutationem voti non extinquitur, sed materia voti ad aliam transfertur materiam, quæ illi subrogatur. Pater *Sirus* in suo Opere supra allegato (u) observat, quod, quidquid facultatis in hoc genere datur Pœnitentiario, consistat in commutatione mixta cum quadam dispensatione: & quemadmodum sola & simplex commutatio exigeret subrogationem materiæ majoris aut saltem æqualis: ita commutatio mixta cum dispensatione, capax est cujusdam moderatæ inæqualitatis, inter materiam voti, & materiam subroga-

De commutationa votorum.

(m) Cap. 5. de pœnitentiis & Remissionibus, inter Extravagantes communes.
(n) In Cap. *nisi cum pridem*, de renuntiatione.
(o) In 2. 2. D. Thomæ quæst. 8. art. 12. Concl. 2.
(p) 2. 2. quæst. 59. art. 8.
(q) Part. 1. Tract. 5. de Sacramento Pœnitentiæ. Disput. 14. quæst. 101.
(r) Institut. moral. Tom. 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 2.
(s) De facultatibus Minorum Pœnitentiariorum Part. 1. cap. 6. dub. 4.
(t) In verb. *commutatio* §. 1.
(u) Part. 1. cap. 6. dub. 2.

rogatam: *ut principale*, scribit dictus auctor, *ponitur* COMMUTARE, *ut accessorium jungitur* DISPENSANDO, *ita ut esse debeat essentialiter commutatio, quæ de sui natura est in majus vel æquale, & per accessoriam dispensationem à rigore naturæ suæ aliquantisper recedat: ergo moderata & non exorbitans, debet esse inæqualitas materiæ subrogatæ in commutatione voti; cum accessoria dispensatio sequi debeat naturam sui principalis, scilicet commutationis, ejus naturam non multum immutando, ne quod accessorie ponitur, locum habeat principalis, nempe plus dispensando, quam commutando, quod esset contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Pœnitentiario, ut possit* DISPENSANDO COMMUTARE, NON COMMUTANDO DISPENSARE.

46. Ad præsens institutum optimè conducunt duo exempla, primum est Pontificis Alexandri III. in sua Decretali *Venientis, de Voto*, in qua ex maximi momenti rationibus dispensat cum quodam Clerico, qui votum emiserat proficiscendi Hierosolymam ad visitandum Sepulchrum Domini, *dispensat* autem *commutando* votum in eleemosynas, illique injungendo, ut toto vitæ suæ tempore *tam in victu quam in vestitu uni pauperum Christi, dummodo ad hoc suæ facultates sufficiant, provideret.* Alterum exemplum est Innocentii III. in Decretali *Magno, eod. Tit.* ubi dispensat cum Episcopo Trecensi super observantia voti emissi, licet improvide, proficiscendi similiter Jerosolymam, *ut omnes expensas, quas fuerat in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui Religioso committat, in necessarios usus Terræ illius*, hoc est, terræ Sanctæ, *sine diminutione qualibet transferendas*, & laboribus, quos itineris causa sustinuisset, substituit augmentum aliorum laborum, quos illi imponit in sui Gregis servitium: *labores etiam laboribus compenset, solicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, & jejuniis fortius se exercens, ac super Grege suo vigilans solicitudine Pastorali.*

47. Verba ista, quæ non simplicem quamdam denotant commutationem, sed commutationem *unitam cum dispensatione*, non solum deserviunt ad bene regulandas dispensationes, & votorum commutationes in alia pia opera, sed rescindunt difficultatem, quæ oriri poterat, & alias orta fuit inter auctores, propterea quod solum adhibitum fuerit nomen *Commutatio*, vel etiam solum nomen *dispensatio*: tenentibus aliquibus, potestatem commutandi vota non afferre secum potestatem in istis dispensandi, cum commutatio & dispensatio, uti jam dictum est, sint actus totaliter distincti: aliqui è contrario docebant, quod nequidem ex facultate data in votis dispensandi deduci possit potestas eadem commutandi, quando agitur de potestate delegata, quæ semper inter præcisos limites Litteræ delegationis restricta esse debet. Ita cum multis aliis discurrit *Pignatelli* (x). Agendo etiam de Anno Sancto, non defuit, qui scripsit intelligi datam facultatem commutandi & dispensandi in votis, tametsi nec una nec altera fuisset expressa. Verum istæ opiniones communiter sunt rejectæ, uti videri potest apud *Vivam* (y) & *Constantini* (z). Istæ etiam sententiæ suo destitutæ sunt vigore, cum in supradicto §. VIII. & sequentibus, circa facultates datas Pœnitentiariis supra vota, inserta fuerint sæpius nominata verba *commutare dispensando.*

§. IV.

De facultatibus supra DISPENSATIONES, *Contentis in Constitutione* CONVOCATIS.

48. Qui vel salutavit limina Juris Canonici, & Theologiæ Moralis, haud dubie non ignorabit duas Controversias; prima est, utrum nomine Censuræ comprehendatur irregularitas, quæ oritur ex delicto: altera, utrum qui incurrit censuram, nempe vel excommunicationem, vel suspensionem, aut interdictum, si constitutus in Minoribus Ordinibus, solemniter exerceat ordines receptos, irregularitatem incurrat. Prima quæstio oritur ex Decretali *quærenti, de verborum significat.* ubi interrogatus Summus Pontifex, quid per censuram debeat intelligi, respondet, intelligi interdictum, suspensionem & excommunicationem; quo non obstante *Gonzalez* (a) tenet, nomine censuræ intelligi etiam irregularitatem *ex delicto*; contrariæ tamen sententiæ est *Suarez, Molina, Trullench, Filliucius, Reginaldus* & multi alii. Oritur deinde altera quæstio ex Decretalibus insertis titulo *de Clerico Excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*; in quibus quamvis legatur, quod celebrans in Excommunicatione Minori, graviter peccet, sed irregularitatem non incurrit: quam tamen incurrit, qui ligatus Excommunicatione Majori, & in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus, celebrat, aut constitutus in Subdiaconatus vel Diaconatus Ordine, munia Subdiaconatus vel Diaconatus exercet, dummodo

De facultatibus dispensandi super Irregularitate etiam cum Clericis Ordinum Minorum

(x) In suo Tract. de Anno Sancto cap. 19. dub. 2. & dub. 3.

(y) De Jubilæo quæst. 12. art. 1. num. 2.

(z) De Jubilæo Anni Sancti Scripto italice Part. 3. cap. 1. §. *posset*, cum multis aliis seqq.

(a) In Commentar. ad dictum tit.

modo sciat se censuram incurrisse, aut hoc non ignoret ex ignorantia crassa, supina, vel erronea; nulla tamen cit. tit. reperitur Decretalis, quæ loquens de Clerico excommunicato excommunicatione majori, non constituto in Sacris, sed in minoribus Ordinibus, eundem declaret irregularem, si solemniter exerceet Ordines acceptos. *Navarrus*, *Avila*, & multi alii tenent, in dicto casu non incurri irregularitatem. Econtra *Pirbing* (b), *Anacletus* (c), *Fagnanus* (d) volunt, irregularitatem incurri; & ultimo loco citatus adjungit, hanc esse mentem Pœnitentiariæ, & Sacræ Congregationis Concilii.

49. Ex istis Controversiis emanare poterant duo dubia: Primum, utrùm, data sub §. IV. Pœnitentiariis facultate absolvendi *à quibuscunque sententiis Excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Censuris*, intelligatur etiam ipsis data authoritas absolvendi *ab occultis*, & pro foro conscientiæ, ab irregularitatibus contractis *ex delicto*, illa tamen semper excepta irregularitate, quæ provenit ex homicidio voluntario; quippe juxta aliquorum sententiam irregularitatem *ex delicto* continentur nomine censuræ. Alterum dubium est, utrum concessa Minoribus Pœnitentiariis facultate Sacerdotes, & reliquos in Sacris Ordinibus constitutos absolvendi ab irregularitate contracta *ob violationem censurarum*, intelligeretur concessa ipsis eadem facultas absolvendi illos, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.

50. *Gonzalez* in Commentariis ad citatam Decretalem *Quærenti*, *de Verborum signific.*, quamquam adhæreat opinioni illorum, qui volunt irregularitatem *ex delicto* comprehendi nomine censuræ, affirmat tamen, quod, si tempore Jubilæi detur facultas absolvendi ab omnibus censuris, non intelligatur data facultas absolvendi ab irregularitate *ex delicto*, propterea quod ista irregularitas specialem promereatur mentionem, & difficilius dissolvi valeat. Ad solvendas istas controversias, factæ fuerunt duæ classes, una censorarum, altera irregularitatum; in prima classe adhibitum fuit nomen *absolutionis* in altera adhibitum fuit *dispensationis*, qui sunt termini proprii desumpti ex Sacro Concilio Tridentino (e). Ex quo sufficienter colligi potest, quod, quantum concernit controversias, utrùm nomine Censuræ contineatur irregularitas *ex delicto*, postquam Nos separavimus censuras ab irregularitate, & respective ad irregularitatem non aliam dedimus minoribus Pœnitentiariis facultatem, quàm facultatem dispensandi ab irregularitate contracta *ob violationem censurarum*, cum adjuncta particula *duntaxat*, exinde excludatur omnis alia irregularitas sive ex delicto, sive ex defectu contracta, & tametsi ibi alii nominati non sint, quam Sacerdotes, & in Sacris Ordinibus constituti, quilibet tamen satis cognoscere potest, quod si concesso principali intelligatur etiam concessum secundarium, Pœnitentiariis habentibus authoritatem dispensandi cum Sacerdotibus, sive constitutis in Sacris super irregularitate contracta *ob violationem censurarum*, dummodo occulta sit, non prohibeatur, quo minùs etiam eadem authoritate uti valeat cum Clericis in minoribus Ordinibus constitutis.

51. Sequuntur reliquæ facultates dispensandi pro foro conscientiæ, & in casibus occultis, quæ conceduntur minoribus Pœnitentiariis occasione Jubilæi: & in ordine ad istas non aliud inculcandum remanet, nisi ut ab iisdem Pœnitentiariis attente consideretur, quantùm & sub quibus terminis concedatur ipsis, ne se coram divino Tribunali reos reddant de male administrato suo ministerio, in præjudicium fidelium Pœnitentium.

De aliis facultatibus dispensandi

52. Contingere facile casus potest, ut exteri Romam venientes ad consequendam Indulgentiam Anni Sancti, non possint vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem causam in Urbe permanere, ut quindecim vicibus Basilicas visitarent: & similiter facile contingere potest cum Civibus, & Incolis Romanis, ut propter morbum aut aliud legitimum impedimentum non possint trigesies visitare Basilicas: unde in §. XX. ultimæ citatæ nostræ constitutionis data fuit minoribus Pœnitentiariis, quantùm ad Exteros, authoritas vel reducendi ad tres dies visitationes earundem quatuor Basilicarum, alioquin per quindecim dies ab iisdem visitandarum, vel visitationes præscriptas in alia pia opera commutandi, & quantùm ad Cives, & Incolas Romanos in sequenti §. XXI. data fuit dictis Pœnitentiariis authoritas, qua possint præscriptas iisdem per triginta dies visitationes in alia pia opera, quæ impeditorum viribus & necessitatibus proportionata esse viderint, commutare, suam tamen conscientiam onerando, si prædictis facultatibus fuerint abusi.

De dispensatione & commutatione visitationum injunctarum ad quatuor Basilicas.

53. Ista authoritas, & quantùm ad exteros, & quantùm ad Romanos, restricta est ad visitationem Basilicarum, atque

(b) Ad lib. 5. Decretal. tit. 27. §. 6.
(c) Ad eundem tit. Decretal. n. 21. & 22.
(d) In Cap. *si quis Presbyter* à num. 2. usque ad fin. de Clerico excommunicato ministrante.
(e) Sess. 24. cap. 6. de Reform.

atque exinde nec poteſt, nec debet extendi ad alia opera injuncta, exempli gratia ad confeſſionem, ad communionem, & ſimiliter ad orationem, quæ ſeparari poſſunt à viſitatione Baſilicarum. Unde ceſſat controverſia, vel, uti vocari poteſt, diſputatio, quæ à Doctoribus movetur, utrùm temporibus Jubilæorum poſſint in alia pia opera commutari opera injuncta Confeſſionis, & Communionis, etiam in perſonis capacibus Sacræ Communionis. Hanc quæſtionem examinant *Cardinalis de Lugo* (f), *Leander* (g), *La Croix* (h). Notat *Conſtantini* in ſuo Tractatu de Anno Sancto (i), ſi facultas commutandi reſtricta ſit ad commutationem viſitationis Baſilicarum, eam non ſolùm non poſſe extendi ad commutationem aliorum operum injunctorum, uti paulò ante diximus, ſed inſuper non eſſe faciendam commutationem viſitationis in alia opera, tametſi pia, ad quæ pœnitens ex alio titulo eſſet obligatus. Agitatur inter Scriptores quædam quæſtio, utrùm aliquis conſequi poſſit Indulgentiam, ſi opera faciat, ad quæ facienda ex alio titulo eſt obligatus; in exemplo, utrum ſi inter opera injuncta numeraretur Eleemoſyna, ſufficiat ad lucrandam Indulgentiam &c. dare eleemoſynam pauperi, dando illud tantum, quod titulo Juſtitiæ illi dare deberet; vel utrum, ſi quis vigore teſtamenti obligatus eſſet ad elargiendam certam eleemoſynam pauperibus, eleemoſyna hac ratione pauperibus data poſſit ſimul haberi pro elargitione eleemoſynæ annumeratæ operibus injunctis pro conſequenda Indulgentia. In hac quæſtione, ſicuti in omnibus aliis, quidam affirmativam, quidam negativam tuentur ſententiam, uti videri poteſt apud *Benzonium* (k). Verum magis æqua videtur eſſe opinio, aſſerens, Indulgentiam obtineri non poſſe per opus, ad quod faciendum ex alio titulo aliquis obligatur, niſi qui concedit Indulgentiam, expreſſe dicat, eam aquiri poſſe per opus prædictum: quod ſæpenumero accidit, quando inter opera injuncta præſcribitur jejunium trium dierum, & denominatis in individuo diebus, dicitur, exempli gratia, dies jejunio deſtinatos eſſe tres dies quatuor temporum menſis Septembris. Ita cum multis aliis diſtinquit *Paſſerinus* (l), & convenit Pater *Theodorus* (m). Verum etſi hoc etiam locum habeat in terminis expreſſis, exinde tamen applicari caſui noſtro non poteſt; in hoc enim ſermo eſt de commutatione viſitationum Baſilicarum in alia pia opera: talis autem commutatio fieri non poteſt in alia pia opera, quæ aliunde pœnitens alio ex titulo adimplere deberet, cum agatur hic de ſubrogatione, & jam ſtabilita ſit regula, quod ſubrogatum debeat eſſe ejusdem qualitatis & naturæ, cujus eſt opus, cui ſit ſubrogatio: & quia viſitatio Baſilicarum non erat opus impoſitum ab ullo præcepto, ſed nova obligatio impoſita ad conſequendas Indulgentias, ejusdem ſpeciei & naturæ debeat etiam eſſe opus, quod in ejusdem locum ſubrogatur.

54. Ita ſapienter diſcurrit *Conſtantini* loco citato, qui inſuper adjungit, à Pœnitentiariis ſalva eorundem conſcientia, fieri non poſſe reductionem Baſilicarum ad minorem numerum, neque fieri poſſe commutationem in alia pia opera, niſi concurrat impedimentum, aut quædam moralis impotentia faciendi prædictam viſitationem.

55. Concludamus totam hanc materiam cum monito Sancti *Caroli Borromæi* in ſuis Inſtructionibus ad Confeſſarios §. 16. Ecce verba Sancti Archiepiſcopi, quæ noſtro inſtituto ſatisfeciſſent non minus in hoc, quod reſpicit facultatem in diſpenſationes, quam in alio, quod attinet ad facultatem commutandi vota, de qua ſupra dictum fuit, niſi à varietate, & multiplicitate opinionum, in quas ſe diffundunt Scriptores, coacti fuiſſemus ad latius excurrendum. *Confeſſarius*, inquit, *qui aliquod habet privilegium, facultatem, & auctoritatem commutandi vota illorum, qui ipſis confitentur, eadem non commutet, niſi in alia opera majora & Deo gratiora, aut ſaltem æqualia, & diligenter conſideret expenſas, defatigationes, aliaque incommoda, quæ ſubiiſſent, ſi ſua vota adimplevîſſent. Inſuper ſi vi Jubilæorum, aut privilegiorum per Litteras Apoſtolicas conceſſorum habent facultatem abſolvendi à peccatis quantumvis enormibus, & pœnis, ac Cenſuris Eccleſiaſticis, meminerint tamen, quod diſpenſare non poſſint cum illis, qui in irregularitatem incurrerunt, niſi in dictis Litteris Apoſtolicis expreſſa de hoc mentio fiat.*

§. V.

De Monitis contentis in Conſtitutione, CONVOCATIS, *neceſſariis pro minoribus Pœnitentiariis ut facultatibus ipſis conceſſis bene utantur.*

56. Inter Monita, quæ incipiunt §. XXIII. primum eſt circa Sacerdotem, qui De Sacerdote complice cum pœ-

(f) Diſp. 27. de Pœnit. Sect. 7. num. 118. tom. 1.
(g) De Sacram. Pœnit. Tract. 5. quæſt. 95.
(h) Lib. 6. part. 2. de Indulgentiis n. 1442.
D. Amort Tract. de Pœnitentia.

(i) Part. 3. cap. 4. pag. 204. & ſeq.
(k) De Anno Jubilæi lib. 5. dub. 30.
(l) De Indulgentiis quæſt. 41.
(m) De Indulgentiis Tom. 1. cap. 10. art. 6.

bliente in peccato contra sextum præceptum Decalogi. qui approbatus ad excipiendas confessiones, Confessarium agit, & absolutionem impertitur personæ secum complici in turpi & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum peccato. Fuit olim inter Authores agitata quæstio, utrum talis absolutio valida esset? Et communis stabat pro validitate, cùm nulla circa hoc extet lex invaliditatem inducens. Quærebatur etiam; utrùm absolutio esset licita, & communis inclinabat ad affirmativam partem, quando & pœnitens & Confessarius commissum abhorrerent peccatum, & non adesset in hoc casu periculum novi consensus.

57. Episcopi Invigilantes bonæ gubernationi animarum Ipsorum curæ commissarum, & considerantes rem hanc, quidquid esset de locutione abstractiva, & in Cathedris usurpari solita, in praxi minime approbandam, sed potius perniciosam esse, inceperunt in Synodis jurisdictionem absolvendi subtrahere Confessariis, licet ab iisdem approbati fuissent, quando agebatur de absolvendo complice in peccato contra sextum decalogi præceptum, & postquam placuit Deo, sine ullo nostro merito, Nos elevare ad Summum Pontificatus apicem, non intermiserunt Episcopi proponere Nobis urgentia motiva, ut generali constitutione huic inconvenientiæ medelam afferremus.

58. Historia hujus facti à Nobis relata est in nostro Tractatu de Synodo (n): & tunc temporis à Nobis publicata fuit constitutio, quæ incipit *Sacramentum pœnitentiæ* (o), in qua quemcunque Confessarium privamus omni auctoritate & jurisdictione absolvendi personam complicem in peccato turpi & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, ita quidem, ut absolutio à tali data maneat nulla, & invalida, tanquam data ab eo; qui ad eam impertiendam jurisdictione à Nobis est destitutus.

59. Excipimus casum in articulo mortis, & in quo non alius adesset Sacerdos, cui persona moribunda posset confiteri: atque successive aliam publicavimus Constitutionem, quæ incipit *Apostolici muneris* (p), In qua explicantes casum articuli mortis, & in quo non adesset alius, quam complex Sacerdos, qui pœnitentem moribundum absolvere posset; adjunximus, quod in dictis circumstantiis posset complex absolvere, quando tunc etiam alius præsens esset Sacerdos, cui si moribundus confiteretur, nasci exinde posset infamia, aut scandalum in præjudicium Sacerdotis complicis, aut personæ pœnitentis, dummodo infamia esset vera, & similiter scandalum esset verum, & non esset purus prætextus ex parte Sacerdotis complicis. Istis insuper imposuimus obligationem omnem adhibendi diligentiam pro removenda infamia, & scandalo. Et non minus Sacerdoti complici, qui excipit confessionem extra mortis articulum, ac talem pœnitentem absolvit; vel etiam absolvit in articulo mortis præsente alio Sacerdote; vel si præsente alio Sacerdote sibi effingat, quod ex Confessione pœnitentis alteri facta oriretur infamia aut scandalum, atque exinde ipsemet Confessionem pœnitentis excipit, eumque absolvit; fuit à Nobis in citatis constitutionibus imposita pœna Excommunicationis Majoris, cujus absolutionem Nobis solis, & nostris Successoribus rasarvavimus.

60. Unde cum istis nostris determinationibus antiquæ cessant quæstiones, utrum absolutio à complice Sacerdote data pœnitenti socio in peccato contra sextum Decalogi præceptum, sit valida, aut invalida, sit licita aut illicita. Et quia tempore, quo fecimus citatam nostram constitutionem *Sacramentum Pœnitentiæ*, consideravimus, quod, cum temporibus Jubilæorum ampla detur Confessariis facultas audiendi in Sacro tribunali, & absolvendi quodcunque enorme peccatum, potuisset efformari quæstio, utrùm non Confessario complici pro tempore Jubilæi restituta esset facultas absolvendi pœnitentem criminis socium, declaravimus dicta constitutione, quod, cum talis Confessarius sit à Nobis privatus Jurisdictione absolvendi complicem, atque exinde non possit se ratione dicti effectus habere pro Confessario legitimo & approbato, debeat hac de causa in quocunque Jubilæo antiquam observare legem, adeoque habere se pro inhabili, & destituto auctoritate absolvendi complicem in peccato turpi & inhonesto. Et ad hoc respicit primum ex Monitis, de quibus agimus.

61. Prosequitur cum Monitis instructio Pœnitentiariorum: & præmissa regula generali, qua præscribitur, quod Pœnitentiarii hujusmodi facultatibus, pro Anno Sancto sibi concessis, uti non possint, nisi cum iis Pœnitentibus, qui præsens ejusdem Sancti Anni Jubilæum consequi sincere & serio volunt, atque parati sunt opera injuncta ad id lucrandum adimplere, sit transitus ad stabilienda duo puncta; quorum primum est, quod nullam commutationem, & dispensationem concedere possint extra actum Sacramentalis Confessionis, vel extra illas Basilicas & Ecclesias, ad quas pro exci- De Monitis contentis in §§. XXIV. XXV. & XXVI.

(n) Lib. 7. cap. 14. (o) Ordine 20. Bullar. tom. 1. (p) Ordine 120. Bullar. tom. 1.

excipiendis Confessionibus fuerunt destinati: & alterum est, quod ne prætextu quidem bonæ dispositionis Pœnitentis ad adimplenda opera injuncta, & consequendum Jubilæum, non prætermittant suam cuique Pœnitenti salutarem pœnitentiam imponere in Sacramento.

Quod facultates concessæ exerceri non possint, nisi cum illo, qui vult consequi Jubilæum.

62. Quod attinet ad regulam generalem illud, quod in ea ponitur liquidum est. Siquidem, si omnes facultates, quæ conceduntur, ordinatæ sunt ad consequendum Jubilæum, & sint tanquam quædam præparatio; clara est consequentia, quod nempe usus earundem facultatum locum non habeat, nisi pro eo, qui paratus est ad lucrandum Jubilæum, & serium habet animum adimplendi opera ad ipsum consequendum injuncta: *Gratia non conceditur, nisi in ordine ad hunc effectum: & per modum præparationis ad effectum Jubilæi: ergo qui non habet animum adimplendi & obtinendi Jubilæum, non potest gaudere facultate.* Verba sunt *Suarii* (q), qui agit de commutatione votorum. Et paulo infra examinat dubium, utrum reviviscat vinculum voti commutati tempore Jubilæi, quando pœnitens, licet in actuali Confessionis Opere haberet animum lucrandi Jubilæum, prætermittit adimplere postea opera injuncta ad ipsum consequendum, de quo puncto postea agetur; & docet (r), quod, si in commutatione non adjunctum est clarum & expressum pactum, adjunctum tamen in ea est pactum implicitum: *Dico, licet non probetur pactum explicitum, sufficienter probari implicitum, quasi intrinsece & ex natura rei inclusum in tali actione, seu ministerio, ut recte & fideliter fiat; nec videtur dubium, quin hæc sit præsumpta intentio Pontificis talem facultatem concedentis.*

Quod dictæ facultates exerceri non possint extra actum Confessionis.

63. Verùmenimvero si clarum est, quod in præmissa declaratione continetur, non tamen ejusdem claritatis, ante nostram declarationem, dici poterat primum punctum, in quo obligantur Pœnitentiarii ad exercendas suas facultates in actu Sacramentalis Confessionis, & non extra illum. Multa continentur in facultatibus datis Pœnitentiariis tempore Jubilæi, nempe absolutio à peccatis reservatis, à censuris, authoritas vota commutandi dispensando, & potestas dispensandi etiam in aliis materiis extra vota, veluti paulo ante dictum. Loquendo de absolutione à casibus reservatis, certum est, quod ista dari non possit extra sacramentalem confessionem. *Sanchez* existimavit, hoc fieri posse, quando in litteris concessivis facultatis non apponitur clausula *eorum confessionibus diligenter auditis*, vel alia æquivalens, uti videri potest in operibus (s). Alii tamen securiorem tenuere sententiam, absolutionem à censuris per modum præviæ dispositionis ad absolutionem à peccatis: & ita opinantur *Suarez*, *Vasquez*, *Filliuccius*, *Navarrus*, quos sequitur *Viva* (t) respective autem ad commutationem votorum *Constantini* in suo Tractatu de Anno Sancto (u) tenet, posse eam tempore Jubilæi Anni Sancti dari ab eo, qui eam impertiendi habet facultatem etiam extra sacramentalem confessionem, cùm ipse, uti asserit, in notificationibus publicatis in præteritis Annis Sanctis non legerit clausulam *eorum confessionibus diligenter auditis*, nec videatur ipsi, quod commutatio votorum habeat relationem ad forum pœnitentiæ, nec ex sua natura, neque ex voluntate concedentis facultatem commutandi. Alii denique omnino non curant clausulam *auditis confessionibus*; etenim, tametsi hæc clausula posita sit post facultatem absolvendi à casibus reservatis, & à censuris, & pariter post authoritatem commutandi vota & concedendi quasdam dispensationes, adeoque videatur, quod debeat omnia antecedenter expressa in se comprehendere, docent Authores isti, prædictam clausulam referendam esse ad solam absolutionem à casibus reservatis; vel etiam ad absolutionem à censuris, pro quibus specialis quædam militat ratio conveniens & proportionata naturæ rerum prædictarum; nunquam autem referendam esse prædictam clausulam ad commutationem votorum, & ad alias dispensationes, pro quibus non pugnat ratio, quæ propria est, & convenit absolutioni à casibus reservatis, & à censuris. Ita fuse discurrit *Bonacina* (x), *Leander* (y), *Diana* (z), *Giribaldus* (a). Nos vero ad tollendam è medio omnem ambiguitatem, in Instructionibus adjunximus; à Pœnitentiariis dari non posse absolutiones, commutationes, & dispensationes quascunque *extra actum Sacramentalis confessionis*; hoc quippe Nobis visum est debitum & proportionatum gravitati materiæ, & qualitati ministerii, conducens ad rescindendam omnem litem,

(q) Tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 16. num. 6.
(r) Ibid. num. 11.
(s) Lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 30:
(t) De Jubilæo quæst. 10. num. 4.
(u) Part. 3. cap. 3. pag. 192.
(x) Oper. Moral. tom. 2. disp. 4. circa secundum Decalogi præceptum quæst. 2. punct. 4. §. 2. num. 16.
(y) Part. 1. Tract. 5. de Sacramento Pœnit. disp. 14. de Indulgentiis quæst. 97.
(z) In edit. Coord tom. 7. tract. 1. resolut. 300. num. 7.
(a) Tract. de Sacramento Pœnit. cap. 21. de Jubilæo dub. 6. num. 47. & sqq.

tem, ac pariter conforme praxi Nostræ Pœnitentiariæ, uti videri potest *in Thesauro* (b).

Quod non prætermittatur impositio salutaris pœnitentiæ.

64. Sequitur secundum punctum, quod respicit salutarem pœnitentiam à Confessario imponendam ei; qui ipsi confitetur, ut per hoc se disponat ad lucrandum Jubilæum. Non agitur hic de celebri quæstione inter Theologos agitata, utrum ad consequendum fructum Indulgentiæ sufficiat præmittere bonam confessionem, adimplere pœnitentiam à Confessario impositam, & ad amussim exsequi opera injuncta; vel utrum præterea necesse sit, promptum habere animum ac propositum, aliis operibus pœnalibus, quantum fieri poterit, divinæ Justitiæ satisfaciendi? Præsens punctum ulterius progreditur; siquidem pertinet ad pœnitentiam, quæ à Confessario imponitur cuicunque, qui ipsi confitetur, ut per hoc se disponat ad consecutionem Jubilæi. Hac in materia sunt, qui tenuerunt, posse non solum occasione Jubilæi Pœnitenti imponi à Confessario pœnitentias leviores, si eundem videat lucrari velle plenariam Indulgentiam, sed etiam posse omitti pœnitentiæ impositionem. Ita opinatur *Cardinalis de Lugo* (c), *Diana* (d) cum multis aliis Authoribus Alii distinxerunt inter pœnitentias *satisfactorias*, & pœnitentias *medicinales*, docueruntque pœnitentem, qui Jubilæum est consecutus, non esse obligatum ad implendas pœnitentias satisfactorias, esse tamen obligatum ad Medicinales, uti videri potest apud *Vivam* (e), *Constantini* (f), *Leandrum* (g). Et alii eximunt pœnitentem etiam ab adimplendis pœnitentiis medicinalibus à Confessario impositis, si non sint absolutè necessariæ ad fugienda & vitanda peccata; in hoc autem rerum statu obligatio easdem adimplendi non provenit ab Authoritate Confessarii, sed à jure naturæ; uti videri potest apud *Cardinalem de Lugo* (h), *Leandrum* (i), & *Dianam* (k). Non defuerunt alii Theologi, qui contra prædictas has assertiones fuse scripserunt, inter quos numerantur *Juvenin* (l), *Pontas* (m), & nuper *Pater Amort* (n), qui diligentia prorsus summa (estrema), quidquid hac in materia dici potest, collegit. Et cum ipsius diligentiam subterfugerit testimonium Patris *Gregorii de Valentia*, qui profecto illis annumerari non potest, qui Rigoristæ appellantur, Nos hic eundem adjungimus. Tomo quarto (o) ita scriptum reliquit dictus *Valentia* - - *Notandum, neque per hanc Indulgentiæ formam, scilicet* DE INJUNCTIS POENITENTIIS, *neque per ullam aliam, quamvis amplam & generalem relaxari obligationem, qua, propter integritatem Sacramenti, tenetur Confessarius salutarem pœnitentiam pœnitenti injungere, & pœnitens eam implere &c. Primo ex eo, quod illa obligatio est juris Divini &c. Secundo ex eo, quod truncaretur alioqui Sacramentum Pœnitentiæ quadam sua integrali parte, qualis est nimirum Jure Divino satisfactio ipsius pœnitentis. Tertio id confirmatur ex communi sensu & usu Ecclesiæ, siquidem nec in plenissimis etiam Indulgentiis solet negligi à Confessariis & pœnitentibus Sacramentalis satisfactio & pœnitentia, imo expresse ab ipsis Pontificibus solet tunc etiam requiri.*

65. De prima quæstione, uti etiam de qualitate satisfactionis, vel pœnitentiæ imponendæ à Confessario, diximus, quantum sufficere duximus, in nostra circulari Epistola scripta ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos super præparatione ad Annum Sanctum, data in Arce Gandulfi *die 26. Junii Anni currentis*. Et ad istam Nos remittimus. Supererat unice, ut etiam aliquid diceremus circa quæstionem, an Confessarius possit omittere impositionem pœnitentiæ? dictum etenim à citatis authoribus erat; Pœnitentem, qui lucratus fuerat Jubilæum; ad eam adimplendam non esse obligatum. Et cum hæc doctrina Nobis visa fuerit pertinere ad laxitatem, de qua in instructione agitur §. XXVI., Nostram declaravimus mentem, quod à Confessario debeat imponi *salutaris* pœnitentia confitenti, tametsi iste paratus sit ad consequendum Jubilæum. Ex hoc deinde nascitur in pœnitente obligatio, eam adimplendi. Omnia sua peccata *confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Verba sunt *Concilii Lateranensis*, quando loquitur de Sacramentali Confessione in celebri Decretali *Omnis Utriusque sexus, De pœnitentiis & remissionibus.* Dein, præterquam quod necessaria intercedat correlatio inter authoritatem imponendi pœnitentiam, & inter obligationem adimplendi

(b) De pœnis Eccles. part. 1. cap. 22.
(c) De pœnitentia disp. 27. sect. 2. n. 30.
(d) In edit. Coord. tom. 1. tr. 6. resol. 10. n. 2.
(e) De Jubilæo quæst. 5. art. 2.
(f) Tract. de Anno Sancto part. 1. cap. 4. §. *secundum*.
(g) Art. 1. tract. 5. disp. 9. quæst. 82.
(h) De pœnitentia disput. 27. sect. 2. n. 21. & pluribus seqq.
(i) Tom. 1. tract. 1. de Sacramento Pœnitentia quæst. 172.
(k) In edit. Coord. tom. 5. tract. 1. resolut. 201. num. 4.
(l) Tract. Histor. Dogmat. de Sacramentis dissert. 13. quæst. 5. cap. 4.
(m) In Dictionar. Morali in verb. Jubilæum casu 10.
(n) In historia Indulgent. in quæstionibus practicis p. 467. & seqq.
(o) Disp. 7. quæst. 20. de Indulgentiis punct. 3. pag. 1603.

plendi eamdem, visum Nobis fuit esse imperceptibile, quod dici possit, vel sit *vere Pœnitens*, uti tamen esse debet, qui plenariam vult consequi Indulgentiam; si prætextu ejusdem sese eximere intendit ab adimplenda ea pœnitentia, quæ ipsi in Sacramentali Confessione fuit à Confessario imposita.

66. Prosequitur Instructio dando quasdam providas admonitiones circa absolutionem à censuris & circa absolutionem illorum, qui sine licentia & malo fine ingrediuntur Clausuram Monialium & Religiosorum, ac eorum, qui ex eodem malo fine introducunt Mulieres in clausuram, insuper illorum, qui sine licentia libros prohibitos legunt; quibus tandem adjungitur admonitio circa dispensationem aliquorum votorum: & Nos, qui hic aliud facere non intendimus, quam indigitare controversias, quas rescindere procuravimus, ad effectum, ne res jam sopitæ, de novo in medium producantur. Dicimus itaque modo, quod, ubi Pœnitentiariis conceditur facultas absolvendi à censuris occultis, & ob partem læsam incursis, cum adjuncta clausula, ne hac facultate utantur, seu quod idem est, ne ab his censuris pœnitentem prius absolvant, quam parti læsæ satisfecerit, vel saltem ante absolutionem promittat jurejurando, se huic satisfacturum, non intelligimus, quemadmodum nonnemo intellexit, nomine *partis læsæ*, Judicem, sed illum, qui damnum est passus; iste quippe obvius verborum est sensus, uti etiam bene observavit *Viva* (p), *Giballinus* (q), & *Salmaticenses* (r). Respective autem ad commutationem votorum, in quibus agitur de præjudicio tertii, quæ Pœnitentiis prohibetur, optime scribit *Suarez* (s). De votis perseverantiæ, quæ à quibusdam emittuntur, qui aliquam ingrediuntur Congregationem, & quamdam contractus, & reciprocæ inter ipsos & Congregationem eosdem recipientem obligationis naturam assumunt, à quibus Pœnitentiarii dispensare non possunt, optime ad præsens institutum sermocinatur Pater *Sirus* (t), qui insuper in eodem Opere agit *de Votis pœnalibus*.

§. VI.

De facultatibus contentis in Constitutione CONVOCATIS *pro Confessariis deputatis à Cardinali Vicario, quantum ad absolutionem à Peccatis, & Censuris, dissolutionem votorum, & dispensationem.*

(p) De Jubilæo quæst. 10. art. 2.
(q) De Censuris disquisit. 9. quæst. 4. n. 7.
(r) In Cursu Theologico-Morali tom. 1. tract. 10. de Censuris c. 2. punct. 2. num. 10.
(s) Tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 15. & præsertim num. 7.

67. Præsens admonitio huc collimat, ut isti Confessarii attente legant textum, in quo ipsis conceduntur facultates, ne eas excedant, ut ex illa parte, quæ concordat cum aliis facultatibus concessis Pœnitentiariis, non omittant legere, illudque perscrutari, quod de iisdem paulo ante fuit memoratum; atque ut respectu dispensationum, bene memoriæ impressum retineant, quod alia non gaudeant facultate, quam dispensandi aut commutandi visitationes Basilicarum in alia pia opera, qua facultate gaudent Pœnitentiarii: quamobrem necesse erit, ut legant, quod super hoc puncto fuit respectu pœnitentiariorum dictum num. 52. & 53.

§. VII.

De quibusdam declarationibus contentis in Constitutione CONVOCATIS *in ordine ad præsens Jubilæum; & primò de declarationibus quæ respiciunt Personas, quæ ipsum consequi volunt.*

68. Celebris *Joannes de Anania*, qui commune debitum naturæ solvit anno 1458. parvum Tractatum de Jubilæo composuit, & in ejusdem fine aliquas proposuit quæstiones, inter quas leguntur sequentes: Utrum fructum Jubilæi aquirat Episcopus, qui ad idem consequendum Romam venit, sine obtenta prius licentia Romani Pontificis? Utrum Jubilæum prosit Parocho, qui Romam venit absque licentia Episcopi? Utrum Religioso, qui venit absque licentia Abbatis? Utrum Marito, qui venit absque licentia conjugis? & utrum conjugi, si Romam venit absque licentia Mariti? Examen eorumdem dubiorum continuavit versus annum 1599. *Benzonius* sæpius nominatus (u) & resolutio fuit, supradictis personis licitum non esse ipsorum Patrios deserere Lares ex motivo eundi Romam pro lucrando Jubilæo Anni Sancti, nisi præviam à suis respective Superioribus adepti fuerint licentiam; adeo, ut sine hac licentia Romam venientes peccent, quodsi vero de hoc peccato, & de omnibus aliis, in Romanis Sacræ Pœnitentiæ Tribunalibus sese accusent cum vero dolore, & adimpleant, quidquid pro lucranda Indulgentia est præscriptum, eamdem lucrantur. Iisdem

(t) In quodam suo Opere manuscripto Italici Idiomatis in unam Bullam Innocentii XIII. tractantem de facultatibus Majoris Pœnitentiarii.
(u) De Anno Jubilæi lib. 5. à dub. 14. ad dub. 18.

dem subscribit opinionibus *Quarti* (x), tantummodo adjungens; non posse conjugem venire Romam absque licentia & consensu Mariti; posse tamen Maritum Romam accedere absque consensu conjugis, dummodo ipsius absentia longum temporis spatium non inducat, aut grave incommodum, sive damnum Conjugi & familiæ non afferat: & non sine magna ratione invehitur in Religiosos atque in Curiales, qui absque necessariis licentiis aggrediuntur iter ad Urbem ad obtinendum Jubilæum Anni Sancti; invitatio quippe generalis, quam Summus Pontifex omnibus facit, intelligenda est, quod solum comprehendat illos, qui licite & cum debitis circumstantiis venire possunt. Adhæret hisce opinionibus *Constantini* (y). In supracitata nostra *Epistola Circulari* edita 26. Junii hujus Anni currentis super præparatione ad Annum Sanctum, cohærenter ad prædictas opiniones, stabilivimus responsionem ad dicta puncta, uti in eadem Epistola legi potest. Referimus Nos ad Circularem Epistolam, ex qua necessario promanat prima declaratio expressa in §. XLIII., *quod Personis Romam ad hoc Jubilæum consequendum venire volentibus, non intelligatur data veniendi libertas, sive licentia, sine obtento alias necessario suorum respective Superiorum consensu.*

Quænam personæ habeantur pro Romanis & Incolis Urbis, & quænam pro Peregrinis & Externis.

69. Bonifacius Papa VIII. in sua sæpius nominata Decretali *Antiquorum* (z) stabilivit pro Romanis visitationem Sacrarum Basilicarum per triginta dies, & pro Peregrinis, ac externis visitationem per quindecim dies repetendam: *si fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis seu interpolatis, & saltem semel in die. Si vero Peregrini fuerint aut Forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant.* Ista verba habentur etiam in alia Decretali Clementis VI. incipiente *Unigenitus* (a). Eodem tenore usus est Clemens Papa VII. in indictione Jubilæi, quam fecit in sua Bulla incipiente *Inter Solicitudines*, edita die 17. Decembris Anno 1524. Progressu temporis verbo *Romani* fuit adjunctum aliud *vel Urbis Incolæ*, & omissum fuit verbum *Forenses*, uti videri potest in Constitutione Gregorii XIII. incipiente *Dominus ac Redemptor - - - triginta continuis vel interpolatis diebus semel saltem in die, si Romani vel Urbis Incolæ fuerint; si vero Peregrini quindecim diebus devote visitaverint*, & in multis aliis.

70. Tametsi ex verbo *Romani* nullam oriri posse controversiam videretur, orta tamen est; siquidem cum non ille solum sit Romanus, qui natus est, & Romæ habitat, sed ille insuper, qui Romæ natus, alium in locum domicilium transtulit, dubitatum fuit, utrum talis Romam veniens tempore Anni Sancti ad lucrandum Jubilæum, deberet per triginta, an per quindecim dies visitare Basilicas. *Navarrus* (b) existimavit, sufficere visitationem per quindecim dies factam; cum in hoc casu Domicilium debeat origini prævalere, cum Romanus, qui alibi domicilium fixit, Romamque venit, idem subeat itineris incommodum, quod subit Peregrinus, & externus. *Benzonius* (c) è contrario talem credit esse obligatum ad faciendas triginta vicibus Basilicarum visitationes: *Turpe est enim*, dicit ipse, *virum Romanum vel avaritiæ vel acediæ, seu torporis vitio laborare, præsertim in eo Anno, in quo Urbs tota gaudio, jubilatione, munificentia, atque singularissima festivitate refulget*, & insuper sibi proposuit quæstionem, utrum nomine *Romani* in ordine ad effectum, de quo agitur, sit etiam ille comprehensus, qui in viciniis Romæ habitat.

71. Disputationibus exortis circa ly *Romani* successerunt aliæ circa verba *vel Urbis Incolæ*. *Navarrus* loco citato (d) asserit, quod nomine *Incolæ* in præsenti casu ille intelligi debeat, qui integro Anno Romæ moratur, vel saltem qui ibi tanto tempore moratur, ut Incola Urbis appellari possit. *Quarti* & *Constantini* practice discurrunt. Primus (e) vult, quod nomine *Incola Urbis* intelligatur ille, qui non natus est Romæ, neque oriundus, sed ibi domicilium contraxit, atque exinde, quòd Curiales Procuratores, Advocati, aulici sint obligati ad visitationem triginta dierum, & quod eidem obligationi sint subjecti scholares, Mercatores, & Litigantes, qui per majorem Anni partem Romæ habitant, siquidem omnes isti, si non verum, saltem quasi domicilium contraxerunt. Secundus Author (f) considerans, quod minor quindecim dierum numerus præfigatur Peregrinis ex ratione incommodi in itinere supportati, & quod major triginta dierum numerus Romanis, & Romæ habitantibus præfigatur eam ob causam, quia isti prædictum incommodum, viæque molestiam non supportarunt, asserit, obligationi visitanda-

(x) In Tract. de Jubilæo Anni Sancti pag. 67. cap. 1. punct. 6. dubio 1. & seqq.
(y) In suo Tractatu de Anno Sancto part. 2. cap. 4. p. 103. & seq.
(z) Inter Extravagantes Communes de pœnitentiis & remissionibus.

(a) Ibidem eodem titulo.
(b) De Jubilæo & Indulgent. num. 42. p. 163.
(c) De Anno Jubilæi lib. 5. dub. 3.
(d) num. 43.
(e) pag. 126. & seq.
(f) pag. 119. & seq.

tandarum per triginta dies Basilicarum subjectos esse omnes & singulos, qui incommodum in itinere passi non sunt; & ab onere graviori esse exemptos, & obligatos ad levius, nempe ad visitationem per quindecim dies peragendam, omnes illos, qui prædictum itineris incommodum sunt perpessi.

72. In nostra Constitutione *Peregrinantes*, in qua indiximus Annum Sanctum, sequentia adhibuimus verba: *Per triginta continuos aut interpolatos dies &c. si Romani, vel Incolæ Urbis; si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies devotè visitaverint.* Atque in hac ultima nostra Constitutione §. XLIV. dicta verba interpretantes diximus, & dicta modo repetimus, Romanorum apppellatione comprehendi omnes & singulos, qui nati sunt & Romæ habitant, sicut etiam qui nati sunt, & habitant in districtu Romano, seu quod idem est, in vineis, intra quinque milliaria ab Urbe, sive intra quintum ab Urbe lapidem; hic quippe est sensus legalis verbi *Romani*, uti optime advertit *Spondanus* (g) *Jurisconsulti responderunt eos, qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ natos intelligi; Romam enim esse etiam, qua continentia ædificia essent, nec Romam muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra Urbem habitaremus.* Diximus insuper, & iterum dicimus, nomine *Incolarum Urbis* comprehendi omnes & singulos, qui Romam venerunt animo ibi habitandi per majorem Anni partem, sicuti etiam omnes illi, qui certum aliquod officium in Urbe obtinent, seu cum spe illud obtinendi moram ibidem trahunt, ideoque in ipsa, si non verum & rigorosum, saltem quasi domicilium aquirunt: *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit, cum essent Incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea:* legitur in Actibus Apostolorum cap. 13. v. 17. & periti Latinæ Linguæ Magistri dicunt, quod illi sint *incolæ*, qui alibi nati, in quodam habitant loco, quem sibi pro habitatione elegerunt, tametsi ibi jure municipali non gaudeant: unde eorum numero annumerari debent Curiales, Procuratores, Advocati, Aulici, Scholares, Mercatores, Litigantes, & id genus hominum: uti etiam bene advertit antiqua glossa in Decretalem *Antiquorum*, & ecce ipsius verba: *Quid de Curialibus existentibus in Curia Papali? respondet Sixtus Papa, illos facere debere triginta dies. Et est ratio, quia isti nec verè peregrinantur, nec verè sunt forenses, sed ut moraturi in Curia accedunt.* Sunt igitur omnes illi prædicti obligati ad visitationes Basilicarum per triginta dies. Insuper declaravimus & declaramus, ad eundem visitationum numerum obligatos etiam esse illos, qui Romam veniunt alia ex causa & motivo, quam ex motivo consequendi Jubilæum; siquidem, ut prætermittatur controversia, utrùm isti comprehendi possint *nomine Incolarum Urbis*, indubitata res est, quod, cùm itineris molestias alio ex motivo supportaverint, non aliter etiam Jubilæum consequi valeant, quam Basilicarum visitationem per triginta dies peragendo: quibus pariter annumerandi sunt omnes illi, qui Romam venientes ex fine lucrandi Jubilæum, ibique longiori, quam sex mensium spatio sese detinentes, per decursum dicti temporis trigesies Basilicas visitare sine gravi suo incommodo possunt. Sicuti exemplum nostrorum Prædecessorum à nostris temporibus minùs remotorum secuti, omisimus ly *Forenses*, quod juxta sensum, mediis temporibus consuetum, aliud significare non poterat, quam peregrinos, uti bene observat *Lucas Holsteinius* (h) interpretando verba Synodi Romanæ, habitæ nono Sæculo sub Leone IV. - - *Tantam superfluitatem Presbyterorum Forensium.* Nos antiquitus usurpato usi sumus verbo *peregrini*, quorum nomine veniunt, qui iter aggrediuntur ad visitanda Sacra Limina, & consequendam Sanctam Indulgentiam: *advena sum & peregrinus apud vos*, legitur in Genesi cap. 23. Insuper verbo *peregrini* adjunximus aliud *externi*, quod verbum non tantum juxta idioma latinum, sed etiam, quod majoris est momenti, juxta Sacrarum Litterarum locutionem extraneum significat, aut quemdam alterius Religionis, unde in Exodo cap. 23. legitur: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.* Et in Libro Numerorum cap. 1. *Quisquis externorum accesserit, occidetur.* Et cap. 3. *Externus, qui ad immolandum accesserit, morietur.* Atque ut ad nostrum institutum redeamus, declaravimus & declaramus, *peregrinorum*, aut *externorum* nomine comprehendi reliquos omnes, qui juxta explicationem supra datam comprehensi non sunt *Romanorum*, aut *Incolarum Urbis* appellatione.

§. VIII.

De Declarationibus contentis in Constitutione CONVOCATIS, *quantum ad opera injuncta.*

73. Esset haud dubie exoptabile, fieretque absque dubio melius & securius, si ante inceptam Ecclesiarum visitationem Quando facienda sit confessio, &

(g) In Epitome Annal. Cardinal. Baronii ad annum 1. in princip.

(h) Tom. 8. Collectionis Labbeanæ Concilior. pag. 138.

commu- nio pro Jubilæo conse- quendo.

nem fructuosa præmitteretur Confessio ad faciendas in statu gratiæ visitationes; melius pariter faceret, qui iteratam confessionem deponeret, si inceptis visitationibus in lethale peccatum incidisset. *In Actis Ecclesiæ Mediolanensis* (i) Italica lingua conscriptis à Sancto Carolo Borromæo ita legitur: *Ante omnia quilibet deinde attendat, ut diligenter observet omnes conditiones à sua Sanctitate expressas in litteris concessionis ejusdem Jubilæi; non enim Jubilæi fieret particeps, qui eas non observaret. Prima conditio est, ut quis sit verè contritus & confessus: quod quilibet faciat necesse est, antequam Ecclesias visitare incipiat, pro majori nimirum securitate Sanctum consequendi Jubilæum. Eadem de causa si quis post confessionem peractam & inceptam Ecclesiarum visitationem in lethale peccatum* (quod Deus avertat) *incideret, confessionem de mortali peccato denuo deponere debebit, & deinde residuos continuare dies usque ad completum dierum numerum, qui pro visitandis quatuor Ecclesiis fuit ipsi præfixus.*

74. Atque hoc systema approbant & ùt magis securum tenent *S. Antoninus* (k), Cardinalis *Bellarminus* (l), *Becanus* (m), *Benzonius* (n), & *Pontas* (o). Et quod hoc fuerit, & defacto sit nostrum ardens desiderium, satis colligi potest tum ex iis, quæ scripsimus in dicta Circulari Epistola, tum ex iis, quæ fecimus, cùm proxima elapsa æstate in hac alma Urbe publicas institui Missiones curavimus; tum denique ex iis, quæ heri mandamus pro præsenti adventus tempore, Sacras Missiones in variis Urbis Ecclesiis usque ad Festum S. Thomæ Apostoli continuari præcipientes: quæ omnia & singula talis naturæ sunt, ut pro unico fine & objecto habeant Confessiones fructuosas, à peccatoribus faciendas, antequam Porta Sancta aperiatur, atque adeo, antequam Ecclesiarum visitatio incipiatur. Neque prætereundum est, hoc nostrum desiderium deduci posse ex Constitutione *Peregrinantes*, in qua Confessio & Communio à Nobis visitationi Ecclesiarum præponuntur.

75. Verum in hoc difficultas non est reposita. Reducitur difficultas ad hoc, ut videatur, utrum, qui incepit, & Basilicarum visitationem continuavit in statu peccati mortalis, & dictum opus peregit, quod bonum erit illo bonitatis genere, cujus sunt capacia opera facta à peccatoribus, ac postmodum deposuit fructuosam confessionem, Sacramque Synaxin in statu gratiæ recepit, atque adeo modo in statu gratiæ existit, ubi antea visitando Ecclesias existebat in statu peccati mortalis, utrum, inquam, tali existenti in statu gratiæ in positione ultimi operis, quod ad lucrandum Jubilæum persolvit, præcedentes valeant visitationes pro sufficienti peractione operum injunctorum? Fuse de hoc puncto agit *Navarrus* (q): sed negari non potest, communem esse sententiam, quod ad consequendam Indulgentiam sufficiant visitationes etiam factæ in statu peccati mortalis, dummodo ultimum opus, in quo Indulgentia acquiritur, factum fuerit in statu gratiæ; non enim remittitur pœna temporalis, nisi extinctum sit peccatum, pœnaque æterna remissa; quod obtinetur media pœnitentia. Ita discurrunt majoris Authoritatis Theologi in suis operibus Theologicis nimirum *Suarius* (r), *Valentia* (s), *Cardinalis de Lugo* (t), *Sylvius* (u), *Estius* (x), *Juvenin* (y), & multi alii. Conveniunt etiam Theologi Morales, inter quos *Filliuccius* (z), *Santarelli* (a), *La Croix* (b), *Bonacina* (c): conveniunt pariter, qui expresse de Jubilæo scripserunt, quibus annumerandus est *Viva* (d), *Amort* (e); & qui composuerunt, & Romæ typis mandarunt tractatus de Indulgentiis, inter quos PP. *Passerinus* (f), *Vanrast* (g), & *Theodorus* (h). Ita, quæ communis appellari potest, sententia, valido non est destituta fundamento; siquidem visitationes Ecclesiarum tametsi factæ ab uno, qui non est in statu gratiæ, sunt opera moraliter bona,

(i) Part. 3. Editionis Mediolanensis Anni 1599. pag. 1031.
(k) In Summa part. 1. tit. 10. c. 3. §. 5. in fin.
(l) De Indulgentiis lib. 1. cap. 13. controversiar. tom. 2.
(m) In Summa tit. de Sacramentis cap. 28. de Indulgentiis quæst. 6.
(n) De Anno Jubilæi lib. 5. dub. 4. §. *Dico septimo.*
(o) In verb. Indulgentiæ cas. 13.
(q) De Jubilæo notabili 19.
(r) In 3. Part. D. Thomæ tom. 4. disput. 52. Sect. 2. num. 7.
(s) Tom. 4. Disput. 7. quæst. 20. de Indulgentiis punct. 5. §. *Non tamen.*
(t) De Sacramento Pœnitentiæ Disput. 27. Sect. 6. num. 83.
(u) In 3. part. D. Thomæ tom. 4. in supplemento tertiæ partis quæst. 27. art. 1.
(x) In 4. sent. dist. 20. §. 8. per tot. & signanter vers. *Cæterum*, cum seqq.
(y) In Tract. de Sacramentis Disp. 13. de Indulgentiis quæst. 6. §. *Cæterum.*
(z) Oper. Moral. tom. 1. tract. 8. cap. 10. quæst. 5. num. 258.
(a) Variarum resolut. quæst. 76. num. 15.
(b) Lib. 6. part. 2. de Indulgentiis n. 1410.
(c) De Jubilæo quæst. 6. art. 2. num. 4.
(d) In Historia Indulgentiarum, inter quæst. & resolut. pract. quæst. 32.
(e) Tom. 1. p. 203. Venet. edit. anno 1698.
(f) De Indulgentiis quæst. 73. per tot. & præsertim n. 514.
(g) In Opusc. de Indulg. quæst. 6. n. 7. & seq.
(h) In Tractat. de Indulgentiis lib. 1. cap. 8. art. 1. per totum.

bona, licet non meritoria vitæ æternæ; & quamvis sint opera facta ab inimico, sunt tamen opera facta à tali inimico, qui sese Deo reconciliare incipit: videtur hoc ipsum in Sacra antiquitate esse adumbratum in publicis pœnitentiis, quas faciebant, qui in graves excessus & publicos erant prolapsi; isti enim ante obtentam à suis peccatis absolutionem, adeoque ut existentes in statu peccati, sese exercebant in adimplendis operibus & pœnitentiis pro ratione suorum delictorum impositis. Stabilito hoc puncto, quod status gratiæ absolute sit necessarius in ultimo opere, quod pro lucranda Indulgentia peragitur, & quod prædictus status non sit absolute necessarius, quando alia opera injuncta persolvuntur, citati Authores pro suæ sententiæ confirmatione adducunt publicam fidelium consuetudinem vigentem sciente etiam & non contradicente eo, qui Indulgentiam concessit; impossibile enim est, eundem sibi posse persuadere, quod Ecclesiarum visitationes, quæ aut per triginta, aut per quindecim dies peraguntur pro consequendo Jubilæo, ab iis solis fiant, qui sunt in gratia constituti. Nec removentur ab ipsorum sententia, eoquod in Bulla Jubilæi universalis Confessio & Communio visitationi quatuor Basilicarum præmittatur; respondent etenim, ordinem verborum non esse regulam adæquatam factorum; addunt etiam, sufficere in Indulgentiis authoritatem in concedente, Gratiam in easdem recipiente, pietatem in causa, ac devotionem in visitationibus Basilicarum, tametsi fiant ab uno, qui in statu gratiæ non est, dummodo peragantur cum debitis circumstantiis, siquidem istæ sunt causæ dispositivæ ad consequendam gratiam habitualem.

76. Adduximus in Compendio, quidquid pro tuenda sua sententia afferunt authores citati, à qua Nos pariter non intendimus recedere, uti videri potest ex eo, quod declaravimus in §. XLV. ultimæ Constitutionis; siquidem tametsi Nos ardentius desideremus, ut visitatio Ecclesiarum fiat in statu gratiæ, atque adeo vel post fructuosam Confessionem, vel saltem post actum Contritionis; attamen ex altera parte considerantes, non semper, quod desideratur, obtineri posse, & humanæ fragilitati esse compatiendum; existimavimus à fructu Indulgentiæ non esse excludendum eum, qui incipit, aut prosequitur Ecclesiarum visitationem non præmissa Confessione, dummodo talis sit in statu gratiæ, quando ultimum ponit opus, in quo Indulgentia obtinetur, & dummodo visitationes cum devotione peractæ sint: *devote visitaverint*, legitur in Bulla *Peregrinantes*; in Extravaganti *Unigenitus* habetur verbum *devotionis*; in alia *Quemadmodum*: *reverenter*: Quæ verba explicans *Navarrus* (i) ita loquitur: *Per quæ significatur, visitationes has Ecclesiarum fieri debere bene, & quidem recte; nam licet per asserta cum communi, non sit necessarium, ut fiant in statu gratiæ, necessarium tamen est, quod sint actus boni moraliter.* Necesse igitur est pro adimplendo injuncto opere, ut visitatio fiat cum intentione, vel voluntate Deum honorandi, suosque Sanctos, ut ingressus & egressus ex Basilicis fiat cum modestia, & ut ibi aliquis religionis actus exerceatur. Unde infertur, quod si quis accedat ad Ecclesias absque aliquo bono fine, sed ex mera curiositate, &, si accedat faciendæ, uti dici assolet, ambulationis causa, Jubilæum non consequitur (ut nihil loquamur, quod aliunde esset superfluum, de eo, qui Ecclesiam visitaret in peccato mortali actuali, exempli gratia, cum animo alios inducendi ad peccatum); uti de his & aliis similibus casibus distinctis articulis discurrunt *Vanranst* (k), *Constantini* (l), *Quarti* (m), *Vivas* (n), *Pignatelli* (o), *Amort* (p), cum multis aliis. (NB.)

De Confessione facienda etiam ab eo, qui mortalium peccatorum reus non est.

77. Præceptum Sanctæ Confessionis, in quantum est de jure divino, sola comprehendit mortalia peccata, neque ad venialia se extendit. Postquam autem Ecclesia in Concilio Lateranensi determinavit tempus Confessionis annuæ, quod est Pascha Resurrectionis Dominicæ; controvertitur, utrum necessitati confitendi peccata mortalia Ecclesia adjunxerit hanc etiam necessitatem confitendi venialia: & quamvis communis sit assertio, adjunctam non fuisse necessitatem confitendi venialia ad satisfaciendum Præcepto Paschali, non desunt tamen Authores, qui stimulante ipsorum zelo contrarium tenent, docentque eum, qui sola habet peccata venialia, saltem in Paschate sistere se debere Sacerdoti, illique insinuare, quod cum gratia Dei non aliorum quam venialium peccatorum

(i) De Jubilæo sub num. 44.
(k) De Indulgentiis quæst. 7. à num. 15. ad num. 20.
(l) Part. 2. cap. 6. peg. 121.
(m) Tractat. de Jubilæo pag. 146. & seq.
(n) De Jubilæo quæst. 8. art. 5. n. 3.
(o) De Anno Sancto dub. 22. cap. 8.
(p) In quæstionibus practicis in fine Historiæ Indulgentiarum quæst. 72.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

(NB.) Hoc locu textui SSmi. D. N. Benedicti XIV., ipsomet, ut spero, non invito, addendam censui observationem, quod à me dicantur lucrari Indulgentiam de se plenariam, qui lucrentur saltem aliquam illius partem, ad quam habent saltem aliquam congruam dispositionem aliquali satisfaciendi pro suis peccatis studio.

rum sibi conscius sit. Videri possunt *Juvenin* (q), *Du Hamel* (r), *Habert* (s), *Glossa in Pontas* (t) in editione latina, Author *Theologiæ Moralis ad usum Seminarii Petrocoriensis* (u). Nos hanc controversiam non aggredimur. *S. Antoninus* expresse in sua Summa (x) docet, rem summe laudabilem esse ad consequendam Indulgentiam confiteri venialia peccata, si pœnitens mortalium peccatorum sese reum non inveniat. Sed neque hoc nostro sufficit instituto, præsentia etenim rei cardo non versatur circa utile, sed circa necessarium. Principalis difficultas ad hanc se reducit quæstionem, utrum, si præcipiatur Fidelibus Confessio in ordine ad consecutionem Jubilæi, intelligatur etiam esse præcepta homini, qui non mortalia, sed sola venialia habet peccata. In *Santarelli* (y) *& in cursu Morali Salmanticensium* (z) videri possunt Collecti Authores pro affirmativa, & negativa parte. Illi ostendunt se defensores partis affirmativæ, judicantes eam ut securiorem. *Cardinalis de Lugo* (a) autem, & *Leander* (b) negativam tenent sententiam, ducti motivo, quia, ubi sermo est de Confessione, semper intelligitur Confessio peccatorum mortalium. Cum autem detur auctoritas injungendi Confessionem venialium, uti optime advertit Cardinalis de *Laura* (c), & *Clericatus* (d), quod etiam comprobatur per textum Pontificis Clementis V. in Clementina incipiente: *Ne in agro de statu Monachorum*, ubi Monachis imponit obligationem, *ut singulis mensibus ad Confessionem saltem semel accedant*, tametsi rationabiliter posset, & deberet supponi, quod major ex illis pars, non aliis quam venialibus peccatis esset maculata. Insuper cum certum sit, quod pro lucrando Jubilæo præscribi possit positio operum, quæ ex sua natura essent opera meri consilii, & supererogationis, uti in exemplo est jejunare aliquot diebus non præscriptis à Præcepto Ecclesiastico, aut devote visitare Basilicas, veluti contingit in præsenti Jubilæo Anni Sancti; potest etiam præscribi Confessio venialium pro eo, qui peccati mortalis macula non est infectus; quamquam præscindendo ab his circumstantiis, & abstractive loquendo, obligatio confitendi venialia aliis ex titulis non daretur. Eodem modo Nobis placuit facere, & in §. XLVI. ultimæ Constitutionis declaravimus, peragendam esse Confessionem etiam ab eo, qui solis peccatis venialibus teneatur, si lucrari Jubilæum velit. *Posset autem Papa, si vellet, expressis verbis injungere, ut qui Indulgentiam consequi vellet, venialia peccata confiteretur, sicut injungit alia opera supererogationis, neque tamen hoc esset facere venialia materiam necessariam Confessionis, sed cum alias venialia sint congrua materia confessionis, illam quoque exigeret, si vellet, in acquisitione Indulgentiæ.* verba sunt *Benzonii* (e).

78. Ut paucis omnia complectamur; quæstio, quæ inter Theologos movetur, utrum, si Confessio in ordine ad acquirendam Indulgentiam injungatur, pœnitens obligetur ad Confessionem, qui solis peccatis venialibus teneatur? locum habet, quando Confessio requiritur tanquam dispositio ad statum gratiæ necessarium pro lucrando Jubilæo; sed ea quæstio locum non habet, quando Confessio præscribitur, veluti à Nobis factum est, tanquam opus injunctum pro acquirenda Indulgentia, uti etiam optime observant *Pasqualigo* (f), *Viva* (g), & *Constantini* (h).

De eo, qui post confessionem peractam in novum lethale peccatum incideret ante expletas visitationes.

79. Difficultati modo resolutæ succedit resolutio alterius, quæ est in ordine ad illum, qui jam peracta Confessione, factisque aliquot Basilicarum visitationibus, in novum mortale peccatum incidit. Controvertitur inter Doctores, quid facere talis debeat, ut Jubilæum consequatur, utrum necesse sit visitationes jam factas repetere, vel utrum sufficiat, ante ultimam visitationem actum contritionis elicere, vel utrum sit obligatus ad deponendam denuo de peccato commisso Confessionem? Existimarunt aliqui; sufficere Actum Contritionis propterea, quod in Bulla Jubilæi una sola præscribatur Confessio, quæ in casu præsenti supponitur jam peracta, & ex altera parte status gratiæ necessarius ad lucrandam Indulgentiam, acquiratur per veræ Contritionis actum. Ita hac super re discurrunt *Cardinalis de Lugo* (i), *Leander* (k), qui Alios citant authores ejusdem opinionis sequaces. Alii autem advertunt, & præsertim *Suarez* (l), *Filliuccius* (m), *Quarti*

(q) De Sacramentis Dissert. 6. c. 3. art. 2.
(r) Tom. 7. Tract. de Pœnitentia dissert. 3. cap. 2. num. 5. §. *quid vero dicendum.*
(s) Tom. 8. de Pœnitentia cap. 9. quæst. 2.
(t) Tom. 1. in Verb. Confessio casu 51.
(u) Tom. 4. lib. 2. Tract. 1. quæst. 9.
(x) Tom. 1. tit. 10. cap. 3. num. 10. novissimæ Editionis Veronensis.
(y) Quæst. 76. variat. resolut. num. 2. & seq.
(z) Tom. 1. tract. 6. cap. 7. puncto 3. n. 34.
(a) Disp. 27. de Sacram. Pœnit. sect. 7. n. 101.
(b) Part. 1. Tract. 5. Disput. 14. quæst. 76.
(c) In 4. Sent. tom. 2. de necessitate Sacramenti. Pœnit. Disp. 24. art 2. §. 4.
(d) De Sacram. Pœnit. decis. 50. num. 7.
(e) De Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 6.
(f) Quæst. 63.
(g) De Jubilæo quæst. 8. art. 3. §. *Dices.*
(h) De Anno Sancto part. 2. cap. 5. pag. 106.
(i) De Sacr. Pœnit. disp. 27. Sect. 7. n. 102.
(k) Part. 1. Oper. Moral. Tract. 5. de Sacr. Pœnit. disp. 14. de Indulgentiis quæst. 79.
(l) Disp. 52. sect. 3. num. 7.
(m) tom. 1. tract 8. cap 6. n. 147.

Quarti (n), *Constantini* (o), quod in Bulla Confessio præcipiatur relate ad Indulgentiam, & consequenter quod in ea injungatur Confessio mortalium peccatorum commissorum ad illum usque terminum, in quo denique ejusdem fructus obtinetur, docentque non sine gravi fundamento, eum, qui Confessionem peregit, visitationesque Ecclesiarum incepit, si in quoddam lethale peccatum incidat, antequam ultimam visitationem peragat, obligatum esse ad novam Confessionem, neque sufficere solum actum Contritionis ad lucrandum Jubilæum: præterea asserunt, eidem obligationi repetendæ Confessionis subjacere etiam eum, qui recordatur alicujus peccati mortalis ex inculpabili oblivione omissi in antecedenti Confessione. Atque huic magis fundatæ sententiæ adhæsimus, in §. XLVII. absolventes peccatorem ab onere repetendi visitationes Basilicarum jam factas, eundem vero obligantes ad novam Confessionem ultimæ Basilicarum visitationi præmittendam. Dictum fuit, Nos liberasse peccatorem ab obligatione repetendi visitationes jam factas; quæstio siquidem de hac obligatione, locum tantummodo habet in sententia, requirente tanquam necessarium, statum gratiæ pro eo tempore, in quo injuncta opera adimplentur; locum autem non habet, quando necessitas status gratiæ ad ultimum reducitur opus, in quo Indulgentia obtinetur, uti bene ad nostrum institutum advertit *Benzonius* (p).

De pueris inhabilibus ad S. Communionem.

80. In præsenti Jubilæo Anni Sancti; uti supra dictum est, ac pariter statuitur in Bulla *Peregrinantes*, operibus injunctis annumeravimus etiam Sanctam Communionem, & cum aliqui propter eorum ætatem & naturalem capacitatem ad Sacram Confessionem, non vero ad Communionem admittantur, prævidimus exinde campum quæstioni aperiri, utrum prædicti sint capaces consequendi Jubilæum; quæ quæstio ab Authoribus jam fuit agitata in omnibus aliis Indulgentiis, in quibus pro injuncto opere præscribitur Communio. In hac controversia aliqui existimarunt, quod, cum isti, de quibus præsens est sermo, sint Communionis incapaces, sint pariter incapaces lucrandi Jubilæum. Nihil enim impotentia, aut qualecunque legitimum impedimentum, illi prodest, qui non potest, aut impeditus est adimplere opere præscriptum ad effectum consequendæ Indulgentiæ. Ita *Lavorius* (q), nec movetur citatus Author, & alii ejusdem asseclæ, facultate, quam habet Confessarius, opera injuncta commutandi, in illius favorem, qui ea exequi impeditus est; tum quia talis facultas non comprehendit commutationes Sacræ Communionis, tum quia hæc facultas restricta est ad illos, qui accidentaliter sunt impediti, uti sunt Moniales, incarcerati, ægroti, qui Basilicarum visitationes peragere nequeunt, aut pauperes, qui eleemosinam dare non possunt, quando eleemosina annumeratur operibus injunctis, adeoque hæc facultas extendi non potest ad illos, qui non accidentaliter, sed propter defectum dispositionis requisitæ ex parte intellectus sunt incapaces adimplendi, quidquid præscribitur in Bulla Jubilæi. Ita *Passerinus* (r), *Cardinalis de Lugo* (s) & *Vanranst* (t). Non deficit, qui seipsum gerit interpretem mentis Summorum Pontificum, ac tenuit opus injunctum Communionis non comprehendere illos, qui ratione ætatis sunt incapaces Communionis, propterea quod hoc opus sit respective ad illos, quædam conditio *de Jure* impossibilis; vel etiam supponendum sit, quod à Pontifice tribuatur Confessariis facultas prædictis commutandi Communionem in aliud pium opus, tametsi hanc expresse non concesserit. Istorum nomina citata inveniuntur apud *Passerinum* (u). Nos autem ut hisce perplexitatibus finem ponamus, in §. XLVIII. dedimus Confessariis facultatem injunctam Sacram Communionem in aliud pium opus commutandi pro Pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerunt, & qui intra hunc Annum Parochi vel Confessarii judicio ad dictam Primam Communionem non admittendi videntur.

De aliis declarationibus circa opera injuncta.

81. Remanent in hac Constitutione *Convocatis*, sub capite *de declarationibus*, decidenda aliqua, quæ exigui quidem sunt momenti, sed magis inservire semper possunt ad tollendas alias controversias, aliis temporibus excitatas. Primum continetur in §. XLIX. quod nempe ad injunctam Basilicarum visitationem perficiendam pro consequenda Indulgentia non opus sit, in easdem Basilicas per portas Sanctas, vel per harum aliquam ingredi, vel egredi; hoc quippe in nulla Constitutione statuitur; tametsi iste ingressus & egressus debeant reputari pro quodam opere supererogatorio, uti bene etiam advertunt *Passerinus* (x), *Quarti* (y), & *Pignatelli* (z).

82. Alterum pertinet ad casum, in quo progressu Anni Sancti ab Apostolica Sede emanat, uti nonnunquam contigit, aliquod

(n) pag. 109. (o) Part. cap. 5. in fin.
(p) De Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 9.
(q) Part. 1. cap 21. de Jubilæo num. 31.
(r) Part. 1. quæst. 46.
(s) De Sacram. Pœnit. disp. 27. Sect. 7. n. 118.
(t) De Indulgentiis quæst. 7. n. 32.
(u) Loco supra citato.
(x) De Indulgent. qu. 55.
(y) Tract. de Anno Sancto pag. 62.
(z) In eodem Tract. dub. 30. cap. 8.

aliquod Indultum, quo præscriptus initio visitationum numerus ad minorem redigatur. Dubitatum fuit, utrum, si quis ante id indultum, visitationes aliquas jam peregisset, possit visitationes à se jam peractas computare ad conficiendum numerum visitationum hujusmodi Indulto præscriptarum? Insuper quæstio fuit, utrum si quis, ante emanatum hoc Indultum, eam Summam, seu numerum Visitationum in eodem præfixum jam explevisset, possit ita frui Indulti beneficio, ut nullam superaddere debeat visitationem? Omnes istæ difficultates è medio ablatæ fuerunt in §. L. ubi declaravimus, quod, qui ante publicationem Indulti jam aliquot Basilicarum visitationes peregit, possit visitationes à se jam factas utiliter computare ad explendum numerum in dicto Indulto præfixum; insuper declaravimus, quod, qui ante emanatum Indultum explevit numerum visitationum in eodem præfixum gaudere possit Indulti beneficio, dummodo unam Basilicarum visitationem præterea adjungat, eandem in uno die integre absolvens: quod idem insinuant supracitati *Passerinus* (a), *Quarti* (b), & *Pignatelli* (c).

83. Tertium in sequenti versatur puncto. In nostra Constitutione *Peregrinantes* statuitur, visitationem Basilicarum fieri debere devote, atque ad consequendam Indulgentiam pias ad Deum esse effundendas preces pro Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum Concordia, & Christiani populi salute, & tranquillitate: nihil autem insinuatur, uti nec à nostris Prædecessoribus insinuatum fuit in ipsorum Constitutionibus, in quibus indicti fuerunt Anni Sancti, utrum oratio debeat esse vocalis, vel utrum sufficiat mentalis? quod alias disputationibus occasionem præbuit. *Viva* (d) existimavit sufficere mentalem. *Constantini* (e) tenuit esse probabilem sententiam stantem pro sufficientia mentalis orationis, sed vocalem orationem esse securiorem. Asseruit *Quarti* (f) sufficere alterutram. *Cardinalis de Lugo* (g), *Amort* (h) dicunt, securius esse mentali adjungere etiam vocalem. *Vanranst* (i) defendit, quod non sufficiat sola mentalis, neque sola vocalis *notabiliter modica*. Et contra nimiam parcitatem orationis exclamant etiam *Viva*, & alii supra adducti: siquidem quamvis modica & parca oratio, cum magno peracta fervore, possit intentioni Bullæ *Peregrinantes* satisfacere; ordinarie tamen brevitas orationis solet procedere ab exigua devotione, aut ab exiguo affectu ad spiritualia exercitia, aut à negligentia, & tædio. Et Nos hisce considerationibus ex integro insistere volentes, declaravimus in §. LI. sufficere pro consequenda Indulgentia piam orationem vocalem, laudandum esse, qui sola mente devote orare voluerit, dummodo aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

§. IX.

De iterata Consecutione Jubilæi, & de aliis declarationibus circa facultates concessas pro currente Jubilæo.

84. Antiqua fuit quæstio, utrum tempore Anni Sancti, si quis devote Basilicas visitaverit per triginta dies, qui pro lucranda Indulgentia fuerunt præscripti, ac insuper confessus sacraque Communione refectus fuerit, ita ut possit insuper supponere, se acquisivisse fructum Jubilæi; possit de novo fructus Jubilæi participem se reddere, si denuo visitationem Basilicarum in præscripto numero peragat, & denuo confiteatur, ac ad S. Communionem accedat? Indicata fuit præsens controversia à *Joanne de Anania* in suo parvo tractatu de Anno Sancto, & postmodum ab aliis reassumpta fuit. *Filliuccius* (k) antea opinabatur, quod repetitis de novo operibus, de novo acquiratur Jubilæum: postea tamen hanc opinionem deseruit, supponens, contrariam hanc sententiam fuisse resolutam à Congregatione Concilii habita anno 1620. *Vanranst* (l) tenet, Jubilæum bis acquiri non posse, licet adimpleantur opera injuncta. *Navarrus* (m) advertens, in Bullis Anni Sancti nihil haberi contrarium novæ consecutioni Jubilæi, sequitur partes sententiæ illi faventis, qui repetit injuncta opera. *Navarro* adhæret *Benzonius* (n). Atque hæc dici potest communis sententia, uti videri potest in *Viva* (o), *Constantini* (p), *Quarti* (q). Refert *Constantini*, ita etiam fuisse declaratum à Pontifice Urbano VIII. & non esse authenticam declarationem Congregationis Concilii, nominatam à *Filliuccio*. Opportunum duximus nostram mentem in §. LII. declarare super hac alias proposita quæstione; & postquam consideravimus, quod in præsenti casu non agatur de quodam Jubilæo duarum hebdomadum, sed de Jubilæo, quod integro Anno durat; nec quod agatur de operibus injunctis, quæ sæpius in uno die adimpleri possunt, uti

De iterata consecutione Jubilæi.

(a) De Indulgentiis quæst. 47.
(b) Tract. de Anno Sancto p. 133. & seq.
(c) De Anno Sancto cap. 8. dub. 2. & seq.
(d) De Jubilæo quæst. 8. art. 5. dub. 7.
(e) Part. 2. art. 7. p. 381. (f) pag. 178.
(g) De Pœnitentia disp. 27. Sect. 7. n. 3.
(h) In quæstionibus practicis in materia Indulgentiarum quæst. 74.

(i) De Indulgentiis quæst. 7. num. 20.
(k) Tom. 1. tr. 8. c. 10. de Jubilæo num. 261.
(l) De Indulgentiis quæst. 6. num. 15.
(m) De Jubil. & Indulg. notabili 32. sub n. 46.
(n) De Anno Jubilæi lib. 5. cap. 15. dub. 32.
(o) De Jubilæo quæst. 6. art. ult.
(p) De Anno Sancto part. 2. c. 6. quæst. 9. p. 123.
(q) De Jubilæo Anni Sancti p. 53. & seq.

uti tamen contingit, quando Indulgentia plenaria conceditur ei, qui in diebus determinatis talem visitaverit Ecclesiam, quo in rerum statu, tametsi iteratis vicibus Ecclesiæ visitatio persolvatur, una sola Indulgentia pro uno solo die acquiritur, juxta *Decretum Congregationis Indulgentiarum*, expresse approbatum à Sanctæ memoriæ *Innocentio XI*, & Canonice promulgatum die septima Martii 1678. in quo decreto hæc habentur - - - *semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri* - - -; sed quod agatur de numerosis visitationibus Basilicarum, quæ inter se longo viæ spatio distant ut adeo visitationes peragi non possint, nisi in multis diebus distinctis; non habuimus difficultatem declarandi, iteratis sæpius injunctis operibus Sanctam Indulgentiam sæpius etiam acquiri posse. Dictum fuit *Indulgentiam* de novo acquiri posse, iteratis de novo injunctis operibus. Cum autem tempore Jubilæi sint Indulgentiæ adjuncti alii favores & gratiæ; in eadem Constitutione, & in eodem §. declaravimus, quod qui dictis gratiis potitus est, quando prima vice Jubilæum lucratus est, non possit amplius gaudere memoratis favoribus & gratiis, si post primam Jubilæi consecutionem de novo incurrerit in censuras, aut casus reservatos comiserit, aut opus habeat novis votorum commutationibus, vel dispensationibus.

De facultate absolvendi ab hæresi externa.

85. Quando in dicta Constitutione *Convocatis* dictum fuit, quanta facultas minoribus Basilicarum Pœnitentiariis concedatur in §. VII. facta est expressa mentio de facultate absolvendi ab hæresi externa, cum restrictione tamen talis facultatis certos intra limites expressos in supracitato §. Cum autem in facultatibus datis Confessariis à Cardinali Vicario specialiter pro Anno Sancto designatis concessa fuerit ampla facultas absolvendi à censuris reservatis *in Bulla Cœnæ*, & nonnullus prætenderit, posse ex hac ampla facultate etiam deduci facultatem absolvendi ab hæresi externa, de qua mentionem facit dicta Bulla *in Cæna Domini*; opportunum duximus declarare, uti declaramus in §. LIII. deductionem hanc non subsistere; propterea quod talis facultas expresse nominata esse debeat, nec unquam prætendi possit esse concessa vigore cujuscunque verborum universalitatis; veluti statutum fuit à Prædecessore nostro Alexandro VII. in quodam Decreto, quod fecit in quadam Congregatione Sacri Officii habita Ipso præsente, *Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. sub die* 23. *Martii* 1656. *inhærendo declarationibus alias à Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus Concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.* De controversia, quæ ante decretum hac in materia fuit agitata, ac de controversia ex integro rescissa per decretum, fuse à Nobis actum est in nostra *Notificatione* publicata, quando Bononiæ residebamus, quæ *quarta* est in *Editione Italica*, & pariter *quarta in Editione Latina.*

De illis, qui post Confessionem recedunt à proposito lucrandi Jubilæum, non prosequendo opera injuncta.

86. Supra dictum fuit; non posse eum, qui habet facultates concessas in Anno Sancto, dictis facultatibus uti nisi pro iis Pœnitentibus, qui præsens Jubilæum consequi sincere, & serio volunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedunt. Supererat dubium respective ad illum, qui bonum habuerit animum adimplendi, quidquid adimplendum est, postea super hoc facto serio proposito pœnitentiæ ducitur, ac proinde reliqua necessaria opera non adimplet; Utrum talis reincidat in Censuras, à quibus absolutus fuit, & utrum in tali casu intelligantur nullæ, & irritatæ commutationes votorum, & dispensationes jam obtentæ? Verum quemadmodum absolutio à Censuris non fuit data, neque datur *cum reincidentia* in casu modo expresso, sed datur absolute; In eadem Constitutione *Convocatis* sub §. LIV. declaravimus, prædictum non manere innodatum censuris, à quibus fuit semel absolutus, neque privatum fuisse gratia commutationum, & dispensationum obtentarum. Ita post allegatos pro sua sententia antiquiores Authores discurrunt *Giribaldus* (r), & *Viva* (s). Et quamvis *primus* horum Authorum à peccato mortali excuset eum, qui, mutato serio Jubilæum consequendi proposito, non adimplet, quod ad hujus consecutionem remanet adimplendum; rationabilis tamen & subsistens est sententia *Secundi*, qui talem mortalis peccati reum arguit, citatque pro se *Suarium*, *Vasquez*, & *Filliuccium*; propterea quod talis in materia gravi contraveniat menti & intentioni concedentis facultates Confessariis; eas quippe concessit, ut medium quoddam ad consequendum Jubilæum, & Pœnitens ad exequendam residuam partem injunctorum operum sese obligavit in actu obtentæ absolutionis à censuris, favoresque acceptavit, ac gratias datas occasione Jubilæi; uti etiam supra notatum fuit.

§. X.

(r) Tr. 7. de Sacram. Pœnit. cap. 21. dub. 4.

(s) De Jubilæo quæst. 11. art. 5.

§. X.

De facultatibus aliorum Confessariorum Urbis, qui non sunt in numero Pœnitentiariorum vel specialiter designatorum à Cardinali Vicario pro Anno Sancto.

87. Præter ordinarios Basilicarum Pœnitentiarios, præter ipsis adjunctos occasione Anni Sancti; & præter Confessarios similiter pro Anno Sancto designatos à Cardinali Vicario, alii pariter Ordinarii Confessarii dantur Romæ; de quibus sermo fuit in Bulla *Convocatis*, ut habiles reddantur ad porrigendam opem extricandi se à peccatis ac censuris pœnitentibus, qui pro Anno Sancto Romæ advenient.

88. Ordinarii isti duplicis sunt generis. Aliqui sunt Regulares per suos Superiores,&Regulares Prælatos deputati ad excipiendas suorum Religiosorum subditorum Confessiones. Alii deinde Regularium sunt à Cardinali Vicario approbati ad excipiendas Confessiones sæcularium. Et hisce posterioribus in Constitutione *Convocatis* §. XLI. sunt erga suos Pœnitentes Regulares Confratres seu Collegas omnes facultates communicatæ, quæ datæ sunt Confessariis designatis à Cardinali Urbis Vicario pro Anno Sancto. Insuper adjuncta his ipsis est authoritas dispensandi cum supradictis super irregularitate forsan ob Censurarum violationem contracta, dummodo occulta sit; & hæc facultas concessa ipsis est pro totius Anni Sancti decursu, cum ista tamen clausula, quod prædicti Regulares à Cardinali Vicario approbati ad excipiendas Confessiones sæcularium, dicta facultate absolvendi uti non possint, nisi erga supradictos suos Religiosos, qui in casu, quo opus esset, ad ipsos recurrere possunt, non autem ad alios simpliciter designatos à suis Superioribus ad audiendas Regularium Confessiones.

89. Alii deinde ex Confessariis Ordinariis sunt de Clero sæculari, qui equidem excipiunt Confessiones sæcularium cum solita approbatione & licentia Cardinalis Vicarii, non tamen specialiter ab eodem designati fuerunt pro Anno Sancto. Istis nulla datur, nec ulla auffertur, si quando quamdam legitimam facultatem absolvendi aut dispensandi habuissent. Idem dicitur respective ad Regulares, qui cum approbatione Cardinalis Vicarii audiunt Confessiones sæcularium; non enim Nos intendimus augere aut ipsis auferre, respective ad Pœnitentes Sæculares, quamcunque aliam facultatem legitimam, quam alio ex capite haberent. Nostra siquidem Constitutio *suspensiva* cum *Nos nuper*, illos solos Confessarios comprehendit, qui sunt extra Urbem, quorum facultates durante Anno Sancto, suspensæ sunt, sive deinde concessæ fuissent, ex causa & occasione Indulgentiarum, sive ex quacunque alia causa disparata, & non respiciente Indulgentias; uti alibi in hac eadem Epistola ostensum est; neque etiam comprehendit dicta Constitutio *Cum Nos nuper* Confessarios de Urbe, quæ opus habet magno numero Operariorum ad excolendam vineam Domini proximo Anno Sancto.

90. Igitur cardo præsentis materiæ vertitur in recto examine, quod faciant Confessarii in Ordine ad facultates, quas ipsi habere prætendunt: facultates enim debent emanare à legitimis privilegiis non revocatis & quæ sunt in usu, juxta Decretum Sanctæ memoriæ Clementis Papæ XI. sub die 3. Maji 1711. factum pro Confessariis Urbis, & typis commissum à bonæ memoriæ *Cardinali Petra* (t).

91. Habetis hic, dilecti Filii, quantum necessarium duximus, ut vobis exponamus, ut adeo habentes per nostros labores in compendio solutionem præcipuarum controversiarum, quæ fuerunt olim excitatæ; illæ enim è medio sublatæ sunt per nostras Constitutiones pro Anno Sancto factas, positis exacte, uti serio vobis inculcamus, vestro ministerio satisfacere: ad quem finem pariter conducere posse credimus alteram nostram Circularem epistolam sub die 26. Junii currentis anni, editam super Præparatione ad Annum Sanctum, quam etiam vobis inculcamus legendam & considerandam. Neque mirum videri vobis debet, si in hac præsenti nostra Epistola majori ex parte authoritatibus modernorum Scriptorum usi simus, nec imitati Patremfamilias, *qui profert, de Thesauro suo nova & vetera:* siquidem cum istæ Controversiæ ut plurimum fuerint excitatæ à modernis Authoribus, & ab iis, qui de Anno Sancto scripserunt, oportuit etiam illorum Authoritatibus majori ex parte uti; Interea intimo Cordis affectu vos amplexantes, Apostolicam vobis impertimur Benedictionem. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 3. Decembris 1749. Pontificatus Nostri Anno decimo.

(t) Tom. 5. Constit. Apostolicar. ad Constitut. 19. Sixti IV. num. 14. p. 572. Romanæ Editionis.

Pars

DISPUTATIO VIII.

De Approbatione, Jurisdictione, & aliis requisitis ex parte Ministri.

PRÆFATIO.

Quæ hactenus de genuina natura Sacramenti Pœnitentiæ ex traditione SS Patrum & Theologorum veterum uberrimè explicavimus, parum profuerint, si desint Ministri idonei, qui non scientia solùm, sed etiam morum integritate firma, ac zelo animarum pari Patrum vestigiis, & traditæ à Majoribus doctrinæ insistant. Quid enim expectandum à Confessariis juvenculis etsi principiorum moralium primo colore tinctis, attamen in virtute, præsertim castitatis, & devotionis, parùm solidis, nisi frequens animarum periculum, & in periculis repetitis non constanter idem exitus? Quid expectandum à Confessariis junioribus, Conferentiarum Moralium cum senioribus nec amantibus, nec patientibus, nisi ex defectu prudentiæ & Theologiæ circa particularia practicæ conscientiarum implicatio, justitiæ vulneratio, & animarum perditio? Quid denique exspectandum ab iis Confessariis, qui aut laxissimo probabilismi fermento infecti, aut spe favoris & subsidii temporalis inescati, imponendo levissimas pœnitentias, nec inquirendo in consuetudinem, occasionem, vel radicem peccati, dum nec radices evellunt, nec occasiones præscindunt, nec consuetudines sanant, in mundo fovent impunitatem scelerum, & sub fallaci Sacramentorum fine vero proposito susceptorum schemate miserè deceptorum æternam perniciem? Ex hoc ergo patet; quanta solicitudine Episcopis agendum sit in seligendis Ministris pœnitentiæ idoneis. Manifestum enim est; approbationes non ita illimitatè cuivis Neosacerdoti conferendas, ut sine strepitu molesto revocari nequeat, antequam de conversatione, zelo, & prudentia approbandi experimento & maturitate spondeatur firmitas. Ex hoc ipso elucet; non versari irrequietum novandi studium, prout calumniantur profani, qui terrena sapiunt, sed necessarium animas salvandi consilium, ut jurisdictio iis restringatur, quorum fructus in germine incognito adhuc incertus, aut in ortentio in æquivocæ conversationis bivio meritò suspecta est. Præmunienda etiam est circa graviora scelera publica, quæ à Tribunalibus sæcularibus debitè non castigantur, reservatione Casuum Disciplina Ecclesiæ, ut potestas absolvendi non nisi talibus committatur, qui prædìti sunt fortitudine animi ad castiganda proportionatis pœnitentiis delicta, & circa usum facultatis absolvendi à casibus reservatis sufficienter instructi. Videamus proin, quæ in Ministro Pœnitentiæ exigenda sint?

QUÆSTIO I.

Quæ sint Notanda circa Ministrum Pœnitentiæ in genere?

Quæritur 1. Quis sit Minister hujus Sacramenti?

Respondeo: Solus Sacerdos validè ordinatus. Ita Tridentinum Sess. 14. c. 6. & Can. 10.

Quæritur 2. Quænam in Ministro requiruntur ad validè absolvendum?

Respondeo: Tria. 1. potestas Ordinis. 2. approbatio. 3. jurisdictio.

Quæritur 3. Quænam requiruntur in Ministro ad licitè absolvendum?

Respondeo: Tria. 1. status gratiæ. 2. scientia ac prudentia. 3. Superioris Commissio.

Quæritur 4. Ad quid obligatur Confessarius?

Respondeo: Obligatur ad tria. 1. Ad rectum usum clavium. 2. Ad Instructionem seu directionem pœnitentis. 3. Ad observationem Sigilli Sacramentalis.

Quæritur 5. Quid est potestas Ordinis?

Respondeo: Est potestas Sacerdoti per Ordinationem collata in *Corpus Christi physicum*, quæ exercetur consecratione Eucharistiæ, & in *Corpus Christi mysticum*, hoc est, in Ecclesiam seu Congregationem Fidelium, quæ potestas exercetur per actum judicii sacramentalis.

Quæritur 6. An potestas in Corpus Christi mysticum possit conferri separatim à potestate in Corpus Christi physicum?

Respondeo: Moraliter certum est, eam divisionem fieri non posse. Ratio est 1. quia nullum extat in Historia Ecclesiastica hujus divisionis exemplum, saltem indubitatum. 2. Quia SS. Patres, ubi admirantur potestatem remittendi peccata, eam tantùm adscribunt Sacerdotibus, nunquam autem Diaconis. 3. Quia Tridentinum Sess. 14. Can. 10. definit, *solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis*, qui modus loquendi non vi-

detur præcise agere de ministro *ordinario*, aut *de præsenti solùm statu* ac œconomia Ecclesiæ, sed de natura Sacramenti ac Ministerii, quam habet ex institutione Christi. 4. Quia in Concilio Parisiensi sub Odone Episcopo anno circiter 1200. Can. 56. supponitur tanquam notorium, quod Diaconi, licet in necessitate possint excipere confessiones, non tamen possint absolvere. *Prohibetur districtè*, inquit Synodus, *ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate. Claves enim non habent, nec possunt absolvere.*

Si dicas: In antiquis Pœnitentialibus reperiri; quod Diaconi in absentia Presbyteri receperint pœnitentes ad pœnitentiam, in qua receptione simul fuerant absoluti Sacramentaliter.

Respondeo 1. Ibi tantùm sermonem esse *de Diacono*, qui simul fuerat Sacerdos; prout etiam nunc vocantur *Cardinales Diaconi*, qui, licet sint Presbyteri, vocantur tamen Diaconi *ex officio*, non à gradu Ordinis. Itaque etiam in Pœnitentiali Rom. v. g. vel in aliis Pœnitentialibus majorum urbium Episcopalium poterant reperiri & nominari ejusmodi Diaconi. *Secundò* potest responderi; eam receptionem pœnitentium, quæ fiebat à Diaconis, tantùm fuisse *provisionalem* quoad designationem gradus & ordinis pœnitentialis, quem pœnitens deberet amplecti; non *sacramentalem*. Et quamvis Diaconus forte pronuntiaverit preces super pœnitentem; non est tamen verosimile, eas preces, seu formulas deprecatorias dictas esse *authoritativè cum impositione manuum*, & *cum intentione*, remittendi peccata, qua tamen authoritate & intentione dicebantur à Sacerdotibus. *Tertiò* potest responderi; aliquando tantùm esse sermonem de receptione pœnitentis *reconciliatoria*, seu admissione ad S. Communionem in articulo mortis, prout Disput. 7. quæst. 1. in Objectionibus ostensum est.

QUÆSTIO II.

Quid notandum circa Approbationem Ministri Pœnitentiæ.

Quæritur 1. Quid sit approbatio?

Respondeo: Approbatio est testimonium Episcopi de recta dispositione Confessarii ad excipiendas Confessiones subditorum.

Nomine *Episcopi* venit quilibet Superior, in suos subditos exercens jurisdictionem quasi Episcopalem, quales sunt Prælati, Abbates, ac Provinciales respectu suorum Religiosorum; Archi-Episcopus constitutus in actuali visitatione suæ Provinciæ; Vicarius Generalis Episcopi; Vicarius Capituli Cathedralis Sede vacante. Talis est etiam juxta *Tuschum* Cardinalem, V. *Legatus*, Nuntius Apostolicus pro sua Provincia, quia, ut ait: *Legatus Apostolicus in sua Provincia habet ordinariam jurisdictionem. Quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi respectu jurisdictionis, potest Legatus in sua provincia*; de quo tamen videndæ ejus facultates. Per *rectam dispositionem* Confessarii intelligitur scientia, prudentia, & probitas Confessarii; quia in his tribus potissimum consistit ejus aptitudo seu idoneitas ad excipiendas confessiones. Dicitur, *subditorum*; quia approbatio Episcopi non valet, nisi respectu suorum subditorum, in quos Confessario confert jurisdictionem. Ex hoc ipso autem sequitur; quod illud testimonium Episcopi debeat esse connaturaliter *prævium* vel *concomitans* ad actualem collationem jurisdictionis, qua Confessario suos subditos subjicit in ordine ad forum internum. Imprudenter namque conferretur Confessario jurisdictio in subditos ad excipiendas eorum confessiones, nisi judicaretur idoneus.

Quæritur 2. An approbatio Confessarii requiratur ad valorem absolutionis?

Respondeo: Approbatio Confessarii ad absolutionem *sæcularium* Laicorum vel Clericorum requiritur saltem à tempore Tridentini ad valorem absolutionis.

Probatur. Concilium Tridentinum, & Clemens X, aliique Romani Pontifices, qui scripserunt post Tridentinum, declarant, Confessarios sine approbatione *non posse* audire confessiones sæcularium; & unanimis sensus Doctorum hunc terminum explicat *de potestate* non requisita ad licentiam præcise, sed requisita ad valorem. Ergo, cum sensus ejusmodi terminorum dependeat ex stylo Conciliorum ac Summorum Pontificum, nec non ab eorum intentione, conferendi vel denegandi *sub ista conditione* jurisdictionem, quæ mens & stylus nequeunt esse ignota unanimi sensui Doctorum, dicendum, approbationem per modum conditionis sine-qua non ad collationem jurisdictionis requiri ad valorem absolutionis. Tridentinum Sess. 23. Can. 15. sic scribit: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs, idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus.* Inter declarationes S. Congregationis Concilii, editas ex Bibliotheca Manuscripta Prosperi Farinacii anno 1608, extat etiam hæc: *An absolutio data à Sacerdote vigore facultatis generaliter Summi Pontificis, vel specialiter à Parocho concessæ, si ab Episcopo is Sacerdos examinatus & approbatus non fuerit, valida censeatur, quoad eos præsertim, qui tali Sacerdoti bona fide confessi sunt, rati esse approbatum, vel ignorantes approbationem requiri, Congregatio Concilii censuit, nullam censeri, tametsi confitentes quoad Deum excusati censeantur; ubi tamen resciverint, reiterandam esse confessionem. Fuit dubitatum; an ille, qui confessus fuerit peccata Confessori non approbato, fuerit bene absolutus, vel potius nulla dicatur absolutio? Et fuit dictum; Confessionem esse nullam, fuit bene resolutum sub die prima Decembris 1588. Quod si ille, qui confessus fuerit, ignoraverit, Confessorem non esse approbatum, vel requiri approbationem, tenetur reiterare Confessionem.* Ita Declaratio S. Congregationis Concilii. Barbosa de officio & pot. Episcopi part. 2. Alleg. 25. n. 3. testatur ex Chapeau; eam declarationem editam esse ad petitionem Examinatorum Diœcesis Leodiensis. Idem expresse continetur in Bulla S. Pii V. *Romani*, edita 1571., inferius Q. 10. referenda.

Quæ-

QUÆRITUR 3. Utrum approbatio suppleatur ab Ecclesia, si Confessarius non approbatus excipiat Confessiones?

RESPONDEO: Approbatio non suppletur ab Ecclesia, nisi hæc duo concurrant, videlicet 1. Error communis. 2. Titulus coloratus. Ita respondet, & suam responsionem firmis argumentis roborat Barbosa l. c. n. 62. *Observa*, inquit, *invalidam esse absolutionem Sacramentalem, præstitam ab eo, qui huic ministerio propria authoritate se ingessit absque approbatione legitimi Superioris, quamvis communi errore approbatus censeretur. Unde si Sacerdos absque ulla approbatione ad audiendas confessiones se in officium Parochi intrusit, licet communis error facti adsit, confessiones illi factæ sunt invalidæ, repetendæ post habitam notitiam inhabilitatis illius Sacerdotis. Ita Sanchez l. 3. de Matrimonio Disp. 22. n. 49. & 54. Garc. Valer. Bossius. Ratio est; quia non sufficit solus communis error ad validitatem gestorum; sed ulterius oportet, ut illum præcesserit titulus officii exerciti, etiamsi hujusmodi titulus invalidus sit propter inhabilitatem recipientis. Henriq. Gregor. Gabr. Mascard. Sanch. Garc. Ugolin. Less. Ex quibus colliges; valere confessionem factam illi Confessario sæculari vel Regulari, qui communiter existimabatur approbatus, modo concurrat titulus approbationis, si non verus, saltem coloratus ex parte Sacerdotis; ut quia habetur communiter pro Parocho, licet titulum jam amiserit, aut quia prius approbatus fuerat, & ignoratur, revocatam esse approbationem, aut quia approbatus fuit ad tempus, quod est elapsum, sed communiter putatur adhuc durare, quamvis Sacerdos sciat esse elapsum. Extra verò hunc titulum coloratum nullo modo valere talem confessionem, docent ultra citatos Navarrus, Eman. Joa. Valerius, Basilius Pontius, Bossius, Medina, Petrus Soto, Angelus, Vega, Fagundez. Non sufficiet tamen error communis crassus & supinus, ut si quis in eo oppido, ubi audit confessiones, fuit publicè excommunicatus, & denuntiatus de impedimento, ob quod esset incapax illius officii audiendi confessiones.* Ita Barbosa; qui cum aliis observat; ad hoc, ut detur error communis, non sufficere errorem unius aut alterius hominis putantis, Sacerdotem adhuc esse approbatum, cum tamen non sit, cæteris id non existimantibus.

CONFIRMATUR hæc responsio ex Declaratione S. Congregationis Concilii, adducta superius in Resp. ad Q. 2. ubi S. Congregatio respondit, confessionem factam Sacerdoti non approbato esse nullam, etiamsi pœnitens bona fide existimaverit, Sacerdotem esse approbatum. Itaque illa Probabilistarum doctrina, quod Ecclesia universim jurisdictionem, aut approbationem Sacerdotis suppleat, quandocunque Sacerdos ex privato errore pœnitentis existimatur habere jurisdictionem vel approbationem, ad novitates laxiorum Theologorum traditioni & sensui veteris Ecclesiæ penitus contrarias, meritò sepeliendas, referenda est. Idem eruitur ex Bulla S. Pii V. inferius Q. 10. referenda.

QUÆRITUR 4. An valeat approbatio Episcopi facta *sine judicio*? Hoc est, dum approbat Confessarium, quem scit, non esse idoneum?

RESPONDEO: Barbosa l. c. n. 40. scribit: *Observa, approbatum ab Episcopo absque judicio, vel etiam contra judicium, sciente, non esse idoneum, non esse approbatum juxta probabiliorem sententiam. Nam Concilium exigit, ut Confessarius, qui non habet Parochiale beneficium, judicetur idoneus. Hic autem non verè judicatur idoneus, sed fictè, cum Episcopus interius sentiat, & judicet, non esse idoneum. Quare ita tenent Reginaldus, Bonacina, Bossius.* Alii tamen veriùs affirmant, validam esse approbationem, quia ex instituto Ecclesiæ attendendum est judicium exterius, non autem interius; & si aliter fieret, quilibet esset expositus infinitis scrupulis & dubitationibus circa valorem confessionis. Valida proinde erit approbatio, quamvis peccaret Episcopus. Ita Card. de Lugo Disp. 21. num. 25. & *Salmanticenses* alios allegantes de Scurani in gen. Tract. 6. cap. 11. num. 91. Componi possie videntur hi Authores, si dicatur; distinguendum esse inter *absolutè inidoneum*, & *respectivè idoneum*. ABSOLUTE INIDONEUS est, qui ne quidem scit jure naturæ vel jure divino requisita ad substantiam recti judicii, v. g. si prorsus nihil sciat de specie aut numero peccatorum, vel de fine Sacramenti. Talis enim *clavis scientiæ* juxta Doctores requiritur ad valorem hujus Sacramenti seu judicii Sacramentalis. RESPECTIVE INIDONEUS est, qui solùm ignorat requisita Jure Ecclesiastico ad rectam administrationem hujus Sacramenti, vel requisita quidem Jure Divino, sed tantùm pertinentia ad majorem vel secundarium fructum Sacramenti. Talia requisita sunt notitia Constitutionum Ecclesiæ, & notitia mediorum ad emendationem certiorem pœnitentis. Barbosa loquitur de primo genere, in quo genere hoc tempore vix aliquis post absolutam Rhetoricam reperitur, & post tot depositas confessiones. Lugo & alii loquuntur de secundo genere.

QUÆRITUR 5. An valida sit approbatio, quando Episcopus judicat, Confessarium esse idoneum, qui reipsa non est idoneus?

RESPONDEO: Ea approbatio est valida. Ita Barbosa l. c. qui pro hac sua sententia refert Suarezium, Reginaldum, Bonacinam, Bossium. Ratio est; quia non est præsumendum, Christum aut Ecclesiam voluisse alligare valorem hujus Sacramenti peritiæ aut imperitiæ Confessariorum moraliter à pœnitentibus incognoscibili.

QUÆRITUR 6. Utrùm ad valorem approbationis requiratur prævium Examen?

RESPONDEO: Non requiritur ad valorem. Id patet ex verbis Tridentini, quod l. c. asserit; approbationem conferendam *per examen, si videbitur necessarium, aut* approbandus *aliàs idoneus ab Episcopis judicetur*.

QUÆRITUR 7. An ad valorem approbationis requiratur, ut conferatur in Scripto?

RESPONDEO: Id non requiritur ad valorem. Ratio est, quia Scriptura neque ex natura hujusmodi concessionis, neque ex Decreto Concilii exigitur. Decet tamen; ut conferatur in Scripto, causa probationis, & legitimationis, ut sciatur, quo modo, & sub quibus limitationibus vel clausulis indulta sit.

QUÆRITUR 8. An ad valorem approbationis requiratur, ut concedatur *gratis*?

RESPONDEO: Id non requiritur ad valorem. Ita Suarez, Fagundez, Barbosa l. c. n. 11. Erit tamen, ut censet Barbosa, peccatum ex suo

genere mortale, si non conferatur gratis, quia verba Tridentini superius relata Q. 2. *Gratis detur*, ponuntur *saltem* præceptivè. Erit tamen Barbosa judice, peccatum veniale solùm, si aliquid *pro approbatione* ita exiguum detur, ut ad materiam peccati mortalis non perveniat. Verùm in hoc genere distinguendum est illud, quod generaliter per modum *Taxæ* datur *pro sustentatione ministrorum*; & quod peculiariter daretur ab uno particulari *pro approbatione*. Si quidpiam detur *pro approbatione*, censeo esse Simoniam Juris Divini, quæ semper erit peccatum mortale, sive multum, sive exiguum detur. Si verò solùm detur per modum Taxæ generalis pro sustentatione ministrorum, id relinquitur judicio Episcoporum, qui noverint, quandonam considerata proportione redituum & expensarum pro competentia Statûs ac negotiorum æquitas exigat impositionem ejusmodi Taxarum, quales observare licet etiam in Curia Romana. v. g. concessionem dispensationum, confirmationem Episcoporum, expeditionem Brevium Indulgentialium.

QUÆRITUR 9. An sufficiat Approbatio *tacita*, dum Episcopus alicui committit munus Parochi, vel Confessarii?

RESPONDEO: Sufficit. Ita Barbosa l. c. n. 12. cum Reginaldo, Coninch, Riccio, Bossio. Ratio est; quia ante Tridentinum approbationes non dabantur explicitè atque expressè, prout etiam apud Regulares etiamnum respectu Regularium non exiguntur *explicitæ*. Tridentinum verò exigendo approbationem Episcopi respectu pœnitentium sæcularium *quoad substantiam*, non reperitur apposuisse modum *expressæ* approbationis.

QUÆRITUR 10. Utrum ad validam absolutionem approbatione indigeant etiam Doctores graduati in Theologia vel Jure Canonico? Item Lectores, Concionatores aliunde approbati? aut Regulares sine ulla exceptione?

RESPONDEO: Etiam isti approbatione indigent. Ratio est, quia Tridentinum nullos excipit. Ita communis Authorum, quos enumerat Barbosa l. c. n. 15. Idipsum CONFIRMATUR ex eo, quia S. Pius V. declaravit, ne quidem Religiosos de licentia suorum Superiorum graduatos validè posse absolvere sæculares sine approbatione Episcopi, Bulla S. Pii, quæ incipit, *Romani*, data anno 1571. 6. Aug. sic habet: *Hac nostra Constitutione perpetuo sancimus & declaramus, Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confessionibus sæcularium præpositorum ab Episcopis facienda observari debere etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus; etiamsi sint Lectores, aut in Theologia etiam de licentia suorum Superiorum graduati, vel promoti, vel à suis Magistris generalibus vel Provincialibus Ministris sæcularium confessionibus audiendis expositi. --- Inhibentes quibuscunque Regularibus quorumvis Ordinum -- ne vigore deputationis & approbationis ab eisdem Magistris & Ministris Provincialibus -- absque speciali imposterum licentia & approbatione ab Ordinariis obtinenda sæcularium confessiones audire præsumant; decernentes irritum & inane; si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Pontasius V. *Approbatio*. Casu 20. observat, sapienter sic à S. Pio V. declaratum esse; quia *compertum est, etiam Professores Theologiæ Scholasticæ vel Positivæ in amplissimo Moralis Disciplinæ campo, posse esse parum exercitatos*. SS. D. N. Benedictus XIV. in Bulla: *Quamvis ad*. edita 1746. 6. Kal. Martii revocat Bullam S. Pii V., in qua Regularibus in India permittebatur exercere curam animarum sine examine & approbatione Episcoporum, sic habet: *Motu proprio statuimus, ut Regulares, quantumvis exempti ad curam animarum obeundam sine prævio Ordinariorum locorum examine & approbatione accedere, aut in ea se ingerere nequeant, & in iis omnibus, quæ ad prædictam curam quoquo modo pertinere dignoscuntur, eorundem Ordinariorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni subjaceant, declarantes, præsentes nostras Litteras omnes & singulos Regulares quorumcunque tam mendicantium, quàm non mendicantium Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu arctare & afficere.*

QUÆRITUR 11. An provisus de beneficio Parochiali indigeat speciali approbatione?

RESPONDEO: Non indiget. Ratio est, quia eoipso, quod illi committatur beneficium curatum, approbatur tacitè, quod juxta dicta in Q. 9. sufficit. Idem probatur ex Tridentino, quod l. c. dicit: *Nullum posse sæcularium confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Idem juxta communem censendum est de quovis alio beneficio curato. Observat tamen Barbosa l. c. n. 16., ad hoc requiri, ut beneficium habeatur actu. Rationem dat; quia Concilium dicit: *Nisi beneficium Parochiale habeat.* Quæ tamen ratio Barbosæ non videtur subsistere; quia in Exemplaribus, novis & antiquis, quæ ego lustravi, istud *habeat*, non habetur. *Addo*; etiam requiri, ut sit Sacerdos qualificatus, in quo possit præsumi congrua scientia. Si enim obtinens beneficium solùm esset Diaconus, aut Sacerdos quidem, sed debita scientia nondum imbutus, haud dubiè collatio beneficii non posset haberi pro approbatione, præsertim si collationi ab Episcopo apponeretur expressa protestatio de suspendenda interea approbatione. Et hoc eruitur ex ipsis verbis Tridentini, dum Parochiale beneficium tantùm ponit inter tres modos contestandi idoneitatem disjunctivè, & cuivis illorum trium modorum subjungit necessitatem approbationis.

QUÆRITUR 12. Utrum approbatus ad beneficium curatum, postquam illud resignavit, adhuc maneat approbatus ad excipiendas confessiones in loco beneficii?

RESPONDEO: Non manet amplius approbatus ad excipiendas confessiones in loco beneficii. Ita Barbosa l. c. n. 16. cum Suarez, Vivaldo, Henriquez, Fagundez, Torreblanca, & Davila. A la Croix l. 6. p. 2. n. 1542. pro eadem sententia refertur etiam Gobat, Lugo, Leurenius, Sporer, Viva. Davila addit decisionem S. Congregationis, quæ interrogata: *An Sacerdos, qui aliquando approbatus, & idoneus judicatus sit, atque ideò in Parochum assumptus fuerit, dimissa postea Parochiali, haberi etiam nihilominus debeat adhuc idoneus ad confessiones validè audiendas, ita ut hæc particula Decreti Concilii; Beneficium obtineat &c. extendatur*

datur etiam &c. vel obtinuerit? Respondit; non haberi. Ratio hujus dispositionis forte erat; ne turbaretur subordinatio Parochianorum ad novum Parochum, aut quia non expedit, quibusvis resignantibus, nonnunquam suspectis, quamvis non convictis, aut convictis, sed non notoriè reis, relinquere approbationem. Itaque ob hoc bonum commune resignantes boni prudenter non possunt conqueri, si teneantur petere novam approbationem, quàm facile impetrabunt.

QUÆRITUR 13. Utrum obtinens beneficium Parochiale censeatur eoipso approbatus pro tota Diœcesi?

RESPONDEO: Negativè. Ita declaratum esse à S. Congregatione apud Barbosam l. c. n. 17. referunt Rolec. Homob. Fagundez, Zerola, qui amplectuntur eandem sententiam. La Croix tamen l. c. n. 1536. tenet oppositum. *Approbatus,* inquit, *ex vi obtentæ Parochiæ non tantùm pro suis Parochianis approbatus est, sed etiam pro tota Diœcesi, si consentiant alii Parochi. Quia beneficium Parochiale ponitur à Tridentino pro approbatione universali, inquit Lugo. Et ita habet praxis in Germania, teste Gobat.* Verùm in hoc ratiocinio tria observo, quæ non sunt exacta. Nam *primò* in ordine ad approbationem prorsus est impertinens consensus aliorum Parochorum. Jurisdictionem alii Parochi in suas oviculas delegare possunt, approbationem conferre non possunt. *Secundò*, verum non est, quod à Tridentino beneficium Parochiale habeatur pro approbatione universali per totam Diœcesin. Concilium enim Tridentinum noluit derogare Constitutionibus plurimis Conciliorum, quæ viguerunt usque ad Concilium Tridentinum, in quibus statuitur, ne Parochi ad excipiendam confessionem excipiant alienos Parochianos. *Tertiò*, non addit Gobat, an ea praxis sit omnium, vel tantùm aliquarum Diœcesium. Accedit, quod praxis circa ea, quæ dependent à liberrimo arbitrio Episcoporum, non ponat successoribus legem. Neque sola conniventia Superiorum ad actus particulares subditorum tollit aut restringit Superiorum jus statuendi oppositum aut limitandi observantiam.

CONFIRMATUR ex praxi opposita Diœcesium, de qua dicetur Quæstiuncula sequente; præterquam quòd possit aliquis esse & haberi idoneus pro uno loco, quin propterea fit & habeatur idoneus etiam pro aliis, vel tota Diœcesi.

QUÆRITUR 14. Utrum Parochus transiens ab una Parochia ad aliam indigeat nova approbatione?

RESPONDEO: Talis indiget nova approbatione. Id probatur ex praxi quarundam Diœcesium, ejusmodi transeuntes noviter examinantium; quæ praxis non foret bona, si repugnaret Tridentino. De hac praxi autem testatur La Croix l. c. n. 1538. ubi sic scribit: *Quamvis in quibusdam Diœcesibus fiat, ut universaliter approbatus, si ab una Parochia transeat ad aliam, non ideo iterum examinetur pro approbatione; oppositum tamen fit in quibusdam aliis Diœcesibus. Nec immeritò. Quia idoneus pro uno loco non semper est idoneus pro alio, in quo possunt esse alii Parochiani exigentes diversam in Parocho scientiam & qualitates.* Ita La Croix rectè quidem, sed parùm consentaneè ad immediatè præcedentia ex Lugone & Gobato, quod obtinens Parochiam eoipso sit approbatus *pro tota Diœcesi*, aut, si Vasquezio assentiendum foret, *pro tota Ecclesia.*

QUÆRITUR 15. Utrum Religiosus approbatus pro uno loco Diœcesano, si à Superioribus mittatur in alium locum ejusdem Diœcesis, indigeat nova approbatione?

RESPONDEO: Si prius approbatus fuerit pro tota Diœcesi, & interea non fuerit dimissus ex Diœcesi in alteram, non videtur opus habere alia approbatione. Ratio est, quia juxta Constitutionem Clementis X. Religiosus semel approbatus pro tota Diœcesi, quamdiu manet in Diœcesi, non potest sub eodem Episcopo & Vicario Generali sine speciali causa pertinente ad Confessionem revocari ad Examen. Si verò prius non fuerit approbatus pro tota Diœcesi, poterit ad novum Examen revocari. Ratio enim est eadem, quæ est in Parocho transeunte ab una Parochia ad alteram.

QUÆRITUR 16. Utrùm approbatus tantùm pro loco particulari, v. g. pro Parochia determinata, tempore Jubilæi possit à quovis Diœcesano eligi in Confessarium?

RESPONDEO: Si in Bulla Jubilæi contineatur, quod pœnitens possit sibi eligere Confessarium quemcunque approbatum ab Ordinario, poterit etiam eligi approbatus tantùm pro loco particulari, nisi Episcopus suam approbationem positivè restrinxerit ad personas tantùm loci particularis determinati, vel ad certum numerum personarum, vel ad tempus determinatum, quod jam elapsum est. Ita quoad primam partem Responsionis. Teste Barbosa l. c. n. 18. Gutier. Suarez, Fagundez, Floron. Bossius.

DIXI. Nisi Episcopus suam approbationem positivè restrinxerit. Ita enim decisum fuisse à S. Congregatione Concilii refert Barbosa l. c. n. 35. his verbis: *Invenio, die 7. Septembris 1625. in una Cæsaraugustana expositum fuisse S. Congregationi Concilii; Archi-Episcopum solere in aliquibus Casibus sæcularibus Sacerdotibus licentiam concedere audiendi Confessiones certi generis personarum, seu ad limitatum tempus, & non obstante hujusmodi limitatione Sacerdotes præfatos confessiones audire sub prætextu, quod ideis liceat vigore Bullæ Cruciatæ. Eadem S. Congregatio censuit, Confessariis prædictis minimè licere pœnitentium Confessiones audire ultra facultatem ipsis ab Ordinario concessam.* Si itaque Confessariis transgredi ejusmodi limitationes Episcopi tempore Bullæ Cruciatæ, quæ datur in amplissima forma Jubilæi, *non licet* audire confessiones ultra limites approbationis Episcopalis; *nec erunt validæ* illæ absolutiones, utpote collatæ sine approbatione Papæ largientis Bullam; alioquin enim etiam vi approbationis Pontificiæ *liceret* audire confessiones; & sine approbatione Episcopi. Vide dicta Q. 2. 3. 10.

QUÆRATUR 17. An virtute Jubilæi vel alterius privilegii pœnitens habens facultatem sibi eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum possit eligere Confessarium approbatum ab Episcopo alterius Diœcesis?

Respondeo: Pœnitens, nisi confiteatur proprio Parocho, cui confiteri potest in toto orbe, ubicunque eum reperit, tenetur eligere Confessarium approbatum ab Ordinario illius Diœcesis, in qua deponit Confessionem. Ita Barbosa l. c. n. 30. qui pro se adducit Nav. Emman. Homobon. Gambanyst. Ugolin. Valer. Garc. Zerol. Flores. Lezan. Layman. & alios. Probatur potissimùm ex duabus Declarationibus Cardinalium, quas adducit Barbosa l. c. his verbis: *Pro hac parte facit Illustriss. Cardinalium decisio, quæ dictat, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario, prout eam referunt Beja, Coninck, Bossius, & alii. Unde die 6. Junii 1608. in una Calaguritana Congregatio Concilii censuit, tam Sæcularem quàm Regularem in una Diœcesi approbatos ad audiendas personarum sæcularium Confessiones non posse in alia easdem Confessiones audire absque Episcopi Diœcesis approbatione.* Hæc Responsio S. Congregationis conformis est veteri Disciplinæ constanter per quindecim sæcula observatæ, vi cujus nulli Parochorum licuit recipere alienum Diœcesanum sine consensu alieni Episcopi, & sic, nisi interveniret in casu particulari specialis commissio alieni Episcopi, cujus in Historia nullum reperitur exemplum, eoipso cessabat quæstio, & observantia sententiæ oppositæ.

Nec obstat; quod tres sententiæ oppositæ, quarum una requirit pro approbatione Episcopum pœnitentis, altera Episcopum Confessarii, tertia Episcopum alterutrum, vel pœnitentis, vel Confessarii; habeant pro se plures Authores, quos Barbosa recenset. Sunt enim Authores privati, quorum centum in re dependente à mero arbitrio Ecclesiæ nondum pondere æquant vel unicam Resolutionem S. Congregationis in ordine ad formandam praxin & legem Ecclesiæ.

Quæritur 18. An Religiosus in itinere migrans in aliam Diœcesin possit in Diœcesi, per quam transit, absolvere pœnitentes, sine approbatione illius Episcopi?

Respondeo: Non potest in tali Diœcesi, per quam transit, validè absolvere. Ratio est, quia prout Barbosa l. c. n. 30. & 32. observat, Patribus Societatis Jesu à Gregorio XIII. concessum fuit speciale privilegium, ut iter facientes ubique audire possint confessiones. Ergo supponit Pontifex; aliis Religiosis id non competere sine approbatione Episcopi illius Diœcesis, in qua audiunt Confessiones, sine privilegio expresso Summi Pontificis. Ast hodie cessat hæc quæstio, postquam Urbanus PP. VIII. Constitutione sua: *Cùm sicut accepimus*, exorbitantibus ejusmodi privilegiis imposuit fibulam, expressè decernens, omnia & singula hujus naturæ Indulta quibusvis, quandocunque, & qualitercunque concessa viribus ac effectu vacua esse & fore, nec quemquam in posterum uti posse tam amplis privilegiis.

Quæritur 19. An approbatio, semel ab Episcopo Sacerdotibus sæcularibus simpliciter impensa, possit revocari, quoties Episcopi voluerint?

Respondeo: Vivaldus affirmat, esse ad nutum revocabilem. Sed Henriquez Suarez, & Fagundez, concedunt, id solùm fieri posse ex justa causa. Causa autem justa erit, quæ ad rectam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ spectat v. gr. si confessarius reperiatur ipsemet vitiis deditus. Aliud dicendum foret, si approbatio solùm indulta fuisset limitatè ad certum tempus, vel usque ad suam revocationem &c. tunc enim revocari posset etiam sine causa, prout Fagundez observat.

Quæritur 20. An sufficiat ad valorem absolutionis approbatio præsumpta?

Respondeo: Non sufficit ad valorem absolutionis approbatio præsumpta, dum videlicet Confessarius credit, Episcopum ratam habiturum absolutionem, si approbatio ab ipso peteretur. Ratio est, quia Tridentinum requirit approbationem *datam*, & non præcise *dandam* prout colligitur ex declaratione Cardinalium & Bulla S. Pii V. superius relata Q. 2. 3. & 10. Ita etiam sentiunt Barbosa l. c. n. 23. & ab eo relati Navarrus, Nugnez, Pesantius, Henriquez, Coriolanus, Reginaldus, Santorius, Fagundez, Cbamcrot. Aliud dicendum foret, si Confessarius mitteret ad Episcopum pro approbatione, & consideratis circumstantiis moraliter certus esset, jam actu collatam esse approbationem. Tali enim approbatione præsumpta urgente gravi motivo uti liceret. Responsioni non obstat Regula Juris in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. Hoc enim procedit, ubi valor actus potest suspendi ad eventum futuræ conditionis quod circa valorem & fructum Sacramentorum fieri nequit.

Quæritur 21. An censeatur tacite approbatus, si Confessarius reipsa non approbatus, vidente & non contradicente Episcopo audiat Confessiones?

Respondeo: Si id fiat prima vice, non censetur approbari. Ratio est, quia forte eo ipso tempore, quo Episcopus silet causa vitandæ publicæ confusionis, meditatur pœnam in delinquentem ausu temerario; prout Pontasius V. *Approbatio* Casu. II. observat. Nec obstat Regula 43. Juris: *Qui tacet, consentire videtur.* Tunc enim taciturnitas habetur pro consensu, quando quis tenetur, & convenienter potest loqui, quod in hoc casu durante actuali confessione non contingit. Locum potius habet in tali casu Regula 44. Juris: *Qui tacet, non fatetur.* Si tamen id sæpius accideret, & Episcopus, sciens, non esse approbatum, non contradiceret, eo ipso censeretur conferre approbationem, quamvis Confessarius talis primitiis peccaret, sic invalidè absolvendo. Teneretur etiam Episcopus, si nolit conferre absolutionem, monere pœnitentem de invalida absolutione. Et hoc modo intelligendus est Canon 7. Concilii Lambethensis celebrati in Anglia anno 1281. ubi sic habetur: *Prohibemus sub pœna Excommunicationis, ne quis de cætero absque Episcopi licentia expressa, vel rationabiliter præsumpta, confessiones suorum audiat subditorum.* In hoc textu, dum licentia præsumpta opponitur expressæ, signum est, per *rationabiliter præsumptam* intel-

intelligi *concessam tacitè*, seu *tacitam*, quæ utique in concessione actuali præterita involvitur.

QUÆRITUR 22. An etiam Regulares indigeant approbatione Episcopi ad excipiendas Confessiones Sæcularium?

RESPONDEO Indigent. Id patet ex *Bulla Clementis X.* proxime referenda; & ex duabus propositionibus ab Alexandro VII. anno 1659. damnatis. *Prima. Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obtinendas, approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint; neque de illius Concilii authoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus Fidei. Neque Bulla Pii IV. pro confirmatione illius promulgata. Secunda. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & si ab Episcopis Religiosi non approbentur, rejectis illa valet tantùm, ac si approbatio concessa fuisset.*

QUÆRITUR 23. An ea Approbatione Episcopali Regulares indigeant etiam ad excipiendas Confessiones Regularium?

RESPONDEO Ad excipiendas confessiones Regularium Confessarius Regularis non indiget approbatione Episcopi; sed illi sufficit approbatio sui Superioris. Id probatur ex eo, quia Tridentinum in Confessario Regulari approbationem Episcopi tantùm requirit in ordine ad excipiedas Confessiones Sæcularium. Ita communis apud Barbosam l. c. n. 64.

QUÆRITUR 24. An Regulares sine approbatione Episcopi possint tempore Jubilæi absolvere alium Religiosum ejusdem monasterii à casu Sedi Apostolicæ reservato, si cæteroquin sint ex Confessariis deputatis à Prælato.

RESPONDEO Affirmativè. Ita docent teste Barbosa l. c. n. 66. Henriquez, Lopez, Ledesma, Suarez, Reginaldus.

QUÆRITUR 25. An approbatio Ordinarii respectu regularium possit limitari? aut omnino revocari?

RESPONDEO 1. Non possunt simul ac semel integri Conventus suspendi ab audiendis Confessionibus. Ita teste Barbosa l. c. n. 50. declaravit S. Congregatio Episcoporum & Regularium his verbis: *Cum S. Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum innotuerit, Confessarios Regulares graviter conqueri, quod ab Archi-Episcopis, Episcopis, & locorum Ordinariis ab audiendis confessionibus quavis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpe contingere, ut ab eisdem Archi-Episcopis, Episcopis, & locorum Ordinariis omnibus simul unius Conventus Confessariis confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi ejusdem S. Congregationis Patres rati vix fieri posse, ut hoc fine scandalo, magnaque animarum pernitie contingat, re maturius perpensa ad omnem scandali materiam submovendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, & decernunt Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ad quos Confessarios approbandi jus spectat, Confessarios Regulares, alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere postbac minimè licere, nisi ex nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem Archi-Episcopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessariis, eadem S. Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem Decretum, ut iidem Illustrissimi Patres opportunum & necessarium duxerint, ita inviolabiliter jubent observari. Romæ 20. Novembris 1615.*

RESPONDEO 2. Regulares semel generaliter approbatos non posse ab eodem Episcopo sine nova causa ad examen revocari. Ita constat partim ex proximè relata declaratione S. Congregationis, & ex Bulla Clementis X. proximè referenda.

RESPONDEO 3. Ordinarius debet Regulares *generaliter* approbare, quos *generaliter idoneos* repererit. Id enim patet ex Bulla Clementis X. proxime referenda; sed iis, quos non ita generaliter idoneos reperit pro omni sexu, statu, loco, conditione pœnitentium, poterit approbationem limitare. Ita continetur in Bulla Clementis X. quæ sic habet: *Illos Religiosos qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè absque limitatione temporis, cæterorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. -- Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere. Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab iisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in Actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis.* Signanter autem dicitur in Responsione ad præsentem quæstionem, debere *generaliter* approbari ab Ordinario Regulares, qui *generaliter* idonei reperti fuerint; quia verò ad ita generaliter & indefinitè approbandos, opus esset rigorosissimo examine super omnibus materiis vastissimæ scientiæ moralis, pluribus difficultatibus obnoxio, hinc invaluit praxis & usus Urbis & Orbis in pluribus Episcopatibus, ut quantumcunque Confessarii tam Sæculares, quàm Regulares reperiantur idonei, non admittantur ad excipiendas Laicorum confessiones nisi ad annum, vel successive, ad biennium, aliudve tempus limitatum, minus etiam habiles ad minoris temporis spatium, prout Episcopus prudenter judicaverit expedire;

pedire; veluti testatur Nicolius Canon. Lucubrat Lib. 5. Tit. 38. num. 9. idemque Systema in casuum contingentiis sæpiùs fuit approbatum à SS. Congregationibus Cardinalium. Queri ergo hodie non possunt, aut injustè se gravatos exclamare Regulares, qui limitatam hujusmodi approbationem à locorum Ordinariis recipiunt, id potissimum intendentibus, ut studiis se exercere pergant, atque ita qui hodie aptus est, oblivione Doctrinæ non fiat suo tempore ineptus, veluti contingit facile. Imo, cum interdum prodeant novæ propositiones damnatæ, vel declarationes aut constitutiones Pontificiæ, de earum notitia vel usu sumere informationem Episcopo incumbit.

QUÆRITUR 26. An Regulares sine approbatione Episcopi possint audire Confessiones Sæcularium de familia?

RESPONDEO Possunt. Ita habetur in præfata Bulla Clementis X. his verbis: *In monasteriis ac Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores audire Confessiones illorum Sæcularium, qui ibidi verè sunt de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui ipsis tantum deserviunt.*

QUÆRITUR 27. An Regulares possint sine approbatione Episcopi audire confessiones Monialium sui Ordinis?

RESPONDEO Id fieri non posse. Ita definitum est in Bulla Gregorii XV *Inscrutabilis*, ubi sic habetur: *Confessores sive Regulares sive Sæculares quomodolibet exempti, tam ordinarii quàm extraordinarii, ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Imo verò etiam Regulares generaliter approbati ab Episcopo ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium, etiam sibi subjectarum, sed egent quoad hoc *speciali* Episcopi approbatione, aliàs Confessiones sunt invalidæ tum ex declaratione S. Congregationis Concilii ad dubia circa Bullam *Inscrutabilis* Gregorii XV. Dub 9. & 10. tum ex præfata Constitutione Clementis PP. X. de 20. May. 1670. Sublato quocunque privilegio & constitutione contraria, etiam *Bulla Aurea* dicta Congregationis Casinensis, & consuetudine quaecunque etiam, immemorabili. Ubi insuper additur: *Approbatos ad unum Monasterium Monialium non censeri approbatos ad aliud Monasterium Monialium; & confessarios earundem extraordinarios approbatos pro una vice non censeri approbatos pro alia vice.*

QUÆRITUR 28. An Regulares approbati in una Diœcesi censeantur approbati pro alia Diœcesi

RESPONDEO Adeo non censentur approbati in alia Diœcesi, ut sine nova approbatione ne quidem possint audire confessiones Diœcesanorum prioris Diœcesis. Ita declaratur in præfata Bulla Clementis X. his verbis: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Idem probatur ex propositione damnata ab Alexandro VII. anno 1659. 30. Jan. quæ sic sonat: *Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis, nec nova indigent Episcoporum approbatione.*

QUÆRITUR 29. An quilibet Sacerdos, etiam ab Episcopo specialiter non approbatus, possit quosvis pœnitentes absolvere in articulo mortis?

RESPONDEO affirmativè. Probatur ex Concilio Tridentino Sess. 14. Can. 7. ubi ait: *Ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis. Atque ideo omnis Sacerdos quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Ex hac autem Responsione sequitur; quod, cum Ecclesia omnes Sacerdotes ad eum articulum approbat, & in hoc potissimum casu magna scientia & prudentia opus sit, nullus sit ordinandus præcise in simplicem etiam Sacerdotem sine debita scientia, quæ requiritur ad administrandum in eo articulo Sacramentum. Verùm ab hac generali doctrina excipitur Sacerdos respectu complicis in peccato turpi, si possit haberi alius Sacerdos prout dicetur in Disput. ult.

QUÆRITUR 30. Quandonam censeatur dari *articulus* mortis?

RESPONDEO: Tunc, quando datur *periculum* mortis. Ratio est, quia Rituale Romanum eum terminum Tridentini sic explicat, sumendo hos terminos pro Synonymis, uni substituendo alterum. Tit. 17. §. 3. sic habet: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscunque censuris & peccatis absolvere.*

QUÆRITUR 31. An quilibet Sacerdos etiam non approbatus possit absolvere quoscunque à venialibus, aut jam aliàs confessis?

RESPONDEO: Non potest validè absolvere. Ratio est; quia etiam ad hanc absolutionem tanquam actum judicialem requiritur ex sua natura jurisdictio, quam Ecclesia non prudenter conferret cuivis Sacerdoti simplici non approbato. Ita etiam declaratum est ab Innocentio XI. per speciale Decretum, editum anno 1679. die 12. Februarii hujus tenoris: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares, aut quicunque alii secus egerint; sciant, Deo optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.* Hoc Decretum reperitur ad calcem Decreti de QUOTIDIANA COMMUNIONE.

QUÆRITUR 32. An Religiosus, approbatus ab Ordinario ad excipiendas confessiones Sæcularium, possit horum audire confessiones & eos validè absolvere, si hoc ipsi prohibeatur à suo Superiore Regulari.

RESPONDEO: Affirmativè Barbosa l. c n. 54. à quo pro hac sententia citatur Grassius, Navarrus, Emmanuel, Zerola, Salas, Joannes à Cruce,

ce, Homobonus, Lezzana, Miranda, Villalobos, Layman, Boſſius, Ludovicus à Cruce. Attamen contradicunt huic Reſponſioni Sylveſter, Lopez, Corradus, Emmanuel ipſemet, prius à Barboſa citatus pro affirmativa, Campana, & alii, quos, ipſomet fatente Barboſa, ſequi videtur & Boſſius, prius ab illo citatus pro affirmativa. Mihi videtur; Epiſcopum quidem poſſe Religioſo conferre approbationem & jurisdictionem in ſæculares invito Prælato, & ſine ſubordinatione ad voluntatem Superioris. Quia tamen Prælati & alii Superiores melius poſſunt ſcire idoneas vel inidoneas diſpoſitiones ſuorum Religioſorum in ordine ad excipiendas confeſſiones ſæcularium, hinc ſi in Approbationibus Regularium expreſſe non apponant eam limitationem, ut non duret, niſi quamdiu viſum fuerit Prælato ſeu Superiori; in dubio, ubi nil expreſſum eſt, videtur ea eſſe legalis intentio Epiſcoporum, ita ut clauſula iſta tacitè inſit approbationi Regularium.

QUÆRITUR 33. An Prælatus, generaliter ab Ordinario approbatus pro tota Diœceſi, in Parochia pleno jure incorporata defuncto ſuo Vicario Regulari aliàs ad nutum amovibili, poſſit interea, donec alius Vicarius Ordinario præſentetur, per ſeipſum, vel per alium ſuum Vicarium Regularem, generaliter pro Diœceſi approbatum, exercere ad unam vel alteram hebdomadam curam animarum?

RESPONDEO: Affirmativè. Ratio eſt, quia, prout eruditè probat Joannes B. Argiro, in Romana Curia Advocatus, in *Diſceptationibus Eccleſiaſticis* impreſſis Romæ 1744. l. 5. Diſcept. 13., & jam prius oſtenderant Layman, & Leurenius, Rector Eccleſiæ in Eccleſia pleno jure incorporata habet *curam animarum habitualem*, quam defuncto ſuo Vicario actu exercere poteſt, ſive per ſe, ſive per alium Vicarium, uſque dum pro Parochia deſignet Vicarium, conſtantem, ad nutum tamen revocabilem. ARGIRO l. c. n. 3. ſic ſcribit: *Ubicunque beneficium curatum acceſſoriè fuerit unitum Monaſterio, hoc caſu in Eccleſia curata relinqui debet Vicarius, qui perpetuò inſervire debet Eccleſiæ prædictæ. Et tunc, qui habet beneficium unitum, non poteſt illi deſervire per ſe invito Vicario perpetuo, cum iſte dicatur verus Parochus.* DIXI; UBI ACCESSORIE *tantùm. Etenim ubi Parochiale beneficium fuerit unitum Cathedrali, vel Collegiatæ Eccleſiæ, vel Collegio, Monaſterio, aut ſimili, pleno jure, cum omnibus actionibus, aliiſque prærogativis, quia omnimoda cura videtur translata in ipſum Capitulum Cathedralis vel Collegiatæ Eccleſiæ, ſive in ipſum Collegium, Monaſterium, vel ſimile, apud quæ animarum cura reſidet, poſſunt ab his pro libito deputari Vicarii ad nutum amovibiles. Nam cura habitualis reſidere videtur penes ipſum Capitulum Cathedralis vel Collegiatæ Eccleſiæ, Collegium, Monaſterium, vel ſimile. Felinus in l. poſtulaſti. De reſcriptis. Rota recent. part.* 18. *Decis* 400. *n.* 2. & 3. Et n. 9. *Si unio Parochialis fuit facta Collegiatæ cum omnibus ſuis juribus, & redditibus, hoc caſu videtur cura habitualis reſidere penes Capitulum Collegiatæ, actualis verò penes Vicarium Curæ prædictæ.* Et n. 26. *Unde fit, ut beneficium ipſum Parochiale, tali modo unitum, nunquam vacare dicatur.* Et n. 20. *Ubi Parochialis Eccleſia fuerit unita monaſterio, Collegio, vel Capitulo per viam incorporationis, Monaſterium, Capitulum, vel Collegium, dicitur verus Parochus.*

CONFIRMATUR Reſponſio ex eo, quia prout Argiro l. c n. 26. obſervat: *Superior talis monaſterii, Capituli vel Collegii cui facta fuit unio Parochialis, poteſt exercere ea omnia, quæ poſſunt exercere alii Rectores.* Cum igitur alii Rectores poſſint in ſua abſentia loco ſui conſtituere Vicarium ad aliquot dies ſine novo Examine conſtituti, Id neque Rectori habituali in hoc caſu videtur denegandum.

QUÆRITUR 34. An Parochi vel Confeſſarii vicini alterius Diœceſis in concurſu poſſint vocari ad audiendas Confeſſiones ſine approbatione Ordinarii, ſi hæc praxis paſſim vigeat, & ſciatur à Viſitatoribus.

RESPONDEO: In hoc caſu poteſt præſumi tacita approbatio Ordinarii, quamdiu non reclamat. Aliud tamen dicendum foret, ſi actus abſolutionis ſacramentalis à ſacerdotibus vicinæ Diœceſis exerciti vel ob diſtantiam locis à ſede Epiſcopali, vel ob diſcontinuationem actuum per plures annos, vel ob ſingularitatem conſuetudinis in uno ſolummodo vel altero Diœceſano loco ab urbe Epiſcopali remoto, vel ob aliam circumſtantiam videatur ita eſſe comparatus, ut non facile venire poſſit in notitiam Epiſcopi vel Vicarii, ac proin in æſtimatione morali æqui valeat actui clandeſtino. Tacita approbatio enim in hoc caſu locum non habet. Optimi faciunt ejuſmodi parochi, ſi abſtineant, donec Ordinarium conſuluerint qui deſuper providebit.

QUÆRITUR 35. An Parochus poſſit ſibi in Confeſſarium eligere Sacerdotem ſimplicem non approbatum ab Ordinario?

RESPONDEO Negativè. Id patet ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. ordine 16ta, quæ ita ſonat: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

QUÆRITUR 36. An ad licitè abſolvendum ſufficiat approbatio probabilis, ſeu dubia?

RESPONDEO Non ſufficit. Ratio eſt, quia probabilitas approbationis non tollit periculum nullitatis in abſolutione; quia non eoipſo Eccleſia confert aut ſupplet prudenter defectum approbationis, quod quis habeat probabilem rationem de approbatione. Ergo cum nunquam liceat, Sacramentum extra caſum neceſſitatis exponere periculo nullitatis, nec licebit extra caſum gravis neceſſitatis uti approbatione præciſe probabili. Vide dicenda q. 2. qq. 4. ubi dicetur; Confeſſarium debere monere pœnitentem de dubio valore Sacramenti.

QUÆSTIO III.

Quæ ſcienda circa Juriſdictionem Miniſtri Pœnitentiæ?

QUÆRITUR I. Quid ſit juriſdictio *Ordinaria & Delegata*?

RESPONDEO *Ordinaria* juriſdictio eſt, poteſtas ſubditos judicandi *inhærens officio*; utpote tali, quod ſine juriſdictione exerceri non poteſt. Et

Et talis est jurisdictio Papæ in omnes fideles, Episcopi in omnes Diœcesanos; Parochi in suos parochianos, Superioris in suos Religiosos. Ubi tamen advertendum; jurisdictionem Papæ, Episcopi, & Superioris esse in foro interno & externo simul; Parochi autem tantùm pro foro interno. *Delegata* verò jurisdictio est, quæ annexa non est cuiquam officio, sed confertur ob eo, qui jurisdictionem ordinariam habet, v. gr. à Parocho alteri Sacerdoti.

QUÆRITUR 2. An jurisdictio sit necessaria ad valorem absolutionis?

RESPONDEO Est necessaria ad valorem. Ita declarat Tridentinum l. 14. c. 7. ubi ait: *Quoniam natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantùm feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse hæc Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eam profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

QUÆRITUR 3. An & quando Ecclesia suppleat jurisdictionem?

RESPONDEO 1. Ecclesia aliquando supplet jurisdictionem. Ratio est, quia hæc suppletio jurisdictionis est res, quæ dependet ab arbitrio Ecclesiæ. Ecclesiam verò actu velle supplere aliquando jurisdictionem, partim exigit Salus reipublicæ Christianæ, partim eam intentionem Ecclesiæ declarat aut ponit communis sensus Doctorum, qui sunt os Ecclesiæ.

RESPONDEO 2. Tunc Ecclesia supplet jurisdictionem, quando id exigit bonum commune Ecclesiæ. Id verò bonum commune non necessariò exigit, quando error circa jurisdictionem aut tantùm est paucorum, aut quando error est quidem multorum, ita tamen ut facile aliis mediis superari ac vinci possit. Neque enim decet, ut Ecclesia quorumvis ignorantiæ vincibili succurrat, si errorem suum alio modo facile corrigere possint, dummodo habeant moderatam scientiam, diligentiam, & probitatem. Vide dicta Q. 2. q. 3. & 10. ubi de hac re fusius actum est.

QUÆRITUR 4. An & quando liceat uti jurisdictione dubia vel præsumpta?

RESPONDEO: Jurisdictione *dubia* nunquam licet uti, nisi in casu necessitatis, monito simul pœnitente, ut brevi iterum confiteatur ob dubium valorem præsentis absolutionis ex defectu certæ jurisdictionis. Ratio patet ex dictis Q. 2. q. 2. 3. 10. & 36. & 20. quia jurisdictio requiritur juxta Tridentinum ad valorem Sacramenti. Quod verò attinet *jurisdictionem præsumptam*, distinguendum est; Si enim præsumptio habeatur de jurisdictionis collatione jam facta, aut præsente, licet ea uti in casu necessitatis. Si verò præsumptio tantùm habeatur de jurisdictionis collatione primum conferenda, nunquam licet ea uti, ne quidem in casu necessitatis. Ratio est, quia Tridentinum & natura Sacramenti requirit jurisdictionem *existentem*, non verò solùm *extituram*, ut dictum est Q. 2. q. 20. Idem tenendum est de *approbatione*. Si enim præsumptio fit; jam actu collatam esse *approbationem*, licet in casu necessitatis ea uti; dummodo pœnitens moneatur de brevi iterum frequentando sacramento pœnitentiæ ob dubium valorem absolutionis ex defectu certæ absolutionis.

QUÆRITUR 5. An unus Parochus habeat jurisdictionem in Parochianos alterius Parochi?

RESPONDEO: Non habet jurisdictionem in alienos Parochianos, nisi accedat consensus tacitus vel expressus alterius Parochi. Hinc si Parochus expressè inhiberet suis Parochianis, ne sine speciali sua licentia accedant alium Parochum, vel Sacerdotem non privilegiatum pro deponenda confessione, revera non absolverentur validè ab alio Parocho. Verùm quia jam universalis consuetudo saltem in superiori Germania habet, quod Parochi mutuo pactò tacitò jurisdictionem in alienos Parochianos invicem conferant & accipiant, videretur insolentis animi à gravi peccato non excusandi, si quis id tacitum pactum sine gravissimo motivo solveret, per Vicarium Generalem, si commodè fieri posset, approbando. *Responsio* autem *probatur* ex constanti observantia Ecclesiæ, quæ viguit in toto orbe usque ad Sæculum 15. Constat enim ex innumeris Actis Conciliorum, & Synodorum, quod Parochiani semper debuerint petere licentiam à proprio Parocho, si vulebant alteri confiteri. Sic Felix III. Papa in Decretali ad universos Episcopos scribit: *Curandum maximè, & omni cautela est providendum, ne quis Fratrum Coepiscoporumque nostrorum aut etiam Presbyterorum, in alterius civitate vel Diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum Sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & litteris, ad cujus pertinet Parochiam, Presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat. Quod si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam Clerum, qui in locis, in quibus hoc minus curatum fuerit, commoratur.* Hic textus manifestè loquitur de peccatore publico pœnitente, qui transit in aliam Parochiam vel Diœcesin. 2. In Concilio Cicestrensi celebrato anno 1289. Cap. 20. dicitur: *Nullus Presbyterorum alienum Parochianum ad confessionem vel communionem corporis Christi præsumat admittere sine licentia proprii Sacerdotis, nisi privilegio audiendi confessiones à Summo Pontifice sit munitus. Cum autem à Sacerdote licentia petitur alteri confitendi, Sacerdos personam designet cui debeat confiteri; ne quispiam tali velamine nemini confitendo pœnitentiæ diffugiat Sacramentum.* 3. In Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. c. 21. quod etiam refertur C. *Omnis utriusque*, C. 12. *de Pœnit. & Remiss.* dicitur: *Omnis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti. — Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit confiteri, licentiam prius postulet à proprio Sacerdote; cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare.*

QUÆRITUR 6. An Episcopus aut alius Confessarius habeat jurisdictionem in Diœcesanos alterius Episcopi?

RESPONDEO: Non habet, nec eam potest aliis delegare in alterius Episcopi subditos sine expressa vel tacita illius Episcopi concessione. Patet iterum ex Actis Conciliorum, ubi prohibetur Parochis, aut Episcopis, ne recipiant alienum Parœcianum, aut Diœcesanum ad Sacramenta sine proprii Episcopi vel Parochi consensu. Verùm in Germania saltem Episcopi tacitò consensu mutuò, qui ex praxi & sensu Doctorum colli-

colligitur, eam jurisdictionem in suos subditos mutuò dant & accipiunt.

QUÆRITUR 7. An Regulares habeant jurisdictionem in omnes Fideles?

RESPONDEO: Regulares privilegiati à Papa saltem ministerio Episcoporum concedentium approbationem juxta ejus mensuram post pridem abrogatam Clementinam *Dudum* de Sepultur. habent jurisdictionem in omnes Fideles, ita ut eorum confessiones excipere possint non solùm in propriis Ecclesiis, sed etiam in domibus saltem ægrotantes audire & absolvere. Id fuse deductum reperies à D. Ruperto l. *de Privilegiis*, tr. 4. Disp. 2. Sect. 1.

QUÆRITUR 8. An Episcopus possit limitare jurisdictionem quoad locum, tempus, sexum, personas &c.?

RESPONDEO: Episcopus potest Confessariis Sæcularibus, aut Regularibus non privilegiatis jurisdictionem directè limitare quoad locum, tempus, sexum, personas &c. uti Romæ practicatur cum Confessariis, qui nisi attigerint annum ætatis trigesimum sextum, non possunt excipere confessiones mulierum, prout ostendi in *Manuali Romano Confessariorum*. Confessariis etiam Regularibus privilegiatis Episcopus eam jurisdictionem potest limitare saltem indirectè, videlicet quatenus, mediante opera Episcopi, jurisdictio datur à Papa juxta mensuram approbationis; quam Regularibus limitari posse, constat ex propositione damnata ab Alexandro VII. superius relata Q. 2. q. 25.

QUÆRITUR 9. An Prælatus Regularis possit suis Religiosis limitare jurisdictionem in Sæculares?

RESPONDEO: Per se id nec potest directè, nec indirectè. Jurisdictionem enim in Sæculares Religioso non confert Prælatus, sed Papa vel Episcopus. Similiter id fieri nequit per limitationem approbationis; quia hæc pertinet ad Episcopum. Fieri tamen hoc poterit *indirectè*; si Prælatus habeat à Papa vel ab Episcopo potestatem delegatam, approbandi suos Religiosos ad excipiendas confessiones Sæcularium, aut eam approbationem, limitandi, aut si causa sufficiens occurrerit, etiam suspendendi. Vide dicta Q. 2. q. 32.

QUÆRITUR 10. An jurisdictio collata exspiret morte aut destitutione concedentis?

RESPONDEO: Ordinaria aut aliàs directè concessa non exspirat morte vel destitutione concedentis; delegata verò exspirat. Hinc si Prælato aut Parocho datur facultas absolvendi à casibus reservatis Papæ vel Episcopo cum potestate subdelegandi; in subdelegato ea potestas exspirat morte Prælati vel Parochi. Ea verò potestas non exspirat per mortem vel resignationem Vicarii Generalis in eo, qui accipit potestatem absolvendi à casibus reservatis Papæ; quia Vicarius Generalis eam potestatem non confert nomine suo, sed nomine Papæ vel Episcopi. Atque hanc mentem concedentis exigit bonum commune, & declarat sensus ac praxis communis.

QUÆRITUR 11. An Confessarius excommunicatus aut irregularis validè absolvat?

RESPONDEO: Si Confessarius fuerit excommunicatus *nominatim* denuntiatus, non absolvit validè. Ita declarat Alexander II. C. *Audivimus*. 4. *Causa* 24. q. 1. Ratio est; quia, prout *D. Thomas* in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. q. 2. C. observat; excommunicatio est jurisdictionis privatio. Si verò sit excommunicatus nondum nominatim denuntiatus; aut si tantùm fuerit irregularis, validè absolvit. Ratio est, quia talis non amittit jurisdictionem, prout declarat Gregorius IX. C. ab excommunicato. 41. *de Rescriptis*.

QUÆRITUR 12. An Religiosus possit validè absolvi à Confessario Sæculari vel Regulari non habente jurisdictionem à Superiore Religiosi pœnitentis?

RESPONDEO: Extra tempus Jubilæi Religiosus non potest validè absolvi ab ullo Confessario non habente jurisdictionem à Superiore confitentis. Ratio est, quia Tridentinum Sess. 14. Can. 7. ad valorem absolutionis universim requirit jurisdictionem ordinariam vel delegatam. *Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat; nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

CONFIRMATUR ex communi praxi Religiosorum Ordinum, qui passim suis Religiosis denegant facultatem, confitendi etiam in itinere aliis Sacerdotibus nisi sui Ordinis; quæ recusatio facultatis non foret prudens aut obligatoria in casu peccati mortalis, nisi aliis Confessariis denegaretur simul jurisdictio in ejusmodi Religiosos. Si tamen Prælatus sciat, suos Religiosos passim confiteri externis, præsertim in itinere, nec reclamet, ea conniventia habenda est pro implicita concessione facultatis & jurisdictionis.

DIXI, *extra tempus Jubilæi*. Quia in Jubilæo Regulares absolvi posse à quibuscunque Confessariis, seu Regularibus, seu Sæcularibus ab Ordinario Confessarii approbatis, declaravit Alexander VII. anno 1655. prout ostendetur Quæstione 4. *de Casibus reservatis* Q. 58. Quod intelligunt Doctores apud P. Viva *de Jubil.* solùm de Jubilæo universali, non de Jubilæo particulari, seu de Indulgentia concessa per modum Jubilæi.

QUÆRITUR 13. An Parochi possint sibi eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, quem voluerint?

RESPONDEO: Parochi possunt sibi eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, nisi eam facultatem Episcopus restringat ad Confessarios Parochorum determinatos. Neque enim verum est, quod Santbovius apud Pontasium V. *Parochus*. Cas. 7. adstruit; eam facultatem ab Episcopo restringi non posse. Manifestum enim est, quod in Parochos nullus jurisdictionem ordinariam habeat, nisi Episcopus, aut delegatam, nisi à Papa, aut Episcopo. Itaque nisi Confessarius habeat delegatam à Papa, qualem habent Religiosi privilegiati, aut delegatam ab Episcopo, cui per conniventiam Antecessorum præjudicari nequit, non poterit validè absolvere Parochum.

CONFIRMATUR ex variis Constitutionibus Conciliorum, quæ Parochis designarunt proprios Confessarios, aut eorum confessiones Episcopis reservarunt. Episcopus Ambianensis 1218. statuit: *Pœnitentiarius confessiones audiet, exceptis confessionibus Curatorum nostrorum, quas nobis reservamus.* Synodus Bajocensis anno 300. jussit, ut Parochi omni anno semel Episcopo vel Pœnitentiario confiterentur. Synodus Nicosiensis 1313. decernit, ut quivis Presbyter proprium Confessorem habeat cum licentia Episcopi. Synodus Frisingensis 1440. jubet, ut Parochi confiteantur Decano. Concilium Tarraconense 1329. solùm permittit, ut Presbyter, si non habet copiam proprii Confessoris, possit alteri confiteri. Vide plura ejusmodi in Thomassino V. Discipl. p. 1. l. 2. c. 10.

Bulla SS. D. N. Benedicti XIV. circa Absolutionem à Casibus reservatis in Jubilæo.

Benedictus &c. Apostolica Indulta, si eorum interpretatio ingeniorum liberiùs opinantium licentiæ permittatur, in Ecclesiasticæ Disciplinæ detrimentum, & Fidelium perniciem traduci posse veremur.

§. I. Sane hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud inprimis postulare videtur, quod Sedes Apostolica vel cunctis Christi Fidelibus per universalis *Jubilæi* Litteras, vel nonnullarum Regionum Incolis per Bullam, ut appellant, *Cruciatæ*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium seu Confratrum cœtibus elargiri consuevit, eligendi sibi Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos à culpis, criminibus & censuris alioquin reservatis absolvere valeat.

§. II. Et quidem Innocentius XII. ex delatis ad se nonnullorum Episcoporum Portugalliæ querelis intelligens, opinionem quandam revixisse, per Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. Constitutiones damnatam, qua plerique illarum partium Fideles Indulta circa prædictam Confessarii electionem concessa in Bulla Cruciatæ ita intelligenda esse existimabant, ut facultas confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcunque Ordinarium approbato, & recipiendi ab eo absolutionem à quibusvis peccatis & censuris in prædicta Bulla non exceptis locum haberet, etiamsi Ordinarius præfatus non esset Ordinarius illius loci, in quo confessiones prædictas excipi contingeret; hujusmodi opinionem iterum censuit damnandam, sicuti reipsa damnavit per Apostolicas in forma Brevis Litteras: *Cum sicut;* die 19. Aprilis 1700. declarans, Bullam Cruciatæ nullum privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum, adeo ut Confessarii tam Sæculares quàm Regulares in vim Bullæ Cruciatæ à pœnitentibus ad audiendas eorum Confessiones electi nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi pœnitentes degunt & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt: nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab Ordinariis aliorum locorum & Diœcesum obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent; subindeque statuit, confessiones aliter in posterum factas, & respectivè auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præsumpserint, suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indixit.

§. III. Has Litteras confirmavit & innovavit Innocentius XIII. die 13. Maji 1723. editis in forma Brevis Litteris: *Apostolici ministerii*, quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam Disciplinam in Hispaniarum regnis servandam pertinentia, ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum pœnitentiæ administrare extra tempus vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocunque privilegio, etiam in vim Bullæ Cruciatæ competente, nullatenus suffragante. Necnon Sacerdotibus prædictis tam Sæcularibus quàm Regularibus minimè suffragari, quod approbati aliàs fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo confessiones audiendæ sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat; sed necessarium omnino esse illius, qui actualiter & pro tempore ordinariam jurisdictionem in ea Diœcesi exerceat, approbationem; hanc tamen *sufficere* etiam *tacitam*, eamque tamdiu durare, quamdiu præcedens licentia sive approbatio expressè revocata non fuerit, in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit.

§. IV. Cumque Benedictus XIII. præfatas Innocentii XIII. Litteras suis aliis Apostolicis Litteris: *In supremo militantis*, die 23. Septembris 1724. earum tenore de verbo ad verbum inserto per omnia approbasset, confirmasset, atque innovasset, ipsius quoque authoritate corroborata, innovataque noscuntur, quæ de facultate eligendi Confessarium tam ab Innocentio XII. quàm à XIII. decreta, declarataque fuisse commemoravimus.

§. V. Nos non modo relata Prædecessorum nostrorum Decreta confirmamus & innovamus; verùm etiam statuimus & declaramus, quod idem omnino jus, quod vigore Decretorum hujusmodi circa usum Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis Indulta pariformiter valere debeat, & obtinere.

§. VI. Insuper decernimus & declaramus id, quod generaliter de Indultis præmissis sentiendum esse jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus personis, quæ sub eorundem Indultorum concessione comprehensæ reperiuntur, quæque supradictis Indultis uti voluerint, ita videlicet, ut si in aliquo Indulto tam Sæcularibus quàm Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum; tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive à Sæculari, sive à Regulari pœnitente ad audiendas eorum respe-

respectivè confessiones electus, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano & Ordinario loci ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus & deputatus existat, quacunque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores prædicti declararunt non suffragari, quàm ea, si de Regularibus agatur, quæ à solo proprio regulari Prælato obtenta foret, minime suffragante. -- Quam (approbationis) conditionem servandam esse statuimus ab omnibus, qui in vim ejusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, cujuslibet Ordinis, tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam Societatis Jesu &c. fuerint. Datum Romæ 1744. 5. Augusti.

DISPUTATIO IX.

De Casibus Reservatis, præsertim in Diœcesi Augustana.

Hæc DISPUTATIO sequentibus *Quæstiunculis* absolvitur.

QUÆRITUR 1. Quid sit Reservatio Casuum?

RESPONDEO: Est restrictio jurisdictionis in subditos pro foro interno circa quædam graviora crimina, quorum absolutio Confessario à Superiore conferente jurisdictionem denegatur.

QUÆRITUR 2. Quotuplex sit Reservatio Casuum?

RESPONDEO: Est triplex. Nam dividitur ab Authoribus in *pœnalem*, *medicinalem*, & *mixtam*. POENALEM vocant; quæ ex motivo primario fit ad puniendum commissa delicta ipsa arduitate absolutionis, & impositione per Superiorem rigidioris satisfactionis. Cum enim Confessarii inferioris conditionis ob respectum humanum & dependentiam à benevolentia pœnitentium nonnunquam in imponenda proportionata peccatis satisfactione soleant esse justo indulgentiores, Episcopi & alii Superiores meritò Confessariis inferioribus circa quædam graviora peccata restringunt jurisdictionem ex hoc primario motivo, ut ejusmodi peccata, dum eorum absolutio à Superiore, non tam facile subjecto passioni timoris ob respectum humanum & dependentiam, competenti pœnitentia castigentur. MEDICINALEM vocant, quæ fit ex primario motivo, ut peccata ob metum reservationis incurrendæ imposterum tam facile non committantur, sed præcaveantur. MIXTAM vocant, quæ ex utroque simul motivo fit, ut peccata debitè castigentur, & in futurum attentius caveantur. Cæterùm nullam de facto dari reservationem purè pœnalem, sed omnem simul esse medicinalem, agnoscit etiam P. La Croix l. 6. p. 2. n. 1607. Imo omnem reservationem primariò esse medicinalem seu præservativam, manifestum est ex tenore reservationum Q. 9. & 10. Vide infra Q. 21.

QUÆRITUR 3. Cui competat potestas peccata reservandi?

RESPONDEO: Competit cuivis Superiori, cujus est conferre jurisdictionem ordinariam pro foro interno. Itaque ea potestas reservandi Casus competit Papæ respectu totius Ecclesiæ; Episcopo respectu suæ Diœcesis; Prælato Ordinis respectu Religiosorum sibi subditorum. Econtra Parocho non competit potestas reservandi sibi peccata respectu Parochianorum, quia aliis Confessariis non potest conferre jurisdictionem ordinariam, sed tantùm delegatam.

QUÆRITUR 4. An hujus reservationis reperiantur exempla primis Ecclesiæ sæculis?

RESPONDEO: Reservationis exempla reperiuntur constanter à primis usque sæculis. Nam quovis sæculo dabatur duplex genus reservationis. *Primò*, duodecim primis sæculis pro certis gravioribus delictis erant ab Episcopis, vel Conciliis, præsertim Generalibus, quibus præsidebant Summi Pontifices, taxati Canones Pœnitentiales, seu determinatæ pœnitentiæ, v. g. duorum, trium, aut septem annorum. Itaque ejusmodi graviora delicta reipsa erant *reservata* Superiori quoad modum, & quoad substantiam. *Quoad modum* quidem, in quantum nulli Presbytero licebat absolvere, nisi juxta modum pœnitentiæ taxatæ ab Episcopo; prout patet ex antiquis Pœnitentialibus. Quoad substantiam verò; in quantum absolutio Presbyteri erat invalida, nisi fuerat conformis intentioni Episcoporum, sibi ejusmodi graviorum scelerum disciplinam per Canones pœnitentiales reservantium, prout patet ex D. Cypriano superius relato Disput. 6. q. 1. & 2. dum asserit, ejusmodi pacem seu absolutionem sine forma Canonum collatam *non solvere* pœnitentes, sed ligare, neque ejusmodi pacem pœnitentibus quidpiam *profuturam*. *Secundum genus* reservationis consistebat in eo, quod absolutionem talium graviorum criminum Episcopi reservaverint soli majori Pœnitentiario, qui pro peccatis ad pœnitentiam solennem reservatis teste Socrate & Sozomeno erat constitutus in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Occidentalis Ecclesiæ, prout Disput. 4. & Disput. 2. ostensum est.

Possset addi etiam *tertium* genus reservationis, in quantum absolutio Parochianorum erat reservata soli Parocho; & ipsi Parocho erat restricta potestas absolvendi in gravioribus delictis absolutione perfecta, seu *reconciliandi pœnitentem* in ordine ad communionem, & remissionem peccatorum indulgentialem, nisi *consulto* prius *Episcopo*. Hæc omnia jam probata suppono ex dictis Disput. 5. & 6. & Disp. 7. §. 3.

QUÆRITUR 5. Unde factum, quod à sæculo undecimo, & duodecimo tot Casus reservati fuerint soli Papæ?

RESPONDEO: Id factum ex eo, quia ipsimet Episcopi, cum viderent, absolutionem à casibus Episcopo reservatis passim extorqueri violentis oppressionibus ac crebris cædibus Clericorum, & Principes eo tempore non solerent plectere peccata reservata Ecclesiæ ad pœnitentiam solennem, ultro statuerunt, ut ejusmodi graviorum criminum rei, præsertim violatores immunitatis Ecclesiasticæ, mitterentur ad Papam pro absolutione; qui mos postmodum in Conciliis Generalibus confirmatus & in legem receptus est. Id more suo eruditè & fusè probat Thomassinus in *veteri & nova Disciplina* Tom. 1. part. 1. l. 2. c. 13. & 14. Susceptæ etiam Sæculi Christi undecimo Cruciatæ, sanctum licet Expeditionum genus, in causa erant; ex eo enim tempore Indulgentia plenaria introducta est, omnimoda videlicet relaxatio quarumvis pœnarum Canonicarum, quas quisque peccando commeritus fuisset, si modò peregrinationem in Terram sanctam suscipere in animum induceret. Ratio etiam & via inita fuit, Indulgentiarum hujusmodi participes reddendi eos, qui Expeditioni sacræ non interessent, dummodo eleemosynarum aliquid ad impensas sacri belli sublevandas erogarent. Neque ulla hominum conditio reliqua fuit, quæ satisfacere pro pœnis criminum suorum non posset, quamvis Canonicam illam & veterem pœnitentiam non subiret. Etenim qui per egestatem largiri stipem non poterant, iis jejunia aliquot, aut peregrinationes minùs molestæ imponebantur. Hunc in modum satisfactio pro peccatis præstanda merè arbitraria incepit esse, Canonesque Pœnitentiales, cùm in usum non ampliùs deducerentur, citò oblivioni fuere dati, & præcipua pœnitentiæ difficultas non alia fuit, quàm Confessionis necessitas. Pontifices ergo hæc videntes, graviora crimina, quoad ordinem antiquum pœnitendi neglecta sapienter suæ Censuræ supremæ reservare ceperunt.

QUÆRITUR 6. Quibusnam argumentis probatur, reservationes Casuum Papalium à Sæculo duodecimo non fundari in superba usurpatione Romanorum Pontificum jurisdictiones inferiores in se absorbentium, sed in ultronea prorogatione jurisdictionis facta ab Episcopis, & reis?

RESPONDEO: Thomassinus l. c. suam assertionem his argumentis probat. 1. Inter Epistolas Alexandri II. Papæ permultæ sunt, ex quibus liquet, gravioribus flagitiis vel facinoribus contaminatos, præsertim homicidas, ad Pontificem ab Episcopis remissos esse, vel sponte ipsos ad illum profectos fuisse, ut ab illo potissimum pœnitentiæ & absolutionis beneficium consequerentur.

2. Concilium Lemovicense anni 1034. multa congerit homicidarum aliorumque scelerosorum exempla, quos Episcopi ad Papam solvendos ablegarunt.

3. S. Ivo Carnotensis Episcopus Ep. 29. 30. 31. 33. & 36. mentionem facit de Nobili quodam adulterii convicto, quem ad Papam ablegavit. *Dedi ei*, inquit Epist. 98. *litteras, seriem causæ ejus continentes ad Dominum Papam, ut cognita veritate, quod vellet, ordinaret & nobi remandaret. Hoc responsum exspecto, nec aliter mutabo sententiam, nisi ex ore ejus audiam, aut ex Litteris intelligam.* Idem alium reum ad Paschalem II. remisit, aliqua parte injunctæ pœnitentiæ exonerandum. Idem Epist. 162. Nobili pœnitentiam quatuordecim annorum injunxerat, quem ad Papam pro moderatione remisit. *Reservantes*, inquit, *hanc indulgentiam Apostolicæ moderationi ad Apostolorum limina eum direximus; quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestræ viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit, inveniat.*

4. Innocentius II. non privata authoritate, sed in Concilio Rhemensi, ubi convenerant Episcopi Galliæ & Germaniæ, anno 1131. decrevit, ut *Nullus Episcoporum* (percussorem Clerici) *præsumat absolvere, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Et in Concilio Lateranensi II. anno 1139. hoc Decretum fuit confirmatum.

5. In eodem Concilio Lateranensi II. fuit Episcopis inhibita absolutio incendiariorum, nisi sub onere determinatæ pœnitentiæ proficiscendi ad bellum sacrum. *Pœnitentia*, inquit, *detur, ut Jerosolymis, vel in Hispania in servitio Dei per integrum annum permaneat. Si quis autem Archi-Episcopus, vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab Episcopali Officio abstineat.*

6. Henricus II. Angliæ Rex Sicarios, qui D. Thomam Cantuariensem interfecerant, teste Wilhelmo Neubrigensi l. 2. c. 25. pro absolutione Romam misit, non quod Episcopi Angliæ non haberent potestatem absolvendi, sed quia suæ dignitati id consultius existimaret. *Parcendum*, inquit, *eis duxit, & tam famæ suæ, quàm illorum saluti prospiciens, Sedi eos Apostolicæ ad suscipiendam solennem pœnitentiam præsentari præcepit. Quod & factum est. Nam stimulante conscientia Romam profecti ad agendam pœnitentiam à Summo Pontifice Jerosolymam sunt profecti.*

7. Matthæus Parisiensis de Concilio Londoniensi anni 1142. scribens ait: *Nullus honor vel reverentia ferebatur Dei Ecclesiæ & ejus Ordinatis à prædonibus sceleratis; sed æquè Clerici & Laici capiebantur, & in vinculis detinebantur. Sancitum est ergo ibi, & generaliter constitutum, ne ab alio quàm à Papa possit absolvi, qui &c.* Robertus de Monte testatur, post editum hoc Decretum Clericos à violatoribus immunitatis Ecclesiasticæ aliquantulum respirasse. *Unde Clericis aliquantulum serenitatis vix illuxit.*

8. De S. Laurentio Dublinensi in Hibernia Episcopo Scriptor vitæ illius apud Baronium ad annum 1179 testatur, quod centum quinquaginta Presbyteros incontinentiæ vitio conspurcatos

catos Romam remiſerit, quamvis in ejus poteſtate eſſet, ut eos abſolveret. *Licet tanquam Archi-Epiſcopus poſſet, tamen nolebat abſolvere, ſed ad Romanam Eccleſiam abſolvendos deſtinabat.*

9. In Concilio Avenionenſi anno 1209. extat hoc Statutum Can. 13. *Contra publicè perjuros, ſeu convictos de perjurio, & eos, qui pertinaciter in excommunicatione per ſex menſes permanſerint, novum Canonem promulgamus, ſcilicet ut nulli Epiſcoporum liceat hujusmodi anathematizatos abſolvere, ſed ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Sacrilegi & incendiarii mittantur.* Huic Concilio præter Legatos Pontificios intererant Epiſcopi Provinciarum quatuor, videlicet Provinciæ Viennenſis, Arelatenſis, Ebrodunenſis, & Aquenſis.

10. Wilhelmus Altiſiodorenſis Epiſcopus, anno 1206. electus, Nobiles quosdam, rebellionis reos, ut ſcribunt S. Mathani. tom. 1. *Taliter publicam ſubire pœnitentiam coegit, hoc addito, quod ipſi Sedem Apoſtolicam pro abſolutione ſua nihilominus adirent.*

Quæritur 7. Utrum in primitiva Eccleſia in ordine ad pœnitentiam ſolennem Epiſcopis reſervati fuerint etiam actus merè interni?

Respondeo: Probabilius actus meri interni primis Eccleſiæ ſæculis non erant reſervati ad ſubeundam determinatam per Canones Pœnitentiales pœnitentiam ſolennem, ſimpliciter dictam; ſed erat Sacerdoti liberum, pro iis imponere pœnitentiam ſecretam juxta ſuam privatam æſtimationem. Ad ſummum autem ſolebant à Sacerdotibus redigi in ordinem confitentium, ſi ita pœnitenti expedire judicio privato Sacerdotis viſum fuerat. Id probatur

1. In antiquis Pœnitentialibus non reperiuntur ſtatutæ determinatæ pœnitentiæ pro actibus merè internis, authoritate Epiſcopi in Cœna Domini per reconciliationem perfectam relaxandæ. Ergo cum illis temporibus non occurrat aliud reſervationis genus vel argumentum, niſi quod pro gravioribus criminibus agenda eſſet pœnitentia ſolennis, per Canones determinata, & authoritate Epiſcopi in Cœna Domini relaxanda, ab ea reſervatione actus interni eximebantur.

2. D. Leo Epiſt. 136. reprobat quorundam Confeſſariorum conſuetudinem, quod pro peccatis occultis impoſuerint pœnitentiam, qua publicarentur delicta occulta; Ergo multo minus erant per Canones pro peccatis merè internis ſtatutæ determinatæ pœnitentiæ, ſolùm authoritate Epiſcopi in Cœna Domini relaxandæ; quia alioquin neceſſarium fuiſſet, ordinariè vel ſaltem frequenter publicari peccatum. *Illam*, inquit, *contra Apoſtolicam Regulam præſumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri; ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum conſcientiarum reatus ſufficiat ſolis Sacerdotibus judicare confeſſione ſecreta -- ſufficit illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti. -- Tunc enim demum plures poterunt ad pœnitentiam provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

3. Sozomenus l. 7. c. 16. ſcribit: *Cum confiteri peccata neceſſarium ſit, Presbyterum ſecretorum tenacem huic officio præfecerunt. Iſtud ſollicitè in Occidentalibus Eccleſiis, & maxime Romana ſervatur.*

4. Paulinus in vita D. Ambroſii ſcribit: *Cauſas criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli loquebatur. Nam circa hujusmodi homines confirmanda charitas eſt, ut confitendo ſuum alleuet delictum, nec habeat, quod adverſarius criminetur.*

Plures ejusmodi textus videri poſſunt in Demonſt. Crit. Relig. Cath. de Pœnit. Propoſ. 9. Ex omnibus autem iſtis ſequitur, quod peccato ſolùm interna non fuerint adſtricta ad pœnitentiam publicam ac ſolennem, ſimpliciter dictam, quia in ordine flentium, audientium, & ſubſtratorum conſtituti ſciebantur ſolùm collocari ob gravia crimina. Hoc ſolum concedendum videtur; peccatorum internorum reos obligatos fuiſſe ad ordinem confitentium, à quo nullus Chriſtianorum abhorrebat, cum vix ullus æſtimaret, ſe talium peccatorum internorum immunem eſſe, quæ ſemel ſaltem in vita in eum ordinem eſſent referenda; ut proin adire illum ordinem ſicut nunc adire confeſſionalia, devotionis potius, & humiliationis cenſeretur, quàm ignominiæ argumentum.

Quæritur 8. Utrum reſervetur actus externus nulli hominum notus?

Respondeo: Reſervatur actus externus, etſi nulli hominum notus ſit.

Probatur ex eo; quia in primitiva Eccleſia ad pœnitentiam ſolennem erant ſine diſcrimine reſervata homicidia & adulteria, etſi homicidia fuerint occultiſſima, & complex adulterii forte jam obiiſſet, prout in Diſput. 5. & in Demonſt. Crit. oſtenſum eſt, dummodo conditio perſonæ pateretur ſtatum pœnitentis publici.

Probatur 2. Ex variis Conciliis, quæ inter caſus reſervatos reponunt peccata occultiſſima, nulli hominum nota, prout patebit ab exemplis in Q. 9 & 10. referendis. Nec obstat, quod Sæculo duodecimo aliqui Epiſcopi tantum reſervaverint ſibi peccata publica, prout colligi videtur ex Concilio Lemovicenſi celebrato anno 1031. ubi dicitur: *Presbyteri de ignotis cauſis, Epiſcopi de notis excommunicare eſt.* Et Ratherius Epiſcopus Veronenſis in Epiſtola Synodica ad Parochos circa annum 980. dicit: *De occultis peccatis pœnitentiam vos dare poſſe ſcitote, de publicis ad nos referendum eſſe agnoſcite.* Ad hoc enim reſpondetur; hos Epiſcopos ſecutos eſſe Diſciplinam hanc, alios diverſam, prout patet ex Q. 9. præſertim Sæculo 121. ubi ceſſante pœnitentia ſolenni reſervatio ad forum internum reſtricta eſt.

Quæritur 9. Qualia habeantur reſervationem Epiſcopalium exempla in Conciliis à Sæculo duodecimo uſque ad Sæculum decimum quartum. Et qualis eo tempore circa caſus reſervatos viguerit Diſciplina?

Respondeo: A Thomaſſino l. c. citantur ſequentia reſervationem Synodalium exempla.

Primo, In Concilio Londinenſi anno 1102. Can. 28. dicitur: „Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntarie juvantes, in „hoc eodem Concilio gravi anathemate damnati „ſunt, donec pœnitentia & confeſſione abſolutionem mereantur. Et ne hujus criminis abſolutionem his, qui ſe ſub regula vivere non voverunt,

„verunt, aliquis nisi Episcopus deinceps facere „præsumat.

Secundo, Stephanus Parisiensis Episcopus anno 1129. Concilium Tom. 10. in Synodo Parisiensi hæc statuit: „Mandamus, ut nullus Presbiter hujus excommunicationis reum (homicidam, qui Thomam Priorem ad S. Victorem occiderat) ad se pro confessione venientem suscipiat, neque absolutionem hujus culpæ tribuat, „aut pœnitentiam injungat. Quia ego de toto „reatu mihi soli absolutionem & pœnitentiam reservavi.

Tertio, in Synodo Rotomagensi anno 1189. Can. 26. dicitur: „Statuimus, ut qui scienter in „foro Ecclesiastico vel sæculari falsum de cætero præstiterint juramentum in SS. Ecclesiæ læsionem, vel cujuslibet personæ exhæredationem singulis Dominicis in singulis Parochialibus Ecclesiis excommunicentur. Nihilominus „etiam excommunicentur omnes illi, qui ut „hujusmodi falsa Sacramenta præstentur, vi, „prece, vel pretio qualibet unquam occasione „procuraverint. Hujus autem constitutionis „reos nullus Sacerdotum absolvere, vel eis pœnitentiam dare præsumat, nisi fuerint in articulo mortis constituti; sed hujusmodi perjuri excommunicati ad proprios Episcopos remittantur absolvendi, & de tanto excessu graviter „puniendi, & ad eorum majorem confusionem ad „Sedem Apostolicam transmittantur.

Quarto, Odo de Sulli Episcopus Parisiensis in Synodo Parisiensi circa annum 1200. c. 6. n. 5. sic habet: „Sacerdotes majora reservent majoribus in Confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incæstum & „stupra virginum, injectiones manuum in parentes, vota fracta & hujusmodi. Sunt tria, in „quibus nullus habet potestatem absolvendi, nisi „Dominus Papa, vel ejus Vicarius, nisi in necessitate; scilicet in injectione manuum in Clericos, vel quosvis Religiosos, in incendio, qui „per sententiam sunt vocati Simoniaci. Nihilominus tamen talium rei remittendi ad Episcopum.

Quinto, Concilium Eboracense anno 1194. Can. 11. „Præcipimus, ut quilibet sacerdos ter „in anno pulsatis campanis eos excommunicet, „qui in testimoniis scienter & sponte pejerabunt, „& eos qui malitiose alios facient pejerare; eos „singulis diebus Dominicis excommunicatos denuntiet. Si verò de perjurio pœniteant, ad „Archi-Episcopum vel Episcopum, vel generalem Diœcesis Confessorem absente Archi-Episcopo vel Episcopo transmittantur, ab eo pœnitentiam suscepturi. In extremis verò laborantibus insinuanda, non imponenda est pœnitentia; eisque firmiter injungatur, ut si vixerint Archi-Episcopum vel Episcopum vel „generalem Diœcesis Confessorem absente Archi-Episcopo vel Episcopo adeant, ut eis pœnitentia injungenda sit.

Sexto, Concilium Londinense anno 1200. Can. 7. „Singulis annis in genere solenniter „excommunicentur sortiarii, perjuri supra Sacramenta, incendiarii, fures, atrociores raptores. Ita, ut qui scienter in dispendium cujuslibet pejeraverint, non absolvantur, nec eis „pœnitentia ab aliquo injungatur, nisi ab Episcopo Diœcesano, vel ejus authoritate, præterquam in articulo mortis: & tunc eis injungatur, quod ex quo convaluerint, Episcopum „adeant, ab eo vel ejus authoritate pœnitentiam „suscepturi.

Septimo, Synodus Santonensis anno 1280. Can. 14. „Sacerdotes in Confessione majora „majoribus reservantes mittant ad Episcopum „pœnitentes de homicidio & perjurio, seu fide „violata. Item de injectione manuum in parentes seu in Clericos, vel quoscunque Religiosos; „item de incendio & simonia, de litterarum falsitate, de incæstu tam naturali quàm legali, & „spirituali, videlicet qui consanguineam suam „cognovit, & qui consanguineam uxoris, & qui „consanguinei uxorem, & qui cognovit filiam „spiritualem, scilicet filiolam, vel cujus confessionem audivit. Item de lapsu carnis in masculo. Item de lapsu carnis cum brutis. Item „cum Monialibus. Item de violatione cœmeteriorum, vel Ecclesiarum. Item de hæresi, de schismate, de sortilegiis factis, de Sacramento Ecclesiæ, & omnes etiam, qui ad hoc „consilium & auxilium impenderunt. Item mittendi sunt ad Episcopum, qui abortivum „coeundo vel alio modo facere præsumpserunt, „& qui ad hoc auxilium & consilium præstiterunt. Item Clerici, qui furtum commiserunt. „Item Clerici, quocunque modo facti irregulares. Item, qui bis se permiserunt baptizari, „vel qui interfuerunt. Item, qui sine Tonsura „aliquem susceperunt. Item, qui in suscipiendis ordinibus saltem fecerunt. Item, qui quocunque modo per se, vel per alium, homicidium fecerunt, vel procuraverunt, vel judicio „sanguinis interfuerunt, & qui authoritatem, „consilium, auxilium impenderunt, vel consensum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis „vel membrorum mutilatio sequeretur, vel occasio fuerit, seu aliqua causa. Item, qui litteras dictat, scribit, aut legit, aut aliquod adminiculum præstat, ut aliquis mutiletur, vel occidatur. Item Clerici, seu presbiteri, qui in „suspensione vel excommunicatione promoti „sunt, & sic divina celebrarunt. Item Sacerdos, seu minister, cujus negligentia aliquid circa Sacramentum Altaris inhonestum quocunque modo evenerit, ad Episcopum vel ejus „Concilium sunt mittendi.

Octavo, Synodus Nemausiensis anno 1284. Can. 3. „Isti sunt Casus, in quibus pœnitentes „ad Episcopum sunt mittendi. Si quis confitebitur, se credere aliquam hæreticam pravitatem. Item Simoniacus, quocunque modo commiserit Simoniam. Item Clerici excommunicati excommunicatione majori, vel interdicti „aut suspensi, qui ante absolutionem divina officia celebrarunt, scilicet Missam cantando, „Evangelium Epistolam, vel alias Horas dicendo, faciendo principaliter officium suum in Ecclesia. Item Clerici per saltum promoti aliquo „ordine prætermisso. Item Clerici, qui ab alieno Episcopo se fecerunt ordinari, nostra licentia non obtenta. Item incendiarii. Item qui

„suos

„ suos filios occiderunt studiose, vel etiam negligenter. Item qui tractaverunt in malos usus „ Eucharistiam seu Chrysma. Item illi, qui tractaverunt facto, verbo, consensu, vel alio „ modo homicidium. Item Sacrilegi & violatores Ecclesiarum. Item illi, qui luxuriam expleverunt cum matre, sorore, vel aliqua consanguinea sua, vel uxore fratris, vel cum Sanctimoniali consecrata vel non consecrata. Item „ illi, qui in Ecclesia luxuriam commiserunt. „ Item illi, qui cum Judæa, vel Saracena, vel „ bruto animali coire ausu nefario præsumpserunt. Item mulier, quæ de adulterio concepit „ infantem, quem maritus credit esse suum, propter quem legitimi Filii fraudantur hæreditate „ paterna. Item qui cum mulieribus aliquid faciunt, propter quod fecerint abortivum, mulier etiamsi hæc fecerit, vel sibi fieri procuraverit, transmittatur. Item illi, qui contra aliquos falsum tulerint testimonium in aliquibus „ causis. Item illi qui contractis sponsalibus „ cum aliquibus præstito juramento, & non dissolutis postmodum contrahunt cum aliis sponsalia, vel matrimonium, contra juramentum „ prius temere veniendo. Item qui excommunicati vel nominatim interdicti à quocunque judice ingerunt se divinis in Ecclesia ante absolutionem invito proprio Sacerdote, nec ad „ monitionem Sacerdotis volunt exire de Ecclesia, divinum officium perturbantes. Item illi, „ qui in Cœmeterio Ecclesiastico præsumunt „ scienter excommunicatorum corpora sepelire. „ Si verò prædicti consitentes ad mandatum & „ monitionem Sacerdotis ad nos venire noluerint, in suis peccatis & duritia permanentes, & „ peccata occulta fuerint, eis à Sacerdotibus pœnitentia injungatur, & nihilominus Sacerdotes „ postmodum, cum poterunt commodè, à nobis, „ vel à Fratribus Prædicatoribus, vel Minoribus, „ super hoc habeant consilium, & requirant. Si „ autem manifestum fuerit, aliquem commisisse „ aliquod peccatum de prædictis, ad nos mittatur, nec ei ab aliquo presbytero de illo peccato manifesto pœnitentia injungatur sine nostra „ licentia speciali, nisi senex fuerit, vel corporali impedimento detentus, seu in mortis articulo constitutus. „

Nono, Synodus Lambethensis in Anglia anno 1281. Can. 8. „ Cum juxta sacros Canones „ peccata graviora, ut incæstus & similia, quæ „ vulgatissima suo scandalo totam commovent „ civitatem, sint solenni pœnitentia castiganda; „ quorundam tamen negligentia id agente hujusmodi pœnitentia videtur quasi in oblivionem „ tradita, & crevisse per consequens audacia „ hujusmodi horrenda facinora & flagitia perpetrandi. Quocirca præcipimus, ut hujusmodi „ pœnitentia solennis de cætero imponatur secundum Canonicas sanctiones. Absolutionem „ autem ab homicidio voluntario, tam publico „ quàm occulto, solis Episcopis, extra necessitatis articulum, reservamus. Per quod Minorum intendimus refrœnare audaciam, & non „ majorum reverentiæ in aliquo derogare.

Decimo, Concilium Ravennatense anno 1286. Can. 8. „ Ne ducatum præbeat cœcus cœco, ca„ sus, in quibus volumus solos adiri Episcopos, „ per hanc nostram Constitutionem Ecclesiarum „ Rectoribus nostræ provinciæ intimamus, districtè eis sub pœna excommunicationis mandantes, ne de his se ullatenus intromittant, sed illos ad suum in his Casibus Diœcesanum remittant, qui in his vel eorum aliquo eis voluerint „ confiteri. Casus autem sunt hi: videlicet, cum „ quis petit absolvi ab excommunicatione majori, „ lata vel inducta ab homine vel à jure. Item „ incendio & crimine publico; sicut in blasphemante Deum vel sanctos. Item in voto qualitercunque emisso. Et cum illis, qui filios oppresserunt ex proposito, sive casu. Et cum „ quibuslibet homicidis & sacrilegis & falsariis, „ violatoribus Ecclesiarum & immunitatum Ecclesiasticæ libertatis, & sortilegis. Item cum „ iis, qui cum brutis libidine polluuntur. Item „ cum incæstuosis & corruptoribus sanctimonialium; & in omni occupatione, usurpatione, & „ detentione rei alienæ, ubi cui restitutio fieri debeat, non inveniri potest. Item cum perjuris & „ clandestine matrimonium contrahentibus, ex „ quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri „ possit. Et in omnibus aliis criminibus, delictis „ & excessibus, in quibus de consuetudine generali vel speciali Episcopis reservatur confessio.

Undecimo, Synodus Oxoniensis in Anglia anno 1287. Can. 5. „ Si mulier est, quæ peccavit, „ quærat ab ea, utrum cum Clerico vel Laico, „ consanguineo vel affine. Si verò vir; aptas & „ consimiles de mulieribus faciat quæstiones; ita „ tamen quod majora & notoria pœnitentiario „ nostro reservet, & pœnitentem sibi transmittat „ cum litteris causam delicti & circumstantias „ ipsius continentibus.

Duodecimo, Concilium Avenionense anno 1326. Can. 37. „ Facientes conspirationes & „ attentantes excommunicationis sententiæ volumus subjacere, à qua nisi per Concilium provinciale, præterquam in articulo mortis, nullatenus absolvantur. „ Et Can. 46. „ Statuimus, „ quod singuli Episcopi, & eorum Officiales, in „ delictis remissionem faciant cum fuerint requisiti. Et si is, qui deliquisse dicitur, de Diœcesi non fuerit ejus, à quo remissio postulatur „ fieri, sufficiant solæ litteræ requirentis. Si verò de ejus Diœcesi fuerint, semiplena probatio „ sufficiat in hac parte. „ Et Can. 49. „ Abusorum „ (litteris Apostolicis ad bellum sacrum se offerentium) absolutio, Ordinario reservatur. „ Et Can. 59. „ In Casibus, ubi dispensatio vel absolutio non reperiretur in ordinatione præsentis „ Concilii Sedi Apostolicæ vel aliter reservata, „ Episcopi pro suæ discretionis arbitrio juxta negotii qualitatem & personarum conditionem „ provideant & dispensent; aut pro reconciliationis & absolutionis seu dispensationis remedio „ remittant culpabiles ad suum vel aliquem alium „ de prædictis, metropolitanum, de quo sibi magis expedire videbitur, & sicut illius saluti, de „ cujus agetur excessu pensatis tam negotii quam „ personæ circumstantiis magis crediderint opportunum. „ Et Can. 22. „ Nullus cujuscunque „ Ordinis vel Religionis seu conditionis existat, „ confitentes in cujusquam civitate vel Diœcesi,

„præter specialem vel generalem licentiam ipsius Diœcesani, de facto absolvere quemquam vel ligare præsumat in casibua eidem Diœcesano à jure, consuetudine, vel Statuto provinciali vel Synodali, specialiter reservatis. Casus verò sunt hi. In excommunicato à Canone in incendiario nondum etiam publicato, in blasphemo famoso, in votis relaxandia vel commutandis; in his quæ consueta sunt in Diœcesi Episcopo reservari, utpote in oppressione puerorum, in homicidiia, in sacrilegiis ultra decem solidoa, in violatoribus Eccleliarum, in violatoribus Ecclesiasticæ libertatia & immunitatis, in incæstu cum consanguineis & affinibus, in ascendentibus & descendentibus in infinitum, & in collateralibus usque ad secundum gradum inclusive; in carnali cognitione sanctimonialis, aut defloratione virginis violenta; in illis, qui in Ecclesia luxuriam commiserint per carnalem copulam consummatam, in restitutionibus incertis ultra 20. solidoa in una persona in clandestinè contrahentibus, in eo qui consuetus est, multo tempore usurariam pravitatem eaercere, in falso teste, in falsario litterarum vel Instrumentorum, vel subtrahente aliena Instrumenta seu delente, in falsario monetæ, in impediente legatum Sedis Apostolicæ, in proditore Domini vel patris, in hæresis sectatore, in supponente partum vel necante, vel abortivum sibi vel alii procurante, in muliere quæ ab alio quàm à marito proprio concepit infantem, quem maritus eaistimat esse suum, propter quem legitimi defraudantur hæreditate paterna; in toxicatione vel aliud mortiferum procurante, vel ministrante vel opem aut consilium adhibente, in coeunte cum Judæa vel Saracena, vel bruto econtra, in sortilegis ad quos communiter recurritur pro sortilegiis faciendia, in hia qui corpore Christi, oleo sancto, vel Chrismate abutuntur, in depopulatoribus agrorum, vinearum vel arborum, in excommunicatis, qui scienter ingerunt se divinis, & commoniti nolunt Ecclesia eaire, divinum officium perturbantes, in illia qui scienter eacommuniatorum corpora recipiunt ad Ecclesiasticam sepulturam, vel consepelirent ibi contra parochialis presbyteri voluntatem, in illis qui scienter celebrant in Ecclesia interdicta.

Decimo tertio, Concilium Arelatense, quod compilatores Conciliorum conjecerunt ad annum 1260. Can. 1. „Quia propter imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam aliquando per villas & oppida consueverunt pœnitentiarios suoa in Quadragesima destinare, ut eos à Casibus, qui Majoribus reservantur, absolvant, frequenter accidit, ut magna pars Christianorum occasione hujmodi pœnitentiariorum propriis Sacerdotibus super confessionibus illudant, asserentes, se dictis Pœnitentiariis fuisse confessos, cum tamen per hujmodi confessores via aut nunquam possit, par: populi modica suorum peccatorum confessionibus generaliter expediri. Ut ergo de cætero populares occasiones hujusmodi frivolas non prætendant, inhibemus, ne confessores hujusmodi, qui mittuntur solummodo ad prædicta, per villas & parochias Diœcesis discurrentes, generalibus parochianorum confessionibus audiendia se occupent, nisi de mandato Prælati, & licentia Curati, generalibus confessionibus audiendia se duxerint occupandoa; sed eoa ad proprios remittant Sacerdotes, & Casibus, pro quibus mittuntur, pœnitentes absolvant, ne ipsi parochiani mandatum de confitendo saltem semel in anno propriis Sacerdotibus simulatoriè & dolose se gaudeant evasisse. Nec prælati super casibus sibi reservatis ad parochianos suos Pœnitentiarioa destinent, nisi ad eoa, qui commode Prælatos suoa adire non possunt.

Decimo quarto, Concilium Nicosiense, seu Nimociense anno 1298. Can. 4. „Statuimus, sicut hactenus observatum est, quod majora peccata ad Archi-Episcopum, & Episcopoa in suis Diœcesibus reserventur, ut sunt homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incœstus, ut est cum consanguineis vel monialibus commisceri, stupra virginum, injectiones manuum in parentes, suffocationes parvulorum, perjuria, incendia, restitutio ablatorum, & illegitimè aquilitorum, falsarii Episcopalis Sigilli seu ejus curiæ, defloratores virginum, stupratores viduarum, raptores mulierum, votorum fractores, venefici, qui in mortem conjugis est machinatus, luauriam in Ecclesia committena, coiens cum Judæa vel Saracena, coiens cum ea quam baptizavit, vel cujus confessionem audivit, celebrana in altari non consecrato, vel sine sacris indumentis; celebrans non jejunus.

Quæritur 10. Qualis circa Casus reservatos viguerit disciplina in nostra Diœcesi Augustana à Sæculo decimo quarto usque ad Sæculum decimum septimum?

Respondeo: Ab anno 1355. usque ad annum 1524. erat in nostra Diœcesi ferme eadem observantia, quæ prioribus duobus sæculis elucescit ea Conciliia proximè adductis, ut nempe universim omnia *majora* crimina reservata essent Episcopo, ita ut discretioni Confessariorum præter nonnulla peccata determinatè expressa relinqueretur, quænam crimina in *majora* referenda essent. Verum, prout constanter observare licet, quod Romanus Pontifex semper correxerit Leges Conciliorum particularium, quando eorum Leges rationi, aut pietati divinæ, aut institutioni divinæ videbantur minus congruere, ita etiam per Laurentium Campegium, suum Legatum, in Comitiia Ratiabonensibus, ubi præter plures alios Episcopos etiam intererat Episcopus Augustanus, decrevit, ut de cætero pro Laicis tantum trea casus reservarentur, nempe homicidium, hæresis, & omnis eacommunicatio major. Hæc Lex postmodum retenta est ab Episcopis Augustanis in Rituali Augustano 1580, & in Synodo Augustana 1610. Hæc omnia probantur sequentibus documentis.

Primò Synodua Augustana, celebrata sub Friderico Episcopo anno 1355. titulo, *de Confessionibus audiendis*, sic habet: „In satisfactionibus injungendis, MAJORA MAJORIBUS observent. In minoribus autem secundum quantitatem culpæ & qualitatem delinquentium se te-

„ncant,

„ neant, atque regant. -- Ut autem sciant Sacer-„ dotes in pœnitentiis & satisfactionibus injun-„ gendis, quod vel quid ad eos spectare noscatur, „ & qui (casus) Episcopis vel eorum Superiori-„ bus reservantur, noverint universi, quod hæc „ sunt, ad quæ simplices Sacerdotes nullatenus „ manus extendere debent, ut nullum unquam „ absolvere audeant majoris excommunicationis „ vinculo irretitum, præterquam in mortis arti-„ culo; beneficium possidentem contra Sanctio-„ nes Canonicas; & qui manus in Clericum & re-„ ligiosam personam injecerit; irregularem, in-„ cendiarium, blasphemum Christi nominis, & „ Sanctorum; falsum testem, perjurum, parrici-„ dam, homicidam, sacrilegum, falsarium Litte-„ rarum Papæ vel Episcopi, vel ejus Officialis, „ vel Judicum aliorum, violatorem libertatis Ec-„ clesiasticæ, sortilegum, incæstuosum, peccan-„ tem contra naturam, corruptorem sanctimo-„ nialium, qui tenetur ad vagas restitutiones, „ scienter ferentes iniquas sententias, oppressio-„ rem filiorum, fractorem seu violatorem voti, „ Simoniacum in Ordine vel in beneficio; & „ quemvis alium criminibus enormibus irretitum; „ sed ipsos nobis absolvendos transmittant, ut di-„ sponamus de ipsis, prout juris fuerit, & conso-„ num rationi.

Secundò. Synodus Augustana, celebrata anno 1452. à Petro, Episcopo Augustano & S. R. E. Cardinale, Can. 28. „ In satisfactionibus in-„ jungendis, MAJORA MAJORIBUS, observe-„ tur. Et Can. 30. Ut autem Sacerdotes sciant „ in pœnitentiis & satisfactionibus injungendis, „ quæ ad ipsos spectare noscantur, noverint, „ quod hæc sunt, ad quæ simplices Sacerdotes „ manus extollere nullatenus debent ut nul-„ lum absolvant excommunicationis sententia ir-„ retitum, præterquam in articulo mortis; bene-„ ficium possidentem contra Canonicas Sanctio-„ nes; & qui manus in Clericum vel religiosam „ personam injecerit, irregularem, incendiarium, „ blasphemum Christi & Sanctorum, falsum te-„ stem & perjurum, parricidam, & homicidam, „ sacrilegum, incæstuosum, peccantem contra na-„ turam, corrumpentem sanctimonialem, qui te-„ netur ad vagas restitutiones, scienter ferentes „ iniquas sententias, oppressiones filiorum, fra-„ ctionem seu violationem voti, Simoniacum in „ Ordine vel Beneficio, & quemvis alium crimi-„ nibus enormibus irretitum, sed ipsus nobis ab-„ solvendos transmittant, ut disponamus de ipsis, „ prout juris fuerit & consonum rationi.

Tertiò. Laurentius Campegius, S. R. E. Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus à Latere per Germaniam, anno 1524. in *Constitutione pro reformatione Cleri edita*, sic scribit: „ Communicatis „ consiliis cum Ferdinando, Archi Duce Au-„ striæ, Imperiali Locumtenente, concordi sen-„ tentia particularem Conventum in Civitate Ra-„ tisbonæ convocare decrevimus; in quo unà „ nobiscum interfuerunt præfatus Ser.mus Archi-„ Dux; RR.mus Matthæus, S. R. E. Cardinalis, „ Archi-Episcopus Salisburgensis, Ill.mi Wilhel-„ mus & Ludovicus Palatini Rheni, Duces in Su-„ periori & Inferiori Bavaria, Bernardus, Episco-„ pus Tridentinus, Joannes, Administrator Ec-„ clesiæ Ratisbonensis, Nuntii sive Oratores o-„ mnes cum pleno mandato Vigandi, Episcopi „ Bambergensis, Georgii, Episcopi Spirensis, Wil-„ helmi, Episcopi Argentinensis, Christophori, „ Episcopi Augustensis, Hugonis, Episcopi Con-„ stantiensis, Christophori, Episcopi Basileensis, „ Philippi, Episcopi Frisingensis, Ernesti, Admi-„ nistratoris Ecclesiæ Pataviensis, & Sebastiani, „ Episcopi Brixinensis. -- Itaque infra scriptos „ reformationis Clericorum modos statuere ne-„ cessarium duximus. -- Quocirca Authoritate „ Apostolica Statuta per nos edita omnibus & „ singulis Archi-Episcopis, Episcopis, Abbati-„ bus, &c. & Clericis in universa Germania resi-„ dentibus perpetuis temporibus inviolabiliter „ observari volumus. -- Porro ne (Presbyteri) „ videantur pecuniæ aucupium magis, quam sa-„ lutis animarum studium amplecti, dum Laicos „ graviora delicta confessos hinc inde remittunt „ non sine famæ rerumque dispendio, constitui-„ mus & ordinamus, ut deinceps quilibet confes-„ sor absolvere possit Laicos contritos & con-„ fessos, à quibuscunque peccatis occultis, quan-„ tumcunque gravibus & enormibus, quæ Ordi-„ narii suæ authoritati reservaverant, exceptis „ duntaxat homicidis, hæreticis, & excommuni-„ catis, ad Episcopum vel ejus Vicarium mitten-„ dis. Quo autem ad Clericos, nihil quoad hoc „ Statutum intelligatur innovatum.

Quartò. Synodus Augustana sub Othone Episcopo & Cardinale anno 1548. Can. 19. „ Ne „ Ecclesiarum Rectores videantur pecuniæ magis „ quàm animarum saluti studere, statuimus & or-„ dinamus, ut deinceps quilibet Confessor ido-„ neus Laicos contritos & confessos ab omnibus „ peccatis occultis, quantumcunque gravibus & „ enormibus, nobis tanquam Ordinario ante re-„ servatis, absolvere possit, homicidis, hæreti-„ cis, & excommunicatis, quos ad nos, vel Pœ-„ nitentiarium nostrum remitti volumus, dunta-„ xat exceptis. Quod ad Clericos attinet, in hac „ parte nihil esse volumus innovatum. „ Hæc Constitutio ostendit; Episcopos Augustanos statim recepisse Statutum Laurentii Campegii Cardinalis prius relatum.

Quintò. Rituale Augustanum, editum anno 1580. authoritate Marquardi, Episcopi Augustani, ubi agit de Casibus reservatis, sic habet: „ Animadvertat Confessarius, rectè & utiliter fa-„ ctum & in Ecclesia constitutum esse, ut cuncti „ Sacerdotes quoslibet à quibuslibet criminibus „ & excessibus absolvere non possint, nec de-„ beant, sed quosdam Casus jam olim exceptos „ esse, quorum cognitio & absolutio majoribus „ Prælatis & ordinariæ ipsorum jurisdictioni re-„ servaretur. Unde Casus Episcopo reservati se-„ cundum veteris juris dispositionem hi sunt. „ Clericus per saltum, ut vocant, ad sacros Or-„ dines, vel ab alieno Episcopo sine dispensatio-„ ne promotus. Sacerdos in Altari non conse-„ crato vel absque sacris indumentis, vel alio-„ quin non jejunus, Missam celebrans. Commit-„ tens fornicationem cum filia à se prius baptiza-„ ta, vel ad confirmationem adducta, vel cujus „ confessionem audivit, vel cum quavis persona „ religiosa, Judæa vel infideli. Virginem vi con-„ stu-

„ stuprans, vel post votum simplex castitatis e„ missum contrahens matrimonium. Homicida „ voluntarius, adulter, sacrilegus, incæstuosus, „ cum bestiis abominationem faciens, in templo „ peccatum luxuriæ committens, perjurus, rei „ magicæ studiosus, falsum dicens testimonium, „ falsarius. Parens filios opprimens, aut quæ„ cunque persona in se vel aliis procurans abor„ tum & sterilitatem, Sacerdos absolvens excom„ municatum majore, ut vocant, excommunica„ tione, vel hæreticum sine speciali commissione, „ vel sepeliens usurarium manifestum. --- Ha„ bent Parochi & Confessarii hujus Episcopatus „ Augustensis, cum sunt ab Episcopo approbati, „ in dictis casibus, qui olim Episcopo reservaban„ tur, potestatem suos subditos absolvendi. Exci„ piuntur interim voluntarii homicidæ, deinde „ hæretici, sive Schismatici, & postremo majoris „ excommunicationis vinculo innodati. Cum „ autem hi postremi ad confessionem veniunt, & „ beneficium absolutionis petunt, suaviter illis „ consulat & persuadeat Confessarius, ut absolu„ tionem petant à Superiore, aut qui ab eo fa„ cultatem habet. Caveat Confessarius, ne sit „ nimis facilis & liberalis circa dictos casus (jure „ antiquo) Episcopo reservatos, sed exaggeret „ confitenti crimen, si forte ipse non satis illud „ ponderat, & graviorem illi pœnitentiam injun„ gat, cautioremque reddat imposterum, ut Ec„ clesiasticæ Disciplinæ vigor non omnino dissol„ vatur, & fructus pœnitentiæ digni, quoad fieri „ potest, pro debita personæ, loci, & temporis „ ratione, aliqua ex parte obtineantur. --- Con„ fessarius hanc sibi potestatem nullo modo su„ mat ac arroget, ut hæreticum, schismaticum, „ homicidam voluntarium, vel in majore ex„ communicatione constitutum absolvat, nisi po„ testatem habeat prius sibi mandatam atque com„ missam, vel delegatam à Superiore, sicut à Sum„ mo Pontifice tempore plenarii Jubilæi, in foro „ scilicet interiore tantùm, vel ab Episcopo suo „ Ordinario, ejusque Vicario vel Officiali, sive „ ab alio Judice competenti. Secundò caveat „ excedere limites & formam mandati, sive „ commissionis, quam super absolvendo accepit, „ ne alioquin & se & pœnitentem miserè fallat, & „ absolvendo frustra laboret. -- Ubi in foro con„ scientiæ fit absolutio, sufficit, ut absolvens au„ thoritatem & rectam absolvendi intentionem „ habeat, atque ita dicat: Ego te absolvo ab ex„ communicatione majore in nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus Sancti.

Sextò. Henricus, Episcopus Augustanus, in Synodo Augustana celebrata anno 1610. ac dein in Statutis Synodalibus editis Dillingæ eodem adhuc anno, & denuo recusis anno 1696. part. 2. c. 7. n. 9. 10. & 11. sic decernit: „ Ne multitu„ dine Casuum reservatorum peccatoribus ni„ mium difficilis reddatur pœnitentia, atque ab ea „ fortasse retrahantur, id Parochis omnibus per „ Diœcesin nostram constitutis & Confessariis a„ liis approbatis permittimus, hancque illis pote„ statem jam ante ab Antecessoribus nostris (O„ thone & Marquardo) concessam confirmamus, „ ut quoscunque Laicos contritos & confessos, à „ quibuscunque peccatis occultis, quantumvis „ gravibus, quæ alioquin authoritati nostræ or„ dinariæ reservarentur, possint absolvere, tribus „ duntaxat exceptis, nimirum homicidio volun„ tario, hæresi, & omni majori excommunicatio„ ne, quorum absolutionem solis Nobis, Vicario „ Generali, & Pœnitentiario nostro reservamus. „ Pro Clericis autem sæcularibus ultra tres illos „ casus superiore Canone expressos, volumus et„ iam præsenti Decreto reservare sequentes. In„ cæstum cum Moniali professa, & cum consan„ guinea vel affine in primo & secundo gradu: „ Veneficium, incantationes magicas, & malefi„ cium, Sanctæ Eucharistiæ, Sacrarum Reliquia„ rum, vel Sacræ Scripturæ abusum ad exerci„ tium magiæ; violationem Sigilli Confessionis „ Sacramentalis. Quare qui ex numero Clerico„ rum aliquod horum peccatorum, quantumcun„ que occultè admiserit, absolutionem à Nobis, „ Vicario nostro Generali, vel Pœnitentiario pe„ tere debebit. Porro peccata annexam haben„ tia excommunicationem, Summi Pontificia, vel „ nostræ tanquam Ordinarii absolutioni reserva„ tam, multa sunt, quorum præcipua in Bulla „ Cœnæ Domini referuntur, de quibus, ut & de „ reliquis expedit legi Navarrum in Manuali c. 27. „ Toletum l. 1. Instruct. Sacerd. c. 18. & inseque„ tibus. Directorium Joannis Polanci. Summam „ Fumi, & aliorum Summistarum, Verbo, Ex„ communicatio, Franciscum Suarez de Censu„ ris.

Septimò. Rituale Augustanum, editum post præfatam Synodum anno 1656. ab Administratore Episcopatus, & recusum anno 1688. Casus reservatos diverso modo ponit, quàm erant determinati in Synodo, neque in Præfatione ulla redditur hujus mutationis ratio. In primis enim omittit Casum hæresis. Secundò in casu reservato Excommunicationis majoris addit, *non reservatæ Pontifici.* Tertiò, in Casibus reservatis *pro Clericis* omittit, *Sæcularibus*, ut in ambiguo relinquat, an comprehendat etiam Regulares Episcopo subditos. Cum tamen certum sit, & ex Actis Synodalibus Manuscriptis probari possit, Prælatos Regularium post præfecta Statuta Synodalia porrexisse Episcupo supplicationem, in qua inter alia petierunt, ne Regulares comprehendantur Casibus reservatis; quibus Episcopus respondit, huic petitioni jam provisum esse. Cæterùm Ritualis verba sunt ista: „ In hac Augu„ stana Diœcesi, ne multitudine Casuum reserva„ torum pœnitentia, & in Ecclesia Dei usitata „ peccatorum confessio onerosior & difficilior red„ datur, quod jam olim permissum fuit, id nunc „ denuò permittitur omnibus Parochis & Con„ fessariis approbatis, ut à quibuscunque Casibus „ Episcopalibus quosvis Laicos sibi subditos rite „ confessos & pœnitentes absolvere possint. Ex„ ceptis duntaxat homicidiis voluntariis, & ma„ joris excommunicationis, aliàs de jure Summo „ Pontifici non reservato, vinculo innodatis. -- „ Ultra nominatos casus reservati sunt etiam in „ novissima Synodo pro Clericis hujus Diœcesis „ ejusmodi committentibus, sequentes: Concubi„ tus cum Moniali professa, cum cognata vel affine „ in primo & secundo gradu, Veneficium, Incan„ tationes Magicæ, Maleficia, abusus SS. Eucha„ ristiæ

„ ristiæ & Sacrarum Reliquiarum ad artes magi-„ cas, violatio Sigilli Confessionis Sacramentalis. Ita præfatum Rituale, quod ubi videtur variare à Statutis Synodalibus, haud dubiè juxta eadem Statuta explicandum, vel ad ea revocandum est.

QUÆRITUR 11. Quid circa Casus reservatos decreverit Concilium Tridentinum?

RESPONDEO: Concilium Tridentinum anno 1551. Seff. 14. Can. 7. declarat tria. 1. Episcopis in sua Diœcesi, Summo autem Pontifici in tota Ecclesia competere potestatem reservandi graviora crimina ex ordinatione divina. 2. eam potestatem Episcopis competere præsertim circa crimina, quibus censura excommunicationis annexa est. 3. eam reservationem nullam esse in articulo mortis; sic habet: *Quoniam natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ authoritati non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Videri etiam potest Can. 11. in eadem Seff. ubi fuit definitum, *Episcopos habere jus reservandi sibi casus.*

QUÆRITUR 12. Quid circa potestatem absolvendi à casibus reservatis statutum fuerit à Concilio Tridentino?

RESPONDEO: Concilium anno 1563. in Seff. 24. Can. 6. declarat; Episcopis permissum esse, ut absolvant ab omnibus peccatis occultis Sedi Apostolicæ alioquin reservatis, etiam à crimine hæresis; sic habet: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum.*

QUÆRITUR 13. An hæc potestas Episcoporum absolvendi ab hæresi occulta fuerit Episcopis restricta per Bullam Cœnæ?

RESPONDEO: In hac quæstione duas esse sententias. Prima affirmat; eam potestatem ademptam fuisse Episcopis per Bullam Cœnæ. Secunda id negat. Utraque pro se numerat authores non paucos, nec levis Authoritatis.

Primam propugnat Barbosa de officio & potestate Episcopi p. 2. alleg. 40. ubi pro se enumerat authores multos. Fundamenta illius sunt 1. quia in Bulla Cœnæ §. 22. continetur hæc clausula: *A prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem absolvi possit etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, etiam Episcopali Dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, Monasteriis, Confraternitatibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem ac cujusvis Concilii Decreta in genere & in specie concessorum.* 2. quia extant pro ea sententia plures declarationes Cardinalium, & vivæ vocis oracula à Summis Pontificibus edita. 3. quia ea est praxis Episcoporum etiam in Germania & Belgio, & nonnullorum etiam in Gallia, prout patet ex l. *Conference d'Anjou*, ubi refertur, tres Episcopos simul petiisse Roma eam licentiam, absolvendi ab hæresi occulta. 4. quia ab Alexandro VII. damnata est hæc propositio ordine tertia: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. visa & tolerata est.*

Secundam sententiam propugnant non minus celebres Authores, Navarrus, Em. Rodriguez, Fagundez, Thomas Sanchez, Layman, Gutierez, Henriquez, Bannez, Aragonius, Sa, Cevallos, Vela, Angles, Campegius, Barth. Ledesma, Llamas, Cataneus, Gomez, Vivaldus, Petrus Ledesma, Vega, Portelus, Crousers, Puteanus, Diana, Layman, Gobat, Engel, P. Pichler l. 5. Tit. 7. n. 20. & alii. Fundamentum præcipuum hujus sententiæ est; quia est incredibile, S. Pium V. & Gregorium XIII. vixdum finito Concilio Tridentino voluisse abolere Jus Episcopale tam insigne, à primis temporibus Ecclesiæ semper Episcopis proprium, novissimè ante Tridentinum à Laurentio Campegio Cardinale in Conventu Ratisbonensi anno 1524. Episcopis Germaniæ assertum, & in ipso Concilio Tridentino tam solenniter declaratum. 2. Eo ipso tempore, quo S. Pius V. & Gregorius XIII. Bullam Cœnæ edidit, versabatur Romæ Otho Truchsessius, Cardinalis & Episcopus, videlicet ab anno 1568. usque in annum 1573. quo tempore scripsit Rituale Augustanum, postmodum ab ejus successore editum anno 1580. In hoc Rituali Augustano præfigitur Bulla Cœnæ edita à Gregorio XIII; recensentur etiam Casus Papæ reservati, inter quos ponitur: *Qui aliquo externo signo suam hæresin prodit, aut hæreticis ab Ecclesia damnatis circa suas perversas opiniones favet, eosque defendit.* Et tamen immediatè dein inter Casus Episcopales subjunguntur *hæretici sive schismatici.* Ergo supponen-

 dum

dum est, aut Bullam Cœnæ in hoc puncto noluisse derogare Decreto Concilii Tridentini quoad Episcopos ultramontanos, & hoc ex vivæ vocis oraculo vel ex aliqua declaratione Cardinalium, præsertim Caraffæ Cardinalis, de qua infra dicetur ex Rodericio, constitisse Othoni Truchsessio, aut certè Summos Pontifices, S. Pium V. & Gregorium XIII. in hoc puncto noluisse urgere extensionem præfatæ Bullæ ad Episcopos ultramontanos, & hoc Othonem Truchsessium ex ore Summi Pontificis intellexisse. 3. Cùm anno 1601. Paulus V. per S. Congregationem Episcoporum & Regularium Episcopis Italiæ præciperet: *Ne sibi superfluè reservent Casus in Bulla Cœnæ contentos, neque alios Sedi Apostolicæ reservatos*, nihilominus HENRICUS, Episcopus Augustanus, inter Casus ab Episcopo Augustano reservatos in Synodo anno 1610. reponit *hæresin* tanquam Casum distinctum ab omni excommunicatione majore. Ergo cum supponi non possit, Episcopum tam eruditum, ac ipse erat, & totam Synodum voluisse casum Summo Pontifici reservatum reservare *superfluè*, præsumendum est, Henricum Episcopum, & Synodum tacitè assentiente Sede Apostolica Decreto Concilii, & Constitutionibus Laurentii Campegii, authoritate Apostolica Ratisbonæ pro Episcopis Germaniæ editis, etiamnum institisse. 4. Episcopi Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ finito Concilio Tridentino statim ad praxin deduxerunt Decretum Concilii circa absolutionem, ab hæresi occulta; neque constat, eos propterea à Sede Apostolica fuisse admonitos, aut specifica mentione Concilii Tridentini meliora edoctos. Ergo præsumendum est, Summos Pontifices in Bulla Cœnæ ad Concilium Tridentinum vel non respexisse, vel ejus limitationem ad ultramontanos non extendisse. De Praxi Episcoporum Galliæ testatur Pontasius V. *Casus reservati* Casu 3. & Cabassutius in *Theoria Juris* l. 5. c. 15. n. 8. de Episcopis Hispaniæ idem scribit Emman. Rodriguez Quæst. Reg. Tom. 1. q. 20. a. 10. his verbis: *Secundum aliquos facultas concessa Episcopis à Concilio Tridentino ut possint absolvere suos subditos à crimine hæresis occulto, sublata est per processum Bullæ Cœnæ, à Gregorio XIII. publicatum. Ego nunquam mihi potui persuadere, talem authoritatem ipsis esse ablatam respectu absolutionis ab hæresi. Nam Concilium Tridentinum restituit Episcopis sublatam olim jurisdictionem, quam habebant jure communi, aut divino secundum quosdam, sed restringibilem à Papa & subordinatam. Episcopi enim, nisi expressè limitentur, habent pro subditis, quidquid habet Papa pro tota Ecclesia -- Nec in illa Bulla Cœnæ videmus expressè & specialiter hoc Decretum* (Tridentini) *derogari. Et ita tenet Henriquez, affirmans, eam tenere opinionem modo multos Jurisperitos, & Theologos, videlicet Pennam, Medinam, & Gallum de familia Prædicatorum, eam tenuisse, & doctissimum D. Sanctium Episcopum Segoviensem, & D. Querrerum Archi-Episcopum Granatensem, & D. Blancum Archi-Episcopum Compostellanum hujus etiam fuisse opinionis affirmat. Qui Reverendissimi Præsules magnam habent in hoc authoritatem tum propter eorum singularem doctrinam & sanctitatem, tum quia, ut Patres Ecclesiæ, interfuerunt Concilio Tridentino. Refert etiam, Doctorem Moyam, & Doctorem Solis, primarios Salmanticenses, hujus fuisse opinionis. Refert etiam, quod Illustrissimus Cardinalis Carraffa, nomine Congregationis Cardinalium ita rescripsit ad D. Christophorum Vela, Archi-Episcopum Brugensem.* Ita Rodriquez. Hinc & Navarrus Tom. 2. Conciliorum l. 5. c. 11. observat praxin Episcoporum absolvendi ab hæresi occulta jam invaluisse post Tridentinum in Hispania, quæ observantia ob declarationem Rotæ Romanæ oppositam ipso Judice non facile mutabitur. 4. Datur convenientia intrinseca tam magna, ut potestas hæc relinquatur Episcopis, ut præsumendum non sit, Summos Pontifices sine necessitate extraordinaria illam præteriisse. Ex hac enim potestate, quam Laurentius Campegius asseruit Episcopis Germaniæ, & Concilium Tridentinum omnibus Episcopis, conservatur perpetuitas uniformis Disciplinæ Ecclesiasticæ circa Sacramentum pœnitentiæ. Sicut enim in primitiva Ecclesia reservabatur Episcopis homicidium, idololatria, & mœchia seu quodvis grave crimen, per Canones Pœnitentiales subjectum excommunicationi à communione Fidelium in precibus communibus; ita, postquam extincta idololatria huic flagitio substitui cœpit hæresis, manifestum est, in his tribus casibus reservatis, *homicidio, hæresi*, & *omni excommunicatione majore* relucere invariatam disciplinam in materia pœnitentiæ. Quam pretiosa autem gemma Ecclesiæ sit hæc uniformitas, nemo est, qui ignoret. 5. Si in hoc puncto Summi Pontifices derogare voluissent Decreto Concilii Tridentini receutissimè edito, assignassent necessariam aliquam tantæ mutationis causam, & expressius indicassent variationis objectum. Sic enim etiam Sixtus V. ubi in materia particulari circa susceptionem & collationem Ordinum statuit casum reservatum Pontifici, qui in Tridentino non fuerat reservatus, expressè addidit; *etsi Episcopis aliàs competat potestas absolvendi à peccatis occultis*; quibus verbis manifestè se refert ad Tridentinum. Ergo ad præcavenda dissidia idem decuisset, ubi agebatur de abrogando jure tam universali & tam pretioso omnium Episcoporum totius Ecclesiæ. 6. Bulla Cœnæ cum iisdem derogationibus circa Episcopos est antiquior Sæculo 16. & Concilio Tridentino; & tamen hoc non obstante Laurentius Campegius Cardinalis, Legatus à Latere, in Conventu Ratisbonensi 1524. authoritate Apostolica declaravit, Episcopis Germaniæ esse reservatam hæresin. Ergo nec Bulla Cœnæ post Concilium Tridentinum voluit Episcoporum potestati derogare. *Antecedens patet* ex Bulla Cœnæ edita à Paulo III, in quam Commentarios scripsit Rebuffus jam anno 1537, id est, octo annis ante Concilium, in qua sic habetur: *Consueverunt Romani Pontifices, Prædecessores nostri arma justitiæ in hac celebritate exercere. Nos vetustum hunc morem sequentes excommunicamus Wicleffitas, Hussitas, Lutheri hæresin sequentes, & quoslibet alios hæreticos, quocunque nomine censeantur, & libros Martini aut aliorum ejusdem Sectæ legentes, aut defendentes publicè vel occultè -- non obstantibus quibuscunque privilegiis, & indulgentiis, ac Litteris Apostolicis eis vel alicui cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Pontificali, Imperiali, Regali, Reginali &c. perfulgeant dignitate, à prædicta*

ita Sede sub quavis forma concessis, quod excommunicari non possint. -- A quibus sententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum quibusvis personis cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut status fuerint, etiamsi ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, Reginali, vel alia præfulgeant dignitate, Religiosis, Collegiis, Hospitalibus, Confratriis, &c. concessarum à nobis vel prædicta Sede, & quas concedi contingeret in futurum, vel concedendarum. Ita sonat Bulla Cœnæ edita ante Concilium Tridentinum, quæ tamen solùm promulgabatur Romæ, prout patet ex Rebuffo, qui in suo Commentario supra hanc Bullam sic scribit: *Requisitus fui à bene multis, Casus, qui in Bulla Cœnæ reservantur, cum in omnibus fere Indulgentiis solent excipi, patefacerem. Quapropter Bullam à S. D. N. Papa Paulo III. summis cum laboribus & precibus obtinui.* Verum post Concilium Tridentinum S. Pius V. anno 1568. suam Bullam Cœnæ per totam Ecclesiam promulgavit, prout testatur Laderchius in Continuatione Annalium Baronii ad annum 1568. n. 20. Cæterùm in ea Bulla S. Pii V. & Gregorii XIII. circa ultima verba Bullæ prorsus nihil mutatum legitur, nisi quod post illa verba: *Hospitalibus, Confratriis, &c. concessarum* legantur ista: *Per nos & dictam Sedem ac cujusvis Concilii decreta in genere & in specie* concessarum. Liceret proin sic discurrere. Si Summus Pontifex ante Concilium Tridentinum per Bullam Cœnæ, licet omnes Episcopos totius orbis obligaverit, prout constat ex tenore Bullæ, noluit Episcopis tollere jus absolvendi ab hæresi occulta prætextu facultatum concessarum à Sede Apostolica, etiam id noluit prætextu facultatum concessarum à Conciliis; cum utique Summus Pontifex non tribuat majorem authoritatem Conciliis, quàm Sedi Apostolicæ. 7. Pro conservatione Juris Episcopalis circa absolutionem ab hæresi occulta dantur plures declarationes Cardinalium, prout constat partim ex testimonio Rodericii superius adducto, partim ex relatione P. Milante, proximè recensenda. 8. Hæc sententia etiamnum habet graves authores, quod ostenditur ex testimonio P. Milante proximè recensendo.

Ad Fundamentum primum primæ sententiæ respondet secunda sententia 1. ibi tantùm agi *de facultatibus & indultis pœnitentium*, ut ab excommunicationibus Papalibus quibuscunque per quemvis alium Confessarium approbatum absolvi possint; non verò agitur de facultatibus & indultis absolventium. 2. potest dici, in Bulla Cœnæ, dum directè revocantur *facultates & indulta* pœnitentibus concessa, indirectè etiam revocari *facultates & indulta* Confessariis à Papa vel Conciliis concessa, non tamen revocari potestatem absolvendi, quæ *per se ex officio* Personis Ecclesiasticis competit sine facultate aut indulto speciali, à Sede Apostolica vel à Conciliis concessa; qualis est potestas Episcoporum absolvendi suos subditos à quibusvis criminibus pro foro interno; ut pote non *concessa* Episcopis à Concilio Tridentino, sed *declarata*, *asserta*, & *agnita* tanquam per se & ex officio Episcopis competens, prout patet ex Seff. 14. Can. 7. ubi dicitur: *Meritò Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua Diœcesi liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* 3. Etsi in Bulla Cœnæ omnibus etiam Episcopis adempta foret potestas absolvendi ab hæresi, id tamen explicari posset de *hæresi publica* deducta jam ad forum contentiosum, vel saltem externum in ordine ad emendationem & correctionem fraternam, prout in primitiva Ecclesia graviora crimina denuntiabantur Ecclesiæ seu Episcopo immediato, sicut ostendi in Demonst. Crit. de pœnit. & supra Disput. 6. non de *occulta*, quæ per se de jure communi reservata est Episcopis ex duplici capite; primò quidem ob gravitatem criminis, secundò ob annexam in Bulla Cœnæ excommunicationem, quæ etiam fertur in hæreticos occultos, ita tamen, ut licet feratur excommunicatio in hæreticos occultos, absolutio tamen ab hac sententia excommunicationis tantùm reservetur Summo Pontifici *soli* quoad hæresin publicam. Ea explicatio videtur fundari in Bulla edita à Sixto IV, ubi licet indiscriminatim excommunicentur omnes hæretici, etiam occulti, absolutio tamen ab ea excommunicatione *soli* Papæ reservatur tantùm quoad hæresin publicam jam deductam ad forum contentiosum, vel saltem denuntiatam pro emendatione in ordine ad forum internum.

Bulla Sixti IV. edita anno 1479, quæ refertur per extensum à Rebuffo, sic habet: *Statuimus, quod de cætero prætextu facultatum concessarum à nobis, vel authoritate nostra, & quas concedi continget in posterum, etiam in favorem Fidei & Cruciatæ, nullus Confessorum quempiam, cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existat, & quacunque Ecclesiastica etiam Episcopali, vel majori, aut mundana, etiam regali & majori præfulgeat dignitate, qui offensæ Ecclesiasticæ libertatis, violationis Interdicti ab eadem Sede impositi, seu hæresis, postquam fuerint de ea sententialiter condemnati, delati, seu publicè diffamati --- & generaliter in casibus contentis in Litteris, quæ consueverunt in die Cœnæ Domini publicari, prætextu hujusmodi facultatum absolvere, nisi speciali licentia nostra, &c.* Datum Romæ 1479. 3. Kal. Jan. Ex hac Bulla clarum est; sæculo decimo quinto excunte hæresin occultam non fuisse Sedi Apostolicæ reservatam, etiamsi cæteroquin à privilegio absolutionis impertiendæ vel accipiendæ excludantur omnes Confessarii etiam in Episcopali Dignitate constituti. Itaque cum in Bulla Cœnæ edita à S. Pio V. & Gregorio XIII. cæteroquin recurrant ferme iidem termini, nisi quod illis verbis: *à nobis concessarum*, interserantur ista: *vel per cujuscunque Concilii Decreta*, etiam præsumendum est, eundem esse sensum. 4. dici posset; per hos terminos; *cujuscunque Concilii*, intelligi Concilium Basileense, vel Pisanum, in quibus ejusmodi facultates absolutionis impertiendæ vel accipiendæ etiam ab hæresi publica, & aliis criminibus publicis, liberalissimæ indultæ, prout ex Actis horum Conciliorum constat, non verò Concilium Tridentinum, quod nullam ejusmodi facultatem ulli hominum contulit, sed tantùm

tantùm eam, quæ Episcopis per se ex eorum officio inhæret, asseruit.

Ad fundamentum secundum ex Declarationibus Cardinalium & Summorum Pontificum Respondent; ejusmodi Declarationum nec proferri tenorem, nec annum, nec diem, nec Episcopos, ad quos editæ aut directæ sunt. Econtra à Patronis secundæ sententiæ proferuntur Declarationes Cardinalium magis distinctæ & prioribus penitus oppositæ, ut proin suspicioni locus esse possit, aut variatum esse à Congregationibus Cardinalium, aut priores illas pertinuisse ad Episcopos Italiæ, posteriores ad Episcopos ultramontanos ob difficiliorem accessum pœnitentium ad Sedem Apostolicam. Declarationes oppositæ Cardinalium recensebuntur infra ad 4.

Ad fundamentum tertium Respondent; aliquos Episcopos tantùm petiisse & obtinuisse licentiam absolvendi ab hæresi etiam publica. Et talem licentiam obtinuerunt teste Bassæo Episcopi Belgii V. Hæresis. n. 18. sic scribit: *Ab hæresi occulta absolvere possunt Episcopi vigore Concilii Tridentini, nec per subsequentes Bullas Cœnæ fuisse illis hanc potestatem sublatam, sustinent ex Neotericis Portel, Crousers, Puteanus, Fagundez. Imo Layman hanc potestatem concedit Episcopis Septentrionalibus etiam pro hæresi manifesta in regionibus septentrionalibus propter frequentiam casuum, & difficultatem adeundi Papam. Unde Episcapis hujus Belgii Bulla data est à Gregorio XIII. anno 1576. die 25. Februarii, vi cujus absolvere possunt ab hæresi manifesta & aliis Casibus reservatis Papæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini, hancque potestatem possunt etiam cuicumque Sacerdoti idoneo delegare.* Quod si alii Episcopi petierunt Roma licentiam absolvendi etiam ab hæresi occulta, Respondent patroni secundæ sententiæ; id fieri potuisse ob probabilitatem oppositæ sententiæ ad tranquillandas suas & pœnitentium conscientias ne valor absolutionis exponeretur ullo periculo nullitatis.

Ad fundamentum 4. Respondent; in ea propositione damnata copulativa falsitatem & motivum damnationis non residere in prima ejus parte, sed in secunda. Ita respondet P. MILANTE, Ordinis Prædicatorum, & Professor in Universitate Neapolitana, in Exercitationibus *Dogmatico-Moralibus*, editis Neapoli anno 1738. ubi in hanc Propositionem sic scribit: *Quia in Bulla Cœnæ reservantur immediate S. Sedi quædam atrociora crimina, præsertim hæresis, dubitatum fuit, an Episcopi gauderent facultate absolvendi à prædictis casibus saltem quoad forum poli, & quando crimen erat occultum? Affirmantibus nonnullis Theologis, innixis c. 6. Sess. 24. Tridentini Concilii, cui nunquam per Bullam Cœnæ, aliudve Decretum Pontificium, ut iimet Theologi adstruebant, fuit derogatum, præsertim quia ad derogandum ordinationi Concilii Generalis requiritur individua & expressa mentio ejusdem, quæ nunquam facta legitur Concilio Tridentino. Deinde alii Casistæ, ut favorabilem sententiam facultati Episcoporum sartam tectam servarent, proprio marte novam procudere declarationem S. Congregationis, qua Episcoporum laudata facultas firmaretur, dicentes, quod hæc sententia tolerata à S R. E. Cardinalibus, adeoque physice tuta erat sententia illa. Verum quia declaratio illa omnino commentitia est, ideo jure merito præsens Thesis, qua fovebatur mendacium, fuit nigro theta signata. Sed quia, ut dixi, ratione solennis imposturæ hæc fuit proscripta, ideo confixio non cadit, nisi supra postrema illa verba: Anno Domini 1628. 18. Julii, in Consistorio S. Congregationis Em. & Rev. Cardinalium visa, & tolerata fuit; non verò supra antecedentia verba, ut ex eadem sententia bene librata apparet. Quo etiam ex momento alia confutatione non egit præfata Thesis proscripta. Cum enim Romanus Pontifex notet hanc Thesim solenni censura, & ideo prascribat, quia apocrypha, supposititia, & falsa est adserta tolerantia, quid ultra debet addi ad exsibilandum commentum? Ex his autem, quæ modo dixi, sicut sequitur, opinionem favorabilem Episcopis circa potestatem absolvendi ab hæresi occulta, & cæteris in Bulla Cœnæ reservatis criminibus, teneri & defendi non posse ex adserto momento tolerantiæ & permissionis, ita etiam sequitur, damnatam non esse ex vi præsentis Decreti Pontificii, quia, ut vidimus, proscriptio solùm cadit super imposturam Casuistarum, non super sententiam Theologorum. Hinc quamvis P. Viva in sua Trutina hic ex Illsung, Guttierez, Toleto, & Ugolino, quos refert, adstruat, prædictam opinionem faventem Episcoporum potestati subsistere nullatenus posse, & quod sententia favens Episcopis sit tenuis probabilitatis; tamen ex adverso quamplures alii Theologi, eam sententiam faventem Episcopis adhuc post Bullam Cœnæ subsistere asserunt, quia ex Glossa* in auth. (offeratur c. de litis contest. In l. 1. ff. de Reg. Iuris. n. 12.) *communiter recepta lex specialis non revocatur per generalem, etiamsi hæc posterior sit, sed generalis ipsa limitanda est per specialem antiquiorem, & juxta illam intelligenda, nisi expressis verbis illi contradicat; ad quod facit textus: Posteriores leges ad priores pertinent, nisi illis contrariæ sint* (l. sedes posteriores ff. de Leg.) *Hinc Sixtus V. quia specialiter derogari voluit facultati Episcoporum circa male promotos, quorum absolutionem sibi soli reservavit, expresse meminit Tridentini, & dixit: etiamsi crimen occultum sit. Et ita sentiunt Navarrus, Bannes ex recentioribus Van Espen p. 3. tit. 11. n. 24. Natalis Alexander de Pœnit. Reg. 37. & alii tum veteres tum moderni Casuum Scriptores & Theologi. Imo Rodriquez refert Cardinalem Quiroga Inquisitorem Generalem facta consultatione cum Episcopis in Concilio Toletano coacto anno 1588. dixisse, per Bullam Cœnæ nullatenus fuisse derogatum Privilegio à Tridentino concesso Episcopis circa absolutionem ab hæresi occulta.* (In Bull. §. 9.) *Et Comitolus testatur, Cardinalem Carafa interrogatum de hac re eodem modo respondisse nomine S. Congregationis; necnon Marescottus* (l. 2. vari. c. 38. n. 4.) *refert, sic resolvisse Rotam 27. Nov. 1571. Quid ergo in ista opinionum varietate constitutus dicam? Fidem certè adhibere non possum iis momentis, quæ laudat P. Viva; alioquin post tot Pontificum Decreta sententia favorabilis Episcopis certè non esset tantùm minus probabilis, ut ipse adstruit, sed omnino falsa, erronea, & improbabilis. Similiter tot decreta & oracula Pontificum, S. Congregationis responsiones, quomodo solùm innotuere ipsi, suisque fautoribus, cæteros verò latuere? Aliis ex adverso stantibus Declarationibus nec possum victas dare manus eodem etiam ex momento. Igitur omnia laudata monumenta pro utraque parte contendente, uti apocrypha, spuria, & commentitia rejiciendo, sicque evertens etiam antilogiam S. Sedis, falso eidem adsertam à Casuistis, dico, quod Episcopi id possunt in præsenti & in praxi, quod rectum, quod solidum, quod sanctum*

judi-

judicant ante Deum, utraque opinione librata. Unde quam noverint probabiliorem ex se, & simul ex authoribus bene appensis, teneant, sequantur, ad praxin reducant, quia sic prudenter operabuntur. Hucusque P. Milante.

Meum non est; meum in hac re interponere judicium; nec id in praxi requiritur. Cum enim Episcopi Germaniæ soleant obtinere Roma facultatem absolvendi ab hæresi, nostrum in Theologia Morali practica parum interest; sivo Episcopi facultatem absolvendi ab hæresi occulta Confessariis committant jure proprio, sive à Sede Apostolica delegato. Id unum addo; Etiamsi hæresis occulta posset solvi ab Episcopo, nihilominus propositionem damnatam etiam quoad primam partem meritò condemnari; quia falsum esset, hæresin occultam non reservari. Reservaretur enim cumulative Papæ & Episcopo, Papæ quidem *per se* ex natura censuræ excommunicationis, quæ illi per se reservatur, qui eam tulit. Episcopo verò *per accidens*, in quantum Papa ob declarationem in Tridentino factam respectu Episcoporum *non vult* uti rigoroso jure reservationis. Hinc cum ea dependentia à permissione Papæ *tacitè* insit juri Episcopali quoad excommunicationes à Sede Apostolica latas, ut, ut per Papam & Concilium Tridentinum declarato, rectè Episcopi Germaniæ faciunt, *expresse* eam dependentiam contestando, dum petunt Roma facultatem absolvendi ab hæresi.

QUÆRITUR 14. Quales extent Declarationes authenticæ S. Congregationis Tridentini, vel Episcoporum & Regularium circa reservationem casuum?

RESPONDEO: S. Congregatio Episcoporum & Regularium anno 1601. & 1602. declaravit duo 1. Ab Episcopis non esse superfluè reservandos Casus jam aliunde Sedi Apostolicæ reservatos. 2. Ab Episcopis non esse reservanda omnia peccata habentia annexam excommunicationem majorem non reservatam Papæ. Hanc declarationem affert Barbosa de officio & potestate Episcopi part. 3. Allegat. 50. n. 286. his verbis: *S. Congregatio Episcoporum & Regularium de SS. D. N. Clementis VIII. speciali mandato Sacerdotibus per universam Italiam degentibus, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum &c. ab ullo ex casibus clare vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reservatis, nec etiam à casibus, quos Ordinarii reservarunt vel reservabunt, nullo casu, nisi in mortis articulo, vel cum nova Sanctitatis suæ, vel Ordinariorum licentia beneficium absolutionis impendere præsumat.-- Præterea noverint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti. Et ne locorum Ordinarii plurium, quam opus sit, reservatione subditis, aut Confessariis sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam Disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis Diœcesis statu & qualitate necessariò reservandos esse judicaverint, reservent. Dat. Romæ 9. Jan. 1601.-- Cum autem dubia quædam circa ejusdem Decreti interpretationem orirentur, eadem Congregatio speciali mandato S. D. N. Clementis VIII. ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet sub ejusdem prohibitione illos tantum in posterum casus comprehendi, qui in Bulla Cœnæ legi consueta continentur. -- Prohibet etiam, ne Ordinarii sibi superfluè reservent Casus in Bulla Cœnæ legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Dat. Romæ. 26. Nov. 1602. Anno 1617. edidit aliud Decretum hujus tenoris. Quoniam S. Congregatio Episcoporum & Regularium accepit, complures Regulares tantum facultatis seu privilegii sibi à Sede Apostolica concessum profiteri, ut etiam à Casibus locorum Ordinariis in eorum Diœcesibus reservatis absque Ordinariorum licentia pænitentes absolvere minimè dubitent; nonnullosque alios in Decreto prohibitionis absolutionis minime comprehensos asserere, unde fit, ut metus, quo homines à peccando coercentur, absolutionis facilitate exolescat; ideo S. Congregatio S. D. N. Pauli V. speciali mandato Decretum hujusmodi confirmat, ab omnibusque Sacerdotibus tam sæcularibus quàm Regularibus quorumvis Ordinum ac instituti etiam necessariò exprimendi observari, ac insuper ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscumque privilegiis suffulti ab excommunicationibus, vel à Casibus eisdem Ordinariis vel Sedi Apostolicæ reservatis, tam ad forum contentiosum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in articulo mortis absolvere præsumant. Dat. Romæ 7. Jan. 1617.* Quarto denique sequitur rescriptum S. Congregationis ad Archi-Episcopum Neapolitanum hujus tenoris. *Accipiet Ill. Amplitudo vestra cum his litteris exemplum Declarationis quam S. Congregatio Episcoporum & Regularium de expresso SS. D. N. mandato nuper edidit 9. Jan. 1601. quod in suis Diœcesibus Ostiensi & Neapolitana diligenter promulgandum curabit. Cum autem locorum Ordinarii magna ex parte indicem casuum à se reservatorum huc miserint, compertum est, in hoc genere variè à variis admissum esse, quod emendatione indigeret; quosdam nimirum reservasse, quæ jam Apostolica Sedes sibi reservarat; nonnullos in ea re excessisse, ut nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vendicaret illa reservandi ratio. Quæ cum ita sint, hæc monenda censet S. Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscuè reservent, quibus annexa est excommunicatio major à jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur. Dat. Romæ 26. Nov. 1602.* Quinto alia Declaratio, quæ Regulares attingit, sic habet: *S. Congregatio E. & R. censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia absolvendi à Casibus Ordinario loci reservatis, quemadmodum neque indulta absolvendi à Casibus contentis in Bulla Cœnæ. Romæ 17. Nov. 1628.*

QUÆRITUR 15. An Regulares vi privilegiorum possint absolvere ab hæresi occulta?

RESPONDEO: Negative. Ratio est; quia etiam hæresis occulta reservata est Papæ in Bulla Cœnæ, prout patet ex tenore Bullæ, quæ §. 1. sic habet: *Excommunicamus omnes hæreticos, ipsorumque fautores, & defensores, ac eorundem libros hæresim continentes legentes aut tenentes seu defendentes, publicè vel occultè.* Idem patet ex propositione damnata ab Alexandro VII. ordine tertia: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis*

cultis criminibus sermo est, anno 1629. *visa & tolerata est.* Idem probatur ex Declaratione S. Congregationis Episcoporum & Regularium proximè adducta, ubi dicitur: *S. Congregatio censuit, per confirmationes privilegiorum, quas Regulares obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia absolvendi à Casibus contentis in Bulla Cœnæ.* Quamvis enim aliqui apud P. Milante superius relati censeant, tantum secundam partem prioris propositionis esse damnatam, satis tamen exinde colligitur intentio Papæ, dum nullo modo vult videri tanquam tolerans etiam primæ partis. Idem tandem definitum est ab Alexandro VII. per damnationem propositionis sequentis, ordine quartæ: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione ob ea incursa.*

QUÆRITUR 16. An Regulares vi privilegiorum possint absolvere à Casibus Ordinario reservatis?

RESPONDEO: Negative. Id probatur ex propositione 12. damnata ab Alexandro VII. *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* anno 1665.

QUÆRITUR 17. An Confessarii saltem tempore Jubilæi possint absolvere ab hæresi?

RESPONDEO: Negative. Id patet ex Decreto S. Congregationis Officii, quod sic habet: *SS. D. N. Alexander VII. sub die* 23. *Martii* 1656. *inhærendo declarationibus aliàs à Prædecessoribus suis factis ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id in posterum ullo tempore hæsitare contingat, cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi præcisis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.*

QUÆRITUR 18. An habens facultatem absolvendi à Casibus Papæ reservatis possit absolvere ab hæresi occulta vel alio peccato Sedi Apostolicæ reservato, si ea hæresis vel peccata fuerint simul reservata Episcopo?

RESPONDEO: Posse quidem Episcopos hæresin occultam & alia ejusmodi peccata Sedi Apostolicæ reservata sibi reservare pro circumstantia, pro qua cessant esse reservata Sedi Apostolicæ, v. gr. pro casu, in quo concurrit privilegium universale, vel Jubilæum universale, ubi Summus Pontifex per concessionem generalem non censetur librare circumstantias particulares, & exigentias Diœcesium speciales, quas præsumitur relinquere judicio Episcoporum. Utrum vero Episcopi velint ejusmodi peccata reservata Papæ reservare sibi pro casu cessantis vel suspensæ reservationis Papalis, dependet partim à voluntate Papæ relaxantis reservationem, partim à voluntate Episcopi, speciatim in promulgatione Jubilæi vel alterius privilegii declaranda.

QUÆRITUR 19. An Casus Papales in iis, qui impediuntur personaliter accedere Summum Pontificem, sint reservati Episcopo?

RESPONDEO: Affirmative. Sensus est, quod incurrentes casum Summo Pontifici reservatum, si ob ætatem, infirmitatem, conditionem status, vel ob aliud impedimentum non possint accedere personaliter Summum Pontificem, vel ipsius delegatum, teneantur absolutionem petere ab Episcopo, qui si impedimentum sit perpetuum, vel diuturnum, possit eos directè absolvere sine ulteriori obligatione se sistendi Papæ. Et hæc responsio inprimis observari meretur circa hæresin occultam, cujus absolutio à Sede Apostolica non solet generaliter delegari in privilegiis generalibus, aut in Jubilæis. Id verò probatur ex eo, quia Casus Papales reservati Summo Pontifici nulli reperiuntur, nisi habeant annexam excommunicationem majorem Papæ reservatam, ratione proin excommunicationis directè reservatæ etiam ipsi casus concomitanter reservati sunt; cum nemo possit absolvi à peccato, nisi prius absolvatur ab excommunicatione, qua privatur participatione Sacramentorum. Jam verò ab excommunicatione majore absolvere potest solus Episcopus eos, qui pro absolutione Papam aut ejus delegatum accedere non possunt. Idque conceditur ac reservatur Episcopis eo discrimine, ut si impedimentum adeundi Papam vel ejus delegatum sit perpetuum vel saltem diuturnum, absolutio ab Episcopo conferri possit sine obligatione se sistendi Papæ vel ejus delegato; econtra si impedimentum non sit diuturnum, absolutio conferri nequit ab Episcopo sine obligatione, se sistendi Papæ, quamprimum impedimentum cessaverit; & quidem eum juramento ita quidem, ut si solutus ab impedimento accedere Papam vel ejus delegatum neglexerit, in excommunicationem reincidat. Hæc omnia partim continentur in Jure *de Sent. excomm.* partim ob paritatem rationis à Doctoribus exinde eruuntur. Textus l. 5. Decret. h. t. sunt sequentes: 1. c. pueris 60. *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante sive post pubertatem postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri. Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor mansuetudine sit temperandus.* 2. c. quamvis 58. *Incidens in Canonem latæ sententiæ non aliter quàm per Sedem Apostolicam vel ejus legatum absolutionis potest beneficium obtinere, nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quo minus Romanum Pontificem possit adire, vel nisi juris beneficio à labore hujusmodi excusetur. Cæterum quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris, sub debito juramenti, quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur, consuevit injungi, ut impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.* 3. c. quod de his 26. *Is qui asserit, se in Canonem latæ sententiæ incidisse, non aliter quàm per Sedem Apostolicam vel ejus legatum absolutionis potest beneficium obtinere, nisi forte in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel senectute tanta gravaretur, quod ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento Canonico retrahatur. Cæterum ab his in forma Sacramenti exigi consuevit, ut præsumptis viribus & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare.* 4. in c. ea noscitur 13. *Duximus respondendum quod mulieres, senes, & valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti,*

diti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, ab Episcopis valeant Fidelium communioni restitui. Alias autem sive pauperes sive divites Sedi Apostolicæ vel Legato ejus, ut beneficium absolutionis obtineant, necesse est præsentari. Si verò infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit absolutionis indultum, juramento præstito injungatur eisdem, ut postquam sanitati fuerint restituti, ad Romanam Ecclesiam vel ejus Legatum accedant, mandatum Apostolicum super talibus accepturi. 5. C. Mulieres. 6. Mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui juris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolvi possunt, si manus in Clericum injecerint violentas. De his, qui magnæ non sunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere; respondemus, quod status personæ prius & veritas negotii est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium tales erunt de commisso scelere corrigendi. 6. C. de cætero. 11. Si quis est vinculo excommunicationis adstrictus, si habens capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo se nequeat Apostolico conspectui præsentare, licet Diœcesano Episcopo sibi absolutionis gratiam impertiri, sed est illi sub juramenti debito injungendum, ut quàm citius opportunitatem habuerit, Rom. Pont. adeat, mandatum Apostolicum accepturus. Vide dicenda Qu. 34. Resp. 3. Ex his ergo Doctores communiter inferunt, ab Episcopo absolvi posse Monachos, impuberes, minorennes, indigentes, quo nomine comprehenduntur etiam sublimioris status personæ, si considerata conditione sui status indigeant, servi, filiifamilias, Parochi, &c.

Quæritur 20. Utrum omnis excommunicatio major aliàs Sedi Apostolicæ non reservata sit ipso jure reservata Episcopo?

Respondeo: Omnis excommunicatio major alias Sedi Apostolicæ non reservata *per se* est reservata Episcopo. Dixi, *per se*. Nisi videlicet Episcopus hanc reservationem expresse vel tacite relaxet, omnibus inferioribus Confessariis à se approbatis indulgendo potestatem absolvendi ab excommunicationibus non reservatis Papæ: aut nisi ipse Papa inferioribus Confessariis eam potestatem tacite vel expresse deleget, prout infra dicetur.

Probatur 1. ex ratione, quàm insinuat S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. qq. 1. & 2. c. Excommunicatio major privat bonis Ecclesiæ *communibus*, in quæ nullus habet potestatem nisi Papa, & Episcopi. Ergo sicut privare bonis communibus Fidelium, v. g. solenni deprecatione in precibus Ecclesiæ publicis, non pertinet ex officio ad alium quàm ad Papam & Episcopos, ita etiam restituere ad ea bona solùm ad eos per absolutionem ab excommunicatione pertinet.

Probatur 2. Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 7. dicit: Episcopis *pro tradita illis authoritate*, hoc est, per se & ex officio competere, crimina aliqua graviora sibi reservare, præsertim illa, *quibus excommunicationis censura annexa est*. Ergo Tridentinum in ejusmodi peccatis habentibus annexam excommunicationem agnoscit speciale motivum ac meritum, vi cujus petant reservari ab Episcopis.

Probatur 3. ex perpetua observantia Episcoporum, qui semper sibi reservarunt ejusmodi excommunicationes. Sic Concilia superius relata Q. 9., videlicet Londinense 1102, Parisiense 1129, Rothomagense 1189, Parisiense 1200, Eboracense 1194, Londinense 1200, Nemausiense 1284, Oxoniense 1287. Sic & in Synodo Augustana 1355. dicitur: *Simplices Sacerdotes nullum unquam absolvere audeant majoris excommunicationis vinculo irretitum, præterquam in articulo mortis*. Idem repetitur in Synodo Augustana 1452. Laurentius Campegius, Legatus Apostolicus, in Conventu Ratisbonensi 1524. indiscriminatim *excommunicatos* Episcopis Germaniæ reservat. Eosdem sine exceptione reservat Otho Truchsessius anno 1548. Et Marquardus in Rituali 1580, nec non Henricus in Synodo 1610. omnem excommunicationem majorem inter Casus reservatos Ordinario reponunt. Imo in Rituali 1580. à Marquardo Episcopo inter Casus reservatos pro Clericis antiquo jure ponitur: Sacerdos absolvens excommunicatum majore excommunicatione sine speciali commissione. Ex his ergo omnis sequitur; quod omnis excommunicatio major lata à jure, si Papæ non fuerit reservata, *per se* sit reservata Episcopo. Verùm, quia à sæculo decimo sexto jam invaluit sententia illorum authorum, qui docuerant, excommunicationem latam à jure, Papæ non reservatam, posse solvi à quovis Sacerdote approbato, cui sententiæ notoriæ & quotidie practicæ præsumendum est accessisse consensum legalem Papæ, dicendum est cum Navarro, hodie ob excommunicatione majore, aliàs de jure non reservata Papæ absolvere posse quosvis Confessarios approbatos potestate à Papa vel ab Episcopis tacitè delegata, nisi specialiter ejusmodi excommunicationes aliàs de jure non reservatæ reserventur ab Episcopo, prout hactenus in Diœcesi nostra Augustana reipsa fuerunt Episcopis reservatæ. Hæc est observatio Navarri in Manuali c. 27. n. 39. ubi sic scribit: *Excommunicatum majori excommunicatione à jure non reservata alteri potest absolvere proprius Prælatus. Per proprium Prælatum intelligo Papam, Episcopum, & Capitulum Sede vacante, & etiam Parochum aut alium Sacerdotem simplicem, qui potest absolvere à peccatis mortalibus secundum Innocentium & Ostiensem, quæ est communis opinio S. Thomæ, & Bonaventuræ, & aliorum Theologorum in 4. dist. 18. & etiam Summistarum; juxta quam communem consuluimus limitando illam cum S. Thoma ita, quod prædictus Sacerdos simplex non potest hoc facere sua authoritate, sed ut Commissarius deputatus à Papa. C. fin. de Pœnit. & Remissionibus, qui pro hoc est quasi expressus.* Ita rectè Navarrus.

Quæritur 21. An reservationem incurrat, qui ignorabat, Casum esse reservatum, ita ut saltem prima vice possit absolvi?

Respondeo cum distinctione. Si peccatum est reservatum *ratione sui*, ac independenter ab excommunicatione, nulla ignorantia, etiam invincibilis, excusat à reservatione; ita ut taliter peccans ne quidem prima vice possit absolvi, etiamsi Confessario dicat, se prorsus ignorasse, quod huic peccato sit annexa reservatio. Si verò peccatum non sit reservatum *directè ratione sui*, sed

sed *ratione excommunicationis* annexæ peccato, ita ut reservatio directè afficiat excommunicationem, in eo casu sicut ignorantia invincibilis excusat ab excommunicatione, ita etiam excusat à reservatione accessoria. *Prima pars Responsionis*, quod nempe Ignorans, peccato *directè* & *ratione sui* esse annexam reservationem, eam incurrat, ita ut ne quidem prima vice possit absolvi,

PROBATUR ex constanti traditione & usu Ecclesiæ. Nam 1. in omnibus Conciliis & Bullis & Ritualibus absolutio à Casu reservato declaratur invalida sine ulla exceptione ignorantiæ, utut frequentissimæ. Ergo incurritur reservatio etiam ab ignorante. *Antecedens* patet ex tenore reservationum, quarum exempla superius Q. 9. & 10. posui, in quibus universim dicitur, Confessarium nullo unquam in casu ejusmodi delicti reservati reum posse absolvere, *nisi in articulo mortis*, & si secus fiat, Sacerdotem *nihil agere*, hoc est, absolutionem esse nullam. Ita habetur Q. 9. in Concilio Rothomagensi, Londinensi, Nemausiensi, Avenionensi, Augustano, Tridentino, &c. 2. In Rituali Augustano 1580. dicitur: *Caveat Confessarius excedere limites commissionis, quam super absolvendo accepit, ne alioquin & se & pænitentem misere fallat, & absolvendo frustra laboret.* 3. Tridentinum Sess. 14. Can. 7. dicit: *In Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, extra quem casum cum Sacerdotes nihil possint in Casibus reservatis, id unum pænitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores pro beneficio absolutionis accedant.* Ex his evidens est; ab initio Ecclesiæ usque ad Probabilistas sæculi decimi septimi incognitum fuisse casum exceptum ignorantiæ circa reservationem. Ergo praxis nova ejusmodi novorum Probabilistarum repugnat constanti traditioni & praxi prioris Ecclesiæ.

CONFIRMATUR ex eo; quia Bulla Cœnæ ante annum 1568, quo S. Pius V. eam promulgari fecit in toto orbe, nondum erat promulgata extra Romam, & tamen jam tunc temporis censebantur incurrere reservationem in Bullam delinquentes, etsi reservationem ignoraverint. Exemplum habemus in Laderchio de Prorege Neapolitano ad annum 1567. n. 66. ubi sic scribit: *Proregi ab Episcopo in excommunicationes in Bulla Cœnæ contentas incurrisse denuntiatur. Cui rei veritatem cum perspectam habere vellet Prorex, jussit, Theologorum plurimorum coram se cogere cœtum. Selectis proin è diversis Religiosorum Ordinum Theologis decem, inter quos fuit Salmeronus S. J. uno ore omnes Proregem censuras incurrisse pronuntiarunt.* Nulla ergo ignorantia ab eo casu reservato eximebatur, multò minus crassa vel affectata, prout novelli Probabilistæ eximunt.

CONFIRMATUR 2. Constat ex Conciliis, Bullis, & Ritualibus, superius Q. 9. 10. &c. adductis, nullam reservationem esse purè pœnalem, sed simul ac primario ex motivo medicinalem, ut ejusmodi peccantes retrabantur ab iterando peccato per actualem experientiam difficultatis circa obtinendam absolutionem. Ergo, cum etiam Theologi alioquin minimè rigidi censeant, nullam aut non nisi tenuem dari probabilitatem sententiæ oppositæ, non licebit, eam in praxi sequi, præsertim cum hic agatur de valore Sacramenti ob dubiam jurisdictionem, & nulla sit necessitas utendi hac sententia. La Croix l. 6. p. 2. n. 1607. sic scribit: *Si reservatio esset purè pœnalis, negant* (ab ignorante reservationem) *incurri Sanchez, Castropalao, Stoz, & alii, quod Lugo, Gobat, Diana, vocant probabile. — Hæc sententia procedit ex suppositione, quod detur reservatio purè pœnalis, quod n. 1602. negavi. Tamen quamvis reservatio non sit purè pœnalis, sed simul medicinalis, adhuc putant aliqui non incurri ab ignorante, quod Quintanadvenas, Diana, Burghaber vocant probabile, quia semper videtur esse pœna extraordinaria. Sed absolutè tenendum est cum communissima, incurri, quod clarum esse & in praxi notum dicit Aversa q. 17. S. 1.; putantque Hurtadus & alii, oppositum esse impossibile; quia per talem reservationem, quæ potius est medicina, quàm pœna, absolutè & antecedenter tollitur jurisdictio à Confessario propter bonum commune.*

CONFIRMATUR 3. Ipsi authores oppositæ sententiæ docent, peregrinos & vagos non posse absolvi à casu reservato in Diœcesi Confessarii, cum tamen vix inter mille peregrinos aut vagos noscat casus in alia Diœcesi reservatos. Ex his ergo patet; oppositam sententiam non esse licitam in praxi.

DICES 1. Casus Papæ reservatos tantùm esse reservatos ratione excommunicationis. Ergo cum excommunicatio non incurratur ab ignorante; etiam reservatio excommunicationi annexa tanquam accessorium non incurretur ab ignorante. 2. In Bulla Cœnæ dicitur: si quis *præsumat* aliquid committere in ea Bulla prohibitum, vel *ausu temerario contra ire* eum incurrere excommunicationem reservatam, à qua non possit absolvi nisi à Papa. *Præsumere* autem dicit actionem peractam cum scientia Legis prohibentis. 3. In Bulla Cœnæ dicitur: quod *ab his sententiis*, excommunicationis videlicet, nullus possit absolvi, nisi à Papa. Ergo reservatio directè afficit excommunicationem, non verò peccatum. 4. In Bulla Cœnæ Papa dicit: quod hanc Bullam per affixionem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis & Vaticanæ publicaverit, ut nullus possit *ignorantiam allegare, cum non sit verosimile, id manere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.* Ergo Summus Pontifex in ordine ad incurrendam censuram & reservationem præsupponit scientiam, cui tamen præsumptioni in foro interno locus non est, ubi est certa ignorantia bujus legis. 5. In primitiva Ecclesia absolvebantur Fideles Sacramentaliter v. g. ab homicidio, idololatria, in ipsa susceptione pænitentiæ solennis, & tamen adhuc erant ligati vinculo excommunicationis. Ergo etiam nunc pænitens sic potest absolvi à reservatis, saltem tunc, si ignoraverit reservationem.

RESPONDEO ad 1. 2. 3. & 4. Ex his omnibus quidem evinci, ad incurrendas reservationes Papales scientiam saltem requiri *per se*; non tamen sequitur, eximi ab iis incurrendis ignorantiam crassam, aut omnino affectatam, prout novelli Probabilistæ contra omnem traditionem prætendunt. Id manifestum est ex eo, quia ipsa excommunicatio incurritur ab iis, qui eam ignorabant ignorantia crassa vel affectata. Ita habetur in Jure C. *Apostolicæ, de Clerico excommuni-*

municato, ubi dicitur: *Quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterùm si forte ignorantia crassa & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia indigeatis, eam vobis indulgemus.* Ratio verò est, quia ille, qui scienter ejusmodi gravia crimina committit, sicut se tacitè exponit omnibus pœnis justè à Deo infligendis, ita etiam suo actu externo se tacitè exponit omnibus pœnis justè ab Ecclesia infligendis, etsi eas distinctè ac determinatè sumptas non agnoscat. Simili modo contingit in fure, qui ignorat parata furto supplicia. Cæterùm ex eo, quod circa excommunicationes reservatas aliqua ignorantia excuset, nisi fuerit crassa aut affectata, non sequitur; hanc regulam procedere etiam circa alia peccata, quæ non reservantur ratione excommunicationis, sed directè ratione suæ malitiæ eo motivo, ut in futurum præcaveantur. Eatenus enim reservatio est pura *inhabilitas* ex parte Confessarii, vel ex parte pœnitentis in ordine ad conferendam vel accipiendam absolutionem, quales inhabilitates sunt impedimenta matrimonii & irregularitates ex defectu.

Ad 5. Respondeo: Vetus illud genus excommunicationis non privasse omnibus bonis communibus Ecclesiæ, v. g. Sacramento pœnitentiæ, aut precibus solennibus Ecclesiæ, utpote quæ publicè fundebantur Deo etiam pro pœnitentibus. Hoc autem loco sermo est de altero genere excommunicationis, cujus etiam in primitiva Ecclesia reperiuntur exempla, de illo videlicet, quo rejecti semel à tota societate Fidelium non prius recipiebantur ad agendam pœnitentiam, nisi errorem aut pertinaciam suam in manus Episcopi ejurassent.

Quæritur 22. An peccata venialia sint materia reservationis?

Respondeo: Peccata venialia non sunt materia reservationis.

Probatur 1. Ecclesia nunquam hactenus per Constitutiones solennes reservavit peccata venialia. Ergo præsumendum eam potestatem non fuisse concessam Ecclesiæ. *Ant. prob.* ex antiquis Canonibus pœnitentialibus, qui repræsentant Casus reservatos Episcopo. In his enim nullus reperitur Casus peccati venialis ab ullo Concilio authentico, vel Episcopo positus. Nam, si qui reperiuntur Casus veniales, v. g. quod mustela ceciderit in sacrum Calicem, hi solùm ab imperitis Collectoribus Canonum inter Canones Pœnitentiales positi sunt. Imo Concilium Meldense anno 835. expressè dicit: *Anathema & æternæ mortis damnatio non nisi pro mortali debet imponi crimine.*

Probatur 2. Inter Casus reservatos à Sæculo 12. usque in præsens nullum reperitur peccatum positivè veniale.

Probatur 3. Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 7. dicit præcise: *Ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.*

Probatur 4. Non datur obligatio, peccata venialia in foro interno subjiciendi judicio Ecclesiæ; prout definitum est in Concilio Tridentino Sess. 14. Can. 4. ubi docet: peccata venialia *citra culpam* in confessione *taceri, multisque aliis remediis expiari posse.* Ergo non possunt absolutè reservari judicio Judicis superioris Ecclesiastici. Ut verò reserventur modo conditionato, si videlicet quis ultro ea velit subjicere judicio Ecclesiæ, ut non possint solvi nisi à Judice superiore, videtur inconveniens ex suo genere, quia repugnat generali regulæ: *Majora majoribus, minora minoribus*, & quia cogeret conscientias timoratiores ad subeundam gravem difficultatem pro remissione venialium, quæ, teste D. Augustino, quotidiana Oratione Dominica solvi possunt. *Nec obstat*; quod in nonnullis Diœcesibus inter Casus reservatos numerentur peccata, quæ non videntur superare malitiam peccati venialis, v. g. frequentatio hospitiorum quoad Clericos. Dicendum enim; ejusmodi actus prius ab Episcopo prohiberi sub gravi obligatione, & sic graviter prohibitos reservari; vel dicendum, tales actus solùm reservari, quando transeunt in peccatum mortale ob formalem aut interpretativum contemptum legis.

Quæritur 23. An peccata dubia sint materia reservationis?

Respondeo 1. Peccata dubia non notoria publicè, sive sint dubia dubio juris, sive dubio facti, etiamsi detur obligatio, ea confitendi, non sunt materia reservationis.

Probatur. Illa peccata non sunt materia reservationis, quæ primis decem sæculis non erant materia reservationis in ordine ad pœnitentiam solennem reservatam Episcopo, prout ostensum est Q. 4. 5. & 6. Sed peccata dubia nunquam erant materia reservationis in ordine ad pœnitentiam solennem, prout patet per Canones pœnitentiales & per Pœnitentialia.

Probatur 2. Reservationes important arduitatem pœnalem *certam* ex motivo medicinali præservandi Ecclesiam à delictis enormibus. Ergo non est præsumendum, Ecclesiam intentione legali, seu regulata per rationem, voluisse reservare peccata dubia; sic enim plecterentur pœna certa peccata incerta, eaque non enormia, utpote frequentia, ac communia, quæ facile possunt obrepere etiam conscientiis aliàs timoratis, prout patet consideranti.

Probatur 4. Communior Doctorum censet, peccata dubia non reservari, sed tantum peccata certò mortalia. La Croix in sua Historia opinionum probabilium l. 6. p. 2. n. 1604. pro hac sententia recenset *Suarez, Hurtado, Lugo, Dicastillo, Avena.*

Respondeo 2. Reservantur tamen peccata dubia, publicè notoria, quæ in foro externo præsumuntur esse mortalia præsumptione violenta. Ita rectè Sanchez l. 1. in Decal. C. 10. n. 74. Exemplum habetur in eo, qui publicè protulit sententias hæreticas; sed dubitat; an eas protulerit mente verè hæretica, ac cum pertinacia, & cum sufficiente deliberatione, sufficiente ad constituendum peccatum mortale, in specie hæresis. In tali casu, si factum deduceretur ad forum externum, haud dubiè præsumeretur, mentem fuisse verbis conformem, & intervenisse sufficientem deliberationem. In tali casu,

su, ne opus sit alio modo procedere in foro externo & interno, & absolutum in foro interno cum participatione S. Communionis pro eodem crimine condemnare in foro externo, dicendum, Ecclesiam voluisse reservare etiam peccatum ejusmodi dubium. Aliud tamen dicendum, si peccatum sit adeo occultum, ut non sit periculum deductionis ad forum externum.

Quæritur 24. Quid agendum, si peccatum sit quidem certò commissum, & certò mortale, dubitetur tamen, an comprehendatur in Casu reservato?

Respondeo sub distinctione. Si enim Confessarius probabilius judicat, Casum esse comprehensum in reservatione, tenetur ejusmodi peccatum habere pro reservato, & hoc pertinet ad ejus *judicium* consideratis diligenter omnibus circumstantiis. Id patet ex dictis de Probabilismo, ubi dictum est, circa obligationes legum non licere sequi sententiam notabiliter minus probabilem, quam ipse operans judicat probabilius falsam. Si verò ipsemet non possit firmo judicio se resolvere, sed dubitet *dubio strictè tali*, hoc est, cum suspensione judicii in alterutram partem, an considerata qualitate delicti, personæ, & legis ex præsumpta intentione Legislatoris pro bono Ecclesiæ, & salute pœnitentis satius sit, Casum tractare pro reservato vel non reservato pœnitens à reservatione immunis est censendus.

Hæc regula *probatur* ex sensu veteris & præsertim Augustanæ Ecclesiæ. Cum enim antiquitus omnia crimina enormia essent reservata, relinquebatur discretioni Confessarii, an peccatum pœnitentis inter enormia referendum, & Episcopo reservandum esset. Sic in Synodo Augustana 1355. dicitur: *Hæc sunt, ad quæ simplices Sacerdotes nullatenus manus extendere debent; ut nullum unquam absolvere audeant excommunicationis vinculo irretitum, incendiarium, blasphemum, — & quemvis alium criminibus enormibus irretitum, sed ipsos nobis absolvendos transmittant.* Idem repetitur in Synodo Augustana anno 1452. Itaque tunc temporis relinquebatur privato Confessariorum judicio, quænam peccata in Classem enormium ac reservatorum referenda essent; ac consequenter deficiente firmo Confessarii judicio pœnitens liber à reservatione censendus erat.

Neque huic Responsioni obstat, quod Clemens VIII. anno 1601. declaraverit Confessariis Italiæ: *Ne quis eorum sub prætextu privilegiorum ab ullo ex casibus clarè vel dubiè in Bulla in Cœna Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reservatis vel reservandis absolvat.* Nam Pontifex hoc loco tantùm loquitur de dubio *latè dicto*, prout opponitur certitudini morali. Id colligitur ex eo, quia *dubiè contentum* opponit *clarè contento*, ad quam oppositionem sufficit dubium *latè dictum*. Hinc ex ea ipsa declaratione Summi Pontificis confirmatur nostra Responsio quoad primam partem. Attamen; quia ille terminus *dubiè*, videbatur præter intentionem Pontificis extendi posse ad *dubium strictè dictum*, ita ut nonnullis posset injicere scrupulum, an non etiam pro casibus reservatis in praxi haberi debeant, qui *dubiè* dubio *strictè* tali continentur in Bulla Cœnæ, statim altero anno, nempe 1602, Summus Pontifex edidit explicationem prioris sui Decreti, in qua ambos terminos, *clarè vel dubiè*, omisit, prout Q. 14. videre licet, ubi tenorem Decreti & explicationis posui. Idem patet ex alio Decreto Pauli V. edito de ea re anno 1617, & alio Urbani VIII. edito 1628, quorum Decretorum tenor continetur in *Manuali Romano Confessariorum*, Augustæ apud Veithium recuso, Num. 11. & 12.

Quæritur 25. An possit absolvi pœnitens *peregrinus* ex alia Diœcesi, si afferat Casum in sua Diœcesi reservatum?

Respondeo: Nisi Episcopus peregrini specialiter restrinxerit, & limitaverit jurisdictionem Confessariis extradiœcesanis in suos subditos circa Casus reservatos, præsumendum est; eum Confessariis ejusmodi delegasse etiam jurisdictionem circa Casus reservatos. Ita saltem circa Confessarios Regulares privilegiatos, qui habent jurisdictionem à Papa in omnes Fideles, limitatam tamen circa Casus reservatos Episcopis, declaravit Clemens X. in Bulla, *Superna*, n. 7. his verbis: *Decernimus & declaramus, habentes facultatem absolvendi ab omnibus Casibus Sedi Apostolicæ reservatis non ideo à Casibus Episcopo reservatis posse absolvere; Posse autem regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Ex his verbis colligitur, quod Papa voluerit Confessariis Regularibus privilegiatis conferre jurisdictionem in quosvis Diœcesanos etiam circa Casus reservatos, quando confitentur extra suam Diœcesin, in qua ejusmodi Casus non sunt reservati. Quia tamen non est præsumendum, eum voluisse præjudicare Juri Episcopali quoad reservationem Casuum, illi termini, *nisi in fraudem*, ex præsumpta mente Pontificis sic explicandi sunt, ut sensus sit; peregrinos extra suam Diœcesin absolvi posse à Casu in sua Diœcesi reservato, nisi id faciant contra prohibitionem Episcopi, jurisdictionem Confessariis exteris quoad ejusmodi Casus reservatos recusante.

Dixi: ita declaratum fuisse circa Confessarios Regulares. An verò Episcopi Confessariis exteris non privilegiatis velint prorogare jurisdictionem in suos subditos quoad Casus reservatos, vel utrum Papa etiam invitis Episcopis eam jurisdictionem velit extendere ad Confessarios exteros non privilegiatos, est quæstio facti, in qua omnis ejusmodi concessio positiva, nova, & antiquiori observantiæ traditæ minime conformis, imo naturæ rerum non connaturalis, tamdiu neganda & in praxi pro nulla babenda est, quamdiu nullis argumentis moraliter certis aut certè probabilioribus sufficienter probata & extra prudens dubium collocata est. In Germania autem, ubi Diœceses sunt vastæ, & Diœcesani generaliter scientibus nec contradicentibus Episcopis solent peregrinari in Diœceses exteras devotionis vel mercationis gratia, quamdiu de contraria intentione proprii pœnitentium Episcopi non constat, ejusmodi peregrinos, si ultro moneant

neant Confessarium de reservatione in Diœcesi propria, & reditus in Diœcesin propriam differendus sit, posset etiam à Confessario non privilegiato pœnitens absolvi cum onere se sistendi suo Ordinario vel ejus Delegato pro obtinenda absolutione directa circa Casum reservatum.

QUÆRITUR 26. Quid agendum, si peregrinus aut vagus afferat casum reservatum in Diœcesi Confessarii?

RESPONDEO: Non potest absolvi; nisi aliam suam intentionem circa vagos & peregrinos declaret Episcopus. Ratio est; quia Episcopus potest prudenter Confessariis inferioribus circa graviora crimina denegare jurisdictionem, eo videlicet motivo, ut pœnitentes ea ratione gravitatem criminum debitè agnoscant, & impositione pœnitentiæ magis proportionatæ à peccando absterreantur, & circa restitutionem, aut occasionum fugam, & consuetudinum eradicationem prudentius dirigantur: quod sanè circa vagos, nundinatores, & mercatores, &c. inprimis necessarium est. Ergo, ubi Episcopus in reservatione Casuum vagos, & peregrinos non excipit, etiam ii in reservatione Casuum generali comprehensi censentur. Alii hanc resolutionem probant ex præfata Bulla Clementis X. in Quæst. præced. allegata. Verùm ex illa nihil argumenti solidi erui posse censeo; quia Pontifex non negat, peregrinos absolvi posse à peccatis in Diœcesi Confessarii tantùm reservatis, sed præcise negat, eas absolvi posse à peccatis, si in propria & aliena Confessarii Diœcesi simul reservata sunt.

DICES 1. Difficile fore peregrino aut vago, si motus ad seriam pœnitentiam non inveniat absolutionem à peccato, cujus reservationem non poterat præsnosse; præsertim, si non possit in eodem loco persistere, donec Confessarius obtineat licentiam absolvendi. 2. In Rituali Augustano, quod editum est anno 1580, & alio edito 1656. & 1688. expressè dicitur: quod ea *reservatio* tantum attingat *subditos*. Cum ergo *vagi* & *peregrini* simpliciter non veniant nomine *subditorum*, utpote nec subditi ratione *domicilii*, vel *quasi domicilii*; ad eos reservatio extendenda non est.

RESPONDEO ad 1. Cum vagi, aut peregrini ordinariè soleant confiteri apud Regulares, aut in locis majoris concursus, ubi plerumque reperitur Confessarius habens potestatem absolvendi à Casibus reservatis, non adeo difficile erit, superare eam difficultatem. Quod si in loco, aut vicinia non reperiatur Confessarius præditus potestate absolvendi à reservatis, & salus animæ postulet, non differri absolutionem, absolvi poterit indirectè cum onere se opportuno tempore sistendi coram alio Confessario habente potestatem absolvendi directè.

Ad 2. dico, ibi sermonem esse de subditis Confessario, non de subditis Episcopo. Dicitur enim: *Permittitur omnibus Parochis, & Confessariis, ut quosvis Laicos sibi subditos absolvere possint.* Cum ergo Confessarii plerumque nullos habeant subditos, nisi eos, qui se ultro pro foro interno eorum jurisdictioni subjiciunt, de istis hi termini explicari debent. Verum quidem est; quod reservationes ab initio in primitiva Ecclesia primariò respexerint ad peccata publica quoad jurisdictionem externam in ordine ad pœnitentiam solennem; nec tamen verosimile est, vagos totaliter fuisse exemptos à reservatione ad pœnitentiam solennem; & cum pœnitentiæ Canonicæ tunc temporis fuerint taxatæ à Conciliis generalibus, eæque fuerint quoad substantiam satis uniformes, etiam peregrini sive confiterentur in propria, sive in aliena Diœcesi, non poterant effugere reservationem graviorum criminum. *Addo*; primis duodecim sæculis nulli fuisse licitum, se in ordine ad absolutionem Sacramentalem subjicere alieno Episcopo aut Parocho sine licentia sui Parochi aut Episcopi, prout Disput. 8. ostensum est.

QUÆRITUR 27. Quid agendum Confessario, non habenti potestatem absolvendi à Casibus reservatis, si pœnitens afferat Casum reservatum?

RESPONDEO: Confessarius 1. consideret, an Casus habeat omnes conditiones requisitas ad incurrendam reservationem; videlicet *primò*, an actus sit certò peccatum mortale, quia, prout Q. 22. & 23. ostensum est, nec peccata venialia, nec peccata dubia, saltem si non sint publicè notoria, ita ut in foro externo manifestè stet contra delinquentem violenta præsumptio, sunt materia reservationis. *Secundò*, an actus sit externus, quia prout Q. 7. ostensum est actus merè interni non sunt materia reservationis. *Tertiò*, si actus sit certò peccatum mortale, & externus, consideret, an certò comprehendatur sub reservatione. Ostensum enim est Q. 24. peccata *dubiè comprehensa* in reservatione, si dubium sit *strictè* tale, non habenda esse pro reservatis. *Quartò*, an Casus sit reservatus tantùm ratione excommunicationis? Si enim tantùm excommunicatio fuerit directè reservata, & non ipsum peccatum; locum habet ignorantia excommunicationis, quæ eximat ab excommunicatione ac reservatione, nisi illa ignorantia fuerit crassa vel affectata, prout dictum est Q. 21. *Quintò*, an persona habens Casum reservatum ratione excommunicationis reservatæ non excusetur ab ipsa excommunicatione, ac consequenter reservatione. Sic enim ab excommunicatione in nonnullis casibus eximuntur pueri, mulieres, &c. 2. Si nulla reperiatur causa eximens pœnitentem à reservatione; moneat statim Confessarius pœnitentem, antequam progrediatur ad explicanda alia peccata; se non habere potestatem absolvendi à Casu reservato. Itaque poterit illi dari optio, an accedere velit alium Confessarium, ea potestate præditum; an verò exspectare, donec ipse Confessarius licentiam absolvendi à Superiore obtinuerit? Si pœnitens eligat secundum, differenda illi interea erit absolutio, si differri possit sine periculo scandali, aut fractione Sigilli; aut periculo gravi animæ. 3. Si absolutio differri nequeat ob periculum infamiæ aut scandali, vel ob periculum animæ, confiteatur pœnitens omnia peccata, tam reservata quàm non reservata, atque ab iis absolvatur cum intentione, pœnitentem absolvendi directè à peccatis non reservatis, indirectè verò, seu ob connexionem, à reser-

reservato peccato, injuncto simul onere se sistendi Superiori vel ejus Delegato, atque se subjiciendi ulteriori satisfactioni à Superiore præscribendæ, sicque ab eo accipiendi absolutionem novam Sacramentalem, si ei velit confiteri de novo Sacramentaliter, vel jurisdictionalem absque confessione Sacramentali.

Dices: Ex hoc consequi; quod pœnitens teneretur bis confiteri suum peccatum, quod videtur esse absurdum, & repugnare traditioni.

Respondeo: Pœnitentem non obligari ad bis confitendum peccatum. Si enim velit confiteri soli Superiori, non obligatur ad confitendum inferiori. Itaque ea obligatio est solùm conditionata; nisi velit differre confessionem. Neque ea obligatio repugnat traditioni; quia certum est; antiquitùs debuisse in Cœna Domini Episcopo per Diaconos Presbyteros referri de statu & satisfactione pœnitentium, prout ex Pœnitentialibus patet.

Quæritur 28. Qualis sit effectus absolutionis novæ, qua Superior absolvit pœnitentem, indirectè absolutum à Confessario inferiore?

Respondeo: Si talis pœnitens confiteatur Superiori vel ejus Delegato suum peccatum reservatum per modum Confessionis Sacramentalis, etiam absolutio Superioris vel Delegati debet esse Sacramentalis. Adeoque effectus ejusmodi absolutionis erit idem ac circa peccatum in præcedentibus confessionibus ex oblivione inculpabili omissum, & jam prius indirectè remissum. Si autem pœnitens voluerit, suum peccatum reservatum Superiori aut ejus Delegato confiteri extrasacramentaliter, etiam absolutio debet esse solùm extrasacramentalis, & effectus illius erit non tantùm cessatio reservationis, ut communiter Summistæ existimant, sed etiam moderatio authentica seu authoritativa obligationis satisfactoriæ rigorosæ ad arbitrium offensi, per quam moderationem satisfactionia rigorosæ præstandæ juxta arbitrium offensi ea absolutio Superioris, videlicet Episcopi, aut Delegati, re vera habet effectum absolutionis indulgentialis validæ coram Deo, prout in Opere de *Indulgentiis* circa absolutionem Episcopalem, in Cœna Domini adstrictis ad pœnitentiam solennem impendi solitam, fusè declaravi. Quantitas autem ejusmodi Indulgentiæ, sicut in omnibus aliis Indulgentiis contingit, commensuratur cujusvis dispositioni & studio satisfaciendi congruè. *Neque huic explicationi*, quæ reservationibus Ecclesiæ suam primævam formam & vim restituit, *obstat*, quod etiam Prælati Regulares circa suos subditos Casus reservent, & ab iisdem absolvant, quin tamen habeant potestatem conferendi Indulgentias. *Dicendum enim*; ejusmodi reservationes Prælatorum Regularium circa suos subditos aut esse diversæ naturæ à reservatione Episcopali; aut Prælatos agere tanquam Delegatos Summorum Pontificum vel Episcoporum.

Quæritur 29. An pœnitens habens inter peccata mortalia unum reservatum possit confessario inferiori confiteri sola peccata non reservata; vel Superiori solum reservatum?

Respondeo: Id nec licitè fit, nec validè. Ratio est; quia nunquam extra casum necessitatis, aut moralis impotentiæ licet dimidiare confessionem. Ita colligitur ex damnatione propositionis 59. Damnatæ ab Innocentio XI. quæ sic habet: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantùm confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ festivitatis aut indulgentiæ.*

Probatur 2. Ex natura Sacramenti Pœnitentiæ. Quia, prout Disput. 5. Q. 1. ostensum est, absolutio Sacramentalis est authoritativa commutatio obligationis rigorosæ satisfaciendi offenso juxta ejus arbitrium in ordine ad obtinendam remissionem peccati quoad reatum culpæ. Sed ad ejusmodi commutationem, ut prudenter fiat, requiritur cognitio de toto statu culpabili pœnitentis. Neque enim homo aut Deus per ministrum prudenter rediret in gratiam cum inimico, si tantum deprecaretur pro una offensa & non pro altera; aut se offerret ad sanctificationem pro una injuria, & non pro altera. Itaque, ut æquum sit judicium inter hominem & Deum, pœnitens debet se coram Ministro Dei accusare de omnibus peccatis, quorum recordatur, & quæ potest confiteri.

Dices: Etiam in hoc casu intervenit ratio excusans ab integritate Sacramenti, nempe impotentia ex parte Confessarii, utpote destituti authoritate absolvendi à casu reservato.

Respondeo: Eam impotentiam Confessarii non impedire, quin possit absolvere à casu reservato saltem indirectè; ad quod tamen, ut prudenter fiat, præerequiritur accusatio de omnibus peccatis, & oblatio ad satisfactionem juxta arbitrium offensi ex parte pœnitentis.

Quæritur 30. An Superior, quando confessarius inferior ab eo in casu particulari petit licentiam absolvendi à casu reservato, possit exquirere nomen personæ, aut speciem delicti?

Respondeo 1. Superior in tali casu rectè exquirit speciem delicti. Ratio est, quia ista notitia servit ad præscribendam congruam satisfactionem absque respectu personarum, quam congruitatem Confessarii inferiores sæpe non attendunt. Dein ea notitia ipsum dirigit ad hoc, ut sciat, quænam genera delictorum magis grassentur, atque ut iis opportuna remedia adhibeat, atque in concedenda licentia absolvendi se difficiliorem exhibeat.

Respondeo 2. Superiorem quidem posse ex gravi motivo exigere, ut delinquens se personaliter sistat, ac competentem satisfactionem & absolutionem accipiat in foro interno. Si tamen Superior nolit ipsemet in persona excipere confessionem pœnitentis, non potest exquirere nomen delinquentis, vel alias circumstantias, ex quibus facile possit deveniri in notitiam rei. Ratio est, quia prout Q. 8. ostensum est, actus merè interni, aut prorsus occulti, semper comprehendebantur sub Sigillo Sacramentali; quod tamen violaretur, si Superior extra confessionem Sacramentalem postularet nomen delinquentis. *Nec obstat*, quod in primitiva Ecclesia etiam occultorum criminum rei adstricti fuerint ad pœnitentiam solennem, & ea de causa in Cœna Domini

mini pro obtinenda absolutione præsentari Episcopo, qui eoipso agnoscebat personam rei. *Dicendum* enim, eos, qui ob delictum prorsus occultum referebantur à Confessario in ordinem pœnitentium, tantùm fuisse missos in ordinem *Consistentium*, in qua Classe eo tempore etiam versabantur plurimi sine ulla infamia aut nota gravioris criminis. Concilium Nicæoum Can. 13. dicit: *Si deploratus, & communionem assecutus rursus convaluerit, sit cum iis, qui orationum sunt tantùm communionis participes*; hoc est, in ordine consistentium. Ex quo patet, in eo ordine fuisse omnes etiam Christianos reconvalescentes, cum nemo voluerit mori sine pœnitentia.

Quæritur 31. An Superior possit confessarios inferiores obligare ad imponendas determinatas pro casibus reservatis pœnitentias?

Respondeo 1. Superior potest obligare confessarios ad imponendas tales determinatas pœnitentias. Id Probatur ex eo, quia antiquitus Canones pœnitentiales nil aliud erant, quàm taxatio ejusmodi pœnitentiarum pro peccatis reservatis, prout Q. 4. & 5. ostensum est.

Respondeo 2. Id etiam sapienter facturum Episcopum vel Prælatum, si advertat, Confessarios nimis esse laxos in imponenda proportionata delictis pœnitentia. Ratio est; quia alioquin vix ullus obtinetur finis reservationum; cum facile possint inveniri Confessarii habentes facultatem absolvendi à casibus reservatis. Utraque Responsio Confirmatur ex Decreto Clementis VIII. de Casibus reservatis Regularium, ubi sic habetur: *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.*

Quæritur 32. Utrum in articulo mortis quilibet Sacerdos licitè & validè absolvat à Casibus reservatis?

Respondeo: Si verè *articulus*, hoc est, periculum mortis immineat, & alius Confessarius habens facultatem absolvendi à reservatis desit, quilibet Sacerdos potest absolvere à reservatis. Si autem adsit ipse Superior, vel alius ab eo habens facultatem absolvendi, id non potest fieri validè. Id imprimis probatur ex primitivæ Ecclesiæ praxi, ubi Sacerdotibus inferioribus tantum licebat moribundos *reconciliare*, seu absolvere à Casibus reservatis ad pœniteotiam solennem, quando aberat, aut sic fieri jusserat, Episcopus. Concilium Eliberitanum Can. 32. dicit: *Apud presbyterum, si quis in ruinam mortis inciderit, placuit pœnitentiam agere non debere, sed potius apud Episcopum.* Et Coocilium Carthaginense 2. c. 4. *Si quisquam in periculo mortis fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare.* Et Concilium Carthaginense 3. c. 32. *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Vide Morinum de Pœnit. l. 9. c. 22. Cæterum, quod absente alio presbytero approbato & habente facultatem absolvendi à reservatis quilibet possit absolvere, declarat Concilium Tridentinum Sessione 14. c. 7. his verbis: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in mortis articulo; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Dixi, *si alius Sacerdos approbatus haberi nequit.* Ita enim verba Trideotini à Rituali Romaoo explicantur, ubi dicitur: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscunque censuris & peccatis absolvere.*

Quæritur 23. Utrum absolutus in articulo mortis à peccato reservato, facta recoovalescentia teneatur adire superiorem pro absolutione.

Respondeo 1. Absolutus in articulo mortis à peccato reservato ratione excommunicationis reservatæ non tenetur facta reconvalescentia se sistere Superiori *pro obtinenda absolutione* ab excommunicatione. Absurdum enim foret, ut jam provisus S. Commuoione re incidat in excommunicationem sine nova culpa. Ita docet D. Cyprianus Epist. 52. *Si qui infirmitatibus occupantur, illis in periculo subvenitur. Posteaquam tamen subventum est, & periclitantibus pax data est, suffocari à nobis non possunt. -- Qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hic quoque ad vitam perceptam pace teneant.* Vide Morinum l. 10. c. 14. Ita etiam expresse docet D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 1. qq. 3. ad 2. ubi sibi ita objicit: *Si quilibet Sacerdos in articulo mortis posset absolvere à quolibet peccato, non deberet pœnitens, si evadit, ad suum sacerdotem recurrere, quod falsum est.* Ad hanc objectionem sic respondet: *Dicendum, quod non oportet, eum ad proprium sacerdotem recurrere, ut iterum à peccatis solvatur, à quibus in articulo mortis absolutus est, sed ut innotescat ei, quod est absolutus. Nec similiter oportet, quod absolutus ab excommunicatione ad judicem vadit, qui aliàs absolvere potuisset absolutionem petens sed satisfactionem offerens.* In hoc textu, qui in ultimia verbis videtur esse mancus & truncatus, D. Thomas solùm docet, quod absolutus ab excommunicatione non debeat de oovo postulare absolutionem, non tamen negat, quod recuperata sanitate debeat recurrere ad Superiorem ut se offerat ad competentem satisfactiooem seu pœnitentiam satisfactoriam à Superiore injungendam, prout dicetur in sequente Responsione.

Respondeo 2. Absolutus in articulo mortis à quacunque excommunicatione reservata, est obligandus, ut recuperata sanitate se sistat reservanti, vel delegato, non quidem pro nova absolutione, sed ut se ad satisfactionem sibi imponendam offerat. Ita habetur expresse in c. eos, qui. 22. de seot. excomm. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic decernit: *Eos qui à sententia Canonis vel hominis, cum ad illum, à quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur, si cessante postea periculo vel impedimento hujusmodi se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quàm cito commode poterunt, contempserint præsentare, mandatum illius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout justitia suadebit, decernimus, ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ, in eandem sententiam recidere ipso jure.*

Respondeo 3. Si quis in articulo mortis à non habente facultatem absolvendi à casibus reservatis absolvitur à peccato directè reservato, obligandus est, ut facta reconvalescentia se sistat Superiori vel ejus delegato. Id *Probatur* ex perpetua praxi Ecclesiæ. Sic Concilium Nicænum Sæculo 4. Can. 13. dicit: *Si deploratus & communionem assecutus rursus convaluerit, sit cum iis, qui orationum tantùm communionis sunt participes.* 2. Felix III. ad finem Sæculi 5. Epist. 7. *Si ante præfinitum pœnitentiæ tempus desperatus à medicis, aut evidentibus mortis pressus indiciis recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus in eo, quod Nicæni Canones ordinaverunt, ut habeatur inter eos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem præstitutum.* Idem repetit Martinus Bracarensis in sua Canonum Collectione, c. 82. Burchardus l. 18. c. 6. Ivo p. 15. c. 31. 3 Concilium Carthaginense 4. c. 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione* (Episcopali) *si supervixerint.* 4. Capitularium Caroli M. l. 5. c. 61. *Placuit his, qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum, communicari, pro eo, quod honoraverint pœnitentiam. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut legitimam communionem statuto tempore reconciliatione, & manus impositione Episcopi, vel ejus jussu presbyteri, recipiant.* Vide Morinum l. 10. c. 14. 5. Concilium Eboracense 1194. Can. 11. *Si qui de perjurio pœniteant, ad Episcopum vel generalem Diœcesis confessorem absente Episcopo transmittantur, ab eo pœnitentiam suscepturi. In extremis verò laborantibus injunuenda* (provisionaliter,) *non imponenda est pœnitentia; eisque firmiter injungatur, ut si vixerint, Episcopum vel generalem Diœcesis confessorem absente Episcopo adeant, ut eis pœnitentia injungenda sit.* Ex his & pluribus ejusmodi Conciliis patet; à Concilio Tridentino, dum asserit; *ab Ecclesia, semper custoditum fuisse, ut in articulo mortis nulla sit reservatio*, tantùm intelligi potuisse reservationem excommunicationis majoris; aut, si intelligendum de quovis genere reservationis, non potest explicari de *nullitate* reservationis radicali, aut virtuali, obligante post recuperatam valetudinem ad se sistendum Superiori; neque enim ejusmodi *nullitas* reservationis *semper* custodita fuit in Ecclesia, ut patet ex dictis. Et hinc Wigandt, qui tenet hanc nostram sententiam, rectè observat, etiam D. Thomam tantùm loqui de reservatione excommunicationis. *Confirmatur* ex dicendis Q. sequente.

Quæritur 34. Quid observandum, si quis in articulo mortis absolvatur à casu comprehenso in Bulla Cœnæ?

Respondeo: Confessarius debet obligare pœnitentem ad hæc tria: 1. ut pœnitens præstet cautionem de satisfaciendo parti læsæ. 2. Ut juret de parendo mandatis Ecclesiæ. 3. Ut juret de se sistendo superiori vel ejus delegato, quamprimum comode poterit. Ita continetur in Bulla Cœnæ his verbis: *A prædictis sententiis nullus per alium, nisi per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit;* quæ verba Thomas Sanchez l. 2. c. 13. n. 17. &c. sic explicat: „Cautio de stando mandatis Ecclesiæ est juramentum. Quod idem juramentum absolvendus à quibusdam aliis excommunicationibus præstare jubetur. c. de cætero. & c. ex tenore de sent. excommun. Et quamvis Hostiensis dicat, in omnis excommunicationis absolutione exigendum esse; & econtra Metina dicat, in sola percussione Cardinalium & Episcoporum & similium personarum, neuter intentum probat. Et ideo dicendum est, in sola excommunicatione ob magna crimina exigendum esse. Quippe ex jure nil aliud colligi potest. Dum enim id petit, loquitur de incendiariis, & manifestis Clericorum percussoribus. Et ita docent *Cajetanus V.* absolutio. *D. Antoninus* 3. p. l. 24. c. ult. §. 1. Sylvester V. absol. 3. §. 3. Suarez 5. Tom. in 3. p. D. 19. l. 2. n. 10. & multi alii. -- Nec vi hujus mandati contrahitur nova obligatio servandi quæcunque Ecclesiæ præcepta, sed illud solùm, quod absolvens injunxerit. Nec absolvens potest quodcunque injungere, sed id tantum, ne iterum illud crimen patret, ob quod in excommunicationem incidit, ut expresse habetur c. de cætero. De sent. excomm. & tradunt Glossa, Nav. Syl. Suarez. Secunda cautio exigcuda ab absolvendo in articulo mortis ab hæresi & reliquis casibus Bullæ Cœnæ est de satisfaciendo. Cujus cautionis nomine intelligitur pignoratitia, aut si hæc præstari nequit, fidejussoria, aut si nec hæc, juratoria. Idque prudentis arbitrio relinquendum, ut bene ex Cajetano, & Navarro tradit Suarez. At in casu hæresis, cum nulla satisfactio pecuniaria exhibenda sit, non exigitur fidejussor, aut pignus; sed solum satisfaciendi juramentum. Et hoc, quando ex justitia debetur aliqua satisfactio; ut si hæreticus aliquos deceperit; tenetur enim, illis fraudem detegere; ut traditur communiter de Restitutione. Tandem absolvendo in articulo mortis aut cujusvis impedimenti à quacunque excommunicatione sive juris sive hominis, reservata, sive Pontifici, sive cuicunque inferiori, tenetur confessarius injungere, ut cessante eo morbo vel impedimento, se præsentet Superiori, qui extra eum casum eum de jure poterat absolvere. Quod si non se præsentarit, quàm commodè poterit, reincidet in eandem excommunicationem. -- Atque hoc tempus taxandum est prudentis arbitrio habita consideratione personæ, temporis, & loci, ut bene tradunt *D. Antoninus Sylvester, Navarrus, Sayro*; quod benignè interpretandum docent *D. Anton. Sylv. & Sayr.* Et hoc se præsentandi onus est sub juramento imponendum. Quamvis enim *c. eos, qui de sent. excomm. in 6.* hujus juramenti mentio non fiat; at fiat *c. quamvis. & c. nescitur. de sent. excomm.* in absolutione ab excommunicatione Clerici præstita ab inferiori ratione alicujus impedimenti. Et ita hoc juramentum semper exigendum esse, præterquam à pueris, tradunt *Navarrus* in Man. c. 27. n. 89. *Corduba*

„ *duba* q. 18. p. 1. *Manuel* in Bulla Cruc. Hæc „ autem præsentatio non est, ut iterum is ab ex„ communicatione absolvatur. Quia plenè ab „ illa absolutus est. Sed, ut superior conve„ nientem medicinam adhibeat, satisfactionem„ que imponat, si imponendam judicarit. Et ita „ expresse colligitur ex *c. quamvis. de Sent. excomm.* „ *& ex c. de cætero eod. tit.* & tradunt *Glossa*, *Abb.* „ *Henriq. Suarez* Tom. 4. in 3. p. D. 30. S. 3. n. 6. „ Et Tom. 5. D. 22. S. 1. n. 62. & multi alii. „ Hucusque Sanchez. Capitulum *Quamvis*, &, *de cætero* in quibus se fundat Sanchezius, jam relatum est supra Q. 19. n. 2. & 6.

QUÆRITUR 35. An hoc juramentum tantùm exigendum sit, si crimen sit publicum, seu jam deductum ad forum contentiosum?

RESPONDEO: Est exigendum etiam de crimine occulto. Ratio est, quia Summi Pontifices in Bulla Cœnæ de iisdem criminibus exigunt cautionem *parendi* & *satisfaciendi*, quæ in ea Bulla reservant. Ergo cum in Bulla Cœnæ etiam reserventur hæresis occulta, & alia crimina occulta, non potest esse prudens dubium, de iisnet requiri cautionem *parendi*, & *satisfaciendi* juxta arbitrium reservantis, ad quod requiritur ac ordinatur obligatio se sistendi. *Confirmatur* ex eo, quia nec Sacri Canones, nec authores directè respicientes ad mentem legum, ubi de obligatione pœnitentium ad hoc juramentum scribunt, distinguunt inter delicta occulta & publica.

QUÆRITUR 36. Quænam sunt causæ excusantes ab imponendo hoc onere se sistendi Papæ cessante periculo mortis vel alio impedimento?

RESPONDEO: Excusatur Confessarius ab imponendo hoc onere & ab exigendo juramento de se sistendo. 1. Si absolvat morientem virtute Jubilæi, aut specialis privilegii, in quo conceditur facultas absolvendi à Casibus Papæ, etiam in Bulla Cœnæ reservatis. 2. Quando impedimentum adeundi Papam videtur fore perpetuum aut aliàs diuturnum. Ita colligitur ex c. *quamvis. de Sent. Excomm.*

QUÆRITUR 37. Utrum ille, qui non potest adire Papam, aut Episcopum personaliter, nec teneatur illum adire per Procuratorem, vel per litteras, sic ut à quolibet Confessario instar eorum, qui constituti sunt in articulo mortis, absolvi possint?

RESPONDEO: Taliter impeditos, quantumvis impedimento perpetuo vel diuturno, non posse à quolibet sacerdote absolvi; sed tenentur vel adire Papam per litteras, aut tenentur adire Episcopum. Ratio est, quia, ut ostensum est Q. 19. Papa impeditos remittit ac reservat ad Episcopum; Ergo non concedit omnibus Sacerdotibus eorum absolutionem. Accedit, quod Papa aut Episcopus imprudenter ageret, relinquendo omnibus sacerdotibus facultatem absolvendi ab accessu personali impeditos. Sic enim tolleretur generaliter ut in pluribus vis & finis reservationum nervusque Disciplinæ Ecclesiasticæ circa graviora crimina, prout consideranti patet. Et hinc prorsus improbabilis est opinio Sanchezii l. c. n. 14. & aliorum asserentium, quod taliter impeditus nec teneatur adire Superiorem per litteras, nec per procuratorem; imo quod ne quidem teneatur uti Bullæ privilegio concedentis facultatem absolvendi, à Casibus Papæ reservatis. Ratio qua nituntur, nullius est valoris; dum asserunt, ex litteris vel ex procuratore oriri periculum retegendi criminis; quia procuratio aut litterarum scriptio nunc solet committi ipsi Confessario tecto nomine, qua cautela observata non est moraliter periculum revelationis. Possibilitates enim de casu extraordinario rarissimo non vocantur nec attenduntur tanquam pericula.

QUÆRITUR 38. Qualis sit forma absolutionis à Casu reservato?

RESPONDEO: Si peccatum reservatum nullam habeat annexam excommunicationem majorem, nulla opus est speciali forma. Si verò absolutio facienda sit ab Excommunicatione majore, ponitur in Rituali Augustano edito 1580. hæc instructio: *Ubi in foro non interiore sed exteriore quis absolvendus est ab excommunicatione majore — sequatur absolutionis forma in hunc modum. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate SS. D. N. Papæ, vel RRmi. Episcopi Augustani, vel ejus Vicarii, aut Officialis &c. &c. inquantum possum & valeo, absolvo te à vinculo excommunicationis majoris, quam incurristi propter hanc vel has causas. N. & N. & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Ubi autem in foro conscientiæ fit absolutio ab excommunicatione, possunt hæc prædicta vel omitti vel leniore modo adhiberi, sufficit enim in foro conscientiæ, ut absolvens authoritatem & rectam absolvendi intentionem habeat, atque ita dicat: *Ego te absolvo ab excommunicatione majore: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

QUÆRITUR 39. An quis in articulo mortis possit absolvi ab excommunicato, vel hæretico?

RESPONDEO 1. Ab excommunicato non denuntiato in articulo mortis licitè petitur & accipitur confertur absolutio. Ita communis. Ratio est; quia excommunicatus non denuntiatus adhuc retinet jurisdictionem sibi ab Ecclesia in bonum aliorum collatam. Cum ergo Tridentinum omnibus Sacerdotibus relinquat aut conferat jurisdictionem pro articulo mortis Sess. 14. c. 7. licite in eo casu absolvent etiam excommunicati.

RESPONDEO 2. Nominatim excommunicati ac denuntiati in articulo mortis constitutos nec licitè absolvunt, nec validè.

PROBATUR: Fagnanus in c. *non est vobis.* de spons. affert expressam pro Responsione Declarationem Cardinalium, his verbis: *Episcopus Valentinus petiit declarari; utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit in casibus reservatis absolvere quilibet Sacerdos etiam excommunicatus & denuntiatus, ut tenuit Navarrus de Regulis Confessariorum c. 27. n. 272. Congregatio generalis censuit, non posse; quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non possint etiam in hoc casu necessitatis.* Ita Fagnanus, qui testatur, Cardinales suam sententiam authoritate tredecim celeberrimorum authorum confir-

confirmasse, videlicet Magistri Sent. D. Thomæ, Scoti, Durandi, Capreoli, Richardi, Alensis, Paludani, S. Antonini, Bacconis, Turrecremata, Abbatis, Sylvestri, Soti, Decii, Navarri in Manuali c. 26. n. 26. Verum quidem est, quod in editione Manualis Navarri, quæ prodiit Herbipoli anno 1586. hoc est, triennio post ejus mortem reperiatur ejus revocatio; attamen in editione, quæ facta est, anno 1581. Anwerpiæ, neque c. 26. n. 26. neque c. 27. n. 272. reperitur ulla ejus revocatio. *Confirmatur*, quia non videtur conveniens, ut moribundus permittatur communicare cum notorio excommunicato denunciato; neque reperitur in documentis Ecclesiasticis exemplum, quod Sacerdotes degradati, aut rejecti ad communionem Laicam unquam vocati sint, aut venire permissi sint ad moribundum. NEC OBSTAT, quod Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 7. asserat; *quoslibet sacerdotes pro articulo mortis habere facultatem absolvendi.* Loquitur enim de sacerdotibus adhuc habentibus communionem Ecclesiæ. Certè, si Concilium respexisset etiam ad Sacerdotes à communione fidelium sejunctos, aut si de his sacerdotibus in præviis Congregationibus deliberativis fuisset motus sermo, aut dubium, id non latuisset Cardinalem Joannem Moronum, qui tanquam Legatus Pii IV. Concilio subscripsit, & Congregationi, in qua illa Declaratio Cardinalium edita est, præsederat, & Cardinalem Philippum Buoncompagno, qui & ipse adhuc existens Episcopus Concilio interfuit; qui tamen præfatæ Declarationi Cardinalium etiam ipse intererat. Vide Pontasium V. absolutio. Cas. 34.

QUÆRITUR 40. Quænam requirantur ad incurrendum Casum reservatum?

RESPONDEO: Requiritur 1. ut actus sit certò peccatum mortale, prout ostensum est Q. 22. 23. & 27. quia peccata venialia, aut dubia non sunt materia reservationis, si dubium sit strictè tale, & non militet contra reum in foro externo violenta præsumptio; prout dictum est Q. 23. 2. ut actus sit externus, prout ostensum est Q. 7. 3. ut actus sit certò comprehensus sub reservatione, prout dictum est Q. 24. 4. ut actus, cui annexa est reservatio ratione excommunicationis, à pœnitente scitus fuerit esse prohibitus sub excommunicatione, nec appareat causa excusans ab excommunicatione. Inter causas autem excusantes ab excommunicatione est *ignorantia probabilis* censuræ, prout loquitur Gregorius IX. in C. *quamvis* de Sent. Excomm. prout opponitur ignorantiæ *crassæ* vel *affectatæ*, prout patet ex illo Capitulo. 5. Communis Authorum ad incurrendam censuram etiam requirit, ut actus sit *consummatus*; hinc nisi copula in incæstu v. g. vel adulterio fuerit perfecta, vel nisi mors fuerit secuta ex vulnere, existimant, non incurri casum reservatum ratione incæstus, adulterii, homicidii, &c. Verùm quia hoc requisitum non est extra controversiam

QUÆRITUR 41. An ad incurrendum Casum reservatum requiratur actus consummatus?

RESPONDEO: Quando etiam actus non consummatus propriè juxta stylum Ecclesiæ comprehenditur sub significato termini in Decreto reservationis adhibiti, ad incurrendum Casum reservatum sufficit actus non consummatus. Ratio est; quia licet reservationes sint strictæ interpretationis, termini tamen generales restringendi non sunt ultra proprietatem verborum, atque ultra intentionem Legislatoris aliunde notam. Sic quando reservatur incæstus, reservatus esse censendus est omnis actus, qui venit in Stylo Ecclesiastico sub termino generico incæstus; & quando prohibetur absolutio conferri homicidis, ea prohibetur conferri omnibus, qui veniunt in idiomate Ecclesiastico nomine homicidarum.

QUÆRITUR 42. Quid in Diœcesi Augustana intelligitur per *homicidium voluntarium?*

RESPONDEO: Intelligitur omnis actus externus intentione directa vel indirecta mortaliter peccaminosa efficaciter influens in occisionem hominis, ac sufficiens ad denominandum homicidam. Unde hoc termino comprehenditur 1. Suicidium. 2. Parricidium. 3. Procuratio abortus in se vel alia persona, si fœtus fuerit animatus.

Probatur hæc explicatio. In Synodo Augustana anno 1610. eadem fuit reservatio facta quoad homicidium, quæ jam prius statuta erat in Synodo 1355. 1542. 1548. & in Rituali 1580. & quæ per Cardinalem Campegium anno 1524. in Conventu Ratisbonensi decreta fuit pro omnibus Episcopatibus Germaniæ retinenda esse; sed in omnibus his Synodis, & Constitutionibus reservatur omne id, quod facit *homicidam*, quia prohibetur absolvi *homicida*. Cum ergo omnis actus externus efficaciter influens in homicidium faciat *homicidam*, prout ex Actis Ecclesiasticis, & Conciliis, & Corpore Juris constat, omnis ejusmodi actus comprehendi sub reservatione censendus est. Quod autem in Synodo Augustana 1610. eadem peccata, quæ jam prius reservari consueverant, retenta sint, indicant illa verba Synodi: *Hanc potestatem jam ante ab Antecessoribus nostris concessam confirmamus, ut à quibuscunque peccatis occultis absolvere possint, exceptis homicidio, &c.*

CONFIRMATUR. Campegius, & Diœcesis Augustana hac reservatione proximè æmulabatur morem primitivæ Ecclesiæ, præsertim Romanæ, in qua primis temporibus ad pœnitentiam solemnem reservabantur hæc tria genera: Homicidium, idololatria, mœchia. Ergo cum primis illis temporibus sub homicidio comprehensi fuerint etiam mandantes & cooperantes, prout patet ex Pœnitentiali Romano, eosdem nunc comprehendi censendum est.

QUÆRITUR 43. Unde probetur, quod homicidæ termino comprehendatur, qui procuravit abortum?

RESPONDEO: Probatur 1. ex Jure Canonico l. 5. de Homicidio c. 5. *Si aliquis homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad portandum dederit, ut non possit generare, aut concipere vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* Hic Canon desumptus est ex Concilio Wormatiensi. 2. Sixtus V. in Bulla, *Effrænatam*, edita anno 1588, dicit: *Omnes tam viros quàm mulieres, qui de cætero per se aut per interpositas personas abortus, seu fœtus immaturi, tam animati quàm inanimati, formati, vel informis ejectionem procuraverint,*

rint, ita ut reipsa abortus secutus fuerit, pœnas tam divino quàm humano Jure adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & reipsa patraverint, eo ipso incurrere statuimus. In his duobus textibus, licet procurantes abortum fœtus nondum animati non habeantur pro veris homicidis, sed tantùm æquiparentur homicidis in pœna; exinde tamen argumentari licebit, quod sicut procurantes abortum fœtus non animati per aliam personam æquiparantur quoad pœnam homicidis talibus fictione juris, ita procurantes per aliam personam abortum fœtus animati æquiparandi sint veris homicidis quoad reservationem.

Probatur 3. D. Augustinus & Innocentius III. præcise eos à reatu homicidii eximunt, qui fœtum inanimatum corrumpunt. Ergo eos à reatu homicidii non eximunt, qui fœtum animatum corrumpunt. S. Augustinus l. qq. in Exodum q. 80. dicit: *Quod* (Lex) *non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputavit, quod tale in utero geritur. -- Ideo Lex* (Moysaica) *noluit ad homicidium pertinere; quia nondum dici potest anima viva in eo corpore, quod sensu caret.* Et Innocentius III. C. de homicidio dicit: *Accepimus, quod quidam Presbyter mulierem prægnantem per Zonam arripuerit; ipsa per hoc abortivit. Respondemus, quod si nondum erat vivificatus conceptus, ministrare poterit;* hoc est, non incurrit irregularitatem ex homicidio.

Si quæras, quandonam fœtus censeri debeat animatus anima rationali?

Respondeo: Juxta modernos Medicos embrionem statim animari in conceptione, sicut contingit in pullis ovorum. Thomistæ, qui admittunt successionem animarum, possunt eam animationem serius admittere. Idipsum in nostra Philosophia admitti potest, ubi docui, ante infusionem animæ rationalis dari *virtutem plasticam*, à qua formetur corpus animale in utero. Cæterùm cum ista incerta sint, & ab experientia constet, embrionem expleto quadragesimo die quoad caput & pectus jam distinctè referre corpus humanum, quamvis distinctio sexus non ita distinctè appareat; moraliter certum erit, & præsumptivè ita judicandum, jam tunc infusam esse animam rationalem. Cæterùm, quamvis abortus fœtus præsumptivè inanimati de facto non contineatur propriè sub casu reservato homicidii, mereretur tamen speciatim reservari, seu potius referri ad homicidium, tanquam *dubium*, eò quod juxta opinionem Medicorum recentiorum fœtus jam animetur in ipsa conceptione; tum etiam, quia jam in primitiva Ecclesia procuratio ejusmodi abortus jam fuit relatus ad Casum reservatum homicidii in ordine ad pœnitentiam solennem. Id patet ex D. Basilio in Epistola Canonica ad Amphilochium, ubi recenset Canones Pœnitentiales, seu Casus reservatos ad pœnitentiam solennem. Can. 2. sic habet: *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Hic enim non solùm quod nasciturum fuit, vindicatur, sed etiam ipsa, quæ sibi insidias paravit; quoniam ut plurimum ejusmodi inceptis una quoque mulieres intereunt.* Theodorus Balsamon in explicatione hujus Canonis reddit aliam valde idoneam causam reservationis; quia nempe ejusmodi nondum animatus jam habet *characterem hominis*, hoc est, organizationem interiorum partium, puta cordis, & cerebri, & aliorum vasorum, potius convenientem ac propriam naturæ humanæ quàm brutali; ita ut ejusmodi corpus embrionis, utut nondum animatum, ipsa sua specifica organizatione naturaliter exigat potius animam rationalem, quàm irrationalem. Imo ejusmodi corpus sic organizatum jam babet *jus ad rem*, nempe ad animam rationalem. Hinc, prout Estius in 4. dist. c. n. 14. p. 3. discurrit: *Sicut is, qui non quidem alienam tollit, sed tamen alium impedit, ne lucrum faciat, quamvis propriè non furetur, peccat tamen contra septimum præceptum Decalogi; ita qui futurum hominem impedit, etsi propriè non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato, quod ad homicidium reducatur.* Idem confirmatur ex *Tertulliano*, qui in Apologetico c. 9. scribit: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet: homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus; etiam fructus omnis jam in semine est.* Sic & Minutius Felix in suo Dialogo Gentiles alloquens ait: *Sunt, quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant. Et hæc utique de Deorum vestrorum disciplina descendunt.*

Quæritur 44. Quid in Diœcesi Augustana intelligatur per *hæresin* reservatam Episcopo?

Respondeo: Intelligitur hæresis occulta, nondum deducta ad forum contentiosum. Licet enim hæresis ejusmodi sit Casus reservatus Summo Pontifici in Bulla Cœnæ, jam tamen supra Q. 10. n. 3. & Q. 13. ostensum est, Episcopos Germaniæ eam facultatem absolvendi ab hæresi occulta, eamque sibi reservandi, habere per speciale Indultum Pontificium, *declaratum* à Cardinali Campegio, Legato Apostolico in Conventu Ratisbonensi anno 1524, & *conservatum* ab Othone Truchsessio Cardinali, & Episcopo Augustano anno 1548, quo celebravit Synodum, & anno 1570, quo scripsit Romæ Rituale Augustanum, editum ab ejus Successore anno 1580, nec non *continuatum* à Marquardo Episcopo in Rituali 1580, & ab Henrico Episcopo in Synodo 1610. Et hoc sequitur; ab hæresi occulta per Diœcesin Augustanam nullum Confessarium posse absolvere vi privilegii, si quod haberet, absolvendi ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis, ne quidem excepta hæresi. Ratio est; quia in concessione generali absolvendi à Casibus Papæ reservatis Pontifex non intendit comprehendere facultatem absolvendi à Casibus Episcopo specialiter reservatis, prout ostensum est supra Q. 16. & 18. Si tamen Episcopus tempore Jubilæi, vel in casu ejusmodi specialis privilegii Pontificii non haberet particulare motivum, sibi retinendi hæresin occultam, v. g. ob invalescentes in Diœcesi occultas hæreses, verosimile est, cum in promulgatione Jubilæi, vel aliàs se conformaturum generali Concessioni Pontificiæ.

Quæritur 45. Quales sint Excommunicationes Papæ reservatæ? aut non reservatæ?

Respondeo: Exactiùs illas enumerat Pisellus in *Summa Theologiæ Moralis*, qui Papæ reservatas recenset ducentas sexaginta novem; non reservatas autem centum quinquaginta. Cum igitur omnes posteriores in nostra Diœcesi Augustana *directè* vi Statutorum Synodalium sint reservatæ Episcopo; priores verò eidem sint reservatæ saltem *indirectè* respectu eorum, qui Papam accedere nequeunt, omnes hoc loco enumerandas censui, ne Clerici semetipsos decipiant, existimantes, se excusari per ignorantiam à reservatione incurrenda aut Pœnitentibus denuntianda. Ut enim concesserim, ignorantiam *probabilem* excusare ab incurrenda excommunicatione & annexa reservatione, ita indubitatum suppono, ignorantiam *affectatam* non excusare, qualis foret, si Clericus oblata sciendi occasione studiose lectionem horum Casuum devitaret. Casus autem à Pisello enumerati, quibus inter Casus Papæ non reservatos addidi *Percussionem Clerici non enormem*, sunt sequentes:

EXCOMMUNICATIONES

Latæ sententiæ,

Ac

PAPÆ RESERVATÆ,

Quibus subjiciuntur.

A.

Absolventes à Casibus reservatis absque facultate. *Decret. S. Congr. Episc. & Regul. confirmat. à Clemente VIII.*

Absolventes à culpa, & pœna per indulgentiam, si sunt Regulares. *Clem.* 1. *Religiosi*, *de privileg.*

Absolventes prætextu gratiarum Sixti IV. à casibus Bullæ Cœnæ. *Extravag. & si dominici Gregis*, *de pœnit. & remiss.*

Absolventes Sacramentaliter excommunicatum à Papa. *Cap. significavit*, *de sent. excom.*

Absolvendi facultatem publicantes ad faciendum quæstum. *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit - - *Quàm plenum.*

Absoluti in articulo mortis à censura Papæ reservata se non præsentantes. *Cap. eos qui*, *de sent. excom. in* 6.

Absolutionem datam ab absente validam esse docentes. *Bulla* 87. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Sanctissimus.*

Accessum ad Romanam Curiam pro impetrandis Apostolicis Litteris prohibentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Agentium in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Alienantes bona Ecclesiæ Romanæ, & alienari consulentes. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit - - *Admonet nos.*

Ambitum ad Papatum denunciare omittentes. *Bulla* 16. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Cùm secundùm Apostolum.*

Ambitus, & tractatus pactionales super electione Papæ eo vivente facientes. *Bulla VI. Pauli IV.* quæ incipit - - *Cùm secundùm.*

Ambitus, tractatus pactionales super electione Papæ Sede vacante facientes. *Bulla* 13. *Gregorii XV.* quæ incipit - - *Æterni Patris.*

Annonam hostibus Christianorum deferentes. *Bulla Cœnæ*, §. 7.

Annonam ad Romanam Curiam deferri prohibentes, vel impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Annonam à Statu Ecclesiastico mercimonii causa extrahentes. *Bulla* 28. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Superni*, §. 5.

Apostatæ à Fide. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Apostatas à Religione recipientes. *Bulla* 14. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Postquam.*

Apostolicæ Sedis Legatos, vel Nuncios offendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Apostolicam ad Sedem venientium, ex ea recedentium, aut in ea commorantium offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 9.

Apostolicas Litteras falsificantes, ac publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 6.

Apostolicarum Litterarum impetrationem, executionem, vel usum prohibentes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Appellantes à Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 2.

Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam potestatem à litteris Papæ, vel ipsius Officialium. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam potestatem à decretis Judicis Ecclesiastici. *Bulla Cœnæ*, §. 16.

Archi-Episcoporum offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Arma deferentes ad hostes Reipublicæ Christianæ. *Bulla Cœnæ*, §. 7.

Astrologi divinantes super vita, ac morte Papæ, sive super statu Sedis Apostolicæ, vel Reipublicæ Christianæ. *Bulla* 113. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Inscrutabilis.*

Avocantes causas spirituales, vel spiritualibus adnexas à Judicibus Ecclesiasticis, ac fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Auxilii Divini Tractatus edentes, legentes, imprimentes, vel retinentes. *Decret. Congreg. S. Offic. anno* 1625. *die* 22. *Maji*, *& anno* 1641. *die* 1. *Augusti.*

B.

Beneficium in Ecclesiasticum se intrudentes. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 11. *de reform.*

Beneficia, & pensiones recipientes in confidentiam (nisi sint Cardinales, & Episcopi, cùm hi incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ) *Bulla* 85. *Pii IV.* quæ incipit - - *Romanum Pontificem.*

Beneficiorum Simoniaci, ac complices. *Bulla* 85. *Pii V.* quæ incipit - - *Intolerabilis.*

Beneficiorum obtentores pro aliis se supponentes. *Bulla* 12. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Inter cæteras.*

Beneficiorum fructus, vel jura usurpantes, aut sequestrantes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Beneficiorum redditibus onera imponentes, exigentes, vel recipientes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Beneficiorum vacantium fructus non applicantes juxta *Extravag. Joan. XXII.* - - *Suscepti regiminis* - - donec restituant.

Benefi-

Beneficiorum collatores violantes suspensionem ob collationem non factam juxta formam præscriptam in *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit - - *Quanta.*

Beneficiales causas à Judicibus Ecclesiasticis avocantes. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Beneficiatis pro collatione, seu possessione aliquid petentes, vel exigentes. *Bulla* 104. *Pii V.* quæ iocipit - - *Durum nimis* - -

Beneficiatis juramenta illicita exigentes. *Bulla* 93. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Inter Apostolicas.*

Bona Ecclesiæ ob delictum Clericorum confiscantes, nisi restituant. *Clementina. Nolentes, de hæretic.*

Bona Ecclesiastica usurpantes, vel usurpata recipientes. *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Breviaria cootra præscriptum Concilium Tridentinum imprimentes. *Constitut. Clementis VIII. in Breviario.*

C.

Cameræ Apostolicæ Mioistri computa non describentes. *Bulla* 40. *Pauli III.* quæ incipit - - *Cum sicut accepimus.*

Cameræ Apostolicæ scripturas detinentes, vel non revelantes. *Bulla* 56. *Sixti V.* quæ incipit - - *Non fine maxima.*

Cardinales eligeotes Papam simoniacè. *Bulla* 3. *Julii II.* quæ iocipit - - *Cùm tam Divino.*

Cardinales non eligentes juxta formam præscriptam in *Bulla* 13. *Gregorii XV.* quæ incipit - - *Æterni Patris.*

Cardinales revelantes Secreta Concistorii. *Bulla* 7. *Leonis X.* quæ incipit - - *Supernæ*, §. 30.

Cardinales offensores, vel persecutores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Cardinalium offensores denunciare omittentes. *Bulla* 93. *Pii V.* quæ incipit - - *Infelicis Sæculi.*

Cardinalium in Conclavi existentium bona invadentes. *Bulla* 16. *Leonis X.* quæ incipit - - *Temerariorum*, §. 3.

Cardinalium de promotione pacifcentes. *Bulla* 4. *Gregorii XIV.* quæ incipit - - *Cogit nos.*

Causas spirituales, vel spiritualibus adnexas à Judicibus Ecclesiasticis avocantes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Causis criminalibus Ecclesiasticorum Laici se interponentes. *Bulla Cœnæ*, §. 19.

Causas civiles Ecclesiasticorum ad Tribunal laicale trahentes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Censuras violari temporales Domini facientes. *Clementina Gravis*, *de sent. excom.*

Censuram suspensionis à potestate providendi de beneficiis violantes. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit - - *Quanta.*

Censurarum latrones offendentes. *Cap. quicumque*, *de sent. excomm. in* 6.

Christianorum hostibus auxilium præstantes. *Bulla Cœnæ*, §. 7.

Christianos apud Turcas capientes, vel captis libertatem oon reddeotes. *Bulla* 149. *Pii V.* quæ incipit - - *Licèt omnibus.*

Clausura Moniales egredientes, earumque fautores. *Bulla* 8. *Pii V.* quæ incipit - - *Cùm pastoralis*, & *declaratio*, quæ incipit - - *Decori.*

Clausuram Monialium violantes. *Bulla* 74. *Pauli V.* quæ incipit - - *Monialium.*

Clerici communicantes in Divinis cum excommunicato à Papa. *Cap. significavit*, *de sentent. excom.*

Clerici facientes jurare, vel vovere pro sepultura in suis Ecclesiis. *Clement. Cupientes*, §. *Sanè*, *de pœnis.*

Clericorum percussores. *Can. si quis suadente* 17. *qu.* 4.

Conceptionem immaculatam B. Mariæ impugnantes. *Extravag. Grave nimis*, *de reliquiis*, & *venerat. Sanctor.*

Conclavistis mittentes, vel ex eis recipientes litteras super electione Papæ. *Bulla* 63. *Pii IV.* quæ incipit - - *In eligendis.*

Conclavistarum bona diripientes. *Concil. Constantiens. Sess.* 41. *decret. de non spoliand. eligend. in Pontific.*

Confessariom absentem posse absolvere docentes. *Bulla* 87. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Sanctissimus.*

Confiscans bona Ecclesiæ ob delictum Clericorum, nisi restituat. *Clement. nolentes*, *de hæret.*

Confideotia beneficiali dantes vel recipientes pensiones, vel beneficia, nisi sint Cardinales, & Episcopi, cùm hi iocurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ. *Bulla* 85. *Pii IV.* quæ incipit - - *Romanum Pontificem*, & *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit - - *Quanta Ecclesiæ.*

Conspirationem in Cardioalem non revelantes. *Bulla* 93. *Pii V.* quæ incipit - - *Infelicis Sæculi.*

Consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam servantes, vel servari facientes. *Cap. noverit*, *de sent. excom.* & *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Conventum Religiosorum Mulieres ingredientes. *Bulla* 20. *Pii V.* quæ incipit - - *Regularium.*

Curia in Romana jurisdictionem sibi usurpantes contra manentes in ea. *Bulla Cœnæ*, §. 9.

Curia in Romana promittentes, dantes, vel recipieotes aliquid pro gratia, vel justitia. *Bulla* 19. *Alexandri VII.* quæ incipit - - *Inter gravissimas.*

Curiam ad Romanam accessum pro impetrandis Apostolicis Litteris prohibentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

D.

Decimas Ecclesiasticis usurpantes, aut impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Decimas Religiosi usurpantes, vel earum solutionem impedientes, quando non habeot officium, vel beneficium (cùm tuoc suspendatur) & ante satisfactionem condignam non possunt absolvi nisi à Papa. *Clement.* 1. *de decimis.*

Decimarum causas à Judicibus Ecclesiasticis avocantes. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Defunctorum corpora immaniter tractantes. *Extravag. detestandæ*, *de sepul.*

Denunciare omittentes ambitum ad Papatum. *Bulla* 16. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Cùm secundùm Apostolum.*

Denunciare omittentes offensores, vel persecutores Cardinalium. *Bulla* 92. *Pii V.* quæ incipit - - *Infelicis Sæculi.*

Denunciare omittentes offensores collitigantium, eorumque Procuratorum in Curia Romana. *Bulla* 11. *Alexandri VI.* quæ incipit - - *In eminenti.*

Deposita

Deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum sequestrantes, vel occupantes. *Concil. Trident. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reformat.*

Dispensantes prætextu facultatis Sixti IV. à votis castitatis, Religionis, peregrinationis Jerusalem, Compostellam, & Romam. *Extravag. Et si Dominici Gregis* 2. *de pœnit. & remiss.*

Dogmata, vel miracula falsa, ac falsas revelationes prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit - - *Supernæ*, §. 5.

Duellantes, eorumque fautores. *Bulla* 78. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Ad tollendum*, & *Bulla* 11. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Illius vices.*

E.

Ecclesiæ bona ob delictum Clericorum confiscantes, nisi restituant. *Clement. Nolentes, de hæretic.*

Ecclesiæ Romanæ loca invadentes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 20.

Ecclesiæ Romanæ res alienantes, vel alienari consulentes. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit - - *Admonet nos*, & *Bulla* 4. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Sacrosancti.*

Ecclesias effringentes, vel spoliantes. *Cap. conquesti* 22. *de sentent. excom.*

Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum bona occupantes, vel sequestrantes. *Bulla Cœnæ*, §. 17. vel eorum usurpationem recipientes, vel eorum deposita occupantes, aut sequestrantes. *Concil. Trident. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reformat.*

Ecclesiasticæ libertati statuta contraria facientes, vel consuetudines contra ipsam servantes, aut servari facientes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Ecclesiasticos ad Tribunal laicale trahentes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Ecclesiasticorum causis criminalibus Laici se interponentes. *Bulla Cœnæ*, §. 19.

Ecclesiastici usum jurisdictionis impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 16. vel eis gabellas imponentes, exigentes, seu recipientes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Ecclesiastico in statu Officiales munera accipientes exceptis esculentis; & poculentis, quæ triduo servari non possunt. *Bulla* 15. *Sixti IV.* quæ incipit - - *Et si de cunctorum*, §. 3. & *Bulla* 3. *Pauli II.* quæ incipit - - *Munera.*

Ecclesiastico in statu dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel justitia. *Bulla* 10. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Pro commissa*, §. 22.

Ecclesiastico è statu annonam mercimonii causa extrahentes. *Bulla* 28. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Superni*, §. 5.

Electioni in Papatum consentientes, si fit facta à minori numero, quàm duarum partium Cardinalium, & si fit facta à sola tertia parte etiam acceptantes. *Cap. licet. de elect.*

Episcopum offendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 11. vel eum bannientes, aut capientes, eorumque fautores. *Clement.* 1. *Si quis suadente, de pœnis.*

Examinatores, qui aliquid recipiunt pro examine ad Parochiam. *Concil. Trid. Sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

Excommunicatus, suspensus, vel interdictus non parens monitioni de exeundo ab Ecclesia dum Missa celebratur, vel ipsum exire prohibentes. *Clement. Gravis, de sent. excom.*

Excommunicatum à Papa sacramentaliter absolventes, vel ipsum ad Divina admittentes. *Cap. significavit, de sent. excom.*

Excommunicatus à Delegato Papæ non parens infra annum. *Cap. quærenti, de Offic. Delegati.*

Excommunicato à Papa participantes in crimine criminoso. *Cap. nuper, de sent. excom.*

F.

Falsantes Litteras Apostolicas, vel eas publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 6.

Falsantes monetas Regis Franciæ. *Extravagan. prodiens, de crimine falsi.*

Fœminæ ingredientes Religiosorum Cœnobia. *Bulla* 20. *Pii V.* quæ incipit - - *Regularium.*

G.

Gabellas novas imponentes, & exigentes. *Bulla Cœnæ*, §. 5.

Gabellas Ecclesiasticis imponentes, cooperantes, exigentes, & recipientes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Granatenses laminas, vel libros de eis tractantes retinentes, imprimentes, vulgantes, & allegantes. *Decret. Congreg. S. Offic. anno* 1639. *die* 5. *Maji.*

Gubernatores Status Ecclesiastici recipientes munera exceptis esculentis, & poculentis, quæ triduo servari non possunt. *Bulla* 3. *Pauli II.* quæ incipit - - *Munera*, & *Bulla* 15. *Sixti IV.* quæ incipit - - *Etsi de cunctorum*, §. 3.

H.

Hebræorum Thalmuth, & alia impia scripta legentes. *Bulla* 20. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Cum Hebræorum.*

Hæretici formales, & externi, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Hæreticorum, vel fautorum corpora sepelientes in loco sacro, si ea non exhumarunt. *Cap. quicumque, de hæret. in* 6.

I.

Immunitatem Ecclesiarum, locorumque ea gaudentium violantes. *Bulla* 7. *Gregorii XIV.* quæ incipit - - *Cum aliàs.*

Immunitatem Ecclesiasticorum per impositionem onerum, vel per usurpationes, & sequestra, aut per tractionem ad Laicale Tribunal violantes. *Bulla Cœnæ*, §. 15. 17. & 18.

Impedientes causarum spiritualium cursum in foro Ecclesiastico, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Impedientes victualia Romanæ Curiæ. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Impedientes impetrationem, & executionem litterarum Apostolicarum, vel tali impedimento cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Imponentes Gabellas Ecclesiasticis, & cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Incendiarii excommunicati à quocumque quoad absolutionem. *Cap. tua nos, de sent. excom.*

Indulgentiam plenariam Religiosi concedentes. *Clement.* 1. *de privileg.*

Indul-

Indulgentias publicantes ob quæstum, si non sint Episcopi, vel Cardinales (cùm hi incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem à perceptione fructuum.) *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit - - *Quàm plenum.*

Infeudationem locorum Ecclesiæ Romanæ Papæ persuadentes. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit - - *Admonet nos.*

Ingredientes Monasteria Mulierum ad malum finem, vel prætextu facultatis à Papa, aut ab aliis concessæ, ac Moniales admittentes. *Bulla* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Ubi gratiæ.*

Inquisitores, eorumque substituti (si non sint Episcopi, cùm hi incurrant suspensionem) non procedentes adversus Hæreticos. *Clement.* 1. §. *Verùm, de hæretic.*

Inquisitionis processus, & secreta revelantes. *Cap. statuta*, §. *Et ut eorumdem, de hæret. in 6.*

Inquisitionis prætextu pecuniam extorquentes. *Clement. Nolentes, de hæretic.*

Inquisitionis cursum Regularium Superiores impedientes, vel retardantes. *Bulla* 26. *Pauli V.* quæ incipit - - *Romanus Pontifex*, §. 6.

Interdictum violantes per evocationem Populi ad Divina, & in aliis certis casibus. *Clement. Gravis; de sentent. excommun.*

Intrudentes se in beneficium Ecclesiasticum. *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Judicium in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Juramenta illicita, & libertati Ecclesiasticæ contraria à Beneficiatis, vel Prælatis exigentes. *Bulla* 93. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Inter Apostolicas.*

Jurisdictionis Ecclesiasticæ usum impedientes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 16.

Jurisdictionem non habentes, eamque sibi vindicantes contra manentes in Curia Romana. *Bulla Cœnæ*, §. 9.

Jurisdictionem procurantes à Conservatoribus excedi. *Cap. hac constitutione, de offic. delegat. in 6.*

L.

Laici se interponentes in causis Ecclesiasticis. *Bulla Cœnæ*, §. 14.

Laicam ad potestatem à litteris Papæ, ejusque Officialium recurrentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Laminas Granatenses allegantes. *Decret. Congr. S. Offic. anno* 1639. *die* 5. *Maji.*

Legatis ab Apostolicis recurrentes ad potestatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Legatorum Sedis Apostolicæ offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Libros Hæreticorum continentes hæresim, vel tractantes de Religione legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Libros, tractatus, seu compositiones de Auxiliis Divinis edentes, retinentes, legentes, vel imprimentes. *Decret. Congreg. S. Offic. anno* 1625. *die* 22. *Maji*, & *anno* 1641. *die* 1. *Augusti.*

Librum Thalmuth, & alios impios Codices Hebræorum legentes, retinentes, imprimentes. *Bulla* 20. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *Cùm Hebræorum.*

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Licentiam dantes gravandi eos, qui censuram tulerunt, vel quorum occasione est lata, post duos menses. *Cap. quicumque, de sent. excom. in 6.*

Litteras Apostolicas falsantes, vel falsas publicantes. *Bulla Cœnæ*, §. 6.

Litteras Apostolicas falsas retinentes infra viginti dies excommunicationis ferendæ à Diœcesano. *Cap. dura, de crimine falsi.*

Litteras S. Pœnitentiariæ impedientes. *Bulla* 1. *Julii III.* quæ incipit - - *Ratio congruit.*

Litterarum Apostolicarum impetrationem, executionem, vel usum prohibentes, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

M.

Marchiæ Anconitanæ Officialium offensores. *Extravag. dierum, de pœnis.*

Maris Pontificii Piratæ, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 3.

Matrimonio conjungentes, vel solemniter benedicentes Sponsis sine licentia Parochi. *Clement.* 1. *de privileg.*

Ministri Cameræ Apostolicæ computa non describentes. *Bulla* 40. *Pauli III.* quæ incipit - - *Cùm sicut accepimus.*

Miracula, vel dogmata falsa, aut falsas revelationes prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit - - *Supernæ*, §. 5.

Monachorum percussores. *Can. si quis suadente* 17. *q.* 4.

Monasteriorum bona, vel jura usurpantes. *Bulla Cœnæ*, §. 17.

Monasteriorum bonis collectas, vel taleas imponentes. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Monasteria Monialium ingredientes ad malum finem, vel prætextu facultatis à Papa, vel ab aliis concessæ, & Moniales admittentes. *Bulla* 28. *Gregorii VIII.* quæ incipit - - *Ubi gratiæ.*

Monialium clausuram violantes. *Bulla* 74. *Pauli V.* quæ incipit - - *Monialium.*

Moniales clausuram violantes, earumque fautores ad egressum, sicuti etiam Monialium Superiores concedentes licentiam ingrediendi in Monasteria sine causa justa. *Bulla* 8. *Pii V.* quæ incipit - - *circa pastoralis*, & *ejusdem Bullæ declaratio*, quæ incipit - - *Decori*, & *honest.*

Monetam Regis Franciæ falsificantes. *Extravag. prodiens, de crimine falsi.*

Montium Pietatis bona usurpantes. *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reformat.*

Montium Pietatis Officiales inferiores Episcopis (cùm hi incurrant solam suspensionem) expendere præsumentes pecunias Montis præter usus destinatos. *Bulla* 82. *Pauli V.* quæ incipit - - *Onerosa.*

Mulieres ingredientes Religiosorum Cœnobia. *Bulla* 20. *Pii V.* quæ incipit - - *Regularium.*

N.

Naufragantium bona surripientes. *Bulla Cœnæ*, §. 4.

Negotiorum causa ad Romanam Curiam recurrentium offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Nunciorum Sedis Apostolicæ offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Nunciis ab Apostolicis recurrentes ad potestatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

O.

Oblationem solemnem inter Missam recipientes ab excommunicato, vel interdicto nominatim à Papa. *cap. significavit, de sent. excom.*

Oblationes factas Ecclesiis, vel aliis piis locis usurpantes. *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Offensores accedentium, commorantium, aut recedentium à Romana Curia devotionis causa, vel negotiorum ad Sedem Apostolicam spectantium. *Bulla Cœnæ*, §. 9. 10. & 12.

Offensores Cardinalium, Episcoporum, & quorumcumque Sedis Apostolicæ Officialium, ac fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Officia Divina cogentes celebrari in loco interdicto. *Clement. Gravis, de sent. excom.*

Officiales Status Ecclesiastici munera accipientes exceptis esculentis, & poculentis, quæ triduo servari non possunt. *Bulla* 15. *Sixti IV.* quæ incipit - - *Et si de cunctorum*, §. 3. & *Bulla* 3. *Pauli II.* quæ incipit - - *Munera.*

Officiales S. Pœnitentiariæ recipientes aliquid etiam sponte oblatum. *Bulla* 83. *Pii V.* quæ incipit - - *In omnibus rebus.*

Olivetanam in Congregationem ingressum prohibentes. *Bulla* 2. *Julii II.* quæ incipit - - *Et si ad universos*, §. 20.

Ordinationem contra libertatem Ecclesiasticam facientes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Ordinem furtivè recipientes, quando præcessit prohibitio sub excommunicatione (cùm aliàs incurratur sola suspensio) *Cap.* 1. *veniens ad nos de eo, qui ordin. furtivè suscep.*

P.

Papatum ambientes, aut vivente Papa de eligendo Successore tractantes, ac cooperantes. *Bulla* 16. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Cùm secundum.*

Papatus electioni consentiens, si sit electus à minori numero, quàm duarum partium Cardinalium, & si sit electus à sola tertia parte etiam acceptantes. *Cap. licet, de elect.*

Papæ de vita, aut morte, vel de alterius electione eo vivente paciscentes, sicuti etiam de promotione Cardinalium. *Bulla* 4. *Gregorii XIV.* quæ incipit - - *Cogit nos.*

Papæ in electione Cardinales Simoniam committentes. *Bulla* 3. *Julii II.* quæ incipit - - *Cùm tam Divino.*

Papæ in electione Cardinales non servantes formam præscriptam in *Bulla* 13. *Gregorii XV.* quæ incipit - - *Æterni Patris.*

Papæ persuadentes infeudationem locorum Ecclesiæ Romanæ. *Bulla* 35. *Pii V.* quæ incipit - - *Admonet nos.*

Parochiæ pro examine dantes vel recipientes aliquid. *Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 18. *de reformat.*

Parochialia Jura Religiosi usurpantes. *Clement.* 1. *de privileg.*

Participantes in crimine criminoso cum excommunicato à Papa. *Cap. nuper, de sentent. excom.*

Patriarcharum offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 11.

Patroni admittentes resignationem extra casus permissos. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit - - *Quanta.*

Patroni usurpantes bona suarum Ecclesiarum. *Concil. Trid. Sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Pedagia nova imponentes, & exigentes. *Bulla Cœnæ*, §. 5.

Pœnitentiariæ litteras impedientes. *Bulla* 1. *Julii III.* quæ incipit - - *Rationi congruit.*

Pœnitentiariæ Officiales recipientes aliquid etiam sponte oblatum. *Bulla* 83. *Pii V.* quæ incipit - - *In omnibus rebus.*

Peregrinantium devotionis causa Romam offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 10.

Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Papæ Delegato. *Cap. quærent. de offic. deleg.*

Piratæ Mari Pontificio, eorumque fautores. *Bulla Cœnæ*, §. 3.

Populum evocantes ad audienda Divina in loco interdicto. *Clement. Gravis, de sent. excomm.*

Potestatem ad laicam à Litteris Apostolicis recurrentes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Prædicantes dogmata, vel miracula falsa, aut revelationes falsas. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit - - *Supernæ Majestatis*, §. 5.

Prædicantes peccare eos, qui tenent B. Virginem immaculatè conceptam. *Extravag. Grave nimis, de reliquiis, & venerat. Sanctor.*

Procuratorum in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Prohibentes, ne excommunicati, vel interdicti moniti exeant ab Ecclesia, dum Missa celebratur, & qui post nominationem audent cum ipsis remanere. *Clement. Gravis, de sent. excomm.*

Q.

Quæstuarii publicantes indulgentias ob quæstum. *Bulla* 99. *Pii V.* quæ incipit - - *Quàm plenum.*

R.

Recurrentes à Litteris Apostolicis ad potestatem laicam, & recursui cooperantes. *Bulla Cœnæ*, §. 13.

Recurrentes à decretis Judicis Ecclesiastici ad potestatem laicam. *Bulla Cœnæ*, §. 16.

Regularium Superiores impedientes, vel retardantes causas ad S. Inquisitionem spectantes. *Bulla* 26. *Pauli V.* quæ incipit - - *Romanus Pontifex*, §. 6.

Religiosi facientes vovere, vel jurare ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis. *Clement. Cupientes* §. *Sanè de pœnis.*

Religiosi mendicantes transeuntes ad ordinem non mendicantium. *Extravag.* 1. *de Regularib.*

Religiosi ministrantes extremam unctionem, vel assistentes matrimonio sine licentia Parochi. *Clement. Religiosi de privileg.*

Religiosi absolventes à culpa, & pœna per indulgentiam. *Clement.* 1. *de privileg.*

Religiosi se conferentes ad partes transmarinas sine licentia. *Extravag. ad nostrum, de Regularib.*

Religiosi recipientes ad habitum, vel professionem illegitimos ex incestu intra tertium gradum, vel ex sacrilegio ob votum solemne castitatis absque licentia Capituli Generalis, vel Provincialis. *Bulla* 71. *Sixti V.* quæ incipit - - *Cùm de omnibus*, §. 2. quoad excommunicationem

nem non moderata in *Bulla* 83. *Clementis VIII.* quæ incipit - - *In suprema*, §. 4.

Religiosi usurpantes decimas, vel earum solutionem impedientes quando non habent officium vel beneficium (eùm tunc incurrant solam suspensionem) nisi satisfacerint. *Clement.* 1. *de decimis.*

Religiosorum Cœnobia mulieres ingredientes. *Bulla* 20. *Pii V.* quæ incipit - - *Regularium personarum.*

Religionis apostatas recipientes. *Bulla* 14. *Pauli IV.* quæ incipit - - *Postquam.*

Religionis ingressum prohibentes (ex participatione privilegiorum Congregationis Olivetanæ) *Bulla* 12. *Julii II.* quæ incipit -- *Et si ad universos*, §. 20.

Religionis ob ingressum dantes, vel recipientes aliquid, dummodo non sit pro alimentis *Extravag. Sanè de Simonia.*

Reliquias Sanctorum extrahentes è Cœmeteriis, ac fautores. *Decret. edictum de mandato Pauli V. die* 24. *Augusti* 1613. & 16. *Maji.* 1614.

Resignationem Patroni admittentes extra casus permissos. *Bulla* 58. *Pii. V.* quæ incipit – *Quanta.*

Revelationes falsas prædicantes. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit -- *Supernæ*, §. 5.

Romæ Senatorem, vel Gubernatorem eligens, sine licentia Papæ. *Cap. fundamenta, de elect. in* 6.

Romanæ Curiæ victualia impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Romanam ad Curiam accessum pro impetrandis apostolicis litteris prohibentes. *Bulla Cœna*, §. 13.

Romanam ad Curiam ob negotia recurrentium, eorúmque Agentium offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 12.

Romana in Curia Collitigantium, vel Procuratorum offensores denunciare omittentes. *Alexandri IV.* quæ incipit - - *In eminenti.*

Romana in Curia dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel justitia, ac pacíscentes. *Extravag. Excommunicamus*, *de sent. excomm. Bu la* 19. *Alexandri VII.* qui incipit - - *Inter gravissimas.*

Romanæ Ecclesiæ invadentes, ac fautores. *Bullæ Cœnæ*, §. 20.

Romipetarum devotionis causa offensores. *Bulla Cœnæ*, §. 10.

S.

Sacramenta ministrantes excommunicato nominatim denunciato à Papa. *Cap. significavit*, *de sent. excomm.*

Schismatici. *Bulla Cœnæ*, §. 1.

Scripturam Sacram prædicantes, vel explanantes contra sensum ab Ecclesia approbatum. *Bulla* 21. *Leonis X.* quæ incipit -- *Supernæ Majestatis.*

Scripturas Cameræ Apostolicæ detinentes, vel non revelantes. *Bulla* 56. *Sixti V.* quæ incipit -- *Nox sive maxima.*

Secreta Consistorii revelantes *Bulla* 7. *Leonis X.* quæ incipit -- *Supernæ*, §. 30.

Secreta S. Inquisitiones revelantes. *Cap. statuta* §. *Et ut eorundem*, *de hæretic. in* 6.

Secreta Reipublicæ Christianæ hostibus revelantes. *Bulla Cœnæ*, §. 7.

Sepelientes in loco sacro hæreticos, eorúmque fautores, si non exhumarunt. *Cap. quicunque de hæretic. in* 6.

Sepelientes tempore interdicti in loco sacro sepeliri prohibitos, vel sepelientes excommunicatos, interdictos, & usurarios, quamdiu non est præstita satisfactio ad arbitrium Episcopi, *Clement.* 1. *de sepultur.*

Sepulturam in suis Ecclesiis eligi, vel non mutari Religiosi procurantes per votum, vel juramentum. *Clement. cupientes.* §. *Sanè*, *de pœnis.*

Sepulturæ transferendæ causa cadaver comminuentes. *Extravag. detestandæ*, *de sepult.*

Sequestrantes bona, vel jura Ecclesiarum. *Bulla Cœnæ*. §. 17.

Sequestrationem faciendam ab Ordinario de fructibus beneficii impedientes quamdiu impedimentum non est amotum, vel fructus non sunt restituti. *Clement. unic. ad compescendas*, *de sequestr.*

Servituti subjicientes Christianum. *Bulla* 149. *Pii V.* quæ incipit -- *Licèt omnibus.*

Simoniaci in ordine, vel beneficio, ac complices. *Extravag. detestabile*, *de Simon. Bulla* 85. *Pii IV.* quæ incipit -- *Romanum Pontific.* & *Bulla* 85. *Pii V.* quæ incipit -- *Intolerabilis.*

Simoniaci in Religionis ingressu. *Extravag. Sanè*, *de Simon.*

Simoniam committentes publicando Indulgentias, vel concedendo facultatem pro reservatis, vel privilegia Missæ, aut sepulturæ tempore interdicti. *Bulla* 98. *Pii V.* quæ incipit -- *Quàm plenum.*

Simoniam committentes dando, vel recipiendo aliquid pro examine ad Parochiam. *Concil. Trid. Sess.* 24. *c.* 18. *de refor.*

Societatis JEsu institutum impugnantes, vel mutari procurantes. *Bulla* 89. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Ascendente Domino*, §. 24.

Solicitationem non revelantes infra mensem. *Bulla* 34. *Gregorii XV.* quæ incipit - - *Universi.*

Sponsiones facientes super electione, vita, vel morte Papæ, ac promotione Cardinalium. *Bulla* 4. *Gregorii XIV.* quæ incipit - - *Coget nos.*

Statuta libertatis Ecclesiasticæ læsiva facientes vel eisdem utentes. *Bulla Cœnæ*, §. 15.

Superiores Monialium concedentes licentiam ingrediendi in Monasteria sine causa justa. *Bulla* 8. *Pii V.* quæ incipit - - *Circa pastoralis* & *declaratio*, qua incipit - - *Decori*, & *honest.*

Superiores Regularium impedientes, vel retardantes causas ad S. Inquisitionem spectantes. *Bulla* 26. *Pauli V.* quæ incipit - - *Romanus Pontifex.* §. 6.

Suspensionem à potestate providendi de beneficiis violantes. *Bulla* 58. *Pii V.* quæ incipit - - *Quanta.*

T.

Taleas, vel collectas imponentes Ecclesiasticis. *Bulla Cœnæ*, §. 18.

Thalmuth, & alia inpia scripta Hebræorum legentes. *Bulla* 20. *Clementis VIII.* quæ incipit -- *Cùm Hebræorum.*

Tolosanæ Ecclesiæ statuta turbantes. *Extravag. Salvator*, *de præbend.* & *dignit.*

V.

Vectigalia nova imponentes, & exigentes. *Bulla Cœnæ.* §. 5.

Victualia hostibus Reipublicæ Christianæ deferentes. *Bulla Cœnæ.* §. 7.

Victualia Romanæ Curiæ impedientes. *Bulla Cœnæ*, §. 8.

Unctionem extremam ministrantes Religiosi sine licentia Parochi. *Clement. Religiosi, de privileg.*

Vota Papæ reservata commutantes privilegiorum prætextu, *Extravag. Et si Dominici, de pœnit. & remiss.*

Usurpantes, vel sequestrantes bona, vel jura Ecclesiarum, *Bulla Cœnæ.* §. 17.

EXCOMMUNICATIONES

Latæ sententiæ non reservatæ,

Quibus subjiciuntur.

A.

Abortum fœtus animati procurantes. *Bulla* 87. *Sixti V.* quæ incipit - - *Effrenatam*, moderata quoad reservationem censuræ *à Gregorio XIV. in Constit.* 8. quæ incipit - - *Sedes Apostolica.*

Absolutionem, vel revocationem censuræ per vim, & metum extorquentes. *Cap. absolutionis, de his, quæ vi, metuve in 6.*

Absolutionem dantes Religiosi decimas non solventibus. *Clement. cupientes, de pœnis.*

Administratores ter moniti ab Episcopo non obedientes. *Can. administratores* 23. *qu.* 5.

Agnos DEI pingentes, miniantes, aut venales habentes. *Bulla* 2. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Omni certè.*

Alienantes bona Ecclesiæ, si sint Administratores dummodo non sint Episcopi, vel Abbates (cùm hi incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ) *Extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand.* Item ea recipientes.

Alienantes bona jurisdictionalia locorum piorum si sint Inferiores Episcopis, vel Abbatibus (cum hi solùm incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ.) *Bulla* 51. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Humanæ salutis.*

Alienantes Religiosi mendicantes domos sine licentia Sedis Apostolicæ. *Clement. cupientes, de pœnis.*

Alienationem bonorum Ecclesiasticorum concedentes Delegati Pontificis in damnum Ecclesiarum. *Bulla* 2. *Pauli II.* quæ incipit - - *Cùm in omnibus.*

Ambientes Nuncii, vel Legati Apostolici apud Principes, ad quos missi sunt, favores ad obtinendas pro se, vel consanguineis dignitates à Papa. *Bulla* 96. *Pii IV.* quæ incipit - - *Et si Romanum Pontificem.*

Annotationes in decreta Concilii Tridentini edentes. *Bulla* 73. *Pii IV.* quæ incipit - - *Benedictus DEUS.* §. 5.

Apostatæ à Religione dimittentes habitum. *Cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.*

Apostolicas litteras accipientes de manu alterius, quàm officialis deputati. *Cap. dura, de crimine falsi.*

Apostolicis litteris falsis utentes. *Cap. ad falsariorum, de crimine falsi.*

Arma prohibita concedentes gestari in statu Ecclesiastico. *Bulla* 145. *Pii V.* quæ incipit - - *Cùm vice* §. 3.

Arma tenentes Monachi infra septa Monasterii sine licentia Abbatis. *Clement. Ne in agro,* §. *Quia verò, de statu Monachor.*

Assassinis mandantes homicidium, seu eos receptantes, occultantes, defendentes. *Cap. pro humani de homicid. in 6.*

Astrologiam judiciariam exercentes. *Can. si quis ariolos, & Can. aliquanti* 26. *q.* 5.

B.

Beguinorum statuum mulieres assumentes, *Clement.* 1. *de religiosis domib.*

Beguinorum, vel Bizochorum religionem profitentes. *Extravag. Sancta Romana, de religios. domib.*

Beneficium à Schismaticis collatum retinentes. *Cap. quod à prædecessore nostro, de schismat.*

Beneficium recipientes de manu potestatis laicæ. *Can. si quis deinceps, & can. quoniam* 16. *q.* 7.

Bononiæ Scholares, vel Magistri conducentes alienum hospitium infra tempus conductionis sine licentia Inquilinorum. *Cap. ex rescripto, de locato, & conduct.*

C.

Cameræ Apostolicæ non applicantes confiscationes in statu Ecclesiastico. *Bulla* 43. *Pii IV.* quæ incipit - - *Decet Romanum Pontificem.*

Cancellariæ Apostolicæ officiales se intromittentes in causis sibi interdictis *in Bulla* 54. *Pii IV.* quæ incipit - - *Universi Gregis.*

Canonici Regulares accedentes ad Curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel domibus. *Clement. Ne in agro,* §. *Quia verò, de statu Monach.*

Cappucini recipientes Fratres de observantia. *Bulla* 20. *Sixti V.* quæ incipit - - *Pro ea.*

Censuræ fulminationem impedientes, vel ejus absolutionem, aut revocationem per vim, & metum extorquentes. *Cap. absolutionis, de his quæ vi, metuve in 6.*

Cessationem à Divinis, vel interdictum locale generale Religiosi non servantes. *Clement. Ex frequentibus, de sent. excomm.*

Clausura Monialium pro conservanda, Magistratus negantes Prælatis auxilium. *Concil. Trid. sess.* 25. *c.* 5. *de Regularib.*

Clausuram Monialium Superiores sine justa causa intrantes pro tertia vice (cùm pro prima incurrant solùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & pro secunda suspensionem à Pontificalibus) *Declaratio Bullæ* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Dubiis*, §. 2.

Clerici in dignitate constituti accedentes ad audiendas leges, vel medicinam in Scholis publicis post duorum mensium spatium, *Cap. super specula; ne Clerici, vel Monachi.*

Clerici obtinentes Ecclesias de manu laicorum. *Can. si quis Clericus* 16. *q.* 7.

Clericus habens officium Præpositi Sæcularis, si moni-

monitus non desistat. *Cap. Clericis, ne Clerici, vel Monachi.*

Communicantes cum excommunicato in crimine criminoso, si ejus Censura non est reservata. *Cap. nuper, de sent. excom.*

Conclavis formam Officiales non procurantes servari. *Cap. ubi periculum, de elect. in 6. §. Praeterea.*

Concilium in Tridentinum glossas, & annotationes facientes. *Bulla* 73. *Pii IV.* quæ incipit - - *Benedictus DEUS*, § 5.

Confessionem non esse necessariam existenti in mortali pro sumenda Eucharistia docentes. *Concil. Trid. sess.* 13. *Can.* 11.

Conservatores ad excedendos suæ potestatis limites inducentes. *Cap. hac constitutione, offic. deleg. in 6. Bulla* 9. *Gregorii XV.* quæ incipit - - *Sanctissimus*, §. 11.

Contrahentes Matrimonium in casibus prohibitis. *Clement.* 1. *eos, qui de consang.*

D.

Decimas Religiosi usurpantes, vel earum solutionem impedientes, si non habeant administrationem, vel officium (cùm tunc solam suspensionem incurrant) postquam præstiterunt satisfactionem condignam, qua non præstita non possunt absolvi, nisi à Papa. *Clement.* 1. *Religiosi, de decimis.*

Decimis à solvendis Religiosi alios suis sermonibus retrahentes. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

Delegati Pontificis concedentes bonorum Ecclesiasticorum alienationem fieri in damnum Ecclesiæ. *Bulla* 2. *Pauli II.* quæ incipit - - *Cùm in omnibus.*

Dignitatem à Schismaticis collatam retinentes, *Cap. quod à prædecessore nostro, de schismat.*

Directores Monialium in electionibus non abstinentes ab iis, unde discordiæ possunt oriri. *Cap. indemnitatibus*, §. *Postremo*, *de elect. in* 6.

Divinationem exercentes. *Can. Si quis ariolos, & Can. aliquanti* 26. *q.* 5.

Divinantes de Papæ vita, vel morte. *Bulla* 113. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Inscrutabilis.*

Doctoratum, vel lectoratum concedentes non præmittentibus professionem Fidei (si non sint Episcopi, cùm hi incurrant solùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ) *Bulla* 88. *Pii IV.* quæ incipit - - *In Sacrosancta.*

E.

Ecclesias obtinentes per laicos. *Can. si quis Clericus* 16. *q.* 7.

Ecclesiæ bona alienantes, ac recipientes. *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienand.*

Ecclesiarum bona compellentes submitti Laicis. *Cap. hoc consultissimo, de rebus Eccles. non alienandis in* 6.

Ecclesiastici constituti in dignitate accedentes ad audiendas leges, vel medicinam in Scholis publicis post duorum mensium spatium. *Cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi.*

Ecclesiastico in statu non applicantes confiscationes, & pœnas Cameræ Apostolicæ. *Bulla* 43. *Pii IV.* quæ incipit - - *Decet Romanum Pontificem.*

Ecclesiastico in statu arma prohibita concedentes gestari. *Bulla* 145. *Pii V.* quæ incipit - - *Cùm vices*, §. *Tertio.*

Electionem in Monasteriis turbantes. *Cap. indemnitatibus*, §. *Postremò*, *de elect. in* 6.

Electionis, nominationis, vel collationis denegatæ causa vexantes personas, vel loca. *Cap. sciant cuncti, de elect. in* 6.

Episcopi Romam latenter venientes, vel ab ea recedentes sine licentia Papæ, eorúmque receptatores, si de ipsorum adventu Papam non moneant. *Extravag. Ut Prælatorum, de majorit. & obedient.*

Episcopi se ingredientes in aliena Diœcesi. *Cap. quoniam in plerisque, de offic.*

Eucharistiæ sumptioni non necessariò præmittendam esse Confessionem ab existente in mortali docentes. *Concil. Trident. sess.* 13. *Can.* 11.

Excommunicato censura non reservata communicantes in crimine crimininoso. *Cap. nuper, de sent. excom.*

Excommunicatos sepelientes in loco sacro. *Clement.* 1. *de sepultur.*

Extorquentes per vim, & metum absolutionem, vel revocationem censuræ. *Cap. absolutionis, de his, quæ vi, metuve in* 6.

F.

Fabricæ S. Petri deputatos molestantes. *Bulla* 97. *Pii V.* quæ incipit - - *Exigit.*

Fœminam cogentes ad Religionem, vel ab ea retrahentes, aut impedientes injustè. *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 18. *de regularib.*

Fœminarum raptores. *Con. Trident. Sess.* 24. *c.* 6. *de reformat. matrim.*

Fraticellorum Religionem profitentes. *Extravag. Sancta Romana, de Religios. domibus.*

Fratres de observantia recipientes Cappuccinos. *Bulla* 20. *Sixti V.* quæ incipit - - *Pro ea.*

Fraude inducentes Judicem ad se conferendum ad mulierem, ut ejus testimonium excipiat. *Cap. Mulieres, de judiciis in* 6.

G.

Germaniæ Religiosi, & Parochi non servantes concordiam inter se statutam. *Extravag. Vices illius, de Tregua, & pace.*

Glossas in Concilium Trident. edentes. *Bulla* 73. *Pii IV.* quæ incipit - - *Benedictus DEUS*, §. 5.

Gubernatores, & Officiales mortuo Pontifice non observantes præscripta *in cap. ubi periculum*, §. *Præterea*, *de elect. in* 6.

H.

Hæreticos, eorúmque fautores sepelientes in loco sacro, dummodò exhumaverint, cùm aliàs excommunicatio sit reservata. *Cap. quicumque, de hæretic. in* 6.

Homicidium mandantes per Assassinos. *Cap. pro humani, de homicid. in* 6.

I.

Inquisitores, Testes, aliósque Ministros S. Officii vexantes. *Bulla* 82. *Pii V.* quæ incipit - - *Si de protegendis.*

Inqui-

Inquisitionis Causis se ingerentes, ejúsque sententiam non exequentes, & requisiti non adjuvantes. *Cap. Ut inquisitionis, de hæretic. in 6.*

Inquisitiones prætextu pecuniam extorquentes; si satisfecerint. *Clement. Nolentes, de hæretic.*

Inquisitionis Supremæ Cardinalibus non obedientes. *Bulla* 1. *Pii V.* quæ incipit - - *Sanctissimus Dominus.*

Interdictos sepelientes in loco sacro, si sit præstita satisfactio ad arbitrium Episcopi. *Clement.* 1. *de sepultur.*

Interdictum locale generale, vel cessationem à Divinis Religiosi non servantes. *Clement. Ex frequentibus, de sent. excom.*

Judices Laici negligentes præstare auxilium Episcopo, vel alteri Judici Ecclesiastico requirenti. *Can. administratores* 23. *q.* 5.

Jus Regalium, seu defensionis, aut custodiæ in locis piis sibi usurpantes. *Cap. Generali, de elect. in 6.*

L.

Laica potestas omittens dare brachium sæculare Episcopis. *Can. administratores* 23. *quæst.* 5.

Lecturam, vel Doctoratum concedentes non præmittentibus professionem Fidei (nisi sint Episcopi, cùm hi solùm incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ) *Bulla* 88. *Pii IV.* quæ incipit - - *In sacrosancta.*

Leges, aut medicinam docentes Religiosos, qui habitum dimiserunt. *Cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.*

Libros imprimentes sine licentia Superiorum, vel sine nomine Auctorum. *Conc. Trident. Sess.* 4. *de edit. & usu Sacror. Librorum, Index libr. prohibit. regula* 10.

Libros ita impressos retinentes, & vendentes. *Conc. Lateran. sub Leone X. Sess.* 10. *decr.* 3.

Litteras Apostolicas recipientes de manu alterius, quàm Officiales deputati. *Cap. dura, de crimine falsi.*

Litteris Apostolicis falsis utentes. *Cap. ad falsariorum, de crimin. falsi.*

Litteras Papæ impugnantes ante coronationem. *Extravag. ultima, de sent. excom. cap.* 4.

Ludos Taurorum, & agitationes ferarum exercentes extra Hispaniam. *Bulla* 48. *Pii V.* quæ incipit - - *De salute.*

M.

Matrimonium ad contrahendum cogentes. *Con. Trid. Sess.* 24. *c.* 9. *de refor. matrim.*

Matrimonium contrahentes in casibus prohibitis. *Clement. unic. eos, qui de consanguin.*

Matrimonia filiorum sine consensu Patris irrita esse asserentes, vel clandestina ante Concilium Tridentinum valida fuisse negantes. *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. matrim.*

Medicinam docentes Religiosos, qui habitum dimiserunt. *Cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monach. in 6.*

Mendicantes Religiosi sine licentia Sedis Apostolicæ novas domos acquirentes, vel alienantes. *Clement. cupientes de pœnis.*

Ministros S. Officii vexantes *Bulla* 82. *Pii V.* quæ incipit - - *Si de protegendis.*

Monachi accedentes ad Curias Principum animo nocendi suis Prælatis, vel Monasteriis. *Clement. Ne in agro, §. Quia verò, de statu Monachor.*

Monachi tenentes arma intra septa Monasterii sine licentia Abbatis. *Clement. Ne in agro, §. Quia verò, de statu Monach.*

Monasteria ingredientes Prælati Regulares secunda vice eodem anno sine præsentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici sæcularis ab eodem deputandi. *Bulla* 156. *Alexandri VII.* quæ incipit - - *Felici.*

Monialem fieri, vel non fieri cogentes, ac cooperantes. *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 18. *de regularib.*

Monialium Clausuram sine causa justa Superiores intrantes pro tertia vice (cum pro prima incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & pro secunda suspensionem à Pontificalibus) *Declaratio Bullæ* 28. *Gregorii XIII.* quæ incipit - - *Dubiis*, §. 2.

Monialium directores non abstinentes in electionibus ab iis, unde discordiæ possunt oriri. *Cap. indemnitatibus, §. Postremo, de elect. in 6.*

Monialium Clausura pro conservanda, Magistratus negantes auxilium Prælatis. *Conc. Trident. Sess.* 25. *cap.* 5. *de regularib.*

Monialium Monasteria non ad malum finem ingredientes sine licentia Prælati. *Conc. Trident. Sess.* 25. *cap.* 5. *de regularib.*

Monialium præpositæ electionem turbantes. *Cap. indemnitatibus, §. Postremo, de elect. in 6.*

Monialium Visitatores in suo munere impedientes, nisi resipiscant. *Clement. Attendentes, de statu Monach.*

Montem Pietatis impugnantes. *Bulla* 11. *Leonis X.* quæ incipit - - *Inter multiplices.*

Mulieres assumentes Beguinarum statum. *Clement.* 1. *de religios. domibus.*

Mulierum raptores. *Concil. Trid. Sess.* 24. *cap.* 6. *de refor. matrim.*

N.

Notariorum Officiis à Camera Apostolica venditis, vel vendendis, se intromittentes, aut vexantes Notarios ea ementes. *Bulla* 83. *Pii IV.* quæ incipit - - *Superna providentia.*

Nuncii, aliique Ministri Pontificis procurantes à Principibus, ad quos missi sunt, favores ad dignitates pro se, vel Consanguineis à Papa obtinendas. *Bulla* 96. *Pii IV.* quæ incipit - - *Et si Romanum Pontificem.*

O.

Officiales mortuo Pontifice non observantes præscripta *in cap. ubi periculum, §. Præterea, de elect. in 6.*

Officium Præsulatus in Ecclesiis usurpantes. *Cap. quoniam in plerisque, de Offic. Judic. Ordinar.*

Officii S. Inquisitionis Ministros vexantes. *Bulla* 82. *Pii V.* quæ incipit - - *Si de protegendis.*

Ordinationes factas à Schismaticis exercentes. *Cap. quod à prædecessore nostro, de Schismat.*

P. Papæ

P.

Papæ de vita, vel morte divinantes. *Bulla* 113. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Inscrutabilis.*

Papæ nondum coronati litteras impugnantes. *Extravag. ultim. de sent. excom.*

Parochi, & Religiosi Germaniæ non servantes inter se concordiam statutam. *Extravag. Vices illius, de Tregua, & pace.*

Percussio Clerici non enormis. *C. pervenit.* 13. *de Sent. Excomm.*

Pœnas in Statu Ecclesiastico non applicantes Cameræ Apostolicæ. *Bulla* 43. *Pii IV.* quæ incipit - - *Decet Romanum Pontificem.*

Pœnitentiariæ Officiales se intromittentes in Expeditionibus prohibitis *in Bulla* 53. *Pii IV.* quæ incipit - - *In sublimi.*

Prælati Regulares ingredientes secunda vice eodem anno in Monasteria Sanctimonialium sine præsentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici sæcularis ab eodem deputandi. *Bulla* 156. *Alexandri VII.* quæ incipit - - *Felici.*

Presbyteri accedentes ad audiendas leges, vel Medicinam in Scholis publicis. *Cap. super specula, de Cleric. vel Monach.*

Præsulatus Officium in Ecclesiis usurpantes. *Cap. quoniam in plerisque, de Offic. Judicis Ordinar.*

R.

Raptores fœminarum. *Conc. Trid. Seff.* 24. *c.* 6. *de reform. Matrim.*

Regaliæ, seu custodiæ titulum in locis piis sibi usurpantes. *Cap. generali, de elect. in* 6.

Religiosi dimittentes habitum. *Cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monach. in* 6.

Religiosi decimas usurpantes, vel earum solutionem impedientes, si non habeant administrationem, vel Officium (cùm tunc solam suspensionem incurrant) dummodò dederint satisfactionem condignam (cum aliàs excommunicatio sit reservata.) *Clement. Religiosi, de decimis.*

Religiosi à decimarum solutione retrahentes, vel negligentes suadere earum solutionem suis pœnitentibus, eosque absolventes. *Clement. cupientes, de pœnis.*

Religiosi exeuntes de Claustris ad audiendas leges, vel Medicinam, eosque docentes, vel in Scholis retinentes. *Cap. non magnopere, & cap. super specula, ne Cleric. vel Monach.*

Religiosi, & Parochi Germaniæ non servantes concordiam inter se statutam. *Extravag. Vices illius, de Tregua, & pace.*

Religiosi mendicantes sine licentia Papæ novas domos acquirentes, vel alienantes. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

Religiosi non servantes interdictum locale generale, vel cessationem à Divinis. *Clement. Ex frequentibus, de sent. excom.*

Religionis ingressui cogentes, vel retrahentes fœminas. *Concil. Trid. Seff.* 25. *c.* 18. *de Regularib.*

Religionis, vel Reipublicæ Christianæ de statu divinantes. *Bulla* 113. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Inscrutabilis.*

Repræsalias concedentes, aut extendentes contra Ecclesiasticos. *Cap. unico, de injuriis in* 6.

S.

Sacerdos celebrans sine stola. *Can. Ecclesiastica, dist.* 23.

Schismatici ordinationi consentientes, vel ab eo recipientes beneficium, aut rem Ecclesiasticam, eamque retinentes. *Cap.* 1. *de Schismat.*

Scholis legum, vel Medicinæ admittentes, aut in eis retinentes Religiosos, qui habitum dimiserunt. *Cap. ut periculosa, ne Cleric. vel Monach. in* 6.

Scholares, vel Magistri Bononiæ conducentes alienum hospitium infra tempus conductionis sine licentia Inquilinorum. *Cap. ex rescripto, de locato, & conducto.*

Sedis Apostolicæ de statu divinantes. *Bulla* 113. *Urbani VIII.* quæ incipit - - *Inscrutabilis.*

Sepelientes in loco sacro hæreticos, eorumque fautores, dummodo eos exhumaverint, cùm aliàs excommunicatio sit reservata. *Cap. quicumque, de hæretic. in* 6.

Sepelientes tempore interdicti in loco sacro sepeliri prohibitos, vel sepelientes excommunicatos, interdictos & usurarios, (dummodo præstita sit satisfactio ad arbitrium Episcopi, cùm aliàs excommunicatio sit reservata) *Clement.* 1. *de sepultur.*

Sequestrationem ab Ordinario faciendam impedientes (dummodo impedimentum sit amotum, vel fructus restituti, cùm aliàs excommunicatio sit reservata) *Clement. Ad compescendas, de sequestr.*

Statuta libertatis Ecclesiasticæ læsiva retinentes, vel ea ex libris non delentes, dummodo iis non utantur. *Cap. noverit, de sent. excom.*

T.

Taurorum ludos extra Hispaniam exercentes. *Bulla* 48. *Pii V.* quæ incipit - - *De salute.*

Testimonii causam fingentes, ut Judex ad Mulieris examinandæ domum accedat. *Cap. Mulieris, de judic. in* 6.

V.

Visitatores Monialium in suo munere impedientes, si moniti non resipiscant. *Clement. Attendentes, de statu Monach.*

Usurarios publicos sepelientes in loco sacro, si sit præstita satisfactio. *Clement.* 1. *de sepult.*

Usurariis alienigenis Clerici locantes domos, aut commoditatem præstantes, vel eos non ejicientes infra tres menses (nisi sint Episcopi, cùm hi incurrant solam suspensionem) *Cap. usurarum, de usuris in* 6.

Usuris Officiales Communitatum faventes. *Clement. Ex gravi, de usuris.*

Quæritur 46. Qualis circa has Excommunicationes possit servari Regula?

Respondeo: Observari potest hæc Regula: Solæ illæ excommunicationes majores reservatæ sunt Episcopo, quas suo Clero Diœcesano sufficienter promulgat; sufficienter autem promulgatæ intelliguntur illæ, quas promulgat in Synodo, aut Rituali, aut in alia Constitutione generali stabili, aut per sententiam. Hinc, quia Synodalia nostra Augustana se referunt ad Corpus Juris, ad Tridentinum, ad Bullam Cœnæ, saltem omnes Excommunicationes contentæ in

Corpore

Corpore Juris, Tridentino, & Bullæ Cœnæ, pro sufficienter promulgatis, ac consequenter in casu, quo Papæ non sunt reservatæ, Episcopo reservatæ censendæ sunt. Aliæ autem Excommunicationes in Bullis Pontificiis contentæ, quæ Papæ reservatæ non sunt, in quantum eas Episcopus sibi reservare specifice nec declarat nec intendit, utpote non promulgatas authenticè, ne quidem Episcopo reservatæ esse æstimandæ sunt.

QUÆRITUR 47. Quid intelligatur per *incæstum* cum Moniali professa?

RESPONDEO: Intelligitur præcise *concubitus*, hoc est, copula carnalis, cum Moniali professa, sive consanguinea, affinis, aut cognata cognatione spirituali sit, sive non. Ratio sic explicandi est; quia in Rituali Augustano non dicitur *incæstus* cum Moniali, sed *concubitus* cum Moniali. Præsumendum autem est, hunc terminum in Rituali non esse positum causa *correctionis*, sed *explicationis*. Neque enim Administrator Episcopatus Augustani, qui anno 1556. edidit Rituale, ausus fuisset mutare speciem reservationis in *genus* longè latius patens. Cur autem Synodus uti voluerit potius termino *incæstus*, quàm concubitus, potest esse ratio; quia in Jure, & in antiquioribus Summistis, ad quos ipsa Synodus Augustana se refert hoc ipso in loco, omnis concubitus cum persona sacrata Deo vocatur incæstus. Sic in Codice Tit. de Episcopis & Clericis, l. 2. *omnis à Clericis*. Glossa. v. *Filii*. dicit: *Filii Clericorum post sacros Ordines concepti essent incæsti*. Sic etiam in Concilio Triburiensi, prout refertur Can. 14. *Virginibus*, Causa 27. q. 1. dicitur: *Virginibus sacris se quosdam temerè sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incæsta fœdera miscere*. Hinc etiam, prout alii observant, etiam Diœceses Iprensis, Mechlinensis, Antverpiensis, Brugensis, Gandensis, Ruremondensis, hunc terminum in isto sensu accipiunt, dum inter Casus reservatos etiam hunc ponunt. *Incæstus cum consanguineis, aut Monialibus*. Sylvester V. *Luxuria* n. 1. *Sacrilegium est, cum quis abutitur persona sacra, quamvis Rosella dicat, abusum Monialium ad incæstum pertinere; quod etiam patet in C. hi ergo 22. q. 1.* juncta Glossa. Et Angelus de Clavasio V. *incæstus* sic habet: *Quæritur, utrum accedens ad Monialem committat incæstum? Respondeo: Quod sic &c.*

QUÆRITUR 48. Quid significet concubitus cum consanguinea, vel affine in primo & secundo gradu? Et num hic casus sit distinctus à priore?

RESPONDEO: Hic casus est indubitato distinctus à priore. Si enim Synodus voluisset ista verba referre copulativè ad antecedentia, ita ut Monialis, cum qua peccatur, debeat simul esse consanguinea vel affinis in primo & secundo gradu, Rituale Augustanum non mutasset *incæstus* in terminum *concubitus*. Dein ille casus esset adeo rarus, ut vix intra centum annos semel occurreret; adeoque esset indignus reservatione. E contra incæstus cum consanguinea vel affine in primo vel secundo gradu, attamen laica, qui casus meretur præ aliis reservationem, ne quidem comprehenderetur sub reservatione.

QUÆRITUR 49. Quid in Casibus reservatis Augustanis intelligatur per veneficia, incantationes magicas, maleficia, & artes magicas?

RESPONDEO: Hæc nomina explicari ab ipsis Statutis Synodalibus part. 1. c 6. Unde eorum explicatio frustra petitur, & fit ex aliis Authoribus hos terminos diversimodè & in sensu à mente Synodi Augustanæ prorsus alieno explicantibus. *Veneficium* juxta Statuta est actio superstitiosa, qua inducitur fornicatio mentis, hoc est, passio violenta amoris, odii, perturbationis, &c. *maleficium* est actio superstitiosa, qua inducitur nocumentum corporibus, puta hominum, brutorum, vel aliis rebus corporalibus. *Incantatio* est aperta Dæmonis ad operandos miros effectus invocatio aut conjuratio, v. g. ad veneficia, maleficia, vel ad concitandas tempestates, vel ad retegenda secreta præsentia vel futura. *Magia* verò est ars per Dæmonis conjurationem apertam obtinendi miros effectus præfatos. Hæc notio terminorum colligitur ex Statutis Synodalibus l. c. ubi sic habent: *Gravis est superstitionis, magiæ, divinationisque vetitæ noxa, in quam muliercula præsertim frequentius incurrunt. — Nemo super rebus deperditis, futuris eventibus, aut quibusvis secretis consulat magos, ariolos, & alios consimiles malæ notæ homines, nec author vel suasor sit, ut id alii faciant. Qui horum aliquid fecerit, & monitus non abstinuerit, Nobis vel Vicario nostro denuntietur, ut pro modo culpæ pœnis afficiatur, quas in ipsos magos, incantatoresque graviores feremus. — In maleficos & veneficas, quæ pacto cum Dæmonibus inito corporibus hominum atque brutorum morbos tabidos, fascinationesque inducunt, venenant, necant, grandines, sterilitatesque procurant, pœnis severissimè animadvertendum est. Nemo veneficia, fascinationes vel ligaturas dissolvere tentet modo & ratione, quæ ab Ecclesia approbata non est.* Ex his verbis patet, per magos & incantatores intelligi illos, qui *super rebus secretis*, v. g. perditis, futuris eventibus, thesauris, &c. consuluntur, ut conjurent Dæmonem verbo aut facto.

QUÆRITUR 50. Quid in Casibus reservatis Augustanis intelligitur per abusum Eucharistiæ & Reliquiarum ad artes magicas?

RESPONDEO: Ex adductis verbis Statutorum Synodalium patet, per *magos* intelligi eos, qui profitentur se revelaturos secreta, aut operaturos maleficio, veneficia, & alios miros effectus per invocationem Dæmonis, idque ex pacto cum Dæmone inito. Itaque *per artes magicas* intelligitur omnis manifesta invocatio Dæmonis ad effectus superiores humanis viribus. Eatenus enim distinguitur magia, maleficium, veneficium, & incantatio *à superstitione*, quod in actionibus superstitiosis non ita apertè reluceat invocatio Dæmonis, sed à simplicibus apprehendatur quædam vis naturalis vel divina occulta, per quam producatur effectus. Ex hoc sequitur; *abusum* Reliquiarum vel Eucharistiæ *ad artes magicas* tunc fieri, quando applicantur, aut à Clerico aliis ministrantur in ordine ad actiones, in quibus manifestè intervenit aperta invocatio Dæmonis. Neque enim ad incurrendum hunc casum opus est, ut ipse Clericus exerceat artem magicam, aut ponat actionem invocatoriam Dæmonis, sed sufficit, dummodo Eucharistiam aut Reliquias det alteri

teri quem ſcit, has res ſacras applicaturum ad actiones magicas. Ipſa enim Euchariſtiæ vel Reliquiarum conceſſio in tali circumſtantia eſt verus earum *abuſus* hic & nunc ſaltem permiſſivè aut interpretativè ordinatus ad artes magicas. Neque audiendi ſunt laxiores Theologi, recurrentes ad illam regulam, quod reſervatio ſit ſtrictæ interpretationis. Ubi enim conſtat de intentione Legiſlatoris præſumptione ſufficiente ad declarandam legem, non eſt litigandum de rigore verborum. In præſenti autem conſtat ex ſana ratione; Synodum noluiſſe ponere Caſum reſervatum pro ſolis illis Clericis, qui ipſimet pununt actionem magicam, ſed etiam pro illis, qui coopcrantur, cum eadem ſit operantis & cooperantis malitia.

Id CONFIRMATUR ex eo, quia in antiquioribus Statutis, quæ circa Caſus reſervatos Clericorum à Campegio Cardinale, & Othone Truchſeſſio mutata non ſunt, comprehendebantur etiam cooperantes ſub termino generali *Sacrilegi*, vel *procurantis ſterilitatem*, &c.

QUÆRITUR 51. Utrum etiam abuſus *ſacræ Scripturæ ad exercitium Magiæ* ſit Caſus reſervatus pro Clericis in Diœceſi Auguſtana?

RESPONDEO: Eſt reſervatus. Ratio eſt, quia expreſſe continetur in Statutis Synodalibus. NEC OBSTAT; quod ille terminus *ſacræ Scripturæ* reperiatur omiſſus in Rituali edito 1656. & 1688. Ad hoc reſpondetur; vel id factum ex incuria editoris; aut ſi contigit cum præſcitu Epiſcopi; ille potuit diſpenſare in tali Caſu reſervato diſpenſatione valida uſque ad ſuum obitum; ſed non cenſendus eſt, voluiſſe mutare Legem Synodalem de ſe perpetuam ſine expreſſa illius abrogatione, vel ſaltem ſine abrogatione tacita declarando ſaltem in genere, quod in editione Ritualis circa Caſus reſervatos aliqua mutaverit; quod adeo non contigit, ut Adminiſtrator Epiſcopatus, qui anno 1656. novum Rituale edidit, proteſtetur, ſe nullam notabilem mutationem feciſſe.

CONFIRMATUR ex eo, quia in nova editione Statutorum Synodalium, quæ duas editiones Ritualis Auguſtani de anno 1656. & 1688. inſecuta eſt anno 1696. retentus eſt inter Caſus reſervatos Clericorum *abuſus ſacræ Scripturæ ad exercitium magiæ*.

QUÆRITUR 52. An fractio Sigilli ſit Caſus reſervatus in Diœceſi Auguſtana, quando nullus hominum advertit, in verbis aut factis intervenire uſum notitiæ Sacramentalis?

RESPONDEO: Eſt Caſus reſervatus. Ratio eſt; quia non poteſt negari, ejuſmodi uſum notitiæ Sacramentalis eſſe veram fractionem Sigilli & graviter peccaminoſam. Cum ergo omnis fractio Sigilli ſit Caſus reſervatus, non eſt ratio hanc excipiendi. NEC OBSTAT; quod formalis malitia hujus peccati non ſit manifeſta aliis perſonis indicio externo; nec enim ad incurrendum Caſum reſervatum requiritur, ut malitia actus interni ſit hominibus manifeſtata indicio externo, ſed ſufficit, dummodo malitia actus interni prodierit in actum externum, de ſe idoneum ad manifeſtandam malitiam internam. Id patet ex natura Caſuum antiquitus reſervatorum, v. g. beſtialitatis; & ex reſervatione *hære-*

ſis, quam Authores communiter defendunt eſſe reſervatam, etſi quis in ſolo ſuo cubiculo nemine audiente verbis aut ſcripto expreſſerit ſuam animi reſolutionem hæreticam. Rationem dant Authores; quia ſolùm eſt *per accidens*; quod ejuſmodi verba vel facta ab aliis hominibus videantur vel audiantur. Quæ ratio, ſi ſolida foret, multo magis urgeret in noſtro caſu, ubi Confeſſarius interrogatus rationem dicti vel facti facile convinci poſſet, ſe ea loqui vel agere ex uſu notitiæ Sacramentalis, utpote nullo alio comparente vel aſſignabili argumento ſeu motivo rationabili. Verùm non eſt neceſſe contendere circa ejuſmodi ratiocinatiunculas. Inſiſtendum unicè traditioni, & huic argumento: *Sic placuit Eccleſiæ*, reſervare actus internos, etiam mundo occultiſſimos, dummodo prodierint in actum externum, de ſe idoneum ad manifeſtandam malitiam internam actus.

QUÆRITUR 53. An pro Clericis Diœceſis Auguſtanæ reſervati ſint etiam Caſus reſervati Laicorum?

RESPONDEO: Caſus reſervati pro Laicis in Diœceſi Auguſtana ſimul ſunt reſervati pro Clericis.

PROBATUR ex tenore reſervationis, ubi dicitur: *Pro Clericis ſæcularibus ultra tres illos caſus* (reſervatos pro Laicis) *ſuperiore Canone expreſſos volumus etiam præſenti Decreto reſervare ſequentes.* Dein idipſum colligitur ex eo, quia Campegius Cardinalis, & Otho Epiſcopus circa Caſus reſervatos Clericorum nihil mutavit. Ergo cum jam prius Caſus reſervati pro Laicis ſimul promiſcuè fuerint reſervati pro Clericis, prout patet inſpiciendo Synodum de anno 1355. & 1452. pariter etiam poſt Synodum ultimam 1610. erunt reſervati. *Antecedens* patet ex verbis Campegii, ſupra relatis Q. 10. *Conſtituimus*, inquit, *ut deinceps quilibet Confeſſor abſolvere poſſit Laicos à quibuſcunque peccatis, quæ Ordinarii ſuæ authoritati reſervaverant, exceptis homicidis, hæreticis, & excommunicatis. Quoad Clericos autem nihil intelligatur innovatum.* Idem repetit Otho Epiſcopus ibidem relatus.

QUÆRITUR 54. An etiam Religioſi Juriſdictioni Ordinarii ſubditi ligentur reſervatione horum Caſuum?

RESPONDEO: Religioſi non comprehenduntur his Caſibus reſervatis. Id manifeſtum eſt inprimis ex tenore reſervationis in Statutis Synodalibus; ubi expreſſe dicitur: *Pro Clericis autem ſæcularibus ultra tres illos caſus volumus reſervare ſequentes.* Idem expreſſe declaratum eſt ab Henrico Epiſcopo ad finem Synodi ante ejus impreſſionem. Cum enim Prælati Ordinum, qui Synodo intererant, ab Epiſcopo circa varia puncta poſtularent declarationem, *Punctum VI*, erat iſtud: *Quoad Caſus reſervatos putat eadem Congregatio Synodalis Abbatum, Præpoſitorum, &c. quod ii ad Religioſos non ſint extendendi, ſed præter hæreſin, quemlibet Prælatum ſuos Monachos ab omnibus Caſibus abſolvere; imo etiam ſuper irregularitate diſpenſare poſſe.* Declaratio erat iſta. *Ad ſextum. Quoad Caſus reſervatos Religioſorum approbat Reverendiſſimus* (Epiſcopus) *DD. Prælatorum ſententiam.*

QUÆRITUR 55. Quales ſint Caſus reſervati Regularium?

Respondeo: Ea, quæ ad Casus reservatos Regularium spectant, continentur in Decreto Clementis VIII. sic habet: *Sanctissimus Dominus noster, qui jam pridem accuratè perpendit, ac reipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere possent in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem. Ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportune prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.*

I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

II. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio nocturna.

III. Ac furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Juramentum falsum in Judicio Regulari seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium, Monasterii aut Conventus.

VIII. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

X. Occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujusque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio Litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videatur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione aut consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori vel minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse inprimis Confessarius judicaverit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sunt, observari mandavit. Non obstantibus &c.

Datum Romæ 26. Maji 1593. Sanctitas Sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis Casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares etiam non obtenta à Superiore facultate absolvere. Decretum hoc reperitur in Bullario Laertii T. 4.

Hic tamen notandum, quod licet vi hujus Decreti Superiores possint taxare generaliter pœnitentiam certis peccatis, non tamen eis liceat eo fine reservare peccata, ut in quovis casu particulari ipsimet taxent pœnitentias. Ita declaratum est à Congregatione Episcoporum anno 1627. 30. April. V. Pittonum.

Quæritur 56. Utrum Superiores Regularium non habeant potestatem, ullum alium casum sibi reservandi præter adductos undecim?

Respondeo: Superiores Regularium non habent potestatem sibi extra Capitulum Generale vel Provinciale (cui in Regularibus subjectus Ordinario æquiparandum est Decretum Episcopi) reservandi alios casus præter undecim in Decreto Clementis VIII. contentos, nisi indirectè, in quantum peccato possunt annectere excommunicationem sibi reservatam. Ita declaratum est à Congregatione Episcoporum & Regularium anno 1617. 7. Julii his verbis: *In vim Decreti* (emanati à Clemente VIII. 1593.) *possunt Regularium Superiores aliquibus peccatis in prædicto Decreto non contentis excommunicationem adnectere, ejusque absolutionem sibi reservare absque Capituli Generalis vel Provincialis consensu.* Pittonus in Constit. de Regularibus ad annum 1617. 7. Jul. testatur, declarationem hanc contineri in Bullario Cassin. T. I. Constit. 278. Fateor tamen; ejusmodi excommunicationes non facile suadendas esse; præsertim quia, nisi fiat authoritate delegata à Sede Apostolica, vel ab Ordinario, videntur esse diversæ rationis ab iis, quæ respiciunt forum internum. Idem ad annum 1631. 22. Aug. refert aliam declarationem S. Congregationis Episcoporum & Regularinm, vi cujus Superioribus licet, etiam directè reservare transgressionem votorum. Declaratio est hujus tenoris: *Licet inter Casus à Regularium Superioribus reservandos non inseruerit Clemens Octavus transgressionem votorum, non tamen sublata est Prælatis Regularibus hujusmodi reservatio, quam cæteroquin habent ex Regulæ dispositione.* Hæc declaratio reperitur apud Peyrin. de Privil. Reg. tom. 3. c. 12. n. 7.

Quæritur 57. Utrum Regulares tempore Jubilæi possint absolvi à Casibus suo Superiori reservatis à quocunque Confessario per Ordinarium approbato?

Respondeo: Id fieri posse declaravit Alexander VII. in Constitutione *Unigenitus*, edita 1655. 14. Maji, & relata à Nicolin. in Floscul. V. *Jubilæum.* Et sic antea declarasse Gregorium XIII. testatur Peyrin. de Privil. Reg. t. 3. c. 4. n. 3. Declaratio Alexandri VII. in Bull. Cassin. tom. 2. Constit. 524. sic habet: *Tempore Jubilæi possunt omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus ab Ordinario approbatis tam sæcularibus quàm cujusvis Ordinis*

nis Regularibus. In Bulla enim (Jubilæi) *non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audiunt Confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium. Et possunt absolvi à Casibus suo Superiori Regulari reservatis.*

Hæc de Casibus reservatis hausta ex fontibus sufficiant; & quantum ad reservatos in hac nostra Diœcesi Augustana spectat, locum habere possunt, donec aliter ab Episcopo declaretur. Quod enim attinet applicationem ad Casus particularissimos, in quibus Summistæ inter se digladiantur, deficiente lege, & sensu aut praxi prædominante Ecclesiæ, quilibet sibi juxta regulas prudentiæ Legislator & Author, cum in hujusmodi particularibus nec *persona personæ*, nec author privatus privatæ cuivis Theologi authoritati *præscribat*. Hæc regula fundatur in Decretis Conciliorum relatis Q. 9. & 10. ubi ultimatò circa Casus particulares relinquitur æstimationi Confessariorum, quænam & quanta criminum enormitas judicio Episcopi remittenda sit.

DISPUTATIO X.

De Obligatione denuntiandi solicitantes Confessarios; & de Absolutione Complicis.

§. I.

De Obligatione denuntiandi Confessarios solicitantes in Confessionali ad turpia.

QUÆRITUR I. Qualia circa hanc rem prodierint Decreta Apostolica?

RESPONDEO: Prodierunt duo potissimum Decreta, unum GREGORII XV. alterum BENEDICTI XIV. Horum Summa continetur in *Pastorali Epistola Ser.mi ac Rev.mi* EPISCOPI NOSTRI AUGUSTANI, ad Clerum suæ curæ concreditum, data 21. Julii 1748., in qua sic habetur: „Primum est nefarium Scelus Solicitationis ad turpia, & inhonesta, cui pridem usque à XXX. Augusti anno MDCXXII. Gregorius PP. XV. in sua Constitutione tunc edita, contra quoscunque Sacerdotes, audiendis Confessionibus deputatos, sapienter providit SS.mus verò D. N. BENEDICTUS PP. XIV. ampliùs etiam providere intendens, nedum omnia ibi contenta confirmavit, & innovavit in sua Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*. Sed acuit insuper, mandavitque locorum Ordinariis, ut Confessariis omnibus eam insinuent, ab iisque accuratè observari curent. Noverint proinde Sacerdotes omnes, & singuli, Sacramenti Pœnitentiæ Ministri, teneri se, in vim earumdem Constitutionum, pœnitentes suos, quos noverint, fuisse ab aliis ita solicitatos, sedulò monere, juxta occurrentium Casuum Circumstantias, de obligatione denuntiandi Nobis tanquam Ordinario, Nostrove Vicario in Spiritualibus Generali personam Confessarii, quæ Pœnitentem, quæcunque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia solicitare, vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactibus, sive per Scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverit, aut cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut solicitatio inter Confessarium, & pœnitentem mutua fuerit, sive solicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post solicitationem jam effluxerit, aut solicitatio à Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit, sive demum Sacerdos sit Sæcularis, sive Regularis quomodolibet exemptus, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectus, quorumcunque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio, & indulto munitus, contra quos omnes, omni humano respectu postposito, diligenter inquirere, & severè in eos animadvertere jubemur.

„Caveant igitur Confessarii, ne pœnitentibus ita ab aliquo solicitatis Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem Ordinario indicaverint, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant. Quemadmodum porro, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum, ob probationis defectum, remaneant impunitum, facultas in præfata Constitutione Nobis attributa est, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant: ita econtra ad coercendam magnitudine pœnæ detestabilem audaciam improborum hominum, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati tremendo Dei judicio, & Ecclesiæ Auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes falsò solicitationis insimulare, vel per se ipsos innocentes Confessarios impiè calumnian-

„do, vel fceleftè procurando, ut id ab aliis fiat, „hujusmodi cafum Sanctitas Sua fibi, ac Succef- „foribus fuis refervavit, voluitque à nullo alio „Sacerdote, quovis privilegio, Auctoritate, & „dignitate munito, præterquam in fine vitæ, & „excepto mortis articulo, beneficium abfolutio- „nis obtineri poffe.

QUÆRITUR 2. Quomodo autem fonat ipfa Bulla GREGORII XV?

Conftitutio
Gregorii Papæ XV.
Contra Solicitantes in Confeffionibus.

Gregorius Papa XV.
ad perpetuam rei memoriam.

„Univerfi Dominici Gregis curam quamquam „immeriti, cœlefti difpofitione gerentes, fe- „dulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis „contagiis confervetur immunis, multoque ma- „jori ftudio providere, ut omnis peftis ab iis a- „vertatur, quibus alios fanandi officium eft com- „miffum, ne quod Evangelicis Scripta nos admo- „nent, fale infatuato non fit, in quo faliatur, & „ad nihilum profit ultra, nifi ut mittatur foras, „& conculcetur ab hominibus. Quoniam au- „tem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus „noftris quibusdam in locis provifum fuit, ut „impium, ac nefandum fcelus, quod non folùm „inter Chrifti Fideles non effe, fed nec etiam „nominari debet, procul ab iis arceatur, videli- „cet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas „Confeffiones deputatus, Sacrofancto Pœniten- „tiæ Sacramento, folicitando Pœnitentes ad tur- „pia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro „pane afpidem porrigat, & ex cœlefti Medico „infernalis veneficus, ex Patre fpirituali prodi- „tor execrabilis animarum reddatur, idcirco nos „ea, quæ his perniciofiffimis Diaboli infidiis ar- „cendis certis locis falubriter conftituta funt, ut „nullibi defiderentur, quantum ex alto concedi- „tur, providendum duximus. Alias fiquidem à „fel. record. Pio Papa IV. Prædeceffore Noftro „emanarunt Litteræ tenoris fubfequentis, vide- „licet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archi- „Epifcopo Hifpalen. in Regnis Hifpaniarum, at- „que etiam in eorum Civitatibus, & Diœcefibus „curam animarum habentes, five eam pro aliis „exercentes, aut alias audiendis Confeffionibus „pœnitentium deputati in tantam proruperint „iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu „audiendi Confeffiones abutantur, nec illi, &. „qui id inftituit Domino Deo, & Salvatori no- „ftro Jefu Chrifto injuriam facere vereantur; „mulieres, videlicet Pœnitentes ad actus inbo- „neftos, dum earum audiant Confeffiones, alli- „ciendo, & provocando, feu allicere, & provo- „care tentando, & procurando, ac loco earum „per Sacramentum hujusmodi Creatori noftro „reconciliationis graviori peccatorum mole eas „onerando, & in manibus Diaboli tradendo in „Divinæ Majeftatis offenfam, & animarum per- „niciem, Chrifti Fidelium fcandalum non modi- „cum. Nos in animum inducere nequeuntes, „quod, qui de Fide Catholica rectè fentiunt, Sa- „cramentis in Ecclefia Dei inftitutis abutantur, „aut illis injuriam faciant; Fraternitati tuæ, de „cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina „plurimum in Domino confidimus, per præfen- „tes committimus, & mandamus, quatenus per „te, vel per alium, feu alios à te deputandum, „feu deputandos contra omnes, & fingulos Sa- „cerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civi- „tatum, & Diœcefium de præmiffis quomodoli- „bet diffamatos, tam Sæculares, quàm quorum- „vis etiam exemptorum, ac Sedi Apoftolicæ im- „mediatè fubjectorum Ordinum Regulares, cu- „juscunque dignitatis, ftatus, gradus, ordinis, „conditionis, & præeminentiæ exiftant, tam fu- „per præmiffis, quàm fuper Fide Catholica, & „quid de ea fentiant, diligenter inquiras, & jux- „ta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæ- „refi quovis modo fufpectos, à Sede Apoftolica „conceffarum continentiam, & tenorem proce- „das, ac culpabiles repertos, juxta exceffuum „fuorum qualitates, prout juris fuerit, punias, „eos etiamfi, & prout de jure fuerit, faciendum, „debita præcedente degradatione fæcularis Judi- „cis arbitrio puniendos tradendo. Non obftan- „tibus Conftitutionibus, & Ordinationibus Apo- „ftolicis, ac Ecclefiarum, & Monafteriorum, nec „non Ordinum quorumlibet, quorum ipfi Sa- „cerdotes fuerint, etiam juramento, confirma- „tione, vel quavis firmitate alia roboratis, Sta- „tutis, & Confuetudinibus, Privilegiis quoque, „indultis, & Litteris Apoftolicis fub quibuscun- „que tenoribus, & formis, ac cum quibusvis „Claufulis, & Decretis etiam motu proprio, aut „alias quomodolibet conceffis, etiam iteratis vi- „cibus approbatis, & Innovatis. Quibus omni- „bus, eorum tenores præfentibus pro expreffis „habentes, hac vice duntaxat fpecialiter, & ex- „preffe derogamus, cæterisque contrariis qui- „buscunque. Datum Romæ apud Sanctum Pe- „trum fub annulo Pifcatoris die 16. April. „MDLXI. Pontificatus noftri anno fecundo. I- „gitur, ut Litteræ prædictæ perpetuis futuris „temporibus, ubique locorum inviolabiliter ob- „ferventur, motu proprio, & ex certa fcientia, „ac matura deliberatione noftra, ac de Confilio „Venerabilium Fratrum noftrorum S. R. E. Car- „dinalium contra hæreticam pravitatem Genera- „lium Inquifitorum præinfertas Litteras hujus- „modi, ac omnia, & fingula in eis contenta A- „poftolica Auctoritate tenore præfentium ap- „probamus, & confirmamus, illisque omnibus, „& fingulis inviolabilis Apoftolicæ firmitatis ro- „bur adjicimus, illasque non folùm in prædictis „Regnis Hifpaniarum, fed in quibusvis Chriftia- „ni Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter ob- „fervari præcipimus, & mandamus, ac præterea, „ne in futurum de pœna his delinquentibus im- „ponenda, & de modo contra eofdem proceden- „di ab aliquo dubitari poffit, ftatuimus, decerni- „mus, & declaramus, quod omnes, & finguli Sa- „cerdotes tam Sæculares, quàm quorumvis, & „quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoftoli- „cæ immediatè fubjectorum Ordinum, Inftitu- „torum, Societatum, & Congregationum Re-

„gulares

„ gulares, cujuscunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui „ personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, „ sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, „ sive ante, vel post immediate, seu occasione, „ vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam „ ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in „ loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam „ electo, Simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut „ cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive „ tractatus habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur: & præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, „ & locorum Ordinarios omnium Regnorum, „ Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis, per has nostras „ Litteras, etiam privativè quoad omnes alios, „ specialiter, ac perpetuò Judices delegamus, ut „ super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, juxta sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & Decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensione ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis „ ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & Carceres, etiam in perpetuum absque „ ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, cos „ quoque, si pro delicti enormitate graviores „ pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus „ nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus, ne „ delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum „ impunitum, cum difficilia sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & „ Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum „ esse pronunciandi. Non obstantibus omnibus, „ quæ dictus Prædecessor in suis Litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis „ quibuscunque: mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse „ ab aliis, ut supra, solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut præfertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum „ Ordinariis prædictis, quod si officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri „ ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu „ tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii „ & Inquisitores illos pro modo culpæ punire „ non negligant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica Constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & „ extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quod- „ que eædem præsentes Litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, „ & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctant, „ & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostro anno Secundo.

S. Card. S. Susannæ.

Quæritur 3. Et quomodo sonat Bulla Benedicti XIV?

Respondeo: Hanc cum alia Bulla explicatoria reperies in §. sequente.

Quæritur 4. An hæ Bullæ obligent in toto orbe, ac præsertim in Germania?

Respondeo: Obligant in toto orbe, etiam in Germania. Hujus responsionis triplex est ratio. Nam 1. ex tenore Constitutionis Apostolicæ constat; quod Summi Pontifices seriò velint obligare in toto orbe, & quod omnibus Episcopis fuerit seriò mandatum, ut has Constitutiones in suis Diœcesibus promulgent: Ergo sunt inexcusabiles, quibus de voluntate legislatoris constat, nec possunt sumere rationem saltem *certam, manifestam* & *evidenter sufficientem*, quæ conscientiam tuto eximat ab observatione legis, sed tantùm neglectum timide excusabilem mandati Apostolici, se tenentem ex parte illius, cui demandata fuerat in loco particulari promulgatio. 2. Hæ constitutiones promulgatæ & acceptatæ sunt in majori parte Ecclesiæ, videlicet in Italia, Hispania, & Gallia, prout patet ex Theologia harum nationum, v. g. Authore Theologiæ Moralis Salmanticensis, *Pontasio V.* denuntiatio *Potestatis*, *Ferrario* &c. Ergo irrationabilis est excusatio Theologorum, se in Germania eximentium à lege. c. *patet* quia ubi lex Regis aut principis jam est promulgata & acceptata in majore parte regni vel provinciæ, aut Ecclesiæ non excusantur subditi in particulari districtu, si Præfectus loci fuerit negligens in promulganda lege. 3. Constitutio Gregorii XV. jam est sufficienter promulgata in toto orbe saltem *indirecte*, videlicet per propositiones damnatas ab Alexandro VII. quæ supponunt promulgationem & obligationem universalem illius Constitutionis. Nam Propositio 6. sic habet: *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Et Propositio 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur sollicitanti; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* 4. Si eiusmodi legum Apostolicarum obligatio in actu secundo dependeret à promulgatione vel acceptatione Episcoporum, sequeretur, quod Pontifex tacite haberet hunc modum tendendi: *Volo omnes fideles in toto orbe in omnibus Diœcesibus obligare in actu secundo, si ita videbitur cuilibet Episcopo, legem in sua Diœcesi fore utilem,*

aut necessariam, aut non potius nocivam & scandalosam. Sed hoc est absurdum & indignum mente Pontificia. Nam si lex censeretur in particulari provincia vel Diœcesi fore nociva, exigeret subordinatio debita, ut Episcopi scriberent summo Pontifici de circumstantiis loci particularibus, quas ignorare potuit legislator, & sic collatione cum vicinis Episcopis facta peteretur cum omni submissione suspensio legis. At verò utilitatis aut necessitatis generalis judicium relinquere cuivis Episcopo, profectò repugnat prudentiæ & authoritati legislatoris supremi & naturæ legis. Quod si etiam verum sit, in una natione v. gr. Italia aut Hispania, dari majoritatem rationis pro lege, & ibi dari casus frequentiores, non sequitur, propterea in alia natione cessare obligationem legis. 5. Sollicitantes in Confessionali sunt suspecti *de hæresi*, quia præsumitur à jure quod male sentiant de rebus Religionis, prout infra Q. 20. Ergo cum dentur Leges generales Ecclesiasticæ, in toto orbe promulgatæ & receptæ denuntiandi -- suspectos de hæresi; prout infra Q. 20. dicetur, etiam hæc lex erit universaliter obligatoria. *Si autem quis dicat;* leges præsertim tantis difficultatibus implexas, non esse ferendas, nisi casus legislatorem moventes sint frequentes; quæ frequentia in Germania locum non habet.

RESPONDEO: Motivum legislatoris non fuisse frequentiam, sed enormitatem criminis, dum animæ ad Deum redeuntes in ipsa actuali conversione ab ipso ministro Dei perfide abducuntur à Deo, quod merito inter summa, quæ excogitari possunt, scelera referendum est. Sicut ergo ponuntur leges de crimine læsæ majestatis, de parricidio, incæstu in primo gradu, proditione patriæ &c. etsi hæc crimina non sint frequentia, sed rara, ita etiam de isto detestando crimine merito lex ponitur. Dein, si verum est, quod istud crimen in Germania sit rarum, eo minus justa erit excusatio ab acceptatione vel promulgatione legis, cum etiam difficultates, quæ prætenduntur, eò rariores futuræ sint.

QUÆRITUR 5. Quid intelligatur per peccata *inhonesta* & *turpia*, ad quæ sit sollicitatio?

RESPONDEO: Per peccata *inhonesta* & *turpia* intelliguntur omnes actus externi *libidinosi* seu actus luxuriæ, quò spectant etiam actus ex sua natura vel ex particulari dispositione complicis, vel ex intentione operantis aliunde satis manifestata signo aut verbo, inductivi ad vehementem commotionem spirituum genitalium, ac consequenter ad pollutionem saltem ex parte unius complicis, agentis vel patientis, sive ipsa actualis pollutio sequatur vel non. A fortiori autem intelligitur fornicatio, sodomia, & alii actus luxuriosi. Ita explicant passim Doctores. Ea verò explicatio PROBATUR directè hoc modo. Terminis *turpitudinis* in Scriptura, ex qua à Summis Pontificibus desumptus est, significat omnem actum externum *libidinosum*. Ergo idem significat in Bullis Pontificiis. *ant. prob.* Hic terminus, *turpitudo*, occurrit in Scriptura ad Ephes. 5. & ad Rom. 1. In priori loco Apostolus sic scribit: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Hoc enim scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Christi.* Ubi manifestum est, quod Apostolus in summario omisso termino turpitudinis, stultiloquii & scurrilitatis tantùm duo genera peccati, nempe immunditiam & fornicationem posuit turpitudinem. Stultiloquium, & scurrilitatem ad immunditiam aut fornicationem retulerit, tanquam media ordinata vel propinque disponentia ad finem. Et ad Rom. 1. dicitur: *Tradidit illos Deus in immunditiam. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam; similiter & masculi relicto naturali usu fœminæ exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem exercentes.* Ex his ergo patet, quod sollicitare ad inhonesta & turpia sit sollicitare ad actus externos immunditiæ seu pollutionis, vel ad actus disponentes propinque ad immunditiam; quia effectus & dispositiones propinquæ in genere moris ad eandem speciem referuntur. Eadem expositio PROBATUR 2. Ex interpretatione doctorum. D. THOMAS scribens in c. 5. ad Ephesios sic habet: *Omnis immunditia, id est, pollutio; aut turpitudo, quæ est in tactibus turpibus & amplexibus & osculis libidinosis. Item stultiloquium, id est, verba provocantia ad malum & scurrilitatem, id est, verbum joculatorium;* (puta, cum oblectatione vel provocans ad delectationem morosam circa libidinosa.) *Et hæc omnia sunt mortalia, in quantum ordinantur* (ex sua natura vel ex circumstantia) *ad mortalia peccata.* Ita S. Thomas. Similiter S. ANTONINUS p. 2. tit. 5. c. 1. §. 9. scribit: *Sextus gradus luxuriæ est libidinosa contrectatio, quæ scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitudinem, cum ait: Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo non nominetur in vobis. Ubi Glossa: Turpitudo, ut in osculis, amplexibus, & hujusmodi: omnia talia sunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra matrimonium. Unde Apostolus subdit: Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Non autem resumit de turpitudine, stultiloquio, scurrilitate; quia sub illis, scilicet fornicatione & immunditia includuntur: in tantum enim sunt peccata amplexus, oscula, tactus, & stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione & immunditia notantur secundum S. Thomam.*

QUÆRITUR 6. An sub isto termino: *Inhonesta & turpia*, intelligantur etiam colloquia obscœna?

RESPONDEO 1. In Bullis Pontificiis sub termino, *inhonesta & turpia*, probabilius non intelliguntur lasciva colloquia. Ratio est; quia sicut in Apostolo *stultiloquium* & *scurrilitas* à *turpitudine* distinguuntur, ita etiam Pontifex censetur ea distinxisse, nec ea sub termino *turpitudinis* comprehendisse.

RESPONDEO 2. Practicè tamen sollicitans ad lasciva colloquia censendus est ad actus externos libidinosos sollicitasse. Ita censent authores omnes, qui docent, tractantem *colloquia amatoria* confessionali vel occasione confessionis esse denuntiandum. Ratio est, quia colloquia lasciva per se sunt inductiva ad actus externos libidinosos. Itaque sollicitare ad colloquia lasciva, & sollici-

sollicitare ad actus libidinosos practice idem est.

Quæritur 7. An solicitans ad actus inductivos solùm ad delectationem obscœnam morosam comprehendatur in Bulla.

Respondeo: Etiamsi ex parte personæ solicitatæ vel solicitantis non sit timenda pollutio, aut ejus periculum ex vehementi commotione spirituum genitalium, si tamen actus externus ad quem fit solicitatio, sit per se vel ex dispositione personarum inductivus ad delectationem obscœnam morosam, ejusmodi solicitatio jam censenda est fieri ad actum libidinosum; adeoque censenda est comprehendi sub Bulla. Id probatur ex D. Thoma, & D Antonino, qui ejusmodi actus vocant *libidinosos*. S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 7. & 8. sic scribit: *Consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, & non solùm consensus in actum. Et ideo cum oscula & amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est, quod sunt peccata mortalia; & sic solùm dicuntur libidinosa. Unde hujusmodi, secundùm quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia.* Ita D. Thomas; ad cujus verba D. Antoninus l. c. hæc subjungit: *Et qui permittit hæc sibi fieri ab eo, quem æstimat ad hoc moveri amore libidinoso, mortaliter peccat; quia facientem & consentientem par pœna constringit, ut dicitur in Canone* (notum. 2 q. 1.) *Sed qui permittit hoc sibi fieri, credens talem moveri ex delectatione fraterna, seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriæ, non peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per consequens mortaliter peccaret; & hoc quoad oscula, amplexus, & dando alter ad alterum manum, ut moris est. Quod tamen periculosum est, & ideo cavendum ab his inter virum & mulierem.* Huic testimonio D. Thomæ & D Antonini accedit sensus Alexandri VII. qui damnavit sequentem propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit, tantùm esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusô periculo consensus ulterioris & pollutionis.* Ex his patet, quod attactus earum partium, quæ etiam in prædictis natura minimæ disposita ad pollutionem, aut vehementem commotionem spirituum genitalium, solent tamen excitare delectationem obscœnam morosam, sint revera *actus externi libidinosi*, & proin comprehensi in Bulla.

Quæritur 8. Quales casus pertineant ad sollicitationem *immediatè ante confessionem?*

Respondeo: Ab authoribus communius ponuntur sequentes. 1. Si muliere accedente ad confessionem Confessarius ante signum crucis eam præveniat, & dilata in aliud tempus confessione eam sollicitet. 2. Si confessarius, bodie vocatus à pœnitente ad excipiendam altero die ejus confessionem, sequente die accedat ad ejus domum, & eam postposita confessione sollicitet. 3. Si Confessarius invitet mulierem ad confessionem altero die deponendam, & eam sequente die accedentem ad Ecclesiam præ foribus Ecclesiæ sollicitet nulla prius data ansa loquendi de confessione. 4. Si mulier in confessione, vel immediatè ante -- aut -- post confessionem conventione facta cum Confessario de peccato carnis se ægram simulet, & Confessarius vocatus simulans exceptionem confessionis inhonesta tractet. 5. Si mulier sub prætextu confitendi Confessarium in domum vocet, & Confessarius à muliere provocatus cum illa peccet. 6. Si muliere accedente ad confessarium animo confitendi Confessarius dissuasa confessione eam redeuntem ab Ecclesia in via vel domi provocet.

Quæritur 9. Quales sint Casus pertinentes ad sollicitationem *in Confessione?* vel *in Confessionali?*

Respondeo: Ponuntur ab authoribus communius sequentes. 1. Si Confessarius pœnitenti pro pœnitentia injungat actus provocantes ad lasciviam reciprocam, v. gr. denudationem coram se, quamvis id fieret sub prætextu flagellationis, aut alterius finis simulati. 2. Si Confessarius pœnitentem instruat de rebus lascivis, vel meretriciis instructione ordinata ad actus lascivos. 3. Si Confessarius in Confessione erga pœnitentem utatur verbis aut phrasibus ex usu loquentium ordinari solitis ad amorem vel actum lascivum. v. g. laudando ejus pulchritudinem amorose; explicando suas erga personam tentationes, adhibendo titulos amatorios, contestando suam æstimationem & affectionem sensualem &c. 4. Si Confessarius in Confessionali sedens mulierem ante Confessionale flectentem vel stantem aut sedentem sollicitet nutibus aut verbis. 5. Si pœnitens negotium temporale cum Confessario tractatura id faciat in Confessionali, &, quamvis non confiteatur, nec habeat animum confiteudi, occasione hac à Confessario sollicitetur. 6. Si Confessarius excipiendo confessionem unius personæ, ea non advertente, per signa inhonesta sollicitet aliam personam in conspectu positam. 7. Si Confessarius & alia persona ad liberius tractandum de rebus inhonestis conveniant in Confessionali, & ibi sine confessione tractent de inhonestis.

Quæritur 10. Quales casus pertineant ad sollicitationem *post Confessionem?*

Respondeo: Ab authoribus communius recensentur sequentes. 1. Si Confessarius post auditam Confessionem personæ pœnitentis accedit ad ejus domum, ibique aut in itinere eam sollicitat occasione sumpta ex peccatis in confessione expositis. 2. Si Confessarius immediate post confessionem mulieri dicat; *exspecta me parum;* & dein ex confessionali surgens in loco constituto eam ad inhonesta provocat. Ratio est, quia in tali casu constat, illa verba: *Exspecta* fuisse ordinata ad actus inhonestos. 3. Si Confessarius statim post confessionem puerum ducat ad cubiculum, & ibi eum sollicitet. Ratio est eadem, quia ipsa deductio in cubiculum, immediate post confessionem secuta fuit ordinata ad turpia. 4. Si Confessarius statim post confessionem dixit puero: Veni hodie ad meam domum, & tradam tibi chirographum tuæ confessionis; & adveniente puero eum sollicitet. 5. Si Confessarius personæ pœnitenti post confessionem det chartam sollicitationis, postea domi legendam. Ita declaratum satis aperte est per Alexandrum VII. in damnatione superius Quæst. 4. relatæ propositionis.

Quæ-

QUÆRITUR 11. Quinam teneantur denuntiare?

RESPONDEO 1. Tenetur imprimis denuntiare persona sollicitata. 2. Si persona sollicitata non denuntiet, tenetur eam Denuntiationem facere quævis alia persona, quæ eam sollicitationem à persona sollicitata immediatè vel mediatè extra confessionem intellexit. Ita satis clare continetur in Bulla. 3. Ipse tamen sollicitans non tenetur denuntiare seipsum. Ita communis.

QUÆRITUR 12. Quomodo sit facienda denuntiatio.

RESPONDEO 1. Quando Episcopus vel Vicarius Generalis est in vicinia, ita ut à persona sollicitata facile adiri possit, tenetur denuntiare sollicitantem in persona propria. 2. Si Ordinarius ob distantiam vel aliam causam convenienter adiri non possit, tenetur persona sollicitata sollicitantem denuntiare per Epistolam adscripto suo & sollicitantis nomine. 3. Si persona sollicitata neque possit denuntiare per Epistolam, tenetur adire vel Decanum Ruralem, vel Confessarium, vel alium virum prudentem, qui ejus nomine ad Ordinarium scribat. 4. Quando facta fuerit ejusmodi denuntiatio, Ordinarius rescribet viro alicui Ecclesiastico, in cujus prudentia confidit, ut excipiat testimonium sollicitantis sub juramento, & juratum testimonium cum suo testimonio de honestate & idoneitate denuntiantis ad Ordinarium remittat. Et hoc modo actus denuntiationis erit completus. Hic modus denuntiandi præscriptus fuit ex Decreto S. Inquisitionis Romanæ jussu Urbani VIII. ut refert *Potestas* hic n. 599. his verbis: *Quando pœnitens persistere in reluctatione* (denuntiandi) *SS. D. N. sibi satisfieri declarat; si Episcopus aut Inquisitor Confessario committat potestatem excipiendi denuntiationem in scripto & cum juramento, ut ea statim dejeratur ad eum, à quo commissionem potestatis accepit.*

QUÆRITUR 13. Quis sit usus, finis, & fructus ejusmodi denuntiationis?

RESPONDEO: Usus erit iste 1. ut, si persona denuntians sit persona aliunde valde honesta, & fide digna, nec ullius malitiæ, vindictæ, aut inimicitiæ, vel subornationis suspecta, & denuntiatus sit alioquin vir parum timoratus, ejusmodi denuntiatum faciat *suspectum*, in ordine ad ei invigilandum. 2. Ut si concurrant aliunde majora indicia ex parte denuntiati v. gr. ob suspectam aliunde conversationem, præbeant Ordinario motivum, prima vice adhibendi monitionem paternam, non imputando crimen, sed admonendo de cautela, attamen absque periculo reddendi personam denuntiantem suspectam denuntiatio. 3. Ut si jam aliunde denuntiatus in materia luxuriæ fuerit admonitus, & correctus, & omnes circumstantiæ Ordinario faciant plenam fidem, ita ut de veritate denuntiationis dubitari prudenter non possit, Ordinarius vi Bullæ possit procedere ad pœnas in Bulla expressas. 4. Denique habetur iste finis, ut si denuntiatus in sua malitia pergat, sollicitando successive varias alias personas, facta iterata denuntiatione per alias personas, fiat Ordinario plena fides, sicque procedi possit ad pœnas in Bulla expressas.

QUÆRITUR 14. Cui facienda sit denuntiatio, si denuntiatus sit Regularis?

RESPONDEO: Denuntiatio facienda est Inquisitori, ubi reperitur, vel Ordinario locorum; & non Prælato vel Superiori Regulari. RATIO est 1. quia in Bulla Gregorii XV. dicitur, ut denuntiatio fiat Inquisitionis Officio, vel *locorum Ordinariis*. Per Ordinarios autem *locorum* non intelliguntur Prælati vel alii Superiores. Hi enim sunt Ordinarii *personarum*, non locorum. 2. quia, prout ex Authoribus colligitur, ea est universalis praxis in Italia & Hispania, ut Regulares etiam exemptorum Ordinum, in hoc puncto non denuntientur Superiori Regulari, sed Inquisitionis Officio. 3. quia motivum tam severæ Constitutionis est, ut obvietur abusui Sacramenti pœnitentiæ: Cum ergo Regulares suam approbationem & jurisdictionem in pœnitentes Sæculares non habeant à Superiore Regulari, sed ab Episcopo, qui approbationem & jurisdictionem suspendere poterit *ex causa ad rectam Sacramenti administrationem pertinente*, intentio Pontificis denuntiantem connaturalius remittit ad Episcopum, quàm Superiorem regularem. 4. Idem satis clare in Epistola Ser.mi ac RR.mi nostri Episcopi Augustani *in Q.* 1. relata continetur his verbis: *Sive Sacerdos sit Sæcularis sive Regularis quomodolibet exemptus ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectus, &c. contra quos omnes inquirere & severè in eos animadvertere jubemur.*

QUÆRITUR 15. An Confessarius sit denuntiandus, si aut dubia sit solicitatio, aut dubia extensio Bullæ ad casum?

RESPONDEO: In hoc esse distinguendum. Si enim ipsa solicitatio dubia sit, v. g. quando dubitatur, an verba aut signa fuerint ordinata ad actus turpes; vel quando dubitatur, an consideratis circumstantiis actus solicitationis respiciat objecta ex suo genere mortalia, non datur in pœnitente obligatio denuntiandi. Si verò actus solicitationis ex suo genere & objecto sit certò peccatum mortale, & tantùm dubia sit extensio Bullæ ad casum, v. g. quando Confessarius occasione Confessionis præteritæ primùm solicitat pœnitentem post aliquot dies; vel quando solicitat extra Confessionem, & se excusanti, quod pateretur dein verecundiam confitendi, dicat; poteris hæc mihi confiteri alio commodo tempore, &c. in ejusmodi particulari casu dubio eligendum est illud, quod cuivis in casu individuo videtur ad mentem Legislatoris manifestè conformius, seu notabiliter probabilius.

RATIO EST CIRCA PRIMUM, quia Legislatores, nisi aliud exprimant, nolunt pœnis gravissimis subjicere, nisi reos criminis *certò gravis*, & *certò commissi*, cùm ita postulet prudentia legislativa, neminem affici pœna *certa* ob delictum *incertum*.

CIRCA SECUNDUM vero ratio est; quia suppono ex Tractatu *de Actibus humanis*, quod universim detur obligatio eligendi id, quod est manifestè probabilius, seu conformius ad mentem Legislatoris. Quod si verò etiam in hoc casu *dubiæ extensionis* dubium foret *strictè tale*, hoc est, conjunctum cum suspensione omnis judicii ob æquales circiter rationes in utramque partem,

tem, non daretur obligatio denuntiandi. Neque enim Legislatores volunt, suas leges obligare in actu fecundo, nisi congrua promulgatione redditæ fuerint clarè & manifestè credibiliores non ipsis.

Quæritur 16. An persona pœnitens teneatur Confessarium denuntiare, si ipsamet solicitationi consenserit? Et quomodo?

Respondeo 1. Fuisse quidem Anthores, qui olim hanc obligationem negaverant, sed nunc post declarationem Summi Pontificis expressam in ipsa Constitutione docere oppositum erroneum est. In Constitutione namque Benedicti XIV. expresse continentur hæc verba: *Etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut solicitatio inter Confessarium & pœnitentem mutua fuerit; sive solicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post solicitationem jam effluxerit, &c.* Ex qua declaratione Summi Pontificis simul plura alia dubia, de quibus laxiores Theologi hactenus disputaverant, resolvuntur. Neque hæc declaratio Pontificis nova est. Quod enim persona solicitationi consentiens nihilominus obligetur ad denuntiandum, jam pridem declaratum fuerat à *S. Congr. Inquisitionis* 27. Sept. 1624, ut refert Potestas. Circa modum verò denuntiandi observandum, quod pœnitens, nisi ex altiori motivo charitatis ad præcavendas seductiones plurium animarum ultrò velit, non teneatur fateri crimen suum; imo peccaret Ordinarius gravissimè, si modo præceptivo aut comminativo aut interrogatione judiciali exigeret à denuntiante notitiam talium circumstantiarum, ex quibus facile in cognitionem vel præsumptionem delicti veniri posset. Moneri tamen ejusmodi persona à Confessario vel Ordinario posset, ut in discursu cum sui æqualibus, quæ & ipsæ solicitanti confiteri solent, ubi de solicitante sermo est, observet, an non deprehendat etiam in aliis sinistra de Confessario judicia? Si enim deprehenderet, etiam alias personas sic fuisse solicitatas, teneretur, eas admonere de earum obligatione; in quarum defectu teneretur ipsamet denuntiare solicitationem etiam aliis personis factam. Itaque modus denuntiandi posset in tali persona complice esse iste: *Ego N. N. ætatis N. status N. in loco N. testor coram Deo, quod N. N. Sacerdos N. N. in N. N. me* immediate (ante vel post) *in Confessione* (vel prætextu Confessionis) *ad libidinosos actus nempe* (oscula, tactus, pollutionem, Sodomiam, fornicationem, vel adulterium, &c.) *die N. anno N. solicitaverit; quod etiam parata sum sub juramento coram Commissario ab Ordinario mihi delegando confirmare. Datum N. die N. anno N.* Similis erit formula in ipsa depositione jurata, nisi quod additur, *testor sub juramento.* Potestas ad eximendum denuntiantibus metum hoc loco n. 578. sic scribit: *Mulier denuntians à Sacro Inquisitionis Tribunali non accipitur, ut complex, sed ut testis; nec tenetur manifestare suum consensum; imo de eo nec potest à Tribunali interrogari: quod si ipso ex simplicitate illum consensum declaret, in actis non ponitur. Secundò; non est denuntianti infamiæ periculum; quia, si Confessarius, denuntiatus ad minuendum suum delictum coram Tribunali ultro fateretur, se cum persona denuntiante actus inhonestos habuisse, sed illa consentiente, Sacrum Tribunal non dat fidem Confessario, sed credit, id eum dicere ad judicium evadendum, aut pœnam minuendam. Ex alia parte mulier non tenetur suum manifestare consensum, nec de eo Sacrum Tribunal curat.* Ita hic Author.

Quæritur 17. Quid agendum, si Ordinarius loci nollet acceptare hanc Constitutionem, nec facta denuntiatione se illi conformare?

Respondeo: Posset talis Ordinarius denuntiari Romam ad S. Inquisitionis Tribunal cum nuda inscriptione: *RR.mo ac Em.mo Secretario Officii S. R. Inquisitionis. Romæ.* Nam Romæ in foro externo Ordinarius infallibiliter adstringeretur ad se conformandum Constitutioni Pontificiæ. Ita etiam mihi olim de obligatione Constitutionis Gregorii XV. interroganti respondit colend. meus quondam in Jure Can. Professor P. Franc. Schmalzgrueber, Roma redux.

Quæritur 18. An persona solicitata teneatur denuntiare Confessarium solicitantem, si ab eo acceperit plura munera, ac etiamnum speret habere absque malo fine sine titulo eleemosynæ?

Respondeo: Eam omnino teneri ad denuntiandum. Ita resolvit Potestas & Diana, quorum posterior p. 10. tr. 13. resol. 64. refert, contrariam opinionem fuisse ex Operibus Sancii deletam à *S. Congregatione Indicis.* Ratio est, quia obligatio denuntiandi perniciosos generi humano, *quoad substantiam* & ex suo genere, est Juris naturalis & divini; & tantùm est Juris positivi *quoad modum* & *speciem*; & quidem circa bonum longè magis necessarium, quàm est exhibitio gratitudinis; adeoque ordine Decretorum anterior lege gratitudinis. Ergo in concursu, ubi ambo observari nequeunt, prior obligatio posteriori præferenda est.

Quæritur 19. An pœnitens teneatur denuntiare Confessarium, si credat, eum jam esse emendatum? & num prius debeat uti correctione fraterna?

Respondeo: Esse denuntiandum, etiamsi pœnitens credat, eum jam esse emendatum. Ita nunc plerique Authores. Ratio est 1. quia finis hujus Constitutionis non est emendatio personæ particularis, sed securitas publica *Sacramenti* & *animarum ex castigatione certa* tam abominandi sceleris; & *ex metu indeclinabili* omnium Confessariorum incurrendi gravissima supplicia etiam actu unico, aut duplicato; imo etiam Indemnitas Ecclesiæ, ne ejusmodi pestes ad Officia publica subrepant, quo nihil est nocentius communi bono Ecclesiæ. Hic autem finis non obtineretur, si à denuntiatione excusaret bona fides pœnitentis de secutura aut secuta emendatione. Nam evidens est; in suppositione oppositæ sententiæ vix unquam habituram locum denuntiationem, nisi persona solicitata frequenter fuisset solicitata ab eodem Confessario, aut certò illi constaret, etiam plures alias fuisse solicitatas. Id patet consideranti signa emendationis, quæ ab Authoribus oppositæ sententiæ allegantur. Dicunt enim, signa emendationis esse,

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

esse, si ex sequentibus unum concurrat. 1. Si delinquens jam est Sacramentaliter confessus. 2. Si est consecutus Jubilæum. 3. Si per triennium bene vixit. 4. Si mulier ter aut quater ad Confessarium accedens in eo animum libidinosum & signa libidinis non reperit. Nam quod attinet primum signum, ejusmodi hypocritæ confiteri solent ex præscripto Ordinis vel Episcopi instar aliorum Sacerdotum præscriptis temporibus, v. g. singulis octiduis vel mensibus. Et sic nullus deberet denuntiari, aut deberet fieri inquisitio apud Confessarios Confessarii ab ipso pœnitente. Quodsi Confessio ordinaria non eximit ab obligatione denuntiandi, nec eximet Confessio deposita in Jubilæo, partim quia frequentes ubique sunt Indulgentiæ per modum Jubilæi, præsertim in urbibus, partim quia in Jubilæo non continetur privilegium speciale exemptionis ab hoc onere denuntiandi. *Si ponatur exspectatio triennii*, sequitur, quod ante triennium nulla daretur obligatio denuntiandi; quod repugnat menti Summorum Pontificum & Tribunalium. Nam prout Author *Theologiæ Moralis Salmanticensis* Tract. 21. c. 4. punct. 4. n. 77. testatur; in Edicto Inquisitionis præcipitur: *Ut intra sex dies sub pœna excommunicationis latæ sententiæ solicitans denuntietur non præmissa correctione fraterna.* Si quartum signum emendationis eligeretur, sequeretur, quod persona solicitata adhuc ter aut quater licitè posset confiteri eidem Confessario, animo experiendi ejus emendationem; quod nemo dixerit; quis hoc esset, animas exponere occasioni & periculo proximo peccati, vel saltem gravis tentationis, aut cooperationis ad novam solicitationem. Imo si Confessarius inciperet ex variis signis metuere pœnitentem; haud dubiè præoccuparet, asseverando, se jam esse confessum; aut abstineret à nova solicitatione animi tam firmi in bono. Ratio 2. hujus Responsionis est, quia longè communior Anthorum stat pro hac sententia, quos citat & sequitur Author *Theologiæ Moralis Salmant.* l. c. n. 78. inter quos *Bonacina*, *Suarez*, *Azor*, *Jo. Escobar*, *Trullench*, *Farinac. Antonius à Spir. S. &c.* Ratio denique 3. fortissima petitur ex ipsa Constitutione Benedicti XIV. ubi expresse dicitur, solicitantem esse denuntiandum, *etiamsi longum tempus post solicitationem jam effluxerit.* Quæ verba satis indicant; nullum habendum esse respectum ad præsumptionem secuturæ vel secutæ emendationis. Per *longum tempus* verò in Jure intelligitur tempus *viginti annorum.* Neque dici poterit; tam seram denuntiationem nullum posse habere effectum. Forte enim serviet pro complemento aliarum denuntiationum præcedentium de eodem Confessario, quæ apud Ordinarium depositæ fuerant; aut serviet cum aliis indiciis pro occludenda ad dignitates janua ejusmodi hypocritis: vel saltem pro terrore perpetuo Confessarii, ne iterata solicitatione compleat mensuram peccatorum, si sciverit, etiam ante longum tempus commissas solicitationes posse ad Tribunal aliquando revocari.

Quæritur 20. An crimen solicitationis faciat suspectum de hæresi?

Respondeo: Facit suspectum.

Probatur 1. ex Bulla Pii IV. contra solicitantes in Confessionali pro Regno Hispaniæ edita anno 1561. die 16. Aprilis, ubi sic habetur: *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* — Et infra jubet Inquisitori Generali Archi-Episcopo Hispalensi, ut *tam super præmissis quam super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras.* Eadem verba habentur in alia Bulla Pauli V. edita 1608. 6. Septembris ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ. Verum quidem est; quod ejusmodi fæcis homines rarò deprebendantur esse *formales hæretici* per positivam assertionem articuli contrarii; verissimum tamen est, quod vitium radicatum luxuriæ in hominibus excæcet mentem circa res fidei, ita ut videantur esse in statu medio *negativo*, in quo nihil nisi de voluptate curantes *nec benè nec malè* de rebus Religionis sentiunt.

Probatur 2. ex Praxi Tribunalium, de qua testatur Potestas b. l. n. 654. his verbis: *Accedit praxis, tam Inquisitionis Romanæ, quam Inquisitionis Hispaniæ, quia hujusmodi Confessarii habentur suspecti in fide, & abjurant.* Abjuratio autem hæresum, quæ his Confessariis injungitur, est clarum signum, quod sint suspecti de fide.

Quæritur 21. Quænam causæ personam solicitatam, aut solicitationis consciam excusent, vel non excusent à denuntiatione?

Respondeo 1. Non excusat 1. verecundia personæ, etiam nobilis; nec timor, orituræ contra se in Judice suspicionis. Ratio est, quia hæ difficultates sunt generales, quæ non moverunt Pontificem ad suspendendam legem. 2. Nec prætextus emendationis, aut præmittendæ correctionis fraternæ, ut ostensum est Q. 19. 3. Nec lapsus longi temporis à facta solicitatione, prout eadem Q. 19. ostensum est. 4. Nec titulus gratitudinis, prout patet ex dictis Q. 18. 5. Nec periculum incommodi aut damni respectivè ad personam denuntiantem & damna Ecclesiæ & animabus probabiliter timenda levis. Ratio est, quia hæc incommoda sunt denuntiationi intrinseca ac ferme generalis, quæ non possunt movere Legislatorem à tollenda Lege. 6. Nec etiam *periculum* gravis damni, si non sit *probabile.* Ratio est eadem. 7. Quod si tamen occurreret periculum probabile gravis damni in bonis famæ, fortunæ, aut corporis, casus tecto nomine pœnitentis, & solicitantis, exposita utriusque qualitate in genere, perscribendus esset Ordinario vel Inquisitori, ut petatur ab eo resolutio, ac si opus fuerit, impetretur dispensatio. Ratio sic respondendi est, quia æstimatio personalis damni comparativè ad damnum commune videtur pertinere ad causas arduas reservatas cognitioni Episcopi, qui præest communitati ad invigilandum bono communi. Itaque pœnitens in tali casu obligandus esset, ut constituto tempore ad se pro capienda resolutione Ordinarii redeat, vel, si redire nequeat, ut alteri Confessario suo Ordinario commissionem scribendi ad Ordinarium solicitantis tribuat. Facta autem promissione de

ſtando reſolvendis abſolvi poterit. Quod ſi verò timor malorum videatur Confeſſario inſufficiens ad excuſationem juſtam ab onere denuntiandi, differenda eſt interea pœnitenti abſolutio, donec diſpenſatio veniat. Videri de hac re, & dilatione abſolutionis uſque ad adventum diſpenſationis, poteſt P. Viva in Propoſ. 7. ab Alexandro VII. damnatam n. 7., ubi teſtatur, ſe diſpenſationem in ejuſmodi caſu timoris panici ab Innocentio XI. impetraſſe.

Quæritur 22. An ſolicitantes poſſint aliquando degradari & Judici laico tradi?

Respondeo: SS. D. N. Benedictus XIV. in Epiſtola Romæ apud Palearinum Academiæ Liturgicæ typographum ſcripta ad P. Eman. Azevedo S. J. ſic reſpondet: *Pœna degradationis & traditionis Curiæ ſæculari* (in Bulla Gregorii XV.) *impoſita fuit* AD TERROREM, *neque unquam ſubinde executioni mandata eſt; & quidem merito; cum enim ſolicitationis crimen non niſi teſtibus ſingularibus probari queat, grave fuiſſet atque intolerabile, ad degradationem & Curiæ ſæculari traditionem procedere.* Ex his verbis patet, ejuſmodi pœnas quandoque à Legiſlatoribus oſtendi, ut rei ſciant, quid *ſummo jure ac rigoroſo* fieri poſſet, licet, ubi viribus humanis intolerabiles videntur, ex moderatione ac pietate Judicis non ſoleant infligi. Idem l. c. reſpondet circa pœnas *ſortilegorum*, & *polygamorum*.

§. II.

De abſolutione Complicis in peccato turpi & inhoneſto.

Quæritur 1. Qualia in hac re emanaverint Decreta?

Respondeo: In noſtra Diœceſi Auguſtana anno 1748. 21. Julii per Epiſtolam Encyclicam Ser.mi ac RR.mi Epiſcopi prodiit Decretum, in quo, poſtquam de peccato ſolicitationis actum fuerat, hæc habentur: *Alterum eſt peccatum Complicis, Commiſſum in materia turpi contra ſextum Decalogi Præceptum, quo Sacrilegi quidam Dæmonis potius, quàm Dei miniſtri animas, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis nefariè ſubmergunt. Animarum itaque periculis occurrere, atque à Sacerdotalis Judicii, & ſacri Tribunalis Sanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum Eccleſiæque injuriam procul amovere cupiens idem SS.mus D. N. in præfata Conſtitutione ſua* Sacramentum Pœnitentiæ *omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcunque Ordinis, ac dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, ac Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota ac mentione digno ſuffultis, Auctoritate Apoſtolica interdixit, ne quis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacunque juriſdictione, ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit,* D. Amort Tract. de Pœnitentia. *nulla, atque irrita omnino ſit, tanquam impertita à Sacerdote, juriſdictione, ac facultate ad validè abſolvendum neceſſaria carente, prout per dictam Conſtitutionem ita adimitur, ut nec etiam in vim cujuſcunque Jubilæi, aut alterius cujuſlibet Indulti, Confeſſionem hujuſmodi Complicis quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri. Si quis tamen, hoc non obſtante, ſecùs facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, Summo Pontifici duntaxat reſervatam ipſo facto incurret.*

Cùm verò ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quædam exortæ fuerint, hinc ne Lex in certis Conjecturis, & opinionibus jactata in ſenſus à mente Pontificia alienos traheretur, idem modernus SS.mus D. N. in Declaratione deſuper facta edixit, voluitque, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſuprà, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non eſt, in mortis articulo, perſonam Complicem Confitentem audire, atque ab hac quoque culpa ritè contritam abſolvere, deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit: ita interdici re ipſa prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ſi alius Sacerdos non defuerit, etiamſi fortè ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive aliàs ad Confeſſiones audiendas, non approbatus, qui tunc nihilominus Confeſſionem excipere, & abſolutionem impertiri valeat. Quòd ſi tamen caſus urgentis qualitas, & circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ Confeſſionem vocari, aut accedere, ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi re vera abeſſet, atque deficeret, proindeque in eo ſtatu non prohiberi Socio criminis Sacerdoti, abſolutionem ab illo quoque crimine pœnitenti impertiri.

In iſto autem rerum themate ſeriò commonetur Sacerdos complex, ut animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, Reum gravis adverſus prædictam Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi talis infamiæ aut ſcandali pericula ſibi ultrò ipſe confingat, ubi non ſunt; imò intelligat, teneri ſe graviter vigore memoratæ Conſtitutionis, hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis remediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſſionis, abſque ullius infamia, vel ſcandalo, audiendæ. Quodſi denique talis Sacerdos, aut quovis modo, nulla gravi neceſſitate compulſus ſeſe ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe, ad id periculum avertendum, congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto peccato Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, Conſtitutæ Sacramentalem Confeſſionem excipere, & à tali crimine abſolvere, nulla, ut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente præſumpſerit, abſolutio quidem, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint, valida futura eſt: nihilo ſeciùs Sacerdos ipſe violatæ auſu temerario Legis pœnas nequaquam effugiet, ac propterea latam in ſæpe dicta Conſtitutione Excommunicationem majorem eodem planè modo, quo ibi decernitur, Sedi Apoſtolicæ reſervatam incurret, prout eo ipſo incurrere Sua Sanctitas ſtatuit, atque declaravit.

Quæritur 2. Quomodo sonet ipsa Constitutio Benedicti XIV. cum ejus Declaratione?

Respondeo: Tenor earum sequens est:

Innovantur Pœnæ adversus Confessarios, qui pœnitentes ad turpia solicitant; cum Præcepto hujusmodi denunciandi; & reservatione absolutionis quoad Calumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ administrandi Complicibus in peccato contra castitatem, cum pœnis &c.

Benedictus Episcopus,

Servus Servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, Nos licèt immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, & Pastoralem solicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in salutem, & curationem animarum à Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

§. 1. *Dudum quidem à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro per suas Litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta solicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem, plura subinde à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die XI. mensis Februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die XXIV. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocando, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea Sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, præfatas Litteras hujusmodi, ac omnia, & singula Decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuò committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani in suis respectivè Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcunque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscunque Dignitatis, Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcunque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem ad inhonesta, & turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per Scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos Sermones, vel Tractatus temerario ausu habuerint; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severè animadvertant, per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædecessoris nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.*

§. 2. *Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cùm primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.*

§. 3. *Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut pro-*

promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta innoxios sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcunque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, à quocunque sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. *Demum magnopere cupientes, à sacerdotalis judicii, & sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longe submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius quàm Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum Consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione; quemadmodum à pluribus Episcopis per synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus & singulis sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus cujuscunque ordinis, ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, auctoritate Apostolica, & nostræ potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipsò jure quacunque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita à sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus; & nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque Excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem nobis solis nostrisque Successoribus duntaxat reservamus, ipsò facto incurrat.*

§. 5. *Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscunque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciata Sancta, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri; cùm ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate à nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, nec non quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§. 6. *Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordinarii, tam præsentes, quàm futuri pro tempore existentes in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quam præsentem hanc nostram, ab omnibus sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum Fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire summi, atque æterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: Sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulsantibus eorum culpa cælum claudatur, ne deperditæ oves ad ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi filii egentes, & saucii ad cælestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.*

§. 7. *Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

§. 8. *Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri anno I.*

X. Sub-Datarius.

Pro D. Card. Passioneo

Cajetanus amatus.

Visa de Curia.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium Publicat. die XVII. ejusdem Mensis, & Anni.

Declaratio

Super Constitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ, adversus solicitantes Anno MDCCXLI. edita.

Benedictus Papa XIV.

ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipuè rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo, & assiduis hortationibus, & justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sanctè tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verùm etiam leges ipsas, ne fortè sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§. 1. *Sanè cum nos alias per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est: Sacramentum Pœnitentiæ: Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii Pontificatus nostri anno primo editam, omnibus & singulis sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tanquam impertita à sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad validè absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore ejusdem constitutionis adempta, privatus existeret, & aliàs prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri, cum nos subinde super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minimè existimamus, ne lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata in sensus à mente nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim lanqueat, atque enervetur.*

§. 2. *Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus. Præterea habita super his cum venerabili fratre nostro Vincentio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato pœnitentiario nostro majori, ac dilectis Filiis officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu nostro maturè perpenderunt, deliberatione; motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, edicimus, ac declaramus, eadem constitutione singulis, ut supra, sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa ritè contritam absolvere, deficiente tunc quocunque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere, & absolutionem impertiri.*

§. 3. *Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si re vera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, & removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo, audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ*

stræ constitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus.

§. 4. *Quod si idem sacerdos aut quovis modo se se nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ, Sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit: quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones à Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint: Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: Nihilominus sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, nobis, & huic Sanctæ Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, ac statuimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præfata nostra constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§. 5. *Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii, publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Februarii MDCCXLV. Pontificatus nostri Anno quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

Quæritur 3. Quid intelligatur per peccatum turpe & inhonestum?

Respondeo: Omnis actus externus libidinosus, prout in §. præced. Q. 5. declaratum est.

Quæritur 4. An Constitutio Benedicti XIV. jam ab anno 1741. invalidaverit omnes Confessiones factas complici, etiam in Diœcesibus, ubi hactenus promulgata non est?

Respondeo: Probabilius omnes Confessiones complici factæ ab eo tempore, quo Constitutio Benedicti XIV. potuit & debuit promulgari, fuerunt invalidæ. Ratio est, quia hæc Constitutio non se habet tantùm per modum legis, sed primario per modum *reservationis*, qua reservatur jurisdictio Confessario in pœnitentem vel prout Bonacina de pœnit. d. 5. q. 7. p. 5. §. 5. observat per ejusmodi dispositiones potius limitatur vel tollitur Confessario approbatio. *Nullus* inquit, *Confessarius potest alium absolvere, nisi sit approbatus ab Ordinario ad Confessiones audiendas; Confessarius autem culpæ socius non censetur esse approbatus ad Confessiones complicis audiendas; sed censetur omnino positive reprobatus, ut patet ex verbis Concilii Mediolanensis: Interdictum sciat &c.* Sicut ergo circa casus reservatos absolutio est nulla in Confessario carente potestate absolvendi, sive sciat, sive ignoret reservationem, ita etiam Confessiones & absolutiones complicis erunt ab eo tempore nullæ, quo Summus Pontifex ejusmodi Confessariis abstulit jurisdictionem. Aliæ rationes cummunes pro valore hujus Constitutionis etiam in locis, ubi non est promulgata, videri possunt §. præced. Q. 4. n. 1. & 4. A fortiori autem hæc nullitas patet, si per Constitutionem tacite etiam limitatur *approbatio* Confessarii.

Quæritur 5. An Ecclesia suppleverit jurisdictionem pro Confessariis ignorantibus Constitutionem Pontificiam?

Respondeo: Ea jurisdictio probabilius non fuit suppleta ab Ecclesia. Ecclesia enim non favet negligentiæ generali Episcoporum negligentium promulgationem à Summo Pontifice serio ipsis injunctam & præceptam. Ea suppletio tantùm piè creditur habere locum, quando in casu particulari intervenit malitia privata & non notoria alicujus sacerdotis. Neque tamen sequitur; Ecclesiam hoc modo crudelem matrem erga suos liberos pœnitentes, confitentes complici. Nam imprimis, respondeo quod ipsimet causa sint suæ perditionis, si in tali statu moriantur, eò quod voluerint potius confiteri complici, quàm alteri Confessario, quod, prout videbimus, extra casum necessitatis sine peccato fieri nequit, habent insuper præter contritionem perfectam illud remedii, quod si bona fide egerint, in altera subsequente Confessione, in qua non confitentur complici, aut peccata commissa cum complice, indirecte ab omnibus peccatis absolvantur. Ratio ulterior est, quia nec Ecclesia supplet jurisdictionem circa casus reservatos ob errorem culpabilem integri Ordinis vel Episcopatus, temerè jurisdictionem usurpantis temeritate notoria.

Quæritur 6. An invalida vel saltem illicita sit Confessio complici facta?

Respondeo: Ea Confessio extra casum extremæ necessitatis est illicita; In iis tamen, qui existimant, esse licitam, & se habere sufficientem dolorem ac propositum, etsi reipsa deficiat, nisi hoc ex ignorantia crassa vel affectata fiat, erit saltem valida. Ratio posterioris est, quia ex Tract. de Pœnit. suppono; Confessionem posse esse validam & informem. Prior autem pars, quod sit illicita, Probatur. In tali Confessione judicio Authorum in praxi peritorum rarò reperitur verus dolor ac propositum; concurrit periculum novæ seductionis ex parte pœnitentis; præbetur nova occasio ruinæ spiritualis ex parte Confessarii & pœnitentis reciproca; ex diminutione verecundiæ diminuitur firmitas propositi

positi & sinceritas doloris, ac denique, cum Confessarius peccet graviter, excipiendo Confessionem talis pœnitentis, ipse etiam pœnitens extra casum necessitatis confitendo complici coopertur gravi peccato alieno. Hic verò sensus Doctorum probatur ab inductione. 1. FAGUNDEZ in præcept. 2. l. 4. c. 3. n. 35. quærit: *Quid dicendum, si Sacerdos concubinam suam audiat in Confessione? Respondeo: hujusmodi Sacerdotes peccare graviter.* 2. LA CROIX l. 6. n. 1204. de ejusmodi Confessione loquens dicit: *Plerunque est periculum novi consensus saltem in alterutro, si audiat repeti peccatum, cujus delectationem ante sensit. Accedit; quod in talibus sæpe deficiat dolor vel propositum; faciunt enim frequenter, ne cogantur deserere occasiones proximas.* *Similiter* PONTIUS *de matrim. dicit; vuu illam esse periculis plenam & occasionem committendi non pauca sacrilegia. Addit* VERJUYS; *longa experientia compertum esse, fere omnes similes Confessiones tandem factas esse sacrilegas, novis carnis titillationibus & pollutionibus fuisse fœdatas.* 3. BONACINA de Pœnit. Disp. 5. punct. 5. §. 5. propos. 1. ostendit ex fine & natura bonæ Confessionis, etiam in Jubilæo non posse excipi talem Confessionem. *Constanter*, inquit, *& indubitanter dicendum est, Confessarium etiam virtute Jubilæi nulla ratione posse socium criminis in Confessione audire vel absolvere. Moveor etiam ex fine & conditionibus Confessionis. Confessio enim fieri debet cum pudore & verecundia, cum animo præcavendi peccata in futurum; Confessio autem facta complici non fit cum pudore & verecundia; imo forte ex ea accipi potest occasio liberius peccandi.* 4. In multis Synodis habetur pro Casu reservato, si Confessarius excipiat Confessionem complicis, & in ejusmodi Confessarios statuitur pœna excommunicationis & suspensionis. Id autem non fieret, nisi Confessarius peccaret graviter, aut nisi esset periculum & occasio ingens gravium malorum. SS. D. N. BENEDICTUS XIV. de Synodo Diœcesana l. 7. c. 14. n. 2. scribit: *In multis Synodis decretum est, nedum illicitam, sed inanem pariter, nullam, atque irritam fore absolutionem, datam à Sacerdote socio sui criminis adversus sextum præceptum. Ita quippe statutum legimus in Synodo Leodiensi anno 1662; in Veliterna sub Cardinali Cybo anno 1698; in Synodo Fulginatensi anno 1722.; in Bononiensi sub Cardinali Boncompagno; in Anconitana sub Cardinali Massejo anno 1738; atque in Lucana, quam refert Roncaglia.* His addi possunt Diœceses Leodiensis, Coloniensis, Mediolanensis, & Herbipolensis, in quibus ea auditio complicis severè prohibetur. De tribus prioribus LA CROIX l. c. sic scribit: *In quibusdam Diœcesibus prohibetur; speciatim in Leodiensi fuisse prohibitum, testatur Sylvius; & in Mediolanensi prohibitum esse, dicit Bonacina. Similiter in hac Coloniensi ultima Synodus anno 1662. habita ita statuit: Ut animarum periculis occurramus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda prohibemus omnibus Confessariis, ne quis Confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit, aut complicis aut fautoris peccati, nisi in extrema necessitate, excipiat.* 5. In eandem sententiam se inclinare non obscurè insinuat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. l. c. ubi sic scribit: „ 1. Ut jam post dispositionem requisitam in Pœnitente, aliquid de Confessarii „jurisdictione, quod ad propositum pertineat, „dicamus, unum animadversione dignum censemus. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ sit „à Christo Domino institutum per modum judicii, & nemo esse queat Judex in causa propria; „nihilominus communiter existimant Theologi, „duce D. Thoma, sola spectata natura Sacramenti, posse Confessarium sui criminis socium, „à secum perpetrato peccato, cujuscunque speciei illud sit, in foro Sacramentali absolvere: „Si quidem tunc, non de propria, sed de aliena culpa judicium profert; neque seclusa legum prohibitione repugnat, ut quis Judicis „personam assumens, de commisso ab altero delicto Sententiam dicat, licet ejusdem delicti „ipse tanquam privatus particeps fuerit. Ita „D. Thomas in Supplem. 3. part. quæst. 20. „art. 1. ad 2. Ad primum ergo dicendum, quod „in tali casu nec Sacerdos debet audire Confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo „peccato, sed debet ad alium mittere, nec illa „debet ei confiteri, sed debet petere licentiam „ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, „si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia; si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim „Augustinus dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est, secundum „congruitatem, non secundum necessitatem Sacramenti. An verò non solùm validè, sed etiam licitè id fiat, non consentiunt Auctores. „Aliquam certè labem in ea Confessione D. Thomam agnovisse, ex citatis ejusdem verbis palam est; & S. Petrus Damiani opusc. 7. cap. 7. „adeò vehementer in eandem Confessionem invehitur, ut certè videatur, illam non solùm „illicitam reputare, sed tanquam irritam rejicere; ait enim: Legis præceptum est, ut cum „quis lepra perfunditur, Sacerdotibus ostendatur: tunc autem non Sacerdotibus, sed le„proso potius ostenditur, cùm immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed cum Confessio utique manifestatio „sit; quid obsecro, manifestat, qui audienti „cognitum narrat? Aut quo pacto Confessio illa dicenda est, cui nihil à Confitente manifestatur, nisi quod jam pridem ab audiente cognoscitur? Et qui sociali vinculo peractæ iniquitatis adstringitur, qua lege, quo jure, alterum poterit ligare, vel solvere? frustra enim alium quis solvere nititur, qui & ipse vinculis irretitur. His, ex Theologis moralibus „assentitur Stephanus Fagundez in secundum „præceptum Ecclesiæ lib. 4. cap. 3. num. 35. ubi gravis culpæ reum facit Sacerdotem, excipientem Confessionem suæ Concubinæ. At ex „adverso Sylvester in Summ. p. 1. V. Confessio 1. n. 17. Joannes Sanchez disp. 10. Select. „num. 16. Theophilus Raynaudus tom. 16. in opere, cui titulus: *Heteroclita Spiritualia*, pag. „128. La Croix tom. 2. pag. 227. aliique affirmant, Confessionem factam Complici tam ex „parte Pœnitentis, quàm ex parte Confessarii „culpa vacare, modo uterque à perpetrato crimine

„ mine abhorreat, & longe absit periculum novi „ consensus in illud.

„ 2. Et tamen in multis Synodis decretum „ est, nedum illicitam, sed inanem pariter, nullam, atque irritam fore absolutionem, datam „ à Sacerdote socio sui criminis, adversus sextum „ Decalogi præceptum.

„ 3. Quam verò sapienter, & sanctè id præstiterint, ex iis fas est judicare, quæ Doctores de hac re agentes maturè ponderarunt. „ Atque, ut ea prætermittamus, quæ à Sancto „ Petro Damiani, & D. Thoma nuper audivimus, „ Basilius Pontius de matrim. lib. 7. cap. 38. n. 3. „ illata mentione Confessionis, de qua agimus, „ gravia mala describit, atque exaggerat, quæ ex „ ea proveniunt, præcipuè cum Confessarius in „ Sacramentali foro, fœminam audit, cum qua „ non semel tantum, & diu antea peccavit, sed „ in turpi contubernio perseverat. Verjuvys „ tom. 9. art. 5. affirmat, longa experientia compertum, ejusmodi Confessiones plerumque Sacrilegas esse, novisque peccatis fœdatas; Theophilus Raynaudus quamvis cit. loc. eandem „ Confessionem in se licitam dixerit, periculosam tamen fatetur; & Natalis Alexander Theolog. Dogmat. & Moral. Tom. 4. cap. 5. art. 9. „ regul. 67. hæc ad rem adnotavit: vix contingit, ut peccatores, qui apud ipsos hujusmodi „ crimen deponunt, Sinceram illius pœnitentiam agant; vix contingit, ut criminosi illi „ Sacerdotes salutaria dent consilia, & convenientem satisfactionis modum præscribant: & „ si peccata sint impudicitiæ, periculum est, ne „ nova tum Pœnitenti, tum Sacerdoti in ipsa „ Confessione, peccati nascatur occasio. Quare „ S. Carolus Borromæus, ne sordidis hisce maculis illud fœdaretur Sacramentum, quo Christi sanguine perfundimur, ut à peccatorum lepra mundemur, in sua Synodo Diœcesana XI. „ (Act. Eccl. Mediol. part. 2. pag. 409.) Confessariis generatim, atque universim facultate interdixit, sui cujuscunque criminis socium, seu „ quoquo modo participem, absolvendi: Confessario (inquit) qui cujuscunque criminis, etiam minimi socius, particepsve ullo modo fuit, „ munere interdictum sit Confessionis eorum audiendæ, quos illius socios habuerit . . . . „ Nec verò absolutio, si quam impertierit, ullius roboris sit, sed irrita planè, ac rescissa, „ nullaque omninò, tanquam ab eo impertita, „ qui jurisdictionis, & facultatis expers est. Et „ verò si quis Confessarius culpæ socius, particepsve aliquid contra ausus fuerit, excommunicationis sententiam statim subeat: cujus vinculo irretitus, ab alio Sacerdote, nisi à Nobis, „ absolvi non possit.

„ 4. Quamquam autem hæc Sanctissimi Præsulis statuta, etiam generatim, ut sonant, sint „ summopere commendanda, & quilibet Antistitum sanctè queat eorumdem vestigiis insistere, „ negari tamen haud potest, majorem quamdam, „ & graviorem inhonestatem in eo adesse, ut Sacerdos illius personæ Confessionem excipiat, „ cum qua impudicitiæ scelus admisit, ac proinde statim, ac Nos ad Petri Cathedram evecti, „ totius Dominici Gregis curam suscepimus, universali Lege ediximus, ne ullus Confessarius, „ extra casum extremæ necessitatis, nimirum in „ ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confessarii munus „ obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacunque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, ut legi potest in „ Nostris Apostolicis Litteris datis Kalendis Junii 1741. quæ exstant in Nostrarum Constitutionum Volum. 1. Constit. 20. ut porro conscientiarum tranquillitati consulcremus, aliis „ similibus litteris datis die 8. Februarii 1745, „ quæ habentur in eod. Volum. Constit. 120. declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde „ esse, nullum adesse Sacerdotem, præter illum, cum quo Pœnitens inhonestè peccavit, „ aut eum tantum adesse, quem idem Pœnitens, „ Constitutus in mortis articulo eligere nequit, „ sine periculo seipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo in „ eo rerum statu non prohiberi diximus, Sacerdotem suæ impudicitiæ Complicem absolvere, „ eundem tamen simul monuimus, ne prædictæ „ infamiæ, aut scandali pericula sibi confingat, „ quæ re vera absint; quinimo volumus, ut „ ea, cùm potest, antevertat, & removeat, „ secus enim pœnas non effugiet, in nostra „ prima Constitutione inobedientibus inflictas.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Quæritur 7. Utrum in articulo mortis pœnitens complici confiteri validè possit, si non possit advocari alius Sacerdos sine periculo, aliis de seipso ingerendi malam suspicionem?

Respondeo: Id posse validè fieri, si absit omne periculum scandali & seductionis novæ ex parte Confitentis & Absolventis. Ita declarat SS. D. N. Benedictus XIV. in l. 7. c. 14. de Synodo Diœcesana, ubi loco terminorum: *Periculo infamiæ & scandali*, ponit sequentes: *sine periculo seipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi.*

Quæritur 8. An valida sit confessio & absolutio in articulo mortis, si persona moribunda posset quidem alteri Confessario confiteri, attamen, cum sit hujus Decreti ignara, audiatur, & absolvatur à complice?

Respondeo: In tali casu absolutio quidem erit valida, absolvens tamen incurrit ipso facto excommunicationem. Ita enim expresse declaratur in Bulla declaratoria.

Quæritur 9. Quid agendum, si in articulo mortis vocetur quidem Sacerdos simplex ad audiendam moribundæ Confessionem, ille tamen se excuset, quod non habeat excipiendi Confessiones & absolvendi potestatem, quamdiu haberi potest alius Sacerdos approbatus; & re vera in vicinia sit Sacerdos, quem moribunda scit, esse suum complicem?

Respondeo: In tali casu Sacerdos complex tenetur monere moribundam personam, se non habere potestatem absolvendi; ac consequenter ab ea advocandum esse Sacerdotem simplicem sub alio prætextu, v. g. aliquid disponendi pro sua anima; eique declarandi sub sigillo Confessionis, quod ab altero Sacerdote tanquam complice absolvi non possit. Ea declaratio, tanquam ordinata ad Confessionem, per se ex sua natura pariet in audiente obligationem Sigilli Sacramentalis, sicut aliæ Scripturæ vel locutiones ordinatæ ad Confessionem. Neque hoc mirum videri debet, quod persona moribunda eatenus ante actualem Confessionem teneatur manifestare suum crimen Sacerdoti simplici, bene gnaro, nullum dari alium casum possibilem, quo sibi in præsentia alterius Sacerdotis approbati liceat excipere Confessionem personæ moribundæ, nisi casum complicis. Nam similis prævia Confessio, saltem tacita, Casus reservati facienda est coram Superiore, qui v. g. unicum posuit Casum reservatum, nec solet aut vult admittere Confessionem subditi, nisi habentis Casum reservatum. Itaque in præsenti casu necessitatis, cum peccatum complicis interpretativè sit à Summo Pontifice reservatum simplici Sacerdoti, non est mirum, quod persona moribunda ad removendam tergiversationem Sacerdotis simplicis teneatur illi ante actualem Confessionem aperire statum peccati; eò quod non detur alius casus possibilis, in quo præsente Parocho vel alio approbato liceat Sacerdoti simplici audire Confessionem moribundi.

O. A. M. D. G.



Disputatio

DISPUTATIO XI.

De

Requisitis ex parte Ministri ad licitam & prudentem administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

Præsertim

De Sigillo Confessionis.

QUÆSTIO I.

De Requisitis ad licitam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆRITUR 1. An Sacerdos existens in peccato mortali teneatur confiteri ante administrationem Sacramenti Pœnitentiæ?

RESPONDEO 1. Tenetur prius confiteri, si commodè sine scandalo aut nota aliorum potest. Si verò id non possit sine aliorum scandalo, sufficit, si eliciat contritionem perfectam. Ita colligitur ex Tridentino Sess. 13. C. 7. ubi sic habet: *Communicare volenti revocandum est in memoriam* (Apostoli) *præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc S. Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si Sacerdos necessitate urgente absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.*

RATIO autem est, quia major ibi requiritur certitudo gratiæ, ubi ipsemet author gratiæ intus sumitur, ut constat ex Judicio Apostolico 1. Cor. 11. & ex communi æstimatione hominum.

RESPONDEO 2. Si Sacerdos tantùm dubitet dubio *latè dicto*, sive ea dubietas sit juris sive facti, non tenetur confiteri statim, sed sufficit, si eliciendo actum amoris perfecti cum detestatione peccati conditionata Confessionem differat in tempus ordinarium.

RATIO est, quia hæc generalis obligatio redderet etiam viros probos perplexos, eosque impediret à bono meliori, cum & probis facile possint obrepere dubia. Lex autem, quæ foret imprudens, non datur. Aliud foret dicendum, si quis assuetus peccatis judicaret, se probabilius peccasse. Talis enim teneretur confiteri etiam ante administrationem Sacramenti pœnitentiæ, si id commodè fieri possit.

RESPONDEO 3. Illa verba Tridentini, *quamprimùm*, non sunt intelligenda de tempore ordinario, quo Sacerdos aliàs solitus est confiteri, sed de prima occasione confitendi. Id patet ex propositione 39. damnata ab Alexandro VII, quæ sic habet: *Illa particula quamprimùm, intelligitur, dum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

RESPONDEO 4. Si Sacerdoti vel alteri Fideli tantùm incidat peccatum mortale dudum prius commissum, sed ex oblivione in præcedentibus Confessionibus omissum, ita tamen, ut moraliter certus sit, se ab illo peccato jam fuisse indirectè absolutum, seque esse in statu gratiæ, non tenetur confiteri ante celebrationem, vel communionem, sed potest Confessionem illius differre usque ad proximam ordinariam Confessionem. Ita *Præpositus* S. J. *Cornejo*, & *Roncaglia.*

RATIO est, quia cum in hoc casu moraliter homo certus sit, se esse in statu gratiæ, non irrogatur irreverentia Sacramento per dilationem obligationis confitendi.

QUÆRITUR 2. Qualis requiritur in Confessario scientia?

RESPONDEO 1. Requiritur ea totius Theologiæ Moralis notitia, ut non sit periculum probabile notabiliter errandi in iis, quæ pertinent ad rectam administrationem Sacramenti pœnitentiæ.

RESPONDEO 2. In Confessario requiritur moralis diligentia, sese in Studio Morali perficiendi; quia est impossibile, ut sufficiens notitia, sine omni periculo errandi etiam notabiliter, acquiratur, nisi plurium annorum studio sese perficiat. Id autem fieri potest recurrentes in Confessionali casus difficiliores domi cum doctrina authorum conferendo, Conferentias Morales frequentando, legendo, Deum sæpe pro scientia invocando.

RESPONDEO 3. Confessarius etiam tenetur ad scientiæ semel haustæ sedulam conservationem, quia in Theologia Morali tot recurrunt exceptiones & considerationes particulares, ut facile aliquarum subeat oblivio, aut inadvertentia, nisi memoria iterum identidem refricetur Conferentiis, aut lectione. Hinc peccant Confessarii graviter, qui pluribus annis nec legunt, nec inquirunt *de Moralibus Doctrinis Theologiæ Moralis.*

QUÆRITUR 3. Quid agendum Confessario, si occurrat casus difficilis, in quo dubitare potest, an rectè resolvat?

RESPONDEO: Tenetur quidem pœnitentem absolvere, si videat promptum ad amplectenda omnia à Confessario injungenda; obligatur tamen ad poscendum tempus pro exactiore discussione, atque ad præfigendum pœnitenti terminum, v. g. hebdomatis, mensis, &c. quo pœnitens iterum redeat pro responso. Si non potest differri exacta responsio, consulendus est alius à Confessario, vel pœnitens remittendus ad alium.

QUÆRITUR 4. Qualis requiritur in Confessario prudentia?

RESPONDEO: Cum prudentia sit ratio mediorum ad finem, finis autem Confessarii quà Judicis & Medici sit, aptè investigare indicia debitæ dispositionis in pœnitente, rudes instruere, ad dubia respondere circa agenda, imperfectè dispositos ad verum dolorem & propositum disponere, ignorantes corrigere, à vitiis absterrere, vitia vindicare, animare ad virtutem, probos ad perfectionem & unionem cum Deo dirigere, ideo tenetur sibi comparare idonea ad hos fines media, videlicet 1. notitiam de varia natura, ac dispositione pœnitentium, v. g. puerorum, juvenum, conjugatorum, mulierum, rusticorum, &c. diversa enim in his solet esse ad contritionem, & pro-

propositum, & integritatem Confessionis dispositio; quia major est in pueris & fœminis verecundia, qua de causa verbis gravioribus terrendi non sunt. Majus etiam in his est periculum circa veram agnitionem malitiæ theologicæ & propositi. 2. Notitiam morum & negotiorum in omni conditione hominum, ut sciatur, quid congruentius cuivis conditioni consuli possit. Ad hoc juverit legere PASTORALE D. GREGORII, & frequenter cum hominibus, aut de hominibus circa omnia eventuum & negotiorum humanorum genera in conversatione colloqui. 3. Notitiam variorum motivorum ad absterrendum à peccato, inspirandam contritionem, persuadendam feriam conversionem, incitandum ad virtutes. 4. Notitiam variorum remediorum ad exscindendas pravas propensiones; corrigendos pravos habitus, superandas graves tentationes, implantandas solidas virtutes. Tam motiva quam remedia adversus varia vitiorum genera legi possunt in *La Croix* & in *Asceticis*. 5. *Notitiam Asceseos* quoad præcipua perfectionis constitutiva & subsidia.

RATIO est, quia omnes Authores agnoscunt, munus Confessarii esse, etiam dirigere probos ad perfectionem. Nam omnis pœnitens tenetur cooperari Deo juxta qualitatem talentorum & donorum à Deo acceptorum. Itaque tenetur etiam Confessarius in pœnitente cooperari ad removenda impedimenta majoris gratiæ, atque ad suggerenda augendæ gratiæ subsidia, ubicunque prudenter fructus sperari potest sine impedimento majorum bonorum, & periculo majorum malorum. Ex hoc autem sequitur, quod Confessarii, præsertim Parochi, vanitatibus & dissolutionibus & voluptatibus dediti, cum ad hunc finem, à Christo tam dilectum, prorsus inepti sint, quia *carnalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus*. 1. Cor. 2. v. 14. tali ratione vitæ muneri suo non satisfaciant. Vide in *Appendice* Part. 4. *Directiones Doctorum Moralium pro recta administratione Sacramenti Pœnitentiæ*.

QUÆSTIO II.

De recto usu Clavium.

QUÆRITUR 1. In quo consistit rectus usus clavium?

RESPONDEO: In duobus. 1. In rectè conferenda, differenda, aut recusanda absolutione. 2. In imponenda pœnitentia proportionata delictis & viribus pœnitentis tam vindicativa quam medicinali.

QUÆRITUR 2. Quibusnam absolutio est differenda?

RESPONDEO 1. Iis consuetudinariis, qui licet oretenus emendationem promittant, consideratis tamen circumstantiis nullam prudentem spem præbent secuturæ emendationis. Id patet ex propositione 60, damnata ab Innocentio XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

RESPONDEO 2. Constitutis in proxima occasione, quam nolunt dimittere. Patet iterum ex propositione 61. damnata ab Innocentio XI. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur peccandi, quam potest, & non vult omittere; quinimo directè & ex proposito quærit aut eo se ingerit.*

RESPONDEO 3. Iis, qui versantur in occasione proxima, quam non possunt dimittere, & tamen nolunt aut negligunt adhibere præscripta à Confessariis media, quorum applicatione occasio proxima sperаretur transitura in remotam. Patet ex præcedenti propositione damnata.

RESPONDEO 4. Iis, qui versantur in occasione proxima, quam non possunt dimittere, & applicatis omnibus mediis, ex quibus occasio proxima sperabatur transitura in remotam, nihilominus vix ullam emendationem ostendunt. Patet ex propositione priore damnata.

RESPONDEO 5. Iis consuetudinariis, qui nolunt acceptare congrua media, idonea ad concipiendam prudentem spem de eorum emendatione.

RESPONDEO 6. Iis consuetudinariis, qui adhibitis omnibus idoneis mediis ad concipiendam prudentem spem emendationis, nihilominus vix ullam monstrant emendationem.

RESPONDEO 7. Iis consuetudinariis, aut constitutis in occasione proxima, ac paratis ad acceptanda idonea media, quos tamen non est verosimile, ea media applicaturos, aut continuaturos, sed brevi vel ad alium Confessarium accessuros, qui pœnitentiam solvat, vel ad continuationem mediorum non adstringat, ita ut credantur brevi in pristinam consuetudinem relapsuri.

RESPONDEO 8. Universim omnibus consuetudinariis, aut constitutis in occasione proxima inevitabili, quibus videtur esse dilatio absolutionis, quàm collatio, non solùm utilior, sed etiam moraliter necessaria pro seria tandem emendatione.

RESPONDEO 9. Negligentibus jam post iteratas promissiones in facienda restitutione bonorum, aut famæ, in exolvendis Legatis & votis, adimplendis pœnitentiis, solvendis debitis, implendis contractibus, denuntiandis iis, quos denuntiare tenentur, discere necessaria ad rectam receptionem Sacramentorum, præsertim pœnitentiæ &c.

QUÆRITUR 3. Quibusnam deneganda est absolutio?

RESPONDEO 1. Indispositis ex defectu propositi, v. g. non paratis ad restitutionem, acceptanda emendationis media, vitandas occasiones absolutè aut respectivè ad pœnitentem proximas, v. g. si deditus actibus luxuriæ internis aut personalibus nolit vitare choreas & lascivorum conventicula; item, qui cooperantur ad peccata aliena, & recusant dimittere causas peccatorum, v. g. Caupones, vel Magistratus, qui tolerant nocturnas choreas & compotationes ultra tempus taxatum à Lege vel Deo. Item qui tenent domos pro Conventiculis nocturnis puellarum & juvenum. Item histriones tenentes ludos adversos honestis moribus. Item Choraulæ cooperantes ad choreas nocturnas Lege Divina, aut

aut positiva prohibitas. Item tenentes domos ad ludos prohibitos, &c.

Responneo 2. Qui non sunt parati ad vitanda quædam peccata venialia, utut non manifeste mortalia, v. g. procacem, aut nimis superbum ornatum vestium, nuditatem inverecundam partium licet de se honestarum. Indecens enim est, petere à Deo veniam, & spondere amorem Dei, & tamen nolle vitare ejusmodi laqueos Diaboli. Imo in talibus valde dubium est, an reperiatur dispositio necessaria in Sacramento, consistens in serio proposito exhibendi Deo veros actus amoris practicos, & observandi erga Deum ordinem charitatis. Videatur *Instructio Confessariorum* D. Caroli §. 17. 18. & 19. in Appendice Part. 3.

Quæritur 4. Quid observandum in pœnitentiis injungendis?

Responneo: Observandum 1. Ne pro delictis occultis imponantur pœnitentiæ publicæ. 2. Ut pro peccatis notoriè scandalosis imponantur pœnitentiæ publicæ quidem, demonstrativæ emendationis, sed non debonorativæ, quæ prostituant aliorum irrisioni, exprobrationi, aut vilipensioni. 3. Ut condescendatur pusillanimitati pœnitentium, si tales sint, qui verè existiment, se implendæ pœnitentiæ pares non esse. Talibus enim eousque pœnitentia moderanda est, & tamdiu cum illis gradatim moderando tractandum est, donec tandem blandis motivis inducti ultrò consentiant in modum pœnitentiæ rationabilem. 4. Ut non condescendatur impudentiæ aut mollitiei illorum pœnitentium, qui nolunt acceptare proportionatam delictis pœnitentiam, etiam manifestè eorum viribus proportionatam. Hi enim benè discernendi sunt à priori genere pœnitentium. Illi enim verè non possunt, aut verè credunt, se non posse implere pœnitentiam; hi autem nolunt, aut solùm mendaciter dicunt, se non posse eam implere. Ex priori genere pœnitentium ponitur relucere vera agnitio de malitia peccati & de gravi obligatione satisfaciendi, & verum propositum ac firmum. In istis verò ponimus dubitari posse de agnitione gravitatis scelerum, & vera contritione, & firmo proposito, quod ex præfracto & audaci eorum modo loquendi facile colligi potest. Tentandus proin est eorum animus verè pœnitens per humilem susceptionem gravis pœnæ. 5. Ubi pœnitens non potest gravari rigore pœnæ austeræ, compensanda est satisfactio prolixitate temporis, ut protrahatur in mensem, vel annum, &c. 6. Ubi pœnitens non potest gravari pœnitentiis quotidianis arduis ob labores diurnos, pœnitentiæ transferendæ sunt in Dies Dominicos & Feriatos in foro, v. g. usque ad proximam Confessionem, usque ad instans magnum Festum, per annum &c. 7. Quando consuetudinariis imponuntur pœnitentiæ conditionatæ v. g. eleemosynæ, preces, devotiones, actus mortificationis, frequenter aut quotidie labentibus ex præcipitantia v. g. blasphemiis, imponendæ sunt leviores pœnitentiæ, quàm iis, qui non sæpè labuntur; quia hi facilius graviores peragunt ob rariorem lapsum, quàm illi ob frequentiorem. 8. Cum rudes non audeant interrogare Confessarios circa difficultates explendi pœnitentias, ipsimet monendi sunt circa quotidianas aut statis temporibus peragendas pœnitentias, ut si uno die occurrat difficultas, eam differant in aliam diem non impeditam. Quod etiam faciant, si ejus obliviscuntur. 9. Raró confitentibus, si diu in statu peccati mortalis hæserint, imponendum est, ut sæpius, v. g. singulis mensibus per annum confiteantur. 10. Iis, qui gerunt inimicitias, aut alios læserunt in fama, honore, bonis, pro quibus satisfacere nequeant, poterit injungi, ut per aliquod tempus peragant pro suis inimicis aut pro personis à se læsis quotidianum orationis pensum. Stultum verò & graviter peccaminosum est, quod aliqui practicant, detrahentibus aut calumniantibus imponere, ut petant ab iis veniam, quibus detraxerunt, utut ignorantibus detractionem aut calumniam. 11. Quando imponenda est restitutio in causas pias, caveat Sacerdos, ne obliget pœnitentem, ut sibi aut suo monasterio, vel ordini pecunias applicet, sed relinquat illi omnimodam libertatem, eas applicandi, ubi voluerit. 12. Ubi imponendæ sunt devotiones quotidianæ, rectè imponuntur ut dirigendæ ad aliquod mysterium, aut aliquem sanctum Patronum, ad quem tenerius afficitur pœnitens. 13. Circa pœnitentias medicinales, quæ videbuntur Confessario necessariæ ad extricandam animam ex potestate Dæmonis, qualem Dæmon justo Dei judicio solet habere in eos, qui committunt peccata deliberata lasciviæ aut luxuriæ, non est condescendendum facile infirmitati pœnitentis. Urgendæ enim sunt fortiter abstinentiæ, jejunia stata, mortificationes, preces prolixiores, lectiones sacræ ordinariæ, actus contritionis ex libello quotidie eliciendi, formulæ Marianæ quotidiana renovatio, novissimorum ex libro consideratio, manuum & oculorum matutina oblatio coram imagine Crucifixi, aut B. Virginis; iterata per diem v. g. ad pulsum horologii sub certa formula propositi & oblationis renovatio, præsentiæ Dei & S. Angeli rememoratio cum invocatione & oblatione &c. ex quibus congruentiores ad statum pœnitentis seligendæ sunt. Vide dicenda in *Appendice* Part. 4.

QUÆSTIO III.

De Instructione Pœnitentis.

Quæritur 1. An Confessarius teneatur pœnitentem monere, si advertat eum laborare ignorantia circa Legem Naturæ, Dei, aut Ecclesiæ?

Responneo 1. Si Pœnitens directè interroget, sine dubio tenetur respondere directè.

Respondeo 2. Si Confessarius dubitet, an ignorantia pœnitentis sit vincibilis, tenetur iterum illum monere; quamvis timeat, eum in posterum plena scientia peccaturum.

Ratio est, quia si ignorantia forte est vincibilis, prout plerumque solet accidere circa leges naturæ, non monendo relinqueret pœnitentem in periculo æternæ damnationis moraliter inevitabili; econtra si moneat, relinquit cum in periculo moraliter evitabili, quod est eminenter minus malum priore.

Respondeo 3. Si Confessarius credat, pœnitentem laborare ignorantia invincibili, tenetur indubitatò monere, si speret fructum.

Respondeo 4. Si autem in hoc casu Confessarius dubitet de fructu, aut nullum speret fructum, nihilominus tenetur monere.

Ratio est 1. quia Judicis est circa actum, quem judicat, accusato declarare Legem. Hæc enim est generalis intentio Legislatorum, ut à suis delegatis Judicibus quavis occasione congrua subditis, quos norunt transgressores Legum, declarent Legem. 2. Quia ordinariè ex ejusmodi transgressionibus sequuntur scandala, vel damnificationes proximorum, aut si crimina sint occulta, corroborantur in pœnitente pravi habitus, postmodum moraliter, si diutius perseverent, insuperabiles. Consequenter, si casu, aut inspiratione, aut alterius Sacerdotis monitione instruantur, desperant de emendatione, aut in ipso articulo mortis infirmum solùm eliciunt propositum. 3. Hæc reticentia in Scripturis exhibetur tanquam objectum gravis indignationis divinæ in Sacerdotibus tanquam Doctoribus publicis. Ergo etiam est objectum gravis indignationis divinæ in Confessariis tanquam Magistris domesticis ac privatis.

Ant. patet ex variis Textibus Scripturæ. Sic Isaiæ 56. v. 10. reprehenduntur *canes muti non volentes latrare.* 4. Christus vult à suo Vicario fieri, quod ipse decenter faceret, si ipsemet pro tribunali sederet. Sed Christus non ageret decenter dissimulando ejusmodi transgressionem suæ Legis. 5. Quilibet Christianus animo rite ordinato & subordinato ad Legem æternam Dei cupit instrui modo meliori quo potest in Lege Dei. Ergo Confessarius agit contra postulationem tacitam pœnitentis, quà talis, ac se subjicientis ad Legem omnem Dei. 6. Est positiva deordinatio in mente Legislatoris, si non curet evitari transgressiones suæ Legis etiam materiales, ubi potest facillimè obtinere promulgationem Legis. Sed hoc fieret, nisi Confessariis imponeretur ea obligatio. Ergo. 7. Thren. 2. reprehendendo dicitur: *Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent;* ubi tamen videtur tantùm agi de transgressionibus Legis ignoratæ, quod colligitur ex verbis præcedentibus: *Non est lex.* 8. Mater non reticeret in filio nævum ignominiosum suæ familiæ. Ergo nec Ecclesia, quam tanquam ejus Minister repræsentat Confessarius, debet reticere transgressionem materialem Legum, ignominiosam Ecclesiæ & Christo coram mundo, Angelis bonis, & Dæmonibus.

Respondeo 5. Si Confessarius non est certus de malitia actus, incidenter & non directè expositi in Confessione, non tenetur monere de dubia malitia actus. Quia hæc obligatio ob frequentem diversitatem opinionum perturbaret Fideles, nec est melior non ipsa.

Respondeo 6. Si Confessarius non ex ipsa Confessione, sed aliunde acquirit notitiam de peccatis ignorantiæ aut socordiæ gravis, v. g. in Principe, Episcopo, aut Patrefamilias, non agente ea, quæ sunt sui officii, & evidentia malitiæ dependet, aut ex testimonio hominum circa quæstiones facti, aut ex obligatione Jurium Civilium, aut ex Jure publico, ad suum examen non pertinentibus, non tenetur monere in ipsa Confessione de malitia actus, sed tantùm de obligatione debitis modis in veritatem inquirendi.

Ratio est, quia hæc obligatio est expetibilis à Deo, ab Ecclesia, & ab ipso pœnitente, ne forte ejus ignorantia sit vincibilis, aut certe transeat in vincibilem ad ejus condemnationem. Ex hoc capite verosimile est, damnandos fore plurimos Confessarios Principum, dum eos non efficaciter adstringunt 1. ad discenda mediis moderatis necessaria ad rectam administrationem sui officii, sed sinunt eos versari in perpetuis recreationibus. 2. Ad instituendos Consiliarios & Judices idoneos & conscientiosos. 3. Ad urgendas bonas Leges patrias. 4. Ad indicenda Comitia Statuum pro reducendo ordine. 5. Ad capiendam informationem de statu tribunalium, de querelis subditorum, de causis malorum. 6. Ad removendos malos ex Aula, Dicasteriis, & Officiis. In hoc genere credo non tantùm damnandos Confessarios, sed etiam eorum Superiores, à quorum directione dependent.

Quæritur 2. An Confessarius teneatur pœnitentes monere de obligatione denuntiandi seductores, aut scandalosos?

Respondeo: Tenetur pœnitentes monere de hac obligatione, & si eam denuntiationem recusent, deneganda est eis absolutio. Patet ex Edicto S. Officii, quod inserui *Manuali Romano Confessariorum* N. 32. ubi ea obligatio non de novo statuitur, sed ut aliunde à Lege naturali aut divina constituta supponitur. Sic enim habet: *Cum nobis manifestum sit, multos ex malitia, alios ex socordia vel ignorantia non satisfacere suæ obligationi quoad denuntiationem criminum, ex quo proveniunt gravissimi abusus & errores, præcipimus in virtute S. Obedientiæ & sub pœna excommunicationis, ut S. Officio aut Ordinariis revelent, & judicialiter denuntient omnes, de quibus &c.*

Quæritur 3. Qualia sunt illa crimina, denuntianda vi hujus Edicti?

Respondeo: Denuntiandi sunt 1. Hæretici, aut suspecti de hæresi. 2. Habentes pactum cum Dæmone. 3. Necromantici. 4. Retinentes libros hæreticos. 5. Contrahentes matrimonium post votum solenne castitatis. 6. Contrahentes secundum matrimonium vivente priori conjuge. 7. Solicitantes in Confessionali. 8. Blasphemi. 9. Habentes Conventicula in contemptum Religionis. 10. Inducentes ad aliam Religionem. 11. Celebrantes vel absolventes, qui non sunt Sacerdotes. His omnibus ob paritatem rationis & ordinem charitatis, quæ jubet præponere bonum commune bono privato, adjungendi sunt omnes seductores animarum, v. g. puerorum vel puellarum ad lasciva, præsertim si seductor sit Clericus.

Quæritur 4. Quid requiritur ad hoc, ut pœnitens possit obligari ad denuntiandum seductorem, idque vi Juris naturalis aut divini?

Respondeo: Debent sequentia concurrere: 1. Quod seductor nondum credatur esse emendatus. 2. Quod pœnitenti ex denuntiatione non sit timendum grave damnum probabile. 3. Quod speretur ex denuntiatione fructus. *Rontaglia*

caglia & *Pifelli* in sua Theologia docent, pœnitentem ad hanc denuntiationem obligari etiam cum præjudicio suæ famæ apud Superiorem; quia bonum publicum prævalet privato.

QUÆRITUR 5. An etiam in Germania detur obligatio denuntiandi sollicitantes in Confessionali?

RESPONDEO: Datur ea obligatio etiam in Germania, ubi speratur fructus, & non timetur grave malum denuntianti, & seductor nondum scitur emendatus.

RATIO est, quia GREGORIUS XV. & modernus Pontifex BENEDICTUS XIV. in suis Bullis seriò volunt obligare omnes Fideles; Bullæ sunt notoriæ, nec datur ratio recusandi Bullarum acceptationem. Ergo obligantur omnes. Bulla GREGORII XV. videri potest in *Manuali Confessariorum Romano* superius relato. Plura de hac re vide Disput. ult.

QUÆRITUR 6. An Confessarius debeat pœnitentem interrogare de persona complicis?

RESPONDEO 1. Confessarius peccat graviter, si *passim* interroget de persona complicis. Ita anno 1745. declaravit BENEDICTUS XIV. in Bulla: *Ad eradicandum.* ubi sic habet: *Pervenit ad aures nostras, nonnullos Confessarios perniciosam praxin invehere cœpisse, ut si in pœnitentes incidissent, socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus nomen complicis passim exquirerent, atque ad illud revelandum Absolutionis Sacramentalis negatione compellerent. Quam intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas & erroneas sequendo, vel veras male applicando perniciem tam suis quàm pœnitentium animabus consciscerent. -- Notum esse volumus, memoratam praxin penitus reprobandam esse, eamque à Nobis damnari tanquam scandalosam & perniciosam, ac tam famæ plurimorum, quàm ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sigilli Sacramentalis violationem, ac ejusdem Sacramenti tam proficuo usui Fideles abalienantem.*

RESPONDEO 2. Tenetur tamen Confessarius pœnitentem interrogare, an complex soleat aut credatur seducere plures? an ejus perversitas facile cedere possit in grave scandalum plebis? vel an ejus malitia possit facile conciliare infamiam integro Statui Clericali, Monasterio, Ordini?

RATIO est; quia hæc circumstantia fundat in pœnitente obligationem denuntiandi, quam nisi in se recipiat, absolvi non debet.

RESPONDEO 3. Si illa circumstantia seductionis verosimilis plurium, aut causandi scandali rectè explicari à rudibus non potest sine expressione personæ, pœnitens etiam de expressione personæ interrogari potest & debet. Idem dicendum, si pœnitens se excuset circa modum denuntiationis, eò quòd ignoret cui, aut quomodo facienda sit?

RATIO est, quia de illo debet Confessarius interrogare, de quo pœnitens per se, si esset bene instructus, teneretur se accusare, vel interrogare, prout fit in hoc casu.

Bulla
BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ne Confessarii à pœnitentibus exquirant Sociorum in crimine seu complicum nomina &c.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & „Divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices planè immerentes gerimus, „charitas assiduè urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici „gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi fortè superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos ac Nationes, „opportunè, quantum cùm Domino possumus, „occurramus; atque iis præcipuè Regnis & locis peculiari quodam Apostolicæ nostræ Charitatis studio, auctoritatisque providentia confulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas „quam maximè floreant, callidus humani generis „hostis nocere Fidelibus, dum aperto bello desperat, per insidias molitur; in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, & ementita boni „specie incautis illudens; qua ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quàm ex aggressione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit.

§. 1. „In harum autem fraudum numero „computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestræ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc S. Sedem observantia, „meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. „Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confessarios, „falsa zeli imagine seduci se passos, sed à zelo secundùm scientiam longè aberrantes, perversam „quamdam, & perniciosam praxim in audiendis „Christi Fidelium Confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando invehere, atque introducere cœpisse; ut videlicet, si fortè in pœnitentes incidissent socium „criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent: atque ad illud sibi revelandum non „inducere modò suadendo conarentur; sed, „quod detestabilius est, denuntiatâ quoque, nisi „revelarent, Absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; „imò etiam complicis ejusdem nedum nomen, „sed habitationis insuper locum sibi exigerent

„ designari: quam illi quidem intolerandam im-
„ prudentiam, tum procurandæ complicis corre-
„ ctionis, aliorumque bonorum colligendorum
„ specioso prætextu colorare, tum emendicatis
„ quibusdam Doctorum opinionibus defendere
„ non dubitarent; cum revera opiniones bujus-
„ modi vel falsas, & erroneas sequendo, vel ve-
„ ras, & sanas malè applicando, perniciem tam
„ suis, quàm pœnitentium animabus conscisce-
„ rent; ac sese præterea plurium gravium damno-
„ rum, quæ inde facile consecutura fore prævi-
„ dere debuerant, reos coram Deo æterno Judi-
„ ce constituerent.

§. 2. „ Et verò jam secuta fuisse multa ejus-
„ modi damna, infelici experientia compertum
„ est: nec fieri potuit, quin ea de causa & oblo-
„ cutiones, & scandala, & non Ministrorum tan-
„ tùm, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, &
„ animorum ingens conturbatio in populo fideli
„ exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum acce-
„ pimus, simul audivimus, contra exitialem hu-
„ jusmodi abusum protinus justa indignatione
„ pro munere suo commotos fuisse Dilectos Fi-
„ lios Nostros S. R. E. Cardinales Nunum à Cun-
„ ha in iisdem Portugalliæ & Algarbiorum Regnis
„ Generalem Inquisitorem, & Thomam de Al-
„ meyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrum-
„ que solicitè gliscenti malo compescendo, atque
„ etiam eradicando adlaborasse.

§. 3. „ Nos autem, ne in tam gravi anima-
„ rum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro
„ Ministerio deesse videamur, neve mentem hac
„ super re nostram apud Vos obscuram, aut am-
„ biguam esse sinamus; notum Vobis esse volu-
„ mus, memoratam superiùs praxim penitus re-
„ probandam esse, eamdemque à Nobis per præ-
„ sentes nostras in forma Brevis literas reproba-
„ ri, atque damnari, tanquam scandalosam, &
„ perniciosam, ac tam famæ proximorum, quàm
„ ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentem-
„ que ad sacrosancti Sigilli Sacramentalis viola-
„ tionem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacra-
„ menti tantopere proficuo & necessario usu Fi-
„ deles abalienantem.

§. 4. „ Eapropter, Venerabiles Fratres, quam-
„ quam de pastorali vestra vigilantia nihil est quod
„ dubitemus; supremi tamen officii quoque no-
„ stri esse censemus, alacritatem ipsam vestram
„ hac mentis nostræ aperta significatione, & A-
„ postolicis insuper hortationibus nostris inten-
„ siùs acuere & excitare, ut pro se quisque ve-
„ strum opportunioribus, quascumque prudentia
„ suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus
„ quibusque Juris remediis, quoad opus fuerit,
„ contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam
„ hujusmodi novitatem strenuè insectemini, ac
„ pene nascentem opprimatis, neque patiamini
„ traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum
„ parari, ubi salus à Christo posita est, ab eoque
„ divinæ misericordiæ fonte illas averti àc deter-
„ reri, ad quem ab eodem Redemptore nostro,
„ ad abluendas dealbandasque in sanguine suo a-
„ nimas, amantissimè invitantur. Interea, dum
„ à zelo vestro, ac prudentia, luculentiora Nobis
„ certò pollicemur vestræ pietatis & observantiæ
„ argumenta, Apostolicam Benedictionem cum
„ uberrima cœlestium Charismatum copia conjun-
„ ctam, Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo
„ impertimur.

§. 5. „ Volumus autem, ut præsentium tran-
„ sumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu
„ alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo
„ personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ
„ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibea-
„ tur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi
„ posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-
„ rem sub annulo Piscatoris die 7. Mensis Julii
„ 1745. Pontificatus Nostri Anno quinto.

S. S. D. N. Benedictus XIV. in Bulla: *Ubi primum*, edita 1746. 2. Junii, confirmat Bullam, *Suprema*, contra Confessarios exquirentes nomina complicum, eamque extendit his verbis: *Has Litteras confirmamus statuentes, ut quicunque ausus fuerit docere, licitam esse hujusmodi praxin, prout in præfato Brevi exponitur, vel scribere, vel loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem, vel ea, quæ in dicto Brevi contra eamdem praxin decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, à qua non possit, præterquam in articulo mortis ab alio, nisi à Romano Pontifice absolvi. Præterea volumus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxin à nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in nostro Brevi contentam impugnantes aut perverse interpretantes, in Officio Inquisitionis contra eos procedatur. ---- Quodsi contingat, ut Confessarii quamvis imprudens & malus, simplex tamen quidam & nudus actus fuerit, id est, iis circumstantiis destitutus, quæ de mala adhæsione ad praxin suspectum reddant, hujusmodi delictum neque denuntiationis oneri, neque S. Officii cognitioni subjectum erit, sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias Canonicas & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit.*

Idem Pontifex in Bulla: *Ad eradicandum*, edita 1746. 28. Sept. priorem Constitutionem, quæ edita fuit pro sola Lusitania, extendit ad totam Ecclesiam his verbis: *Quoniam non ignoramus, etiam alibi auditas esse pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confessariorum perquisitionibus pro investigandis complicum nominibus, aliisque notitiis juxta praxin in nostris Litteris relatam atque damnatam, motu proprio easdem litteras confirmantes decernimus & declaramus, memoratam praxin in seipsa & ubique locorum ac temporum Apostolica authoritate reprobatam atque damnatam esse & censeri debere, nec ulli licitum esse, contra doctrinam in præfato nostro Brevi contentam docere, scribere aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari vel ipsi actu contraire sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, & respectivè adversus contrafacientes mandatis Apostolicis & Ecclesiasticis Sanctionibus, Statutis, decernentes, easdem præinsertas necnon præsentes Litteras omnes ubique terrarum cujusvis status afficere & arctare.*

SS. D. N. Benedictus XIV. anno 1745. 5. Augusti in Gen. Congreg. S. Inquis. decrevit, *quod omnes Sacerdotes tam Sæculares quàm Regulares cujuscunque Ordinis vel in actu Sacramentalis Confessionis*

nis sive illius occasione aut prætextu ad turpia solicitantes vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia præter pœnas à jure inflictas perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem. Hoc Decretum continetur in Tom. II. Bullarii BENEDICTI XIV. in Appendice.

QUÆRITUR 7. An & quando deceat à Confessario fieri interrogationes?

RESPONDEO: Interrogandi sunt rudes 1. de numero & specie peccatorum. 2. De circumstantiis notabiliter aggravantibus diversæ rationis, nisi ex qualitate delicti appareat, verosimiliter aut facile adjunctam non esse circumstantiam, notabiliter aggravantem. 3. Circa actus internos complacentiæ in gravi peccato, pravis desideriis &c. quando dubitatur de pleno consensu, aut plena advertentia, interrogandus est pœnitens; quanto tempore bis fuerit immoratus? Si enim tantum exiguo tempore v. g. per aliquot momenta, aut spatio unius vel alterius Orationis Dominicæ, in ejusmodi cogitationibus, aut affectionum tentationibus moram negligentiæ traxerit, circa personas rudes præsumendum est, advertentiam, aut consensum non intervenisse sufficientem ad peccatum mortale. 4. Circa verba lasciva interrogandi sunt, an potuerint causare scandalum? hoc est, utrum præbere potuerint ansam ad tentationes, aut pravas cogitationes, seu desideria lasciva in audientibus? Si potuerant causare scandalum, etiam interrogandi sunt de numero & statu audientium. 5. Circa tactus lascivos interrogandi sunt, utrum in locis incastis? & an nudè, vel supra vestem? 6. Pueri, & puellæ juniores non sunt interrogandi exactè de actibus vel circumstantiis luxuriæ, nisi ex qualitate Confessionis Confessarius positivè desumat & credat, talem actum vel circumstantiam intercessisse. 7. Circa peccata carnalia LA CROIX h. n. 1749. & alii plerique monent, si opus fuerit interrogatione; *utendum verbis honestis: --- Cautè procedendum, ne instruatur pœnitens, quæ ignorat. --- Si pœnitens neget cogitationes, bene instructi aut probi non sunt interrogandi de factis. Sed rudes aliquando, præsertim in Confessione generali, prius de actibus, quàm verbis aut cogitationibus interrogari possunt.* --- Circa cogitationes obscœnas, si longo tempore præsertim iis fuerunt immorati, prius interrogandi, an habuerint deliberatè complacentiam? Et si hanc fateantur, interrogandi etiam de desiderio, an habuerint etiam voluntatem peccandi? Si hoc confiteantur, interrogandi, an erga alterum sexum? & num erga personam solutam vel ligatam? --- Confitens se peccasse secum ipso interrogandus est interdum, si sit consuetudinarius, an sibi repræsentaverit fœminam? an ligatam, vel solutam? --- Similiter mariti circa tale peccatum interrogandi, an sibi repræsentaverint aliam præter conjugem --- mulier confitens, se non recepisse semen debito loco, non est interroganda de aliis circumstantiis. Cæterum in hujusmodi Confessionibus pœnitentes subin in fine animandi, ut si adhuc aliquid habeant, quod conscientiam angustiet, aut de quo dubitent, an se rectè accusaverint, audacter amore Dei proferant, aut interrogent. 8. In Confessionibus generalibus rudium, si qua tali opus esse Confessarius perspexerit, pœnitens monendus, ut exspectet ad finem concursus, si fieri potest: aut percurrendus breviter cum pœnitente Decalogus quoad præcipuas species, & præcepta Ecclesiæ, & vitia capitalia, & peccata aliena; dein monendus, num aliud ipsi incidat vel angat? Denique instruendus, quod teneatur exactius vitam suam discutere; & si quæ alia peccata inciderint, ea in proxima Confessione confiteri. 9. Ebriosi, luxuriosi, lascivi in verbis aut factis interrogandi sunt de occasione & radice vitii, v. g. an ejusmodi tactus facti sint in reditu post choreas? an in conventiculo nocturno? an conventiculum habeatur in domo propria, vel aliena? an in conventiculo intervenire soleant pueri & puellæ? an nocte, vel de die? an complex sit in domo propria vel aliena? an eum complice soleat frequentare popinas & choreas? an verba aut facta lasciva fiant sub labore? an in conventiculis? quo tempore soleant in noctem protrahi compotationes? aut choreæ? an ipsemet alios induxerit? an tantùm juverit? Hæc & innumera alia, si interrogatione eliciantur, præbent Confessario ansam, præscribendi opportunam pœnitentiam medicinalem ad præscindendas occasiones & radices peccatorum. 10. Circa blasphemias, juramenta, imprecationes, vota interrogandus est pœnitens de tenore verborum, quibus usus est; quia plebs omnia confundit. Idem observandum circa contumelias parentibus &c. illatas, aliqua enim ex suo genere sunt mortalia, quæ etsi in individuo forte ob indeliberationem excusentur aliquando, gravioribus tamen pœnitentiis, saltem conditionatis, addita absoluta, eradicanda sunt.

QUÆSTIO IV.

De Sigillo Confessionis.

QUÆRITUR 1. Quid sit Sigillum Confessionis?

RESPONDEO: Sigillum Confessionis est obligatio, peccata confitentium nec revelandi, nec eorum notitia unquam utendi in gravamen pœnitentium sine illorum consensu.

QUÆRITUR 2. Unde probetur hæc obligatio?

RESPONDEO: Probatur ex constanti Traditione Ecclesiæ, quæ semper censuit, sie institutum fuisse à Christo Sacramentum Confessionis, ut verè dici queat, eam *soli Deo* factam esse, prout constat ex Textibus superiùs adductis in Tract. de Pœnit. Disp. 2.

QUÆRITUR 3. An liceat uti notitia Sacramentali in gravamen pœnitentis saltem tunc, quando alioquin pœnitenti longè majus malum immineret?

RESPONDEO: Non licet uti notitia Sacramentali in gravamen pœnitentis, etiamsi pœnitenti exinde sequatur majus malum.

RATIO est, quia si dubium est, an pœnitens spectata voluntate præsente non potius electurus foret periculum majoris mali, non habet Confessarius à pœnitente licentiam, utendi tali notitia, *soli Deo* reservata. Si verò moraliter certum

certum est, pœnitentem indubitatò spectata præsente voluntate exoptaturum & electurum potius minus malum præsens quàm majus imminens, eoipso cessat quæstio, quia in tali moraliter certum est, pœnitentem adeo se non gravaturum, ut potius gratias Confessario de negotio ad suum votum gesto acturus sit.

Responsio, quatenus negat usum notitiæ Sacramentalis cum gravamine pœnitentis probatur ex Decreto S. Congregationis S. Officii, edito die 18. Novembris anno 1682, quod sic habet: „Prævia matura consultationis Dominorum Consultorum facta fuit discussio sequentis propositionis: *Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur*, addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex Confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis seclusa quacunque revelatione, atque in casu, quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur; & statuerunt, dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum ista explicatione sive limitatione, & præsenti Decreto prohibent, ne quis ultra audeat, talem doctrinam publicè aut privatim docere, aut defendere sub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis, mandantes etiam universis Sacramenti pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxin deducenda prorsus abstineant." Decreto huic subscriptus est *Riccardus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Secretarius.*

Quæritur 4. An Superiores uti possint notitia Sacramentali ad externam gubernationem?

Respondeo: Non licet ea uti sine consensu pœnitentis.

Probatur ex Decreto Clementis VIII, edito anno 1594, quod ita habet: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur. Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, observari mandamus.*

Quæritur 5. An pro usu licito notitiæ Sacramentalis sufficiat licentia pœnitentis præsumpta?

Respondeo: Non sufficit licentia pœnitentis præsumpta, nisi certum sit saltem moraliter, quod exinde pœnitenti nullum gravamen oriri, nec ulla Confessionis revelatio sequi possit. Ita quoad rem P. Viva, dum *de Sigillo*, §. 9. sic scribit: *Dicendum, neminem uti posse scientia ex Confessione hausta, nisi moraliter constet, quod ex tali usu nullum gravamen pœnitenti eveniat, & nulla Confessionis revelatio.*

Ratio est, quia Confessio, quæ *soli Deo* fieri censetur, in æstimatione morali censeretur homini fieri, si ob meras præsumptiones, ob imperitiam, & debile judicium quandoque Confessariorum incertas ac fallibiles, liceret uti notitia Sacramentali. Certè exinde Confessio ex suo genere etiam respectu prudentum redderetur odiosa.

Quæritur 6. An pro usu licito notitiæ Sacramentalis sufficiat licentia pœnitentis *tacita*, aut *implicita*?

Respondeo: Ne quidem licentia tacita, aut implicita sufficit, nisi moraliter certum sit, exinde nec ullum gravamen pœnitentis, nec ullam Confessionis revelationem consequi posse. Ita denuo quoad rem l. c. *P. Viva.*

Ratio est, quia Confessarii debilis judicii facile quandoque sibi imaginarentur licentias *tacitas* aut *implicitas*, quas tamen pœnitentes non concessissent, si de iis expresse fuissent moniti vel cogitassent. Itaque ex hac generali doctrina Confessio etiam apud prudentes fieret ex suo genere odiosa, hoc est, meticulosa, ne dum fit *soli Deo*, censeatur potius fieri homini.

Quæritur 7. An liceat uti notitia Sacramentali ex licentia pœnitentis expressa? Et quales ad hoc requirantur conditiones?

Respondeo: Sacramentali notitia uti licet ex licentia pœnitentis expressa. Ita Doctores communiter. Ad hoc tamen, ut in tali casu licitus sit usus notitiæ Sacramentalis, requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut concessio *non sit* per Confessarium *extorta* injustè, si enim Confessarius eam extorqueret minis aut denegatione absolutionis injusta, non esset valida. 2. Ut pœnitens eam concessionem vel liberrimè det, vel eam teneatur dare Jure naturali, divino, vel humano. 3. Ut non cedat in gravamen pœnitentis, nisi ad hoc subeundum aliunde teneatur Jure naturali, divino, vel humano. 4. Ut non excedat limites potestatis concessæ. 5. Ut licentia in casu, quo fuit liberè data, non sit revocata à pœnitente.

Ratio harum conditionum est, quia alioquin Confessio non censeretur *soli Deo*, sed homini fieri.

Dixi, ut non sit revocata in casu, *quo licentia liberè fuit data*. Si enim pœnitens Jure naturali, divino, vel humano tenetur dare Confessario facultatem ad certum actum utendi notitia Sacramentali, ita ut alioquin foret incapax absolutionis, facultas semel data *mandante* & *acceptante Deo* validè revocari nequit.

Quæritur 8. An veteres Theologi tradiderint eandem doctrinam?

Respondeo: Veteres Theologi, quando videntur concedere aliqualem usum notitiæ Sacramentalis in casu necessitatis, eam non concedunt *sine licentia* pœnitentis per ipsum actum pœnitentialem sufficienter *expressa*, seu *necessariò & manifestè contenta* in actu pœnitentis, vel in casu, quo pœnitens non accedit animo pœnitendi. Id probatur ab Inductione.

I. S. Raymundus de Pennafort in Summa l. 3. §. 60. ait: „Pone, quod aliquis confitetur, se incidisse in hæresin & alia peccata. Vult cessare ab aliis peccatis, sed non ab hæresi. Vel recedit (quidem ab hæresi); ipse tamen non vult ostendere, vel nominare alios, quos scit hæreticos esse, vel credentes, receptatores, vel fautores eorum; vel forte nominat Sacerdoti, sed non vult, quod ipse detegat alii. Hoc

„autem

„autem dicit se facere, quia timet perjurium, vel „proditionem, eò quod juraverit tenere secretum; vel quia in secreto, vel in judicio animæ „fuit sibi revelatum, vel timet particeps fieri homicidii, si forte illi occiderentur. Quid faciet „iste Sacerdos? Ad hoc dicunt quidam; quod „debet adire Episcopum, & dicere Custodi: Vigila super oves tuas; quia lupus est in grege; „vel si placet, dic, quod possit revelare talibus, „qui possunt prodesse, & non obesse. *Resp. supra de juram.* §. *quid si audit.* Præterea quantum „ad primum præcise, videtur, quod non sit adstrictus Sacerdos propter vim pœnitentiæ; tum „quia ille non agit pœnitentiam, tum quia non „servat fidem, cum sit hæreticus & infidelis. Ideo tali non est fides servanda. 23. q. 1. C. *noli.* „Et multæ aliæ rationes possent induci. Et idem „in similibus." In hoc textu S. Raymundus videtur docere, quod, si pœnitens nolit Confessario manifestare socios hæresis, tribuat tamen licentiam *ad monendum in genere*; & si Confessario manifestet socios criminis, eoipso tribuat illi licentiam ad revelandum *talibus, qui possunt prodesse & non obesse.* Hæc ejus mens magis colligitur ex §. *Quid si audit*, ad quem suos Lectores remittit. Ibi enim l. 1. Tit. *de Juramento* sic scribit: „Quid si audit aliquis alium jurare falsum, & ipse „scit, & tacet, nunquid peccat? Videtur, quod „sic. Nam *in Levit.* C. 5. dicitur: Anima, quæ „audierit jurantis falsum, testisque fuerit, quod „aut ipse vidit aut conscius est, nisi indicaverit, „portabit iniquitatem suam. Sed contra videtur, quod peccet manifestando; nam qui crimen occultum manifestat, non est erroris corrector, sed proditor. Item si prodiderit eum, „ille forte occidetur à Judice, vel ipsemet proditor facile potest incurrere mortis periculum. „Et ideo Augustinus qq. in Levit. C. 5. dicit, „quæstionem hanc esse difficillimam, tamen solvit eam sic. Quod efficit, si indicet talibus, „qui magis possunt prodesse, quàm obesse perjuro, sive eum corrigendo, sive Deum pro eo „placando, ut puta Sacerdotes, vel honesti, & „discreti parentes. Et ad hanc denuntiationem „talibus personis faciendam tenetur quilibet secundùm omnes, quoties viderit aliquem vicinum præcipitio, id est, peccato committendo. „Sed ad denuntiandum crimen jam commissum „dicunt fere omnes Doctores, quod tenentur „Prælati ex præcepto, alii non tenentur, nisi ex „consilio. Et intelligas Prælatos largè, tam Ecclesiasticos quàm Sæculares, etiam patremfamilias circa familiam suam. Hugutio dicit; indistinctè omnibus esse præceptum à Domino. „Hæc opinio nimis est rigida, & ab omnibus condemnatur: prima placet." Hucusque S. Raymundus.

II. ALENSIS, seu ALEXANDER DE ALES, part. 4. q. 19. memb. 2. a. 1. postquam docuerat, *Confessionem Sacramentalem nullo modo esse revelandam, nullo casu, nulla causa*, format sibi sequentes objectiones: 1. Si Confessio in nullo casu esset revelanda, sequeretur, quod Confessarius, si audivisset aliquem in Confessione, qui fornicatus esset cum aliqua, & postea ille idem vellet contrahere cum sorore illius (corruptæ) necesse haberet illi contractui consentire, & ita mortaliter peccaret. 2. Sequeretur, quod Confessarius, si aliquis confessus fuisset peccata sua, & inter illa confessus esset hæresin, de qua non pœniteret, imo proponit, quod in odium Ecclesiæ inficiet, quoscunque poterit inficere, non posset revelare Confessionem. 3. Sequeretur, quod Decanus, qui ex Confessione scit, aliquos Canonicos esse irregulares ratione homicidii & bigamiæ, si postmodum velint promoveri ad sacros Ordines, non possit eos impedire. 4. Sequeretur, quod Decanus, qui scit per Confessionem, quendam de Canonicis suis esse homicidam, & talis instanter petat promoveri ad Sacerdotium, cum habeat præbendam Sacerdotalem, & Ecclesia habeat paucos Sacerdotes, teneatur illum mittere. Ad has objectiones Alensis sic respondet.

Ad 1. „Dicendum, quod Sacerdos nulla ratione debet Confessionem auditam detegere, „sed debet ei, qui confessus est, dissuadere, ne „contrahat cum persona tali. Si autem nullo „modo velit cessare, sed instanter petat, quod „matrimonium celebretur, differat, quantum potest. Si autem oportet, quod fiat vel propter „scandalum populi, vel propter coactionem Superioris, consilium est, ut faciat per Vicarium; „tum ut contrahens occultè confundatur, tum „propter criminis horrorem, & ut illi horror incutiatur; si tamen in persona propria faciat, „non credo, quod peccet, dummodo ultro se „non offerat, sed quasi coactus hoc faciat.

Ad 2. „Dicendum, quod debet Confessionem illam celare, nec propter illud quod audivit sic, debet aliquid specialiter dicere. Potest „tamen sine revelatione Confessionis Superiori „dicere, ut vigilet super oves, quia lupus est in „grege, si probabiliter videt illum, qui confessus est, verum dixisse, & periculum omnium „imminere. Potest etiam & debet esse solicitus „sine revelatione Confessionis, quocunque modo sciat, ut Gregi Dominico provideat.

Ad 3. „Dicendum, quod nullo modo debet „Confessiones Canonicorum revelare Decanus, „sed sufficit, quod persuadeat illis, ne laborent „ad sui promotionem.

Ad 4. „Dicendum, quod Decanus in casu „prætacto non debet Canonicum, quem scit irregularem, ad Ordines mittere, nec Confessionem revelare, sed si quandoque postulet mitti, „debet differre & cautè dissimulare, secundùm „quod unctio eum docebit. Si autem instanter „petat talis promoveri, ita quod oriatur scandalum, vel etiam aliàs cogatur Decanus, v. g. „per Superiorem, bene potest eum mittere.

IDEM AUTHOR l. c. a. 2. sic scribit: „Quidam dicunt, quod cum aliquis confitetur aliquod futurum, & cum hoc dicit, nolle resilire „à proposito, in hoc casu non tenetur Sacerdos „celare, quod est confessus, sed potest revelare „illi, qui vult & potest prodesse. Alii autem dicunt, quod non potest eam Sacerdos aliquatenus aperire. Inter istas duas opiniones medium existimo eligendum. Nam tripliciter potest aliquis peccatum confiteri. Uno modo „con-

„ confitendo peccatum præteritum, quod nollet „ feciſſe, nec proponit facere. Et talis Confeſ- „ ſio clauditur ſub ſigillo. Alio modo poteſt „ quis confiteri peccatum præteritum, quod nol- „ let feciſſe, non tamen proponit deſiſtere, ſed „ potius permanere, & talis Confeſſio adhuc clau- „ ditur ſub ſigillo propter annexionem, quam ha- „ bet in Confeſſione cum peccato præterito. Ter- „ tio modo poteſt quis confiteri peccatum præ- „ ſens, non tamen ut præſens, ſed potius ut eſt „ in propoſito de futuro. Dico ergo, quod Sa- „ cerdos non tenetur tale peccatum celare ſimpli- „ citer; nec ſi Sacerdos talem Confeſſionem re- „ velaret, poſſet condemnari tanquam violator „ Sigilli Confeſſionis; tamen quia hoc eſſet quæ- „ dam ſpecies mali, & infamia ſequeretur, pro- „ pter hoc credo, quod etſi non tenetur de jure „ talem Confeſſionem occultare, debet tamen ce- „ lare ratione publicæ honeſtatis, niſi inconve- „ niens aliquod grave ſequeretur. Tunc enim „ credo, quod non eſſet talis Confeſſio penitus „ tacenda, nec tamen publicè revelanda propter „ periculum infamiæ, ſed cautè & ſecretò alicui, „ qui poſſet & vellet prodeſſe innoteſcendo. Et „ *ad* 3. Sacerdos in hoc officio, in quantum eſt „ Vicarius Dei, fungitur vice reconciliationis. „ Reconciliatio autem eſt de commiſſo, non de „ committendo. Unde loco Dei non recipit fu- „ tura.

III. D. Thomas in 4. diſt. 21. q. 3. a. 1. for- titer defendit obligationem Sigilli Confeſſionis. Contra eam obligationem verò ſibi format ſe- quentes objectiones: 1. Celatio Confeſſionis in aliquo caſu contra charitatem militaret; ſicut ſi aliquis in Confeſſione aliquem ſcit hæreticum, quem non poteſt inducere ad hoc, quod deſiſtat à corruptione plebis; & ſimiliter de illo, qui ſcit per Confeſſionem affinitatem eſſe inter aliquos, qui contrahere volunt. 3. Aliquando aliquis ce- lans peccatum incurrit propriæ conſcientiæ da- mnum; ſicut cum Sacerdos in teſtimonium ad- ducitur pro peccato confeſſo, & jurare cogitur de veritate dicenda; vel cum aliquis Abbas ſcit per Confeſſionem alicujus Prioris ſibi ſubjecti peccatum, cujus occaſio inducit ipſum ad rui- nam, ſi ei Prioratum dimittat. Unde debet ei auferre propter debitum paſtoralis curæ. Au- ferendo autem videtur Confeſſionem publicare. 4. Aliquis Sacerdos per Confeſſionem alicujus, quam audit, poteſt accipere conſcientiam, quod ſcit prælatione indignum. Sed quilibet tenetur contradicere promotioni indignorum, ſi ſua in- terſit. Cum ergo contradicendo ſuſpicionem inducere videatur de peccato, & ſic quodammo- do Confeſſionem revelare, videtur quod opor- teat quandoque Confeſſionem revelare. Ad has Objectiones S. Doctor ſic reſpondet.

Ad 1. „ Dicendum, quod quidam dicunt, „ quod Sacerdos non tenetur ſervare ſub Sigillo „ Confeſſionis, niſi peccata, de quibus pœnitens „ emendare promittit. Aliàs poteſt ea dicere ei, „ qui poteſt prodeſſe & non obeſſe. Sed hæc o- „ pinio videtur erronea. Tamen aliquod reme- „ dium adhibere debet in prædictis caſibus, quan- „ tum poteſt ſine Confeſſionis revelatione; ſicut „ monendo eos, qui confitentur, & aliis diligen- „ tiam apponendo, ne corrumpantur per hære- „ ſin. Poteſt etiam dicere Prælato, quod dili- „ gentius invigilet ſuper gregem ſuum, ita ta- „ men, quod non dicat aliquid, per quod verbo „ vel nutu confitentem prodat.

Ad 3. „ Dicendum, quod homo non adduci- „ tur in teſtimonium, niſi ut homo; & ideo abs- „ que læſione poteſt jurare, ſe neſcire, quod ſcit „ tantùm ut Deus. Similiter abſque læſione con- „ ſcientiæ poteſt Prælatus impunitum dimittere „ peccatum, quod ſcit ut Deus, vel ſine aliquo „ remedio, quia non tenetur adhibere remedium, „ niſi eo modo, quo ad ipſum defertur. Unde „ in his, quæ deferuntur ei in foro pœnitentiæ, „ in eodem foro debet, quantum poteſt, adhibe- „ re remedium, ut Abbas in caſu prædicto admo- „ neat eum, ut Prioratum reſignet; vel ſi nolue- „ rit, poteſt ex aliqua alia occaſione abſolvere à „ cura Prioratus, ita tamen, quod omnis ſuſpi- „ cio vitetur de Confeſſionis revelatione.

Ad 4. „ Dicendum, quod ex multis aliis cau- „ ſis aliquis redditur indignus ad Prælationis offi- „ cium, quàm ex peccato; & ideo, qui contra- „ dicit, nec ſuſpicionem de crimine movet, nec „ Confeſſionem revelat. „ De hoc poſteriore caſu idem S. Doctor *Quodlib.* 5. a. 13. ſic ſcribit: „ Dicendum, quod id, quod per Confeſſionem „ auditur, nullo modo eſt manifeſtandum, nec „ verbo, nec ſigno, nec nutu, nec etiam aliquid „ eſt faciendum, unde in ſuſpicionem peccati ali- „ quis poſſit devenire. Si ergo amotio ſubditi ab „ adminiſtratione poſſit inducere ad manifeſtan- „ dum peccatum in Confeſſione auditum, vel ad „ aliquam probabilem ſuſpicionem habendam de „ ipſo, nullo modo Prælatus deberet ſubditum „ ab adminiſtratione removere, puta, ſi in aliquo „ monaſterio eſſet conſuetum, quod Priores non „ amoverentur à ſuis Prioratibus, niſi propter „ culpam, manifeſtaretur autem peccatum Confi- „ tentis per remotionem ab adminiſtratione. Un- „ de ſi Abbas hoc faceret, graviter peccaret, tan- „ quam Confeſſionem revelans. Poſſet tamen „ eum ſecretò charitativè admonere, ut cum in- „ ſtantia peteret ceſſionem, ſi hoc videret ſaluti „ ejus expedire. Si verò per amotionem ab ad- „ miniſtratione peccatum nullatenus manifeſtare- „ tur, puta, ſi in aliquo monaſterio eſſet conſue- „ tum, quod Abbas pro ſuo libitu de facili ali- „ quos ab adminiſtratione removeret, tunc alia „ occaſione accepta poſſet ſubditum ſibi confeſ- „ ſum ab adminiſtratione removere; & deberet „ hoc facere cum debita tamen cautela, ſi talia „ adminiſtratio eſſet ſubdito periculoſa in poſte- „ rum, quamvis etiam & in hoc caſu melius eſſet, „ quod eum induceret ad ceſſionem petendam. „ Si verò periculum in poſterum non timeretur, „ non oporteret, quod pro peccato præteritorum „ per pœnitentiam deleto eum ab adminiſtratione „ removeret. Sicut etiam Auguſtinus dicit in l. „ *de adult. conjugiis.* Cur adhuc deputamus adul- „ teros, quos credimus pœnitentia eſſe ſanatos? „ Quandoque enim pœnitentes innocentibus me- „ liores ſunt.

IV. S. Bonaventura in 4. diſt. 21. a. 2. q. 1. poſtquam ſibi formaverat eaſdem objectio- nes,

nes, quas retuli ex Alensi, nempe de Confessario, qui ex Confessione pœnitentis novit. 1. eum esse hæreticum, ita tamen, ut nolit pœnitere, sed alios corrumpere. 2. Eum laborare impedimento affinitatis ex fornicatione; postmodum vero postulat conjungi matrimonio. 3. Eum esse irregularem, postmodum autem est præsentandus à Confessario eodem ad Ordines. 4. Subditum Religiosum in Prioratu expositum habere occasionem trahentem ad peccatum, à quo non vult desistere; &c. ad singulas sic respondet.

Ad 1. „Dicendum, quod debet tacere, nec „per illam cognitionem aliquid dicere speciali„ter. Tamen sine revelatione Confessionis Su„periori dicere potest: Vigila super oves; quia „lupus est in grege, si probabiliter videt illum, „qui confessus est, verum dixisse, & periculum „ovium imminere. Potest etiam & debet esse „solicitus sine revelatione Confessionis, quo mo„do sciat, & Gregi Dominico provideat. Et „tunc Domino suo, & etiam Confitenti, fidem „quam debet servat.

Ad 2. *&* 3. „Dicendum, quod Presbyter de„bet dissuadere (contractum matrimonialem) ei, „qui est confessus; & similiter Decanus Clerico „(postulanti missionem ad Ordines): & si ille „petat, debet differre; & nisi ille cogatur per „Superiorem, vel per scandalum populi, non de„bet nec matrimonium tale benedicere, nec Cle„ricos præsentare. Ex tunc autem potest. Con„silium tamen est, quod & Sacerdos & Decanus „faciant per Vicarium, tum propter confusio„nem illorum occultam, tum etiam propter crimi„nis horrorem. Si tamen ipse faciat, non cre„do, quod peccet, dum non ultro se offerat, sed „coactus sustineat.

Ad 4. „Dicendum, quod Superior ei, qui „non vult à culpa cessare, debet persuadere vo„luntariam cessionem, & quod ipse petat absolvi „ab onere officii. Quod si non vult, non debet „eum absolvere, sed debet eum sustinere, nisi sit „talis Religio, in qua subditi possint transmutari „vel transferri sine infamiæ nota.„ Ex his S. BONAVENTURÆ verbis patet, eum in hac re tueri sententiam ALEXANDRI DE ALES, utpote cujus integrum ferme textum exscribit, prout conferenti textus amborum patebit.

V. SCOTUS in 4. dist. 21. q. 2. num. 1. & 2. ac 3. sibi format contra obligationem Sigilli, quam aliàs rigorose tuetur, sequentes Objectiones: 1. Aliqui condixerunt interficere Sacerdotem in tali nemore, ubi Sacerdos eum eis est viator. Unus ante ingressum nemoris pœnitet, & confitetur eidem Sacerdoti hoc peccatum. Iste Sacerdos aliis non pœnitentibus non tenetur se exponere morti sine causa; ergo nec ingredi nemus; sed non ingrediendo revelat facto aliis Confessionem illius Confessi. Ergo in isto facto & consimilibus licet revelare Confessionem. 2. Abbas habens Monachum in loco pertinente ad monasterium suum scit per Confessionem, eum in loco illo peccasse, & habere ibi societatem suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum, videtur, quod potest eum amovere ab illa cura, vel ab hujusmodi officio. Sed amovendo revelat Confessionem, quia facit tale factum, quod non faceret, si iste non fuisset sibi confessus, per quod etiam alii possunt in notitiam peccati illius venire saltem in universali. 3. In *Extrav. de sent. Excomm. C. cum non ab homine.* de excommunicato ob violentam injectionem manuum in Clericum dicitur: *Si forte tibi soli sit patens, ipsum privatim tantùm vitabis, ut saltem rubore verecundiæ suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur.* Ad has Objectiones SCOTUS n. 20. 23. 24. sic respondet:

Ad 1. „Potest dici, quod Sacerdos iste mul„tiplicem occasionem potest habere non intran„di nemus. Si autem non possit ex aliqua occa„sione divertere, quin appareat illis aliis, quod „propter Confessionem diverteret, & in hoc fa„cto revelaret Confessionem, dicit quidam (Ri„chardus in 4. dist. 21.) quod tenetur intrare, & „si exponit se morti, Martyr est. Sed aliter po„test dici, quod facta possunt esse signa æquivo„ca, quia diversimodè à diversis concipi possunt, „ad hoc scilicet, vel ad illud factum. Igitur non „debet reputari revelativum Confessionis, nisi ex „natura sua prodat peccatum confessum; sed di„vertere à nemore non sic dicit; quia si illi alii „non fuissent prius collocuti de illa interfectio„ne, nunquam per hoc, quod ille divertit, co„gnoscerent illum esse confessum de voluntate „occidendi istum. Si tamen divertere ex ratio„ne sui est signum ductivum in notitiam talis pec„cati confessi, duceret quoscunque in hoc, & i„stos, æquè si non fuissent collocuti, sicut si „fuissent collocuti. Generaliter igitur potest „dici, quod signum, quod de se est indifferens „ad hoc, quod est, tale peccatum esse confes„sum, vel non esse, licet sit aliquibus magis si„gnum determinatum ex aliquo supposito, non „est signum revelativum Confessionis, nec per „consequens simpliciter illicitum Confessori.

Ad 2. „Si in Collegio est consuetudo com„munis, ut sine nota quilibet extra monasterium „curam habens, vel sine cura moram trahens, „revocetur pro libito Præsidentis; vel etiam „non passim pro libito, sed quandoque pro alia „causa honesta, ut nunc ille quiescat in claustro, „nunc laboret cum Martha in exteriori ministe„rio, & nunc ille, prout utile visum fuerit Præ„sidenti; dico tunc, quod Monachum confes„sum de crimine commisso in aliquo loco extra „monasterium, ubi moratur, potest Abbas ad „monasterium revocare; quia in hoc nullo mo„do peccatum confessum prodit; licet aliquis „(HENRICUS Quodlib. 8. q. 18.) dixerit, quod „Confessor nullo modo potest se habere aliter „ad confessum ratione Confessionis quantum ad „quemcunque actum extra forum illum, quàm si „penitùs nihil audivisset. Si autem est consue„tudo in Collegio, quod non transferatur Mo„nachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi „ratione delicti, vel insufficientiæ in cura illius „loci, non videtur, tunc licitum Abbati, confes„sum ad monasterium revocare.

Ad 3. „Dico, quod Capitulum illud non lo„quitur expresse de illo, qui novit per Confes„sionem, aliquem esse excommunicatum. Sed „si sciret per viam Confessionis tantùm, quid fa„ceret? Respondeo; si potest per aliam viam „vitare

„ vitare eum, quàm ex vitatione prodendo ex„ communicationem ejus, debet vitare. Sin au„ tem, non solùm non debet, imo non licet vita„ re. Ita Scotus.

VI. Petrus de Palude Patriarcha Paludanus in 4. dist. 21. q. 3. a. 3. Concluf. 3. sic scribit: „Quidquid videtur Confessori faciendum „ vel omittendum pro bono Confitentis vel com„ muni, potest facere vel omittere, dum tamen „ per hoc non reveletur Confessio, ad quod so„ lum obligatur, licet aliàs non esset illud factu„ rus. Si ergo per Confessionem Prioris vel al„ terius scit Abbas, quod non expedit Priori te„ nere monasterium, & sit talis, qui ad libitum „ aliàs potest amoveri, exspectet, quousque sine „ nota revelationis possit amovere, & tunc sta„ tim amoveat. Cum enim ex audientia Confes„ sionis ad nihil obligetur, nisi ad celandum, & si „ obligaretur ad aliquid, hoc esset ad medendum „ animæ pœnitentis, sicut Medicus, ex quo ali„ quem in cura suscipit, tenetur sibi dare reme„ dium contra recidivum. Sic in proposito, „ quàm cito potest amovere, amoveat, quem si„ ne hoc amovere poterat. Si autem talis erat, „ qui non sine justa causa amoveri poterat, cum „ Confessionis audientia nulli jus præbeat in alio „ foro, in quo sibi non constat ut Judici, ipsum „ amore non potest. Similiter quia licentiam in„ trandi villam ad libitum potest concedere vel „ negare, licet aliàs non esset negaturus propter „ periculum, quod ex sola Confessione novit, ne„ gare potest, dum tamen ex hoc suspicio non o„ riatur, in occulto tamen semper illum, qui con„ fessus est, monere potest. Nec hoc est Con„ fessionem revelare. Similiter Curatus propter „ Confessionem non potest negare communio„ nem, quando aliàs eam tenetur dare, puta in „ Paschate. Aliàs (potest negare) sic dicens: „ *Non teneor nunc tibi dare*, & non objiciens de cri„ mine confesso. Similiter si novit per Confes„ sionem affinitatem, in occulto monere potest „ & negare benedictionem illis, quibus aliàs non „ tenetur, si per hoc Confessio non revelatur. Sed „ si aliàs tenetur, etiamsi per hoc Confessio non re„ velatur, non propter hoc habet jus negandi. Si„ militer de Episcopo, qui per Confessionem novit „ corruptionem Monialis, quæ petit benedictio„ nem. Quia aut est casus, in quo tenetur, & „ tunc negare non debet. Si autem aliàs non te„ netur benedictionem impartiri, sed potest sine „ revelatione Confitentis negare, potest Confi„ tenti negare, sicut non Confitenti. Et quod „ dictum est de benedictione Monialium, idem „ est de benedictione Abbatissarum in Monaste„ rio, ubi communiter virgines benedicuntur. „ Similiter quia homo liberam electionem habet, „ licet per solam Confessionem sciat aliquem in„ dignum, quem aliàs putabat dignum, debet non „ eligere ex conscientia sic dictante sibi; quia in „ eligendo scienter dignum vel indignum, nego„ tium geritur inter ipsum & Deum; unde potest „ ex his, quæ etiam scit ut Deus, judicare in pro„ posito.„ Ita Paludanus.

VII. S. Antoninus in Summa part. 3. Tit. 17. C. 22. §. 1. de verbo ad verbum adoptat & pro resolutione tradit præfatum textum Petri Paludani, sic scribit: „ Cum Confessio non aufe„ rat Confessori jus suum, nec conferat ei jus no„ vum in alio foro, quidquid videtur Confessori „ faciendum vel omittendum pro bono ipsius „ Confitentis vel pro bono communi, potest fa„ cere vel omittere, dummodo per hoc non re„ veletur Confessio, ad quod solum obligatur, li„ cet aliàs id non esset facturus. Unde si per „ Confessionem Prioris vel alterius scit Abbas, „ quod non expedit Priori tenere monasterium, „ & sit talis, qui ad libitum potest amoveri, ex„ spectet, quousque sine nota revelationis possit „ eum amovere, & tunc statim amoveat. — I„ tem quia Prælatus licentiam intrandi villam seu „ civitatem subdito ad libitum concedere potest „ vel negare, licet aliàs non esset negaturus, pro„ pter periculum, quod ex sola Confessione no„ vit, negare potest, dum tamen ex hoc suspicio „ non oriatur. In occulto tamen semper mone„ re potest illum, qui confessus est, quia hoc non „ est revelare Confessionem. Similiter Curatus „ propter Confessionem non potest negare com„ munionem, quando aliàs eam dare tenetur. A„ liàs sic dicens: Non teneor nunc tibi dare, & „ non objiciens de crimine confesso, non per „ hoc dicitur revelare Confessionem. Similiter „ de Episcopo; qui per Confessionem novit cor„ ruptionem Monialis, quæ petit benedici; si a„ lias non tenetur benedictionem impertiri, po„ test sine revelatione Confessionis negare ita con„ fitenti sicut non confitenti. Similiter, quia ho„ mo liberam electionem habet, licet per solam „ Confessionem sciat aliquem indignum ad Præla„ turam, ad quam eligitur, quem aliàs putabat „ dignum, non debet eligere ex conscientia sibi „ sic dictante, quia eligendo scienter dignum vel „ indignum negotium geritur inter ipsum, & Deum; „ unde potest etiam ex his, quæ scit ut Deus ju„ dicare in proposito.„ Hucusque S. Antoninus, allegans & sequens Paludanum, qui in sua Summa ferme universim pro suo duce sequitur.

VIII. Rainerius Pisarus in sua *Pantheologia*. V. *Confessio*. C. 31. inter varios casus, in quibus Confessarius potest uti notitia Sacramentali sine revelatione Confessionis, affert etiam sequentes, sic scribit: „ Quintus casus est talis. Aliquis „ Sacerdos per Confessionem alicujus scit, quod „ est Prælatione indignus. Respondeo, quod ex „ multis causis aliis redditur aliquis indignus ad „ prælationis officium, quàm ex peccato. Et i„ deo qui contradicit electioni, nec suspicionem „ de crimine facit, nec Confessionem revelat, sed „ contradicit promotioni indignorum, sicut tene„ tur, si sua interest. Sextus casus talis est. Ab„ bas aliquis scit per Confessionem peccatum ali„ cujus Prioris sibi subjecti. Si ei Prioratum di„ mittit, inducit eum vel monasterium ad ruinam. „ Si ei Prioratum aufert propter debitum curæ „ pastoralis, videtur publicare Confessionem. „ Respondeo, quod Abbas non potest adhibere „ remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum pecca„ tum defertur. Et ideo in his, quæ ad eum de„ feruntur in foro pœnitentiæ, in eodem debet, „ quantum potest, remedium adhibere. Unde „ Abbas in prædicto casu admoneat eum, ut Prio„ ratui resignet, vel si non voluerit, potest ex a„ liqua

„ liqua alia occasione eum à cura Prioratus absolvere, ita tamen, ut omnis suspicio vitetur de revelatione Confessionis. Septimus casus est talis. Aliquis scit per Confessionem, quendam de suis Canonicis esse homicidam, & instanter petitur, ut ille Canonicus promoveatur in Sacerdotem. Respondeo, quod nec debet talem tanquam indignum promovere, nec causam hujus dicere, quia hoc est Confessionem revelare. Sed si quandoque postulet mitti, debet differre, & cautè dissimulare, secundùm quod unctio eum docebit. Si autem talis promoveri petit instanter, ita ut orіatur scandalum, nisi promoveatur, vel Decanus per Superiorem cogatur, bene potest eum mittere ad promovendum.

IX. ACTESANUS in Summa l. 5. tit. 20. ponit sequentes casus: „ 1. Pone, quod aliqui condixerint interficere Presbyterum cum eis euntem in nemore, quorum unus aute ingressum nemoris pœnitet & confitetur illi. Nunquid ille Presbyter nemus ingredietur? Respondeo; quod non debet reputari revelator confessionis, nisi faciat aliquid, quod de natura sua prodat peccatum confessum. Sed divertere à nemore non est hujusmodi. Ergo. Et generaliter dici potest, quod signum quod de se est indifferens ad significandum, tale peccatum fuisse confessum, vel non fuisse, licet aliquibus sit signum magis determinatum ex aliquo præsuppposito, non tamen est ex se signum revelativum Confessionis, nec per consequens illicitum Confessori. Hæc Scotus. 2. Quid si quis detexit crimen Confessori, propter quod est excommunicatus; & Confessor hoc sciret tantum per viam Confessionis, & hoc nullus alius scit, nunquid eum vitabit? Respondeo, si potest eum vitare per aliam viam, quàm ex vitatione prodendo ejus excommunicationem, debet vitare. 3. Quid si Sacerdos sciat per Confessionem, quod aliquis dormivit in Ecclesia cum muliere aliqua; nunquid potest hoc Episcopo revelare? Respondeo, quod tutius est, quod Episcopo revelet in genere dicendo: Talis Ecclesia reconciliatione eget. 4. Quod si aliquis Abbas vel alius Prælatus per Confessionem scit, aliquem subditum suum uti malè officio; vel etiam scit per Confessionem alicujus Prioris sibi subjecti peccatum, cujus occasio inducit eum ad ruinam, nunquid eum removere potest? Respondeo; si Superior posset eum ab officio removere, quin ille vel quicunque alius suspicari posset, eum pro his quæ dixit in Confessione, ab illo officio remotum esse, liceret Superiori, ut dicunt aliqui, ipsum ab officio removere. Hæc Richardus in 4. Alii verò dicunt, quod si ille resignare nolit, non debet eum removere, nisi sit talis Religio, in qua subditi possunt mutari sine nota infamiæ. Hæc Bonaventura, & convenit cum eo Scotus. 5. Quid si per Confessionem alicujus quis scientiam acquirit, quod sit indignus Prælatione, nunquid, si intersit promotioni ejus, tenetur contradicere? Respondeo, quod multis aliis de causis est aliquis indignus Prælatione, quàm ex peccato; & ideo qui contradicit, nec de crimine suspicionem generat, nec Confessionem revelat. Hæc Thomas. 6. Quid de Presbytero, qui scit per Confessionem familiaritatem inter duos contractam per fornicationem affinitatem esse, & postea eos velle matrimonium contrahere in facie Ecclesiæ? Quid etiam de Decano, qui audit Confessionem habentium irregularitatem, & debet eos ordinandos Episcopo præsentare? Respondeo: Presbyter dissuadere debet Confesso, & similiter Decanus Clerico; & si ille petat, differre debet, & nisi per Superiorem cogatur, vel per scandalum populi, non debet tale matrimonium benedicere, nec illos Clericos præsentare. Ex tunc autem potest. Consilium tamen est, ut utrumque faciat per Vicarium, tum propter Confessionem illam occultam, tum propter criminis horrorem.

X. SYLVESTER, Magister S. Palatii in Summa, V. Confessio III. proponit à n. 12. sequentes Casus: „ 1. Quid si Sacerdos Parochialis sciat per Confessionem impedimentum aliquorum suorum Parochianorum circa matrimonium contrahendum? Dico. Moneat secretè, ut desistant. Et si contrahunt, benedicat nuptias, quando aliter facere non potest, nisi manifestatione Confessionis. 2. Quid si Abbas scit per Confessionem peccatum Prioris vel alterius subditi sibi, cujus peccati occasio est Prioratus, & aliud officium? Et dicit D. Thomas, quod Prælatus potest ipsum ex aliqua alia occasione absolvere, ita tamen ut omnis suspicio de revelatione Confessionis evitetur, aliàs peccaret tanquam revelans Confessionem. Sed adde secundum mentem Richardi, quod oportet vitari suspicionem Confessionis, sic ut nec ipse, nec alius credat, eum propter Confessionem fuisse ab Officio absolutum; aliter ipse vel alius redderetur pronior ad celanda peccata. Et hoc sequitur Rosella, & innuit Summa Angelica. Sed ego credo hoc verum quoad alium, non autem quoad ipsum pœnitentem; quia ut patet ex D. Thoma, quando Prælatus sine manifestatione peccati potest eum amovere ab Officio periculoso in posterum, hoc facere potest & debet; licet melius esset, eum ad cessionem inducere. Nec obstat, quod redderetur pronior ad celanda peccata; quia melius est cavere, ne peccata fiant, quàm ne facta celentur; quia si non fiunt, non celantur; non econverso. 3. Quæritur, utrum, si quis per audita in Confessione scit vel credit aliquem indignum Prælatione, & intersit promotioni ejus, possit reclamare? Et dicit D. Thomas, quod ex multis causis redditur quis indignus Prælatione. Unde, qui contradicit, nec suspicionem de crimine facit, nec revelat Confessionem. Hæc ille. Posito tamen, quod reclamando faceret suspicionem de crimine, ut quia nihil aliud ei objici potest, & reclamans putatur non reclamare, nisi pro crimine occulto, revelator esset Confessionis. 4. Utrum sciens per Confessionem, aliquem excommunicatum, teneatur illum evitare, saltem in secreto? Dicit Richardus, quod non. Scotus tamen tenet, quod eum vitare debet, si potest si-

 „ne

„ne proditione. 5. Quid si duo aliqui con„stituerunt occidere Sacerdotem comitantem „cum eis, & unus pœnitentia ductus hoc il„li confitetur? Scotus tenet, quod non te„netur intrare Sylvam, nec debet propterea „reputari revelator Confessionis, nisi aliquid „faciat, quod ex sui natura prodat pecca„tum confessum, cujusmodi non est, à Syl„va divertere; nec esse illicitum Confessori „signum de se indifferens ad significandum, „tale peccatum esse confessum, vel non si„gnificandum; licet aliquibus sit signum ma„gis determinatum ex aliquo præsupposito, „non ex se est signum revelativum Confes„sionis; quod quidem dictum Scoti verum „puto, ut dicit, generaliter; nisi cum signo „indifferenti adesset intentio ad revelandum. Ita Sylvester.

XI. DOMINICUS SOTO in 4. dist. 18. q. 4. a. 5. sic scribit: „Addit D. Thomas, si „Abbas audiens Confessionem Prioris intelli„gat, illum ea functione esse indignum, po„test quidem, si est alia causa vel occasio, „cum amovere, non tamen propter pecca„tum illic auditum. Est autem solutio hæc „prudenter consideranda. De iis enim sub„ditorum officiis distinctione opus est. Si e„nim est tale, quod habeat quandam jurisdi„ctionem etiam subalternatam, tunc nullate„nus Superior potest illum privare ratione „Confessionis Sacramentalis, etiamsi cavere„tur revelatio; quia ille habet jus possiden„di, & ideo non potest sine causa & judicio „spoliari. Si autem est officium, quod non „habet jurisdictionem aliquam, sed est ad nu„tum Prælati solius amovibile, ut Sacrista „Procurator, &c. tunc si Prælatus per eo„rum Sacramentalem Confessionem intelligit „esse vel fures, vel inhonestos, vel aliter „indignos, potest illos amovere, dummodo „caveatur, ne Confessio reveletur; quoniam „ejusmodi amotio nullum actum juridicum re„quirit, cum non habeant ad eadem officia „jus. Sed rogas, utrum saltem Prælatus per „notitiam, quam habuit in Confessione Sacra„mentali, adduci possit & moveri ad facien„dam inquisitionem de iis criminibus. Re„spondetur, hoc non posse fieri per particu„larem inquisitionem. Nam jus inquirendi „(juridicè & particulariter) nascitur ex deli„cti, vel infamia, vel semiprobatione. Po„test autem, dum visitat tempore solito, at„tentior esse ad hoc, maximè si est crimen „urgens in damnum publicum. Potest etiam „attentius vigilare super gregem suum; quia „nihil vetat, quo minus homo per audientiam „Confessionum prudentior fiat.

XII. NAVARRUS in Summa C. 8. n. 12. „Non est violator Sigilli, qui sine expressio„ne causæ denegat alicui suffragium in ele„ctione Prælati, eò quod ejus peccata per „Confessionem cognoverat.

Hi duodecim testes interea sufficiant ad exprimendum ferme unanimem Theologorum veterum.

DICES: Usus, quem hactenus recensiti Theologi concedunt, vergit in prudens gravamen pœnitentium. Ergo comprehenditur in propositione proscripta per Decretum S. Inquisitionis. 2. Ille usus revera est usus aliquis notitiæ Sacramentalis ad gubernationem externam. Ergo est prohibitus per Decretum Clementis VIII.

RESPONDEO: n. a. Quia ille usus ad nihil conceditur, nisi ad quæ se extendit *expressa* licentia pœnitentis. Hinc quamdiu pœnitens potest esse prudenter invitus in tribunali sacro, & in Confessione valida, tamdiu ac eousque non erit locus usui notitiæ sacramentalia etiam in bonum pœnitentia.

DIXI, *expressa*, hoc est, *necessariò & manifestè* contenta in actu pœnitentis veri.

Ad 2. dist. est usus ad gubernationem externam interveniente tamen expressâ licentia pœnitentis. c. fine tali licentia. n. Clemena VIII. est tantùm intelligendus de usu notitiæ sacramentalis ad gubernationem externam nulla interveniente licentia expressâ pœnitentis; qualis revera non daretur, si Superior uti vellet ea notitia Sacramentali non pro necessitate pœnitentis, aut boni publici, sed tantùm pro majori securitate, aut tantùm ad melius esse, aut tantùm pro arcendo periculo levi, præsertim si ab eo tempore, quo data est notitia Sacramentalis, jam effluxit notabile tempus, & præsumere licet, pœnitentem interea jam fore correctum.

QUÆRITUR 9. An Confessarius teneatur occultam tenere resolutionem pœnitentis, qua statuit, se occisurum Regem aut Papam? aut qua declarat, se manere obstinatum in impœnitentia, v. g. recusando restitutionem, vitationem occasionis proximæ &c.

RESPONDEO 1. Si ex circumstantiis, aut verbis personæ confitentis evidens sit, pœnitentem non accessisse animo pœnitendi, sed ex alio fine, non tenetur Confessarius Sigillo Confessionis; quia non præcessit Confessio Sacramentalis, seu ordinata ad absolutionem, & protestativa doloris interni de peccatis præteritis. Ita communis. Itaque Confessarius ad summum teneretur Secreto naturali, si pœnitens sub Secreto hoc recipi petiit, & Confessarius silentium promisit; quod ipsum tamen non obligat in præjudicium tertii. Faciat ergo Confessarius, quod ad impediendum tam grave malum utile aut necessarium duxerit; aut caveat, ne semetipsum suspicioni fracti sigilli exponat, aut molestæ traductioni, si procederet via accusationis, cum teste careat. Idem dicendum; si veniant mulieres animo seducendi, aut Confessarium tentandi, vel perturbandi, asserentes, se proximè sumpturas Eucharistiam ex ejus manu, ut ea abutantur ad superstitiones, &c.

RESPON-

RESPONDEO 2. Si pœnitens accessit sincero animo pœnitendi, existimando, quod tale homicidium ob certa motiva sit licitum; aut quod valeat dimidiata Confessio, & quod possit obtineri absolutio de uno peccato, quin obtineatur de altero; vel si confitetur sincerè alia peccata non cogitans de proposito efficaci, sicut contingit in iis, qui laborant odio, superbia, avaritia, aut luxuria sine animo restituendi, injurias condonandi, occasiones proximas vitandi &c. In his omnibus datur rigorosa obligatio, Secretum observandi.

RATIO est; quia inchoata pœnitentia & ipsa Confessio erat verè Sacramentalis, utpote *existimata*, adeoque de se sufficiens ad Confessionem validam; licet ob deprehensum subsequenter defectum propositi per accidens ne quidem sit valida. Ex sensu autem communi Doctorum meritò etiam talis Confessio censetur ex intentione Christi comprehendi sub Sigillo; quia aliàs Confessio redderetur odiosa, & Christus frustraretur suo fine. Itaque in hoc casu Confessarius uti nullatenus potest notitia Sacramentali ad manifestandum pœnitentem, & revelandam Confessionem.

QUÆRITUR 10. Utrum in violatione Sigilli detur parvitas materiæ?

RESPONDEO 1. Distinguendum esse cum *P. Viva* l. c. inter revelationem Confessionis seu peccati; & inter usum notitiæ Sacramentalis. Circa *revelationem* non datur parvitas materiæ; sed cujuslibet peccati etiam minimi venialis revelatio est fractio Sigilli graviter peccaminosa.

RATIO est, quia si in ullo casu permitteretur revelatio Confessionis, aut si obligaret tantùm sub peccato veniali, Deus non posset obtinere finem suum, fructum videlicet, ex remedio hoc generali purgandi & sanctificandi suam Ecclesiam ex prompto Fidelium studio ad integram Confessionem, obtinibilem. Cum enim metus stante rigorosa obligatione Sigilli imprudens tam multas causet Confessiones Sacrilegas, quanto magis fieret Confessio odiosa, si metus prudens licitæ aliquando revelationis haberet locum? Quod vero attinet usum notitiæ Sacramentalis P. Viva l. c. sic scribit: *Quod nec detur materiæ parvitas in usu scientiæ Confessionis cum incommodissimo pœnitentis gravamine, mihi non est liquidum. Hinc nihil decerno. Videri autem posset, quod ex tali usu non valde retraherentur homines à Confessione, unde levis tantùm Sacramento injuria irrogaretur. Sicut probabiliter docent Doctores cum Merolla, dari parvitatem materiæ excusantem à mortali in Simonia Juris Ecclesiastici, puta, si detur res modica pro consequendo Officio Sacristæ, aut pomum Examinatoribus Synodalibus occasione Examinis ad concursum. Verùm quia facile aliquis hallucinari posset ad credendum, hic & nunc materiam esse levem, quod certè homines valde à Confessione retraheret, idcirco negandum potius videtur.* Ita timidè P. Viva.

CONFIRMARI posset ea opinio ex eo, quia ubi agitur de gravamine pœnitentis, obligatio Sigilli fundatur in arbitrio pœnitentis, utrum sit graviter vel leviter invitus; non videtur autem, pœnitentem rationabiliter posse esse graviter invitum, si tantùm agitur de levissimo ejus præjudicio. Verum his non obstantibus.

RESPONDEO 2. Non datur parvitas materiæ etiam in usu notitiæ Sacramentalis cum gravamine pœnitentis sine ejus assensu expresso.

RATIO est, quia hæc licentia operandi sine peccato mortali induceret innumeros abusus notitiæ Sacramentalis, eò quod multi Sacerdotes non curent peccata venialia; & in tales abusus non posset ferri censura, aut reservatio cum effectu; itaque Confessio fieret horrori ex metu etiam prudenti, adeoque redderetur etiam bonis & prudentibus odiosa; quo posito Christus frustraretur fine suo institutionis primario, ut hoc facili remedio purgetur & sanctificetur Ecclesia.

Ad paritatem à Simonia Ecclesiastica, respondetur; ibi Legislatorem non frustrari fine legis, si permittat parvitatem materiæ; sicut hic contingit.

Ad Confirmationem dico; obligationem hanc non fundari in voluntate pœnitentis, qui respicit suum bonum particulare, sed in voluntate Christi, qui respicit bonum generale, ac præjudicium universale, quod nasceretur ex tali concessione parvitatis materiæ; prout rectè ALENSIS observat l. c. ad 7. ubi ait: *Occultatio Confessionis non tantùm est bonum Confitentis, sed etiam bonum omnium aliorum; eò quod per hoc assumunt audaciam confitendi, quàm aliàs amitterent.* Quod Alensis dicit *de occultatione*, idem dicendum *de usu notitiæ*.

QUÆRITUR 11. Quæ cadant, aut non cadant sub Sigillum Confessionis?

RESPONDEO: Cadunt 1. *omnia peccata determinatè sumpta.* Si enim solùm dicatur, Titium confessum esse *aliquod peccatum*; censent communiter Authores, non violari Sigillum; quod ipsum tamen non est universaliter verum, v. g. circa puerum, de quo dubitatur; an jam sit capax peccati. 2. *Pœnitentia injuncta, præsertim* solito gravior, si exinde oriri possit per se prudens præsumptio apud alios de qualitate delicti. 3. Peccata alioquin quidem publica, sed ita comparata, ut ad faciendam certam fidem Confessarius juvetur notitia Sacramentali. 4. Circumstantiæ, quæ, licet non sint peccatum, dicuntur tamen utiles vel necessariæ ad explicandum peccatum, etiamsi utiles non sint.

RATIO est, quia talia saltem ex apprehensione pœnitentium censentur esse connexa cum peccato. Secus autem; si non apprehendantur ut connexa cum peccato, & pœnitens evidenter non gravetur exinde. 5. Etiam

ſam virtutes & revelationes, ſi declarentur ad manifeſtandum peccatum. Si autem tantùm proponantur cauſa conſilii, directionis, aut aperiendi ſtatus interni circa Deum, tantùm comprehenduntur Secreto naturali. 6. Peccata, de quo Confeſſarius dubitat, an ea fciat ex Confeſſione, vel aliunde, ut rectè docet *Suarez*. 7. Ea, quæ revera peccata non ſunt, à pœnitente tamen exiſtimantur eſſe peccata, ut *Lugo* bene obſervat. 8. *Peccata complicis*.

Ratio eſt, quia, prout Pontifex ſuperius §. 6. q. 6. relatus obſervat; licentia aperiendi peccata complicis noceret plurimorum famæ, reverentiæ Sacramenti, & propenſioni Chriſti ac Eccleſiæ invitantis ad frequentem uſum Sacramenti.

Quæritur 12. An ſub Sigillum cadunt etiam defectus naturales pœnitentis, qui potius videntur, audiuntur, vel obſervantur, quàm ex Confeſſione agnoſcuntur? v. g. quod pœnitens ſit balbutiens, rudis, ſcrupuloſus, &c.?

Respondeo 1. Si defectus ſunt corporales, omnibus noti, aut publici, non ſunt materia Sigilli, etſi Confeſſarius illos aliunde neſciat.

Ratio eſt, quia neque ſunt peccata, nec connexa per ſe cum peccatis, neque etiam pœnitens poteſt eſſe rationabiliter invitus, ſi de iis fiat ſermo.

Respondeo 2. Si defectus ſunt mentales, nec omnibus certò noti, non licet circa eos uti notitia Sacramentali.

Ratio eſt, quia & hæc licentia redderet odioſam Confeſſionem; præſertim cum de ejuſmodi diſpoſitione ſemper plus valeret & tenacius hæreret teſtimonium Confeſſarii, quàm conjecturæ aliorum, aut judicia vulgi.

Quæritur 13. An & quando liceat loqui de peccato complicis?

Respondeo 1. Quando intervenit licentia expreſſa pœnitentis.

Respondeo 2. Ea licentia à pœnitente exigenda nunquam eſt, niſi ſit neceſſaria ad præcavendam plurium ſeductionem, aut ſcandalum enorme; & aliud medium nullum ſuperſit. Si enim agatur de ſalute ſolius complicis, ſicut pœnitens non tenetur mediis extraordinariis de ejus ſalute eſſe ſolicitus, ita nec poteſt nec debet adſtringi ad dandam ejuſmodi licentiam.

Respondeo 3. Etiam tunc non eſt exigenda licentia pro correctione complicis, ſi pœnitenti ex ea licentia poſſet oriri tam grave damnum aut præjudicium, ut juxta ordinem charitatis non teneatur ſe exponere periculo probabili tam gravis incommodi ad præcavendum alienum periculum ſeductionis, aut ſcandali, niſi ob damnum enorme communitatis in caſu particulari per ſe teneatur cedere jure ſuo, ad famam cum aliquo ſuo præjudicio, prout *Roncaglia* & *Piſelli* circa obligationem denuntiandi obſervant.

Respondeo 4. Neque etiam tunc poteſt obligari pœnitens ad dandam eam licentiam, quando illa uſurpari nequit ſine periculo infamandi, aut redarguendi complicem, quin ſimul prodatur peccatum aliquod, utut leve, pœnitentis.

Respondeo 5. Neque ea licentia exigi poteſt; ſi nullus aut exiguus inde ſperatur fructus, v. g. ſi authoritas pœnitentis non faciat fidem ſufficientem ad invigilandum complici, aut ſi non appareat probabile malo remedium ſine periculo majorum malorum.

Respondeo 6. Univerſim in hac re poteſt ſervire hæc Regula. Nunquam poteſt ſub denegatione abſolutionis pœnitens adſtringi ad dandam licentiam utendi ſcientia circa complicem, niſi quando tenetur per ſe ad ejus denuntiationem aut correctionem ſtabilem idoneis mediis procurandam, & nullum aliud appareat medium, niſi ea licentia Confeſſario conferenda.

Quæritur 14. Quid agendum Confeſſario, ſi interrogetur à conſcio delictorum pœnitentis, an confeſſus ſit hoc vel illud peccatum?

Respondeo: Tenetur reſpondere cum S. Joanne Nepomuceno: *Non licet tibi de hac re me interrogare; nec mihi licet tibi de hac re reſpondere.* Ita reſpondendum eſſe rectè docet P. Orsius in Opuſculis editis contra P. Cattaneo circa *uſum materialem* verborum. Alii tamen Theologi plerique, etiam graves, docent, Confeſſarium poſſe dicere, *de peccatis meorum pœnitentium nihil ſcio*, nempe *ut homo*, ſeu notitia humana. Ita docet ipſe S. Thomas. Quodſi tamen Confeſſarius ex ejuſmodi interrogatione, vel admonitione advertat; pœnitentem reticendo ejuſmodi peccata ſacrilege fuiſſe confeſſum, eumque verſari in gravi periculo vitæ, ſi commode ſine fractione ſigilli fieri poteſt, eum ſub alio prætextu, v. g. conferendæ Indulgentiæ, inviſat, aut alios inſervientes moneat, ut ſe adhuc ſemel vocari faciant aut vocent; etiamſi ex ejuſmodi modo agendi evitari non poſſit apud conſcios delicti ſuſpicio de præcedente ſacrilega Confeſſione pœnitentis; quia, ut Scotus ſupra §. 6. q. 6. relatus rectè obſervat, ſigna de ſe indifferentia ac æquivoca in hujuſmodi circumſtantiis curanda non ſunt. Si verò pœnitens non ſit in periculo vitæ, ſolùm commendetur Deo.

Quæritur 15. An Confitenti ſictè, aut manenti in impœnitentia, danda ſit conſueta ſcheda teſtimonialis de Confeſſione?

Respondeo: Si non acceſſit animo confitendi, & teſtimonium recuſari poteſt ſine periculo

riculo gravis incommodi ex parte Confessarii, non licet Confessario uti ista æquivocatione reali. Si verò ex recusatione testimonii Confessarius timeret grave incommodum, licebit ei uti ista æquivocatione reali, sicuti licitè interdum utitur signo Absolutionis æquivoco erga eos, quibus differenda est Absolutio. Si verò pœnitens accessit animo verè confitendi, verè testatur de Confessione deposita, utut non fructuosa.

Quæritur 16. Quinam obligentur Sigillo?

Respondeo: Omnes, ad quos Sacramentalis Confessionis notitia mediatè vel immediatè, justè vel injustè, casu, vel ex proposito devenit.

Ratio est, quia juxta æstimationem communem Doctorum securitati publicæ tam utilis remedii non foret provisum à Christo sufficienter, nisi eam Religionis legem notitiæ Sacramentali respectu quorumcunque hominum alligasset. In specie autem obligantur illo Sigillo 1. Interpretes, per quos aliqui confitentur, licet ad hoc ut confiteantur per interpretem non obligentur. 2. Adstantes, si casu vel de industria aliquid audierint ex Confessione. Quod tamen si ex industria fiat, à peccato mortali excusari non potest. 3. Laici, qui simularunt se Sacerdotes excipiendo Confessiones. 4. Omnes, quibus à Confessariis incautè ac sacrilegè aliquid revelatum est. 5. Cui aliquod peccatum pœnitentis cum ejus licentia revelatum est ex causa ad Confessionem spectante, v. g. remedii, aut consilii causa. Si verò ea manifestatio facta est ex alio motivo habente annexam licentiam tacitam de ulteriore usu vel manifestatione ejusmodi notitiæ, licebit ea uti. 6. Qui legit annotata peccata in charta, ordinata pro memoria ad Confessionem subsequentem, vel coordinata ad Confessionem præcedentem.

Ratio est, quia providentia Christi pro securitate tranquilla tam utilis remedii ad sanctificationem Ecclesiæ videtur debuisse sub lege Sigilli comprehendere etiam hunc casum. 7. Superior, à quo petitur facultas absolvendi à casu reservato; si ex circumstantiis deveniat in notitiam pœnitentis. Ubi etiam notandum, quod jam supra Disput. 8. Q. 4. & Q. 15. observatum est, Superiorem in hoc casu non posse absque peccato mortali exquirere nomen pœnitentis, aut non necessarias pro reservatione vel relaxatione reservationis circumstantias, ex quibus facile deveniret in notitiam vel gravem suspicionem pœnitentis.

Quæritur 17. An Confessarius, si commiserit defectum in administratione Sacramenti, aut monere quidpiam necessarium oblitus sit, possit ea de re tractare extra Confessionem? vel saltem in proxima Confessione?

Respondeo: Distinguendum esse inter triplicis generis defectus. Nam *aliqui* versantur *circa valorem absolutionis*, v. g. si absolvit sine jurisdictione, aut oblitus est formæ Absolutionis. Alii cedunt *in damnum tertii*, v. g. obligando ad restitutionem, qui non fuerat obligandus, aut deobligando eum, qui fuerat obligandus. Tertii generis sunt; qui versantur tantum circa aliquam obligationem pœnitentis, v. g. si non obligavit pœnitentem ad exprimendum numerum vel speciem peccati, vel ad deferendam occasionem proximam. In quo tamen advertendum; quod, si omissio hujus obligationis vergit in periculum animæ pœnitentis, sicut circa neglectum vitandi occasionem proximam contingit, aut circa neglectum corrigendi ignorantiam vincibilem pœnitentis, hic defectus potius ad secundum genus referendum sit. Quamvis etiam in hoc genere discrimen faciendum sit inter damnum adhuc evitabile absque monitione Confessarii, & inter damnum moraliter inevitabile. Hac distinctione præmissa

Respondeo 1. Tertium genus defectuum, nisi exinde pœnitenti enascatur periculum animæ in futurum, & tantùm agatur de obligatione præterita inculpabiliter ex parte pœnitentis omissa, Confessarius non tenetur corrigere, extra Confessionem. Ita communis.

Ratio videtur esse; quia obligatio corrigendi ejusmodi defectus induceret frequentissimas repetitiones ac rememorationes priorum Confessionum, pœnitentibus molestissimas; idque sine notabili emolumento salutis animarum. Ergo non videtur esse prudenter intendibilis à Christo, si tamen sine scandalo pœnitentis fieri posset, error corrigendus esset in proxima Confessione. Si enim oriretur scandalum, præsumendum est, præceptum integritatis cedere præcepto charitatis.

Respondeo 2. Quando commissus est defectus, cedens in damnum spirituale vel temporale pœnitentis vel tertii, juxta communem Authorum Confessarius saltem tenetur eum defectum corrigere in proxima Confessione.

Ratio videtur fundari in expresso consensu pœnitentis, qui, si est verè pœnitens, eoipso tenetur esse paratus non solùm ad ea, quæ à Confessario injunguntur, sed etiam ad ea, quæ injungenda forent, & ad suscipiendam in foro Sacramentali errorum præcedentium correctionem.

Respondeo 3. Si non videatur, pœnitentem iterum rediturum in Confessione, & is moneri possit extra Confessionem, rogandus est primò pro colloquio in causa certi negotii; & si compareat, rogandus est vel pro licentia agendi de iis, quæ acta sunt in Confessione præterita, vel pro deponenda apud se denuo opportuno tempore Confessione, addendo, si alioquin pœnitens non speratur rediturus, se aliquid necessarium monere oblitum esse.

Respondeo 4. Si defectus commissus sit circa valorem Sacramenti, & pœnitens verse-

tur in periculo vitæ; aut si defectus versetur circa obligationem pœnitentis de futuro cum periculo salutis animæ, & offensæ divinæ, ea admonitio pœnitentis, de qua actum est *Resp.* 3., facienda est, quamprimùm fieri poterit sine gravi scandalo aut gravi perturbatione. Quia sic exigere videtur ordo charitatis.

QUÆRITUR 18. Quænam sit pœna fractionis Sigilli?

RESPONDEO: In C. *Omnis utriusque sexus*, violator Sigilli jubetur à Sacerdotio deponi, & in arctum monasterium detrudi. CONCILIUM LATERANENSE IV. in præfato C. sic habet: *Caveat Sacerdos omnino, ne verbo vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautus requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali Officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Hæ pœnæ, ut patet, sunt ferendæ sententiæ.

QUÆRITUR 19. Ex quibus causis Confessarius possit excusari à peccato mortali, ac consequenter à reservatione casus, vel incursione pœnæ quoad fractionem Sigilli?

RESPONDEO: Ex quinque causis. 1. *Ob imperfectionem seu indeliberationem actus*, v. g. si non advertisset ad fractionem Sigilli, nisi ea ipsa inadvertentia oriatur ex ignorantia crassa, aut certò graviter culpabili. 2. *Ob errorem probabilem juris de comprehensione casus sub obligatione Sigilli*, v. g. si credat, quosvis defectus naturales, aut peccata publica adminiculante notitia Sacramentali, aut virtutes & circumstantias connexas cum peccatis &c. non cadere sub Sigillo. 3. *Ob errorem probabilem circa licentiam pœnitentis*, v. g. si erroneè existimaret, in tali casu pœnitentem non fore, aut non posse effe rationabiliter invitum quoad usum notitiæ Sacramentalis. 4. *Ob errorem probabilem facti*, v. g. si erroneè existimaret, ex discursu non posse moraliter sequi præjudicium pœnitenti; aut revelationem personæ. 5. *Ob persuasionem probabilem de parvitate materiæ* quoad usum notitiæ Sacramentalis.



Appendix

ad

Tractatum de Pœnitentia.

Ubi continentur

I. Canones Pœnitentiales à Sæculo I. usque ad Sæculum XIII.

II. Directiones Confessariorum practicæ, ex S. Carolo Borromæo, S. Xaverio, S. Francisco Salesio, & aliis Moralistis, nec non ex variis Decretis Summorum Pontificum collectæ.

Pars I.

INDEX PARTIS I.

Appendicis
ad
Tractatum de Pœnitentia

Pars I.

ubi continentur

Canones Pœnitentiales à Sæculo I. uſque ad Sæculum XIII.

§. I.

De natura, objecto, & variatione Canonum Pœnitentialium.

1. Per Canones Pœnitentiales intelliguntur *Leges Eccleſiaſticæ primariò* ordinatæ ad punitionem Eccleſiaſticam graviorum criminum aut notoriorum aut denuntiatorum publicè in Eccle-

ſia

sia subeundam. *Secundariò* verò etiam ad expiationem graviorum peccatorum occultorum spontanea confessione saltem in articulo mortis confessorum, publicè aut privatim, prout videbatur Presbytero, faciendam.

2. Ejusmodi Leges Ecclesiasticas jam in usu fuisse primo Sæculo saltem circa gravia scandalosa crimina, aut *notoria*, aut *denuntiata*, colligitur ex Apostolo 1. Cor. 5., ubi à communione Fidelium aliquandiu separat incæstuosum *notorium*. Scribit enim: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Idem colligitur ex libro *Constitutionum Apostolicarum*, quas aliquis author sæculi II. in forma Dialogi compilavit. Ibi ad Episcopum l. 2. c. 16 dicitur: *Cum aliquem deliquisse videris, jube eum ejici foras. De sic ejecto doleant etiam Diaconi, eumque inquirant, & extra Ecclesiam contineant: postea verò in Ecclesiam ingressi pro eo rogent. Tunc jubebis eum ingredi, & facta examinatione, an pœniteat, castiga illum duarum, aut trium, aut quinque aut septem hebdomadarum, ut delicti genus aut ratio poposcerit, atque ita absolve eum.* Et c. 21. *Non sis facilis ad ejiciendum ex Ecclesia, non testimonium adversus illum sumens; nisi quod dictum sit à duobus aut tribus fidelibus testibus, quorum mores jam diu probati sint, & qui neque inimicitia, neque invidia moventur.* Et c. 37. *Episcopum oportet, non celeriter amputare, neque quibusvis credere. Igitur considera eum, qui accusatus est, & argue eum nemine præsente, ut pœniteat.* Et c. 39. *Sicut Ethnicum habe, qui de malo opere convictus est, nec tamen pœnitet. Si autem postea pœniteat, eum in Ecclesiam admittimus ad audiendum Verbum* (nempe Concionem); *sed tamen communionem in oratione non habeant, quin potius* (ab Ecclesia) *exeant post lectionem Evangelii.* Et c.41. *Si quis conversus fructum pœnitentiæ monstraverit, tunc etiam ad Orationem* (hoc est, ad Offertorium) *admittite; — Tandem per manus impositionem in antiquam pabulum* (Eucharistiam) *restitue, sicut Ethnicum Baptismo lotum, eritque ei loco lavacri impositio manuum.* In hoc, & pluribus ejusdem Authoris textibus indicantur quatuor gradus pœnitentiæ publicæ circa peccata graviora *notoria* vel *denuntiata*. Vide meum Opus: *Religio demonstrata.*

3. At verò Gradus illos pœnitentiæ publicæ saltem *secundariò* etiam ordinatos fuisse pro peccatis occultis spontanea confessione subjectis judicio Ecclesiæ colligitur ex celebri textu Tertulliani l. de pœnit. ubi sic scribit: *Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, pastum & potum pura nosse; plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, illachrimari, & mugire dies noctesque ad Dominum; Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut temporali afflictione æternum supplicia expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum condemnat, absolvit. Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis. An melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Similis est textus S. Irenæi l. 1. c. 9., ubi loquitur de mulieribus à Marcione seductis, quæ clandestinam impudicitiam confessæ sunt, licet de illa convinci vel argui non potuissent, si eam negassent; quia non omnes mulieres à Marcionitis ad hæresim pertractæ etiam ad impudicitiam seductæ sunt. Sic enim scribit: *Amatoria philtra efficit, ut & corporibus ipsarum contumeliam irroget, etsi hoc non faciat omnibus mulieribus. Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam confessæ sunt, se & corpore ab eo contaminatas esse, miroque ipsius amore exarsisse. Quin ipsius etiam Discipuli in iisdem studiis versantes mulierculas multas corruperunt, quæ cauterio quodam inustam conscientiam habentes partim publicè pœnitentiam egerunt, partim cum id præ pudore facere non sustinerent vel prorsus à fide defecerunt, vel certè in utramque partem propendent.*

4. Ad melius intelligendos hos Canones Pœnitentiales notandum est, quatuor fuisse gradus seu ordines pœnitentium. Primus gradus erat flentium, seu excommunicatorum, qui debebant stare in atrio Ecclesiæ ante majorem portam, ibique rogare introeuntes, ut pro se orarent. Secundus gradus erat audientium, qui stabant in porticu Ecclesiæ, ut audirent concionem, qua finita post Evangelium discedere jubebantur cum Catechumenis. Tertius gradus erat substratorum, qui stabant intra portam templi, &, sicut Audientes, finita concione post Evangelium pariter jubebantur discedere cum Catechumenis. Quartus gradus erat consistentium, quibus etiam finito Evangelio licebat interesse toti sacrificio Missæ usque ad Communionem, quæ ipsis adhuc interdicta erat. Tunc enim ipsi, & omnes alii non communicantes discedebant, cum antiquis temporibus Missa jam fuerit finita in sumptione sacri calicis facta per Sacerdotem. Ad hunc ultimum autem gradum pœnitentium communiter adstringebantur ii, qui confitebantur solùm peccata interna, aut externa occulta. Hoc enim modo occultabantur gravia peccata, cum multi etiam devoti à S. Communione abstinerent ex motivo majoris reverentiæ erga hoc SS. Sacramentum.

5. Cæterùm quantitas & duratio pœnitentiæ peragendæ perpetuò variabat pro diversa exigentia temporum, & pro diverso rigore Episcoporum, ac Conciliorum. Quando enim ipsimet Imperatores ac Reges sæculo VII. & VIII. pœnis pecuniariis aut corporalibus severè punire incipiebant varia delicta apud Ethnicos impunita aut levissimè castigata, remittebat suum rigorem Ecclesia, ne idem delictum bis puniretur. Sed cum Carolus M. in Conventu Aquisgranensi anno 797. c. 14. statueret Legem, ut circa delicta, quibus statuta fuerat pœna mortis vita ei concedatur, qui de criminibus latenter commissis pœnitentiam agere voluerit, rigor Canonum pœnitentialium denuo restauratus est. At verò cum partim observantia Legum Imperialium, partim Ecclesiasticarum denuo in desuetudinem abiret, reperti sunt Collectores Canonum Pœnitentialium, qui eidem peccato diversas pœnitentias adscriberent, pro diversitate priorum temporum & autorum varias, & Sacerdotes eam eligerent, quæ magis conveniret qualitati criminum & personarum pœnitentium. Hæc causa variationis præcipua

cipua est. Accedebat tamen alia ex usu Indulgentiarum, quibus Sæculo duodecimo relaxari incipiebant pœnitentiæ injunctæ per commutationem in alia opera ardua, v. g. ob susceptionem armorum propriis sumptibus ad bellum sacrum.

§. II.

Observationes generales circa usum Canonum Pœnitentialium antiquum.

Qui attentè perlegere voluerit hos Canones Pœnitentiales, observare suis locis poterit sequentia:

1. Nullos, ne quidem Clericos, exemptos fuisse à Confessione privata peccatorum etiam occultorum.

2. Plurimos Confessionem distulisse usque in articulum mortis.

3. Extitisse Præceptum Divinum & Ecclesiasticum, confitendi saltem in articulo mortis.

4. Nullum licuisse absolvere in articulo mortis, nisi qui vel præsente Presbytero, vel *paulo ante manifestis* signis pœnitentiam postulasset.

5. Absolutos in articulo mortis fuisse obligatos ad præstandam satisfactionem congruam, si reconvalescerent ab infirmitate.

6. Etiam eos, qui non obligabantur ad Pœnitentiam solennem, fuisse tamen obligatos ad pœnitentias Canonicas, si quas incurrissent.

7. Pœnitentiam solennem tantùm fuisse ordinatam pro gravioribus quibusdam delictis ad eum modum, quo nunc ad graviores pœnitentias ordinantur *Casus reservati*.

8. Itaque peccata olim ab Ecclesia reservata judicio Episcoporum in ordine ad pœnitentiam solennem prorsus idem erant ac nunc à septem sæculis sunt *Casus reservati* Episcopis & Summo Pontifici.

9. Et sicut ab initio Ecclesiæ ad pœnitentiam solennem solùm reservata fuerunt *Idololatria*, *homicidium*, *mœchia*, quæ crimina successivè extendebantur latius ad inferiores species, aut malitia pares; ita etiam in Diœcesibus variis reservatio ad tria genera, *hæresin* loco idololatriæ, quæ desiit, *homicidium*, & omne peccatum habens annexam excommunicationem majorem restringitur.

10. Ad pœnitentiam solennem non solùm fuisse *reservata* publica peccata, aut denuntiata, sed etiam occulta, dummodo in actum externum prodiissent.

11. Nullibi tamen reperiuntur ad pœnitentiam solennem *reservata* fuisse peccata solùm interna.

12. Ab agenda solenni pœnitentia excipiebantur quidem Clerici in sacris Ordinibus constituti, si eorum delicta, de se quidem *reservata* ad solennem pœnitentiam, fuerant ita occulta, ut deblte probari non possent.

13. Si tamen eorum delicta erant notoria, aut debitis indiciis probata, deponebantur à Clericatu, & sic depositi redigebantur ad Communionem Laicam, indulta tamen, nisi aliter Episcopis videretur, solenni pœnitentia.

14. Si quis ante Clericatum commisisset peccatum *reservatum* ad pœnitentiam solennem, contrahebatur simul inhabilitas ad statum Clericalem, seu, ut nunc vocatur, *irregularitas*.

15. Ea irregularitas non solùm contrahebatur ex homicidio, sed etiam ex omni delicto *reservato* ad pœnitentiam solennem.

16. Hinc si quis stante tali irregularitate ex delicto suscepisset Sacros Ordines, quamvis ex reticentia ejusmodi irregularitatis in susceptione Ordinum non incurrerit aliam censuram, tamen opus habebat dispensatione seu concessione Episcopi, ut posset ministrare in Ordine.

17. Inter Laicos à solenni pœnitentia, si peccata fuerant occulta, aut non debite probata, excipiebantur juvenes, mulieres, conjugati nisi accederet consensus compartis, servi, & existentes in aliena potestate, ac universim omnes constituti in dignitate, officio, aut gradu non satis compatibili cum statu pœnitentis publici.

18. Si tamen delicta *reservata* erant publica, aut denuntiata & sufficienter probata, nec juvenes, nec pueri, nec fœminæ, nec conjugati, nec constituti in dignitate excipiebantur à pœnitentia solenni, nisi per dispensationem Episcopi

19. Si qui Laici excipiebantur à pœnitentia solenni, ordinariè tamen non excipiebantur à pœnitentia Canonica minus strictè dicta, quæ consistebat in sequestratione à communione, à qua multi in Latina Ecclesia, ac etiam primis quinque sæculis in Græca, ultro ex devotione abstinebant.

20. Omnes in ipsa receptione pœnitentiæ absolvebantur sacramentaliter per impositionem manuum quæ tunc temporis requirebatur ad valorem Sacramenti per modum signi practici & authoritativi; collativi gratiæ, & preces sacerdotis.

21. Durante statu pœnitentiæ communiter obligabantur ad abstinendum à malitia, negotiatione, usu matrimoniali, vanis spectaculis, pompa &c. nisi per dispensationem Episcopi circa usum matrimonii, militiam aut mercaturam dispensaretur. Militia autem & negotiatio tantùm prohibebatur ob periculum respectivum, seu potius ob assecurationem majorem de vitanda offensa Dei.

22. Pœnitentiam solennem licebat tantum semel agere toto vitæ tempore. Privata tamen permittebatur frequens; quamvis consuetudinariis non frequens indulta fuerit absolutio.

23. Elapso præfinito tempore solennis pœnitentiæ pœnitentes in Cœna Domini absolvebantur *Indulgentialiter* à reatu pœnæ aut satisfactionis post absolutionem sacramentalem residuæ.

24. Ea absolutio vocabatur *reconciliatio*, qua pœnitens simul admittebatur ad Sacram communionem Eucharistiæ.

25. Hinc isti termini, *reconciliatio*, *communio*, *perfectio &c.* sumebantur promiscuè, in quantum pœnitens per illam absolutionem Indulgentialem pœnitens restituebatur participationi Sacramentorum, & communioni cæterorum fidelium quoad

quoad usum Eucharistiæ. In morte vocabatur *viaticum*.

26. Ab ea reconciliatione aliquando excludebantur quidam pœnitentes in articulo mortis.

27. Observari potest; Hispanos in modo pœnitentiæ fuisse valde rigidos, ut patet ex Conciliis Illiberitano, & Toletanis, ita ut in his posterioribus pœnitentes etiam perpetuo arcerent à conjugio contrahendo; & obligarent ad assumendum habitum & statum monasticum.

28. Non obstante severitate Pœnitentiæ solennis reperiebantur tamen Pœnitentes spe Indulgentiæ plenariæ.

29. Sed sæculo octavo, quo delicta reservata ad pœnitentiam solennem, sufficienter puniri cœperunt per Leges Civiles Christianorum Imperatorum, Regum & Principum; rigor Ecclesiæ quoad pœnitentias solennes imminuit.

30. Cum tamen Carolus M. declararet Lege publica, se condonare vitam capitalium criminum reis, si haberent testimonium de peracta solenni pœnitentia à loci presbytero, fiebat, ut usus solennis pœnitentiæ non omnino deficerent usque ad Sæculum XIII.

31. Quando delicta reservata ad pœnitentiam solennem plecti cœperunt per leges civiles, moderatio Canonum Pœnitentialium non tam erat relaxatio severitatis, quàm actio, & pœnæ Ecclesiasticæ, utut moderatioris, ad pœnas civiles additio.

32. Ea moderatio fieri cœpit sæculo octavo per commutationes pœnitentiæ Canonicæ in eleemosinas aut preces.

33. Quibus commutationibus privato Episcoporum aut presbyterorum arbitrio factis substituere Romani Pontifices determinata alia opera pia pro obtinendis indulgentiæ plenæ remissionibus requisita à Sæculo XII. usque in præsens.

34. Observari poterit; Sæculo octavo potissimum originem habuisse *Pœnitentialia*, seu Collectiones Canonum Pœnitentialium, eaque confusissima. Cum enim Canones Pœnitentiales partim per consuetudinem, partim per moderationes Episcoporum à pristino vigore deflecterent; sicque leges fixæ deficerent, varii Episcopi & Doctores conabantur diversos Canones, & diversas observantias in unam *Summam* colligere, ut Confessarii inde possent seligere, quod profectui animarum congruentius judicarent.

35. Si quis tamen attentè consideret, sola Roma per os Summorum Pontificum semper & moderatior, & constantior, & disciplinæ tenacior perstitit, quod monstrant Decreta Siricii, Innocentii I. Leonis I. Gregorii II. Zachariæ, Stephani II. Hadriani II.

Hæc & plura alia attentus Lector colliget ex ista connaturali serie Canonum Pœnitentialium; ex quibus etiam facile deprehendet, errasse ambas è diametro oppositas sententias, *Rigorosiorum* videlicet plus æquo Theologorum, qui duce Arnaldo existimant, omnia peccata mortalia obnoxia fuisse pœnitentiæ Canonicæ publicæ, & segregationi à S. Communione; aliorum verò *laxiorum*, quibus nomen suum in hoc puncto commodat etiam PETAVIUS l. 6. de Pœnit. c. 3. & FRANCOLINUS in *Clerico Romano* atque in *Libris tribus* de Pœnit. adstruentium; Pœnitentiam solùm actam & impositam fuisse pro peccatis publicis & scandalosis. Neutrum enim admittit traditio; sed monstrat; eam pœnitentiam agi debuisse pro peccatis actu externo commissis, etiam occultis, ob sui gravitatem tamen specialiter reservatis judicio & solenni castigationi Ecclesiæ, nisi ab ea reservatione exemptionem exigeret delegatio generalis vel specialis Episcopi.

§. III.

Canonum Pœnitentialium vestigia in Epistolis D. Pauli, in Edicto Zephirini Papæ, & in Decretis S. Cypriani.

D. Paulus nullos quidem Canones Pœnitentiales in suis Epistolis edidit in iisdem tamen à se editos fuisse non obscure insinuat. In Epistola 2. ad Cor. c. 12. & 13. sic scribit: *Timeo, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos, & ego inveniar à vobis, qualem non vultis; ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos., Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. Ecce tertio venio ad vos. Prædixi enim, & prædico, ut præsens vobis, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* His verbis Apostolus non obscure minatur pœnam Ecclesiasticam iis, quos obligat ad pœnitentiam ob varia crimina, partim notoria, partim denuntiata, partim etiam occulta, qualia esse solent *immunditia* & *impudicitia*. Talem pœnitentiam Ecclesiasticam statuerat in notorium incæstuosum, eum separando à communione Sacramentorum & fidelium. *Jam judicavi*, inquit, *eum, qui sic operatus est, tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* 1. Cor. 5. Dein addit: *Scripsi vobis, non commisceri; si is, qui frater nominatur inter vos; est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Hanc verò separationem non solùm fuisse externam quoad conversationem civilem, sed Ecclesiasticam quoad exclusionem precum & Eucharistiæ & varia opera pœnitentiæ solennis præcedente judicio sacramentali ultroneo, tacite indicat 1. Cor. 11. illis verbis: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Si nosipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et Hebr. 6. *Impossibile est, eos qui prolapsi sunt, rursus* (per novum Baptisma tam facile) *renovari ad pœnitentiam.* Et c. 11. *Ideo in disciplina perseverate. Omnis disciplina præsentis temporis non videtur esse gaudii, sed mœroris: propter quod remissas manus & soluta genua erigite, ut non claudicans quis erret, magis autem ut sanetur.* Si hæc verba seorsim secundum se spectentur, variam quidem expositionem recipiunt, si autem conferantur ad observantiam Ecclesiæ circa status pœnitentium, de quibus ex Constitutionibus Apostolicis, Irenæo, Tertulliano, & Canonibus 50. Apostolorum jam secundo sæculo indubitata extant documenta, prouum est,

est, ab Apostolo ad pœnitentiam solennem iis verbis respici. Ex quo sequitur; ad pœnitentiales Canones Apostoli pertinuisse varia crimina, ut sunt immunditia, impudicitia, rapina, furtum, ebriositas, fornicatio, seditio &c.

Editum Zephyrini Papæ.

Zephyrinus Papa rexit Eccesiam ab anno 201. usque ad annum 219. De ejus edicto scribit Tertullianus in l. de *Pudicitia*, his verbis: *Audio, Edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* De sensu hujus Edicti more suo eruditissime disserit P. Orsius in l. *de Capitalium criminum absolutione*; censetque, ea verba sic exponenda esse: Audio, *etiam* Edictum esse propositum, id est, ad veterem morem, quo Psychici, Romanæ Ecclesiæ sequaces, tenebantur jam ab antiquo tempore, etiam Edictum accessit, ut non ex consuetudine tantum, ut antea, sed etiam ex Pontificis maximi Edicto, cui refragari nemo audeat, adulteris janua reconciliationis aperiatur. Qualiscunque autem demum sit sensus borum verborum, quæ ego de absolutione Indulgentiali explico, ita ut mœchis & fornicariis præfinito certo pœnitentiæ solennis tempore concederetur absolutio Indulgentialis cum participatione Eucharistiæ, etiam extra tempora instantis persecutionis, quod non indulgebatur homicidis, & Idololatris, nisi in articulo mortis; illud demum exinde certum est, mœchiam, quam Tertullianus l. c. frustra excipi clamat à consortio homicidii & Idololatriæ, primis jam duobus sæculis simul cum his duobus criminibus ad pœnitentiam solennem reservatam fuisse.

Responsum Cleri Romani ad D. Cyprianum anno 250. de Pœnitentia lapsorum in persecutione.

In Epist. 31. inter eas Cypriani sic scribit: Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim in suspenso eorum, qui moras dilationis possunt sustinere, causa teneatur. Eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrimis, si gemitibus, si fletibus, dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum cautè & solicite subveniri; Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera. Hæc verba Cleri Romani, scripta Sede vacante, benc notari merentur, cum nec absolutis absolutione Indulgentiali plenaria etiam post actam diuturnam pœnitentiam spondeat certam remissionem plenariam in Judicio Divino. Qualem autem ab ejusmodi lapsis expectet pœnitentiam ante reconciliationem, declarat Epistola 30. ad D. Cyprianum his verbis: Tempus est igitur, ut agant delicti pœnitentiam; ut probent lapsus sui dolorem, ut ostendant verecundiam, ut monstrent humilitatem, ut exhibeant modestiam, ut sua submissione provocent in se Dei Clementiam, & de honore debito in Dei sacerdotem eliciant in se divinam misericordiam.

§. IV.

Canones Pœnitentiales D. Gregorii Thaumaturgi.

D. Gregorius Thaumaturgus floruit Sæculo III. circa annum 235. Scripsit Canones Pœnitentiales occasione variorum peccatorum, quæ commissa fuerant à suis Diœcesanis Neocæsariensibus durante irruptione Gothorum & Borodorum. Ex his Canonibus colliguntur duo 1. quod Canones Pœnitentiales sint multo antiquiores Sæculo III. quia D. Gregorius supponit, eos ubique vigere; ita ut tantùm faciat eorumdem moderationem aut declarationem. 2. Quod non solùm peccatores publici, accusati & convicti subjecti fuerint pœnitentiæ Canonicæ, sed etiam occulti, Epistola D. Gregorii sic habet:

Epistola Canonica Sancti Gregorii Archi-Episcopi Neocæsariensis, qui Thaumaturgus dictus est, de iis, qui in Barbarorum incursione idolothyta Comederant, & alia quædam peccata Commiserant.

Canon I.

Non cibi nos gravant, sancte Papa, si Captivi ea comederint, quæ qui in eos dominium obtinent, eis apposuerunt, maximè quando una de omnibus fama est barbaros, qui in nostra regione incursiones fecerunt, idolis non sacrificasse. Dicit autem Apostolus escæ ventri, & venter escis, Deus autem & bunc & has destruet. Sed Servator quoque omnes cibos mandans, non quod intrat, inquit, Coinquinat hominem, sed quod egreditur. Et hoc quoque, quòd Captivæ mulieres corruptæ fuerunt, barbaris earum corporibus insolentur abutentibus. Sed si prius quoque alicujus damnata vita fuerat, abeuntis post oculos fornicatorum, sicut perscriptum est, tunc fornicatio suspecta est etiam tempore Captivitatis; & non oportet facilè Orationibus (in Consistentia) cum ejusmodi communicare. Sed si aliqua, quæ in summa continentia vixerit, & puram ab omnique suspicione alienam priorem vitam ostenderit, nunc vi & necessitate ad probrum contumeliamve lapsa sit, habemus exemplum, quod est in Deuteronomio de adolescentula, quam homo in agro invenit, & ea vi compressa cum ipsa dormiit. Adolescentulæ, inquit, nihil facietis: non erit adolescentulæ peccatum mortis: quia quemadmodum si quis bomo adversus proximum suum insurrexerit, & ipsius animam morte affecerit, si hanc rem adolescentula proclamavit, & non erat, qui ei opem ferret. Hæc quidem certe ita se babent.

Canon II.

Gravis est avaritia, & plura habendi cupiditas, nec possunt una Epistola proponi Scripturæ, in

in quibus non folùm prædari fugiendum, horrendumque prædicatur, fed plura etiam concupifcere, & aliena propter lucrum attingere: & quicunque eft ejusmodi, & eft à Dei Ecclefia abdicatus. In tempore autem incurfionis, in tanto luctu tantisque fletibus, aufos effe aliquos tempus, quod omnibus exitium afferebat, exiftimare effe fibi lucri tempus, eft hominum impiorum & Deo inviforum, & quorum improbitati nihil poteft adjici. Unde eis omnibus ejusmodi interdicere vifum eft, eosque abdicare, ne forte ad totum populum ira veniat, & in eos primum qui præfunt, & non inquirunt. Vereor enim, ut ait Scriptura, ne impius juftum una fecum perdat, fornicatio enim, inquit, & avaritia, per quæ venit ira Dei ad filios inobedientiæ: ne fitis ergo eorum participes, fuiftis enim aliquando tenebræ: nunc autem Lux in Domino. Ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis eft in omni bonitate & juftitia, & veritate) probantes quod fit Deo acceptum: & ne communicate infrugiferis operibus tenebrarum, fed potius etiam redarguite. Quæ enim ab ipfis fiunt clanculum, turpe eft vel dicere. Omnia autem à luce convicta manifeftantur. Hæc quidem Apoftolus. Si autem qui propter priorem plura habendi cupiditatem, quæ in pace fuit, pœnam dant, in ipfo iræ tempore rurfus ad avaritiam convertuntur, lucri facientes ex fanguine, & pernicie everforum hominum, captivorum, interfectorum, quid aliud exfpectandum eft, quàm ut avaritia decertantes iram fibi & univerfo populo accumulent?

Canon III.

Nonne ecce Achan Zaræ filius in eo, quod Deo dedicatum erat, peccavit, & in omnem Ifraël Synagogam pervenit? Atqui hic unus folus peccavit, fed non folus in fuo peccato eft mortuus. Nobis autem quidquid non noftrum, fed alienum eft, ab hoc tempore lucrum Deo dedicatum effe exiftimandum eft. Nam & ille quidem Achan ex præda accepit, & ipfi nunc ex præda accipiunt. Ac ille quidem, ea quæ erant hoftium: qui verò nunc funt, ea quæ funt fratrum, perniciofo lucro lucrifacientes.

Canon IV.

Nemo feipfum feducat, neque tanquam invenerit: neque enim fas eft ei, qui invenit, lucrifacere, ait Deuteronomium: vifo fratris tui vitulo, & ove errante in via, ea ne defpexeris, fed ea reftitutione reftitues fratri tuo. Sin autem frater tuus ad te non approximet, neque ipfum noveris, coges ipfa, & erunt tecum, donec ea frater tuus quæfierit, & reddes ea: & fic facies de ejus afino, & fic facies de ejus vefte: & fic facies poft omnem perditionem fratris, quæcunque ipfi perierint, & tu ea inveneris. Hæc Deuteronomium. In Exodo autem, non folùm fi quis res fratris, fed etiam inimici invenerit, reftitutione, inquit, reftitues ipfa domui Domini ipforum. Si autem ab eo, qui in pace, & in otio delicatè vitam tranfigit, vel etiam ab inimico non licet lucrari, quanto magis ab eo, qui rebus adverfis premitur, & fugit, & neceffitate coactus propria relinquit?

Canon V.

Alii autem feipfos feducunt, pro propriis, quæ perierunt, aliena, quæ invenerunt, detinentes. Ut quoniam Boradi & Gotthi eis hoftilia fecerunt, ipfi fint aliis Boradi & Gotthi. Propterea ergo fratrem, & Confenem noftrum Euphrofinum, ad vos mifimus, ut fecundum formam, quæ hic eft ei fimilis, det, & quorum accufationes admittere oporteat, & quos à precibus abdicare.

Canon VI.

De iis, qui captivos ex barbaris fugientes vi detinent. Denunciatum eft nobis, quidpiam factum effe in veftra regione incredibile, vel utique ab infidelibus, vel impiis, & qui ne nomen quidem Domini novere, quòd nonnulli eò inhumanitatis crudelitatisque proceffere, ut captivos aliquos, qui effugerunt, vi retineant. Mittite aliquos in regionem, ne vel fulmina in eos cadant, qui hæc agunt.

Canon VII.

De iis, qui inter barbaros annumerati funt, & abfurda quædam in eos, qui funt fui generis, fecerunt. Eos itaque, qui inter barbaros annumerati funt, & cum eis in captivitate invaferunt, obliti fe effe Ponticos & Chriftianos, efferati autem barbarique redditi, ut & eos, qui funt fui generis, vel ligno, vel fuffocatione interficiant, vias autem vel domos nefcientibus barbaris oftendant, etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis Congregatis fanctis aliquid communiter vifum fuerit, & ante eos Spiritui Sancto.

Canon VIII.

De iis, qui alienas domos aggredi aufi funt in barbarorum incurfione. Eos autem, qui alienas domos invadere aufi fuerint, fi accufati quidem convicti fuerint, nec auditione dignoa exiftimare. Sin autem feipfos enunciarint, & reddiderint in eorum, qui convertuntur, ordinem fubfterni.

Canon IX.

De iis, qui in agro vel ædibus ea, quæ à barbaris relicta funt, invenerunt. Eos autem, qui in campo aliquid invenerunt, vel in fuis ædibus à barbaris relictum: fi accufati quidem convicti fuerunt, fint fimiliter in iis, qui fubfternuntur. Sin autem feipfos enunciarint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur.

Canon X.

Eos autem, qui fervant mandata, abfque omni turpi lucro fervare oportet, nec indicationis vel cuftodiæ, vel inventionis pretium vel quocunque nomine appellant exigentes.

Canon XI.

Fletus seu luctus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, stare, usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Subjectio autem, seu substratio est, ut intra templi portam stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio seu consistentia est, ut cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio Sacramentorum.

§. V.

Canones Pœnitentiales Concilii Eliberitani.

CONCILIUM ELIBERITANUM, seu Illiberitanum celebratum est in Hispania circa annum 300, prout eruditissimè demonstrat P. OASIUS *de Capitalium Criminum absolutione* Sect. 4. c. 1. Digressione 5. n. 2. Coactum est occasione lapsorum in persecutione decennali, indicta à Diocletiano. Summa horum Canonum est, quod lapsi tempore persecutionis per abnegationem Fidei recepti quidem fuerint ad pœnitentiam solennem, in qua receptione absolvebantur Sacramentaliter, prout ostensum est *Disput. 6.*; attamen pro diversitate criminum tam longo tempore exercebantur in pœnitentia solenni, ut eorum aliqui ne quidem in articulo mortis admissi fuerint ad *reconciliationem*, hoc est, ad absolutionem Indulgentialem, quæ fiebat in Cœna Domini ab Episcopo, & ad Communionem aliorum Fidelium quoad participationem Eucharistiæ. Canones hujus Concilii, cui interfuisse scribuntur Episcopi XLIII, sic habent:

1. Placuit inter eos, qui post fidem Baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale (quia est summum scelus) placuit, nec in fine eum communionem accipere.

2. Flamines qui post fidem lavacri & regenerationis sacrificaverunt; eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio; vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

3. Item flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum dederint; eo quod se à funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit, in fine eis præstari communionem; facta tamen legitima pœnitentia. Item ipsi, si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur.

4. Item flamines, si fuerint Catechumeni, & se sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad Baptismum admitti debere.

5. Si qua domina furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut in tertium diem animam cum cruciatu effundat; eo quod incertum sit, voluntate, an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

6. Si quis verò maleficio interficiat alterum; eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.

7. Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit, nec in fine habere eum communionem.

8. Item fœminæ, quæ, nulla præcedente causa, reliquerint viros suos, & se copulaverint alteris, nec in fine accipiant communionem.

9. Item fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem & alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de sæculo exierit; nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.

10. Si ea, quam Catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc & circa fœminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quæ ducitur, ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & cum scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit; placuit, huic nec in finem dandam esse communionem.

11. Intra quinquennii autem tempora, catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei Baptismum placuit, non denegari.

12. Mater, vel parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit, eas nec in fine accipere communionem.

13. Virgines, quæ se Deo dicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint; non intelligentes quod amiserint, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasæ, aut infirmi corporis lapsu vitiatæ, omni tempore vitæ suæ hujusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit, eas in fine communionem accipere debere.

14. Virgines, quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos; eo quod solas nuptias violaverint, post annum, sine pœnitentia, reconciliari debebunt. (al. l. post pœnitentiam unius anni reconcilientur.) Vel si alios cognoverint viros; eo quod mœchatæ sint, placuit, per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem oportere.

15. Propter copiam puellarum, Gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt Virgines Christianæ, ne ætas in flore tumens in adulterio animæ resolvatur.

16. Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas esse puellas: sed neque Judæis, neque Ethnicis, dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint

fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

17. Si qui forte Sacerdotibus idolorum filias suas junxerint, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem.

18. Episcopi, Presbyteri, & Diacones de locis suis, negotiandi causa, non discedant; nec circumeuntes provincias, quæstuosas nundinas sectentur. Sane ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant: & si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

19. Episcopi, Presbyteri, & Diacones, si in ministerio positi, detecti fuerint, quòd sint mœchati, placuit, & propter scandalum, & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

20. Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit, correctus jam, se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit, ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum.

21. Si quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.

22. Si quis de Catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit, huic pœnitentiam non esse denegandam; eo quod cognoverit peccatum suum. Qui etiam decem annis agat pœnitentiam. Cui post decem annos præstari communio debet. Si verò infantes fuerint traducti, quod non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

23. Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti, ob quorumdam infirmitatem.

24. Omnes, qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minima sit cognita vita, placuit, ad Clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

25. Omnis qui attulerit litteras confessionis, sublato nomine Confessoris (eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices) communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

26. Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die superpositiones celebremus.

27. Episcopus, vel quilibet alius Clericus, aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo, tantum secum habeat; extraneam nequaquam habere placuit.

28. Episcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.

29. Energumenus, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare, cum oblatione, recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret.

30. Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati; eo quod postmodum, per subreptionem, ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.

31. Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem admitti.

32. Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.

33. Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.

34. Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.

35. Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent; eo quod sæpe sub obtentu orationis latenter scelera committant.

36. Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.

37. Eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si fideles fuerint, dandam esse communionem: prohibendum etiam, ne lucernas hi publice accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineant à communione.

38. Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem proficere possit.

39. Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi; si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit, eis manum imponi, & fieri Christianos.

40. Prohiberi placuit, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non referant; si post interdictum fecerint; per quinquennii spatia temporum à communione esse arcendos.

41. Admoneri placuit fideles, ut, in quantum possint, prohibeant ne idola in domibus suis habeant: si verò vim metuunt servorum, vel seipsos puros conservent; si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur.

42. Eos qui ad fidem primam credulitatis accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium placuit ad Baptismi gratiam admitti debere; nisi infirmitate compellente coegerit ratio, vel ocius subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti.

43. Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non quadragesimam, nisi quinquagesimam. Qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur.

44. Meretrix, quæ aliquando fuerit, & postea habuerit maritum; si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

45. Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Ecclesiam accesserit, si eum de Clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit, ei Baptismum non negari, eo quod in veterem hominem deliquisse videatur.

46. Si quis fidelis apostata, per infinita tempora, ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit idololatra, post decem annos, placuit communionem accipere.

47. Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non ludere (al. l. edere) eum de communione pacis.

48. Emendari placuit, ut qui baptizantur, (ut fieri solebat) nummos in concham non immittant; ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt à Sacerdotibus, sed Clericis.

49. Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos à Deo percipiunt, à Judæis benedici; ne nostram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab Ecclesia abjiciatur.

50. Si vero quis Clericus vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum à communione abstinere, ut debeat emendari.

51. Ex omni hæresi fidelis si venerit, minime est ad Clerum promovendus: vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur.

52. Hi, qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.

53. Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis accipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quod si alius Episcopus præsumpserit eum admitti, illo adhuc minime sciente, vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres cum status sui periculo præstaturum.

54. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur. Si tamen iidem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes: si in eisdem fuerit vitium, & polluerint se, superior sententia servetur.

55. Sacerdotes qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid ad idola præstant, placuit post biennium accipere communionem.

56. Magistratum vero uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.

57. Matronæ, vel earum mariti, ut vestimenta sua ad ornandam sæculariter pompam non dent; & si fecerint, triennio abstineantur.

58. Placuit, ubique, & maxime in eo loco, in quo prima Cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant; suo testimonio comprobati.

59. Prohibendum, ne quis Christianus ut Gentilis ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat, & videat. Quod si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos; acta pœnitentia, recipiatur.

60. Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus; quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.

61. Si quis post obitum uxoris suæ, sororem ejus duxerit, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium à communione placuit abstinere; nisi forte dari pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis.

62. Si auriga (al. l. augur) & pantomimus credere voluerint, placuit, ut prius actibus suis (al. l. artibus suis) renuntient, & tunc demum suscipiantur; ita ut ulterius ad ea non revertantur. Qui si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia.

63. Si qua mulier per adulterium, absente marito, conceperit, idque post facinus occiderit; placuit, neque in fine dandam esse communionem; eo quod geminaverit scelus.

64. Si qua mulier usque in finem mortis suæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem, acta legitima pœnitentia.

65. Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & scierit eam maritus suus mœchari, & non eam statim projecerit, nec in fine accipiat communionem; ne ab his, qui exemplum bonæ conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.

66. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem.

67. Prohibendum, ne qua fidelis, vel Catechumena aut comatos, aut viros cinerarios habeant. (al. l. comicos aut viros scenicos habeant.) Quæcumque hoc fecerint, à communione arceantur.

68. Catechumena, si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, (al. l. præfocaverit) placuit in fine baptizari.

69. Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit, eum quinquennium agere de ea re pœnitentiam; & sic reconciliari; nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas observandum.

70. Si cum conscientia mariti uxor fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam esse communionem: si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

71. Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse communionem.

72. Si qua vidua fuerit mœchata, & eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit, eam communioni reconciliari: si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam esse communionem: vel si fuerit ille fidelis, quem accepit, communionem non accipiat, nisi post decem annos, acta legitima pœnitentia; nisi infirmitas coegerit velocius dari communionem.

73 De-

73. Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si Catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad Baptismum.

74. Falsus testis, prout est crimen, abstinebitur: si tamen non fuerit mortale quod objecit, & probaverit, quod non tacuerit, biennii tempore abstineatur: si autem non probaverit Conventui Clericorum, placuit, per quinquennium abstineri.

75. Si quis autem Episcopum, vel Presbyterum, aut Diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem.

76. Si quis Diaconum se permiserit ordinari; & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.

77. Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de sæculo recesserint, sub fide, qua quis credidit, poterit esse justus.

78. Si quis fidelis, habens uxorem, cum Judæo vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit dominicæ sociari communioni.

79. Si quis fidelis alea, id est, tabula luserit nummos, placuit, eum abstineri: & si emendatus cessaverit, post annum poterit reconciliari communioni.

80. Prohibendum est, ut liberti, quorum patroni in sæculo fuerint, ad Clerum non promoveantur.

81. Ne fœminæ suo potius, (al. l. quam) absque maritorum nominibus, Laicis scribere audeant: quæ (al. l. qui) fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

§. VI.

Canones Pœnitentiales D. PETRI, ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI, & Martyris.

Cùm anno 302. Diocletianus in ipso die Paschatis secundam suam persecutionem indiceret, & multi in ea persecutione lapsi redirent ad pœnitentiam, D. Petrus ejusmodi pœnitentibus modum & tempus præscripsit pœnitentiæ, quem observare deberent. Canones illius, editi anno 306. sic habent:

CANON I. Quoniam jam quartum Pascha persecutionem attigit, satis est iis, qui delati quidem sunt, in custodiamque conjecti, tormentaque non sufferenda, & intolerabilia flagella, & multas alias graves necessitates sustinuerunt, postea autem à carnis imbecillitate proditi, etiamsi non initio suscepti sunt propter gravem lapsum consecutum, tamen quia multùm decertaverunt, & diu restiterunt (non enim sponte ad ea pervenerunt, sed à carnis imbecillitate proditi) nam & stigmata Jesu in suis Corporibus ostentant, & anno jam tertio deflent, si eis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies injungantur (quos cùm jejunasset Dominus noster Jesus Christus, postquam baptizatus fuerat, tentatus est à Diabolo) in quibus & ipsi, cùm valde exercitati fuerint, & constantius jejunaverint, vigilabunt in orationibus deinceps meditantes, quo dicitur à Domino ad eum, qui illum tentat, ut ipsum adoret: *Abi retro Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & ibi soli servies.*

CANON II. Iis autem, qui postquam in custodiam traditi, & in carcere, tanquam in obsidione, afflictiones, gravesque fœtores passi sunt, postea autem sine bello tormentorum, captivi facti sunt nimia virium inopia, & quadam cæcitate confracti, placet annum ad aliud tempus adjungi: nam ipsi quoque se omnino pro lege Christi affligendos dedere, sicque etiam à fratribus in carcere multam consolationem assecuti sunt, quas quidem multiplicata redderent, liberari cupientes ab acerbissima captivitate Diaboli, cujus maxime recordantes, qui dicit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*

CANON III. Iis autem, qui nihil hujusmodi passi sunt, nec fidei fructum ostenderunt, sed ad vitium transfugerunt, à metu & timiditate proditi, nunc autem veniunt ad pœnitentiam, necesse est, & conveniens infrugiferæ ficus parabolam proponere: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit: dixit autem ad cultorem vineæ: ecce, anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum: sin autem in futurum succides eam.* Qua ante oculos accepta, & ostenso digno fructu pœnitentiæ, in tanto temporis intervallo magis juvabuntur.

CANON IV. Iis enim, qui sunt desperati, & pœnitentiam non agunt, & pellem Æthiopi immutabilem possident, & pardi varietates, dicetur, quod alii ficui dictum est: *Jam non amplius in æternum ex te fructum quispiam manducet, & ideo statim quoque exaruit.* In his enim impletur, quod ab Ecclesiaste dictum est: *quod perversum est, non poterit exornari, & defectus numerari non poterit.* Nisi enim quod perversum est, prius rectum fuerit, fieri non potast, ut id exornetur: & nisi prior defectus expletus fuerit, fieri non potest, ut id numeretur: unde & in fine eis eveniet, quod à Propheta Isaia dicitur: *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum*

eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visioni omni carni. Quandoquidem ut & ab ipso prædictum est: *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Non est pax impiis, dicit Dominus.*

CANON V. Iis autem, qui simularunt, sicut & David qui se epilepticum fingebat, ne moreretur, quamvis re vera epilepticus non esset, & non nudè negationem inscripserunt, sed in multis angustiis, tanquam pueri consilio & prudentia præditi, inter pueros insipientes inimicorum insidias ludificati sunt, velut qui altaria pervaserint, vel tanquam qui Chirographum dederint, vel qui pro se Ethnicos immiserunt (etiamsi nonnulli eorum, qui confessi sunt, ut audivi, aliquibus eorum cesserunt) quoniam maxima cautione vitarunt; ne ipsi suis manibus ignem ferrent, & Dæmones impuros suffirent: Cùm propter ignorantiam eos id fecisse non compertum est, eis semestre imponetur in pœnitentia conversionis. Si enim ipsi quoque magis juvabuntur, Prophetæ dictum meditantes & dicentes: *Parvulus natus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus:* qui (ut scitis) in sexto mense conceptionis, cùm alius infans prædicasset ante personam adventus ejus pœnitentiam in remissionem peccatorum, conceptus est & ipse ad prædicandam pœnitentiam. Etenim utrosque audivimus inprimis prædicantes non solùm de pœnitentia, sed & de Regno Cœlorum, quod quidem (ut diximus) intra nos est, quod prope nos sit verbum, quod credimus in ore nostro, & eorde nostro. De quo ipsi etiam commoniti dicent confiteri ore suo, quod Dominus est Jesus; credentes in corde suo, quod Dominus ipsum suscitavit ex mortuis: utque audiant, *quod corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

CANON 6. Iis autem, qui servos Christianos pro se submiserunt; servi quidem, ut qui ipsi sub manu essent, & quodammodo ipsi quoque in dominorum essent custodia, minisque ab ipsis territi, & propter eorum metum, eò compulsi & lapsi, anno opera pœnitentiæ ostendent, deincepa discentes, ut servi Christi, facere Christi voluntatem, & eum timere, *audientes maximè, quòd unusquisque, si quid boni fecerit, hoc feret à Domino sive servus, sive liber.*

CANON VII. Liberi autem tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod dissimulaverint, tum quòd effecerint, ut servi sacrificarent, ut qui Apostolo non obedirent, qui vult, *Dominos eadem facere quæ servi, remittentes minas: scientes*, inquit, *quia & illorum, & vester Dominus est in Cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Si unum autem omnes habemus Dominum, *apud quem non est personarum acceptio*, quoniam *& omnia & in omnibus est Christus, in Barbaris & Scythis, servis & liberis;* debent considerare, quod fecerunt; volentes suam ipsorum animam salvare: qui conservos nostros traxerunt ad Idololatriam, qui poterant & ipsi effugere, si jus & æqualitatem ipsis præbuissent, ut rursum dicit Apostolus.

CANON VIII. Iis autem, qui proditi sunt, & exciderunt, qui & ipsi ad certamen accesserunt, se esse Christianos confitentes, & in custodiam cum tormentis conjecti sunt, æquum est in exultatione cordis vires simul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione Corporis & Sanguinis, & sermonis exhortatione: ut qui constantius decertaverunt, ipsi quoque supernæ vocationis bravio dignentur. Etenim, inquit, *septies cadet justus, & resurget.* Quod quidem si omnes quoque ipsi fecissent, perfectissimam, & toto corde susceptam pœnitentiam ostendissent.

CANON IX. Si quoque, qui tanquam ex somno ad certamen, quod est consideratione parturiendum, & maturo consilio differendum, prosiliunt, pugnæque maritimæ & multæ fluxuram inundationis tentationem attrahunt, vel potius fratribus peccatorum carbones accendunt: ipsis quoque communicandum est, ut qui in nomine Christi ad id veniant: & si verba ejus non animadvertebant, qui docet, non esse ingrediendum in tentationem, & cum rursus in oratione Patri diceret: *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Fortasse autem etiam ignorant nostrum Patremfamilias & Dominum nostrum sæpè ab iis, qui illi insidiari volebant, se cessisse; & quandoque etiam libere apud eos non incedebat, & quod etiam, quando Passionis tempus appropinquavit, non seipsum tradidit, sed exspectavit, donec ad eum venirent cum gladiis & fustibus, dicit ergo eis: *tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me:* qui etiam tradiderunt eum Pilato. Ad ejus quoque similitudinem iis accidit, qui ejus scopum sibi proponentes incedunt, ne divinorum ejus verborum recordati, per quæ nos confirmans, de persecutoribus dicit: *videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in consiliis, & in Synagogis vapulabitis. Tradent enim*, dixit, non vos ipsos tradetis: *& ad Principes & Reges ducemini propter nomen meum:* non vos ipsos ducetis. Nam nos quoque vult à loco in locum transire, dum sunt, qui nos persequuntur propter nomen ejus, sicut eum rursum dicentem audivimus: *Cùm vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Non enim vult ad Diaboli stipatores, satellitesque confugere, ne ipsis quoque multifariæ mortis causa simus, ut qui ipsos & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere; sed exspectare, & nobis cavere, *vigilareque, & orare ne intremus in tentationem.* Ita Stephanus ejus vestigiis insistens, Hierosolymis ab iniquis correptus, & ad Concilium ductus, lapidibus obrutus, in nomine Christi glorificatus est, rogans & dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Ita Jacobus secundus ab Herode comprehensus, gladio capite truncatus est. Ita Petrus Apostolorum primus sæpè comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiáque affectus, postremo Romæ Crucifixus est. Similiter & inclitus Paulus sæpe traditus, & ad mortem usque in periculum adductus, & in multis persecutionibus, & afflictionibus gloriatus, in eadem Urbe ipse quoque gladio capite mulctatus est: qui, in quibus gloriatus est, ipse in iis vitam finiit. Et quod Damasci in sporta noctu per murum demissus est, & effugit manus ejus, qui eum conabatur opprimere; erat enim ei in primis propositum Evangelizare, & Verbum Dei docere: in quibus fratres confirmantes, ut

ut manerent in fide, hoc quoque dicebant, quod per multas afflictiones oporteret in Regnum Cœlorum ingredi. Quærebant enim, non quod sibi erat utile, sed quod multis, ut servarentur, & multa ipsis liceret ad hæc facientia dicere, ut Verbo Dei convenienter facerent, nisi, ut dicit Apostolus, *nos tempus narrantes deficeret.*

Sed hæc de iis prælocutus, subdit mox de Clericis, qui in certamen sponte ruentes, postea tormentis victi, & lapsi sunt.

Canon X. Unde non est æquum, ut vel Clerici, qui sua sponte & reluctati sunt, & aufugerunt, lapsi autem amplius in sacro Ministerio maneant, ut, qui Domini gregem reliquerint, & seipsos vituperarint: quod nullus fecit ex Apostolis. Etenim cùm multas persecutiones obiisset, & multa certaminum prœmia ostendisset beatus Apostolus Paulus, sciens esse melius *dissolvi & esse cum Christo*, infert & dicit: *in carne autem permanere magis necessarium propter vos.* Considerans enim non suam sed multorum utilitatem magis quàm suam quietem, necessarium existimavit, apud fratres manere, & eorum curam gerere: qui etiam vult eum, qui docet, esse in Doctrina typum seu formam fidelium. Unde qui in carcere contendentes Ministerio exciderunt, & reluctati sunt, sensus planè sunt expertes. Quomodo enim petunt, quod reliquerunt, cùm in ea tempestate esse possent fratribus suis utiles? Quamdiu itaque firmi stabilesque manserunt, ejus quod præter rationem fecerant, eis venia dabatur. Quando autem lapsi sunt, ut qui perperam se gesserint, & seipsos vituperarint, non possunt amplius Sacra Ministeria obire; & ideo magis curam gerant, quomodo in humilitate confessionem peragant, à vana gloria cessantes. Eos autem sufficit communio, quæ diligenter & accurate fit duabus de causis; tum ne videantur molestia affici, hinc dissolutionem vi arripientes; tum ne lapsi aliqui causentur se propter pœnæ occasionem fuisse remissos: qui quidem plusquam omne probrum & ignominiam habebunt, sicut ille, qui fundamentum posuit, & non potuit perficere. *Incipient enim* inquit, *omnes, qui prætergredientur, dicere: hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

Canon XI. Qui enim primum in persecutionis fervore prosilierunt, judicium circumstantes, & Sanctos Martyres, qui ad bravium supernæ vocationis festinabant, aspicientes; bonesta æmulatione incitati, seipsos ad hoc tradiderunt, magna libertate utentes; maximè videntes eos, qui subtrahebantur, labi: propter quos interius excitati, & quodam veluti sono impulsi ad debellandum se offerentem adversarium, ad id contendebant, ne apud se prudens esse videretur ob ea, in quibus ejus calliditate inferiores esse visi sunt: etiamsi seipsum vinci ab iis, qui se fortiter & constanter gesserunt, qui scuticarum, flagellorumque tormenta, & gladii aciem, & ignis ustulationem, & aquarum immersiones tolerantes tulerunt, eum non latuit. Iis quoque, qui ut ex fide preces & orationes fiant, prosequuntur; vel iis qui in custodia puniti sunt, & à fame & siti traditi sunt; vel pro iis, qui extra custodiam scuticis & flagellis in judicio torti sunt, postea autem à carnis imbecillitate victi fuere, æquum est annuere. Cum iis enim, qui lugent, & mœrent, pro iis qui in certamine victi sunt à magnis maligni Diaboli viribus, sive pro parentibus, vel fratribus, vel liberis una dolore & tristitia affici, neminem quidquam penitus lædit. Scimus enim etiam propter aliorum fidem quosdam esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione. Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt; cum ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem, in corporis afflictione & mortificatione defleverint, & se præter ea testentur in vita sua fuisse à civitate alienos: simul oremus & postulemus pro eorum reconciliatione cum aliis, qua decet, per eum, *qui est nobis advocatus apud Patrem, Jesum Christum justum & si quis peccaverit, is est propitiatio pro peccatis nostris.*

Canon XII. Iis enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim, & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent; quod alii propter turpe lucrum non fecerunt; quamvis Dominus dicat: *quid enim prodest homini, si universum mundum lucrabitur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* & rursum: *non potest Deo servire & Mammonæ.* In illis enim apparuerunt qui Deo servirent, exosis, conculcatis, contemptisque pecuniis, & in eo compleverunt, quod scriptum est: *pretium redemptionis animæ, divitiæ propriæ.* Nam in actibus Apostolorum legimus eos, qui pro Paulo & Sila Thessalonicæ ad Magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen multum onerassent, & multitudinem Magistratusque perturbassent, *ab Jasone*, inquit, & reliquis satisdatione accepta, eos dimiserunt. *Fratres autem noctu protinus Paulum & Silam miserunt in Berrhœam.*

Canon XIII. Unde nec eos, qui omnia reliquerunt propter salutem animæ, & secesserunt, licet accusare, tanquam aliis propter ipsos detentis. Nam & Ephesi pro Paulo Cajum & Aristarchum in Theatro comprehenderunt una cum Paulo peregrinantes, qui volebat populum adire: quoniam propter ipsum, qui persuaserat, & multam turbam ad Dei cultum traduxerat, seditio facta fuerat: *Non sciverunt*, inquit, *discipuli.* Quinetiam nonnulli ex Asiaticis Magistratibus, qui ei erant amici, miserunt ad eum, & suaserunt, ne se theatro daret. * Si qui autem cum iis contendere perrexerint, qui animam ei adhibent, qui dicit: *salva animam tuam, noli respicere post tergum:* Petrus quoque Apostolorum princeps eis in mentem revocetur, qui in custodiam conjectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum custodiendum: qui cum noctu fugisset, & ex Judæorum manu servatus esset, jussu Angeli Domini: *facto*, inquit, *die erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem, cùm requisisset eum, & non invenisset, interrogatos custodes jussit suffocari.* Propter quos nulla culpa in Petrum confertur. Licebat enim eis, illo viso, quod

quod factum fuerat, effugere, ficut & omnes infantes, qui erant in Bethlehem, & in omnibus ejus finibus, fi fciviffent eorum parentes, quod erat futurum, qui à crudeli homicida Herode fublati funt, ut unus, qui ab eo quærebatur, infans periret, qui & ipfe juffu Angeli Dei effugit, qui celeriter jam cœperat fpolia accipere, & acriter præpafcere fecundùm appellationem nominis, quemadmodum fcriptum eft: *voca nomen ejus, celeriter fpolia, velociter depopulare, eoquod priufquam infans fciat vocare Matrem & Patrem, capiet poteftatem Damafci, & fpolia Samariæ coram Rege Affyriorum.* Magi ergo ut jam fpoliati, infantem humiliter & fupliciter adorant, fuos Thefauros aperientes, & ei offerentes, maximè oportuna, & magnifica dona, aurum, & thus, & myrrham, ut Regi, & Deo, & homini: unde ad Regem Affyrium non amplius reverti voluerunt à Providentia vetiti. *Refponfo autem*, inquit, *accepto, ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam reverfi funt in Regionem fuam.* Unde cùm vidiffet cruoris fitiens fanguinolentus Herodes, *fe à magis illufum, valde fuit commotus. Et mittens*, inquit, *interfecit omnes infantes, qui erant in Bethlehem, & in omnibus ejus finibus, à bimatu & infra eo tempore, quod à magis diligenter didicerat.* Cum quibus & alium prius natum infantem cùm interfecturus quæfiviffet, & non inveniffet, patrem ejus Zachariam interfecit inter templum & Altare, cum effugiffet filius cum matre Elifabeth. Unde nec ullo modo reprehenduntur.

CANON XIV. Si qui autem vim multam & neceffitatem paffi funt, quique in ore ferrum & vincula acceperunt, & propter bonam Fidei affectionem fuas quoque manus viri fortiter pertulerunt ad profanum facrificium eis invitis adductas, quemadmodum mihi fcripferunt ex cuftodia Beatiffimi Martyres de iis, qui in Lybia, & alii etiam in facris Comminiftri, qui fimul teftantibus quoque reliquis fratribus, poffunt etiam in facro minifterio inter Confeffores collocari, ut & qui in multis tormentis mortificati fuerint, & non amplius potuerint vel loqui, vel dicere, vel moveri, ut refifterent iis, qui vim inferebant, neque enim eorum improbitati affenfi funt; quemadmodum ego à Comminiftris rurfum audivi, adnumerabitur inter Confeffores, & quicunque fecundùm Timotheum vitam inftituit, parens ei quoque dicit: *Sectare juftitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manfuetudinem: certa bonum certamen Fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeffus bonam confeffionem coram multis teftibus.*

CANON XV. Non reprehendet nos quifquam quartam & fextam feriam obfervantes, in quibus nos jejunare fecundùm traditionem præceptum eft: quartam quidem propter initum à Judæis confilium de proditione Domini: fextam autem, quod ipfe pro nobis paffus fit. Diem verò Dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo refurrexit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

§. VII.

Canones Pœnitentiales CONCILII ARELATENSIS I. *anno* 314.

CANON VI. De his, qui in infirmitate (redeuntes ab hærefi) credere volunt, placuit eis manum imponi.

CANON VIII. De Afris, quòd propria lege fua utuntur, ut rebaptizent (baptizatos ab hæreticis) placuit, ut fi ad Ecclefiam aliquis de hærefi venerit, interrogent eum fymbolum; & fi perviderint, eum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto effe baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum.

CANON XI. De puellis fidelibus, quæ gentilibus junguntur, placuit, ut aliquando tempore à communione feparentur.

CANON XII. De Miniftris, qui fœnerant, eos juxta formam divinitus traditam à communione abftinere.

CANON XIV. De his, qui falfo accufant fratres fuos, placuit, eos ufque ad exitum non communicare.

CANON XV. De his, qui pro delicto fuo à communione feparantur, placuit, ut in quibufcunque locis fuerint exclufi, eodem loco communionem confequantur.

CANON XXII. De his, qui apoftatant, & nunquam fe ad Ecclefiam repræfentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & poftea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nifi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

§. VIII.

Canones Pœnitentiales CONCILII ANCYRANI *anno* 314.

CANON IV. De iis, qui vi facrificarunt, & præterea ad idola pranfi funt, quicunque abducti quidem, & lætiore habitu accefferunt, & vefte fumptuofiore ufi funt, & parati prandii, non ægre id ferentes, participes fuerunt, vifum eft anno audire, tribus autem annis fubfterni ac fupplices effe, foli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id, quod eft perfectum, accedere.

CANON V. Quicunque autem cum vefte lugubri accefferunt, & accubentes comederunt; interea toto accubitus tempore lacrymas fundentes, fi triennale fubftrationis tempus impleverint, fine oblatione recipientur. Si autem non comederunt, cum duobus annis fupplices fubftratique fuerint, tertio anno communicent fine oblatione, ut id, quod perfectum eft, triennio accipiant. Statuimus autem, ut Epifcopi, modo converfationis examinato, poteftatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ confecuta eft, examinetur, & fic eis clementia impertiatur.

CANON VI. De eis, qui fupplicii minis, & bonorum ablationis, vel exterminationis tantum cefferunt, & facrificaverunt, & ad præfens ufque

usque tempus pœnitentiam non egerunt, nec conversi sunt; nunc autem circa tempus synodi processerunt, & conversionis cogitationem induxerunt: visum est ad magnum usque diem eos ad auditionem admitti, & post magnum diem tribus annis esse supplices & substerni, & post alios duos annos communicare sine oblatione, & sic ad id, quod perfectum est, venire, ut totum sexennium impleant: si qui autem ante hanc synodum ad pœnitentiam admissi sunt, ab illo tempore eis sexennium reputari. Sed si periculum, mortisque expectatio ex morbo, vel aliqua alia occasione evenerit, ii sub definitione recipiantur.

Canon VII. De iis qui in festo ethnico, in loco gentilibus deputato, convivati sunt, & proprios cibos attulerunt, & comederunt: visum est, cum biennio substrati fuerint, esse recipiendos. An unumquemque autem cum oblatione recipere oporteat, est Episcoporum examinare, & aliam vitam in unoquoque inquirere.

Canon VIII. Qui autem bis vel ter sacrificarunt per vim, triennio substernantur, duobus autem annis sine oblatione communicent, & septimo perfecte suscipiantur.

Canon IX. Quicunque autem non solum defciverunt, sed etiam insurrexerunt, & fratres suos cogerunt, & causæ fuerunt, ut cogerentur, ii annis quidem tribus auditionis locum suscipiant, sex substrationis, alio autem anno sine oblatione communicent, ut decennio expleto, ejus, quod est perfectum, sint participes. Eorum autem in eo quoque tempore vitam examinare oportet.

Canon XVI. De iis, qui rationis expertia animalia inierunt vel ineunt. Quicunque priusquam viginti quidem annos nati essent, peccarunt, postquam quindecim annis substrati ac supplices fuerint, communionem ad preces assequantur. Deinde & cum in communione quinque annis perseveraverint, oblationem attingant. Examinetur autem & eorum in substratione vita, & ita humanitatem consequantur. Si qui autem improbe ac maligne in peccatis fuerunt, longe substrationem habeant. Quicunque autem hanc ætatem transgressi, & habentes uxores, in hoc peccatum inciderunt, viginti annis substrati, communionem ad preces assequantur. Deinde cum in precum communione quinque annos peregerint, oblationem assequantur. Si qui autem & mulieres habentes, & quinquagesimum annum transgressi, peccaverunt, in vitæ exitu communionem assequantur.

Canon XVII. Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt vel fuerunt, jussit sancta synodus inter hiemantes orare.

Canon XIX. Quicunque virginitatem profitentes, professionem suam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant. Virgines quidem certe, quæ cum quibusdam tanquam cum fratribus congrediuntur, prohibuimus.

Canon XX. Si alicujus uxor adulterata fuerit, vel quis eam adulteraverit, oportet eum in septem annis, quod perfectum est assequi, per gradus, qui eo deducunt.

Canon XXI. De mulieribus, quæ sunt fornicatæ, & fœtus in utero perimunt, & fœtum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, prior quidem definitio usque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam assentiuntur. Sed humanitate tamen utentes, decrevimus, ut decennium per gradus præfinitos impleant.

Canon XXII. De voluntariis cædibus, supplices quidem substernantur: eo autem, quod perfectum est, in fine vitæ digni habeantur.

Canon XXIII. De involuntariis cædibus, prior quidem constitutio jubet in septennio per præfinitos gradus esse perfecti participes: secunda vero, quinquennium implere.

Canon XXIV. Qui vaticinantur, & gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducunt ad medicamentorum inventionem vel lustrationem, in quinquennii Canonem incidant, secundum gradus præfinitos, tres annos substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.

Canon XXV. Quidam, cui erat puella desponsa, ejus sorori vitium attulit, ita ut ea etiam conciperet. Sponsam autem postea uxorem duxit. Ea autem, cui vitium erat allatum, se suffocavit. Qui conscii fuerant, jussi sunt decennio in eos, qui consistunt, recipi per gradus definitos.

§. IX.

Canones Pœnitentiales Concilii Neocæsariensis circa annum 320.

Canon I. Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.

Canon II. Fœmina si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit, quod, ubi convaluerit, solvet matrimonium, habebit pœnitentiam. Sed si mortua fuerit mulier existens, vel ejus maritus, in tali conjugio, difficilis est pœnitentia.

Canon III. De iis, qui in plurima matrimonia incidunt, tempus quidem præstitutum esse manifestum est. Sed conversio & pœnitentia eorum tempus contrahit.

Canon IV. Si quis proposuerit concupiscere mulierem ad dormiendum cum ipsa, ejus autem desiderium ad opus non venerit, videtur esse à gratia liberatus.

Canon V. Cathechumenus si in dominicum ingrediens, in cathechumenorum ordine steterit, is autem peccat: si genu quidem flectens, audiat, non amplius peccans. Sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur.

Canon IX. Si Presbyter, qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis, propter aliud ejus bonæ vitæ studium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impositione tolli. Quod si ipsa non confiteatur, aperte autem convinci non potuerit, illius quoque ei fiat potestas.

§. X.

Canones Pœnitentiales Concilii Laodiceni anno 324.

CANON I. Oportere ex Ecclesiastico Canone eos, qui liberè & legitimè secundo matrimonio conjuncti sunt, & non clam uxores duxerunt, cùm exiguum tempus præterierit, & orationibus, & jejuniis vacaverint, eis ex venia dari communionem.

CANON II. Eos, qui in diversis delictis peccant, & in oratione, confessioneque, & pœnitentia fortiter perseverant, & se à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miserationes & bonitatem offerri communioni.

CANON IX. Non concedendum esse, ut in cœmeteria, vel in ea, quæ dicuntur Martyria quorumvis hæreticorum, abeant ii, qui sunt Ecclesiæ, orationis vel venerationis gratia. Sed tales, si sint fideles, esse aliquantisper excommunicatos: sin autem pœnitentia ducantur, & se deliquisse confiteantur, suscipi.

CANON XIX. Oportere seorsum primum, post Episcoporum sermones, Catechumenorum orationem peragi; & postquam exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & cùm ii sub manum accesserint, & secesserint, fidelium preces sic ter fieri: unam quidem scilicet primam silentio: secundam autem & tertiam per pronuntiationem impleri, deinde sic pacem dari. Et postquam Presbyteri pacem Episcopo dederint, tunc Laicos etiam pacem dare: & sic sanctam oblationem perfici, & solis licere sacratis ad Altare accedere, & communicare.

§. XI.

Canones Pœnitentiales Concilii Nicæni anno 325.

CANON XI. De iis, qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo ejusmodi, transgressi sunt, quod sub Licinii Tyrannide factum est, Synodo visum est, etsi humanitate indigni sint, clementia tamen & benignitate in eos uti. Quicunque ergo germanè & verè pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ùt fideles; & septem annis prosternentur supplices, duobu autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes.

CANON XII. Qui autem à gratia evocati primum suum ardorem ostenderunt, & cingula deposuerunt, postea autem ùt canes ad suum vomitum reversi sunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, & beneficiis malitiam assequerentur, hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus. In his autem omnibus examinare convenit consilium & speciem pœnitentiæ. Quicunque enim & metu, & lacrymis & tolerantia & bonis operibus conversionem, & opere & habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt, cum eo, quod liceat etiam Episcopo humanius aliquid de eis statuere. Quicunque autem non adeo graviter tulerunt, nec multùm sua referre existimarunt, satisque esse putarunt, in Ecclesias ingredi ad conversionem, tempus omnino impleant.

CANON XIII. De iis, qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excedat, ultimo & maximè necessario viatico ne privetur. Si autem deploratus, & communionem assecutus rursus in vivos relatus sit, cum iis sit, qui orationum sunt tantummodo participes. In summa autem cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Eucharistiam tribui, Episcopus post explorationem (seu probationem de statu pœnitentis) tribuat.

CANON XIV. De Catechumenis, & qui lapsi, visum est S. Synodo, ut ii tribus tantùm annis audientes postea orent cum Catechumenis.

§. XII.

Epistolæ Canonicæ S. Basilii ad Amphilochium.

D. Basilius Archi-Episcopus Cæsareæ in Cappadocia, cùm circa annum 374. consuleretur ab Amphilochio Iconii Episcopo circa varios casus pœnitentiales, sequentes illi Canones in tribus Epistolis rescripsit.

Epistola prima.

Stulto inquit (Salomon Prov. 17.) interroganti sapientia reputabitur. Sapientis autem, ùt videtur, interrogatio etiam stultum sapientem efficit, quod Dei gratia accidit nobis, quoties laboriosæ tuæ animæ litteras accipimus. Etenim doctiores, quàm eramus, ac prudentiores simus ex ipsa interrogatione, multa, quæ ignorabamus, edifcentes, ac nobis Magistri loco est respondendi cura. Certe est nunc, cùm de interrogatis tuis nunquam hactenus solicitè cogitassem, coactus sum diligenter attendere, & si quid à senioribus audieram; recordari, & cognita iis, quæ didiceram, per meipsum ratiocinari.

CANON I. Quod igitur ad Catharos pertinet - - - antiquis visum est, hæreticorum (qui de Deo malè sentiunt) Baptisma omnino rejicere; Schismaticorum verò (qui de pœnitentia ab iis, qui ex Ecclesia sunt, dissentiunt) cùm adhuc ex Ecclesia existant, admittere: eos autem, qui sunt in Parasynagogis & illegitimis Conventibus, convenienti pœnitentia & conversione correctos, rursum Ecclesiæ conjungere: ut sæpe [illegible] qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittantur. Pepuzeni ergo sunt apertè hæretici. In Sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ, Paracleti appellationem nefarie & impudenter attribuentes. Sive ergo, ut qui homines in Deos referant, sunt condemnandi; sive ut qui Spiritum Sanctum per comparationem cum hominibus injuria afficiant, sic quoque sunt æternæ condemnationi obnoxii, quod condonari non possit blasphemia in Spiritum Sanctum. Quamnam ergo habet rationem, verum eorum baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Monta-

Montanum, Priscillamve baptizant? Non enim sunt baptizati, qui non in ea, quæ nobis sunt tradita, sunt baptizati. Quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio. Ipsa enim absurditas est omnibus aperta, & evidens, qui modò rationis vel parva ex parte sunt participes. Cathari sunt & ipsi ex iis, qui sunt abscissi. Verum enimverò antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni Calculo subjicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastatas, & Apotactitas: quoniam separationis quidem principium per schisma; qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus. Defecit enim traditio, quòd discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus Sancti gratiam aliis quoque præbere, à qua ipsi exciderunt. Quare eos, qui ab ipsis baptizati erant, tanquam à Laicis baptizatos jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ baptismo expurgari. Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur. Encratitarum autem facinus oportet nos intelligere, quod ut eos reddant non suscipiendos ab Ecclesia, aggressi sint deinceps proprio baptismate præoccupare, unde suam quoque consuetudinem deleverunt. Existimo ergo, quòd, quoniam nihil est de bis apertè dictum, oportet nos eorum baptismum abrogare, & si quis ab eis acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quodsi hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui, quæ ad nos pertinent, providerunt. Vereor enim ne, ut eos volumus circa baptismum tardos facere, eos qui servantur, impedimus, propter severitatem mandati. Sin autem illi nostrum baptisma servant, boc ne nobis ægre sit: neque enim illis gratiam reddere tenemur, sed Canonum exactæ observationi servire. Omni autem ratione statuatur, ut qui ex illorum baptismo accedunt, ungantur scilicet à fidelibus, & sic ad Mysteria accedant. Scio autem, quod fratres Zoin & Saturninum, qui erant ex illorum ordine, in Episcoporum Cathedram suscepimus. Quare eos, qui illorum ordini conjuncti sunt, non amplius possumus ab Ecclesia separare, utpote tanquam Canone aliquo Communionis cum ipsis edito per Episcoporum susceptionem.

Canon II. Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Hic enim, non solùm quod nasciturum fuit, vindicatur, sed etiam ipsa sibi quoque insidias paravit: quoniam ùt plurimùm ejusmodi incœptis unà quoque mulieres intereunt. Ei autem accedit fœtus quoque interitus, alia cædes, eorum quidem certè, qui hæc audent, existimatione. Oportet autem non usque ad obitum eorum Confessionem extendere, sed decem quidem annorum mensuram admittere: definire autem non tempore, sed modo pœnitentiæ medicinam.

Canon III. Diaconus post Diaconatum fornicatus à Diaconatu quidem ejicietur: in Laicorum autem locum extrusus, à communione non arcebitur: quoniam antiquus est Canon, ut qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur: primis, ut æstimo, legem illam secutis, non vindicabis bis in idipsum: & etiam propter aliam causam, quod, qui sunt in ordine Laico, à loco fidelium ejecti, rursus in eum, ex quo ceciderunt, locum recipiuntur: Diaconus verò, semel habet, quod sufficiat, depositionis judicium. Tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu, in ea sola punitione steterunt. Hæc quidem sunt, quæ ex Constitutionibus babentur. In summa autem verior est medicina, recessus à peccato. Quare qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, per carnis afflictionem & omnis generis servitutem, quæ ad temperantiam conducit, à voluptatibus deficiens, à quibus fuit expugnatus, perfectam suæ curationis demonstrationem efficiet. Nos ergo utrumque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: sequi autem in iis, quæ summum jus non admittunt, formam traditam.

Canon IV. Trigamorum & Polygamorum eundem Canonem definimus, quem in digamis, proportione: annum enim in digamis, alii verò duos annos: Trigamos autem sæpe tribus & quatuor annis segregant. Id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat: quem nunc inquit, habes, non est maritus tuus; nempe quòd digni non sint, qui à digamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur. Consuetudine autem accepimus, in Trigamis quinquennii segregationem, non à Canone, sed ab eorum, qui præcesserunt, consequentia. Oportet autem non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis: & postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, à boni tamen communione abstinere, & sic postquam pœnitentiæ fructum aliquem ostenderint, communionis loco restituere.

Canon V. Hæreticos, qui in excessu è vita pœnitentiam agunt, recipere oportet: recipere autem non sine judicio, sed examinantes, an veram pœnitentiam ostendant, & si fructus habent, qui salutis studium testificentur.

Canon VI. Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur. Hoc enim & Ecclesiæ ad securitatem est utile, & non dabit Hæreticis adversus nos ansam, quasi propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.

Canon VII. Masculorum & animalium initores, & homicidæ & venefici, & adulteri, & idololatræ, eadem condemnatione digni babentur. Quare quam in aliis babes formam, in iis quoque serva. Eos autem, qui in 30. annis propter immunditiam, pœnitentiam egerunt, quam ignorantia fecerunt, nos quidem quin recipiendi sint, dubitare non oportet. Nam & ignorantia eos venia dignos facit, & spontanea Confessio, & tem-

& temporis diuturnitas: ferè enim tota hominis ætate Satanæ traditi sunt, ut discant se non turpiter gerere. Quam ob rem jube eos absque dilatione suscipi, maximè si lacrymas habeant, quæ tuam clementiam moveant, & vitam misericordia dignam ostendant.

CANON VIII. Qui securi in ira adversus uxorem suam usus est, est homicida. Recte antem me admonuisti, & ut tuam sapientiam decuit, ut fusius de iis dicerem, quoniam multæ sunt in voluntariis, & involuntariis differentiæ. Est enim omnino involuntarium, & multùm ab eo, qui incœpit remotum, ut qui lapidem in canem, vel arborem jaceret, hominem assequeretur. Erat enim ei in animo bestiam ulcisci, vel fructum executere: ictum autem casu subiit is, qui in ipsum transeundo incidit. Quare hoc quidem certè est involuntarium. Involuntarium autem est, si quia volens aliquem in melius convertere, loro vel virga non dura eum percutiat, mortuus autem sit, qui percussus est. Propositum enim hic consideratur, quod peccantem corrigere volebat, non autem interimere. Est illud quoque ex involuntariis, ut quispiam in pugna se ligno vel manu acriter defendens, in præcipuas partes ictum torqueat, ut eum lædat, non ut omnino interficiat. Sed hoc quidem ad voluntarium magis accedit. Qui enim eo instrumento ad se defendendum usus est, vel qui acriter minimeque parcens ictum inflixit, satis præsetulit se animi perturbatione victum, homini non pepercisse: similiter, & qui ligno gravi, & qui lapide majore, quàm pro viribus humanis, usus est, involuntariis annumeratur, ut qui aliud quidem voluerit, aliud vero fecerit. Ita enim commotus eum ictum intulit, ita ut percussum interficeret: quanquam is fortè contendebat eum humi affligere, & conterere, non autem penitus interficere. Qui autem ense, vel aliquo alio ejusmodi usus est, nullam habet excusationem: & maximè qui securim jaculatus est. Videtur enim manu non percussisse, ut modus ictus jam in ipsius potestate non esset: sed jaculatus est, ut & ferri gravitate & acie, & vehementi per magnum spatium motu, necessario fieret perniciosus ictus. Rursus autem omnino est voluntarium, & quod nullam habet dubitationem, quale est, quod fit & à latronibus, & à bellicis incursionibus. Illi enim propter pecunias interimunt, probationem fugientes: & qui bella gerunt, ad cædes faciendas accedunt, non terrere, nec castigare, sed adversarios palam, & ex professo interficere statuentes. Atqui etsi propter aliquam aliam causam curiosam medicamentum quis miscuerit, & interfecerit, id inter voluntaria ponendum est: ut ferè faciunt mulieres, quæ quibusdam incantationibus, & amuletis, ad suum amorem aliquos attrahere conantur, & dant eis medicamenta, quæ mentis tenebras & caliginem effundunt. Hæ ergo si interfecerint, etiamsi aliud volentes, aliud fecerint: tamen propter curiosum & prohibitum exercitium, inter voluntarios homicidas reputabuntur. Itaque, & quæ abortum cientia præbent medicamenta, sunt & ipsæ homicidæ, sicut & quæ fœtus necantia venena accipiunt. Hæc quidem hucusque.

CANON IX. Domini autem dictum, secundùm sententiæ consequentiam, ex æquo & viris & mulieribus convenit: quod non liceat à matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem. Consuetudo autem non ita habet, sed in mulieribus quidem, multùm accurate & diligenter observari invenimus, cùm Apostolus quidem dicat, quod, *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur:* Jeremias, quodsi fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad suum virum, *sed polluta polluetur.* Et rursus: *qui tenet adulteram, stultus est, & impius.* Consuetudo vero etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes jubet à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem, quæ dimisit, quamnam ob causam à conjugio decessit, sive enim pulsata verbera non ferat, pati satius erat, quàm à conjuge separari: sive jacturam in pecuniis non ferens, nec ista est justa excusatio. Sin autem quod ipse vivat in fornicatione, non habemus hanc observationem in Ecclesiastica Constitutione: imo ab infideli viro jussa non est mulier separari. Sed manere propter incertitudinem eventus. Quid enim scis mulier, an virum sis servatura? Quare quæ relinquit, est adultera, si ad alium virum accessit. Qui autem relictus est, est dignus venia; & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. Sed si vir, qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulteram, & quæ ei cohabitat, est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxit.

CANON X. Qui jurarunt se ordinationem non admissuros: si eam detrectent, ne cogantur pejerare. Etsi enim videatur esse aliquis Canon, qui eis concedit: experientia tamen cognovimus, eos, qui pejerarunt, Deo acceptos non esse. Consideranda autem sunt & genus jurisjurandi, & verba, & affectio animi, ex qua jurarunt, & minutissima quæque in verbis additamenta. Nam si nulla sit penitus excusatio, ii sunt omnino dimittendi. Severi autem negotium de Presbytero ab eo ordinato, talem videtur habere excusationem, si tibi idem videtur. Agrum illum Misthiæ Episcopatui subjectum, cujus Presbyter renuntiatus iste est, jube Masadis subesse; sic enim nec ille pejerabit, à loco non recedens, & Longinus habena secum Cyriacum, Ecclesiam non deseret, nec suam animam propter inertiam ac cessationem damnabit; nec nos videbimus aliquid concedere præter Canones Cyriaco, qui cùm se in Mindanis permansurum jurasset, translationem admisit. Reversio enim erit jurisjurandi observatio. Quod autem œconomiæ, & dispensationi cesserit, id ei ad perjurium non imputabitur, quod jurijurando adjectum non sit, ne paululum quidem à Mindanis recessurum, sed deinceps permansurum. Severo autem oblivionem causanti non condonabimus, dicentes, quod occultorum cognitor non patietur, suam Ecclesiam ab eo damno affici, qui & ab initio fecit contra Canones, & jurejurando præter Evangelia adstrinxit, & transferendo, pejerare docuit, & nunc mentitur oblivionem præseferendo. Quoniam autem non sumus cordium judices, sed ex eis,

eis, quæ audivimus, judicamus: demus Domino vindictam, ipsi autem indistincte suscipiamus, humano vitio, oblivioni scilicet veniam dantes.

CANON XI. Qui autem involuntariam cædem fecit, undecim annis abunde judicio satisfecit. Clarum est enim, quòd in iis, qui percussi sunt, quæ voluit Moyses, observabimus, & eum, qui propter plagas, quas accepit, decubuit, rursus autem virga sua innixus ambulavit, occisum esse non reputabimus. Sin autem post ictus non surrexit, cùm eum tamen nollet interficere; qui verberavit, est quidem homicida, sed involuntarius propter propositum.

CANON XII. Digamos Canon omnino à ministerio exclusit.

CANON XIII. Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoscentes iis, qui pro pudicitia & pietate decertant. Recte autem forte babet consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant.

CANON XIV. Qui usuras accipit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, ad Sacerdotium admitti potest.

CANON XV. Te autem admiror, quòd Grammaticam requiras in Scriptura subtilitatem, & reputes coactam esse dictionem. Nam interpretatio, vocibus apud se benè significantibus utitur, non quòd voce Hebræa proprie ac rigide significatur, transfert. Quia autem oportet quæstionem, quæ à viro quærendi studioso posita est, non otiose præterire; volucres cœli, & pisces maris etiam in mundi creatione eandem generationem sortita sunt. Ambo enim genera ex aquis producta sunt. Causa autem est, quod utrisque eadem sit proprietas, hi enim per mare, illi vero natant in aëre. Propterea ergo eorum communiter meminit, figura autem orationis ea est, quod quidem ad pisces attinet, ut nullum significet peculiarem respectum, ac comparationem; quod vero spectat ad omnia, quæ degunt in aquis, nihil quoque commune denotat, sed omnino proprium. Nam & volucres cœli homini subjecti sunt, & pisces maris, & non ipsi solùm, sed & omnia, quæ *perambulant semitas maris.* Non enim, si quid est aquatile, est etiam piscis, ùt sunt Cetæ, Balenæ, & Zigenæ, & Delphines, & Phocæ, & præterea equi, & canes; & serræ, & gladii, & boves marini; si vis autem, etiam urticæ: & pectines, & omnia testacea, quorum nihil est piscis: & omnia, quæ perambulant semitas maris: ùt sunt tria genera, volucres cœli, pisces maris, & quæcunque aquatilia à piscibus distincta, ipsa quoque maris semitas perambulant.

CANON XVI. Naaman autem non magnus apud Dominum, sed apud Dominum suum: hoc est, unus erat ex iis, qui magnam obtinebant potestatem apud Regem Syrorum, Scripturis ergo diligenter mentem adhibe, & invenies hinc solutionem quæstionis.

Ad Eundem Canonica Epistola secunda.

CANON XVII. Cùm pridem ad tuæ Sanctitatis nobis propositas quæstiones respondissem, non misi litteras, partim à longa & periculosa infirmitate detentus, partim verò propter ministrorum inopiam. Pauci enim sunt apud nos, & viæ periti, & ad hujusmodi ministeria parati. Quare cùm nostræ tarditatis causas didiceris, da nobis veniam. Admirati autem sumus simul tuam discendi cupiditatem & humilitatem, quod velis discere, cùm discendi locus sit tibi creditus, & à nobis discere, in quibus nihil est magnum ad cognitionem. Sed tamen quia propter Dei timorem non recusas hoc facere, quod quidem non sit facile ab aliis: oportet nos tuæ alacritati, & bono studio, etiam supra vires opem ferre. Interrogasti nos de Bianore Presbytero, an propter jusjurandum sit in Clerum suscipiendus. Ego verò commune jam quoddam decretum, de omnibus, qui simul juraverunt, Antiochenis Clericis me edidisse memini, ut ipsi à publicis Conventibus abstineant, privatim autem Presbyterorum munera obeant. Hoc autem ipsum homini isti potestatem facit obeundi ministerii sui, quia non est Antiochiæ Sacerdotium, sed Iconii, quod, ùt ipse ad nos scripsisti, Antiochia ad habitationem permutavit. Est ergo vir ille suscipiendus, cum ab eo tua pietas exegerit, ut ob facilitatem jurisjurandi eum pœniteat, quod apud infidelem virum juravit, cùm parvi illius periculi molestiam ferre non posset.

CANON XVIII. De lapsis virginibus, quæ vitam in castitate Domino professæ sunt, ac deinde carnis passionibus succubuerint, pacta sua irrita faciunt, Patres quidem clementer & leniter in eorum, qui labuntur, infirmitatem se gerentes, esse admittendas sanxerunt post annum, ad similitudinem Digamorum. Mihi autem videtur, quòd, quoniam, Dei gratia, procedens Ecclesia sit fortior, & ordo virginum nunc augetur, est adhibendus animus rei, quæ per intelligentiam cernitur, & sententiæ Scripturæ, quæ potest ex consequentia inveniri. Viduitas enim virginitate minor est. Ergo & viduarum delictum, virginum delicto multò inferius est. Videamus ergo, quid à Paulo ad Timotheum scriptum sit: *Adolescentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Si vidua itaque gravissimo judicio subjecta est, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit: quid de virgine putandum est, quæ est sponsa Christi, & sacrum vas Domino dedicatum? Magnum quidem est peccatum, ancillam, quæ clandestinis matrimoniis se dedit stupri domum implere, Dominumque suum per malam vitam injuria afficere: sed multo est gravius sponsam fieri adulteram, & unione cum sponso ignominia & dedecore affecta, se incontinentibus voluptatibus tradere. Vidua itaque ùt corrupta ancilla condemnatur: Virgo verò adulteræ judicio subjicitur. Sicut eum, qui cum aliena muliere cohabitat, adulterum nominamus, nec eum prius ad communionem admittimus, quàm à peccato cessaverit: ita videlicet cum eo, qui virginem habet, nos geremus. Illud autem nobis nunc confiteri est necessarium, quod virgo nominatur, quæ se sua sponte Domino obtulit, & matrimonio renuntiavit, & vitam in sanctificatione prætulit. Profes-

Professionem autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in hia esse ratas existimare oportet: sed eam, quæ supra sexdecim vel septendecim annos nata fuerit, rationisque compos, & diu examinata, probataque perseveraverit, & ut admittatur, precibus contendat, tum oportet in sacrarum virginum catalogum referri, ejusque professionem ratam habere, & illius infirmationem inexorabiliter punire. Multas enim parentes & fratres offerunt, & quidam eorum, qui eas cognatione attingunt, ante ætatem, non ex seipsis ad cœlibatum incitatas, sed sæculare quidpiam procurantes: quas non facile admittere oportet, donec apertè propriam ipsarum sententiam perscrutati fuerimus.

Canon XIX. Virorum autem professiones non novimus, præterquam, si qui seipsos Monachorum Ordini addixerint: qui tacite videntur Cœlibatum admittere. Sed in illis quoque illud existimo præcedere oportere, ut ipsi interrogentur, & evidens ipsorum accipiatur professio: ut, postquam ad libidinosam, & voluptariam vitam se converterint, eorum, qui fornicantur, punitioni subjiciantur.

Canon XX. Quæcunque mulieres, cùm essent hæreticæ, virginitatem professæ sunt, deinde matrimonium maluerunt, non existimo eas condemnari, quæcunque enim dicit Lex, iis dicit, qui sunt in Lege. Quæcunque autem jugum Christi nondum subierunt, eæ nec Domini Leges norunt. Quare sunt ab Ecclesia cum omnibus suscipiendæ, & propter hoc habent remissionem ex fide in Christum: & omnino, quæ in catechumenica, seu quæ initiatur, vita fiunt, in judicium non vocantur. Clarum est autem, quod eas Ecclesia non sine baptismo recipit. Quare generationis privilegia sunt in ipsis necessaria.

Canon XXI. Si vir cum muliere conjunctus, postea matrimonium fastidiens, in fornicationem inciderit: eum fornicatorem judicamus, eique longius pœnitentiæ tempus indicimus. Canonem tamen non babemus, qui eum adulterii crimini subjiciat, si in solutam à matrimonio peccatum commissum sit. Nam adultera quidem, inquit, polluta polluetur, & ad virum suum non revertetur: qui autem adulteram tenet, stultus est, & impius. Qui autem fornicatus est, non excludetur à cohabitatione cum uxore Quare mulier maritum suum à fornicatione revertentem excipiet: vir autem eam, quæ polluta est, à suis ædibus amandabit. Atque istorum quidem ratio minime est facilis; Consuetudo autem sic invaluit.

Canon XXII. Eos, qui ex raptu habent mulieres, si aliis prius desponsas abripuerint, non prius oportet admittere, quàm ab eis ablatæ sint, & sit in eorum potestate, quibus desponsæ fuerant, an eas velint accipere, an desistere. Si quis autem vacantem acceperit: auferre quidem oportet, & suis restituere, illorum autem sententiæ permittere; sive sint parentes, sive fratres, sive quicunque alii virgini præsint: & si el quidem tradere voluerint, matrimonium constituere; sin autem renuerint, non cogi. Ei autem, qui mulierem vel vi, vel clam à se vitiatam habet, necesse est fornicationis pœnas imponere: est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipsos deflere ad fores Ecclesiæ: secundo autem ad auditionem admitti: tertio admitti ad pœnitentiam: quarto ad congregationem cum populo abstinentes ab oblatione: deinde eis permitti boni communionem.

Canon XXIII. De his, qui duas sorores, uxores ducunt, vel eis, qui duobus fratribus nubunt, à nobis edita est Epistola, cujus exemplum tuæ pietati misimus. Qui autem sui fratris uxorem accepit, non prius admittetur, quàm ab ea recesserit.

Canon XXIV. Viduam, quæ in viduarum numerum relata est, hoc est, ab Ecclesia in Diaconatum suscepta, censuit Apostolus Paulus nubentem esse despiciendam. Viro autem viduo nulla est res imposita, sed digamorum ei pœna sufficit. Porro vidua sexaginta annos nata, si rursus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit. Sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa.

Canon XXV. Qui à se stupratam mulierem detinet, stupri quidem pœnam subibit: ei autem mulierem habere permittetur.

Canon XXVI. Fornicatio non est matrimonium, sed nec initium matrimonii. Quare si fieri possit, ut qui per fornicationem conjunguntur, separentur, id est, melius. Sin autem eis omnino placeat consortium, fornicationis quidem pœnam agnoscant: ne separentur autem, ne quid deterius accidat.

Canon XXVII. De Presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definivi, quæ oporteat: esse quidem Cathedræ participem, à reliquis autem actionibus abstinere: ei enim sufficit, ut veniam consequatur. Ut is autem aliis benedicat, quia sua debet vulnera curare, non est consentaneum. Benedictio enim est Sanctificationis communicatio: qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publicè, nec privatim benedicat, nec Christi corpus aliis impertiat, nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat: sed quod præsideat contentus, apud alios, & apud Dominum defleat, ut sibi ignorantiæ peccatum condonetur.

Canon XXVIII. Illud quidem mihi visum est ridiculúm, vovere aliquem à carnibus suillis abstinere: quam ob rem dignare eos docere, ut ab ineptis votis, & promissis abstineant, usum quidem esse indifferentem permitte. Nulla enim creatura Dei est rejicienda, quæ cum gratiarum actione accipitur. Quare votum est ridiculum, non abstinentia necessaria.

Canon XXIX. Quod verò jurent Principes, se subjectis malè facturos, magna medicina opus habet. Medela autem eorum est duplex, una quidem ut ipsi doceantur non facile jurare; altera autem ne in malis judiciis persistant. Quare qui se alteri malefacturum jurare anticipavit: declaret

declaret quidem pœnitere se, quod ad jurandum nimis facilis fuerit, non autem pietatis prætextu suam improbitatem confirmet. Neque enim Herodi jurare profuit, qui ne pejeraret, Prophetam occidit. Semel enim jusjurandum est prohibitum: multò autem magis consentaneum est, id esse condemnatum, quod propter malum juratum est. Quare enim, qui juravit, pœnitere, non impietatem studere confirmare oportet. Ejus enim absurditatem fusiùs exquire. Si quis se fratris oculos effossurum juraverit, eine honestum est hoc ad effectum deducere? Si quis se interfecturum, si quis omnino juraverit mandatum aliquod transgressurum? *Juravi enim & statui, non peccatum, sed servare judicia justitiæ tuæ.* Quemadmodum autem mandatum est immutabilius judiciis confirmandum: ita peccatum omnino infirmare & delere oportet.

CANON XXX. De his, qui rapiunt, Canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus; ut ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes. Quod autem violenter non fit, nulli est pœnæ obnoxium, quando nec stuprum, nec furtum rem præcesserit: est autem vidua sui juris, & in ejus est potestate sequi. Quare non est nobis habituum ulla ratio habenda.

CANON XXXI. Quæ, cùm vir secessit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, cum alio cohabitavit, mœchatur.

CANON XXXII. Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à Laicorum autem communione non arceantur. Non enim vindicabis bis in idipsum.

CANON XXXIII. Mulier, quæ in via peperit, & sui fœtus curam non gessit, cædis crimine teneatur.

CANON XXXIV. Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus. Eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.

CANON XXXV. In marito, qui ab uxore relictus est, considerare oportet causam derelictionis: & si præter rationem eam secessisse apparuerit, est maritus quidem dignus venia, illa vera pœna. Ei autem venia, ut Ecclesiæ communicet, dabitur.

CANON XXXVI. Militum uxores, qui cùm mariti ipsarum non appareant, nupserunt, eidem rationi subjiciuntur, cui & quæ propter maritorum peregrinationem, ac absentiam, reditu non exspectato, nupserint. Sed res nonnullam hic veniam admittit, quod major sit mortis suspicio.

CANON XXXVII. Qui, postquam aliena ei ablata fuerit, uxorem duxit, in prima quidem adulterii accusabitur, in secunda vero reus non agetur.

CANON XXXVIII. Puellæ, quæ præter Patris sententiam fornicatores secutæ sunt, fornicantur. Reconciliatis verò parentibus, videtur res remedium accipere: at non protinus ad communionem restituuntur, sed triennio puniuntur.

CANON XXXIX. Quæ vivit cum adultero, est toto tempore adultera.

CANON XL. Quæ præter Domini sententiam se viro tradidit, fornicata est: quæ autem postea libero matrimonio usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verò matrimonium. Eorum enim, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa nihil habent.

CANON XLI. Quæ in viduitate habet sui potestatem, & viro cohabitat, ab omni accusatione est libera, si nemo est, qui conjugium divellat: cùm dicat Apostolus: si mortuus sit maritus, *libera est, cui vult nubat, tantùm in Domino.*

CANON XLII. Quæ sine iis, qui habent potestatem, matrimonia fiunt, sunt fornicationes. Nec ergo vivente Patre, nec Domino, ii, qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio Domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem conjugium.

CANON XLIII. Qui mortis ictum dedit proximo, est homicida: sive prior percussit, sive se defendit.

CANON XLIV. Diaconissa, quæ una cum Græco fornicata est, non est excommunicanda, ad oblationem autem septimo anno admittetur, scilicet si in castitate vitam agat. Græcus autem, qui post fidem rursus ad sacrilegium accedit, ad vomitum revertitur. Nos ergo Diaconissæ corpus, ut consecratum, esse in usu carnali non amplius permittimus.

CANON XLV. Si quis accepto nomine Christianismi Christum contumelia afficit: nulla est illi appellationis utilitas.

CANON XLVI. Quæ per ignorantiam nupsit ei, qui ab uxore ad tempus derelictus est, deinde dimissa est, quia prior uxor ad ipsum reversa est: fornicata quidem est, sed per ignorantiam. A matrimonio ergo non prohibebitur, sed melius est, si sic manserit.

CANON XLVII. Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani; quia de illis editus est Canon, etsi diversus: quæ autem ad eos pertinent, silentio prætermissa sunt: nos autem una eademque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia: nostra tamen ratio vires obtineat, quia, cum veluti Marcionitarum germen sit eorum hæresis, nuptias abhorrentium & aversantium, vinum & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim, In Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizati sumus: qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis, & reliquarum hæresum, quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus babeatur.

CANON XLVIII. Quæ à marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet. Si enim

enim Dominus dixit, si quis reliquit uxorem præterquam ratione fornicationis, facit eam adulterari; ex eo, quod eam adulteram nominet, exclusit eam à societate cum alio. Quomodo enim potest vir quidem esse reus, ut Author adulterii; mulier autem nulli esse culpæ affinis, quæ adultera appellata est, propter consuetudinem cum alio viro.

CANON XLIX. Stupra, quæ per vim inferuntur, non sint accusationi obnoxia. Quare etsi ancillæ vis allata fuerit à proprio Domino, ea à culpa non est libera.

CANON L. Trigamiæ lex non est. Quare lege tertium matrimonium non celebratur, verum tamen ea ut Ecclesiæ inquinamenta videmus: sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut, quæ soluta à profusa fornicatione sunt magis expetenda.

Eiusdem ad eundem Epistola Canonica tertia.

CANON LI. Quod ad clericos spectat, Canones indefinite ediderunt: unam in eos, qui lapsi sunt, pœnam decerni jubentes, à ministerio scilicet motionem, sive sint in gradu, sive etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseverent.

CANON LII. Quæ fœtus in via nati curam non gessit, si cùm posset servare, neglexerit, vel se ideo peccatum celare existimans, vel etiam omnino belluina, & inhumana cogitatione impulsa: tanquam propter homicidium judicetur. Sin autem eum concinnare, & componere non potuit, & propter solitudinem, rerumque necessariarum inopiam, fœtus interiit; matri ignoscendum est.

CANON LIII. Vidua ancilla forte non multum lapsa est, quæ sub raptus simulatione secundum matrimonium eligit. Quamobrem eam de illo excusare non oportet: neque enim simulatio judicatur, sed voluntas. Clarum est autem, quod illam manet pœna digamiæ.

CANON LIV. De diversis involuntariarum cædium generibus scio me ante hoc tempus ad Sanctitatem tuam scripsisse pro viribus: neque est præterea quidquam, quod possim dicere. Est autem tuæ prudentiæ, pro circumstantiæ proprietate, pœnas intendere, vel remittere.

CANON LV. Qui se latronibus adversos objiciunt, si quidem extra Ecclesiam, à boni communione arcentur: si sint autem Clerici, à gradu deponuntur. Quicunque enim, inquit, gladium accepit, gladio peribit.

CANON LVI. Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est: viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in ea dispensabuntur: debet quatuor annis flere stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem enuntians: post quatuor autem annos inter auditores recipietur. Et quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum iis, qui in substratione sunt, orans egredietur. In quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.

CANON LVII. Qui non voluntariè interfecit, decem annis Sacramentis non communicabit. Decem autem anni sic in eo dispensabuntur: duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perseverabit, in quatuor substratus, & anno solùm consistet: & deinceps ad sacra admittetur.

CANON LVIII. Qui adulteraverit, quindecim annis Sacramentis non communicabit. Hi autem anni quindecim sic dispensabuntur: quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens sine communione.

CANON LIX. Fornicator septem annis sanctis non communicabit: duobus deflens, & duobus audiens, & duobus substratus, uno solo consistens, octavo autem ad communionem admittetur.

CANON LX. Quæ virginitatem professa, à voto suo, ac professione lapsa est, peccati adulterii tempus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in iis, qui vitam Monasticam profitentur, & labuntur.

CANON LXI. Qui furatus est, si sponte pœnitentia motus seipsum accusaverit, per annum à sola Sacramentorum communione arcebitur; sin autem convictus fuerit, per annos duos. Dividetur autem illi hoc tempus in substrationem, & consistentiam, & tunc communione dignus habeatur.

CANON LXII. Qui suam erga mares turpitudinem declarat, ei tempus dispensabitur illius, qui Adulterii scelus admisit.

CANON LXIII. Qui suam in brutorum concubitu impietatem confitetur: eandem pœnitentiæ rationem observet.

CANON LXIV. Perjurus, undecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor substratus, anno unico consistens, & tunc communione dignus habebitur.

CANON LXV. Qui præstigias, vel veneficium confitetur: is homicidæ tempus in pœnitentia ducet: perinde dispensatus, ut de unoquoque peccato seipsum accusaverit.

CANON LXVI. Qui sepulchra effodit, undecim annos carebit communione.

CANON LXVII. Cum sorore coitus pari atque homicida tempore pœnitentiæ expiabitur.

CANON LXVIII. Prohibitæ cognationis in matrimonium conjunctio, si deprehensa fuerit, ut quæ in hominum peccatis facta est, subibit adulterorum pœnas.

CANON LXIX. Lector si cum sua sponsa ante matrimonium commercium habuerit: postquam anno cessaverit, ad legendum suscipietur, permanebit tamen, nec promovebitur. Quodsi absque desponsatione furtim coierit, cessabit à ministerio, eadem & Hypodiaconi ratio esto.

CANON LXX. Diaconus, qui pollutus est labiis, & se eousque peccasse confessus est, à ministerio prohibebitur: Sacramentorum autem cum Diaconis particeps esse sinetur. Idipsum autem Presbyter quoque. Si quid autem ampliùs peccasse quis deprehensus fuerit; in quocunque sit gradu, deponetur.

CANON

CANON LXXI. Qui uniuscujusque prædictorum peccatorum est conscius, & non confessus, sed convictus est: tanto tempore, quanto malorum effector punitus est, ipse quoque punietur.

CANON LXXII. Qui se vatibus, vel ejusmodi aliis se tradit, ipse quoque pari tempore, atque homicidæ punietur.

CANON LXXIII. Qui Chistum negavit, & salutis mysterium transgressus est, eum toto vitæ suæ tempore deflere, & pœnitentiam agere convenit. Cùm autem vita excedet, Sacramenti particeps erit propter fidem Divinæ Clementiæ.

CANON LXXIV. Sin autem unusquisque eorum, qui in prædictis peccatis fuere, confessus, bonus evaserit, si is, cui à Dei benignitate ligandi, & solvendi credita est potestas, videns summam ejus, qui peccavit, confessionem, fiat clementior ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione: cùm quæ est in scripturis, nobis Historia significet, quod, qui cum majori labore confitentur, Dei misericordiam celeriter apprehendent.

CANON LXXV. Qui cum propria ex Patre vel Matre Sorore pollutus est, in domum orationis ne permittatur accedere; donec ab iniqua & nefaria actione desistat. Postquam antem in horrendi peccati sensum & animadversionem venerit, triennio desicat, stans ad fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam auditionem admittatur, & scripturam ac doctrinam audiens ejiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde si quidem illam cum lacrymis exquisivit, & Domino cum cordis contritione & valida humiliatione suplex procidit: detur ei substratio in aliis tribus annis. Et sic postquam pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione: & cum duobus annis una cum fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.

CANON LXXVI. Idem est decretum in eos quoque, qui suas nurus accipiunt.

CANON LXXVII. Qui mulierem legitimè sibi copulatam dimittit, & aliam ducit: secundùm Domini sententiam adulterii judicio subjicitur; & à Patribus nostris Canonicè statutum est: ut ii anno defleant, biennio audiant, triennio substernentur, septimo cum fidelibus consistant, & ita oblatione digni habeantur, si cum lacrymis pœnitentiam egerint.

CANON LXXVIII. Eadem autem forma observetur, & in iis, qui duas sorores in matrimonio accipiunt, etsi diversis temporibus.

CANON LXXIX. Qui autem in novercas suas insaniunt, sunt eidem Canoni obnoxii, cui & ii, qui in suas sorores insaniunt.

CANON LXXX. Patres polygamiam silentio prætermisere, ut belluinam, & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur, eam majus esse fornicatione peccatum: & ideo consentaneum est, ut ii Canonibus subjiciantur, ut scilicet postquam anno fleverint, & tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.

CANON LXXXI. Cùm multi in Barbarorum incursione fidem in Christum violarint, factis Sacramentis gentilibus, & quibusdam nefariis, quæ Idolis magicis oblata sunt, ab eis gustatis: ii secundùm leges à Patribus jam editas, & Canones dispensentur. Qui enim gravem vim sibi factam ex tormentis sustinnerunt, & non ferentes labores ad negationem tracti sunt, tribus annis sint non recipiendi, & in duobus audiant, & cùm tribus annis substrati fuerint, sic ad communionem admittantur. Qui autem nullam vim magnam passi, fidem in Christum prodiderunt, & dæmoniorum mensam attigerunt, & Græca Sacramenta jurarunt; tribus annis ejiciantur, duobus audiant, postquam autem in substratione tribus annis oraverint, & in aliis tribus cum fidelibus ad orationem constiterint, sic admittantur ad boni communionem.

CANON LXXXII. De iis etiam, qui pejerarunt: si vi & necessitate juramenta transgressi sunt, levioribus pœnis subjiciuntur, ut post sex annos omnino possint suscipi. Qui autem sine vi suam fidem prodiderunt, cùm duobus annis defleverint, & duobus annis audiverint, & duobus aliis sine oblatione in orationis communionem substerni extiterint, ita tandem, condigna scilicet pœnitentia ostensa in Corporis Christi communionem recipientur.

CANON LXXXIII. Qui vaticinantur, & gentium consuetudinem sequuntur, & aliquos in ædes suas introducunt ad veneficiorum inventionem, & eorum expurgationem, cadant in Canonem sexennii, & postquam anno defleverint, & anno audierint, in tribus annis substrati, & anno cum fidelibus consistentes, sic admittentur.

CANON LXXXIV. Hæc autem omnia scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim ita omnino ex tempore judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quodsi qui à propriis moribus non facile avellantur, & carnis voluptatibus potius quàm Deo servire voluerint, vitamque ex Evangelio institutam non admittant: nulla est nobis cum illis communis ratio, nos enim in populo inobediente & contradicente audire docti sumus: servans serva animam tuam.

CANON LXXXV. Ne itaque cum istis perire in animum inducamus, sed grave judicium formidantes, & terribilem divinæ retributionis diem præ oculis habentes, ne velimus una cum alienis peccatis perire. Si enim nos non audierunt terribilia Dei, nec tot plagæ nos in sensum deduxerunt, quod propter nostram iniquitatem nos dereliquit Dominus, & tradidit in manus barbarorum, & populus ad hostes captivus abductus est, & dispersioni traditus, eo quod ea audebant, qui Dei nomen circumferebant; si non noverunt, nec intellexerunt, quid propter hæc venit in nos ira Dei: quæ nobis est communis cum his ratio? sed & noctu & interdiu, & publicè, & privatim ipsis testificari debemus: cum eorum autem improbitatem abire nolumus; sed eos potius lucrifacere & à mali laqueo eripere. Sin autem hoc non possumus, studeamus animas

animas faltem noftras ab æterna condemnatione fervare.

§. XIII.

Epiftola Canonica D. Gregorii Nyffeni ad Letojum Mitilenes Epifcopum. Circa annum 376.

Unum hoc quoque eft eorum, quæ ad fanctum Feftum conferunt, fi nos intelligamus legitimam & Canonicam, in iis, qui peccarunt, œconomiam, ut curetur omnis morbus animæ, qui per aliquod peccatum accidit. Quoniam enim hoc eft univerfale Feftum creationis, quod in præftituto annui circuli ambitu fingulis annis in univerfo mundo propter ejus, qui ceciderat, refurrectionem, peragitur (cafus autem eft peccatum, refurrectio verò ex peccati cafu erectio) rectè habuerit, fi hodierno die non folùm eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam transmutati funt, ad Deum adducamus; fed eos etiam, qui per pœnitentiam, & converfionem à mortuis operibus ad viventem viam redeunt, ad fpem, quæ falvos eos faciat tanquam manu deducamus, à qua per peccatum alienati funt.

Neque verò parvum opus eft, ea quæ de iis dicenda funt, in recto & probato judicio difpenfare, juxta præceptum Prophetæ, quod jubet, *difponere fermones in judicio*: ut, quemadmodum habet oraculum divinum, *in æternum non commoveatur: & in memoria æterna fit juftus.* Quemadmodum enim etiam in corporali medela, unum eft quidem inftitutum medicinæ, ut fanus fit is, qui laborat, varium autem eft curationis genus, (pro morborum enim varietate convenienter quoque medicinæ methodus ac difciplina unicuique morbo fe applicat) ita cùm multa fit in morbo quoque animæ affectionum varietas, multiformis quoque neceffario fuerit medica curatio ad affectionis rationem medicinam exercens.

Verùm ut arte aliqua procedat propofitæ quæftionis methodus, rem ita tractabimus. Tria funt, quæ in anima noftra confiderantur fecundùm primam divifionem: ratio, concupifcentia, & ira. In iis funt & rectè facta eorum, qui ex virtute vivunt, & delicta, cafufque eorum, qui ad vitium dilabuntur. Quam ob rem oportet eum, qui ægrotanti animæ parti convenientem medelam eft adhibiturus, prius quidem confiderare, in quonam confiftat affectio; deinde fic laboranti convenientem medelam applicare, ne propter medicæ difciplinæ ignorantiam, alia quidem fit pars, quæ ægrotat, alia verò cui eft adhibita medela: ficut certè multos videmus Medicos, qui propter primo affectæ partis ignorantiam morbum fuis medicamentis adaugent. Cùm enim fæpe exiftat morbus propter dominationem, & exfuperationem calidi: quoniam iis, qui propter nimiam frigidi abundantiam malè affecti funt, utile eft, quod calefacit, & confovet id, quod ex illis ex ratione adhibitum confert, idem iis, qui immoderata caliditate fuccenduntur applicantes, efficiunt, ut fit morbus curatu difficillimus. Quemadmodum ergo Medicis in primis neceffaria exiftimata eft elementorum proprietatis cognitio, ut uniuscujusque eorum, quæ bene vel male conftituta funt, id quod præter naturam affectum eft, corrigatur: fic & nos ad hanc recurrentes divifionem, quæ eft eorum, quæ in anima confiderantur, principium & fundamentum convenientis affectionum curationis generalem faciamus contemplationem.

Trifariam ergo, ùt diximus, divifa proprietate motionum animæ in rationem, concupifcentiam, & iram; recta rationalis animæ partis operatio eft, pia de Deo exiftimatio eft, boni ac mali difcernendi fcientia, & quæ clarum habet ac minimè confufum de natura eorum, circa quæ verfatur, judicium, quod in rebus expetendum fit, quid abhorrendum, & refpuendum. Contra verò, vitium partis ejusdem proprium exiftimabitur, quando circa res divinas fuerit impietas; Circa id autem, quod verè honeftum eft, inopia judicii, perverfa autem & corrupta de rerum natura exiftimatio, *ut ponat lucem tenebras, & tenebras lucem*, ùt dicit Scriptura.

Concupifcentis autem partis motus eft ex virtute, fi ad id, quod vere eft concupifcendum, & vere pulchrum ac honeftum erigitur defiderium, & fi qua eft in nobis amatoria facultas & affectio, tota illa verfetur, ut credamus, nihil aliud effe fua natura expetendum præter virtutem, & naturam, quæ virtutem profundit. Hujus autem partis declinatio eft, & peccatum, quando cupiditatem transtulerit ad inanem, quæ non poteft confiftere, gloriam, vel ad florem corporibus illitum: unde exiftit libido, gloriæ cupiditas, ambitio & avaritia, & cætera ejufmodi, quæ ab hoc vitii genere dependent.

Animofæ autem, feu irafcentis partis recta, & ex virtute actio eft, mali odium & bellum cum animi perturbationibus, & mentis ad fortitudinem confirmatio, ut non pertimefcat, quæ multis terribilia videntur, fed ufque ad fanguinem peccato refiftat, mortis autem minas & gravia fupplicia contemnat; & à rebus jucundiffimis disjunctione, & omnibus, ut femel dicam, quæ propter aliquam confuetudinem, & anticipatam opinionem multos in voluptate detinent, fit fuperior pro fide, & virtute decertans. Hujus autem partis prolapfiones omnibus apertæ funt, invidia, odium, ira, convitia, certamina contentiofæ & ultionis appetentes affectiones, quæ acceptæ injuriæ recordationem longè extendunt, & multas in cædes, fanguinemque definunt. Dum enim non invenit ftulta & inerudita ratio, quomodo armis fuis opportunè utatur, ferri aciem in fe convertit: eaque arma, quæ nobis à Deo ad defenfionem data funt, ei, qui malè utitur, exitium afferunt. His ad hunc modum diftinctis, quæcunque peccata ratione prædictam animæ partem attingunt, graviora judicata funt à Patribus, & majori, ac diuturniori, & laboriofiori converfione digna. Quemadmodum fi quis fidem in Chriftum negavit, vel ad Judaifmum, vel Idolorum cultum, vel Manichæifmum, vel aliquod aliud impietatis genus defciviffe vifus fit, qui voluntariè quidem ad id malum fe contulit, deinde feipfum condemnavit: præfcriptum pœnitentiæ tempus vitam omnem habet. Nunquam

quam enim, dum myſtica peragitur oratio, Deum unà cum populo adorare ſinetur, ſed ſeorſim precabitur: à Sacramentorum autem communione omninò erit alienus: in hora autem ſui è vita exceſſus Sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio, myſticorum Sacramentorum ad vitæ exitum uſque expers. Qui autem tormentis, & gravibus ſuppliciis excruciati fuerint: iis certum eſt præſtitutum tempus pœnitentiæ: Sanctis Patribus ea uſis in ipſos clementia, tanquam anima non lapſa ſit, ſed corporis imbecillitas adverſus tormenta non duraverit. Quare iis, quibus vi ac dolore transgreſſio extorta eſt, idem qui fornicatoribus, modus pœnitentiæ præſcriptus eſt. Qui autem ad præſtigiatores, vel divinos abierunt, vel eos, qui per Dæmones ſe purgationes quaſdam, & expiationes operaturos pollicentur, ii exactè interrogantur, & examinantur, utrum in fide in Chriſtum permanentes vi aliqua ad illud peccatum impulſi ſint, cùm afflictio aliqua, vel intolerabilis jactura, hunc illis animum indidiſſet, an omninò neglecto, quod à nobis creditum eſt, teſtimonio ad Dæmonum ſocietatem ſe contulerint. Si enim ad fidem infirmandam, & quòd Deum eſſe non crederent, qui à Chriſtianis creditur, illud fecerunt: erunt ſcilicet transgreſſorum judicio obnoxii. Sin autem intoleranda vis aliqua, puſillo eorum animo ſuperato, eò deduxit, falſa aliqua ſpe deductos: ſimiliter adhibebitur in ipſos clementia, uti in eos, qui tormentis in tempore confeſſionis reſiſtere non potuerunt. Eorum autem, quæ ad cupiditatem & voluptatem fiunt peccatorum, hæc eſt diviſio: hoc enim vocatur adulterium, illud verò fornicatio. Ac nonnullis quidem eorum, qui ſunt ſubtiliores, placuit etiam fornicationis peccatum, adulterium eſſe exiſtimare: quoniam una eſt legitima conjunctio, & mulieris cum viro, & viri cum muliere. Quidquid ergo non eſt legitimum, eſt omninò injuſtum, & legi contrarium: & qui non habet proprium, habet omninò alienum. Homini enim una tantùm data eſt auxiliatrix, & mulieri unum appoſitum eſt caput. Ergo ſi quis proprium, *vas ſuum*, ùt divinus Apoſtolus nominat, *poſſederit:* ei lex naturæ juſtum uſum concedit. Si quis autem extra proprium converſus fuerit, erit omninò in alieno. Eſt autem unicuique alienum, quidquid non eſt proprium, etiamſi certum Dominum non habeat. Non longè ergo à peccato adulterii fornicatio, ab iis, qui rem paulò accuratiùs examinant, ſuſcepta eſt: Cùm dicat etiam ſacra Scriptura: *Ne multus ſis cum aliena.* Sed quia cum imbecillioribus indulgenter agendum cenſuerunt Patres: diſtinctum eſt peccatum hac generali diviſione, ut fornicatio dicatur, cupiditatis ſeu libidinis expletio, quæ fit ſine alterius injuria; adulterium verò, inſidiæ, & injuria, quæ alteri affertur. In eodem autem ordine & cum animalibus coitum, & prædicatum numerant: quoniam hæc quoque ſunt naturæ adulteria. In id enim, quod eſt alienum, & quod eſt præter naturam ſit injuſtitia. Cùm hæc ergo diviſio in hac etiam peccati ſpecie fiat: univerſale eſt remedium, ut à conciliata in ejuſmodi voluptate rabie, per pœnitentiam homo purus efficiatur.

Sed quia in iis, qui fornicatione polluti ſunt, injuria nulla cum hoc peccato commiſta eſt: propterea duplum converſionis tempus iis præſcriptum eſt, qui adulterio inquinati ſunt, & in aliis itidem vetitis malis animalium initu, & rabie in maſculos. In iis enim peccatum, ùt dixi, duplicatur: unum quidem in illicita & nefaria voluptate, alterum autem, quod in injuria, quæ ſit alteri, conſiſtit. Eſt autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ, inter eos, qui in voluptate peccarunt ejuſmodi. Qui enim ex ſeipſo ad ſua proferenda peccata impulſus eſt, eo quòd ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & ſignum mutationis in melius oſtenderit: in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem vel accuſationem ingratiis convictus eſt, longius illi converſionis tempus datur, ut ipſe perfectè purgatus, deinde ad Sacramentorum communionem admittatur.

Eſt ergo Canon ejuſmodi, ut qui fornicatione polluti ſunt, in tribus annis ab oratione omninò expellantur, in tribus ſint ſolius auditionis participes, in tribus autem aliis cum iis, qui in converſione ſubſternuntur, ponantur, & tunc ſint Sacramentorum participes. In iis autem, qui diligentiori converſione uſi fuerint, & vita ſua oſtenderint, ſe ad bonum regreſſos eſſe, licet ei, qui diſpenſat, pro Eccleſiaſticæ Oeconomiæ utilitate tempus auditionis contrahere, & celerius ad converſionem deducere, & rurſus hoc quoque tempus contrahere; & celerius reddere communionem: ut ſua probatione, ejus, cui medela adhibetur, Conſtitutionem dijudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas projicere eſt vetitum, ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem à vitio, & purgationem homo eſt factus, abſurdum eſt.

Quæ autem in adulterio, & in reliquis immunditiæ generibus, fit iniquitas, ùt ante dictum eſt, omnino eodem judicio punietur, quo & fornicationis ſcelus: ſed tempore duplicabitur. In eo autem ejus etiam, cui medela adhibetur, animi diſpoſitio conſiderabitur, quomodo & in iis, qui fornicationis ſordibus infecti ſint, ut vel citius vel tardius, ad boni participationem admittantur.

Reſtat ad hæc, ut iraſcentem animæ partem examinandam proponamus, quando lapſa à bono iræ uſu in peccatum ceciderit. Cùm autem multa ſint, quæ per iram fiunt peccata, & omnia mala: placuit noſtris Patribus in aliis quidem non nimiùm accurate agere, nec plurimùm in eo ſtudii ponere, ut omnia, quæ ex ira naſcerentur, delicta curarent (quamvis Scriptura non ſolùm vulnus prohibeat, ſed etiam omne convitium, vel maledictum, & ſi quid aliud ejuſmodi ira efficit) ſed adverſus unum cædis crimen pœnarum cautionem providerunt.

Dividitur autem hoc malum in voluntarium, & involuntarium. Et eſt cædes quidem voluntaria, quæ meditato ſuſcepta eſt ab eo, qui ſe ad hoc comparaverat, ut hoc facinus perpetraret. Deinde

Deinde illud quoque in voluntariis existimatum est, quando quis in congressu verberans, & verberatus per iram plagam mortiferam intulerit. Qui enim ira semel victus est, & animi motui indulget, nihil eorum, quæ malum possent amputare, ei perturbationis tempore in mentem venit. Quare & illic ortus ex pugna cædis eventus in factum voluntarium, non in casum confertur. Involuntariæ autem cædes habent manifesta indicia: quando quis alteri rei studium applicans, casu immedicabile aliquod malum fecerit. In his ergo cædes quidem in triplicatum tempus extenditur iis, qui per conversionem voluntario facinori remedium afferunt. Ter novem enim sunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito: adeo ut imperfecta quidem segregatione, novem annorum tempore versetur ab Ecclesia prohibitus; alios autem tot annos in auditione permaneat, sola Doctorum & Scripturarum auditione dignus habitus: in tertio autem novenario cum substratione oret: sicque perveniat ad communionem Sacramenti. Et in hoc quoque scilicet idem observabitur ab eo, qui Ecclesiam administrat, & pro ratione conversionis illi quoque pœnæ tempus contrahetur: adeo ut novem annis in unoquoque gradu, vel octo, vel septem, vel sex, imo etiam quinque tantùm anni ponantur, si pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & superet correctionis studio eos, qui in longo tempore præstituto susceptas à se maculas segniter eluunt. Involuntarium autem, venia quidem dignum, sed non laudabile judicatum est. Hæc autem dixi, ut sit apertum, quòd etiamsi quis involuntariè fuerit in scelere homicidii, eum tanquam jam profanum flagitio redditum, à sacerdotali gratia ejiciendum pronuntiavit Canon. Quantum autem est expiationis tempus ob simplicem fornicationem, tantùm etiam par esse imponi iis, qui cædem involuntariam fecissent, statutum est: scilicet in iis quoque pœnitentis voluntate examinata, ut si sit fide digna conversio, non servetur annorum numerus, sed temporis prolixitate resecata, ad Ecclesiæ restitutionem, & boni participationem, compendio deducatur. Si quis autem tempore non expleto à Canonibus præstituto, vita excedat: jubet Patrum clementia, ut effectus Sacramentorum particeps, non viatico vacuus ad extremam illam & longam peregrinationem mittatur. Sin autem postquam Sacramenti particeps factus fuerit, rursus ad vitam reversus sit: statutum tempus exspectet in illo gradu existens, in quo erat ante communionem illi ex necessitate datam.

Altera autem idololatriæ species, sic enim divinus Apostolus avaritiam appellat, nescio, quomodo absque ulla pœnæ medela à Patribus prætermissa est. Atqui hoc malum videtur esse trium animi Constitutionum affectio. Nam & ratio, ab ejus, quod pulchrum est, judicio aberrans, esse in materia, quod pulchrum est, existimat, ad pulchritudinem à materia separatam non respiciens, & desiderium ad ea, quæ sunt, inferiora, inclinatur, ab eo, quod verè est expetendum, dilabens: at contentiosa animosaque animæ affectio, ex hoc peccato multas occasiones accipit. Et ut in universum dicam, ejusmodi morbus cum Apostolica avaritiæ definitione convenit. Divinus enim Apostolus eam non solùm idololatriam, sed etiam omnium malorum radicem pronuntiavit. Et tamen hæc morbi species nec considerata, nec ullo remedio curata, sed omninò prætermissa est. Quo fit, ut hic morbus valde in Ecclesia redundet, & nemo de iis, qui ad Clerum adducuntur, inquirat, num qui eo idololatriæ genere polluti sint: sed de iis, quoniam id à Patribus prætermissum est, sufficere existimamus, publica doctrinæ ratione, eas, quomodo fieri potest, curare, avaritiæ affectiones, veluti quosdam morbos ex repletione ortos, oratione purgando; solùm autem furtum, & sepulchrorum effossionem & sacrilegium vitia censemus, quòd ex Patrum successione hæc nobis traditio de iis relicta sit. Atqui apud divinam Scripturam, & redundantia, & usura sunt prohibitæ; & per potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiamsi sub prætextu negotiationis hoc fortasse factum sit. Quoniam ergo, quod ad nos quidem attinet, authoritatem, cui credendum est, Canones habent: Canonum judicium de iis, quæ prohibita esse constet; iis, quæ jam dicta sunt, adjicimus.

Dividitur ergo furtum in latrocinium, & murorum effossionem. Idem autem cùm sit utriusque scopus, aliena auferre: magna est in utriusque mente diversitas. Nam prædo etiam homicidii opem adhibet, ad propositum obtinendum, ad hoc ipsum se comparans & armis, & numerosa manu, & opportunitate locorum: adeo ut is homicidarum judicio subjiciatur, si per pœnitentiam ad Dei Ecclesiam revertatur. Qui autem occulta subtractione sibi alienum usurpet, ac deinde per Confessionem peccatum suum Sacerdoti aperit, studio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit morbum, curabit: res, inquam, suas largiendo pauperibus, ut, dum, quæ habet, profundit, se ab avaritiæ morbo liberum apertè ostendat. Sin autem nihil aliud, nisi corpus habeat, jubet Apostolus per corporalem laborem, ei morbo fieri medicinam. Ejus autem verba sunt: *Qui furatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.*

Sepulchrorum autem effossio, ipsa quoque dividitur in id, quod veniam meretur, & id, quod non meretur. Si quis enim honori mortuis debito parcens, & intactum relinquens corpus, quod rectum est, ut soli non ostendatur turpitudo naturæ, lapidibus aliquot in sepulchro extantibus ad aliquod opus construendum abutatur; ne hoc quidem est laudabile, sed ut esset dignum venia, consuetudo effecit, quando ad melius, & reipublicæ utilius, materia traducta est. Sed carnis in terram redactæ pulverem perscrutari, & ossa loco movere, spe lucrifaciendi ornamenti alicujus ex iis, quæ cum corpore sepulta sunt: id eodem judicio condemnatum est, quo simplex fornicatio, quemadmodum præcedenti Capite dictum est: dispensatore scilicet, ejus medelam, qui curatur, æstimante ex ipsius vita, ut præstitutum à Canonibus pœnitentiæ spatium contrahat. Sacrilegium autem in antiqua Scriptura ne

cædis

cædis quidem condemnatione visum est tolerabilius. Similiter enim, & qui cædis convictus erat, & qui res Deo dedicatas abstulerat, lapidationis supplicium subibat. In Ecclesiastica autem consuetudine, nescio quomodo, eò lenitatis descensum est, ut illius morbi existimaretur tolerabilius piaculum: his enim brevioris temporis, quàm adulterio imponendam pœnitentiam paterna traditio definiit; ubique autem hoc in quovis peccati genere ante omnia videndum est, qualis sit ejus, cui medela adhibetur, affectio; neque existimandum, tempus ad remedium sufficere (nam quid remedii tempus afferre possit? sed ejus, qui sibi per conversionem medetur, voluntatem.

Hæc tibi, o homo Dei! ex eis, quæ erant ad manum studiose composita, quod oporteat fratrum mandatis parere, studiose misimus. Tu verò consuetas pro nobis preces Deo offerre ne intermittas. Debes enim, ùt gratus filius, ei, qui te secundum Deum genuit, in senectute per tuas orationes alimentum convenienter præcepto, quod jubet honorare Parentes, ut tibi benè sit, & sis longævus super terram. Clarum est autem, quod ut symbolum Sacerdotale litteras accipies, manusque non contemnes, etiamsi sit minùs, quàm pro Summa ingenii tui bonitate.

§. XIV.

Canones Pœnitentiales Concilii Carthaginensis III. anno 397.

CANON XXXI. Ut pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

CANON XXXII. Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente cujuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.

§. XV.

Canones Pœnitentiales SIRICII PAPÆ, qui obiit anno 398.

In Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum n. 5. sic scribit: *De his non incongrue Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus; quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur: quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.* Et n. 6. *Præterea Monachorum quosdam atque Monacharum abjecto proposito sanctitatis in tantam proteslaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo velut sub Monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint; postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus liberè filios procrearint. Has ergo impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu eliminandas esse mandamus, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.* Et n. 7. *Plurimos Sacerdotes atque Levitas post longa consecrationis suæ tempora tam de conjugibus propriis quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri Testamento Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. — Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ignoratione lapsos esse se deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Hi verò, qui illiciti privilegiu excusatione nituntur, ut asserant, sibi hoc veteri Lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria. Et si quilibet Episcopus, Presbyter, aut Diaconus deinceps talis fuerit, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum.* Et n. 14. *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci; quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

§. XVI.

Canones Pœnitentiales INNOCENTII I, qui Pontificatum suscepit anno 402.

In Epistola I. ad Decentium n. 7. scribit: *De pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta Feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacbrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.*

Idem in Epistola III. ad Exuperium n. 2. *Quæsitum est, quid de his observari oporteat, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos*

non revocaret à lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Novatiani heretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuatur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro à perpetuo exitio vindicentur.

Idem in Epistola XXI. ad Martianum n. 5. *At verò hi, qui à Catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solùm pœnitentiam non agunt, verùm etiam honore cumulantur. -- Sed Canones apud Nicæam constituti permiserant?* N. 6. *Pervideat dilectio tua, quod necessitas imperavit, in pace jam Ecclesias constitutas non posse præsumere, sed ut sæpe accidit, quoties à populis aut turba peccatur, quia in omnes non potest vindicari, inultum solet transire.*

§. XVII.

Canones Pœnitentiales LEONIS I.

1. IN EPISTOLA 80. AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM sic scribit: Illam contra Apostolicam Regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur; cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo Fidei videatur esse laudabilis, quæ propter timorem Dei apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium sunt hujusmodi peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari; si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

2. Idem Epist. 91. ad Theodorum. Ut quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. Ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi; ut si quid per servitutem nostram bono ordine & gratulando impletur effectu, non ambigamus, per Spiritum Sanctum fuisse donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finicrit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus corpore non poterit. Nec necesse est, nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere; cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus profit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrimas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitentiam credamus ex Dei inspiratioi e conceptam, dicente Apostolo: *Nec forte det illis Deus pœnitentiam*, ut resipiscant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Unde oportet unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat; nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum spatium se reservet incertum; & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri; illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitenti-, vel reconciliatio sacerdotis. Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso eis vocis officio per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod NB PAULO ANTE poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula Canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum à fide discedendo peccarunt.

3. *Idem in Epist. 92. ad Rusticum.* C. 2. Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presby-

Presbyterali honore aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. NOTA. Hoc loco D. Leo tantùm loquitur de pœnitentia publica, & Indulgentia solenni, quæ antiquitus ob gravitatem criminis, & conditionem status Clericis denegata fuit, sicut aliis, in quibus reconciliatio denegabatur etiam in articulo mortis. Privata autem confessio non negatur.

4. Idem l. c. C. 5. Ancillam à thoro abjicere & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis. Culpanda est sane talium (usque ad mortem differentium ejectionem concubinæ) sed non penitus desperanda, ut crebris cohortationibus incitati, quod necessariè expetierunt, fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est; quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Et c. 6. Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. C. 7. Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde pœnitentia, quæ dilata est, cum studiosius petita NB fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad Indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

5. Idem l. c. C 8. Aliud quidem est, debita justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet à multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Unde si pœnitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetit Ecclesiasticum, quam forense judicium. Et c. 9. Qualitas lucri negotiantem aut excusat aut arguit: quia est & honestus quæstus & turpis. Verumtamen utilius est pœnitenti, etiam dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum. Et c. 10. Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Unde non est liber à laqueis Diaboli, qui se mundanæ militiæ NB VOLUERIT implicare. Et c. 11. In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius, æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam gessit, quàm castitas perseverans mentis & corporis.

§. XVIII.

Canones Pœnitentiales variorum Conciliorum sæculo V.

1. CONCILIUM MILEVITANUM II. anno 416. *Can.* 23. Placuit, ut quicunque quæ conversus ab hæreticis dixerit, se apud eos pœnitentiam accipere, unusquisque Catholicus Episcopus requirat, ubi & ob quam causam apud eosdem hæreticos pœnitentiam susceperit, ut cum documentis certis hoc ipsum approbaverit, sibi pro qualitate peccati, sicut eidem Episcopo Catholico visum fuerit, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernat.

2. CONCILIUM ARELATENSE anno 452. *Can.* 9. Novatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta pœnitentia credulitate præteritum damnet errorem.

Can. 10. De his, qui in persecutione prævaricati sunt, si voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, ut quinque annos inter Cathecumenos exigant, & duos inter communicantes; ita ut communionem inter pœnitentes non præsumant. In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere & agere pœnitentiam viderint, ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.

Can. 11. Si qui verò dolore victi & pondere persecutionis negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter Cathecumenos, triennio inter pœnitentes habentur à communione suspensi.

Can. 12. De his, qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit, nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

Can. 21. Pœnitens, quæcunque viro defuncto alii nubere præsumpserit, vel suspecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari.

Can. 22. Pœnitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

Can. 25. Qui post Sanctam Religionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant; quos etiam jubemus ad Clericatus officium non admitti. Et quicunque ille post pœnitentiam habitum sæcularem non præsumat. Quod si præsumpserit, ab Ecclesia alienus habeatur.

Can. 28. De his, qui in extremis periclitantur pœnitentia accepta, placuit, sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quod si accepto hoc viatico supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimè reconciliatoriam manus impositionem recipiant.

Can. 29. Pœnitentiam desiderantibus etiam Clericis non negandam.

3. CONCILIUM ANDEGAVENSE anno 453. *Can.* 4. & 5. Qui tradendis civitatibus fuerint interfuisse detecti, non solùm à communione habeantur alieni, sed nec conviviorum admittantur

tantur esse participes. Quod etiam de his, qui accepta pœnitentia resilierint, debita severitate servandum.

Can. 12. Pœnitentiæ locus omnibus pateat, qui converti errorem suum voluerint confiteri, quibus perspecta qualitate peccati secundum Episcopi æstimationem erit venia largienda.

4. Concilium Turonicum anno 461.

Can. 8. Si quis post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta quam professus est pœnitentia fuerit reversus, à communione Ecclesiæ, vel à convivio fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo.

5. Concilium Veneticum anno 465.

Can. 3. Pœnitentes, qui susceptam publicè pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti vitæ se sæculari conversationique reddiderint, non solùm à communione Dominicorum Sacramentorum, sed etiam à conviviis fidelium submovendos.

6. Concilium Romanum anno 465.

Can. 3. Hi qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros Ordines aspirare non audeant.

§. XIX.

Canones Pœnitentiales variorum Conciliorum Sæculo VI. VII. VIII.

1. Concilium Agathense anno 506.

Can. 15. Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput à sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur, & nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda est propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum.

Can. 43. De Pœnitentibus id placuit observare, quod Sancti Patres nostri Synodali sententia censuerunt, ut nullus de his Clericus ordinetur.

2. Concilium Aurelianense I. anno 511.

Can. 11. De his, qui suscepta pœnitentia religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi & ab omnium Catholicorum convivio separari. Quod si post interdictum cum eis quisquam præsumpserit manducare, & ipse communione privetur.

Can. 12. Si Diaconus, aut Presbyter pro reatu suo se ab Altaris communione sub pœnitentis professione submoverit, sic quoque, si alii defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem Baptismum liceat baptizare.

3. Concilium Gerundense anno 517.

Can. 9. Is, qui ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

4. Concilium Epaonense anno 517.

Can. 3. Pœnitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur.

Can. 29. Lapsi, id est, qui in Catholica baptizati prævaricatione damnabili post in hæresin transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breviata pœnitentiam biennii conditione infrascriptæ observationis imponimus, ut præscripto biennio tertia die sine relaxatione jejunent, Ecclesiam studeant frequentare, in pœnitentum loco standi & orandi humilitatem noverint observandam; ac etiam ipsi, cum Catechumeni procedere commonentur abscedant. Hoc si observare voluerint, constituto tempore admittendis ad altarium observatio relaxetur. Quam si arduam vel duram forte putaverint: Statuta præteritorum Canonum complere debebunt.

Can. 31. De pœnitentia homicidarum, qui sæculi Leges evaserint, hoc summa reverentia de eis inter nos placuit observari, quod Ancyritani Canones decreverunt.

Can. 36. Ne ullus sine remedio aut spe veniæ ab Ecclesia repellatur; neve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur; Sed si cui forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constitutæ tempora relaxentur. Quod si ægrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spatia observare conveniet.

Can. 34. Si quis servum proprium sine conscientia Judicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.

5. Concilium Lugdunense I. anno 517.

Can. 1. & 6. In causa Stephani incæsti crimine polluti, in damnationem ejus subscripsimus. .. Quod non solùm de præfatis personis placuit custodiri, sed in omnibus, qui in hac perversitate fuerint detecti. --- Id temperamenti præstitimus, ut Stephano vel Palladiæ prædicto usque ad orationem plebis, quæ post Evangelia legeretur, orandi in locis sanctis spatium præstaremus.

6. Concilium Ilerdense anno 524.

Can. 1. De Clericis, qui in obsidionis necessitate positi sunt, statutum est, ut ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio quàm communione priventur, ita ut his duobus annis vigiliis, jejuniis, orationibus, & eleemosynis pro viribus expientur, & ita demum officio vel communioni reddantur.

Can. 2. Hi qui male conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare, studuerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus consumpserint, in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur; ita tamen, ut omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant. Ipsis veneficis in exitu tantùm, si facinora sua omni tempore vitæ suæ defleverint, communio tribuatur.

Can. 5.

Can. 5. Hi qui Altario Dei deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare, ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iteratò, velut canes ad vomitum, reversi fuerint, non solùm dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

Can. 9. De his, qui rebaptizati sunt, sine necessitate vel tormento, placuit, ut septem annis inter Catechumenos orent, & duobus inter Catholicos, & postea moderatione & clementia Episcopi Fidelibus in oblatione & Eucharistia communicent.

Can. 10. Qui jubente Sacerdote pro qua cunque culpa ab Ecclesia exire contempserit, pro noxa contumaciæ tardius recipiatur ad veniam.

7. Concilium Arelatense IV. anno 524.

Can. 3. Nullus pœnitentem audeat ordinare.

8. Concilium Aurelianense III. anno 538.

Can. 24. Ut ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus personis credere præsumat: Certè conjugatis, nisi ex consensu partium, & ætate jam plena eam dare non audeat.

Can. 25. Si quis pœnitentiæ benedictione suscepta ad sæcularem habitum, militiamque reverti præsumpserit, viatico concesso usque ad exitum excommunicatione plectatur.

9. Concilium Aurelianense IV. anno 541.

Can. 8 De his, qui post Baptismi Sacramentum ad hæresis lapsum descendunt, & agnoscentes reatum ad unitatem Fidei Catholicæ venire desiderant, in Episcoporum potestate consistat, cum eos viderunt, dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni pristinæ reformentur.

Can. 28. Quisquis homicidium voluntate commiserit, ita ut occidere audeat innocentem, si à Principibus aut à parentibus, quacunque re se reddiderit absolutum, pro modo pœnitentiæ distringendus in Sacerdotis potestate consistat.

10. Collectio et Paraphrasis Canonum Orientalium facta à Martino Episcopo Bracarensi circa annum 570.

Can. 23. Pœnitens tantùm, si necessitas aut usus exegerit, inter Ostiarios prius deputetur, vel inter Lectores, ita ut Evangelia, vel Epistolam non legat. Si qui autem ante ordinati sunt, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut Sacra non contingant. Ex pœnitentibus enim dicimus ideo, quod post Baptismum pro homicidio, aut pro diversis criminibus aut gravissimis peccatis publicam pœnitentiam gerens divino fuerit reconciliatus Altario.

Can. 76. Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam uxorem irruerit, septem annis pœnitentiam agat.

Can. 77. Si qua mulier fornicaverit, & infantem, qui exinde natus fuerit, occiderit; & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare; certè, ut non concipiat, elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores Canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia, sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam judicamus.

Can. 78. Si quis voluntariè homicidium fecerit, ad januam Ecclesiæ Catholicæ semper subjaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntariè, sed casu aliquod homicidium fuerit factum, prior Canon septem annis agi pœnitentiam jussit, secundus Canon quinque mandavit.

Can. 79. Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione abstineantur usque ad mortem. (Tunc) autem eis communio pro misericordia detur. Si autem supervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

Can. 80. Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiam agat; Conversatio autem & fides pœnitentis compendiat tempus.

Can. 81. Si quis ante viginti annos in cujuslibet animalis commistionem peccaverit, quindecim annis in humilitate subjaceat ad Ecclesiæ januam; & post hos aliis quinque annis in Orationis tantùm communione receptus pœnitentiam agat, & sic gratiam Sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit, & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato irruerit, viginti quinque annos humilitate subjaceat, & viginti quinque annis Orationibus tantùm communicans postea recipiat Sacramentum. Quod si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, Sacramentum in exitu consequatur. Oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare (orare).

Can. 72. Si quis de corpore exiens novissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum Orationis particeps sit. Nam non accipiat Sacramentum, donec constitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere Sacramentum, cum consideratione & probatione Episcopi accipere debent.

11. Concilium Toletanum III. anno 589.

Can. 11. Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundùm Canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quotiescunque peccare libuerit, toties à Presbytero se reconciliari expostulent. Et ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione id à sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum den-

tur pœnitentiæ, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere; expleto autem satisfactionis tempore, sicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat. Hi verò, qui ad priora vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundùm priorum Canonum severitatem damnentur.

Can. 12. Quicunque ab Episcopo, vel à Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus observet, vel Presbyter, ut si vir est, sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat, & sic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius mutaverit habitum. Sæpius enim Laicis tribuendo desidiosè pœnitentiam ad lamentanda rursus facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.

12. Concilium Barcinonense anno 599.

Can. 4. Si qui hominum utriusque sexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia sponte transierint, ab Ecclesiarum liminibus expulsi ita ab hominum Catholicorum communione sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta.

13. Concilium Toletanum IV. anno 633.

Can. 55. Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes Laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quodsi nec admoniti revertantur, verè ut Apostatæ anathematis sententia condemnentur. -- Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

14. Concilium Toletanum VI. anno 638.

Can. 7. Quamvis priora nunquam siluerunt de tanto facinore Concilia, ratio tamen poscit, ut ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur. Et ideo, quoniam existit tanta perversitas hominum, ut hi, quos sub religioso habitu pœnitentiæ professio pro peccatorum venia ad manum Sacerdotis deducit, vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitæ pristinæ sordes revocet; hujus rei causa sancta Synodus decernit, ut si qui ingenuorum utriusque sexus sub nomine pœnitentiæ in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem eomam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ab Episcopo civitatis, in cujus territorio sunt conversi, comprehensi rursus legibus pœnitentiæ in Monasteriis subdantur inviti. Quod si facere propter aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut priscorum Canoonum statuerunt Decreta, quousque ad dimissum ordinem revertantur, excommunicati habeantur; sed & hi, qui post excommunicationem vel interdictum cum ipsis communicaverint.

Ibidem Can. 8. Antiqui & sanctissimi est Patris sententia Papæ Leonis, ut is, qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium; si conjugatus, & forte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum. Quod nos sicut de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus non quidem generaliter & legitimè præceptum; sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum; ea duntaxat ratione; ut si ia, qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quàm ex consensu ad continentiam eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad uxorios transire amplexus. Sin autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu pari modo à nobis manifestum est, decrevisse; ita videlicet, ut in his omnibus Sacerdotis ordinatio exspectetur, ut juxta quod ætatem aptam prospexerit continentiæ, absolutionia vel districtionis tribuat legem.

15. Concilium Cabilonense anno 650.

Can. 8. De pœnitentia peccatorum, quæ est medela animæ, utilem hominibus esse censemus; & ut pœnitentibus à Sacerdotibus data Confessione indicatur pœnitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire.

16. Concilium Toletanum XI. anno 675.

Can. 12. Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine à reconciliationis gratia differendus est; sed si præcinctum mortis urget periculum, pœnitentia per manus impositionem accepta statim ei reconciliatio adhibenda est, ne prius æger ab humanis rebus abscedat, quam donum reconciliationis percipiat, sicque superstitibus quodammodo doloris videatur esse (causa) perpetui, si præcisum ab Ecclesiæ membris eum, qui utique reconciliari non meruit, raptim à præsenti vita mors maturata subduxerit; juxta Papæ Leonis edictum: *His, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire.* Ep. 91. De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint; quaoquam diversitas præceptorum de hoc Capitulo habeatur, illorum tamen noa sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.

17. Concilium Quinisextum seu Trullanum anno 692.

Can. 91. Eas, quæ dant abortionem facientia medicamenta & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjicimus.

Ibidem Can. 102. Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati

peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit, ad conversionem promptum studium; & sic morbo convenientem afferre medicinam; ne si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans; ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis consistat. Quare qui medicinæ scientiam in spiritu profitetur, oportet eum primùm ejus, qui peccavit, affectionem considerare, & sive vergit ad sanitatem, sive contra propriis moribus provocat in se morbum, aspicere; quomodo ejus, quæ intercedit, vitæ rationis conversionisque curam gerat, & si artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impositorum medicamentorum adjectionem (προσαγωγῆς), & sic misericordiam, prout dignus est, impertiri. Omnem enim rationem init Deus, isque cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod est à serpente vulneratum, medeatur; & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem & contemptum frœna relaxet; sed una omnino ratione, sive per acriora & adstringentia, sive per molliora & leniora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis; in iis autem, quæ extrema non admittant, sequi formam traditam, quemadmodum nos sanctus docet Basilius.

18. Concilium Toletanum XII. anno 681.

Cap. 2. Plerumque hi, quibus miseratio Domini etiam nolentibus subvenit, beneficiis Dei videntur esse ingrati, & abuti gratia largitoris, qua bene usi poterant consequi abolitionem facinoris: impugnant sæpe, quod honorare debuerant, & ex profanis quæstibus indultæ gratiæ munus à se rejiciunt, cum summis votis amplecti debuerant. Etenim multos sæpe conspeximus, & in salute positos, ultimum desiderantes pœnitentiæ fructum, & rursus nimietate ægritudinis ita loquendi & sentiendi perdidisse naturale officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse, nullo etiam pristinæ devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus fraternitas condolens ita talium necessitates in fide sua susceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum, quod scilicet sine fructu pœnitentiæ non videantur transire è sæculo, si forsitan respicien-te Deo saluti pristinæ reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppositionibus execrandis, qualiter à se tonsuræ venerabile signum expellant, atque habitum religionis abjiciant, impudentissimè afferentes; ideo se nullis regulis Ecclesiasticæ Disciplinæ sub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipsi petierint, nec scientes acceperint. Quorum impudentia procax, & obstinata procacitas nequaquam talia diceret, si, qualiter ad vitam per sacrosancti lavacri gratiam venisset, meminisset. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem discernendi, vel expetendi sensui aptior judicatur, nisi sponsione Fidelium Baptismi accipiant Sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria id appetere possunt. Unde sicut Baptismum, quod nescientibus parvulis sine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita & pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur absque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, observabunt. Si autem quolibet modo pœnitentiam accipiens hoc Synodale violaverit institutum, ut verè transgressor paternis regulis ferietur. Neque enim ista instituentes Sacerdotes quosque, ut passim & licenter donum pœnitentiæ non petentibus audeant prorogare, absolvimus; sed hos, qui qualibet sorte pœnitentiam susceperint, ne ulterius ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non sentienti, neque petenti, ausu temerario pœnitentiam dederit, neque se exhortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit.

19. Concilium Toletanum XIII. anno 683.

Cap. 10. Tertiæ diei necessario collationis eventu visum nobis est, antiquorum Patrum indagare de pœnitentium regulis institutum. Etenim digno nobis venerandus honore Sanctissimus Frater noster Gaudentius, Valeriensis Sedis Episcopus, per Vicarium personæ suæ ad Concilium destinatum congressus est nostri reverentiam cœtus, insinuans sacrosancto Synodali Conventui, quod incommodæ valetudinis nimietate præventus, per manus impositionem subactus fuisset pœnitentiæ legibus. Sed utrum accepta pœnitentia liceret sibi præcepta sui Ordinis contrectare mysteria, vel Missarum solita explere Officia, per Synodalia institutionis se maluit certificari Responsa. Tunc collatis in unum de hujusmodi Canonicis instrumentis hoc sancta Synodus definivit, ut reconciliatione præmissa soliti Ordinis retentet officia. Si enim regulæ præcedentium Patrum eos, qui pœnitentiam in discrimina mortis accipiunt, & nulla de se MANIFESTA NB. SCELERA confitentur; si adsit tamen in his & talibus probitas morum, ad Ecclesiasticos gradus pervenire permittunt; quanto magis, ut hi, qui in ipso Sacerdotio constituti pœnitentiam accipiunt, à sui Ordinis officio retrahantur? Tantum si se ipsi MORTALIUM CRIMINUM NB. PROFESSIONE propria non notarunt. Cum enim omnis Sacerdos tunc sibi licitum sacrificare sciat, quando à malis actibus vacat, qua ratione, qui pœnitentiæ remedium suscipit, quod datur in remissionem peccati, à sacrificiis divinis se abigit? Pœnitentia enim ad hoc suscipitur, ut peccatum diluat, & peccati sordes hominem iterare non sinat. Qui ergo confidit, PER SUSCEPTAM POENITENTIAM NB. DIMISSA SIBI PECCATA, cur confidenter ad Altare Domini non accedat? vel cur Ordinis sui non audeat retentare Officia, cum hoc alteri non liceat, nisi ei, qui se à peccatis abstineat?

neat? Etenim cum pœnitentiam accipimus, ad similitudinem conditoris nos reformare conamur. Reformatio igitur ipsa medicamentum est, quo deleantur piacula. Si enim medicamentum istud assumitur rectè, Creatori suo anima reformatur; rectè etiam sacrificandi Deo cultus assumitur, quia in eo similitudo Conditoris agnoscitur. Si autem pœnitentiæ medicamentum subtrahitur, quod in remissionem peccatorum accipitur, ad similitudinem Factoris usquam non venitur. Etenim pœnitentia, ut dictum est, in remedium peccati accipitur; Sacerdotium verò propter munditiam retentatur, ut hoc Sacerdotis & vita, ita fructu bonorum operum floreat, quo & in se delicti passiones extinguat, & prædicamento suo in aliis peccati regnum potentialiter destruat. Huic igitur taliter, ut præmisimus, Sacerdoti viventi quid obierit, si POST ACCEPTAS NB. POENITENTIÆ LEGES divinis Altaribus propositionis offerat panes? Aut nunquid pœnitentiæ donum, quod in remedium sit peccati, in prohibitione devocandum est Sacramenti? Nusquam ergo pœnitentiæ præcepta privabunt jura cœlestia (jure cœlestium.) Pœnitens enim abstinere à peccatis pariter & negotiorum sæcularium tumultibus debet, non ab iis quæ sancta videntur & summa, se abstrahere, quæ operantem plus expiant, quàm commaculando deturpant. Scriptum est enim: Sacerdos ad hominem mortuum non accedat. Id est; mortalium criminum se implicatione non polluat. Non enim dicit Deus: ut Sacerdos ad Sacra quæque non auderet accedere, de quibus præceperat, ut nullo modo Sacerdos de Sanctis exiret, sed ut mortis opera non auderet contingere. Ergo abigenda sunt ab omni Sacerdote, quæ maculant, exercenda quæ mundant. His ergo rationabili sanctione præmissis hoc sancta Synodus definivit, ut stante priscorum Canonum Sanctione quicunque Pontificum vel Sacerdotum deinceps PER MANUS IMPOSITIONEM pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum PROFESSIONE notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant; sed PER METROPOLITANUM reconciliatione pœnitentium more suscepta solita compleant Ordinis sui Officia, vel cætera mysteriorum sibi credita Sacramenta. Hoc tantùm est observandum, ut si aut ante acceptionem pœnitentiæ adjudicatus nec reconciliatus reperitur pro culpis; aut si in ipsa perceptione pœnitentiæ RECONCILIATUS IMPLICATUM SE DIXERIT MORTALIBUS FACTIS, juxta æstimationem Metropolitani abstinere hujusmodi oportet à præmissis officiis. Cæterùm, si, ut dictum est, sub pœnitentiæ perceptione consistens nihil mortalis criminis se admisisse PRÆDIXERIT, attamen, quod FATERI HOMINIBUS ERUBESCIT, absconsum intra claustra sui pectoris delitescit, noverit ipse sibi potestatem esse concessam, ut juxta conscientiæ suæ fiduciam, utrum audeat, vel non audeat sacrificare Deo, ex sui potius arbitrii potestate, quàm ex nostri judicii permissione procedat.

§. XX.

CAPITULA THEODORI, Archi-Episcopi Cantuariensis, qui teste Guil. Cave ad Archi-Episcopatum Cantuariensem à Summo Pontifice promotus est anno 668, *& diem supremum obiit anno* 690. *Ejus* Pœnitentiale *edidit* PETITUS *Parisiis.*

In his autem Capitulis, ubi describit varias observantias Ecclesiæ Latinæ & Græcæ, ex qua & ipse in Latinam transiit, sic scribit: C. 6. *Qui bis baptizati sunt ignorantes, non indigent pœnitentia. Qui verò non ignorant, pœniteant septem annis quarta Feria & sexta, & tribus quadragesimis.* C. 7. *Qui operantur in die Dominica, Græci prima vice arguunt, secunda tollunt aliquid, tertia vice tertiam partem de rebus & vapulant, vel septem diebus pœniteant.* C. 12. *Græci omni Dominica die communicant sive Clerici sive Laici; & qui tribus Dominicis non communicaverit, excommunicetur. Romani similiter communicant, qui volunt. Qui autem noluerint, non excommunicantur. Pœnitentes verò secundùm Canones non debent communicare ante consummationem pœnitentiæ: Theodorus dicit: Nos verò per misericordiam post annum vel sex menses licentiam damus. Una est pœnitentia viduæ & puellæ; majorem meruit, quæ virum habet: si fornicationis crimen commiserit.* C. 14. *Digamus pœniteat primo anno quarta Feria & sexta Feria. Et in quadragesimis tribus abstineat se à carnibus, & separetur.* C. 15. *Monachus, si fornicatus fuerit, sex annis pœniteat.* C. 16. *In primo conjugio debet Presbyter Missam agere & benedicere ambos. Et postea abstineant se ab Ecclesia triginta diebus. Quibus peractis pœniteant quindecim diebus, & vacent orationi, & postea communicent cum oblatione.* C. 18. *Si quis maritus votum Domino habet virginitatis, adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed pœniteat tribus annis.* C. 21. *Mulieres menstruo tempore non intrent Ecclesiam, neque communicent, nec Sanctimoniales, nec Laicæ. Si præsumant, tribus hebdomadis pœniteant. Similiter pœniteant, quæ intrant Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, id est, quadraginta diebus.* C. 35. *Confessio Deo soli,* SI NECESSE EST, *agi licet.* C. 40. *Qui cum sorore fornicatur, quatuordecim annis pœniteat.* C. 41. *Sacerdos tangendo mulierem coinquinatus,* 40. *diebus pœniteat.* C. 43. *Non licet Diacono alicui judicare (indicere) pœnitentiam; sed Episcopis aut Presbyteris.* C. 51. *Qui occiderit Monachum aut Clericum, arma relinquat, & Domino serviat, vel septem annis pœniteat.* C. 53. *Si Laicus alterum odii meditatione occiderit, si non vult arma relinquere, pœniteat septem annis sine carne. Si per iram subitam, tribus annis. Si autem casu, vel eventu, uno anno.* C. 55. *Si quis fornicaverit cum virgine, uno anno pœniteat. Si cum maritata, tribus annis; unum integrum, duos alios quadraginta dies pœniteat.* C. 57. *Mulier, quæ de fornicationis amore ad alteram conjunxerit, septem annis pœniteat. Sic & alia, quæ semen viri sui miscens cibo, ut inde plus ejus amorem suscipiat.* C. 58. *Sacrata virgo fornicans septem annis pœniteat.* C. 59. *Qui homicidium vel furtum commiserit, & non composuit illis, quibus nocuit, quando confessus fuerit Episcopis vel Presbytero peccata sua, debet illis aut propria reddere, vel componere: Si verò non habuerit substantiam, unde componere*

ponere potest; vel nescierit, quibus nocuit, pænitentia plus augetur. C. 60. *Qui cibum immolatum comederit, deinde confessus fuerit; Sacerdos consideret personam, in qua ætate contigit; & ita autoritas sacerdotalis circa infirmum moderetur.* C. 61. *Mulier, quæ sobolem necaverit, septem annis pœniteat.* C. 70. *Qui pecuniam in prædam duxerit, tertiam partem eroget, & quadraginta dies jejunet.* C. 73. *Qui dimiserit uxorem suam alteri conjungens, septem annis pæniteat.* C. 78. *Mulier sponte perdens partem suam, si ante quadraginta dies conceptionis, annum unum pæniteat. Si verò post; tres annos pæniteat.* C. 83. *Qui manducat morticinum, quadraginta dies jejunet. Si ejus necessitas egerit, nihil est.* C. 97. *Si quis semetipsum absciderit, tribus annis communione privetur.* C. 98. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut in perjurio, aut in furto captus est, deponatur · non ita tamen communione privetur; dicit Scriptura:* Non vindicat Dominus bis in unum. C. 104. *Mulier incantationes cantans, vel anno, vel tribus quadragesimis pæniteat.* C. 106. *Episcopus, Presbyter, Diaconus, confiteri debet peccatum suum. Confessio Deo soli, NB. SI NECESSE EST, agi licet.* (NB. Hoc loco vult Theodorus dicere, id licere, quando Confessio fieri non potest, nisi cum periculo publicationis, v. g. si deberet fieri per interpretem, vel per Epistolam, vel si fieri non potest, nisi cum scandalo, aut sine longo itinere ad alium Sacerdotem, prout facile poterat contingere in Anglia noviter plantata, ubi & Theodorus secum habuit Sacerdotes Græcos, Gallos, Italos, idque in natione Anglo-Saxonum, utentium variis linguis.) C. 108. *Perjures tribus annis pæniteant. Sodomitæ septem annis; molles uno anno.* C. 111. *Ulciscendo qui occidit, ita pæniteat, ut homicidia sponte commissa.* C. 120. *Presbytero non licet peccatum Episcopi prodere, quod super eum est.*

§. XXI. XXII.

CAPITULARE GREGORII II. anno 721.

Cap. 12. Ut pœnitentiæ remediis nemo se non egere putet, pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus.

GREGORIUS III. in Epistola I. ad Bonifacium Archi-Episcopum Moguntinum circa annum 735. C. 7. De his, qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderint, dicimus, ut toto vitæ tempore Corpus Dominicum non suscipiant, nisi in suo exitu pro viatico. Abstineant se etiam à carnis commestione & potu vini, donec advixerint. Jejunent secunda, quarta, & sexta Feria, ut sic possint deflentes diluere commissum scelus. C. 8. Eis, qui ad immolandum sua paganis vendunt mancipia, similem homicidæ indices pœnitentiam.

NOTA, Huic Gregorio III. adscribi quodam Pœnitentiale, quod tamen illius non est, sed vel alterius Episcopi, vel impostoris, qui personam Summi Pontificis agere minimè calluit. In præfatione dicit: *Quapropter ex multis allegoriarum floribus, & de magnorum tractatibus, Canonumque sententiis, id est, Isidori, Augustini, Gregorii, Bedæ, Gelasii, Innocentii, Theodori, Cassiani, Egberti, & cæterorum colligere hunc libellum pænitentialem studuimus &c.* Gregorius III. obiit anno 741. Egbertus longe post ejus mortem anno 767. de Bedæ obitu litigant authores. Aliqui ad annum 766. alii ad annum 762. plurimi ad annum 736. Caveus ad annum 735. Non est ergo verosimile, Summum Pontificem ex eorum adhuc viventium tractatibus suum Pœnitentiale excerpisse, aut eos maximis viris, Augustino, Innocentio, Gelasio &c. præsertim ordinatum præpostero ac imperito, immiscuisse. Accedunt aliæ imperitiæ hujus Pœnitentialis, quod suam falsitatem statim prodit, si comparetur cum stylo gravissimo, verè Pontificio, ac sententia Zachariæ Papæ ejus successoris in Epistola Pœnitentiali mox adducenda, cujus nec umbram assequitur.

§. XXIII.

ZACHARIÆ PAPÆ Epistola VII. ad Pipinum circa annum 745.

Can. 20. De virginibus velatis, si deviaverint, quid de illis agendum sit, in libro decretorum beati Innocentii Papæ c. 19. assertum est. Quæ Christo spiritualiter nubunt, & à sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de mundo recesserit &c.

Can. 21. Item de non velatis virginibus, si deviaverint, in eodem libro c. 20. continetur: Hæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si forte nupserint, bis agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ Fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit. NOTA, Hic ab Innocentio I. fieri exactum discrimen inter obstrictas voto solenni, & voto simplici. Velatas cum voto solenni comparat cum actu conjugatis, non velatas autem cum voto simplici comparat cum desponsatis. Et hoc ipsum discrimen insinuant Græci per monachas & monachos *parvi* vel *magni habitus*, de quibus redibit sermo Parte 2. in *Pœnitentiali* Joannis Jejunatoris.

Can. 22. De his, quæ duobus fratribus nupserunt, vel qui duas sorores acceperint, in Concilio Neocæsar. c. 11. continetur. Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Can. 23. De his, qui homicidium sponte perpetraverint in c. 21. Ancyrani Concilii continetur: Qui voluntariè homicidium fecerunt, pœnitentiæ jugiter se submittant, perfectionem verò in vitæ exitu consequantur.

 Can. 24.

Can. 24. De his, qui homicidium non sponte perpetraverunt, in eodem c. 22. continetur: de homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septem annorum pœnitentiam perfectionem consequi præcepit: secunda verò quinquennii tempus explere.

Can. 25. De his, qui adulteras habent uxores, vel ipsi adulteri comprobantur, in Concilio Ancyrano c. 19. continetur: Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.

Can. 26. De Monachis, & virginibus propositum non servantibus in libro decretorum Siricii Papæ c. 6. continetur: Præterea monachorum quosdam atque monacharum abjecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo vel sub monasteriorum prætextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitia complexibus libere filios procrearint. Has igitur impudicas, detestabilesque personas à monasteriorum cœtu Clericorumque conventibus eliminandas esse, quatenus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificato possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

§. XXIV.

LEGES ECCLESIASTICÆ INÆ REGIS Anglosaxonum circa annum 692. *latæ in Concilio.*

Can. 2. Infans intra triginta dies, postquam in lucem prodierit, baptizator. Id si non fiat, terdenis solidis culpa mulctator.

Can. 3. Servus, si quid operis patrarit die Dominico ex præcepto Domini sui, liber esto. Dominus triginta solidoa dependito. Liber, si die hoc operetur injussu Domini sui, aut servituti addicitor, aut sexaginta solidos dependito.

Can. 6. Si quis pugnarit in campo, 120. solidis mulctator. Si inter convivas rixatum fuerit, triginta solidia (rei) mulctantor.

Can. 7. Si quis coram Episcopo testimonium aut pignus suum falso produxerit, 120. solidis compensato. &c. &c.

Nota. Hujusmodi Leges eodem ferme tempore prodierunt in Gallia, Bojaria, Italia, & aliis regnis, ita ut ferme omnia peccata, quæ hactenus fuerant punita per pœnitentiam solennem ex eo tempore longe severius punirentur per Leges Civiles, quàm prius Ecclesiasticas. Hinc ab isto tempore vigor pœnitentiæ solennis sensim imminuit; & pœnitentiæ illæ commutari cœperunt in consimiles pœnas pecuniarias; prout ex dicendis patebit.

§. XXV.

STATUTA D. BONIFACII, Moguntini Archi-Episcopi circa annum 745.

Cap. 31. Quia varia necessitate præpedimur Canonum Statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter observare; propterea omnino non dimittatur. Curet unusquisque presbyter statim post acceptam confessionem pœnitentium singuloa data oratione reconciliari. Morientibus verò sine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur. Et c. 32. Qui pœnitentiam in infirmitate petit, & casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierint & accipiat pœnitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictia testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutia pœnitentiæ, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

§. XXVI.

IN DIALOGO EGBERTI EBORACENSIS Archi-Episcopi circa annum 750.

Interrog. 15. Tunc ordinatio Episcopi Presbyteri, vel Diaconi rata esse dicetur; si nullo gravi facinore probatur infectus; si pœnitentiam publicam non gessit &c. Pro his verò criminibus nullum licet ordinari, sed promotos quoque dicimus deponendos; homicidiis vel fornicationibus contaminatos, furta perpetrantes &c. Eoa tamen, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti ad promerendam communionis gratiam, non ad recuperandum pristinæ dignitatis honorem. Alienum enim est ab Ecclesia, pœnitentes sacrosancta ministrare, qui dudum vasa fuerant vitiorum.

§. XXVII.

RESPONSA STEPHANI II. anno 754.

Resp. 17. De Presbytero, qui in culpam criminalem incidit, & peccatum ejus publicatum est, in Concilio Neocæsariensi c. 9. ita contiuetur: Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manua impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit confessus, & argui manifestè nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.

§. XXVIII.

CONCILIUM CALCUTHENSE in Anglia anno 787.

Can. 20. Si quis, quod absit, sine pœnitentia aut confessione de hac luce discesserit, pro eo minimè orandum est.

§. XXIX.

§. XXIX.

CAPITULARE CAROLI M. in Conventu Aquisgranensi celebrato anno 797.

Cap. 14. Enumeratis variis criminibus v. gr. cooperationis ad sacrificia gentilium, conspirationis cum paganis, furti, sacrilegii, homicidii, contemptus jejunii &c. sic habet: *Si quis verò pro his mortalibus criminibus latenter commissis sponte ad sacerdotem confugerit, & confessione data pœnitentiam agere voluerit, testimonium Sacerdotis de morte excuset.* In Summario dicitur: *Vita ei conceditur, qui de criminibus latenter commissis pœnitentiam agere voluerit.* Ex quo patet; sub stirpe Carolingica Pœnitentiam solennem conservatam fuisse de criminibus capitalibus ob spem conservandæ vitæ in foro civili, si crimen retegatur suo tempore.

Hi igitur sunt Canones Pœnitentiales à Sæculo III. usque ad VI. ex his colligitur. 1. Nullos reperiri de actibus mere internis, quamvis inter eos reperiantur actus non solùm publici, sed etiam occulti, quales sunt bestialitas, suffocatio fœtus in utero. 2. Peccata olim reservata ad pœnitentiam publicam idipsum esse ac *peccata* nunc *reservata* Episcopo aut Papæ solo eo discrimine, quod tunc ante satisfactionem ordinarie absolverint sacramentaliter Presbyteri; nunc autem ad eam absolutionem ob multitudinem confessariorum requiratur specialis licentia Episcopi aut Papæ. 3. Eadem peccata non fuisse reservata ad pœnitentiam publicam respectu cujusvis conditionis hominum. Non enim obligabantur ad pœnitentiam publicam subeundam Juvenes, conjugati nisi ex consensu partium, & Clerici. 4. Relictum fuisse judicio ac discretioni Presbyterorum in dubio, an peccatum ex suo genere reservatum spectata conditione personarum in individuo esset obligandum ad pœnitentiam publicam, sicut in Statutis Synodalibus Augustanis de anno 1355. & 1452. relinquitur judicio & discretioni Confessariorum, quænam peccata in specie infima censeri debeant tam enormia, ut mittenda sint ad Episcopum. 5. *Canones pœnitentiales* Sæculo VI. dedisse ansam ad conscribendos integros *libros pœnitentiales* seu *Pœnitentialia.* Cum enim multiplicarentur variantes *Constitutiones* Conciliorum circa ejusmodi *delicta enormia*, seu casus reservatos ad pœnitentiam solennem, visum est nonnullis Scriptoribus compilare *collectiones talium Canonum* pœnitentialium, prout patet ex Martino Bracarensi, cujus exemplum postea imitati sunt Beda, Rhabanus Maurus, Bunbardus Wormatiensis, S. Ivo, Gratianus. Imo cum tales *collectiones* non essent uniformis Regula, eo quod exprimerent disciplinam variam diversarum Provinciarum, & Nationum, & Temporum, quidam exactiores Episcopi ediderunt per modum *Ritualis* proprii *Pœnitentialia* propria pro suis subditis. Et exinde prodierunt *Pœnitentiale Romanum*, *Pœnitentiale Egberti* in Anglia, *Pœnitentiale Halitgarii* in Gallia &c. 6. Quamvis Canones Pœnitentiales non versentur circa actus mere internos, sed circa actus externos *reservatos*, ab iis tamen Confessarios dirigi ad imponendas proportionatas pœnitentias etiam circa actus internos, aut circa actus externos occultos non reservatos, in quibus concurrit paritas malitiæ, ipsa natura Sacramenti poseit, & continuus sensus Ecclesiæ. 7. Cum inter Canones Pœnitentiales aliqui reperiantur, quibus ad pœnitentiam solennem adstringi videantur etiam pueri, juvenes, mulieres, conjugati & Clerici, ne opus sit confugere ad nimiam variationem disciplinæ aut oppositionem legum, dicendum, tunc solùm etiam pueros, mulieres & Clericos subire debuisse pœnitentiam publicam, quando confitebantur peccata publica; secus, quando confitebantur peccata occulta ita ut licet Sacerdoti confiterentur distincte, populo tamen eo actu pœnitentiali, & satisfactione per sequestrationem à communione ad tempus, tantum confiterentur in genere, se esse peccatores. Id collegi ex Concilio Toletano IV. celebrato anno 633. quod Can. 54. sic habet: *Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantùm peccatores se prædicantes, hujusmodi, si revaluerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus Ecclesiasticos pervenire. Qui verò, ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publice fateantur: ad Clerum, vel ad honores Ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt, quia se confessione propria notaverunt.*

§. XXX.

Pœnitentialia à Sæculo VII. usque ad Sæculum XIII. præsertim ROMANUM tempore S. Gregorii M.

PRÆFATIO.

Cum Sæculo VII. Canones Pœnitentiales ob variam observantiam Diœcesium, & ob variam moderationem Episcoporum pro diversa congruentia locorum, personarum, & temporum ab uniformitate recederent, visum est exactioribus Episcopis, per modum Ritualis conscribere *Libros Pœnitentiales*, in quo annotabantur pœnitentiæ per Canones aut consuetudinem taxatæ, pro diversitate locorum & circumstantiarum variæ. Eam varietatem pœnitentiarum Scriptoribus Librorum Pœnitentialium ex eo, ut verosimile est, motivo annotare placuit, ut relinqueretur discretioni confessariorum quædam latitudo æqui judicii, intra quam cuivis incumberet, examinatis personarum & criminum circumstantiis dispicere, quandonam stricto jure, aut moderato utendum esset. Solerter ea Pœnitentialia collegit P. MORINUS in Appendice sui præclari operis, *de Pœnitentia*, quamvis ea omiserit, quæ jam prius in Libris impressis lucem aspexerant publicam v. gr. Pœnitentiale Ven. Bedæ, & Pœnitentiale Rhabani Mauri. Cum ea Pœnitentialia plurimum illustrent traditionem Ecclesiæ circa modum Confessionis auricularis; eaque Theologis, Germaniæ nostræ præsertim, videantur parum esse cognita, recudenda hoc loco

co censui, addito veteri Pœnitentiali Ecclesiæ Augustanæ, quod ex Manuscripto Codice Ecclesiæ Cathedralis, præferente manum Sæculi decimi, quondam descripsi, cum illius Bibliothecæ Manuscriptorum existente eruditissimo Comite de Schallenberg Capituli Decano conficerem Catalogum. Antiquissima, quæ extant, Pœnitentialia, quæ à Morino exhibentur, sunt Romanum Sæculi VII. & Constantinopolitanum Sæculi VI. Utrumque tamen Basnagius in Præfatione ad antiquas Lectiones Canisii, reimpressas Amstelodami anno 1725. ad Sæculum IX. detrudit. Profectò more suo petulanter ac temere. Quod enim Pœnitentiale Romanum attinet, utut libenter fatear, illud non esse Opus alicujus Romani Pontificis, sed tantùm Scriptoris privati, annotantis consuetudinem, & morem Romanæ Ecclesiæ, & leges variantes, circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, præfert tamen indubitata saltem Sæculi VII. indicia. Ratio id statuendi est, quia Halitgarius Cameracensis Archi-Episcopus fatetur, se hoc Pœnitentiale descripisse ex Scrinio Romanæ Ecclesiæ, quo nomine intelligebantur Bibliothecæ in Sacristiis ad usum communem Clericorum asservatæ, fieri vix potest, quin hoc Pœnitentiale jam Sæculo VII. in Sacristiam Ecclesiæ Lateranensis aut Vaticanæ relatum sit. Cum ergo Halitgarius jam anno 816. rexerit Ecclesiam Cameracensem, non est dubium, librum asservatum in Scrinio, seu Bibliotheca Romanæ Ecclesiæ, jam priori Sæculo Romæ habuisse usum, præsertim cum ejusmodi Scrinia, seu Bibliothecæ tunc temporis asservarentur in Sacristia pro usu publico Clericorum cujusvis Ecclesiæ, nec verosimile sit, Romanam Ecclesiam in sua Sacristia tolerasse Rituale extraneæ Ecclesiæ, nisi saltem approbatum, & praxi confirmatum. Si enim Halitgarius in Scrinio Romanæ Ecclesiæ, hoc est, in Bibliotheca Sacristiæ invenisset aliud Rituale Pœnitentiale, quod usitatius & commendatius fuisset Pœnitentiariis Romanis, sine dubio illud potius descripsisset, & in Galliam reportasset. Aliud argumentum antiquitatis sæculo nono est, quia Carolus M. in Concilio Turonensi celebrato anno 813. Can. 22. sufficienter indicat, jam Sæculo VII. extitisse Pœnitentialia, dum Pœnitentialia Scriptorum antiquorum inquirit. *Episcopis*, inquit, *& Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi peccata confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur; quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus & indiscretè hæc judicia proferuntur; ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Nos certè ubi citamus Scriptores *antiquos*, non solemus respicere ad eos, qui memoriam hominum non excedunt, sed ad eos, qui ad minimum uno aut altero sæculo distant, quales non erant Halitgarius, Beda, Egbertus. Nec obstat antiquitati Basnagii ratio; quod in illo Pœnitentiali Romano castigentur severissimè irreverentiæ commissæ circa sacrum sanguinem & Sacram Hostiam: & quod prohibeatur severissimè manducatio *de suffocato*. Quod enim hoc posterius attinet, constat ex centum documentis Conciliorùm & Historiæ Ecclesiasticæ, ab Apostolis manasse legem abstinendi à suffocato, quæ primis octo sæculis severissimè custodiebatur & urgebatur. Itaque ex hoc capite illud Pœnitentiale potius vindicandum erat antiquitati, quam reservandum sequioribus sæculis, in quibus rigor earum legum inter Christianos, jam nullis gentilibus permixtos, mollius urgeri cœpit. Quod irreverentiarum circa SS. Eucharistiam tam severam castigationem attinet, ea mira & nova videatur Basnagio hæretico, qui non distinguit inter panem consecratum, & profanum. Historiæ autem Ecclesiasticæ satis ostendunt, quanta providentia Spiritus Sanctus jam primis Sæculis invigilaverit, ut ex praxi continua Ecclesiæ quoad hanc cæremoniam externam, quæ alioquin saperet superstitionem, palpari posset sensus perpetuus Ecclesiæ de præsentia latentis Numinis. Videri documenta ea de re poterunt in mea *Demonstratione Critica Religionis Catholicæ* de Eucharistia. Aliud argumentum Basnagius Pœnitentiali Romano opponit, quod in eo laudentur *Decretales* Romanis Pontificibus *suppositæ*, quæ non nisi sæculo nono innotuerunt. At verò hujusmodi argumentis Basnagius lectores fallat, qui oculis carent. Nec enim in toto Pœnitentiali Romano verbum de Romanorum Pontificum Decretalibus occurrit; & quamvis antiquæ observantiæ circa sacrificium Missæ & Eucharistiæ recenseantur, nulli tamen Romanorum Pontificum adscribuntur, prout faber illarum Decretalium, Scriptor sæculi noni, affingit. Itaque hoc ipsum argumento est, Pœnitentiale Romanum Sæculo nono superius esse. Denique Basnagius sic ratiocinatur: *Multa à Scriptoribus laudantur tanquam ex Pœnitentiali Romano excerpta, quæ hic non occurrunt. Deinde rudis indigestaque moles illud Pœnitentiale Romanum, quale nunc editur, nec verosimile est, vim legis obtinuisse in Ecclesia Romana tractatulum, nulla cura, nulloque judicio consarcinatum. Plagæ illæ, quæ infliguntur pœnitentibus, sapiunt sæculum nonum, cujus barbariem & stylum redolet.*

Respondeo. Etiam Basnagius docet, in Pœnitentiali Romano *laudari* Decretales Pontificum suppostitias, præcise quia somniabat, ad eas à Pœnitentiali Romano respici. Somniare, aut extensioribus verbis reddere sensum imputatitium poterant Scriptores & alii. Quod Pœnitentiale Romanum indigesta moles, nec unquam à Romana Ecclesia in legem evecta sit, non diffiteor. Id proprium est omnium collectionum, quibus promiscuo ordine corraduntur observantiæ, quod etiam *Sacerdotali Romanæ Ecclesiæ* privata authoritate edito, & Collectionibus Declarationum S. Congr. Concilii accidit. Id tamen non obest antiquitati, quàm parum ex confusione Proverbiorum, aut Monitorum Ecclesiastici venerandæ antiquitati decedit. Plagas in Pœnitentiali Romano pœnitentibus inflictas sapere sæculi noni barbariem, pertinet ad gustum depravatum Basnagii. Id potius sapit ætatem, quo Barbari ex Gentilibus recenter conversi erant Christianis permixti, quæ ratio sæculo nono jam dudum desiit magna ex parte, aut ex integro. Igitur hac quoque ratione vindicanda potius videtur

detur Pœnitentiali Romano sua antiquitas, quàm abroganda. Una adhuc supereste videri poterat Objectio ex Pœnitentiali Gregorii III, qui vixit eodem tempore, quo Halitgarius. In isto Pœnitentiali statuuntur varia, quæ valde discrepant à Pœnitentiali Romano, quam discrepantiam non admisisset Romanus Pontifex, si antiquius illud Pœnitentiale Romanæ Ecclesiæ viguisset, aut extitisset. Verùm facilia est Responsio: illud Pœnitentiale Gregorii III. est indubitatò suppositititium, toto cœlo diversum à stylo Romanorum Pontificum, prout patet conferenti Pœnitentialia Zachariæ Papæ & Adriani I. ejus Successorum. Ipsemet Basnagius fatetur, Pœnitentiale istud ætate Gregorii III. multo esse recentius.

Accedo jam ad Pœnitentiale Constantinopolitanum, quod omnia Manuscripta teste Morino nec diffitente Basnagio tribuunt Patriarchæ C. P. Joanni Jejunatori, regenti illam Ecclesiam Sæculo sexto anno 581. Verùm Basnagius fidei omnium Manuscriptorum & constanti Traditioni Ecclesiæ Græcæ suas ratiunculas opponit, quibus etiam isthoc antiquitatis monumentum ad Sæculum nonum deprimere conatur. Objectiones sunt hæ:

1. In hoc Pœnitentiali fit iterata mentio Monachorum gestantium *parvum habitum*, & gestantium *magnum habitum*, quæ tamen differentia Monachorum primùm sæculo nono orta est. Ita enim Theodorus Studita Scriptor Sæculi noni ad Nicolaum suum Discipulum scribit: *Unus habitus, sicut unum baptisma. Ita enim sancti Patres nostri utebantur.*

2. Testimonia ex Joannis libro à Græcis ipsis laudata plurimum differunt à Pœnitentiali quod ei tribuitur.

3. Nomocanon à Balsomone Joanni Jejunatori tributus, toto cœlo distat ab isto Libello Pœnitentiali.

4. Duo Pœnitentialia, quæ ambo à Morino tribuuntur Joanni Jejunatori partim conveniunt, partim disconveniunt; eadem sæpius leguntur verba, eædem emittuntur orationes, iidem occurrunt ritus; discrepant tamen in multis, ita ut videantur potius Collectanea à variis Authoribus collecta ex Homiliis Joannis Jejunatoris de Pœnitentia.

5. Indignum est Joanne Jejunatore, viro alioquin pio, quod in isto Pœnitentiali dicitur: *Scio, me propter istam œconomiam nimiam* (Pœnitentibus) *compatientem, à Deo, communi omnium Judice, condemnatum iri. Sed tamen melius est mihi, in ejusmodi rebus damnari, quàm inhumanum laudari.*

6. Idem obstinatissimum adulterum vocat ad communionem, dummodo se contineat per Quadragesimam.

7. Idem in Pœnitentiali primo loquens de fœminis, quæ singulis mensibus cædes infantium patraverant ope cujusdam herbæ, ait: *Hæc cum omnibus superius scriptis excepi*; μετὰ τῶν προγραφέντων. Sed in posteriore Pœnitentiali dicit: *Hæc post omnia hæc scripta excepi*; μετὰ τὰ γραφέντα.

Respondeo: Hæc omnia non obstare, quin ambo Pœnitentialia Joanni Jejunatori vindicentur.

Ad 1. Dico, parvum & magnum habitum non fecisse diversum Monachum, sed fuisse habitum ejusdem Professionis & ejusdem Monasterii, ita tamen ut parvus habitus fuerit Novitiorum, & eorum, qui nondum admissi fuerant ad solennem Professionem, seu consecrationem perpetuam. Hic sensus patet ex ipso Pœnitentiali, quia peccantes in habitu magno, seu sacrato, puniuntur duplo majore pœna, quod non contingeret, si parvus & magnus habitus solum dicerent cæremoniam diversam in vestitu. Certè in *Nomocanone*, qui & ipse adscribitur à Balsomone Joanni Jejunatori, fit iterata hujus parvi & magni habitus distinctio. Dein etiam posito, quod per habitum parvum & magnum significaretur diversa professio, ex eo, quod Theodorus Studita eam differentiam improbet, non sequitur, morem fuisse recentem. Basnagius cum suis Protestantibus improbat differentiam habituum inter diversos Monachos; non tamen propterea sequitur, eam esse hesternam. Innocentius III. in Concilio Generali suppressit differentiam omnium Ordinum, præter militantium sub Regula S. Augustini & S. Benedicti; non tamen sequitur, alias Regulas antiquitùs non extitisse.

Ad 2. Dico, etiam Testimonia Novi Testamenti, quæ citantur ex Veteri, differre à fontibus; imo differt Versio septuagintaviralis à Textu Hebraico; differunt Textus relati à Gratiano ab iis, quos citat, Patrum operibus; & Collectio Martini Bracarensis, & Canones Arabici vel Africani idem ostendunt. Non tamen propterea neganda est authentica fontium, sed excerptoribus potius imputanda ratio deflorandi paraphrastica, aut libertas accommodatitia.

Ad 3. Dico, nil referre, si Nomocanon alium habuerit parentem, dummodo veterem, qui & ipse observantias legesque annotaverit, longè antiquiores se, sic ut ad Sæculum sextum aut septimum referri queant. Neque enim in illo *Nomocanone* recentiores deprehenduntur.

Ad 4. Dico, unum Pœnitentiale esse sermonem ad populum, alterum instructionem privatam pro Sacerdotibus, ut legenti patet. Hinc ratio habetur totius discriminis.

Ad 5. Dico, Authorem istius Pœnitentialis non dicere, quod sciat, se condemnandum ob lenitatem; sed dicit: quod sciat, se à Domino judicandum. Malle tamen se à Domino de lenitate judicari, quàm à Rigoristis de severitate laudari. Id patet legenti Textum Græcum.

Ad 6. Dico, manifestum esse ex contextu, quod Author loquatur de habentibus propositum serium se emendandi, quamvis fiant sæpe recidivi. Multi, inquit, confitentur, & dolorem concipiunt & tristitiam, attamen vel natura, vel surreptione, vel prava animi sententia, vel consuetudine iterum dejiciuntur. Hujusmodi ergo recidivis rectè suadet, ut saltem se per Quadragesimam contineant, sperando, sic imminuta consuetudine & aucta gratia etiam post Pascha faciliùs eos superaturos tentationem.

Ad 7. Dico, sensum verborum, prout manifestum est ex Græco, atque ex ipso contextu, hunc esse: *Cum omnibus hic à me recensitis peccatis etiam istud horrendum in Confessione pœnitentium excepi.* Et in secundo Pœnitentiali: *Post omnia hic à me recensita peccata etiam hoc horrendum in Confessione pœnitentium excepi.* Ubi patet, eundem esse sensum. Itaque Basnagius frustra agit, dum partim calumniis, partim levibus ex dubiis contra fidem omnium Manuscriptorum Codicum hæc duo Pœnitentialia Joanni Jejunatori, qui anno 581. Ecclesiam C. P. gubernavit, abjudicat. Omitto similes ineptias, dum hoc ipso in loco Diaconis facultatem absolvendi ex Pœnitentiali Romano adstruere nititur, cum tamen Disput. 7. ostensum sit, eos manum pœnitentibus, in qua cæremonia exprimebatur authoritativa potestas absolvendi, non imposuisse. Pertranseo etiam; quod loco hoc neget, ante sæculum nonum agnitam esse necessitatem aut legem confitendi peccata. Contrarium enim ostensum Disput. 2. & 4. ubi etiam objectiones illius abundè solutæ sunt. Antiqui enim, dum affirmant, *peccata purgari per Confessionem, quæ fit Deo*, per Confessionem autem, quæ fit Sacerdoti, disci, *quomodo purgentur peccata*, id unum significant, contritione quidem justificari hominem cum proposito satisfaciendi Deo; sed in Confessione auriculari ex ore Sacerdotis tanquam Compromissarii & Arbitri à Deo pœnitentibus constituti intelligi, quod genus satisfactionis & purgationis per modum conditionis exigatur à Deo in ordine ad concedendam veniam. Ex hoc ipso autem intelligitur necessitas Confessionis. Verum jam dimisso Basnagio jam ipsa Pœnitentialia, prout à Morino edita sunt, cum auctario Pœnitentialium Gregorii III, ut inscribitur, & Bedæ, & Augustani inspiciamus.

I.

Pœnitentiale Romanum.

Pœnitentiale hoc exscriptum est ex Scrinio Romanæ Ecclesiæ ab HALITOARIO, qui creatus est Archi-Episcopus Cameracensis anno 816. Is scripsit teste *Flodoardo* l. 2. Hist. Rhem. c. 19. *Sex libellos de remediis peccatorum & judiciis pœnitentiæ*, inter quos præsens Pœnitentiale conficit libellum sextum. Horum Exemplar Manuscriptum reperi in Bibliotheca ad D. Emeranum Ratisbonæ, quod antiquitate præfert Sæculum nonum, aut decimum. Editum est à Morino ex aliis Exemplaribus Galliæ, & à *Stevartio*, Professore Ingolstadiensi, ex alio Codice Manuscripto Germaniæ, quamvis nec locum nec ætatem illius Codicis annotet. Priores autem quinque libri Halitgarii publicati sunt inter *Antiquas Lectiones Henrici Canisii*, pariter Professoris Ingolstadiensis. Eo enim tempore Antiquitates Ecclesiasticæ etiam in pretio erant Ingolstadii, animante & præeunte cæteros P. Jacobo *Gretsero* S. J. Viro Scriptorum veterum cultore eximio. Cæterùm Pœnitentiale Romanum in editione Morini emendatiore sic habet:

Præfatio Halitgarii.

Addimus etiam huic operi exceptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ adsumpsimus: attamen à quo sit editus ignoramus. Idcirco adnectendum præscriptis Canonum sententiis decrevimus: ut si fortè hæ prolatæ sententiæ alicui superfluæ sunt visæ: aut penitus, quæ desiderat ibi, de singulorum criminibus nequiverit invenire, in hac saltem brevitate novissima omnium scelera forsitan inveniet explicata.

Incipit, qualiter suscipere debeant Pœnitentem Episcopi, vel Presbyteri.

Quotiescunque Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus, & nos communicare cum eis debemus jejunio unam, aut duas septimanas, aut quantùm possumus; ut non dicatur nobis, quod Judæorum Sacerdotibus dictum est à Domino Salvatore. Væ vobis Legisperiti, qui adgravatis homines, & imponitis super humeros eorum onera gravia, ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas. Nemo autem potest sublevare cadentem sub pondere nisi inclinaverit se; ut porrigat manum: neque ullus Medicorum vulnera infirmantium potest curare, nisi fœtoribus particeps fuerit: ita quoque nullus Sacerdotum, vel Pontifex, peccatorum vulnera curare potest, aut animabus peccata auferre, nisi præstante solicitudine, & oratione lacrymarum. Necesse est ergo nobis, Fratres charissimi, solicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra: & si quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra. Ideoque, & nos, si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam vocare: & quotiescunque dederis consilium peccanti, simulque da illi pœnitentiam statim, quantùm debeat jejunare, & redimere peccata sua: ne fortè obliviscaris, quantùm eum oporteat pro suis peccatis jejunare: tibique necesse sit, ut iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem forsitan erubescens iterum peccata sua confiteri, & invenietur jam amplius judicari. Non enim omnes Clerici hanc Scripturam usurpare, aut legere debent, qui inveniunt eam, nisi soli illi, quibus necesse est, hoc est, Presbyteri. Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi Episcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœlorum traditæ sunt, sic nec judicia ista aliis usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, suscipiat Diaconus pœnitentem ad sanctam Communionem. Sicut ergo superius diximus, humiliare se debent Episcopi, sive Presbyteri, & cum tristitia, gemitu, lacrymisque orare, non solùm pro suis delictis, sed etiam pro Christianorum omnium, ut possint cum B. dicere Paulo: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Cùm ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad orationem. Si autem cubiculum non

non habuerit, tamen tunc Sacerdos in corde suo dicat hanc orationem.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti Officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque Mediatorem constituisti ad adorandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt per Dominum nostrum Jesum Christum. Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, Sacerdotem tristem, & lacrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore Dei perculsus, ampliùs tristatur, & exhorrescet peccata sua. Et unumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam si videris acriter, & assiduè stare in pœnitentia, statim suscipe eum. Qui verò potest jejunare quod impositum est ei, noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt hi, qui celeriter debitum pondus persolvere festinant, quia jejunium debitum est. Et sic date mandatum his, qui pœnitentiam agunt: Quia si jejunaverit, & compleverit quod illi mandatum est à Sacerdote, purificabitur à peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem peccati reversus fuerit, sic est quomodo canis, qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non solùm debet jejunare quod illi mandatum est à Sacerdote, verum etiam postquam compleverit ea, quæ illi jussa sunt, debet, quantùm ipsi visum fuerit, jejunare sive tetradas, sive parascevas. Si enim egerit ea, quæ illi Sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur: si verò postea ex sua voluntate jejunaverit, mercedem sibi acquiret, & regnum cœlorum. Qui ergo tota septimana jejunaverit pro peccatis, Sabbato, & Dominica die manducet, & bibat quicquid aptum fuerit. Custodiat tamen se à crapula, vel ebrietate: quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo Paulus prohibuit dicens: *noli inebriari vino, in quo est luxuria.* Non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate. Explicet Prologus. Si quis fortè non potuerit jejunare, & habet unde dare ad redimendum, si dives fuerit, pro septem Hebdomadibus det solidos XX. Si autem non habuerit tantùm unde dare, det solidos X. Si autem multùm pauper fuerit, det solidos III. Neminem verò conturbet, quia jussimus viginti solidos dare, aut minus: quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos XX. quàm pauperi solidos III. Sed unusquisque attendat, cui dare debet, sive pro redemptione captivorum, sive super sancto Altari, sive pauperibus Christianis erogandum. Et hoc scitote, Fratres, ut dum venerint ad vos servi, vel ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantùm jejunare, quantùm divites; quia non sunt in sua potestate; ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

Incipit ratio ad dandam Pœnitentiam.

In primis dicit Psalmum tricesimum septimum totum, *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et postea dicit: *Oremus.* Et dicit Psalmum centesimum secundum: *Benedic, anima mea, Domino,* usque, *renovabitur sicut aquila juventus tua.* Et dicit Psalmum quinquagesimum: *Miserere mei, Deus,* usque, *iniquitates meas dele.* Post hæc dicit Psalmum LIII. *Deus in nomine tuo*, & dicit: *Oremus.* Et dicit Psalmum LI. *Quid gloriaris*, usque, *videbunt justi, & timebunt*, & dicit: *Oremus.*

Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento, Domine, famulo tuo illo, & qui lubrica terræque corporis fragilitate nudatus, quæsumus, ut des veniam confitenti; parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia. Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus; & sicut nemo nostrum liber est à culpa, ita nemo sit alienus à venia. Per Dominum.

Alia. Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per Dominum.

Alia. Precor, Domine, clementiæ, & misericordiæ tuæ Majestatem, ut famulo tuo illa peccata, & facinora sua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui Publicani precibus confessione placatus exaudisti. Tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu ejus precibus benignus aspira, ut in Confessione placabilis permaneat. Fletus ejus, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctusque Altaribus, & sacrificiis restitutus spei rursum æternæ cœlestis gloriæ mancipetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Item Oratio manus impositionis.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus, & petimus nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, & peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam. Ipse cœlestis apicis furor devolutus est, & de tua misericordia confidens ad bonam pacem præmiis tuis atque cœlestia pervenire mereatur ad vitam æternam. Per Dominum.

Incipit reconciliatio Pœnitentis Feria V. in Cœna Domini.

In primis dicit Pſalmum L. cum Ant. Cor mundum. Deus humani generis benigniſſime Conditor, & miſericordiſſime Reformator, qui in reconciliatione lapſorum etiam me, qui miſericordia tua primus indigeo, ſervire effectibus gratiæ tuæ per Miniſterium Sacerdotale voluiſti, ut ceſſante merito ſupplicis, mirabilior fieret clementia Redemptoris. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Alia. Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in Confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis: ut quod delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per Dominum.

Oratio ſuper infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti: & famulum tuum à lecto ægritudinis tua magnitudo erigat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Incipit judicium Pœnitentis. I.

Si quis Epiſcopus, aut aliquis ordinatus homicidium fecerit. Si quis Clericus homicidium fecerit, decem annos pœniteat, tres ex his in pane & aqua. Si Laicus, tres annos pœniteat, unum ex his in pane, & aqua. Subdiaconus 6. Diaconus 7. Presbyter 10. Epiſcopus 12. Si quis ad homicidium faciendum conſenſerit, ſeptem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua: Si quis Laicus homicidium fecerit voluntariè, ſeptem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Si quis infantem oppreſſerit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane, & aqua: ſimiliter & Clericus obſervet.

De Fornicatione. II.

Si quis fornicaverit, ſicut Sodomitæ 10. annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Si quis Clericus adulterium commiſerit, idem cum uxore, vel ſponſa alterius ſi filium genuerit, ſeptem annos pœniteat: ſi verò Filium non genuerit, & in notitiam hominum non venerit, ſi Clericus eſt, tres annos pœniteat, unum ex his in pane, & aqua. Si Diaconus, aut Monachus ſeptem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Epiſcopus duodecim, quinque in pane, & aqua. Si quis Clericus. I. cujus ſuperior gradus eſt, qui uxorem habet, & poſt converſionem, vel honorem iterum eam cognoverit, ſciat ſe adulterium commiſiſſe: idcirco, ut ſuperius conſtitutum eſt, pœniteat. Si quis fornicaverit cum ſanctimoniali, vel Deo dicata, cognoſcat ſe adulterium commiſiſſe, ſecundùm ſuperiorem ſententiam unuſquiſque juxta ordinem ſuum pœniteat. Si quis per ſemetipſum fornicaverit, aut cum jumento, aut cum quolibet quadrupede, tres annos pœniteat. Si gradum, aut votum, tres annos pœniteat. Si quis concupiſcit mulierem, & non potuerit peccare, id eſt, quia non ſuſcepit eum mulier, dimidium annum pœniteat in pane, & aqua, & toto abſtineat ſe anno à vino, & carne. Si quis Clericus poſtquam ſe Deo voverit, ad habitum ſæcularem redierit, ſicut canis ad proprium vomitum, vel uxorem duxerit, ſex annos pœniteat, tres ex bis in pane, & aqua, & poſtea in conjugio non copuletur. Quòdſi noluerit, ſancta Synodus, vel Sedes Apoſtolica ſeparabit eos à communione Catholicorum. Similiter & mulier poſtquam ſe Deo voverit, ſi tale ſcelus commiſerit, pari ſententiæ ſubjacebit. Si quis Laicus fornicaverit, ſicut Sodomitæ, VII. annos pœniteat. Si quis de alterius uxore filium genuerit, id eſt, adulterium commiſerit, ac thorum proximi ſui violaverit, III. annos pœniteat, & abſtineat à cibis luculentioribus, & à propria uxore, dans inſuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ. Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, id eſt, non fuerit ſuſceptus, quadraginta dies pœniteat. Si quis fornicaverit cum mulieribus, id eſt, viduis, vel puellis: ſi cum viduis, annum unum pœniteat: ſi cum puellis, 2. annos pœniteat. Si quis virgo virgini conjunctus fuerit, ſi voluerint parentes, ſi uxor ejus; tamen unum annum pœniteat, & ſint conjugales. Si quis cum jumento fornicaverit, annum unum pœniteat. Si uxorem non habuerit, dimidium annum pœniteat. Si quis virginem, vel viduam rapuerit, 3. annis pœniteat. Si quis ſponſam habens ſorori ejus forſitan vitium intulerit, & cohæſerit tanquam ſuæ, hanc autem uxorem duxerit, id eſt, deſponſatam, illa verò quæ vitium paſſa eſt, ſi forte necem ſibi intulerit, omnes hi, qui in hujus facti conſenſu ſunt, 10. annos in pane, & aqua redigantur, ſecundùm ſtatuta Canonum. Siqua de mulieribus, quæ fornicatæ ſunt, interfecerit, quæ naſcuntur, aut feſtinat abortivos facere, primum conſtitutum uſque ad exitum vetat, id quod verum definitum humanius aliquid conſequantur, conſtituimus eos decennii tempore ſecundùm gradus, quæ ſunt conſtituta, pœniteat.

De Perjurio. III.

Si quis Clericus perjuraverit, ſeptem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Laicus tres. Subdiaconus ſex. Diaconus ſeptem. Presbyter decem. Epiſcopus duodecim. Si quis verò coactus pro qualibet neceſſitate, aut neſciens perjuraverit, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua: & animam pro ſe reddat, id eſt, ſervum, vel ancillam de ſervitute abſolvat, & eleemoſynas multas faciat. Si quis perjuraverit per cupiditatem, totas res ſuas vendat; & donet pauperibus, & tondeatur, & intret in Monaſterium, & ibi deſerviat uſque ad mortem.

De Furto. IV.

Si quis Clericus furtum fecerit capitale, id eſt, quadrupedum: vel caſam ruperit, vel fregerit,

rit, vel qualibet melius præsidium furaverit, septem annos pœniteat. Laicus quinque. Subdiaconus sex. Diaconus septem. Presbyter 10. Episcopus 12. annos pœniteat. Si quis verò de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, & anno uno pœniteat in pane, & aqua; & si reddere non potuerit, tres annos pœniteat. Si quis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres in pane, & aqua. Si quis Laicus furtum fecerit, reddat proximo suo quod furaverat, III. quadragenas in pane, & aqua: si reddere non potuerit, anno uno, & tres quadragenas in pane, & aqua pœniteat: & eleemosynam de suo labore in pauperibus: & Sacerdotis judicio jungatur Altari.

De Maleficio. V.

Si quis maleficio aliquem perdiderit, 7. annos pœniteat, 3. in pane, & aqua. Si quis pro amore maleficus fit, & neminem perdiderit, si Laicus est, dimidium annum pœniteat; si Clericus, annum unum pœniteat in pane, & aqua: si Diaconus, tres annos, unum in pane, & aqua: Si Sacerdos, quinque annos, 2. in pane, & aqua. Si autem per hoc mulieris partus quis deceperit, sex quadragenas unusquisque insuper augeat, ne homicidii reus fit. Si quis immissor tempestatum fuerit, 7. annos pœniteat, 3. in pane, & aqua.

De Sacrilegio. VI.

Si quis sacrilegium fecerit, id est, quos (quod) aruspices vocant, qui auguria colunt, superauguriaverit, aut quocunque malo ingenio, 3. annos in pane, & aqua. Si quis ariolus fuerit, quod divinos vocant, aliquas divinationes fecerit, quia hoc dæmoniacum est, quinque annos pœniteat, 3. in pane, & aqua. Si quis in Kalendis Januarii quod multi faciunt, & in cervulo ducunt, (ducit) aut in vetula vadit, tres annos pœniteat. Si quis sortes habuerit, quas Sanctorum contra rationem vocant, vel aliquas sortes habuerit, vel qualecunque malo ingenio sortitus fuerit, vel divinaverit, tres annos pœniteat, 1. in pane, & aqua. Si quis ad arbores, vel ad fontes, vel ad cancellum, vel ubicunque, excepto in Ecclesia, votum voverit, aut exsolverit, tres annos cum pane, & aqua pœniteat: & hoc sacrilegium est, vel dæmonaticum. Qui verò ibidem ederit, aut biberit, unum annum pœniteat in pane, & aqua. Si quis Mathematicus, id est, per invocationem Dæmonum hominis mentem tulerit, quinque annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Siqui simul edunt festivitatem in locis abominandis Gentilium, & suam escam deferentes, comederint, placuit eos biennio subjacere, & sic suscipi, quæ obedire oportet: & post oblationem unumquemque spiritum probare, & vitam singulorum cognoscere. Si quis manducaverit, aut biberit juxta fanum; si per ignorantiam, promittat deinceps, quod nunquam reiteret, & quadraginta diebus in pane, & aqua pœniteat: si verò per contemptum hoc fecerit, id est, postquam Sacerdos ei prædicavit, quod sacrilegium hoc erat, mensæ Dæmoniorum communicaverit, singuli tantùm vitium hoc fecerit, tres quadragenas in pane, & aqua pœniteat. Si verò pro cultu Dæmonum, & honore simulacri hoc fecerit, tres annos pœniteat. Si quis secundo, & tertio immolatus (immolaverit) per vim, tres annos subjaceat, & duobus sine oblatione communicet, tertio ad perfectum suscipiatur. Si quis manducaverit sanguinem, aut morticinum, aut idolis immolatum, & non fuit ei necessitas, jejunet Hebdomadas duodecim.

De quibusdam Capitulis. VII.

Si quis quoquolibet (quodlibet) membrum sibi voluntariè truncaverit, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Si quis avorsum fecerit voluntariè, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Si quis usuras undecunque exegerit, tres annos pœniteat, unum in pane, & aqua. Si quis per potestatem, aut quolibet ingenio res alienas malo ordine invaserit, vel tulerit, super jure sententia, similiter pœniteat, & eleemosynas multas faciat. Si quis servum, aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captivitatem duxerit, vel transmiserit, sicut supra, pœniteat. Si quis aream, vel domum voluntariè igne cremaverit, sicut supra pœniteat. Si quis per iram alium percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilitaverit, solvat ei primò mercedem, & Medicum quærat: si Laicus est, 40. diebus: Clericus, 2. quadragenas: Diaconus, 7. mensibus: Presbyter annum 1. Si quis venationes exercuerit, Clericus annum unum pœniteat, Diaconus 2. Presbyter tres annos pœniteat. Si quis de Ministerio sanctæ Ecclesiæ qualecunque opus quidlibet fraudaverit, vel neglexerit, 7. annos pœniteat, tres in pane, & aqua. Si quis cum animalibus peccaverit, qui amplius, quàm triginta annorum fuerit, 15. annos subjaceat, communionem mereatur. Requiratur autem qualis fit eorum vita, si mereatur humanius aliquid, incessanter ad peccandum. Si perseveraverit, longam habeat pœnitentiam. Qui autem superiore ætate, & uxores habentes introierunt in hoc peccatum, viginti quinque annis subjaceant: ita ut post quinque, communionem cum oblatione mereantur. Si autem aliqui, & uxores habentes, & ampliùs quinquaginta annorum, hoc peccatum fecerint, in exitu vitæ mereantur viaticum accipere.

De Ebrietate. VIII.

Inebriatur igitur quis à vino, sive cerevisia contra indictum Salvatoris, ac Apostolorum ejus, quod si votum sanctitatis habuerit, 40. diebus in pane, & aqua culpam diluat: Laicus verò septem diebus pœniteat. Episcopus faciens fornicationem degradetur: & sexdecim annos pœniteat. Presbyter autem, & Diaconus fornicationem naturalem faciens Prælato ante Monachi votum tres annos pœniteat. Veniam omni hora roget, superpositionem unaquaque hebdomada, exceptis quinquagesimis diebus faciat.

De minutis causis. IX.

Si causa negligens quis sacrificium perdat relinquens foris, & an aliquo devoratur, 40. diebus pœniteat; sin verò annum unum pœniteat. Si communicaverit ignorans, excommunicatis ab Ecclesia, diebus 40. pœniteat. Si sacrificium terra tenus negligendo ceciderit, superpositio fit. Pro bonis rebus offerre debemus, pro malis nequaquam. Presbyteri verò pro suis Episcopis non prohibentur offerre. Qui præbet Ducatum Barbaris, tres annos pœniteat. Qui Monasteria expoliat, falsò se dicere (dicens) captivos redimere, tres annos pœniteat: & omnia, quæ abstraxit, pauperibus donet. Qui manducat carnem animalium, quorum mortem nescit, tertiam partem anni pœniteat. Priorum instituta Patrum nostrorum pro manus: pueri soli sermocinante, & transgredientes instituta seniorum tribus superpositionibus emendentur. Osculum simpliciter facientes septem superpositiones. Inlecebrosum osculum sine inquinamento 8. superpositiones: cum inquinamento autem; sive amplexu 15. superpositionibus corrigantur.

De Dissensibus Sacrificium. X.

Qui non bene custodit sacrificium, & mus comederit, 40. diebus pœniteat. Qui autem perdiderit suum crismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, 3. quadragenas, vel annum pœniteat. Perfundens aliquis calicem super Altare, quando auferuntur linteamina, 7. diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium intra mensam, 7. diebus pœniteat. Ut sumens gravatus sacrificium saturitate ventris, 20. diebus pœniteat. Diaconus obliviscens oblationem offerre sine linteamine, donec offeruntur, similiter pœniteat. Si autem in farina, aut in aliquo siccato cibo, sive in melle, sive in lacte inveniantur istæ bestiolæ, quod circa illorum corpora est, foras projiciatur. Qui negligentiam circa sacrificium fecerit, ut si à vermibus consumptum, quod ad nihilum deveniat, 3. quadragenas pœniteat. Si integrum sit inventum, & in eo fuerit vermis, comburatur; & sic cinis ejus sub Altare abscondatur; & qui negligens 40. diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium de manu offerentis terra tenus, & inveniatur aliquid; omne quodcunque inventum fuerit in loco, in quo ceciderit, comburatur: & cinis sub Altare abscondatur: & Sacerdos medium annum pœniteat: & si inventum fuerit, ut supra mundetur; & 40. diebus pœniteat. Si usque ad Altare tantùm fuerit lapsum, superponat. Si de calice per negligentiam stillaverit aliquid in terram, lingua lambatur, & tabula radatur, & in igne comburatur, & quadraginta diebus pœniteat. Si supra Altare stillaverit calix, sorbeat minister: & linteamen quod tetigit stillam, abluatur vicibus, & 3. diebus pœniteat. Si titubaverit Sacerdos super Orationem Dominicam, quæ dicitur periculosa, una vice 50. Psalmos, secunda vice, centum plagis. Si autem duxerit viduam patris, vel fratris sui, isti tales non possunt judicari, nisi prius separentur ab invicem. Si quis expeditione publica occidit hominem sine causa, jejunet hebdomadas viginti unam: si autem forsitan se defendendo, aut parentes suos, aut familias suas, occidisset aliquem, ille non erit reus: si voluerit jejunare, in illius potestate est, qui coactus hoc fecit. Si homicidium in pace fecerit, & non fuerit turbata pro (per) potestatem, aut inimicitiæ causam, ut res ejus capiat, jejunet hebdomadas 28. & res ejus, quem occidit, reddat uxori, vel filiis. Si quis autem ad pœnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum est à Sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem: & si voluerit eum Deus salvare, jejunet postea. Si quis non pœnitet, & forsitan ceciderit in ægritudinem, & quæsierit communicare; non prohibeatur, sed date ei sanctam communionem, & mandate ei, ut si placuerit Dei misericordiæ, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus, & sic pœniteat. Si autem aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam fit confessus; & non occurrit, sed occupavit eum mors, sive in via, sive in domo, si est aliquis ex parentibus ejus, pro eo aliquid offerat ad sanctum Altare, aut ad redemptionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus. Si quis accepit filiam uxoris, hic (hoc) non potestis judicare, nisi prius separentur. Postquam separati fuerint, unicuique eorum imponas hebdomadas quatuordecim, & iterum nunquam se jungant. Si autem voluerint nubere, sive vir, sive mulier, potestatem habeat, sed non illa qui dimisit. Si quis acceperit cognatam, aut novercam, aut avunculi viduam, & hic qui uxorem patris sui, aut sorem suæ uxoris, grande judicium canonicè damnetur. Si quis (aliquis) dum infans est, per ignorantiam gustaverit, de iis, quæ fuerint immolata idolis, aut morticinum, aut aliquid abominabile, idem jejunet hebdomadas tres. Propter fornicationem autem multi nesciunt numerum mulierum, cum quibus fornicati sunt, illi jejunent hebdomadas quinquaginta. Si autem nesciens manducavit idolis immolatum, aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam nesciens hoc fecit: tamen jejunet hebdomadas tres. Si quis nolendo parentibus occidit hominem, jejunet hebdomadas 8. Si quis per necessitatem furaverit cibaria, vel vestem, sive quadrupedem per famem, aut per nuditatem illi venia datur. Jejunet hebdomadas 4. Si reddiderit, non cogatis jejunare. Si quis caballum, aut bovem, aut jumentum, vel vaccam furaverit, sive cibaria, aut pecora, quæ totam familiam nutriunt, jejunet, ut supra. Si qua mulier deceperit matris suæ maritum, illa non potest judicari, donec relinquat eum. Cùm separati fuerint, jejunent hebdomadas quatuordecim. Si quis legitimam uxorem habens dimiserit illam, & aliam duxit, illa, quam duxit, non est illius. Non manducet, neque bibat, neque omnino in sermone sit cum illa, quam malè accepit; neque cum parentibus illius. Ipsi autem si consenserint, sint excommunicati. Si mulier suaserit alteri mulieri maritum, sit excommunicata à Christianis. Si quis Christianorum Christianum viderit ambulantem,

lantem, vel oberrantem parentem suum vendiderit, ille non est dignus inter Christianos requiem habere, donec redimat eum. Si autem non potuerit invenire locum ubi sit, pretium, quod accepit, det pro eo, & alium redimat de servitute, & jejunet hebdomadas 28. Si cujuslibet hominis mortua fuerit uxor, habet potestatem accipere alteram, similiter & mulier. Si tertium acceperit, jejunet hebdomadas tres, si quartum, aut quintum acceperit, jejunet hebdomadas 21. Si quis comas incidit, aut faciem suam laniaverit gladio, aut ungulas (ungulis) post mortem parentum, jejunet hebdomadas quatuor: & postquam jejunaverit, sic communicet. Siqua mulier prægnans voluerit jejunare, potestatem habet. Herbarius vir, aut mulier interfectores infantum in extremum vitæ cum venerint, si quæsierint pœnitentiam cum luctu ac fletu lacrymarum. Si cessaverit suscipere eum, jejunet hebdomadas 30. Si quis canis, aut vulpis, sive acceptor mortificaverint: sive suste, sive lapide, sive sagitta, quæ non habet ferrum, mortuum fuerit, hæc omnia suffocata sunt, non manducentur: & qui manducaverit, jejunet hebdomadas sex. Si quis sagitta percusserit cervum, sive alind animal, & post tertium diem inventum fuerit, & forsitan ex eo lupus, ursus, canis, aut vulpes gustaverit, nemo manducet, & qui manducaverit, jejunet hebdomadas 4. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur: si sciens ex eo biberit, jejunet hebdomada una. Si quis mus, aut gallina, aut aliquid ceciderit in vino, aut in aliqua, (aqua) de hoc nullus bibat. Si in oleum, aut mel ceciderit, oleum expendatur in lucernam, mel verò in medicinam, vel in aliam necessitatem. Si piscis mortuus fuerit in piscina, non manducetur: qui manducaverit, jejunet hebdomadas 4. Si porcus, vel gallina manducaverit de corpore hominum, non manducetur; neque conservetur ad semen, sed occidatur, & canibus tradatur. Siquis lupus plagaverit animal, & mortuum fuerit, nemo manducet: & si vixerit, & postea eum homo occiderit, manducetur. Sive cum capra, sive eum pecore, aut cum alio animali si peccaverit homo cum ea, nemo manducet carnem ejus, sed occidatur, & canibus tradatur. Si voluerit pro anima sua dare eleemosynam de his pecuniis, quod fuit de præda suam egit pœnitentiam, potestatem habet, *explicit*.

„Antiqui Authores sæpius hunc Pœnitentia-„lem Romanum citant. Reginonis Manuscripta „Canonum collectio ante septingentos, & ali-„quot annos elaborata, citat ex Pœnitentiali Ro-„mano titulum, ut hic habetur: Qualiter susci-„pere debent, &c. cum magna parte eorum, quæ „sequuntur usque ad primam orationem, licèt „Burchardus *lib.* 19. *c.* 53. & Ivo *parte* 15. *cap.* 51. „hæc Theodoro tribuant. Burchardus tamen „eodem *libro*, *cap.* 134. 153. & 154. & Ivo eadem parte, *cap.* 161. & 162. ista verba: „Sicut „enim sacrificium offerre non debent, & quæ se-„quuntur, ibidem in eodem Pœnitentiali con-„tenta referunt, ut ex Pœnitentiali Romano de-„cerpta, fieri facile potest, ut in utroque depre-„hendantur. Cùm enim Pœnitentiales omnes „eandem omnino materiam, & eodem modo „tracteut, non modo idem sensus, sed etiam ea-„dem verba facile concurrere possunt. Oratio-„nem illam integram, quæ sequitur, refert quo-„que eadem Reginonis collectio ex eodem Pœ-„nitentiali.„ Verùm hæc addit, ut det illis spiritum compunctionis, ut resipiscant à Diaboli laqueis, à quo adstricti tenentur, & ad te per eoudignam satisfactionem revertantur: quæ etiam habet Burchardus initio *lib.* 19. „Hæc verba, „quæ orationem statim sequuntur, & unumquem-„que hominem accedentem, &c. usque ad finem „prologi, omnia referunt Burcbard. *l.* 19. *c.* 32. „& Ivo *part.* 15. *c.* 50. ex Pœnitentiali Romano. „Hæc verba *cap.* 4. Si quis Clericus furtum fe-„cerit, &c. usque ad tres annos pœniteat, re-„fert velut ex Pœnitentiali Romano Pœnitentia-„lis primus ab Antonio Augustino editus *titulo* 4. „*c.* 10. Item ista *c.* 10. Si ceciderit sacrificium, „&c. usque ad 40. dies pœniteat refert idem Pœ-„nitentialis velut ex Romano *tit.* 5. *cap.* 11.

II.
POENITENTIALE EGBERTI, Archi-Episcopi Eboracensis in Anglia.

Egbertus hujus Pœnitentialis author, fuit creatus Archi-Episcopus Eboracensis in Anglia anno 731. Ejus mentionem facit Alcuinus in Epistola ad Carolum M. ubi illum suum Magistrum vocat. Pœnitentiale hoc in quo rectè distinguitur confessio & absolutio privata à pœnitentia publica & absolutione reconciliatoria in Cœna Domini ex editione Morini sic habet.

Excerptum de Canonibus Catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ ad remedium animarum Domini Egberti Archi-Episcopi Eboracæ civitatis.

Institutio illa, quæ fiebat in diebus patrum nostrorum, rectas vias nunquam deseruit, qui instituerunt pœnitentibus, atque lugentibus suas passiones, ac vitia, medicamenta salutis æternæ: quia diversitas culparum diversitatem facit pœnitentibus medicamentorum; vel sicut medici corporum diversa medicamina, vel potiones solent facere contra diversitatem infirmitatum, vel judices sæcularium causarum. Diversa igitur judicia, qui boni sunt, & recti, pensant atque tractant, quomodo recti judicent, inter miseros & divites, inter causam & causam. Quanto magis igitur, ò sacerdotes Dei, diversa medicamenta animarum invisibilium hominibus pensare, & tractare, oporteat, ne per stultum medicum vulnera animarum fiant pejora, Propheta dicente: Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ? O stulte medice, noli decipere animam tuam, & illius, ne duplicem pœnam accipias, vel septupla, vel millena. Audi Christum dicentem: si cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foveam. Si tu non cogites judicium meum, alter homo non audit, neque videt, qui me judicet: omnino intelligis, quòd Deus judex justus, & fortis videt, & audit: & in palam abscondita deducit, & reddit secundùm opera sua: & item verè sunt nonnulli cæcorum canum similitudine currentium, ad cadavera mortuorum,

rum, vel corvorum volantium, qui ad facerdotium evehuntur, qui non propter Deum; fed plus propter bonorem terrenum inhiantes cæci divina fapientia; de talibus dixit Gregorius Nazianzenus: timeo boc, quod canes adfectantur officium paftorale: maximè cum in femetipfis nibil paftoralis præparaverunt difciplinæ: Ezechiel namque ait væ paftoribus Ifrael, qui pafcebant femetipfos, & non gregem! Lac bibebant, & lanis earum operiebantur, & quod craffum fuit, manducabant, quod fractum fuit, non alligabant, & reliqua. Item Ezechiel ait: Væ Sacerdotibus, qui comedunt populi mei peccata! hoc eft, fibi eorum fumentes victimas, & non orantes pro eis. Comedentes hoftias, & non corripientes; qui ubi morituros homines, vident inde gaudentes, præparant fe ad prædam quafi corvi ad cadavera mortuorum. Nunc ergo, fratres, qui voluerit facerdotalem auctoritatem accipere, in primis propter Deum cogitet, & præparet arma ejus, antequam manus Epifcopi tangat caput: id eft pfalterium, miffalem, Baptifterium, Martyrologium: bomilias in anni circulo, ad prædicationem cum bonis operibus, & computum cum cyclo, hoc eft jus facerdotum, pofteà autem pœnitentialem: qui hoc ordine fecundùm auctoritatem Canonum ordinatur, ut difcretiones omnium caufarum inveftiget, primitus fine quibus rectum judicium non poteft ftare, quia fcriptum eft: In nulla re appareas indifcretus, fed diftingue, quid, ubi, quamdiu, quando, qualiter debeas facere; non omnibus ergo in una eadem libra penfandum. Licet in uno conftringantur vitio; fed difcretio fit in unoquoque eorum; hoc eft, inter divitem & pauperem; liberum, fervum, infantem, puerum, juvenem, adolefcentem, ætate fenem, bebetem, gnarum, laicum, clericum, monachum, Epifcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, lectorem, in gradu, vel fine; in conjugio, vel fine, peregrinum, virginem, fœminam Canonicam, vel fanctimonialem: debilem, infirmum, fanum. De qualitate pecorum, vel hominum, continens, vel incontinens: voluntate vel cafu, in publico vel in abfcondito; quali compunctione emendat; neceffitate, vel voluntate, loca & tempora difcernat. Hanc inftitutionem collationum conftituerunt fancti Apoftoli. Deinde fancti Patres, & fanctus Pynuphinus; deinde Canones fanctorum patrum; deinde alii atque alii, ut Hieronymus, & Auguftinus, & Gregorius, & Theodorus; ex quorum omnium ifta defcripfimus dictis, & fententiis veraciter, ut falvi fint omnes, & non pufillanimes, quia potentes potentiora tormenta patiuntur. Item in Jefu Filii Syracb. In judicando efto mifericors, pupillis ut pater, & pro viro matri illorum. Item fanctus Jacobus dicit; judicium fine mifericordia erit illi, qui non facit mifericordiam: fuperexaltat autem mifericordia judicium, ut idem ipfe confequatur, ut fanctus Benedictus, hoc eft, qui veram pœnitentiam faciunt, in jejunio, in fletu, in eleemofynis, in orationibus, & perpetrata iterum non faciunt, & fi faciunt, tamen non perfeverant in eis, quia Deus dixit: Malum cogitafti; ignovi: Malum dixifti, ignovi. Malum fecifti ignovi, perfeverare in malo non ignofco: Ergo qui perfeverant in malo, non ignofce. Sed judica diftrictum judicium fecundùm Canones: ut alii timorem habeant.

De Capitalibus Criminibus.

Nunc igitur Capitalia Crimina fecundùm Canones explicabo, prima fuperbia, invidia, fornicatio, inanis gloria; ira longo tempore: triftitia fæculi, avaritia, ventris ingluvies; & Auguftinus adjecit facrilegium, id eft facrarum rerum furtum, & hoc maximum eft furtum, vel Idololatriis fervientem, id eft aufpiciis, & reliqua: deinde adulterium, falfum teftimonium, furtum, rapina, ebrietas affidua, idololatria, molles, fodomita, maledici, perjuri. Ifta ergo Capitalia Crimina fanctus Paulus, & Auguftinus, & alii fancti computaverunt: pro iftis fieri oportet eleemofynas largas, & longo tempore jejunium teneatur. Id eft, ut alii judicant pro Capitalibus, id eft adulteris, homicidis, perjuris, fornicariis & fimilibus: Laicus IV. annos pœniteat. Clericus V. Subdiac. VI. Diac. VII. Presbyt. X. Epifc. XII. fi in confuetudine erat.

Incipit, qualiter fufcipi debeant Pœnitentes.

Quotiefcunque Chriftianis, qui ad pœnitentiam accedunt jejunia damus, & nos communicare debemus jejunio una, aut duabus hebdomadibus, vel quantum poffumus, ut non dicatur nobis quod facerdotibus Judæorum dictum à Domino falvatore: Væ vobis legis-peritis, qui aggravatis homines, & imponitis fuper humeros eorum onera gravia, & importabilia; ipfi autem uno digito veftro non tangitis farcinas ipforum; non enim poteft fublevare cadentem fub pondere, nifi inclinaverit fe, ut porrigat ei manum, neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteft curare, nifi fœtoris particeps fuerit: Ita quoque nullus facerdotum peccatorum vulnera curare poteft, aut ab animabus peccata auferre, nifi pro inftante neceffitate folicitudinem orationis, & lachrymas adhibuerit. Neceffe ergo nobis eft, folicitos nos effe pro peccantibus, quia fumus alterutrum membra: Et fi compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ideo & nos fi viderimus aliquem in peccatis jacentem, feftinemus eum ad pœnitentiam per noftram doctrinam revocare, & quotiefcunque dederis confilium peccanti, fimul da illi pœnitentiam, & dic ei ftatim, quantum debeat jejunare, & redimere peccata fua, ne forte oblivifcaris quantum eum oporteat pro fuis peccatis jejunare; & neceffe fit tibi, ut iterum exquiras ab eo peccata ejus: Ille autem forfitan erubefcit peccata fua iterum confiteri, ut inveniatur jam amplius judicari à te. Non enim omnes Clerici, qui inveniunt hanc fcripturam, ufurpare debent, aut legere, nifi foli illi, quibus neceffe eft, boc eft Presbyteri; ficut enim facrificium offerre non debent nifi Epifcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœleftis creditæ funt: fic nec judicia ifta alius ufurpare debet. Si autem neceffitas evenerit, & Presbyter non fuerit præfens, Diaconus

conus suscipiat pœnitentem: sicut ergo superius diximus, humiliare se debet Episcopus, sive Presbyter, & cum tristitia, & gemitu, lachrymisque orare non solùm pro suo delicto, sed etiam pro omnium Christianorum, ut possit cum beato Paulo dicere, quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Cùm ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, prius in secreto cordis sui hæc apud se debet orare.

Dicit istam Orationem.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut me peccantibus, & peccata sua confitentibus dignum inter te, & ipsos mediatorem constituas; quique mortem peccatorum non vis, sed ut convertantur, & vivant: Suscipe orationem servi tui, quam pro famulis, famulabusque tuis ante conspectum gloriæ tuæ pœnitere cupientibus effundo, ut pariter eos & à peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæsos custodias. Per.

Cùm autem accesserit ad te, dic super eum hanc Orationem.

Deus, qui omnium confitentium tibi corda purificas, & accusantes suam conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam captivis, & medicinam tribue vulneratis, ut exclusa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famulentur. Per.

Item alia.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus, & confessione placatus es, ita & huic famulo tuo placare, ut in confessione flebili permanenti, & petitione perpetua, clementia tua celeriter exoretur, sanctisque altaribus, & sacramentis restitutus rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per.

Confessio peccatorum.

Quando volueris confessionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & confortare in Domino, & noli erubescere: & quia inde venit indulgentia, cùm in spe misericordiæ Dei humiliter confessus fueris peccata tua, & reliqueris ea, quia sine confessione non est indulgentia. In primis prosterne te humiliter in conspectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Dei Genitricem Mariam, ut ipsa intercedat pro te ad Dominum, cum omnibus sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & Virginibus, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare sapientiam perfectam, & intelligentiam veram, & virtutem animi constantem ad confitendum veraciter ex infirmo corde peccata tua: & postea surge, & cum fiducia, & vera credulitate dic ei, cui confiteri vis peccata tua, mea culpa, quia nimis in cogitationibus, locutione, & opere peccavi.

Alia.

Confiteor coram Deo omnipotente creatore cœli, & terræ, & coram hoc altario sancto, & sanctis reliquiis, quæ in hoc loco sancto sunt, & coram te sacerdote, quia nimis peccavi in cogitationibus nefandissimis, delectando eis, & consentiendo illis, & meditando, atque disponendo, in sensu, & in memoria, atque voluptate mea, qualiter explere potuissem opera, quæ male cogitabam.

Alia.

Confiteor, quia peccavi nimis in sermonibus vanis, & immundis, & turpibus, & otiosis, ac nocivis, confiteor odia cordis mei, & dolositates, & invidias, detractiones, impatientias, convitia, contentiones, dijudicationes, blasphemationes, turpiloquia, scurrilitates, mendacia, maledicta, perjuria, consilia iniqua, excusationes peccatorum meorum, irrisiones, dissimulationes, adulationes, improperationes, inflationes, tumultuationes, malevolentias, malitias, seductiones, furores, indignationes, ambitiones, concupiscentias carnis, concupiscentias oculorum, & superbias, tristitias, timiditates, mollitias animi, tædia multa, negligentias, securitates, vigilias inutiles, & Deo displicentes, edacitates, ebibitiones, elocutiones, edormitiones superfluas, & inordinatas, carnales concupiscentias, & tyrannides cordis mei iniquas, & amaras, atque impiissimas.

Alia.

Confiteor, quia propter corporis mei suavitatem, & delectationem, Dei præcepta postposui, & sæpè vigilias sanctas dimisi, & somnolentiam meam explevi, desidiam, mollitiam, pigritiam, torporem, & ignaviam, plenus fastidio spirituali secutus sum: per superbiam, & elationem Dei præcepta transgressus sum, & me meliorem cæteris putavi. De multis rebus voluptates carnales, & immundas, id est, fornicationes, luxurias, immunditias, pollutiones, ebrietates, comessationes, convivia, crapulas manifestè, & occultè perpetravi, & in his totis sensibus meis tanquam in deliciis delectatus malè suaviter requievi. Dominicos dies, & sanctas Dei solemnitates, & Sanctorum festivitates indignè, & sine Dei timore deduxi, & nihil spirituale in his meditatus sum, sed totum carnaliter egi, intentus ad saturitatem ventris, & ad dissolutionem risus, & joci vani discursus: Religiositatem, quam reverenter cum timore Dei custodire debui, non custodivi.

In sancta Ecclesia dum ad opus Dei assui, multa mala cogitavi, & perpetravi, & locutus sum: & sæpè nimio somno gravatus multas perdidi orationes, ac lectiones; psalmodias quoque, & officia: nam & vigilans frequenter alienata memoria discurrit visus meus interior per multas rerum terrenarum dispositiones, & per illicitas oblectationes vanas, atque turpes meditationes, variosque errores, unde occupatus sensus meus sine fructu spiritali efficitur.

Item alia Confessio.

Consecrata Dei ministeria, & sanctas reliquias, & sanctos codices, & sancta vasa, indignus, & pollu-

& pollutus tetigi, & fordidè atque negligenter contrectavi: corpus, & fanguinem Domini polluto corde, & corpore fine confeffione, & pœnitentia fcienter indignè accepi, & non cuftodivi, nec judicium Dei fuper me venturum exterritus timui, ut timere debui: officia Canonica, & orationes, atque pfalmodias, vel lectiones negligenter, atque irreverenter in confpectu Dei effudi, & multa divifi, quæ non folvi. Patrem meum, & matrem meam, fratres meos, & forores meas, & omnes propinquos meos, & omnes Chriftianos, non ficut præcepit Deus, dilexi propter Deum, nec eis honoris obfequium exhibui, fed femper omnibus carnaliter placere volui, quia quæ mea funt quæfivi potiùs, quàm quæ Dei funt. Adverfantes, calumniantes me non folùm fecundùm Dei præceptum non dilexi, nec patienter fuftinui; fed infuper malum pro malo ampliatum eis reddidi, & fæpè malum pro bono reddere decertavi. Epifcopos, Presbyteros, Abbates, Monachos, Canonicos, & omnem Clerum Ecclefiæ Dei, nec non & priores meos, feu in fublimitate pofitos non amavi, nec dilexi, neque honoris obfequium præbui eis, ficut Deus præcepit; fed infuper vituperavi eos, & detraxi, atque dijudicavi. Decimas, vel primitias bonorum meorum, non reddidi: hofpitalitatem non dilexi, veram fraternitatem puro corde non cuftodivi, latrocinium, & furtum abfcondi, & comedi, & latrocinantibus, & abfcondentibus confenfi, infirmos, & in carcere pofitos non vifitavi, ut debui: nudos non operui, hofpites, & peregrinos, propter Deum non fufcepi; efurientes, & fitientes non refeci, dolentes, & flentes non fum confolatus; difcordantes inter fe plus ad iram quàm ad pacem provocavi; malum omne plus credidi; & audire volui quàm bonum: & mendacium plus quàm veritatem, & quod maximè credere debui, non credidi, & quod non debui credere, credidi: fæpè admodum confenfi: detrahentes libenter audivi; meipfum per carnalia defideria, & malas cogitationes, ac voluntates, & mala opera contaminavi, & perdidi, & cui nocere potui, nocui, & Diabolo confenfi, & voluptati illius peccando me fubdidi.

Confiteor, quia multum peccavi, in vifu, in auditu, in guftu, in odoratu, & tactu, in pedibus, & in manibus, & in lingua mea, atque in genitalibus membris meis, & in omnibus fenfibus meis, multa mala perpetravi: repletus omni iniquitate, malitia & nequitia, feci facrilegium, homicidium, adulterium, falfum teftimonium, furtum, rapinam, perjurium, ufuras tenui longo tempore, iracundiam, reddidi malum pro bonis: & non folùm ifta, fed & alia mala feci multa, & facientibus confenfi. Ego mifer peccavi nimis, quia eleemofynas, & primitias atque decimas, quas fub obtentu facerdotis fufcepi, malè expendi, & in propriis ufibus meis ea confumpfi, & illud quod inde debui facere, non feci. Peccavi quod negligens fui de meo curfu, quem per horas Canonicas, perfolvere debui, & de mea pfalmodia, & de meis orationibus, & de meo minifterio, quòd non cuftodivi fecundum ordinem. Peccavi de illis pœnitentibus, qui ad me propter confeffionem venerunt, quos ego nec fecundum legem admonui, nec folicitus fui, de illis ficut debui. Peccavi erga fubditos mihi; quia circa negligentes zelum rectitudinis jufto moderamine non tenui, ut debui, & fæpè per inutilem remiffionem eis condefcendi, quando non debui. Peccavi, poftquam confeffus fui crimina mea, perpetravi illa. Peccavi in defiderio alienarum rerum, & pro curiofitate multa vidi oculis meis, & multa audivi auribus meis, quæ nec videre, nec audire mihi oportuerat. Sæpè volui publica increpatione eum, qui mihi non placuit, confundere, & proximi famam mordaci laceratione carpere, & quando eum vidi, & vituperari gratum habui; fæpè occulta cordis alieni malè dijudicavi. Peccavi, quia injurias mihi factas in mente retinui, & peccantibus in me puro corde non indulfi, & modo dimitto ex toto corde omnibus, qui in me peccaverunt. Peccavi, quia ipfas iniquitates, quas feci, in aliis fine jure dijudicavi, & condemnavi, & aliter me, aliter alios penfavi. Multa dixi, quæ dicere non debui, & multa non dixi, quæ dicere debui. Multa cogitavi, & meditatus, atque delectatus fum, quæ cogitare, & meditari, vel delectari non debui, & multa, quæ cogitare debui bona, & meditari, atque delectari dereliqui. Ofcula illicita, & amplexus nefandos feci, fæpè palpavi, quòd palpare non debui: fæpè confenfi, quæ mihi confentire non oportuerat; & non confenfi quod confentire debui, dimifi opera bona, quæ facere debui, & feci opera mala, quæ facere non debui, horrui quod diligere debui, & dilexi quod non debui. Unde pro omnibus, atque aliis innumeris fceleribus meis, quæ contra Legem Dei commifi, ut potuiffem à Deo invenire indulgentiam, Cœnobium petii, vitam monafticam fufcepi, fed mifer ego fæpe involvor variis modis, in levitatibus, in vanitate, in negligentia, in inquietudine animi, in amaritudine, in ftimulis malarum cogitationum, in contumacia, in negligentia boni operis, in prævaricatione Religionis, in loquacitate, in fcurrilitate, in duritia mentis, in acedia, in indignatione, in inobedientia, in judicatione, & in murmuratione, atque detractione, in fuperbia quoque, & in rancore animi. Quæ omnia mala coram Deo omnipotente, & fancto hoc Altari, & fanctis reliquiis, quæ in hoc loco funt, confiteor pura, & vera confeffione, & bona voluntate emendare, in quantum Dei mifericordia dignatur me adjuvare. Ipfe enim Deus omnipotens, qui dixit per Prophetam, nolo mortem peccatoris, fed ut convertatur, & vivat; & iterum: in quacumque die ingemueris, falvus eris; & qui me dignatus eft ad confeffionem peccatorum meorum mifericorditer trahere; det mihi virtutem continendi me à malis operibus, & miferea tur animæ meæ, & parcat, & remittat, ac deleat omnia peccata mea, præterita, præfentia, & futura, & perducat me, atque introducat in vitam æternam. Amen.

Item alia Confeffio.

Sufcipe Confeffionem meam, Domine Deus, unica fpes falutis meæ: gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triftitia, acedia, fomnolentia, negli-

negligentia, ira, cupiditate, invidia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac superbia, perditus sum omninò: cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus meis extinctus sum; sed tu, qui justificas impios, & vivificas mortuos, vivifica me, justifica me, Domine Deus meus.

Alia Confessio.

Domine Deus te credo omnipotentem, invisibilem, incircumscriptum, omnia regentem, omnia continentem, omnium Creatorem, trinitatem unitatem. Credo te misisse Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum in terram pro salute generis humani: hæc est fides, qua in te credo. Si rectè credo, bene, si autem minus quam oportet; obsecro ut non aspicias ad verba, quæ dixi; sed ad id, quod volui. Domine Jesu Christe, credo te per Angelum Mariæ Virgini annunciatum, credo te cum carne natum, pastoribus demonstratum; credo te octavo die circumcisum; credo te à Magis adoratum, à Joanne baptizatum in Jordane, præsentatum in Templo. Credo te à Juda traditore traditum, conspuτum, flagellatum, spinis coronatum, crucifixum, sepultum, tertia die resurrexisse, & quadraginta diebus cum Discipulis manducasse, & bibisse; deinde quadragesimo die in cœlum ascendisse, inde credo te venturum judicare vivos, & mortuos. Firmus sum, Domine, te dixisse, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat: & iterum; Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

Ad suscipiendum pœnitentem Oratio, quam Sacerdos pro se dicere debet.

Domine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori.

Alia.

Deus, qui omnium confitentium.

Alia.

Da nobis, Domine, sicut publicani. *Require ut suprà primo quaternione.*

Istud suppliciter antequam Confessio fiat.

Creator omnium Deus, Factor meus, Redemptor meus, & Judex, qui mihi voluntatem confitendi peccata mea dedisti; disrumpe in me nodos humanæ verecundiæ, ut mea in conspectu tuo pura confessio fiat, & pro amore tuo nihil taceam, nihil aliter quàm factum est dicam; si hoc dederis, posse tunc me intelligam ad numerum prædestinatorum pertinere. Sancta, & individua Trinitas miserere mei, & dona, quæ posco; sancta Dei Genitrix, cum Angelis, & omnibus Sanctis, intercede pro me misero, ut Deo donante puram facere valeam confessionem, quia aliter salvus esse non possum.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Et canta pro hoc Psalmos 5.

Miserere mei, Deus, secundùm magnam. Deus, in nomine tuo salvum me fac.

Miserere mei, Deus, miserere mei. Deus misereatur nobis, & benedicat.

Domine Deus, in adjutorium meum intende.

Sequitur Capitulum.

Ego dixi, Domine, miserere mei. Sana animam meam, qui peccavi tibi.

Ab occultis meis munda me, Domine. Et ab alienis parce servo tuo.

Delicta juventutis, & ignorantias meas, ne memineris. Domine, secundùm misericordiam tuam vivifica me. Ut custodiam testimonia oris tui.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis. Peccatum meum copiosum est enim

Domine, averte faciem tuam à peccatis meis. Et omnes iniquitates meas dele.

Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Memento, Domine, famulo tuo *Il.* & qui lubrica terreni corporis fragilitate notamur, quæsumus, ut des veniam confitentibus, parce supplicibus, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per.

Alia Oratio.

Propitiare, Domine, iniquitatibus nostris, & exorabilis tuis esto supplicibus, non extendatur in nostra justitia nec differatur medicina clementiæ, ut concessa venia, quam precamur, perpetuò misericordiæ munere gloriemur. Per Dominum nostrum.

Alia Oratio.

Deus sapientiæ, & misericordiæ venerabilis, qui solus ulcisceris, solus ignoscis, arbiter mortis, & vitæ, Domine utriusque serene boni imperator præmii: da quæsumus famulo tuo *Il.* Indulgentiam, & patientiam exoratus accepta, ut qui præterita deplorat, propter spem futura non timeat, pacisque consors, & in spe gratiæ salutaris ad partem mensæ cœlestis accedat. Per Dominum nostrum, &c.

Incipit ordo ad pœnitentiam dandam, & judicandum. Priùs dicit Episcopus, aut Presbyter capitulum: Deus in adjutorium meum intende. *Deinde dicit Psalmum totum:* Benedic anima mea Dominum. *Deinde alium Psalmum totum:* Miserere mei Deus secundùm magnam.

Post hæc interroget eum Episcopus, aut Sacerdos.

Credis in Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo. *Int.* Credis,

Credis, quòd istæ tres Personæ, quas diximus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, trea Personæ, & unus sit Deus? ℟. Credo.

Int. Credis, quòd in ista ipsa carne, in qua hic es, resurgere debes? ℟. Credo.

Int. Et quod absit, si in malis operibus perseveraveris, cum ipsa carne ardebis? & si in bonis operibus perseveraveris, & veram pœnitentiam egeris, cum ipsa carne in vita esse? ℟. Credo.

Int. Divinam, & sanctam resurrectionem credis? ℟. Credo. *Int.* Credis Baptismum? ℟. Credo.

Primùm interrogas eum Orationem Dominicam, & Symbolum, si tenet; Et si hæc tenet, dic ei: Vis tuam Confessionem dare? Volo. Interroga eum, si jam ipse confessus fuisset. Post hoc interroga, si ipse aliquid de malo ingenio habeat, aut de futuro, aut de aliqua causa contra dicta: si confessus fuerit, quod habuit, instrue eum: quod non est licentia judicium de aliis peccatis recipere, antequam ipsum reddat, aut ejiciat. Postea si fecerit, interroga eum, si iracundiam contra qualemcumque hominem habeat: si confessus est habere, ammove quod est scriptum: sicut non proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit abstinentia illis, qui tales sunt; quia non licet eis pœnitentiam agere. Post hæc interroga eum crimina sua, quæ habet. Hoc est, de superbia, vel sacrilegio, homicidio, & adulterio, falso testimonio, perjurio, mendacio, furto, rapina, ira, avaritia, detractione, & si cum quadrupedibus luxuriatus sit, vel incesta commisit.

Post hoc dictum interroga eum:

Dic mihi opera, quæ fecisti, & cogitasti: Peccasti in verbo, aut in cogitatione, vel opere? jurasti super Evangelium, aut supra Altare? 10 ann. pœniteas. Jurasti in manu fratris, aut alterius hominis manu, aut in cruce consecrata? 3. ann. pœniteas. Maledixisti per iram, habuisti invidiam? 7. ann. pœniteas. Fuisti detractiosus? 7. ann. pœniteas. Dixisti otiosa verba, habuisti odium? quamdiu habuisti, tamdiu in pane, & aqua vivas. Habuisti concupiscentiam gulæ, cogitasti sordidè, concupisti aliquid cum oculo, quod non habuisti, peccasti voluptuosam delectationem, fuisti asper pauperibus, visitasti Christum in carcere, excepisti peregrinos in domum tuam, lavasti pedes hospitibus, visitasti infirmos, revocasti discordantes ad concordiam, manducasti jejunii diebus ante horam, fuisti occupatus otiosis fabulis, stetisti in Ecclesia, quando lectionem sanctam debueris audire, cogitasti aliquid psallendo, aut orando aliquoties, quòd non oporteret, fuisti locutus luxuriosa verba; fuisti sacrilegus? 7. ann. pœniteas, 3. ex bis in pane, & aqua. Fornicasti, fecisti adulterium cum muliere aliena, aut cum virgine, aut cum sanctimoniale, septem annos pœniteas: si cum jumento, aut cum aliis animalibus? 15. annos pœniteas: si quis cum sorore, aut cum commatre fornicaverit, 15. annos pœniteat. Fecisti homicidium? 7. annos pœniteas, & sia certo tempore extra Ecclesiam. Si spontè, aut in bello, aut per jussum domini tui homicidium feceris, similiter pœniteas. Postea pœniteas judicium dans Sacerdoti. Fuisti raptor, dixisti falsum testimonium, coinquinasti te in membris tuis, in malis concupiscentiis, neglexisti audire hoc quod Dei præceptum est, ambulasti pedibus, ubi non debuisti, manducasti aliquid furatum, aut immundum? 7. dies pœniteas: quomodo honorasti patrem tuum, aut matrem, aut compatrem, aut filios tuos in Christo? quomodo conservasti diem sanctum Dominicum, vel alia Festa Sanctorum, 7. dies pœniteas; accepisti munera? quomodo conservasti ea? Si cania eam adsumpsit, 1. ann. pœniteas, sin autem 40. dies: si infirmitatis causa, 7. dies pœniteas. Fecisti vomitum per ebrietatem, 12. dies pœniteas: concupisti fornicari, & non potuisti? 1. annum pœniteas: osculasti illecebrosum osculum? 7. dies pœniteas. Fuisti in somno voluptate pollutus? 1. die pœniteas: nupsisti mulieri tuæ retro 40. dies pœniteas: coluisti idola, vel incantationes, aut divinationes? 3. aut 5. aut 7. annoa pœniteas: sicut supra diximus: & si non fuit, 3. annoa pœniteas; furasti cibum? 40. dies pœniteas: incendisti domum, vel aream? 7. annoa pœniteas: percussisti alium per iram, & effudisti sanguinem? 40. dies pœniteas: tulisti usuras? trea annos pœniteas, unum in pane, & aqua: fornicasti sicut Sodomitæ fecerunt? 15. annos pœniteas, 5. ex his in pane, & aqua.

Recordatio.

Quando cogitatio vanæ gloriæ, vel superbia te impugnant, perscrutare teipsum, si omnia mandata Dei servasti, si inimicos diligas, si gaudes in gloria inimici tui, si contristaris in dejectione ejus. Si apud te habes, quoniam servus inutilis es, & omnibus hominibus plus peccator; & iterum ex cubili tuo proprio manè consurgens antequam in opus aliquod occuperis: dic quod homines ingrediuntur in regnum Dei propter justitias suas: Ego autem solus propter peccata mea, spero me pœnas hæreditare perpetuas, nisi miseratio tua subvenerit mihi. Peccavi, miserere mei, & ne permittaa me perire facturam tuam; sed respice in me, atque à peccatis meis faciem tuam averte, & omnes iniquitates meas dele, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Confessio.

Ego confiteor, Deus cœli, & terræ, coram hoc Altari tuo sancto, & istius loci reliquiis, & coram hoc Sacerdote tuo, de omnibus peccatis meis, & omnia, quicquid Dei pietas mihi ad memoriam reducit. De cogitationibus, sive sermonibus turpibus, otiosis, sive immundia, quòd hoc contra Dei præceptum feci. Ego confiteor omnia odia cordis, & corporis mei, vitia, invidias, detractiones, perjuria, furta, maledicta, convi-

convitia, turpiloquia, scurrilitates, malitias, irrisiones, dissimulationes, murmurationes, adulterationes, tristitias, vigilias inutiles, & Deo dissplicitas, carnales concupiscentias pessimas. Et propter corporis mei suavitatem, & delectationem, Dei præcepta postposui, & transgressus sui, per superbiam, & elationem, & desidiam, & pigritiam: & voluptates immundas perpetravi fornicationes, pollutiones, luxurias, ebrietates, comessationes, homicidia manifesta, & occulta in corpore, & animo. Patrem meum, & matrem, fratres, & sorores, patruos, amitas, & consobrinas, seu omnes propinquos, & parentes meos secundùm Dei præceptum, & Dei voluntatem, honoris obsequium non exhibui; necessitatibus eorum, prout potui, non fui. Seniorem carnalem plus in malo, quàm in bono auscultavi, & inobediens fui: omnes Christianos, sicut præcepit, non dilexi. Aliis malum, non bonum exemplum, & documentum præbui, & ostendi: Mulierem, filios, & filias, sorores, nepotes, & neptes, sive aliam parentelam meam, vel etiam omnes familias domus meæ, luxuriosos, adulteros, & fornicarios, superbos, & ebriosos, & latrones esse consensi, & non eos correxi: secundùm Dei voluntatem sicut potui, nec eos amavi, & direxi, & docui, sicut debui: filios, & filias meas sicut Deo promisi, non docui, nec honoravi, nec profui. Dominicam diem, & solemnitates Sanctorum, non dignè, nec Deo acceptabile duxi, nec custodivi, & nescientibus non annuntiavi, sed ebriose, & luxuriose in ipsis me pollui, & alios ad hoc invitavi, & incitavi. Decimas bonorum meorum pleniter non reddidi nisi invitus, latrocinium, & furtum abscondi, & comedi, & abscondentem consensi. Infirmos, & in carcere positos non visitavi, nudos non cooperui. Hospites propter Deum non suscepi, nec eorum pedes lavi, esurientes, & sitientes non refeci, dolentes, & flentes non consolavi, inter se discordantes, sive parentes meos, & Christianos rixantes plus ad iram quàm ad pacem provocavi. Malum omne plus credere, quàm veritatem audire desideravi, quod credere debui, non credidi, & quod non debui, credidi. Ego enim confiteor; quia multum peccavi, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, & multa mala cogitavi, & perpetravi, & cum mala voluntate consilia mala dedi, contra Dei præceptum, & Dei voluntatem. Ego confiteor, quia in sancta Dei Ecclesia, multa mala cogitavi, & locutus sui, & perpetravi, & ab aliis libenter audivi, & audire me dissimulabam. Inordinatè, & superbè intra sanctam Ecclesiam steti, sedi, oscnlavi, aspexi, perrexi, jacui, consensi, intravi, exivi, tetigi vasa sancta, & libros, & omne ministerium sanctum: similiter in omnibus locis ubicumque voluptas corporis mei me perduxit, & mecum perseverant. Feci cantica turpia, & inepta protuli osculo nefando pollutus. Sacramenta super Altare sanctum, & in consecrata Ecclesia, & in benedicta Cruce, & per sanctas reliquias juravi, & verba perjura, & mendacia protuli, & perdidi nomen, & Sanctorum nomina, & corpora Sanctorum juravi, & perjuravi. Ego confiteor, quia omnipotenti Deo, & omnibus Sanctis, & omnibus bonis hominibus inobediens fui, interiùs, & exteriùs infidelis fui, molestus fui, contentiosus, odiosus, invidiosus, iracundus, avarus, cupidus, rapax, incredulus; immitis: consecratum Dei ministerium, & Sanctorum reliquias, & sanctos libros, & sancta vasa, indignus, & pollutus tetigi, & portavi, & meam orationem negligenter in conspectu Dei effudi: propter cogitationes inanes, & duro corde ego Corpus Domini, & Sanguinem ejus pollutus corde, & corpore, sine confessione, & pœnitentia scienter indignus accepi, & non custodivi, & jejunia, & psalmodias, & orationes & alias executiones. Post cruces nuda vestigia incedere debens, sicut Deus præcepit hoc agere cum humilitate cordis, & corporis, sicut idipsum, & dictum fuit à Regibus, & Imperatoribus non custodivi, nec adimplevi: Episcopos, Presbyteros, Abbates, Monachos, Canonicos, & communem Clerum Ecclesiæ Dei non amavi, nec dilexi, nec honoris obsequium præbui, sicut Deus præcepit. Me ipsum per carnalia desideria, & per malas cogitationes, & per malam voluntatem, & per mala opera contaminavi, dehonestavi, perdidi, & voluntariè Diabolo consensi, & in peccatis me subdidi, sive domi manens, sive iter peragens, sive navigia exercens, occasiones non jejunandi, & multa mala perpetrandi quæsivi, & feci. De his omnibus, atque aliis innumerabilibus, quæ propter multitudinem peccatorum, criminum, scelerum, & facinorum meorum recordare non sufficio, & quod ego contra Dei voluntatem, & omnium Sanctorum, & Legem Christianam feci, & duro corde perpetravi, sive ignoranter, sive scienter, sive in cogitatione mala, sive in verbo, sive in opere, vel etiam assiduitate, vel delectatione peccati, sive in die, sive in nocte, horis, atque momentis, sive vigilans, sive dormiens, sive qualicumque causa cogitassem, & facere voluissem, & opere perpetrassem contra Dei voluntatem: sic ego hodie omnia tibi Deus cœli, & terræ confiteor, coram sancto Altari tuo, & sanctis istius loci reliquiis, & coram Sacerdote tuo, ut pura, & vera confessione, & bona voluntate ad emendandum, & hæc peccata deinceps dimittendum, & tu Deus omnipotens, qui dixisti, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat: miserere animæ meæ, & parcas, & remittas, & deleas omnia peccata, crimina, scelera, facinora, & delicta mea, præterita, præsentia, & futura, & perducas me in vitam æternam, Amen. Supplico te Dei Sacerdos, ut de his omnibus sis mihi testis, in die judicii, ne gaudeat de me inimicus meus, & dignare pro me Domini misericordiam deprecari, ut donet mihi veniam, indulgentiam, & omnium peccatorum meorum remissionem. Amen.

Alia Confessio.

Ego peccator confiteor mea peccata coram Christo, & coram Sanctis ejus, & tibi, Pater, quia peccavi nimis in omni vita mea.

De Cogitationibus.
De locutionibus.
De verbis.

De fabulationibus.
De risu cum cachinno.
De levitate.
De factis malis.
De avaritia.
De odiosis sermonibus.
De vana gloria.
De superbia.
De iracundia.
De sacrilegio.
De adulterio.
De fornicatione.
De sortilegio.
De Sodomitico.
De interfemore.
De interga.
De pollutione manus.
De pollutione int. fem.
De libidine.
De incestis facinoribus.
De invidia.
De odio.
De duritia cordis.
De indignatione mentis.
De homicidio.
De furto.
De fraude.
De juramento.
De perjurio.
De perversitate.
De prædatione.
De visu malo.
De ebrietate.
De gula.
De voracitate.
De insatietate.
De saturitate.
De hæresi.
De hypocrisi.
De concupiscentia.
De cupiditate.
De joco.
De scurrilitate.
De vanitate.
De suspicione.
De animositate.
De curiositate.
De contentione.
De injustè judicando.
De munera accipiendo.
De res sanctæ Ecclesiæ malè disperdendo.
De elatione.
De extollentia.
De arrogantia.
De inani gloria.
De adulatione.
De jactantia.
De laude appetita.
De simulatione.
De detractione.
De accusatione.
De susurratione.
De vomitu.
De somnolentia.
De pigritia.
De tarditate.
De oblivione.
De inobedientia.
De murmurationibus.
De silentio.
De taciturnitate.
De blasphemiis.
De incautè maledicendo homini.
De percussionibus.
De indiscretè, & immoderatè exercendo.
De vanis locutionibus.
De mentientibus sermonibus.
De consilio malè dato.
De Psalmis mortuorum.
De Eleemosynantibus.
De balnearum mortuis.
De Vigiliis mortuorum.
De sepultura mortuorum.
De visitatione infirmorum.
De omni Officio Divino.
De sancta regula, quàm non custodivi sic, ut promisi.
De opere Dei, quod negligenter feci.
De sordidis cogitationibus.
De immunditia cordis, & corporis.
De Corpore Domini, & sacro sacrificio, quòd negligenter tractavi, & indignus accepi.
De multis malis, quæ feci.
De omni vitio malo.
Domine parce, indulge, & miserere mei. Amen.

De Confessione peccatorum.

Domino Deo omnipotenti confessus sum peccata mea, & Sanctis suis, & tibi Dei servo, & amico, quæ feci, ex quo sapere incepi, in verbo, in cogitatione, & in opere, aut in juramentis, & perjuriis, aut per maledicas detractiones, aut per otiosos sermones, & per odium, vel iram; aut per invidiam, & concupiscentiam gulæ: aut per somnolentiam, & sordidis cogitationibus, vel concupiscentia oculorum, aut pro voluptuosa aurium delectatione, aut per asperitatem pauperum, & tardè Christum in carcere visitavi, & peregrinos negligenter excepi, & secundùm promissionem nostram in Baptismo hospitibus pedes lavare neglexi, & infirmos tardiùs quàm oportuit visitavi, & discordes ad concordiam non integro animo revocavi, & Ecclesia jejunante prandere volui, & in Ecclesia stans, ubi sanctas lectiones legunt, otiosis fabulis occupatus fui: quod autem psallendo, vel orando aliquoties, aliud quàm oportet, cogitavi, & in conviviis non ea semper, quæ sancta sunt, sed aliquoties, quæ sunt luxuriosa, vel detractiones locutus fui: & confessus sum tibi incredulitatem meam, quòd fui sacrilegus, quòd furavi: quòd fornicavi, quòd adulteravi, & in sacrum Altare juravi, quòd homicidium feci, & raptor fui: & falsum testimonium dixi, & me in animalibus coinquinavi, & membris meis, in concupiscentia malorum phantasmatum me tangendo pro mala delectatione me coinquinavi, & quòd oculis meis vidi, quod mihi licitum non fuit, vel negligens fui, quod videre debui, & quod auribus meis audivi, quod licitum non fuit, aut dicere neglexi, quod præceptum est, aut ore locutus fui, quod licitum non fuit, aut silui, quod loqui debui,

bui, aut manibus meis operatus fui, quod licitum non est, aut tardavi quod præceptum est, aut pedibus meis ambulavi, ubi non debui, aut rescidi quod fuit præceptum: aut quod volens, & nolens, aut sciens contra Dei voluntatem cogitavi, & locutus fui, vel operatus: omnia fient in pura confessione Domino Deo omnipotenti, & tibi Dei amico, & Sacerdoti, & rogo te cum humilitate, ut digneris orare pro me infelice, & indigno, ut mihi dignetur per suam misericordiam dare indulgentiam peccatorum meorum.

Et dicit Sacerdos.

Omnipotens Deus, qui dixit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, ille te benedicat, & det tibi remissionem peccatorum.

Alia.

Respiciat Dominus Jesus ad tuam salutem, & infundat super te spiritualia dona virtutum, ut nihil in te inimicus fraudare decipiat. Custodiat te Dominus noster Jesus Christus, qui Diabolum interfecit, & nos omnes liberavit, de tormentis pœnarum, ut ad regna cœlorum digneris pervenias, in benedictione Christi. Convertat Dominus Deus noster vultum suum ad te, & det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ: ipse autem Deus sanctificet, ut sis humilis, & perfectus, integer corpore, & anima, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servet precatio tua. Det tibi Dominus Angelum pacis custodem, qui regat corda tua in hoc mundo, & in futuro, animam tuam purificet ab omni delicto. Defendat te Dominus ab omnibus malis, & ab omni reatu adversarii, ut cum venerit Dominus, non discutiat, sed in gloria sua remunerando te assumat. Amen.

Dum est facta Confessio, mox dicit.

O clementissime cœli, terræque Creator confiteor me deliquisse, in cogitationibus pravis, in verbis otiosis, factisque malitiosis. Peccavi etiam, Domine, peccavi, in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu. Octo etiam principalibus vitiis me obnoxium esse confiteor, id est, gulæ, fornicationi, avaritiæ, iræ, tristitiæ, acediæ, vanæ gloriæ, atque superbiæ: pro his, Domine, atque innumerabilibus malis meis, ut à te veniam accipere promerear, hos in conspectu tuo

Psalmos decanto.

Domine, ne in ira tua. j.
Beati quorum. Domine, ne in ira tua. ij.
Miserere mei, Deus, secundùm.
Domine, exaudi orationem, & clamor.
De profundis clamavi.
Domine, exaudi orationem, auribus percipe.

Postmodum dicatur hæc Oratio.

Omnipotens Deus, miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi tui, contemptu sæculi sublimes, justitiæ meritò gloriosi, castitatis laude Angelici; velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse devoti: qui si quid boni tua gratia largiente fecero, nescio quo fine hæc agam, vel qua à te districtione pensetur, ignoro. Per.

Alia. Domine Deus omnipotens, qui cœlum, & terram fecisti, mare, & omnia, quæ in eis sunt: qui me peccatorem sanctis socias, qui me ad tuam imaginem jussisti fieri, exaudi me indignum, & miserere mei.

Alia Domine Jesu Christe, qui manum tuam in crucem misisti, & nos de tuo sanguine redemisti, ignosce mihi peccatori, quia omnes culpæ meæ à te non sunt absconditæ, veniam peto, veniam credo, veniam spero, tu qui pius es, parce nobis Domine. Per Dominum.

Item de aliis peccatis.

De Sodomitico, de concupiscentia, de infantibus oppressis, de divinationibus, & sortiariis, de votis, quæ alibi reddunt nisi ad Ecclesiam, de incendiis, de sacrificiis, quæ pagani faciunt. De Ministerio Ecclesiæ aliquid tulisti, de sacrificio si ulla negligentia excesserit, de chrisma te si pro maleficiis biberit, si fœmina abortum fecerit, & si menstruo tempore in Ecclesiam intrat, aut vir cum ea nupserit, & si parvulus sine Baptismo, per negligentiam mortuus fuerit; die Dominico non custodito, & si de immunda comederit, & in furto sepulcbra violaverit. Et sunt alia minuta peccata; qui proximum suum maledicit, & qui in verbis pejerat, invidet, concupiscit, detrahit, accusat, blasphemat: Habes aliquid de istis peccatis, vel de ipsis, quæ de eorum radicibus procedunt, vel alia minutissima peccata, quæ longum est dinumerare; confiteris quantum memorare potes? ℟. Sic facio. Postquam de istis confessus fuerit, tunc projicite ambo pariter in terra; dic ei, ut ipse dicat mea culpa. Peccavi, Domine. Iterum interroga eum: Recognoscis te esse culpabilem, de omni peccato quod post Baptismum sciendo, vel nesciendo commiseras, aut recordaris, quòd in verbo, aut in opere, aut in cogitatione contra mandatum Dei egisti, & culpabilem exinde te cognoscis? ℟. Sic facio. Iterum dic ei: Promittis de præteritis culpis emendare? ℟. Promitto. Dic ei: Dominus sit tibi adjutor, & præstet tibi indulgentiam de tuis peccatis.

Item Oratio.

Dominum omnipotentem, ac misericordem, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, Fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut conversum ad viam rectam famulum suum *Il.* misericordiæ suæ veniam propitiatus indulgeat, & si qua sunt culparum suarum omnium vulnera, quæ post sacri lavacri undam contraxit, ita in hac publica confessione delicta sanentur, ut nulla in eo ultra cicatricum signa remaneant. Per.

Si

Si tempus eſt, ut vacet, dic iſtas Orationes: ſi non, iſtæ duæ ſufficiant.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab hoc famulo tuo *Il.* clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, ejuſque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tibi ſemper, Domine, valeat adhærere. Per.

Alia. Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc famulum tuum *Il.* qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur: tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quàm mortem. Concede ergo hoc, ut & tibi pœnitentiam ex culpis celebret, ut correctis actibus ſuis conferre tibi ad te ſempiterna gaudia, celebretur. Per.

Alia. Precor, Domine, clementiam tuæ Majeſtatis, ac Nominis, ut huic famulo tuo *Il.* peccata, & facinora ſua confitenti, præteritorum criminum veniam relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, qui publicani precibus, vel confeſſione placatus es: tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare, tu ejus precibus benignus adſiſte, ut in confeſſione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret, ut ſanctis, ac ſacris Altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cœleſti gloriæ reformetur. Per.

Tunc expleta pœnitentia, ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad Sacerdotem, & reconciliet eum. Si verò ſimplicem, vel brutum eum intellexeris, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo:

Oratio.

Præſta, quæſumus, Domine, huic famulo tuo, *Il.* dignum pœnitentiæ fructum, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccato, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per Dominum.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo, *Il.* pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam; quàm indulgentia tuæ pietatis profit ad veniam. Per.

Si tempus vacet, dic illas alias: ſi non, iſtæ duæ ſufficiant, & omni tempore, quando ad ægrotum veneris data pœnitentia, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo:

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo *Il.* longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.

Alia.

Majeſtatem tuam, Domine, quæſumus ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris: reſpice flentem famulum tuum. *Il.* attende proſtratum, ejus planctum in gaudium tua miſeratione converte: ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitiam ſalutarem, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis Altaribus ſatietur, ingreſſus cubiculum Regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, preces noſtras, confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per.

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum *Il.* quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Benedictio ſuper Pœnitentem.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat ad vitam æternam. Per.

Alia.

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te Jeſus Chriſtus, illuminet te Spiritus Sanctus omnibus diebus vitæ tuæ, contineat te virtus Chriſti, indulgeat tibi Dominus omnia peccata, & delicta tua.

Alia.

Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Qui vivit.

Alia.

Benedicat te Dominus omnipotens, & per abundantiam Spiritus Sancti cor tuum corroboret, atque ſenſus tuos in bonis operibus informet, proſpera tribuat, pacem concedat, ſalutem conferat, quietem nutriat, charitatem muniat, & ab omnibus Diabolicis, & humanis inſidiis, ſua te ſemper protectione, & virtute defendat, ut quæcunque a te poſtulaverit, clementer concedat, auferat omnia mala, quæ geſſiſti, & tribuat gratiam, quam ſemper rogaſti. Per.

Alia.

Sis namque abſolutus à Deo Patre, & Filio, & Sancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis, ſimiliter etiam ſis abſolutus à ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, & Confeſſoribus, ſive ab omnibus timentibus Dominum, & à me quamvis indignus, & hic, & in futuro ſæculo. Amen.

Ordo agentibus publicam pœnitent. ſuſcipis eum quarta feria mane in capite quadrag. ſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini, qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra, dat orationem Pontifex ſuper eum ad reconciliandum, in quinta feria Cœnæ Domini, ſicut ibi continetur. Item.

Oratio.

Oratio.

Confitenti tibi, Domine, famulo tuo *Il.* remitte delicta, ut qui intrinsecus conscientia flagellatur, reconciliationis tuæ gratia consoletur. Per.

Alia Oratio.

Deus justorum gloria, misericordia peccatorum, da huic famulo *Il.* plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ locum exoratus indulge, ut qui præterita deplorat, futura mala non sentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, & in semitis eum justitiæ placatus restaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos bene meritos currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire. Per.

Alia.

Exaudi, Domine. *Alia.* Præveniat hunc. *Alia.* Adesto, Domine. *Alia.* Domine Dominus noster, qui off. *Alia.* Præsta, Domine, hunc. *Alia.* Majestatem tuam quæsumus, *Istas orationes require retro in ordine.*

Feria V. Cœnæ Domini egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam gessit, & in gremio præsentatur Ecclesiæ, prostrato omni corpore in terram. Orationes ad Missas.

Omnipotens sempiterne Deus, da, quæsumus, universis famulis tuis plenius, ac perfectius omnia festi Paschalis introire mysteria, ut incunctanter pia corda cognoscant, quantum debeant, de confirmata in Christo renascentium glorificatione gaudere. Per.

Alia.

Concede credentibus misericos Deus, salvum nobis de Christi passione remedium, ut humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos, æternæ suffragio plebis absolvat. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vitam humano generi pro nobis filio tuo moriente salvasti, præsta, quæsumus, ut in hac populi tui devotione fructus proveniat gaudiorum. Per.

Et antequam offerant, postulat Diaconus his verbis.

Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, salutis humanæ, qua mors interitum, & vita accepit æterna principium; quando in vinea Domini sabaoth, sic novorum planta facienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim à divitiis bonitatis Dei nihil tempora vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam adsumptio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis; lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplex grex tuus postea quàm in varias formas criminum neglectu mandatorum cœlestium, & morum probabilium transgressione cecidit, humiliatus, atque prostratus, propbetica ad Dominum voce clamat dicens, Peccavi, impiè egi, iniquitatem feci, miserere mei, Domine, Evangelicam vocem non frustratoria aure capiens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; manducavit, sicut scriptum est, panem doloris, lacrymis stratum rigavit. Cor suum luctu, corpus adflixit jejuniis, ut animæ suæ reciperet, quam perdiderat, sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit: hic ergo dum ad plenitudinis actionem tantia excitatur exemplia, sub conspectu ingemiscentia Ecclesiæ, venerabilis Pontifex protestatur, & dicit: Iniquitates meas ego cognosco, & delictum meum contra me est semper. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma: cui ita supplicanti, & misericordiam Dei afflicto corde poscenti, redintegra in eo Apostolice Pontifex, quicquid Diabolo suadente corruptum est. Et orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis perversitatibus displicebat, nunc jam placere se Domino in regione vivorum, devicto mortis suæ auctore, gratuletur. Per.

Post hoc admonetur ab Episcopo, sive ab alio sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet; inde verò dicit has orationes sacerdos super eum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum: da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per.

Alia.

Præsta quæsumus, Domine, huic famulo tuo *Il.* dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per.

Alia.

Deus humani generis benignissime conditor, qui hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti, vivifica itaque, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, adsume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria: tu ejus medere vulneribus, & jacenti manum porrige salutarem; ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, nec grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda

secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus: Tu parce confitenti, ut imminentibus pœnis, sententiæque futuri Judicii, te miserante non incidat: nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab errore suo ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucietur: sed integrum sit ei atque perpetuum, & quòd gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per.

Item ad reconciliandum.

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia pietatis ad veniam, Per.

Alia.

Omnipotens, & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, ut quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice super hunc famulum tuum, qui ab infesta sæculi tempestate demersus, flebili lamentatione suos accusat excessus, ut fletus, ac gemitus ejus pie suscipias, eumque de tenebris ad lumen revoces. Et medelam confitenti, salutem pœnitenti, & vulnerato auxilium sanitatis indulgeas: nec ultra inimicus in ejus animam habeat potestatem: Ejusque confessionem libenter admittens, Ecclesiæ tuæ purificatum restitue, ac tuo altario repræsenta, ut ad sacramentum reconciliationis admissus, una nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per Dominum.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericos, Deus clemens, Deus, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles; & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi: renova in eo, piissime, quicquid terrena fragilitate corruptum est, vel quidquid Diabolica fraude violatum est, in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfecta remissione peccatorum restitue: miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad sacramentum conciliationis admitte. Per.

Alia.

Deus misericors, Deus clemens, qui multitudinem indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concludis, sed pulsanti misericordiæ tuæ januam aperis: pœnitentes etiam sub ipsum vitæ hujus terminum non repellis, respice propitius super hunc famulum tuum, Ill. remissionem sibi omnium peccatorum totius cordis confessione poscentem. Renova in eo, piissime pater, quòd actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione Diabolica fraude vitiatum est, & unitati corporis Ecclesiæ membrum tuæ redemptionis adnecte; miserere gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad sacramentum reconciliationis, admitte; quod nullius animæ, in hoc corpore constituti difficilis apud te, aut tarda curatio est: fidelis enim es in verbis tuis, qui conversum peccatorem, non longo temporis spatio differendum, sex mox ut ingemuisset, dixisti esse salvatum. Per Dominum.

Oratio pro defuncto desiderante Pœnitentiam, & minime consequente.

Si quis Pœnitentiam petens, dum sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est, ut si idonea testimonia hoc dixerint, & ipse per motus aliquos satisfecit, sacerdos impleat omnia circa Pœnitentem, ut mos est.

III.
POENITENTIALE SICULUM.

Holstenius, Bibliothecarius Em. Cardinalis Barberini, qui hoc Pœnitentiale communicavit Morino, testatur, codicem Siculum, unde desumptum est, sæculo ad minimum undecimo, aut decimo scriptum esse. Tractat potissimum de confessione & absolutione privata. Sic habet:

Qualiter sacerdos suscipere debeat pœnitentes. More solito, cùm aliquis venerit ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad orandum: Si autem non habuerit cubiculum, prius in secreto cordis sui dicat hanc orationem.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut me pro peccantibus, & peccata sua confitentibus dignum inter te, & ipsos mediatorem constituas, quique mortem peccatorum non vis, sed ut convertantur, & vivant, suscipe orationem servi tui, quam pro famulis, famulabusque tuis ante conspectum gloriæ tuæ pœnitere cupientibus effundo, ut pariter eos & peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæsos custodias. Per.

Alia.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad adorandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus: ideoque dominator domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur,

tur, & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ, pro famulo tuo N. qui ad pœnitentiam venit. Per.

Cùm autem accesserit ad te, dic super eum hanc orationem.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam reis, ut exclusa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famulentur. Per.

Tunc interrog. Si teneat orationem dominicam, Symbolum: & si tenet, dic ei interrogando.

Interrog. Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo. *Interrog.* Credis, quod istæ tres personæ, quas modo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres personæ sunt unus Deus? ℟. Credo. *Interrog.* Credis, quod in hac ipsa carne, in qua nunc es, habes resurgere in die Judicii, & recipere sive bonum, sive malum, quod gessisti? ℟. Credo. Vis dimittere illis peccata quicunque in te peccaverunt, ut & Deus tibi dimittat peccata tua ipso domino dicente, si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra? *Interrog.* Eum si jam ipse confessus fuisset alicui peccatum suum? Deinde si aliquid de malo ingenio habet, aut de furto, aut de aliqua causa contra directum. Si confessus est habere, instrue eum quod non licet judicium de illis peccatis recipere, antequam ipsum malum reddat, aut ejiciat. Postea si fecerit. *Interrog.* Eum si iracundiam contra qualemcunque habeat hominem: Si confessus est habere, admone eum quod scriptum est: & sicut non proficit vulneri medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit; ita nihil proficit abstinentia illius, si iracundiam tenet. *Interrog.* Si fugitivus sit: & si est, admone illum, quia non licet ei pœnitentiam agere. Tunc require eum diligenter, si est incestuosus: & si non vult incesta dimittere, non potes ei pœnitentiam dare; & si vult incesta dimittere, dic Psalmum trigesimum septimum. Domine ne in furore tuo.

Oratio.

Deus, cujus indulgentia cuncti indigent, memento famuli tui, qui lubrica terreni corporis est fragilitate nudatus. Quæsumus, da veniam confitenti, parce supplici, ut qui suis meritis accusatur, tua miseratione salvetur. Per.

Deinde Psal. 102. Benedic. anima mea, Domino. Usque: Renovabitur sicut Aquilæ; &c. *Et dic Orationem.*

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque contremiscunt conscientiæ, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum liber est à culpa, ità nemo sit alienus à venia. Per, *Et dic Psal.* 50 Miserere mei Deus. *Usque.* Iniquitates meas dele *Et dic Orationem.*

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Precor, Domine, clementiæ, & misericordiæ tuæ majestatem, ut huic famulo tuo N peccata confitenti debita relaxare, & veniam præstare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, quique publicani preces confessione placatus exaudisti, tu etiam huic famulo N placare, tu hujus precibus benignus aspira; & ut in confessione placabili permaneat fletus ejus, & petitio, perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ut sanctis altaribus, & sacrariis restitutus spei rursum æternæ, ac cælesti gloriæ mancipetur. Per.

Tunc fac eum confiteri omnia peccata sua, ita dicendo.

Fecisti homicidium, aut casu, aut volens, sive pro vindicta parentum, vel per jussionem domini tui, aut in publico, vel facere voluisti, & non fecisti, vel servum occidisti? Septem, vel quinque, aut tres annos, aut dies 40. pœniteas. *Interrog.* Fecisti perjurium propter cupiditatem sæculi, aut coactus, aut pro vita parentum, vel per jussionem Domini tui sciens, aut nesciens, aliquos in perjurium duxisti? Septem, vel tres annos, aut dies 40. pœniteas. Fecisti furtum capitale, vel effracturam Ecclesiarum, vel domorum? tulisti quadrupedia, vel fortiorem causam valentem solidos 100 vel 40. 7. sive 5. annos pœniteas; de minoribus causis, vel furtis annum 1. sive 3. quadragenas, aut etiam dies 4. pœniteas.

Commisisti Adulterium cum uxore aliena, aut cum desponsata, vel virginem corrupisti, aut sanctimonialem, vel Deo dicatam 5. annos, aut 3. vel dies 70. pœniteas. Habuisti legitimam uxorem, & cum ea simul concubinam, vel cum uxore tua retro nupsisti; 7. vel 5. aut 3. annos pœniteas. Fecisti fornicationem sicut Sodomitæ, vel cum fratre, aut cum patre, & cæteris proximis consanguineis, vel cum pecoribus? 15. vel 12. aut 3. vel 1. annum pœniteas.

Dixisti falsum testimonium pro cupiditate pecuniæ, sciens, aut nesciens, aut actus à domino, vel suasione amici? 3. annos, aut 2. aut 1. pœniteas.

Percussisti hominem, ut ab eo exiret sanguis, vel os fractum fuerit? annum 1. vel dies 40. pœniteas. Odisti fratrem tuum in corde tuo? quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu pœniteas in pane, & aqua. Detraxisti ullum hominem ad seniorem, vel parentes propter invidiam? annum 1. vel dies 40. pœniteas. Violasti sepulchra propter furtum 3. vel 2. annos pœniteas. Contigit tibi aliqua negligentia de sacrificio? 100. dies, vel 40. pœniteas Tulisti res alienas malo ordine, per malum ingenium? annos 3. pœniteas. Dedisti pecuniam ad usuram? 5. vel 3. annos pœniteas.

Fecisti sacrilegium, id est sacrarum rerum furtum, & quod Arupisces, & Augures faciunt, & sortilegi, vel vota, quæ fiunt ad Arbores, vel ad fontes, & cancellos, aut per ullum ingenium vovisti, aut sortitus fuisti, aut furtum Arborum, fecisti? 5. annos vel 3. pœniteas. Fecisti ra-

ptum de virgine, vel vidua? 3. annos pœniteas. Tulisti aliquid pecuniæ in Ecclesia contra directum? 3. annos, aut 2. aut dies 40. pœniteas, aut in quadruplum restituas.

Duxisti, aut transmisisti per ullum ingenium, servum, aut alienum hominem Christianum in captivitatem? 5. vel 3. annos pœniteas. Combussisti domum alterius, aut agrum? 3. annis pœniteas. Fecisti vomitum per ebrietatem: 15. dies pœniteas. Si per contentionem 40. dies, si nesciens, 12. dies pœniteas. Coegisti ullum hominem bibere, ut inebrietur? aut per odium hoc fecisti? 3. annos pœniteas. Bibisti sanguinem, vel manducasti ullius pecudis, vel hominis? 3. annos pœniteas. Manducasti morticinum? aut à bestiis dilaceratum? 40. dies pœniteas. Bibisti liquorem, in quo mustela, vel mus inventus fuerit? 40. dies pœniteas. Contempsisti indictum jejunium in Ecclesia contra decreta seniorum: 40. dies, & si in quadragesima, ann. 1. pœnit. Oppressisti infantem tuum, vel alium ut moreretur? 7. aut 5. vel 3. ann. pœnit. Bibisti ullum maleficum, herbas, vel alias causas, ut non posses infantem habere, aut alii dedisti, aut hominem cum potione occidere voluisti, aut de semine, vel sanguine mariti tui bibisti, ut majorem de te haberet amorem. 7. vel 5. aut 3. annos pœniteas. Necasti partus? 10. ann. pœniteas. Occidisti filium, aut filiam? 13. ann. pœnit. Si in utero ante conceptum? ann. 1. & si post conceptum ann. 3. Si infans per negligentiam moritur ante Baptismum, pœnit. an. 1. & nunquam sis sine aliqua pœnitentia........

Misisti filium, aut filiam supra tecta, aut in fornacem pro aliqua sanitate? 5. ann. pœnit. combussisti grana, ubi mortuus homo erat pro sanitate viventium? 5. ann. pœnit. Deinde interrog. eum, quale ministerium faciat. Si est Comes, aut Castaldius: Si est ministerialis, si est negotiator, si est Massarius, si est Monetarius, si est Escarius: si habet patrem, aut matrem, si habet orphanos, si fuit, aut est pecorarius, si est judex, aut notarius &c. quicunque responderit quale ministerium faciat. *Interrog.* Qualiter illud faciat. Si comes, aut judex est, dic illi ut non accipiat præmia, non judicet tortum. Si est Pescarius, non teneat Annonam familiæ; si Monetarius, aut negotians, non gravet aliquem in negotio, & in Concambio. Si habet patrem, aut matrem, eos honoret, & det illis necessaria. Si animalia pascit, aut porcos &c. damnum non faciat aliis; si est Massarius, non sit fraudulentus seniori de labore suo. Si habet viduam, aut Orphanos, faciat cunctis misericordiam. Si servus est, sit fidelis Domino suo, & laboret in quantum potest, & qui malefaciunt, eos emendet: Si habet uxorem, non concumbat cum ea festis diebus, nec in quadragesima majore usque ad octavas Paschæ. Omnis itaque Christianus fideliter decimas Deo det; quod si non dedit, Deus tollit ab eo novem partes. Si Monachus, aut Monacha est, Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, servent quod promiserunt. Tunc interr. eum de minoribus.

Si Turpia verba dixit, id est, quæ risum movent: Si malum consilium dedit, si cogitavit tollere causas aliorum, si blasphemavit aliquem, si est piger, si somnolentus, si negligens, si non operatur quotidie quantum potest, si maledixerit pauperi, si derisit alterum, si mentitus est, aut habet consuetudinem mentiendi, si jocum nimis amat, si pollutus inter coxas, si cum manibus, aut quovis ingenio, sed hoc grande peccatum est, nisi cito emendaverit. Si ante horam manducat, si quærit delitiosum manducare; si iram retinet, si statim respondet, si non vult obedire majoribus, si non amat subjectos, si non amat, jam odium est; si nimis mollis, si non faciat servos laborare; si nimis asper est in familia sua, si non eos vestiat, & nutriat. Qui cum responderit, se ex iis, quæ diximus, aliquid fecisse, aut alia, quæ non diximus, & tu interrogare poteris. *Interrog.* Si hæc per consuetudinem fecerit, aut non, nam majus peccatum fit per consuetudinem. Iterum interr. eum si vult emendare: si vult, & promittit, da ei pœnitentiam; si non, dic illi, quod non ei das pœnitentiam. Sed primo considera, si dives est, aut pauper, si dominus, aut servus, si sanus, aut infirmus, si sit conjugatus an non, si est juvenis aut puer. Omnia considera, & secundum quod potuerit agere, impone illi pœnitentiam, non eos nimis aggraves, sed in hoc labora, ut victu emendentur.

Attende etiam, ut tale jejunium imponas, nec peccatum facias manifestum, & cui non potes imponere jejunium, impone eleemosynam, & orationem, & flectat genua per diem, & noctem. Sed antequam imponas pœnitentiam, debes ostendere quàm granda est illud malum, & quot annis debet pœnitere: debes tamen admonere, ut non desperet, quia Deus misericors est, & ei omnia peccata dimittit, tantùm si emendaverit: & dic, quia sicut aqua omnia lavat, ita pœnitentia omnia peccata purgat ejus, qui eam suscipit ex corde, & qui peccando factus est filius Diaboli, pœnitendo potest fieri Filius Dei, & qui debuit ire in infernum, potest in Paradisum introire.

Tunc Interroga eum.

Credis per confessionem, & veram emendationem à Deo remitti peccata tua? Credo, qui cum responderit: Credo: dic, audi ergo, quid est pœnitentia? Pœnitentia est, mala, quæ fecisti, plangere, & iterum ea non facere sicut medicamentum corpori, sic pœnitentia prodest animæ, & ideo non debes aliquod celare peccatum, quia melius est hic erubescere coram uno sacerdote, quàm post mortem coram omnibus sanctis ire in pœnas, *Iterum inter. eum* habes fidem confessam, & peccata confessa Deo, & sacerdoti, ut remittantur tibi peccata tua? habeo. Interr. eum. Unde confessus fuisti, vis judicium recipere, & bene custodire, & omnes ad inventiones Diaboli abrenunciare, & Trinitatem credere? ℟. *Volo.* Interr. Habes voluntatem, quod gessisti contra mandata Dei, emendare? Sic habeo, dices ei:

Dominus sit adjutor, & protector tuus, & præstet tibi indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præsentibus, atque futuris.

Deinde

Deinde fiat confessio peccatorum rusticis verbis: Postea sequantur hæc capitula.

Domioe, non secuodum peccata nostra facias nobis ℟. Neque secundum. Ne simul tradas nos, Deus, cum peccatoribus. ℟. Et cum operantibus iniquitatem. Domine, ne memineris iniquitates nostras antiquas. ℟. Cito nos anticipeot. Adjuva nos, Deus salutaris noster. ℟. Et propter honorem. Fiat, Deus, misericordia, tua super nos. ℟. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. Domine, exaudi oratiooem meam. ℟. Et clamor meus. *Vox confitentis peccata sua.*

TU, Domine, creator meus, redemptor meus, judex meus, nosti peccata mea, quia tu nosti omnia antequam fiant: timeo judicium tuum, quia cootempsi præcepta tua, sed non despero de venia, quia tu dixisti oolle mortem peccatoris, nec lætaris in perditione malorum: ne ergo Diabolus possit in die mortis meæ pro malis meis, me ad desperatiooem trahere; coofiteor tibi, & huic famulo tuo omnia mala mea hodie, certus per omnia de indulgentia, quia pius, & omnipotens es.

Tunc dicat Sacerdos. Christus Filius Dei, qui scit fragilitatem nostram, misereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata, quæ ab infantia tua fecisti usque in hodiernum diem, præterita, præsentia, & futura, quæcunque fecisti sciens seu nesciens, cogitando, vel committendo, loquendo, vel operando, liberet te ab omni malo, conservet te in omni bono, & perducat te in vitam æternam. ℟. Amen.

Tunc prosternat se in vice Dei ad pedes Sacerdotis, ita dicens: Recipe me sceleratum in vice Jodicis mei, quia non est, quo fugiam, nisi ad te, coofiteodo tibi peccata mea. Recepto à Sacerdote, fiat oratio cum Psalmo isto: Ad te levavi oculos, & sequatur admooitio Scripturarum sanctarum: deinde dicatur bæc oratio.

Exaudi, Domine, preces oostras, & coofitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, oec sit ab hoc famulo tuo, N. clementiæ tuæ longinqua miseratio, sana vulnera, ejus remitte peccata, ut oullis à te separatus ioiquitatibus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Alia. Domioe Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, rei spice, quæsumus ad hunc famulum tuum, N. qu se tibi graviter peccasse confitetur: tuum est enim absolutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te peccatorum malle, quam mortem. Concede ergo boc, ut tibi pœoiteotiæ excubias celebret, & correctis actibus suis coocedi sibi à te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Alia. Precor, Domine, clementiam tuæ Majestatis, ac Nominis, ut buic famulo tuo, N. peccata, & facinora sua coofitenti veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris, qui bumeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas. Per.

Alia. Deus, qui publicani precibus, vel confessiooe placatus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo, N. placare, tu ejus precibus benignus assiste, ut io confessione placabili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & sanctus, ac sacris Altaribus restitutus, spei rursus æternæ, & cœlesti gloriæ reformetur. Per.

Alia. Adsit quæsumus, Domioe, huic famulo tuo, N. inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat, sicque se macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idooea satisfactione compescat. Per.

Alia. Omoipotens sempiterne Deus, qoi es verus sanctus, & Sanctorum omnium Protector, te pium Domioum devotis mentibus deprecamur pro famulo tuo, N. ut ei iodulgeotiam tribuas omnium delictorum suorum, & ne iterum ad voluntatem peccandi redeat, propitius eum custodire digneris. Per.

Alia. Precamur, Domine, ut intercedentibus omnibus Sanctis tuis famulo tuo, N. indulgentiam coocedas, fide, spe, & charitate eum repleas, mentem ejus ad cœlestia desideria erigas, & ab omni adversitate eum defeodas, & ad bonam perseverantiam perducas. Per.

Missa pro infirmo, de cujus salute desperatur.

Deus, qui famulo tuæ dedisti fidei conjunctiooem, concede, ut per temporalem corporis iocommoditatem ad supernorum civium pertingere mereatur consortium. Per Dominum oostrum.

Famulum tuum, quæsumus, Domine, ab omnibus absolve peccatis, ut qui membrorum jam caret officio ouoquam tuæ miserationis destituatur auxilio. Per.

Cuncta famuli tui, N. quæsumus, Domine, per baoc oblationem purgentur delicta, ut qui tuæ dispositioois flagello in bac atteritur vita, in futura ei requies tribuatur. Per.

Sacris, Domine, muoeribus vegetati, quæsumus, ut famulum tuum infirmitate laborantem, in æteroæ beatitudinis spe consolari digneris. Per.

Ordo ad ungendum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo, & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua, & reconciliatiooem ab eo percipiat pleoam, ut ulceribus vitiorum per Confessiooem purius adapertis, dignius proficiat ei unctio spiritalis, medendo nequitiarum putredini iote rius latitanti: & tunc in primis faciant Sacerdotes aspergi salem, & aquam benedictam, & spargant eam cum Antiphona. Asperges me, Domine. Cum Psalmo. Miserere mei Deus. Et Oratio dicatur, ut supra, super infirmum, & super domum ejus. Deiode dicatur hæc Oratio.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros

byteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei, cura, quæsumus Redemptor noster, gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi, & omnia ejus sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius, exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus, & sanatus ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Et sic flectat genua, qui est languidus.

Et stet ad dexteram Sacerdotis, & sic cantetur hæc Antiph. Sana, Domine, infirmum istum, cujus ossa conturbata sunt, & cujus anima turbata est valdè, sed tu, Domine, convertere, & sana eum, & eripe animam ejus à morte. Domine ne in furore.

Iterum cantetur Antiphona.

Oratio.

Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, & cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum, N. per Angelum suum sanctum visitare, lætificare, confortareque dignetur. Qui vivit.

Antiph. Dominus locutus est Discipulis suis, in nomine meo dæmonia ejicite, & super infirmos manus vestras imponite, & bene habebunt. *Psal.* Deus deorum Dominus.

Hic imponant manus super infirmum omnes Sacerdotes, & Ministri eorum, jubente tamen, vel permittente Episcopo, quoniam Canonicus sic docet ordo.

Sequitur Oratio.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, huic ad te ex toto corde converso peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per. *Sequitur Antiph.* Succurre, Domine, huic infirmo, & medicare ei spiritali medicamine, ut in pristinam sanitatem restauratus gratiarum tibi referat actiones. *Psal.* Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi cum Gloria. *Oratio.* Oremus Dominum nostrum pro fratre nostro, quem durè ad præsens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cœlestibus dignetur curare medicinis, ut qui dedit vitam, det & salutem. Qui vivit.

Deus, qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non solùm in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per. *Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter scapulas, seu in loco, ubi dolor plus imminet, & in quinque sensibus corporis, & in superciliis oculorum, & in naribus intus, & foris, & in aurium summitate exterius sive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id est foris, ut si quinque sensibus mentis, & corporis aliqua macula inhæsit, medicina spiritali sanetur, & Domini misericordia impertiatur. Cùm ergo Sacerdos ungit infirmum, dicat hanc orationem morosius inungendo.*

Adesto, Domine quæsumus, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus Cooperator assiste, ut qui ad executionem mandatorum huic ægroto manus imponentes olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi servituti nostræ te interesse sentiamus; quatenus Sancti Spiritus gratia nostræ actionis officia comitante, ab hoc famulo tuo, N. omnis languor, & debilitas abscedat, totiusque vigoris, & sospitatis plenitudo succedat, relictoque imbecillitatis grabato, ad te Medicum supernum vultum, & mentem erigat, & pro sospitatis restitutione laudes nomini tuo competentes in æternum persolvat. Per. *Sequitur unctio olei ad caput.*

Ungo caput tuum oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad luctam, possis aerias superare catervas. Per Christum. *Ad oculos.* Ungo oculos tuos oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum Dominum. *Ad aures interius, & exterius.* Ungo aures has sacrati olei liquore, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per Christum. *Ad nares intus, & foris.* Ungo has nares oleo sacro, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista evacuet medicatio. Per. *Ad labia exterius.* Ungo labia ista consecrati olei medicamento, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quidquid otiosa, vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante expurgetur hac unctione. Per. *In collo.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, & defensionem contra jacula inimicorum spirituum. Per. *In gutture.* Inungo te in gutture de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut non lateat spiritus immundus neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed habitet in te virtus Christi Altissimi, & Spiritus Sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam, & melioratam percipere merearis sanitatem. Per. *Ad pectus.* Ungo pectus tuum de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut hac unctione protectus, fortiter certare valeas contra ignea inimicorum jacula. Per. *Ad cor.* Ungo locum cordis oleo divinitus sanctificato, cœlesti munere nobis attributo, in nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis; ut ipsa te exterius, interiusque sanando vivificet, quæ universam conditionem tuam, ne pereat, continet. Per. *Ad scapulas.* Ungo has scapulas, sive medium locum scapularum oleo sacrato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ex omni parte spiritali protectione munitus jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore superni juvaminis repellere. Per. *Ad manus exterius.* Ungo has manus oleo sacrato,

to, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quicquid illicito, vel noxio onere peregeris, per hanc unctionem evacuetur. Per. *Ad pedes desuper.* Ungo bos pedes oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quicquid superfluo, vel nocivo incessu commiseris, abluat hæc sancta perunctio. *Ad locum, ubi magis dolet.* Ungo te oleo sancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius, ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui recuperetur in te virtus, & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam, & magis robustam recipere merearis sanitatem. Amen. *Ad omnes compagines.* Ungo te de oleo sancto invocata magni Creatoris Majestate, qui jussit per Samuelem Prophetam, ungi David in Regem. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed habitet in te virtus Christi Filii Dei Altissimi, & sanctificatio Spiritus Sancti. *Item alia.* Ungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti oleo sancto, atque sacrato, ut virtute Spiritus Sancti tribuat tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ, & corporis, in remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam. ℟. Amen.

Alia. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, accipe sanitatem: hæc unctio per signum sanctæ crucis, & per oleum sanctificatum, & per donum Sancti Spiritus fiat tibi ad sanitatem.

Alia. Domine Deus Salvator noster, qui es vera salus, & medicina: à quo omnis sanitas, & medicamentum venit, qui Apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ postulemus misericordiam pietatis, respice propitius super hunc famulum tuum N. ab illa mirabili summitate cœlorum, ut quem languor cruciat ad exitum, & virium contractio jam pertrahit ad occasum, medela tuæ gratiæ saluti restituat castigatum, extingue in eodem libidinum, & febrium actus, dolorum stimulos, ac vitiorum obtere cruciatus, ægritudinum, & cupiditatum tormenta dissolve, superbiæ inflationem, timoremque compesce, ulcera, & putredines vitiorum evacua, viscerum interna, cordiumque, ac medullarum, atque plagarum obducito cicatrices, physicis, tiphisisque adesto periculis, veteres, immensasque remove passiones, opera carnis, sanguinisque materiam compone, delictorum illi veniam propitiatus attribue, sicque illum jugiter custodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas, fiatque ei hæc olei sacra perunctio concita morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio, te concedente Salvator mundi. Qui vivis. Sequitur

Hymnus.

Christe cœlestis medicina Patris,
Verus humanæ Medicus salutis,
Pro fide plebis precibus potenter
Pande favorem.

En nos infirmos tibi supplicamus,
Quos nocens pestis valetudo quassat,
Ut pius morbo releves jacentes,
Quo quatiuntur.

Qui potestate manifestus extas,
Mox socrum Petri febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque salvas
Centurionis.

Corporum morbos, animamque sana,
Vulnera quassans adhibe medelam,
Ne sine fructu cruciatus urat
Corpora nostra.

Ferto languenti populo vigorem,
Effiue largam populo salutem,
Pristinis more solito reformans
Viribus ægros.

Jam Deus noster miserante fletu,
Pro quibus te nunc petimus medere,
Ut tuam cunctus recubans medelam
Sentiat æger.

Omnis impulsus perimens recedat,
Omnis incursus crucians liquescat,
Vigor optatæ foveat salutis
Membra dolentis.

Quo per illata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori,
Cum potes intrent sociante fructu
Regna polorum.

Gloria Patri, genitæque proli,
Et tibi compar utriusque semper,
Nomine Trino, Deitate soli,
Sydera clament. Amen.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & sanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, & corroboret, & sanet in bonis desiderium ipsius, qui solus in Trinitate Deus vivit, & regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Aliæ.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum, N. ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, & ei cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Alia. Deus, qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo, N. tuarum dona virtutum, ut fugatis infirmitatibus medelam tuam non solùm in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia. Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per.

Alia Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis

virtutis tuæ benedictione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra, & membra vegetentur, super hunc famulum tuum, N. propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per. Deinde communicet eum Sacerdos corpore, & sanguine Domini, & sic septem continuos dies, si necessitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio, & suscitabit eum Dominus ad salutem, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei, ut Apostolus ait.

Oratio ante perceptionem Eucharistiæ.

Corpus, & sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. ℟. Amen. Pax, & communicatio corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. ℟. Amen. Domine Jesu Christe, Redemptor, & Salvator noster, exaudi nos pro fratre nostro, N. infirmo, te rogantes, ut tua sancta Eucharistia ei sit ad tutelam animæ, & corporis, & ad capessendam vitam æternam. Qui vivis, &c.

Debent etiam ex Ministris sanctæ Dei Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies Vespertinales, & Matutinales Laudes cum Antiphonis, & Responsoriis, sive Lectionibus, & Orationibus ad hoc pertinentibus.

Post hæc sequitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis, & necessitate laborantibus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis, & necessitatibus laborantem consolationibus attollat, quibus, & de præsenti consequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per.

Alia. Domine sancte, Pater omnipotens, universitatis Author æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, tuum solitum auxilium, qui es magnus Artifex, piè exerce in hoc tuo plasmate rogamus. Per.

Alia. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem Nominis tui benignus assiste, & hunc famulum tuum N. liberatum ab ægritudine, & sanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, & Ecclesiæ tuæ, sanctisque Altaribus cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

Sequitur Absolutio.

Deus, qui peccatores, & scelerum onere vulneratos Sacerdotibus tuis se ostendere jussisti: Deus, qui Discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti, qui per Apostolos, infirmos sacro oleo ungere, & pro eis orare docuisti: Deus, qui per impositionem Sacerdotum manus, cum sancti Nominis tui invocatione peccata relaxari voluisti, exaudi orationes nostras, & da huic famulo tuo N. infirmitatis noxa depresso per hoc sacrum mysterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum, quatenus per hanc sacrati olei unctionem, & per manus impositionem cuncta facinora Spiritus Sancti gratia relaxentur, venia impetretur, sanitas corporis, & animæ restituatur: fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius, exteriusque imbuant, & sanent, ut non tantùm ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quantum prosit indulgentia, & reconciliatio tuæ pietatis, atque confessionis ad veniam. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, criminum Absolutor, & Indultor peccaminum, qui Apostolis tuis, Apostolorumque Successoribus dixisti, sine me nihil potestis facere; & si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet eis à Patre meo, qui etiam specialiter Petro Apostolorum Principi ligandi, & solvendi Pontificium tradidisti, & postea generaliter omnibus Discipulis insufflasti, & dixisti: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: Tu, Domine, in nostro Ministerio tuam insere clementiam, & in nobis peccatoribus quod tuum est operare, & quod nostra non exigunt merita, tuæ virtutis impleatur effectu. Supplices ergo poscimus tuam clementiam, ut famulo tuo N. omnibus cordis, & corporis gemitibus suorum relaxationem peccatorum postulanti pius auditor, & clemens indultor, existas, nihilque ei in præsenti angustia, sive exitu obstet, quod fragilitas cumulavit humana: adsit ei, Domine, Rex cœli tua misericordia in tribulatione constituto, sicut adfuit latroni confitenti, & meretrici gementi, ac lachrymanti, cui dimissa sint peccata multa, quia dilexit multum: ne reminiscaris, Domine Deus, malorum factorum suorum, sed recordare, quod pollicitus es, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat: tu enim solus potens es, non solùm peccata dimittere, verum etiam ipsos peccatores justificare. Per.

Absolutio.

Dominus Jesus Christus, qui dignatus est Discipulis suis dicere: quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo; de quorum numero quamvis indignum, & peccatorum vinculis astrictum me esse sua dignatione voluit, ipse te largifluo pietatis suæ dono, ac meæ simul parvitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ excessibus interius, exteriusque humanitus contractis. ℟. Amen.

Et sicut peccata totius mundi sua traditione, atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas misericorditer non dedignetur emundare, ejusdem sancti sanguinis interventione, qui effusus est in remissionem peccatorum. ℟. Amen.

Devotionem quoque tuam deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare, quatenus & in hoc sæculo subrepentium laqueos delictorum valeas evadere, & in futuro vitam æter-

ternam Christi sanguine comparatam sine fine possidere. ℟. Amen.

Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit, cùm non essemus, & redemit, cùm perditi essemus, ad laudem, & gloriam sui nominis, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem misericorditer erexisti, Deus, qui leprosos mundari præcepisti, Deus, qui per manus impositionem animarum, & corporum valetudinis effugasti, idemque opus Discipulus tuos, eorumque Successores agere præcipisti, exaudi quæsumus preces nostras pro hoc famulo tuo, N. à morbo criminum hactenus tabescente, & manum pietatis tuæ manui nostræ impone, ut per manus nostræ impositionem te cooperante infundatur in eum Spiritus Sancti gratia, descendat super eum cœlestis benedictio, tribuatur ei peccatorum remissio, cunctorumque scelerum piacula relaxentur, & tuorum charismatum munera affluentius conferantur. Per.

Oratio super infirmum.

Omnipotens sempiterne Deus Conditor humani generis, qui ex nihilo cuncta creasti, & hominem ad similitudinem tuam formare dignatus es, cui cuncta elementa obediunt, & ad cujus nutum omnes infirmitates, omnesque morbi fugantur, adesto invocationibus nostris, & huic famulo tuo nimiis doloribus oppresso, misericordiæ tuæ manum porrige, & omnem infirmitatem, atque languorem animæ, & corporis ab eo expellas, & immitte in eum Spiritum Sanctum tuum de cœlis, qui eum die, noctuque protegat, semper illuminet, & visitet, atque ab omni adversitate mentis, & corporis defendat. Per.

Alia. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes conscientias suas ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remissione omnium peccatorum in Sacramentis tuis, sincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ obtineant detrimentum. Per.

Alia. Domine Deus Pater omnipotens, Creator cœli, & terræ, protege, quæsumus, hunc famulum tuum, N. & dimitte illi omnia peccata sua, averte illum ab omnibus malis, & fac eum crescere in omnibus bonis, da illi tibi placitam servitutem, cor rectum, spem firmam, fidem perfectam: Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi, adjuva servum tuum, N. & salvum fac filium ancillæ. Per.

Alia. Dominus sit tibi Adjutor, & Protector, & peccatorum tuorum Indultor, & Deus misericordiæ, & pietatis det correctionem tuorum peccaminum, & concedens locum pœnitentiæ tribuat tibi dignè male acta deflere, gaudiaque vitæ æternæ feliciter obtinere. Per.

His ita expletis Sacerdotes dicant orationes, vel benedictiones super infirmum, unusquisque suam, si autem aderit Episcopus, ipsius officium hoc erit.

D. Amort Tract. de Pænitentia.

Dominus noster Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te reficiat, circa te sit, ut te deducat, post te sit, ut te conservet, super te sit, ut te benedicat. Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus Sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam vitam te perducat, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat.

Item cum veneris ad infirmum, interroga illum per singula; & cùm fuerit confessus peccata sua, quòd non desperet de venia, vel misericordia Dei, sed firmiter teneat, quia salvus erit, si ipsa hora mortuus fuerit, tantùm sit talis voluntas ejus, ut si vixerit, emendet per pœnitentiam, quæ fecit, & per jejunium, & eleemosynam, & orationem, & amplius non eamdem faciat, & dic, quia per istam voluntatem salvus esse poterit, etiam si mortuus fuerit; & ostende ei modum pœnitentiæ, dicendo quantum debuit jejunare, si possit, & non impenas ei pœnitentiam, quia infirmus est, sed dic, postquam sanus fuerit factus, statim currat ad Ecclesiam, & accipiat consilium pœnitentiæ. Dic etiam, quòd non timeat mori, sed conjungat voluntatem suam cum voluntate Dei, ut sicut placet de se, sic placeat & illi: quòd si Deus vult, & vivat, ipse gaudeat etiam vivere, non timeat mori pro uxore, pro filiis, pro servis, & ancillis, neque pro ulla re, sed omnia ponat in Dei ordinatione; quia Deus sine illo potest regere familiam, & uxorem ejus, & filios, quia ipse si viveret, sine Dei auxilio eos adjuvare non posset: Postea communica eum, dic orationem, & confirma.

Item Ordo pœnitentis ad mortem.

In primis cùm pœnitens venerit ad confitendum, dicat Sacerdos intra se. Domine Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; propitius esto mihi peccatori, & suscipe orationem meam, quam pro famulis, & famulabus tuis peccata sua confiteri cupientibus ante conspectum clementiæ tuæ humiliter fundo, ut pariter eos à peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæsos custodias. Per.

Cùm prostraverit se pœnitens, dices sacram Litaniam, Christe audi nos, ut supra. Post Litaniam. ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. ℟. Sana animam meam. ℣. Salvum fac servum tuum, Domine. ℟. Deus meus, sperantem in te. ℣. Propitius esto, Domine, peccatis nostris. ℟. Et propter gloriam nominis tui. ℣. Convertere, Domine, aliquantulum. ℟. Et deprecare super servos tuos. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te perveniat. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos. ℟. Et redime nos propter.

Oratio.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut famulum tuum, N. ad confessionem, & pœnitentiam, veramque emendationem, & veniam, tuæ pietatis inspiratione compunctum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per.

Deinde Psalmos, Domine, ne in furore tuo, usque, Cor meum conturbatum est in me, & lumen oculorum meorum non est mecum. Miserere mei Deus secundùm magnam, usque, Averte faciem tuam à peccatis. Benedic, anima mea, Dominum, & omnia interiora mea, usque, Sicut Aquilæ Juventus. Gloria Patri. Kyrie eleison. ℣. Non intres in judicium cum servo tuo. ℟. Quia non justificabitur citò. ℣. Converte nos, Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam. ℣. Illumina faciem tuam super servum tuum. ℟. Et salvum fac. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus.

Oratio.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice super hunc famulum tuum N. peccata, & facinora sua confitentem, veniamque illi donare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, & publicani precibus, & confessione placatus es. Tu hujus, Domine, precibus benignus aspira, remitte ei omnia crimina, & peccata, da pro suppliciis veniam, pro morte vitam, cunctisque ejus medere vulneribus, ut sicut nemo est nostrum liber à culpa, ita & iste non sit alienus à venia. Per Dominum.

Alia. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes suam conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis, dans indulgentiam captivis, & medicinam tribuens vulneratis: quæsumus, ut huic famulo tuo, exclusâ ab eo omni dominatione peccati, libera tibi mente concedas famulari. Per.

Alia. Exaudi, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.

Alia. Præveniat hunc famulum tuum N. quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Dominum.

Posthæc dicat Sacerdos: Accede fili ante Deum in conspectu Angelorum, & Sanctorum ejus, & confitere peccata tua, quia ipse dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis, & iterum Psalmographus Vates cecinit dicens: Revela Domino viam tuam, & spera in eo. Item quidem sub persona Dei, Spiritus Sanctus per os Prophetæ conciliatoria verba intonans, dicit: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non ero memor amplius. Pronuntia ergo, charissime fili, adversus te iniquitates tuas coram Deo, qui omnes vias tuas dinumerat, & universas mentium cogitationes antevenit, & intelligit, & ipse remittet impietatem cordis tui, & educet te de lacu miseriæ, & de luto fecis ad se clamantem, & statuet supra petram pedem tuum, & immittet in os tuum canticum novum ad confitendum nomini sancto suo: maculas namque veternosas Ninivitarum trina pœnitentiæ confessione sanavit; & muliere peccatrice amarissime flente, pius & sanctus Dominus non eam priùs amovit, quàm peccata remisit: sed & illius latronis verbi unius in cruce pendentis meminisse debes, qui toto corde conversus ad Dominum in voce confessionis dixit: Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum, & statim audire meruit, hodie mecum eris in Paradiso. His & multis roboratus, mi fili, claris testimoniis accede ante præsentiam terribilis Judicis Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua, & confitere delicta, quæ Diabolo instigante operatus es.

Post hæc inquiratur à Sacerdote de peccatis, de adulterio, de fornicatione, de furto, de homicidio, de falso testimonio, de perjurio, de incendio, de sacrilegio, quod est sacræ Legis violatio, qui contra præcepta Apostolica agit, id est, furtum sacrarum rerum, de odio, de invidia, de discordia, de blasphemia; sed & de aliis, quæ numerare longum est. Post dinumerata, & discussa atque confessa crimina interroget Sacerdos, si ista peccata, quæ confessus est pœnitens plangere vult, ut & etiam ampliùs ad ea non revertatur, sicut canis ad vomitum suum. Et postquam coram Deo voverit, Christo se adjuvante, ita facturum indicat ei pœnitentiam confortans eum de misericordia Dei dicentis, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur. Tunc Sacerdos cum pœnitente prostratus cum luctu, & gemitu dicat: Præoccupemus, fili, faciem Domini in confessione, & in Psalmis jubilemus ei. Et incipit Psalmum: Cor mundum crea in me, Deus, usque in finem Psal. *Alius Psal.* Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, &c. usque in finem. Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus, usque in finem. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. & capit. Averte faciem tuam à peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates. Ne intres in judicio tuo cum servo tuo Domine. ℟. Quia non justificabitur. Ne memineris iniquitatum nostrarum. ℟. Citò nos anticipent. Delicta juventutis ejus. ℟. Et ignorantia ejus. Viam iniquitatis Domine amove ab eo. ℟. Et lege tua Domine. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. Exurge, Domine, adjuva eum. ℟. Et libera eum.

Oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus, & petimus, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, & remittas omnia crimina, & peccata universa huic famulo tuo, donesque ei, Domine, pro suppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ut qui suadente Diabolo cecidit in ruinam, te revocante trahatur ad misericordiam, & ad æterna præmia pervenire mereatur. Per eumdem.

His dictis, signas eum de oleo sancto in fronte, & dicis: Benedicat te Deus omnipotens, & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, qui vivit. Benedictio

Dei

Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te.

Item reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, huic ad te ex toto corde converso peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per.

Alia. Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum est liber à culpa, ita nemo sit alienus à venia. & dic Psal. Miserere mei Deus secundùm magnam. Post Psal. hanc Orat. Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo, N. dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ sanctæ à cujus integritate deviarat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per Dominum.

Alia. Deus misericors, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, N. & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, & quicquid diabolica fraude violatum est; & unitati corporis Ecclesiæ tuæ membrum redemptionis perfecta remissione restitue: Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Alia. Majestatem tuam quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatoris, sed ut vivat semper inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione converte. Per Dominum.

Alia. Deus misericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporis lege concluderis, sed pulsantibus misericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam sub ipso hujus vitæ termino non repellis, respice propitius super hunc famulum tuum, N. remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem: renova in eo, piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa cogitatione diabolica fraude vitiatum est, & unitati corporis Ecclesiæ membrum tuæ redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lachrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte, quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio est: fidelis enim es in verbis tuis, qui conversos peccatores non longo temporum spatio differendos, sed mox ut ingemuissent, dixisti esse salvatos. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium, exaudi me indignum pro famulo tuo, & da ei veram pœnitentiam, veram veritatem. Libera eum, Domine, sicut liberare dignatus fuisti Adam de inferno, Petrum de carcere, Paulum de vinculis, Theclam de bestiis, Susannam de falso crimine, Paralyticum de grabato, Lazarum de monumento, Populum Israeliticum de medio maris, Jonam de ventre ceti, Loth de Sodomis, tres pueros de camino ignis ardentis Sidrac, Misac, & Abdenago, Danielem de lacu leonum, David de gladio mallgno, Mariam Magdalenam de septem dæmoniis: ita cum liberare digneris, Domine, ab omnibus peccatis suis, & ab universis delictis suis. Per Dominum.

Alia. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, præterita, præsentia, & futura, donetque tibi contra omnes cogitationes malas, & iniquas, rectas cogitationes, & Deo amabiles; contra facta verò periculosa, & multiplicia det tibi Spiritus Sanctus remissionem in perpetuum, & compunctionem saluberrimam: perfundat te lacrymis competentibus, quatenus possis per Dei gratiam deinceps omni tempore agere, & dicere quæ Dei sunt, & expediunt proximis, & quæ ad tui emendationem, & ad Dei laudem pertineant sempiternam: succurrat tibi Dominus cum exercitu cœlesti, & det tibi pacem, ac perducat in vitam æternam. ℟. Amen.

Mox subsequitur Missa, quam Sacerdos pro sibi confesso cantare debet.

Justus es, Domine, & rectum judicium tuum, fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam. *Psal.* Beati immaculati in via.

Oratio.

Da nobis, Domine, ut sicut publicani precibus, & confessione placatus es, ita & huic famulo tuo N. placari digneris. Tu precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens petitione perpetua te celeriter exoret, sanctisque Altaribus, & Sacramentis restitutus, rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per dominum.

Alia. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ne sit ab hoc famulo tuo, N. clementiæ tuæ longinqua miseratio, sana vulnera illius, ejusque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus dono gratiæ tuæ perfusus, tibi Domino semper valeat adhærere Per Dominum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Galatas. Fratres, Si Spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes: & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portare, & sic adimplebitis legem Christi. *Grad.* Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. ℣. Auribus percipe orationem meam. Alleluja. ℣. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Secundum Lucam.

In illo tempore, dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam hanc: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisæus, &

& alter Publicanus; Pharifæus ftans hæc apud fe orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non fum ficut cæteri homines, raptores, injufti, adulteri, velut etiam hic Publicanus; jejuno bis in fabbato, decimas do omnium, quæ poffideo. Et Publicanus à longe ftans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, fed percutiebat pectus fuum dicens, Deus propitius efto mihi peccatori. Amen dico vobis, defcendit hic juftificatus in domum fuam ab illo, quoniam omnis, qui fe exaltat, humiliabitur, & qui fe humiliat, exaltabitur.

Offertorium. Bonum eft confiteri Domioo, & pfallere oomini tuo, altiffime.

Secreta. Sufcipe, clementiffime Pater, hoftias placationis, & laudis, quas ego peccator, & indignus famulus tuus, tibi præfumo offerre ad honorem, & gloriam nominis tui, & pro incolumitate tui N. ut omnium delictorum veniam confequi mereatur. Per.

Communio.

Guftate, & videte, quoniam fuavis eft Dominus, beatus vir, qui fperat in eo.

Ad Compl. Purificent nos, quæfumus Domine, facramenta, quæ fumpfimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum effe concede, ut qui confcientiæ reatu conftringitur, cœleftis remedii plenitudine glorietur. Per dominum.

Item alia Miffa.

Omnipotens, & mifericors Deus, qui peccantium non vis animas perire, refpice propitius fuper famulum tuum N. & contine, quam meremur, iram; & quam precamur fuper eum effunde clementiam, ut de mœrore ad gaudium per tuam mifericordiam transferatur. Per.

Secreta. Munera Domine oblata fanctifica, & famulum tuum, N. à peccatorum fuorum maculis emunda.

Ad Compl. Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noftra curentur, & famulum tuum N. ab omnibus delictorum fuorum catenis abfolutum, mifericordia tua præveniat femper, & fubfequatur. Per.

Miffa pro infirmo, qui proximus eft morti.

Omnipotens fempiterne Deus, fervator animarum, qui quos diligis corripis, & quos recipis ad emendationem piè coerces: te invocamus, Domine, ut medelam conferre digneris in animam famuli tui, N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, vim laboris, ftimulos infirmitatum. Da ei Domine gratiam tuam, ut in hora exitius illius de corpore abfque peccati macula tibi datori proprio per manus fanctorum Angelorum præfentari mereatur. Per.

Secreta. Adefto, Domioe, pro tua pietate fupplicationibus noftris, quas tibi offerimus pro famulo tuo, N. jacente in grabato, & falutem non corporis, fed animæ fuæ petenti: præfta, omnipotens Deus, indulgentiam omnium iniquitatum fuarum propter immenfam mifericordiam tuam, & per interceffionem omnium Sanctorum tuorum, ut per hoc, quod fuftinet, flagellum à fanctis Angelis tuis fufceptus, pervenire mereatur ad tuæ gloriæ regnum. Per.

Infra Actionem. Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulo tuo, N. ut des ei, Domine, cœlefte defiderium, & io exitu corporis fui fpem refrigerii, quæfumus Domioe, ut placatus accipias, diefque ooftros &c.

Ad Compl. Gratias ageotes, Domioe, multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te fperantium fatiare confuefti, coofifi de tua pietate precamur, ut mifereri digneris famulo tuo, ne prævaleat adverfus eum adverfarius in hora exitus illius de corpore, fed traofitum babere mereatur ad vitam. Per.

IV.
POENITENTIALE ANDEGAVENSE.

Morinus obfervat; hoc Pœnitentiale ex antiqua collectione Canonum, in qua referuntur varia decreta & fententiæ Conciliorum, Pontificum, & Patrum, fumptum effe. Cum ergo ultimus Pontificum, qui allegatur, fit Gregorius, ut verofimile eft, *tertius*, videtur, hoc Pœniteotiale ante fæculum oonum aut decimum fcriptum non effe. Additio tamen de redemptione pœnitentiarum videtur potius fpectare ad Sæculum undecimum. Vocatur autem Aodegavenfe præcipe ex eo, quod à cive Andegavenfi Manufcriptum Morino obtigerit. Morinus illud in hæc verba exhibet.

Incipiunt interrogationes ad confeffioneem dandam.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℞. Credo. Credis, quòd iftæ tres perfooæ, quas fupra diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres perfonæ funt, & unus Deus? ℞. credo. Credis, quòd io ipfa carne, io qua nunc es; in ipfa habes refurgere in die judicii, & recipere five bonum, five malum, quod geffifti? ℞. credo. Vis dimittere illis quicunque in te peccaverunt, Domino diceote fi non remiferitis hominibus peccata eorum, nec pater vefter cœleftis dimittet vobis peccata veftra? ℞. volo.

Primum interroges ei, fi tenet oratiooem Dominicam, & Symbolum. Et fi hoc tenet, dic ei. Vis tuam confeffionem dare? ℞. volo. Interroges eum, fi jam ipfe confeffus fuiffet. Propter hoc interroges fi ipfe habeat aliquid adquifitum de malo ingenio, aut de furto, aut de aliqua injufta caufa, vel contractu. Si confeffus fuerit, quod habeat, ioftrue eum, quod non eft liceotia judicium de aliis peccatis recipere, antequam ipfum malum reddat, aut ejiciat. Poftea fi fecerit, ioterroges eum, fi iracundiam contra qualemcunque hominem habeat. Si confeffus fuerit habere, admooe eum quod fcriptum eft, ficut noo proficit in vuloere medicamentum, fi adhuc in eo ferrum fit: Ita oihil proficit abftinentia illius, qui cootra aliquem iracundiam in fuo corde tenet. Et fi talis eft, quem non cognofcat, interroges eum, fi fugitivus eft, quod oon licet ei pœoitentiam dare. Poft hæc interroges eum crimina fua, quæ habet. Hoc eft, fuperbiam, facrilegium, homicidium, adulterium, falfum teftimonium, perjurium, mendacium, odium, furtum, rapinam, iram, avaritiam, detractiooem, ebrie-

ebrietatem, fornicationem, immunditiam, & cum hominibus, & cum quadrupedibus, libidinem, luxuriam, vel incesta. Item alia peccata, Sodomiticam luxuriam, concupiscentiam malam, & avaritiam: de Infantibus oppressis, vel à matre occisis, de divinationibus, vel sortiariis. De hoc, quod vota alicubi redduntur, nisi ad Ecclesiam. De incendiis, de Calendis Januarii, & qui paganias facit, de ministerio Ecclesiæ aliquid cultum. De sacrificio, si ulla negligentia excesserit; de Chrismate, si per maleficium biberit. Si quis in fœmina abortum fecerit, si qua fœmina aversum fecerit, & si menstruo tempore Ecclesiam intraverit, aut vir cum ea nupserit, & si parvuli sine Baptismo per negligentiam mortui fuerint. De die Dominico non custodito, & si de immunditia comederit, & in furto sepulchra violaverit. Et sunt alia minuta, & plurima peccata. Qui proximum suum maledicit, & qui in verbis perjurat, qui invidet, concupiscit, tristatur, detrahit, accusat, blasphemat. Habes aliquid de istis peccatis, vel de ipsis, quæ de eorum radicibus procedunt, vel aliis minutissimis peccatis, quæ longa sunt dinumerare? Confidis te quantum memorare potes? ℞. sic facio.

Postquam de ipsis confessus fuerit, projicite vos ambo pariter in terra, dic ei ut ipse dicat: Mea culpa, peccavi, Domine. Iterum interroges: Recognoscis te culpabilem de omni peccato quod post Baptismum sciendo, vel nesciendo commemoras, aut recordaris: quod in verbo, aut in cogitatione, contra mandata Dei egisti, culpabilem exinde te recognoscis? ℞. sic facio.

Iterum dices ei, promittis te de præteritis culpis emendare, & in sanctam Trinitatem, quæ est Deus, credere, & omnibus adinventionibus Diaboli abrenunciare? ℞. promitto.

Tunc dices ei: Dominus sit tibi adjutor, & protector, & præstet tibi indulgentiam de tuis peccatis, & Deus misericordiæ det tibi veram emendationem, & in vera pœnitentia perseverare. Et admoneas eum, ut orationem dominicam, & symbolum dicat. Et tunc dices capitulum, Deus in adjutorium meum intende. Item aliud, Convertere Domine aliquantulum, & deprecabilis esto super servum tuum. Dic iterum, Domine, ne in furore tuo, totum cum Gloria. Item, Miserere mei Deus. Usque, & omnes iniquitates meas dele. Cùm Gloria. Item, Benedic anima mea Domino. Usque renovabitur sicut aquilæ juventus tua. Cum Gloria. Post hæc dic orationem. Exaudi Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat.

Alia. Præveniat Domine quæso misericordia tua hunc famulum tuum, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur.

Alia. Adesto Domine supplicationibus nostris, ne sit ab hoc famulo tuo, *ill.* clementiæ tuæ longa miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus separatus, tuis semper Domine valeat adhærere mandatis.

Alia. Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice propitius ad hos famulo tuos, qui se tibi peccasse graviter confitentur. Tuum est absolutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti, pœnitentiam malle te peccatorum quàm mortem. Concede ergo Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus suis conferri sibi à te sempiterna gaudia, gratulentur.

Alia. Præsta quæso Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ à cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius, veniam consequendo. Per.

De fornicationibus, & earum pœnitentia.

Adolescens, si cum virgine peccaverit, anno uno pœniteat. Si semel, & fortuito, levietur, & tamen usque ad annum plenum. Si infra viginti annos puella, & adolescens, tres quadragesimas. & legitimas ferias. Si propter hoc peccatum servitio humano addicti sunt, quadraginta dies. Si nitens tantùm, & non coinquinatus, viginti diebus. Si vidua fuerit constuprata, annum totum pœniteat, & dies jejuniorum in altero. Si usque ad generationem filii; duos annos integros, & duos alios levius. Si monachus laicam, tres annos, & illa duos, & legitimas ferias. Si monacham laicus, duos annos, & legitimas ferias. Illa duos; si usque ad generatum filium, annos quatuor. Si occiderint, septem annos. Si monachus cum monacha, annos septem. Si quis vacans alterius uxorem polluit, duobus annis pœniteat. Si uxoratus virginem, similiter: ita ut primo horum à sua se contineat, si ei illa consenserit. Alioquin, addatur modus pœnitentiæ. Si uxoratus uxorem alterius, tres annos: primo horum à propria, illa consentiente abstineat. Si uxoratus ancillam suam; anno uno, & tribus quadragesimis, & legitimas ferias, tribus mensibus à sua se continens. Illa si invita passa est, quadraginta dies; si consentiens tres quadragesimas, & legitimas ferias. Si adolescens sororem, quinque annos: & si matrem septem annos; & quamdiu vixerit, nunquam sine pœnitentia, vel continentia. Sodomitæ annos quatuor, si in consuetudine sint, annos septem, si inter femora tribus quadragesimis. Si parvulus oppressus talia patitur, quadraginta dies, vel psalmos centum, vel continentia castigetur. Mulier qualicunque molimine, aut se ipsam polluens, aut cum altera fornicans tres annos: sanctimonialis fœmina cum sanctimoniali per machinamentum polluta annos septem. Qui cum pecude peccat, annum unum, simoniacus annos duos. Qui sæpe fornicatus, vel laicus cum laica, tres annos; & quanto sæpius & negligentius, tanto magis, & tempus addat, & modum. Qui diutius fornicationi, perjurio, latrocinio, cæterisque flagitiis servit, annos septem. Si mater cum filio parvulo fornicationem imitatur, annos duos, & tres quadragesimas cum legitimis feriis. Pueri sese invicem manibus inquinantes, dies quadraginta. Si verò pueri sese inter femora sordidantes, dies centum. Majores tribus quadragesimis, ac legitimis feriis. Parvulus à majore puero oppressus, septimanam. Si consenserit, dies

dies viginti. Qui complexu fœminæ illecebroſo, vel oſculo polluitur, dies triginta. Qui contactu ejus inverecundo ad carnem, tres menſes. Puer ſeipſum voluntariè polluens, triginta dies, juvenis quadraginta. Qui in turpiloquio polluitur negligens, ſeptem dies. Qui impugnatione cogitationis, & naturæ impugnatur nolens, ſeptem dies, genua flectendo pſalmos canat, & quartam & ſextam ferias jejunet, ad nonam vel ad veſperam. Qui in Eccleſia conſecrata nubunt, ſeptem dies, qui in Eccleſia per ſomnum polluitur, tres dies.

Quibus diebus abſtinere oportet à propria conjuge.

Qui uxores hsbent, contineant ſe ab eis quadraginta dies ante Paſcha. Et natale Domini, & omni Dominica, & quatuor, & ferias. Et à conceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobolem, vir contineat ſe ab uxore, id eſt tres menſes. Uxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab Eccleſia, ſi filius eſt, dies triginta, ſi filia, quadraginta. Nam in tempore menſtrui ſanguinis, qui tunc nupſerit, triginta dies pœniteat: qui Dominica, ſeptem dies pœniteat. Si quis cum uxore ſua retro nupſerit, quadraginta dies pœniteat: ſi in tergo tres annos, quia ſodomiticum ſcelus eſt.

De Infantulis non baptizatis.

Parens, cujus filius non baptizatus obiit, nno anno pœniteat, & nunquam ſine pœnitentia ſit. Si Sacerdos ad quem pertinebat, vocatus, venire neglexerit, ipſe propter damnationem animæ judicio ſui Epiſcopi caſtigetur. Sed & omnibus licet fidelibus, ubi forte morituros invenerint non bsptizatos, imo præceptum eſt, animas eripere à Diabolo per Baptiſma. Id eſt, benedicta ſimpliciter aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti intinctos, aut ſuperfuſos aqua. Unde oportet eos, qui poſſunt fideles, maxime monachos, & ſcientiam babere baptizandi; & ſi longius alicubi exierint, Euchariſtiam ſemper habere ſecum.

De Homicidio.

Qui occiderit monachum, aut clericum, arma relinquat, & Deo ſerviat, vel ſeptem annos pœniteat. Qui laicum odii meditatione, vel cupiditate poſſidendæ hæreditatis ejus, annos tres. Qui pro vindicta fratris, anno uno, & inſequentibus duabus, vel tribus quadrageſimis, & legitimis feriis. Qui per iram ſubitam, & rixam, tribus annis. Qui caſu, annnm unum: qui in bello pnblico, dies quadraginta. Qui jubente Domino ſuo ſervus, dies quadraginta. Si liber jubente ſeniore ſuo innocentem occiderit, annum unum, & ſequentes duas quadrageſimas, & legitimas ferias. Qui per rixam ictu debilem, vel deformem bominem reddidit, impenſas in medicos, & maculæ pretium, & opus ejus donec ſanetur, & reſtituatur, & dimidio snni pœnitest. Si verò non habet, unde reſtituat hæc, anno integro pœniteat. Si clericus fuerit, ſeptem menſes pœniteat. Quodſi vulneraverit, dies quadraginta: ſi clericus, annum totum. Sed & pecuniam pro modo vulneris, licet lex non commendet, cui inflixit, tribuat, ne læſus ſcandalizetur.

De Filiis non occidendis.

Mulier partum ſuum ante dies quadraginta ſponte perdens, annum unum pœniteat. Si verò poſt quadraginta dies, tres annos. Si verò poſtquam animatus fuerit, quaſi homicida. Sed diſtat multum, utrùm paupercula, pro difficultate nutriendi, an fornicaria, cauſa ſui ſceleris nefandi hoc faciat.

De Perjuriis.

Qui perjurat ſciens compulſus à Domino ſuo, tribus quadrageſimis pœniteat, & legitimis feriis. Qui ſciens veritatem juramenti, vel perjurii, perjurat in manu Epiſcopi vel Presbyteri, vel in altari, vel in cruce conſecrata, tribus annis pœniteat. Si verò in cruce non conſecrata, anno uno. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil eſt. Qui ſe dicit neſcium juraſſe pro noxio, qui & poſtea perjurium cognovit, uno anno pœniteat. Qui manducat carnem immundam, aut morticinam, aut laceratam à beſtiis, dies quadraginta. Si neceſſitate, fame cogente, multo levius. Mus ſi ceciderit in liquorem, tollatur inde, & aſpergatur aqua benedicta liquor ille, & ſumatur: Si verò ibidem mortuus fuerit, abjiciatur totus liquor, nec ab hominibus ſumatur, ſive mel, ſive lac ſit, ſive cereviſia, aut aliquod hujuſmodi. Quodſi multus ſit liquor ille, in quo mus, vel muſtela incidens moritur, purgetur, & aſpergatur aqua ſancta, & ſumatur, ſi neceſſitas ſit. Si aves ſtercorant in liquorem quemcunque, tollatur ſtercus, & mundetur cibus, vel potus aqua benedicta, & ſumatur. Qui ſanguinem neſcius cum ſaliva ſorbet, non ei nocet. Qui manducat ſanguinem proprium, polluitur; ſi inſcius, non nocet: ſi autem ſcit, pœnitentiam agat, juxta modum pollutionis.

De Capitalibus Criminibus.

Nunc igitur Capitalia Crimina ſecundum Canones explicabo. Prima ſuperbia, invidia, fornicatio, inanis gloria, ira longo tempore, triſtitia ſæculi, avaritia, ventris ingluvies. Et Auguſtinus adjecit ſacrilegium, id eſt ſacrarum rerum furtum, & hoc maximum eſt furtum, vel idolothytis ſervientem, id eſt auſpiciis. Deinde adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ebrietas aſſidua. Idololatræ, molles, ſodomitæ, maledici, perjuri, iſta ſunt. Sanctus Paulus, & Auguſtinus, & alii Sancti computaverunt pro iſtis fieri oportere eleemoſynas largas, & longo tempore jejunium teneatur, id eſt, ut alii judicant pro Capitalibus, id eſt adulteriis, homicidiis, perjnrlia, fornicationibns, & ſimilibus; Laicus annis tribus; Clericus annis quinque, Subdiaconus annis ſex, Diaconus ſeptem, Preſbyter decem, Epiſcopns duodecim: ſi in conſuetudine fuerit Epiſcopus, quatuordecim, Presbyter duodecim, Diaconus decem, Subdiaconus ſeptem.

ptem. Clericus sex, Laicus quinque. Monachus si fornicationem facit cum ancilla Dei septem annis pœniteat, si cum puella, tribus annis, de parricidiis, vel fratricidiis, quidam septem, quidam duodecim, & quidam octo.

De Cupiditate.

Cupidus, vel avarus, vel ebriosus, vel superbus, vel invidus, vel rapax, vel iracundia longa confectus, vel maledicus, vel horum similium, quæ enumerare perlongum est, perpetrator tribus annis pœniteat. Si Clerici cum quadrupedibus peccaverint, duobus annis pœniteant, Subdiaconus tribus, Diaconus quinque, Presbyteri septem, Episcopus decem. Qui cum matre fornicaverit, quindecim annis: si cum filia vel sorore duodecim. Qui cum fratre naturali fornicaverit per commixtionem carnis, ab omni carne se abstineat quindecim annis. Si Clericus venationem exercuerit, uno anno pœniteat; Diaconus duobus, Presbyter tribus. Si mater cum filio suo parvulo fornicaverit, tribus annis abstineat se à carne, & die uno in hebdomada ad vesperum jejunet. Si Presbyter, vel Diaconus, vel Monachus uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur. Si adulterium perpetravit cum ea, & in conscientiam populi devenerit, projiciatur extra Ecclesiam, & inter Laicos pœniteat, quamdiu vivit. Qui dimiserit alteri uxorem suam conjugii causa, septem annis pœniteat. Si Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit, decem annis exulat, septem annis si odii meditatione fecit. Si Laicus homicidium fecerit per furorem, & meditationem, tribus annis, vel quinque, vel septem pœniteat. Si per rixam tribus annis. Qui casu occiderit, nolens, anno uno. Qui immolant Dæmonum imaginibus, si consuetudo est, decem annis pœniteant. In minimis uno anno auguria, vel divinationes sectantes, quinque annis. Emissores tempestatum, quinque annis. Pœnitentia semper isto ordine servata sit: Ab uno anno, & deinceps, de qualicunque peccato, id est, in unaque hebdomada tres dies, sine vino, & medone, & sine carne, & jejunet ad vesperam, & manducet de sicco cibo, & jejunet tres dies ad nonam, & tres dies ad vesperam. Et in diebus Dominicis, & in natali Domini, quatuor dies. Et Epiphania, & à Pascha usque in Albis, & in Ascensu Domini, & Pentecoste, & Festivitate sancti Michaelis, & sancti Joannis Baptistæ, & duodecim Apostolorum, & sancti Martini, & illius Sancti Festivitate, qui in illa provincia est. In his prædictis diebus faciat charitatem sicut sui compares. Clerici sive Laici ebrietatem, & ventris distentionem in omnibus caveant, ut fiat, quod Apostolus dixit, sive manducatis, sive bibitis, omnia ad laudem Dei facite. Tunc ergo digna pœnitentia est, si hoc impleatur.

De Clericorum pœnitentia.

Item in Canone Apostolorum judicatur, ut Episcopus, Presbyter, Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione privetur, quia non judicat Deus bis in idipsum. Si quis Pontifex fornicationem faciens naturalem, judicabitur duodecim annis pœnitere, per multas lachrymas, & eleemosynas veniam à Domino petat, & annis tribus, vel quatuor levius pœniteat. Presbyter cum puella non Prælato Monachi voto peccans, annis tribus vel quatuor, & quadragesimis duabus, & quarta, & sexta Feria semper de sicco cibo. Si cum ancilla Dei, aut cum masculo, plus addetur, id est, septem annis, si consuetudo est. Similiter Diaconi, si Monachi non sunt, duobus vel tribus annis; sic & Monachus sine gradu, si cum puella peccabit, id est, duobus vel tribus annis. Si Diaconi Monachi sunt, quinque vel sex. Monachi cum gradu septem. Si voto Monachi Presbyter cum puella novem, vel decem annis: Clericus sine voto Monachi, si cum Monacha nondum sacra fornicatus fuerit, anno uno: Si frequenter, duobus annis. Si cum Canonica, duobus annis: si frequenter, tribus: si genuerit filium, plus pœniteat, id est, quatuor vel quinque annis, & alii dicunt, septem annis exul fiet. Sic & virgo sanctimonialis cum Laicis sine gradu, sicut Clerici, qui Canonici non sunt, uno anno pœniteat. Si frequenter, duobus annis. In gradu autem, si cum Monacha tribus annis: Theodorus dixit, Monachus fornicationem faciens, septem annis pœniteat. Si Monachus quærens fornicationem, & non inveniens, uno anno pœniteat, & dimidium. Item Monachus fornicationem faciens cum puella, tribus annis pœniteat. Si cum sanctimoniali, septem annis pœniteat. Laicus maculans se cum ancilla Dei, duobus. Si genuerit ex ea filium, tribus annis. Si sine concubitu, tribus quadragesimis. Quidam quadraginta dies judicant.

Sodomitæ.

Quidam decem annis, id est, qui semper fecerit, vel in gradu: quidam septem, quidam anno uno, ut molles, quidam centum diebus, ut pueri. Viri inter femora fornicantes anno uno; iterantes duobus: si in terga fornicaverint tribus; si pueri duobus. Qui cum pecude peccaverit, vel cum jumento decem annis pœniteat, quidam septem, quidam tribus, quidam uno, quidam centum diebus, ut pueri. Oportet discretionem esse inter qualitatem pecudum vel hominum, sicut supra diximus. Si Episcopus cum quadrupede peccaverit, septem annis. Si in consuetudine annis decem, Presbyter quinque, Diaconus tribus, Clericus uno.

De Machinamentis Mulierum.

Mulier abstineat se à viro suo, quando concepit, antequam pariat, tres menses. Et post partum quadraginta dies. Qui autem nupserit his diebus, quadraginta dies pœniteat, vel triginta, vel viginti. Qui in matrimonio sunt, abstineant se in quadragesima, & in Dominica nocte, & in Sabbatho, & quarta, & sexta Feria, & in Feriis, quæ legitimæ sunt, & tres noctes abstineant se, antequam communicent. Qui in quadrage-

dragesima ante Pascha cognovit uxorem suam, & noluit abstinere, anno uno pœniteat, vel suum pretium reddat ad Ecclesiam, vel pauperibus dividat viginti sex solidos. Si per ebrietatem, vel aliqua causa acciderit sine consuetudine, quadraginta dies pœniteat. Mulier si incantationes, vel divinationes fecerit diabolicas, unum annum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies juxta qualitatem culpæ. Mulier si aliquem interimit, arte maleficii sui, id est, per poculum, aut per artem aliquam, septem annos pœniteat. Si vir cum muliere sua retro nupserit, pœniteat quomodo, de animalibus, id est, si in consuetudine non erit, tres annos.

De Auguriis.

Auguria, vel sortes, quæ dicuntur falsæ Sanctorum, vel divinationes observare, vel quarumque scripturarum inspectione futura prospicere, vel votum vovere in arbore, vel in qualibet re, excepta Ecclesia, si Clerici, vel Laici, excommunicentur ab Ecclesia. Clericus tribus annis pœniteat. Laicus unum annum, & dimidium. Mulier si filium suum super tectum ponit, vel in fornace pro sanitate febris, quinque annos pœniteat.

De Divinationibus, & Maleficiis.

Cararios, coriocos, & divinos, & percantatores, Philacteria etiam diabolica, vel herbas, vel succinos suis, vel sibi impendere, vel quintam Feriam in honorem Jovis, vel Calendas Januarii, secundùm paganiam honorare. Si Monachus quinque annos pœniteat, Clerici vel Laici tres, vel quinque. De minutissimis peccatis, id est, de ebrietate, vel maledictione, seu detractione, causa invidiæ, vel his similibus, Laicus septem dies post vel quatuor, Clericus quatuordecim, vel septem, Subdiaconus duas, vel tres hebdomadas. Diaconus sex vel septem hebdomadas, Presbyter novem, Episcopus undecim. Sacerdos per turpiloquium, seu aspectum coinquinatus, non tamen voluit fornicari, viginti dies pœniteat. Si semen fuderit, Clericus septem dies, Diaconus duas hebdomadas, Monachus quinque. Item Presbyter si semen fuderit per cogitationem, septem dies pœniteat, si tangit manum cum manu tres hebdomadas, Episcopus quatuor, si per cogitationem viginti dies. Si Monachus septem, Diaconus quatuor, Clericus duos, Laicus unum diem. Si tangit manu, Diaconus quatuordecim dies. Monachus tres hebdomadas vel duas, Clericus septem dies. Aliter, si Clericus manum cum manu triginta vel viginta dies. Quantò magis alii gradus? Qui impugnatione mentis violenter coinquinatus est, septem dies pœniteat; vel quousque cogitatio vincatur. Qui in somnis non voluntate pollutus fuit, surgat, cantetque septem Psalmos pœnitentiales, id est, Domine ne in furore: Miserere mei Deus secundùm, &c. Miserere mei Deus mihi, &c. Deus misereatur nostri, &c. Deus in adjutorium, &c. Inclina Deus, &c. De profundis, &c. vel unusquisque secundùm suam virtutem, & in manè triginta Psalmos cantet. Volens autem in somnis peccare, si neque pollutus fuit; pro mala voluntate quindecim Psalmos cantet. Peccans non pollutus, viginti quatuor Psalmos. Si in somno peccans sine cogitatione, quindecim Psalmos. Item si somno peccans sit ex cogitatione pollutus, viginti quinque Psalmos. Si semen fuderit in Ecclesia per dormitionem, cantet Psalterium, vel tres dies pœniteat. Si voluntariè in Ecclesia semen fuderit mala cogitatione, si Clericus quatuordecim dies pœniteat, Diaconus viginti quinque, Presbyter quadraginta, Episcopus quinquaginta, Monachus triginta. Item si Clericus amans mente carnali aliquam fœminam, septem dies pœniteat.

De Furto.

Si quis de Ministerio Ecclesiastico, qualecunque opus quolibet modo fraudaverit, vel neglexerit, septem annos pœniteat. Si Laicus consecratam juraverit, tres annos pœniteat, sine pinguedine, & tunc communicet. Item si quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia abegerit, vel domos infregerit. Si Laicus, annum unum pœniteat, si majus aliquid fecerit furtum, tres annos, vel quomodo Sacerdos, vel Episcopus judicaverit. Si Clericus tale furtum fecerit, quinque annos pœniteat, vel quomodo Sacerdos judicaverit.

De Ebrietate.

Si quis Episcopus, vel aliquis Ordinatus, in Ordinibus Ecclesiasticis, in consuetudine vitium ebrietatis habuerit, aut desinat, aut deponatur. Si Monachus per ebrietatem vomitum fecerit, triginta dies pœniteat. Si Presbyter, vel Diaconus per ebrietatem vomitum fecerit, quadraginta dies pœniteat. Clericus viginti, alii dicunt septem dies sine pinguedine. Laicus si inebriatur, ita triginta dies sine cerevisia, & vino, & hac carne. Alii dicunt, quindecim dies. Si fidelis Laicus sit, qui per nequitiam inebriat alterum, quadraginta dies pœniteat. Si vomitum fecerit infirmitatis causa, sine culpa est: si per ebrietatem, vel voracitatem evomuerit Eucharistiam, quadraginta dies pœniteat. Clericus, Monachus, vel Diaconus sexaginta, Presbyter septuaginta, Episcopus nonaginta. Si infirmitatis causa, septem diebus unusquisque. Si non infirmitatis causa, neque in sacrificii die, septem dies. Quidam Psalterium, quidam bis, quidam quinquaginta Psalmos. Si vomitum sacrificii die, in ignem projiciatur, vel in flumen, centum Psalmos cantet. Si canes comederint talem vomitum, si fcit, centum diebus pœniteat. Si non fcit, quadraginta. Qui verò inebriantur contra præceptum Domini, si vomitum sanctitatis habent, hoc est, ebriositas quando statum mentis immutat, & lingua balbutit, & oculi turbantur, & vertigo erit, & ventris distensio, ac dolor sequitur: si Clericus septem dies, Monachus quatuordecim, Diaconus tres hebdomadas, Presbyter quatuor, Episcopus quinque, Laicus septem dies, sine vino, & carne.

De

De Euchariſtia.

Si quis Euchariſtiam negligentiæ cauſa perdiderit, annum unum, vel tres quadrageſimas, ſeu quadraginta dies pœniteat. Si ſacrificium in terra ceciderit, vel pſalmos cantet, qui neglexerit ſacrificium, ut vermes in eo ſint, vel colorem mutet, vel ſaporem, viginti, vel triginta, vel quadraginta dies pœniteat, & in igne incendatur. Cinis ejus ſub altare abſcondatur. Si uſque ad terram ceciderit, uno die pœniteat. Si mus comederit cauſa incuriæ, triginta dies, vel quadraginta pœniteat. Si ſtilla ſuper altare ceciderit, tres dies. Qui in Eccleſia modicam partem perdiderit, & ſi non invenerit, quadraginta dies pœniteat, vel in unoquoque die quadraginta pſalmos cantet. Qui autem in plebe ſua chriſma perdiderit, & non invenerit, quadraginta dies pœniteat, vel tres quadrageſimas. Qui non perfuderit calicem in fine ſolemnitatis, triginta dies pœniteat.

De diverſis cauſis.

Qui aliquam creaturam perdidit, hoc eſt, thus, thuribula, tabulas, aut ſchedulam, ſive ſal benedictum, panem novum conſecratum, vel aliquid huic ſimile, ſeptem dies pœniteat. Qui morticinum comederit inſcius, quadraginta dies pœniteat. Sciens autem centum dies. Qui fraudem commiſit, & ſcit, & eſt inops, vel bebes, ſeptem dies. Sani autem, & non infirmi, ſi ſciunt, quadraginta dies. Qui ſæpè faciunt, tres quadrageſimas, vel unum annum. Qui comederit, vel biberit intinctum à familiari beſtia, id eſt, à cane, vel catto, & ſcit, centum pſalmos cantet, vel duos dies jejunet. Qui dederit alicui liquorem, in quo mus, vel muſtela mortua invenitur. Si ſæcularis, ſeptem dies pœniteat. Si in cœnobiis, tercentos pſalmos cantet. Qui poſtea noverit, quod talem potum dederit, centum quinquaginta pſalmos cantet. Si quis ferm coctum comederit inſcius, tres dies pœniteat, vel pſalterium cantet. Sciens autem, ſeptem dies pœniteat. Puer viginti annorum pro modico furto viginti dies pœniteat. Puer decem annorum aliquod furtum faciens, ſeptem dies. Si quis tinxerit manum, in aliquo liquido cibo, & non idonea manu, centum palmatis emendetur. Si in farina, vel in aliquo cibo ſicco, aut in pulte, aut in lacte coagulato, mus, vel muſtela mortua invenitur, quod in circuitu ejus eſt totum projiciatur foras, quod reliquum eſt, manducetur.

De remedio pœnitentis.

Qui autem implere potuerit, quod in pœnitentiali ſcriptum eſt, impleat, quòd bonum eſt. Qui autem non poteſt, conſilium donamus per miſericordiam Dei. In primis primo die in pane, & aqua quinquaginta pſalmos cantet genua flectendo; vel ſine flectendo ſeptuaginta pſalmos cantet infra Eccleſiam, vel in uno loco per ordinem pſallat. Hæc pro uno die valent: vel unus denarius pro uno die valet. Et ſi quatuor eleemoſynas tribuit pauperibus, pro uno die valent. Quidam dicunt centum percuſſiones in hyeme, vel centum pſalmos in æſtate valent, id eſt, in hyeme, in autumno, & in verno, centum percuſſiones, vel centum pſalmi in æſtate, vel centum quinquaginta percuſſiones. Item pro uno menſe, quem in pane, & aqua pœnitere debet, pſalmos mille ducentos genu flectendo, vel ſine genu flexo mille ſexcentos ſeptuaginta, & poſtea omnes dies reficiat ad ſextam, niſi quarta, & ſexta feria jejunet ad nonam, & à carne, & vino abſtineat ſe; alium cibum poſtquam pſallerit, ſumat. In ſecundo anno, remiſſior pœnitentia erit, de natali Domini uſque Epiphaniam, & illos prædictos dies, qui ſupra ſcribuntur qui in pœnitentia non computantur, reficiat. Qui non poteſt ſic agere pœnitentiam, ſicut diximus, in primo anno eroget in eleemoſynam ſolidos viginti quinque, & in una hebdomada jejunet ad nonam, & altera ad veſperam, & tribus quadrageſimis. In ſecundo anno viginti ſolidos: pro tertio anno, ſolidos novemdecim. Id ſunt ſexaginta quatuor ſolidi. Potentes homines pro culpis, & criminibus faciant, ut Zacheus ait: Domine, omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & ſi alicui aliquid injuſtè abſtuli, in quadruplum reddam. Et de mancipiis dimittant liberos, & captivos redimant. Et à quo die deſiit peccare, non deſinat communicare. Sicut Apoſtolus dixit, qui per corpus peccat, per corpus emendet. Hoc eſt, in jejuniis, vigiliis, & orationibus ad Dominum. Qui converſus fuerit, & omne malum quod fecit, in effundendo ſanguinem, in furto, in fornicatione, in mendacio, in juramento, & perjurio, & de omnibus malis, quæ egit, confeſſus fuerit, & ſe illa relinquere promiſerit, & poſtea Deo ſervire voluerit, uſque in finem tres annos, vel duos pœniteat, vel quomodo ſacerdos judicaverit. Ipſe tamen ſacerdos cogitet de medicamento animarum, quomodo ſuam, & aliorum animas ſalvare valeat, in erudiendo, in docendo ſanum ſermonem, quia qui benè miniſtrat, bonum gradum ſibi acquirit, apud eum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Edidit ſanctus Bonifacius quomodo poſſumus pœnitentiam ſeptem annorum in uno pœnitere. Triduana cantatio pſalmorum pro triginta diebus, & noctibus; viginti pſalteria, pro duodecim menſibus. Pro uno die quinquaginta pſalmos, & quinquaginta Pater noſter, & quinquaginta vicibus proſternat ſe in terra cum oratione Dominica, quam in proſtratione dicat. Si pro uno die. Si vult minus pſallere, proſternat ſe in oratione centum vicibus, & dicat. Miſerere mei Deus, & dimitte mihi delicta mea, fiat hoc pro uno die. Qui vult confiteri peccata ſua cum lachrymis, quia lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur, roget Presbyterum, ut miſſam cantet pro eo, niſi ſint criminalia peccata, quæ debent ante lavari cum lachrymis. Cantatio unius miſſæ poteſt duodecim dies redimere, decem miſſæ quatuor menſes, viginti miſſæ octo menſes: triginta miſſæ duodecim menſes. Si volunt confeſſores eſſe, eum lachrymis hæc pro hebdomada, trecentos quinquaginta pſalmos flectendo genua in Eccleſia, aut in uno loco per ordinem. Qui unum pſalmum non novit, & jejunare

D. *Amort Tract. de Pœnitentia.*

junare non poteſt, hic quantum ſumit, penſet, & tribuat medietatem in eleemoſynis.

V.

Duo alia Pœnitentialia ANDEGAVENSIA.

Morinus etiam iſta vocat Andegavenſia, quia à viro erudito Andegavenſi ſibi communicata ſunt. Quod ſecundum vocat, ex codice Sæculi undecimi exſcripſit. Quod tertium nominat, pariter ex codice antiquiſſimo à ſe exceptum teſtatur. Sic habent.

Pœnitentialis ſecundus Andegavenſis.

Domine Jeſu Chriſti Fili Dei vivi, qui es verus Sacerdos, & verus Pontifex, qui Apoſtolis tuis, & poſt Apoſtolos nobis miniſterium ligandi, atque ſolvendi Pontificum tradidiſti, exaudi me pro famulo tuo, & da ei cor contritum, & humiliatum, & fontem lachrymarum, ut veram confeſſionem tibi valeat offerre, & veram pœnitentiam, de his omnibus, quæ confeſſus fuerit agere, per teipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum recuperatorem animarum noſtrarum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per infinita ſæculorum ſæcula.

Tunc jubeat eum ſurgere, & ſedeant pariter in ſecreto loco, & interroget eum, de peccatis ſuis, de invidia, de ira, de triſtitia, de avaritia, de ventris guloſitate, de luxuria, de adulterio, de fornicatione, de falſo teſtimonio, de odio, de otioſo tempore, de perjurio, de vana gloria, de rapina, de ſacrilegio, de incendio, de raptu fœminæ, de vomitu ſacrificii, de maledictione patris, & matris, juxta illud, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, & poſtea de cæteris: & ſecundum conſtitutionem Canonum judica eum, & poſt judicationem, & alleluja, & pœnitentiam ſuam ſecundùm quod videris, & in eo ætatem, poſſibilitatem corporis, & virtutem. Et ſic per ordinem interroga eum.

Fuiſti bis baptizatus? Si ipſe pro cupiditate ſua fecit, ſeptem annos pœniteat, & dimidium in pane, & aqua. Si pater, & mater pro ſua cupiditate fecerunt, ipſi faciant pœnitentiam, & ipſe in quadragintanas. Qui infregerit jejunium indictum in Eccleſia, pro uno die tres, vel quadraginta dies reficiat. Si quadrageſimam infregit, quadraginta dies pœniteat. Qui perdit Sacrificium, ſibi commendatum, quadraginta dies pœniteat. Si pro infirmitatis cauſa, ſeptem dies pœniteat. Sacerdos ſexaginta dies pœniteat. Si canis lambuerit, centum dies pœniteat ſine carne, & vino niſi Feſtis diebus, & Dominicis. Qui cogit hominem inebriari, ſeptem dies pœniteat. Si per odium, ùnum annum. Qui manducat morticinum, ac devoratum à fera, quadraginta dies pœniteat. Si neceſſitate nihil nocet. Qui bibit potum ubi mus, aut aliqua immunda beſtia mortua fuerit, niſi aqua benedicta deſuper aſperſa fuerit, ſeptem dies pœniteat. Si mulier de ſanguine viri ſui, ut plus ab eo ametur, biberit, aut de ſuo ei dederit, tres annos, & dimidium in pane, & aqua. Si homo de ſemine ſuo, in pomo, aut in potu dederit pro amore, ant de ſuo ſanguine alicui fœminæ, quinque pœniteat, & dimidium graviter. Qui de chriſmate conſecrato alicui dederit, pro aliqua forte quinque annos. Qui de corpore Domini ſortem fecerit, ſeptem annos, & dimidium graviter. Qui res Eccleſiæ furatus fuerit, reddat damnum integrum, & duos annos pœniteat, & dimidium graviter; ſi non poteſt reddere, quatuor annos. Si quis aliquid aut de domo, aut de quolibet loco furatus fuerit, & reſtituat damnum, & duos annos pœniteat. Qui duxerit hominem in captivitatem, & vendiderit, ſeptem annos. Qui incendit Eccleſiam, ſeptem annos. Si reliquiæ, aut Monachus, aut Clericus perierit XIV. annos. Qui perjurat ſciens pro cupiditate ſeptem annos. Qui domum, aut aream alicujus cremaverit, ſeptem annos. Si aliquis perierit, decem annos. Si pro liberatione mortis, aut gravis periculi ſe perjurat, tres quadragintanas. Si perjurat, ut alicui noceat, quinque annis pœniteat. Si ad mortem, vel deliberationem alicujus perveniatur, arma relinquat, & tertio anno in gravi pœnitentia, & quartum lenius, ſervum autem ſuum per emptionem, vel ancillam libertate donet; ſi non vult, aut non poteſt, XIV. annos pœniteat. Qui perjurat neſciens, non nocet: qui in ſuſpicione eſt, quòd perjurus ſit, duos annos. Qui falſum teſtimonium ſciens dicit, tres annos. Si ut placeat Domino ſuo, fecerit, aut amicum ſuum adjuvare voluerit, quinque annos. Si quis hominem occiderit ſponte, ſeptem annos ſi Epiſcopum decem annos. Si Presbyterum, aut Diaconum, aut aliquem ordinatum occiderit, arma relinquat, & Deo in monaſterio ſerviat uſque ad mortem, aut in exilium pergat omni tempore. Qui per odium, aut contentionem aliquem occiderit, ſeptem annos. Si per juſſionem Domini ſui quadraginta dies, ſi in bello publico unum annum ſi non ſponte, id eſt, caſu, tres annos. Si patrem ſpiritualem XIV. annos; ſi patrem, ſimiliter ſi conſanguineum, XII. annos. Qui hominem occidere voluit, & non potuit, tres annos. Si per maleficia occiderit, aut per aliquam potationem, ſeptem annos. Qui filium ſuum per iram occiderit, toto tempore vitæ ſuæ exul pœniteat, vel permaneat. Qui tentavit mortem alterius, ut occiſus ſit, ſeptem annos. Qui conſenſerit ſimiliter. Qui patrem, aut matrem ſuam per iram occiderit, aut pro cupiditate, toto vitæ ſuæ tempore exul pœniteat, & non communicetur niſi in fine. Qui fratrem ſuum per iram occiderit, XIV. annos, & medium exul: ſi cauſa non volens, ſeptem annos. Mulier faciens abortivum de vivo infante per maleficia, ſeptem annos, & dimidium in pane, & aqua: ſi antequam vivat, excuſſerit, unum annum: ſi pro infirmitate, aut caſu nolens perdiderit, tres quadrageſimas. Mulier quæ bibit, aut facit, ut non concipiat, quinque annos. Si mater dormiens filium oppreſſerit, tres annos, unum in pane, & aqua. Si infans ceciderit, & obierit, qui tamen baptizatus ſit, pater, & mater, unum annum. Si infans mortuus fuerit per negligentiam ſine Baptiſmo, parentes, tres annos, unum foris Eccleſiam, & ſemper ſexta feria jejunent. Si culpa Sacerdotis

dotis mortuus fine Baptifmo fuerit, deponatur. Qui percufferit hominem, ut debilem faciat, tres annos. Qui pro vindicta patris, aut matris, aut proximi fui occiderit, aut deformaverit hominem, tres annos. Qui fervum, aut ancillam per flagella occiderit, tres annos. Qui divinationes fecerit, aut fortes, aut divinis aliquid interrogaverit, tres annos. Si ad mortem ierit interrogare, quinque annos. Qui ufuras acceperit, tres annos. Si noluerit dimittere, à Chriftianorum confortio feparetur, & excommunicetur. Qui odit aliquos, aut reconciliatur, aut tanto tempore in pane, & aqua fit, quamdiu iram tenuit. Qui accufavit aliquem ut noceat, & condemnet, quinque annos. Qui maledixerit patri, vel matri, infans qui vapulat, fi per iram patrem, vel matrem percufferit, quinque annos. Qui decimas, quæ ad Ecclefiam pertinent, dare noluerit, & in aliquid fraudis fuerit, quinque annos. Qui cum forore fua fornicatus fuerit femel, quinque annos. Si ufque ad generationem infamis, decem annis, dimidium in pane, & aqua. Qui cum matre, & filia fe polluerit, id eft, fornicatus fuerit, ufque ad mortem exul pœniteat. Et non tondeatur, neque mutet veftimenta fua, nifi in natali Domini, aut in Pafcha, & non accipiat communonem in fine. Qui cum matre, aut filiola fornicatus fuerit, decem annos, medium in pane, & aqua. Qui cum nepota, aut fobrina, fua fornicatus fuerit, quinque annos. Qui cum proxima fua peccaverit, quatuor annos. Si quis uxoratus cum non uxorata adulteratur, quinque annos. Si uxoratus cum uxorata, decem annos. Si cum ea, quam frater ejus habuit, fponte peccaverit, quatuor annos. Qui cum juramento aliquo uxoratus peccaverit, feptem annos, unum fine uxore. Qui uxorem dimiferit, & aliam acceperit, nifi caufa fornicationis, feptem annos, & omni tempore fexta feria jejunet. Si cum pecude confuevit peccare, XIV. annos. Si quis fornicatur inter femora femel, quatuor quadragefimas, fi confuevit, tres annos. Si parvulus volens hoc patitur, unam quadragefimam. Si per femetipfum femel, duas quadragefimas: fi confuevit unum annum. Qui manu fua femen fuderit, tres annos. Qui cum noverca fua peccaverit, ufque ad mortem abjiciatur, in fine tamtummodo reconcilietur. Si qua fœmina duobus cum fratribus peccavit, quinque annos. Qui cum ancilla Dei facrata peccaverit, feptem annos. Qui per rapinam aliquid tulerit, reddat ei cujus funt, fi poteft; fi non poteft ei reddere, det pauperibus pretium rapinæ, & unum annum pœniteat. Si nihil horum vult facere, quinque annos. Qui nocte fancta Pafchæ, aut natali Domini cum aliqua muliere peccavit, unum annum. Qui Dominica nocte, aut natali fanctæ Mariæ, aut fancti Joannis Baptiftæ, vel fanctorum Apoftolorum cum muliere peccaverit, quadraginta dies. Qui Dominum fuum dereliquerit, & idola adoraverit, omni tempore pœniteat exul Si pertinaciter odit, excommunicetur. Si quis fanguinem, aut femen biberit, feptem annos pœniteat. Si quis jurat contra pacem, unum annum, cum eleemofynis, & redeat in pacem.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Dominus dicit per Salomonem, qui abfcondit fecreta fua, non dirigetur. Item in Evangelio dicit, non enim veni vocare juftos, fed peccatores ad pœnitentiam. Et alio loco dicit: Non eft fanis medicus opus, fed male habentibus. Corpus enim cùm infirmatur, quærit medicinam. Et fi medico non aperit morbum infirmitatis fuæ, medicus eum medicari non poteft. Sic & anima vitiorum infirmitate infirmata, quæ eft major quam infirmitas corporis, fi non aperit vero medico noftro Sacerdoti Domini omnem vitiorum, & peccatorum fuorum putredinem, non poteft à Medico fanari. Cùm enim dixeris vero Sacerdoti peccata, non Sacerdoti, fed Chirfto, qui eft verus Sacerdos. Ideo debes, chariffime frater, vel chariffima foror, compunctione, & gem.tu cordis peccata tua Deo confiteri, & Sacerdoti tuo, qui vice Chrifti officium gerit, & non debes quicquam celare, de infirmitate animæ tuæ, ut poffis fanari. Credis, igitur quia ita eft? Credo. Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli, & terræ? Credo. Credis in Jefum Chriftum Filium ejus unicum Dominum noftrum, natum, & paffum? Credo. Credis in Spiritum Sanctum, fanctam Ecclefiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiffionem peccatorum, carnis refurrectionem, & vitam poft mortem? Credo. Credis, quod iftæ tres perfonæ, quas modo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres perfonæ funt, & unus Deus? Credo. Credis quod in ifta carne, in qua nunc es, percipere habes quod egifti, & quod egeris, five bonum, five malum? Credo. Vis dimittere omnibus, qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua? Volo. Et tu de ifta fupradicta fide dubitafti unquam? Poftea dicat Sacerdos hanc orationem, homine proftrato. Domine Jefu Chrifte, &c. *Illam non perficit Pœnitentialis, & ibi definit Confeffionis agendæ, & Pœnitentiæ imponendæ formula.*

Pœnitentialis tertius Andegavenfis.

Ordo ad revocandos peccatores in quadragefima. Primum dicendi funt feptem Pfalmi cum Litania. Deinde interroges unumquemque.

Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo.

Credis, quod iftæ tres perfonæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres fint, & unus Deus? ℟. Credo.

Credis, quod in ipfa carne, in qua nunc es, refurgere habes, & recipere, five bonum, five malum, quod fecifti? ℟. Credo.

Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi peccata tua, Domino dicente: Si non remiferitis hominibus peccata eorum, nec Pater vefter cœleftis dimittet vobis peccata veftra. Si non vult remittere, noli dare ei pœnitentiam. Et dices ei, ficut nil proficit in vulnere medicamentum, fi adhuc in eo ferrum fit, ita non proficit abftinentia, eleemofyna, jejunium, illi homini, qui inimicitiam, vel iracundiam in corde fuo tenuerit. Poftea dices ei. Sunt rerum mala opera, ut ait Apoftolus, quæ feparant hominem à regno Dei fcilicet fuperbia, facrilegium, homicidium, adulterium, falfum tefti-

teſtimonium, perjurium, mendacium, odium, furtum, rapina, ira, avaritia, detractio, ebrietas, fornicatio, luxuria, triſtitia, vana gloria, gula, negligentia mandatorum Dei. Qui proximum maledicit. Qui in verbis ſemper jurat, invidet, concupiſcit, detrahit, accuſat, blaſphemat.

Item Interrog. Feciſti homicidium volens, aut caſu, aut vindicta parentum, aut juſſione Domini tui, aut in publico bello, aut facere voluiſti, & non potuiſti? 7. annos pœnitebis, vel 5. annos, vel 3. vel 40. dies. Feciſti perjurium pro cupiditate ſæculi, aut coactus, aut neſciens, aut alius te miſit in perjurium ſcientem? 7. annos, vel 3. annos, vel quadraginta dies pœnitebis. Feciſti adulterium cum alterius uxore, 7. annos, vel 5. annos. Feciſti raptum, de Virgine, vel Vidua. 3. annos pœnitebis. Feciſti uſuras, tres annos pœnitebis. Feciſti ſacrilegium, 7. annos. Tuliſti res alienas per malum ingenium, 3. annos. Tuliſti aliquid de pecunia Eccleſiæ? In quadruplum reſtitue, & 3. annos pœniteas. Dixiſti falſum teſtimonium pro cupiditate, aut coactus, aut neſciens? 3. annos. 2. vel 1. Percuſſiſti hominem, aut effudiſti ejus ſanguinem, vel oſſa fregiſti? 1. annos, vel 40. dies. Truncaſti membrum alicujus propter iram? tres annos vel 1. Odiſti fratrem tuum? quamdiu in odio fuiſti, tamdiu ſis in pane, & aqua. Deduxiſti ullum hominem ad ſeniorem, vel ad pares propter invidiam? 1. annos vel 40. dies. Nupſiſti cum uxore tua retro 40. dies. Nupſiſti die Dominico? 6. dies. Feciſti fornicationem ſicut Sodomitæ, vel cum matre, vel cum pecoribus, vel ullo ingenio? 15. annos vel 11. vel 7. vel 5. vel 3. Si Sacerdos ſe inebriaverit per ignorantiam, 7. dies pœniteat, ſi per negligentiam, 15. dies, ſi per conceptum, 40. dies, ſi infirmitatis cauſa, 7. dies, ſi in ignem projecit, 1. diem, ſi canis lambuerit, 100. dies, ſi quis per ebrietatem facit vomitum, 15. dies, ſi ceciderit immunda beſtia, in aliquo potu, vel ſorex, ſi tolli poteſt vivens aſpergatur aqua benedicta, & ſumatur, ſi fuerit intus necata, projiciatur foras omnis potus, & mundetur vas, ſi per ignorantiam quis biberit, 40. dies pœniteat, ſi quis Eccleſiam arſerit, 7. annos: ſi domum, vel horrea alicujus incenderit, 3. annos ex his in pane, & aqua, ſi quis occiderit Innocentem, 10. annos pœniteat, ſi Diaconum, 14. annos: ſi Presbyterum, 20. ſi quis adulterat ſimpliciter, 5. annos, ſi dupliciter, 10. annos ſi mulier duobus fratribus nupſerit, 5. annos, ſi quis Nonnam corruperit, 7. annos, ſi quis conſanguineam cognoſcat, quam conſanguineus habuit, 5. annos, ſi quis divinos conſulit, 3. annos. Si quis inter *.*.*. aliquam fortem fecerit, vel in aliquo tempore crediderit, 3. annos. Qui permanet in avaritia, à Chriſtiania abjiciatur, ſi quis fornicaverit inter femora ſemel, 3. quadraginta, ſi conſuete, 3. annos, ſi mater filium ſuum occiderit, 15. annos, ſi cujus infans ſine Baptiſmo per negligentiam mortuus fuerit, 3. annos, 1. ex his foris Eccleſiam: & omni vita ſua feria 6. jejunet, ſi infantem oppreſſerit, ſimiliter. Si infans ceciderit, & obierit, parentes 10. annos pœnitebunt.

Interroga. Bibiſti ullum maleficium, vel herbas, ut infantes non haberes, aut alicui donaſti potionem, ut occidere velles, & non potuiſti; aut de ſemine hominis pro amore recipiendi guſtaſti; 5. annos. Coegiſti hominem per odium, ut inebriaretur, 100. dies pœniteas. Bibiſti ſanguinem de ulla pecude, aut de homine? 3. annos. Manducaſti morticinam, vel à beſtia dilaceratam? 40. dies. Contempſiſti jejunium, mendicum, vel feſtum, 40. dies. Mulieres, quæ partus ſuos necant, 10. annos.

Interroga. Habes in voluntate, ut quicquid egiſti contra mandata Dei, emendes? R. Habeo. Et ſic indica ſecundum modulum criminum ejus. Projiciat ſe in terram, & dicat: Multa ſunt, Domine, peccata mea, quæ ego peccavi. In cogitatione, in locutione, in pollutione, in detractione, in perjurio, in adulterio, in luxuria, in gula, in ſuperbia, in vana gloria, in ebrietate, & in omnibus operibus malis. Tunc dicat Sacerdos: Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.

Oratio. Exaudi, Domine, preces noſtras, &c.
Alia. Præveniat hos famulos, &c.
Alia. Adeſto, Domine, &c.
Alia. Domine, Deus noſter, &c.
Alia. Dominus Jeſus Chriſtus, &c.

VI.

EXCERPTA REGINONIS ex Pœnitentiali Theodori, & Bedæ.

Regino vixit anno 900. Excerpſit modum excipiendi confeſſiones privatas ex Pœnitentiali THEODORI Archi-Epiſcopi Cantuarienſis quem *Gulielmus Cave* Anglus ſcribit ad Archi-Epiſcopatum fuiſſe promotum anno 668, & Venerabilis Bedæ, qui ſcripſit anno 730. Morinus hæc Excerpta Reginonis edidit ex codice MS. antiquiſſimo, exarato circa annum 950. Sic habet:

EXCERPTA A REGINONE ante annos 750. ex Pœnitentiali Romano, & Pœnitentialibus Theodori Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, & Bedæ.

Qualiter ſuſcipere debent Pœnitentem Epiſcopi, vel Presbyteri ex Pœnitentiali Romano.

Quotieſcunque Chriſtiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare cum eis debemus in jejunio unam, aut duas hebdomadas, vel quantum poſſumus, ut non dicatur quod Sacerdotibus Judæorum à Domino dicitur: Væ vobis legis-peritis, qui aggravatis homines, imponentes ſuper humeros eorum onera gravia, & importabilia, ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.

Item poſt pauca.

Quotieſcunque dederis conſilium peccanti, ſimulque da illi Pœnitentiam ſtatim quantum debet jejunare, aut eleemoſynis redimere peccata ſua, ne forte obliviſcaris, quæ tibi jam dixit,

dixit, & iterum tibi necesse sit interrogare, & forsitan erubescet iterum confiteri, & invenietur amplius judicari.

Ut nullus alius præsumat Pœnitentias dare, vel Confessiones audire nisi Episcopus, aut Presbyter. Ex eodem.

Sicut enim Sacrificium offerre non debent nisi Episcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec Pœnitentium judicia alii usurpare debent.

Iterum. Si autem necessitas evenerit; & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem ad sanctam communionem.

Item ex Theodori Archi-Episcopi, vel Bedæ Presbyteri Pœnitentiali.

Episcopi, vel Presbyteri quando fidelium recipiunt confessiones, humiliare se debent, & cum tristitiæ gemitu, lachrymisque orare, non solùm pro suis delictis, sed etiam pro fratris casu: ait enim Apostolus, quis infirmatur, & ego non infirmor?

Item unde supra.

Cùm ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri sua peccata, mandet ei sacerdos, ut expectet modicum, donec intret Ecclesiam, aut cubiculum suum ad Orationem: si autem non est locus aptus ad hoc, dicat hanc orationem in corde suo.

Oratio.

Domine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, ut condigne tibi possim gratias agere, qui me indignum propter misericordiam tuam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti, ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, suscipe orationem meam, quam effundo ante conspectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis Spiritum compunctionis, ut resipiscant à Diaboli laqueis, à quo adstricti tenentur, & ad te per condignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum, &c. Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, sacerdotem tristem, & lachrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore perculsus Dei, amplius tristatur, & exhorrescit peccata sua:

Ordo ad dandam Pœnitentiam, unde supra.

Post hæc interroga eum blande, leniterque. Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo. Credis quòd iste tres personæ unus Deus sit? ℟. Credo. Credis, quòd in ipsa ista carne, in qua nunc es, in ipsa resurgere habes in die judicii, & recipere, sive bonum, sive malum, quod gessisti? ℟. Credo. Vis dimittere peccata illis, qui in te peccaverunt? Domino dicente, si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra? ℟. Volo. Et require ab eo diligenter, si est incestuosus, aut suo seniori infidelis; Et si non vult incestum dimitteee, non potes ei dare pœnitentiam; si autem vult, potes. His præmissis pœnitentem alloqui affectuose debet sacerdos his verbis. Frater, noli erubescere peccata tua confiteri: nam & ego peccator sum, & fortassis pejora, quàm tu feceris, habeo facta. Hæc idcirco admoneo, quia usitatum humani generis vitium est, ut Beatus Gregorius dicit, & labendo peccatum committere, & commissum confitendo non prodere, sed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare: & qui Diabolo instigante, nefanda crimina non metuimus perpetrare, hæc eadem, quæ opere absque ulla verecundia perfecimus, eodem suadente, salutem verbis confiteri erubescimus, & coram homine, qui similis nostri est, eisdemque fortasse passionibus subjacet, confundimur dicere, quod coram Domino, qui omnia inspicit, absque ullo mentis rubore committere non formidavimus, detestatione testanda. Sponte ergo fateamur, quod nullo cogente commisimus. Si verò nos nostra scelera celaverimus; ab illo manifestabuntur, qui & accusator est peccati, & incentor. Ipse enim nos hic, ut peccemus, instigat, ipse, cùm peccaverimus, accusat. Si ergo in hac vita præveniamus eum, & ipsi sceleris nostri accusatores simus, nequitias Diaboli inimici nostri, & accusatoris effugiemus, Paulo teste, qui ait, si nosmetipsos judicaremus, non utique dijudicaremur. Videns autem eum sacerdos verecundantem rursum prosequatur. Fortassis, charissime, non omnia, quæ gessisti, veniunt modo ad memoriam, ego te interrogabo, tu cave ne Diabolo suadente, aliquid celare præsumas, & tunc eum ita per ordinem interroget.

Interrogatio. Fecisti homicidium, aut casu, aut nolens, aut pro vindicta parentum, aut jubente domino tuo, aut in publico bello? Si voluntarie fecisti septem annis pœnitere debes; si nolens, aut casu, 5. annis. Si pro vindicta parentum, uno anno, & sequentibus duobus annis tres quadragesimas, & ferias legitimas. Si in bello 40. dies. Si liber es, & jubente domino servum innocentem occidisti, annum unum, in duobus aliis annis tres quadragesimas, & legitimas ferias. Si servus dignus est morte, 40. dies pœniteat.

Interrogatio. Fecisti truncationes pedum, aut manuum, aut oculos hominis eruisti, aut vulnerasti hominem? pro truncatione annum unum pœnitere debes, pro vulnere 40. dies pœniteas.

Interrogatio. Fecisti perjurium, aut pro cupiditate sæculi, aut coactus, & pro necessitate, aut pro vita tua, aut tuorum parentum, aut nesciens, aut alios in perjurium induxisti scienter? Si sciens perjurasti, & alios in perjurium induxisti, septem annis pœnitere debes: si nesciens, unum annum, & tres quadragesimas: si pro vita, vel membris, tres quadragesimas.

Interrogatio. Fecisti furtum, aut sacrilegium, aut infracturas, aut rapinam, tollens quod tuum non erat; si domos per noctem infregisti, & quadrupedia tulisti, vel fortiorem causam valentem solidos 40. annum pœnitere debes, & pretium reddere; si non reddis, duos annos pœniteas: si majus fecisti furtum, tribus annis pœnitere debes, & si sæpè fecisti, septem annis, pro modico furto viginti dies; pueri 10. dies Si de Ecclesia aliquid tulisti, quod est sacrilegium, septem annis pœniteas.

Interrogatio. Fecisti adulterium cum uxore aliena, vel desponsata, vel virginem corrupisti, sive cum sanctimoniali, vel cum Deo dicata, vel cum absoluta fœmina, id est, sine marito, vel cum ancilla propria: si mœchatus es cum alterius uxore, aut cum sanctimoniali, septem annis pœniteas. Si cum virgine duobus annis; si cum vidua annum unum. Si tuam uxorem dimisisti, & alterius junxisti, septem annis pœniteas. Si cum vacante fœmina, tres quadragesimas, & legitimas ferias; si cum propria ancilla 40. dies debes pœnitere.

Interrogatio. Nupsisti cum uxore tua, vel ancilla retro; si fecisti 40. dies debes pœnitere.

Interrogatio. Nupsisti cum uxore tua, 40. dies pœniteas. Nupsisti in die dominico, tres dies pœnitere debes. Fecisti raptum de virgine, vel vidua, tribus annis pœniteas. Fecisti fornicationem sicut Sodomitæ fecerunt, aut cum pecoribus, aut cum matre, vel sorore, 15. vel 12. annis pœniteas.

Interrogatio. Coinquinatus es cum uxore tua in quadragesima, si hoc fecisti, annum unum pœniteas, aut 27. solidos in eleemosynam dare debes. Si per ebrietatem evenit 40. dies pœniteas. Hoc enim cavere debes, ut 20. dies ante natalem Domini, & Pentecostem, & omni die dominica; & post conceptionem manifestatam, vir contineat se ab uxore.

Interrog. Dixisti falsum testimonium per cupiditatem, aut nesciens, 5. annos pœniteas.

Interrog. Truncasti ullum membrum, tres annos pœniteas. Odisti fratrem tuum, quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu pœniteas in pane, & aqua.

Interrog. Detraxisti ullum hominem ad seniorem, vel ad pares propter invidiam, 40. dies pœniteas. Violasti in furto sepulchrum, annos 2. pœniteas.

Interrog. Contigit tibi ulla negligentia, de sacrificio Domini, C. vel 40. dies pœniteas.

Interrog. Consuluisti magos, aut aruspices, aut incantatores, aut sacrilegos, vel vota, quæ ad arbores, vel ad fontes faciunt, vovisti, annis 3. pœniteas.

Interrog. Tulisti aliquid de Ecclesiæ pecunia, in quadruplum restitues, aut 3. annis pœniteas.

Interrog. Perdidisti aliquem per injustam delaturam, 3. annis pœniteas.

Interrog. Duxisti, aut transmisisti aliquem in captivitatem, tribus annis pœniteas.

Interrog. Cremasti domum, aut aream alterius, 3. annis pœniteas.

Interrog. Fecisti vomitum per ebrietatem, 15. dies pœniteas. Si per contentionem, 40. Si nesciens, 6. dies pœniteas. Manducasti morticina, aut dilacerata à bestiis, 40. dies pœniteas similiter si sanguinem comederis.

Interrog. Bibisti de liquore, in quo mus, vel mustela mortua inventa fuerit, 40. dies pœniteas.

Interrog. Contempsisti indictum jejunium in Ecclesia, decreta seniorum, 40. dies pœniteas. Si in quadragesima, 1. annum.

Interrog. Oppressisti infantem tuum 5. annis, aut 3. pœniteas.

Interrog. Bibisti ullum maleficium, id est, herbas, vel alias causas, ut non potuisses infantes habere, aut aliis donasti, aut hominem per mortiferam potionem occidere voluisti, aut alium hoc facere docuisti, aut te semine viri gustasti, ut in amorem tuum exardesceret, aut chrisma bibisti, aut ad subvertendum Dei judicium alteri dedisti, vel si quid hujusmodi operatus es, 7. annos pœniteas.

Interrog. Necasti voluntarie partus tuos, 10. annos pœniteas, & si filium, vel filiam occidisti, 12. annos, & si in utero ante conceptum 1. annum. Si post conceptum 3. annos. Si tuus infans per tuam negligentiam sine Baptismo mortuus est, 2. annos pœniteat, & nunquam sis sine aliqua pœnitentia.

Interrog. Fecisti aliquid, quod pagani faciunt in Kal. Januarii inceritulla, vel vinegula, 3. annos, pœniteas.

Interrog. Fecisti aliquid, vel dicis in quocunque opere, quod inchoas per sortilegam, vel magicam artem, anno 1. pœniteas.

Interrog. Misisti filium tuum super tectum, vel super fornacem pro aliqua sanitate, vel incendisti grana, ubi mortuus homo fuerit, 5. annos pœniteas.

Interrog. Cantasti carmina diabolica super mortuos, 20. dies pœniteas. Junxisti mulieri tempore menstruo, 40. dies pœniteas.

Interrog. Nupsisti cum uxore tua, postquam peperit ante quam 40. dies adimplerentur, 30. dies pœniteas.

Interrog. Communicasti, de sacrificio Domini, & non prius te abstinuisti ab uxoris amplexu, V. aut VII. vel dies 20. pœniteas. Operatus es aliquid dominica die, VII. dies pœniteas. Detraxisti, vel maledixisti aliquem causa invidiæ, VII. dies pœniteas.

Nunc tibi 8. principalia vitia explicabo, id est, superbia, vana gloria, invidia, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria, ex quibus si te culpabilem recognoscis, pœnitentiam suscipe, nam ex his vitia omnia oriuntur. De inani gloria oriuntur, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, novitatum, præsumptiones. De invidia nascitur odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis. De ira oriuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. De tristitia nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis. De avaritia oriuntur, proditio,

ditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, & contra misericordiam obduratio. De ventris ingluvie propagatur, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus. De luxuria nascitur, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, & desperatio futuri.

Alloquutio: ergo si superbus usque modo fuisti, humilia te ipsum in conspectu Dei; si vanam gloriam dilexisti, cogita, ne propter transitoriam laudem æternam perdas mercedem. Si invidiæ rubigo te huc usque consumpsit, quòd est maximum peccatum, & super omnia detestabile, quia Diabolo comparatur invidus, qui primo homini invidit datum, quod per suam culpam perdiderat, age pœnitentiam, & profectum aliorum tuum deputa. Si tristitia te superat, patientiam, & longanimitatem meditare. Si avaritiæ morbus gravat, cogita, quia radix est omnium malorum, & idololatriæ comparatur: Et ideo largum te esse oportet. Si ira te vexat, quæ in sinu stultorum requiescit, dominari debes animo tuo, & hanc à te mentis tranquilitate fuga. Si ventris ingluvies ad vorandum protrahit, sobrietatem sectare. Si luxuriæ, castitatem vove. Tunc prosternat se pœnitens ad terram, & cum lachrymis dicat, & in his, & in aliis vitiis quibuscunque humana fragilitas contra Dominum, & creatorem suum, aut cogitando, aut loquendo, ant operando, aut concupiscendo, aut delectando peccare potest, in omnibus me peccasse, & reum in conspectu Dei super omnes homines esse cognosco, & confiteor. Humiliter te etiam Sacerdos Dei exposco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum, & creatorem nostrum, quatenus de his, & de omnibus sceleribus meis veniam, & indulgentiam consequi merear. Deinde Sacerdos surgat, & psalmum 37. decantet, & prosternat se in terra, & dicat hanc orationem.

Oratio.

Precor, Domine clementiam tuam, & misericordiam tuam, & majestatem, ut famulo tuo, *Il.* peccata, & facinora sua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum induigeas culpas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani pœnitentia, & precibus placatus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo, *Il.* placatus esse digneris. Tu hujus precibus benignus adspira, ut in confessione placabiliter permaneat: fletus ejus, & petitio, perpetuam clementiam celeriter exoret, sanctisque altaribus rursum æternæ, ac cælesti gloriæ mancipetur, qui vivis.

Item. Deus omnipotens sit adjutor, & protector tuus, & præstet indulgentiam, de peccatis tuis, præteritis, præsentibus, & futuris. Hæc remedia peccatorum ex priorum monimentis excerpsimus, in quibus tamen omnibus non authoritate censoris, sed consilio potius compatientis usi sumus; solerter admonentes doctum quemque Sacerdotem Christi, ut in universis, quæ hic adnotata repererit, sexum, ætatem, conditionem, statum, personam, intellectum, ipsum quoque cor pœnitentis curiose discernat, & secundùm hæc, ut sibi visum fuerit, singula quæque dijudicet. Quibusdam namque à cibis abstinendo, aliis eleemosynas dando, nonnullis genua flectendo sæpius, sive in cruce stando, aut aliquid aliud hujusmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat. Universa necesse est errata corrigere, quæ universa in examine discreti debent pendere judicis.

VII.

POENITENTIALE TURONENSE.

Hoc Pœnitentiale præ omnibus aliis mihi notatu dignum videtur, tum quia videtur repræsentare genuinum Pœnitentiale Romanum à B. Gregorio M. editum, tum etiam, quia in eo occurrit forma absolutionis absoluta, ita ut plane ea forma absoluta semper videatur usurpata fuisse Romæ & in aliis Ecclesiis nonnullis particularibus, donec sæculo decimotertio per duos potissimum Ordines D. Dominici & D. Francisci evaserit universalis. Morinus codicem & Pœnitentiale his verbis describit.:

Tribus codicibus manuscriptis insignis Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis usi sumus. Primus est insignis, opertus nigro, forma velut quadrata, & minore, quæ vulgo à Bibliopolis in quarto dicitur. Titulus est: *Incipit Liber Sacramentorum editus à Beato Gregorio Papa Romano, qualiter Missa Romana celebratur per anni circulum.* Hic in prima pagina litteris initialibus, & majoribus scriptis, sequitur pagina versa: *Per omnia sæcula sæculorum, &c.* tribus paginis magnifice, & regie scriptis; cætera ordinario modo decurrunt. Non videtur codex ille annis octingintis minor. Nonnulla ex hoc codice edidimus *lib.* 4. *cap.* 18. *sect.* 17. Quæ quoniam multa sunt, hic non repetimus. Paucula iterum citamus *lib.* 8. *cap.* 11. *Sect.* 21. & 13. quæ cum sint aliis pluribus alligata, utraque simul, ut ea exscripsimus, repræsentamus. In eo libro versus finem est titulus.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata Pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: Respice super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum est, vel quidquid diabolica fraude violatum, & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfecta remissione restitue. Miserere, Domine, gemituum, miserere lachrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Alia. Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo squalore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris, & nuptiali veste recepta ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare. Per.

Alia.

Alia. Majestatem tuam, quæsumus, Domine, sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice flentem famulum tuum ante te prostratum, ejusque planctum in gaudium, tua miseratione converte. Scinde delictorum saccum, & indue eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem, de sanctis altaribus tuis satietur, ingressus cubiculum regis in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per.

Alia. Deus misericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concluderis, sed pulsantibus misericordiæ tuæ januam aperis. Pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus termino non repellis: Respice propitius super hunc famulum tuum remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum est, & unitate corporis Ecclesiæ membrum tuæ redemptionis adnecte. Miserere gemituum, miserere lachrymarum, & non babentem fiduciam, nisi in misericordia tua ad sacramentum reconciliationis admitte; quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio est: fidelis enim es in verbis tuis, qui conversum peccatorem non per longa temporum spatia differendum, sed mox ut ingemuisset, dixisti esse salvandum. Per.

Absolutio Pœnitentis.

Auctoritas sacrarum scripturarum nos monet, & docet nostrorum cognoscere, & confiteri multitudinem delictorum, ut mereamur consequi propitiationem ipsorum, dicens: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, & propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccatum meum, multum est enim: & Apostolus, confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Et iterum Propheta: Cum conversus ingemueris, salvus eris; & iterum Psalmista: Dixi confitebor adversum me injustitiam meam, Domine, & tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Cùm ergo hæc te, frater, recognoscere, & confiteri cognoscimus, magnam tibi spem de clementia Dei habere perpendimus, & fructum Pœnitentiæ percipiendum tibi promittimus. Ipse enim suis sanctis Apostolis, & nobis illorum successoribus, quorum licet indigni fruimur officio, tamen & nomine hanc potestatem dedit, ut quæcunque solverimus in terra, essent soluta in cœlis, per Spiritum Sanctum inquiens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: cujus nos virtute freti, & clementia confisi humillime imprecantes pietatem suam absolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum, & quidquid pro eis mereris oramus, ut avertat propitius, & merearis cernentem omnia cernere, sua frui visione, & uti consolatione, ad gloriam resurgere, & interim sine læsione manere, aggregatus sanctorum omnium consortio, tribuente Deo Patre, per eundem filium suum Dominum nostrum, &c.

Alia. Sicut principali sententia constat, &c. *Habetur in ordine Romano in reconciliatione Pœnitentum.*

Initio hujus voluminis additus est ab eo, ut opinor, cujus erat volumen facilitatis causa, ordo reconciliationis Pœnit. sub hoc titulo. Ordo feriæ 5. in Cœna Domini ad reconciliandum Pœnitentem. *Characters fere eodem, aut non multo recentiore. Orationes tantum babentur, & ea omnes una excepta babentur in ordine Romano postea pag. versa completis orationibus, alio atramento, & charactere recentiore, antiquo tamen, utpote sexcentorum annorum additur.*

Vice S. Petri Apostolorum principis, cui à Domino collata est potestas ligandi, atque solvendi, cujus etiam & nos licet indigni vice fungimur, absolvimus vos fratres, inquantum vestra expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus à Domino in S. Petro est attributum, ab omnibus criminibus vestris, sitque vobis omnipotens Deus redemptor vester, vita, & salus, & remissio omnium peccatorum vestrorum, qui cum Patre, &c.

In prima pagina versa bujus voluminis scripta legitur hæc ab Excommunicatione absolutio, atramento quo præcedens, & charactere non ita accurato.

Absolutio Excommunicatorum.

Deus immensæ clementiæ, & inæstimabilis indulgentiæ, qui humanæ fragilitatis lapsum diabolicæ fraudis invidia suggestum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi pretiosissimo sanguine dignatus es reparare: Inclina quæsumus aurem tuæ pietatis supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, qui, suadente mortis auctore, à te, qui vera vita es, peccando deviare, seque vinculo anathematis non est vetitus statuere, pœnitendo redeuntem sereno vultu respicere, ac pulsanti januam misericordiæ tuæ aperire dignare, quatenus Spiritus Sanctus præveniente virtute, cujus munere omnium peccatorum tribuitur remissio, sanctorumque omnium Apostolorum suffragio, quorum vice, in ligandis, solvendisque criminibus, licet indigni Sacerdotali fungimur officio, corpori S. Ecclesiæ tuæ purificatum atque absolutum redintegres, cunctosque ejusdem sceleris pravitate, sive cooperando, sive consentiendo, atque cohabitando coinquinatos, medela gratiæ tuæ saluti restitue castigatos, ac absolutos, & quos juxta veracissimam promissionem tuam nullatenus mori desideras, concessa peccatorum venia ad semper virentia æternæ vitæ pascua gregi tuo sociatos perducas. Per eundem, &c.

In eodem antiquissimo versus finem. Incipit ordo ad visitandum, & inungendum infirmum: *Post varias orationes, & Litanias.* Hic ponant Sacerdotes, & Ministri Ecclesiæ manus suas super infirmum, & dicatur hæc oratio. *Oremus*, D. N. J. C. & cum omni supplicatione rogamus, ut hunc famulum suum visitare, & confortare, ac consolare dignetur. Per. *Sequitur.* A. succurre, Domine, infirmo isti, & medica, &c. *Psal.* ad Dominum, cùm tribularer. Omnipotens S. Deus, qui ægritudines, &c. A. Sana me, Domine &c. *Psalm.* Domine, ne in furore tuo. Et sic perungat infirmum,

firmum, de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, in gutture, & inter scapulas, & in pectore, seu in loco, ubi dolor imminet amplius, perungatur, & supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem.

Unctio. Ungo te de oleo sancto, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini, ac Dei nostri, ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus, & salus, quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive lotus pristinam, & immelioratam recipere merearis sanitatem. Per. *Sequitur Oratio.* Domine Deus Salvator noster, qui es vera salus, & medicina &c. *Alia Oratio.* Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, &c. Deinde communicet eum corpore, & sanguine Domini. Et sic faciant illi per 7. dies si necessitas fuerit, tam de communione, quàm & de alio officio, & suscitabit cum Dominus, & si in peccatis sit, dimittuntur ei. Debent etiam Sacerdotes, & Ministri S. Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies vesperas, & matutinas cum hymno, Christe cœlestis, & cum Antiphonis, & respons. sive lectionibus, & orationibus ad hoc pertinentibus. Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt insuper in quinque sensus corporis, id est, in superciliis oculorum, & in auribus de intus, & in narium summitate, sive interius, & exterius, & in manibus exterius, id est, deforis. In omnibus ergo his membris crucem facient, de oleo sacrato dicentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc enim ideo faciant, ut cum in quinque sensus mentis, & corporis aliqua macula inhæsit, hac medicina Dei sanetur.

Sequuntur septem orationes, deinde quinque benedictiones super infirmum, quibus super ponitur tantum, alia, alia, &c. Nihil præterea.

VIII.
POENITENTIALE RHEMENSE.

Etiam hoc Pœnitentiale est notatu dignissimum, tum quia est antiquissimum, utpote scriptum Litteris Gothicis seu Longobardicis, tum etiam quia continet formam absolutionis absolutam. Observo tamen; hanc solùm versari circa absolutionem reconciliatoriam, quæ fiebat in Cœna Domini ab Episcopo, qualis etiam videri poterat illa Romana morientium. Absolutionem autem in Cœnam Domini, quæ fiebat ab Episcopo, & morientium, quæ fiebat simul nomine Episcopi, fuisse absolutionem à Casibus reservatis ad Pœnitentiam publicam, eamque fuisse actum jurisdictionis, superius Disput. 7. & 8. ostensum est. Quodsi ea absolutio dicatur fuisse Sacramentalis, verosimile est, formam absolutionis authoritativam, prius à nonnullis Episcopis usurpatam in Cœna Domini, & apud morientes, sensim migrasse in usum etiam aliorum Presbyterorum. Pœnitentiale Rhemense à Morino editum sic habet:

Feria V. in Cœna Domini, Reconciliatio Pœnitentium.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, &c. Deus humani generis benignissime conditor, &c. Istæ orationes habentur in ordine Romano.

Item absolutio in Cœna Domini.

Domine Deus omnipotens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, æterne Pontifex, & sanctorum Minister, ac veri tabernaculi Sacerdos, qui sanctum, atque immaculatum agnum proprii corporis hostiam dedisti pro peccatis nostris, & nunc sedes ad dexteram Patria semper vivens, & interpellans pro delictis nostris, Jesu Christe clemens, & misericors, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata Pœnitentium deles, & præteritorum criminnm culpas venia remissionis evacuas, respice quæsumus super famulos tuos, & remissionem eis omnium peccatorum tota cordis confessione poscentes deprecatus exaudi. Renova in eis, piissime, quidquid terrena fragilitate corruperunt, & quidquid diabolica fraude violaverunt; redintegra, & quod in eis aut negligentia polluit, aut ira commisit, aut ebrietas famulavit, aut libido subvertit. Tu totum venia misericordissimæ lenitatis absterge, ut qui per se proclivi fuerunt ad labendum, per te semper muniantur ad standum: Et qui per se proni fuerunt ad offensam, per te semper reparentur ad veniam, ne de damno Ecclesiæ tuæ gaudeat inimicus, ne agnos pretioso sanguine tuo redemptos à caulis Ecclesiæ rapiat crudelis lupus, sed magis discedat confusus, dum viderit hos famulos tuos, corporis Ecclesiæ membrum perfectum, gratia tua plenam remissionem consecutos. Miserere igitur, Domine, illorum gemituum, miserere lachrymantium. Tu enim, mitissime, dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Et iterum quacunque hora conversus ingemuerit peccator, omnia peccata ejus in oblivione erunt. Nam si iniquitates, Domine, observaveris, nullus mortalium poterit salvus esse. Nemo enim coram te justo judice justificabitur, nisi per te remissio omnium peccatorum tribuatur. Et quidem tu ipse Salvator, per quem facta sunt omnia, In Patre manens cum Spiritu S. ab utroque procedente, nosti quæ sit conditio humana, quæ sit fragilitas terrena. Parce igitur, redemptor mundi, his famulis tuis, & toto corde peccata confitentibus, & tibi, cujus miseratio nullum habet finem convertentibus, sana animas, illorum vulnera relaxa, facinora, & delictorum catenas absolvens quidquid in eis alienum est, mortifica; quidquid tuum vivificans conserva. Et quia tu solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, cor mundum in eis recreans, spiritum rectum innova in illorum visceribus, ut illi deinceps viventes in te, sine quo nihil valet mortalis infirmitas, omnes actus illorum in beneplacito tuo dirigant quatenus ad tremendum judicium tuum, liberi & securi ab omnibus accusationibus inimici, pervenire mereantur, per te Deus,

Deus, & Dominus noster Jesu Chriſte, qui cum Patre, &c.

Item abſolutio in Cœna Domini: Auctoritate & vice B. Petri Principis Apoſtolorum, cui traditæ ſunt claves regni cœlorum, cui Deus dedit poteſtatem animas ligandi atque ſolvendi, dicens ei familiarius præ cæteris: Quodcunque ligaveris &c. vice inquam ejuſdem B. Petri, cui licet merito longe ſumus diſſimiles, quoniam poteſtate à Deo conceſſa exiſtimus conſimiles, ego divinitus vos abſolvo à vinculis peccatorum veſtrorum. Per.

Ad finem hujus abſolutionis addita eſt & alligata ſchedula alia manu, ſed eodem Longobardico charactere, non tamen ita graphice exarato, quæ hoc continet: Ego illi (NN.) immeritus & peccator Epiſcopus hanc abſolutionem manu, ore, corde confirmans Omnipotentem Dei clementiam ſupplex imploro, ut ipſe ſua poteſtate, & noſtra deprecatione te illi (NN.) dignetur abſolvere à vinculis peccatorum tuorum & ab omnibus, quæcunque aut cogitatione aut locutione aut operatione negligenter egiſti, utque miſericorditer abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Amen. In verò abſolutionis præcedentis eadem, ut videtur, manu qua ſchedula illa & eodem charactere hæc adjiciuntur, quibus pagina completur.

Commemoratio. Commemoramus tibi Domine famulum tuum illum in vita præſenti, ut ab omni malo eum eripias, & intercedente B. Petro Principe Apoſtolorum ad vitam producas æternam. Per.

Abſolutio. Intercedente pro nobis Beata & glorioſa ſemper virgine Dei genitrice Maria, & Beato Principe Apoſtolorum, qui habet poteſtatem in cœlo & in terra ligandi atque ſolvendi, Omnipotens Deus te abſolvere & liberare ab omni malo dignetur. Per.

Hucuſque Pœnitentiale Rhemenſe. Morinus l. 8. c. 11. Sect. 11. exiſtimat, authorem hujus Pœnitentialis plus tribuiſſe virium abſolutioni deprecatoriæ, ſecundæ & tertiæ, quia has priori anthoritativæ addidit. Ego verò non idem ſentio; ſed exiſtimo, hic proprie primi naturam abſolutionis Indulgentialis, qualis erat in Cœna Domini. In ea enim primo abſolvitur pœnitens abſolutione authoritativa jurisdictionali à peccatis reſervatis ad pœnitentiam publicam, & quoad reatum ulterioris ſatisfactionis; utque Deus hoc judicium Eccleſiæ ratum habeat quoad reatum ulterioris pœnæ quoad judicium divinum, offert merita Chriſti & Sanctorum, rogatque Deum, ut ea pro expungendo ulteriore reatu pœnæ acceptare velit.

IX.

POENITENTIALE BELLOVACENSE morientium.

Morinus teſtatur, hoc Pœnitentiale Sæculo duodecimo ad minimum ſcriptum eſſe. Sic habet:

In viſitatione infirmorum.

Poſt ſeptem Pſalmos, Litanias, varias preces, cùm infirmus eſt ungendus, præmittitur hæc oratio. In nomine Patris, &c. Sit tibi hæc unctio ſanctificati olei ad purificationem mentis, & corporis, & omnium Abſolutionem culparum, ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in ulla compage membrorum, ſed habitet virtus altiſſimi, & ſpiritus. Per cundem. *Super oculos.* Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per omnia.

Alia. Ungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini, & Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus, & incommoditatibus corporis tui recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute S. Spiritus medicatus, ſive lotus, priſtinam, & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem.

Ad aures infra, & ſupra.

Ungo has aures ſacrati olei liquore, ut quidquid peccati delectatione nocui auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Similiter ad nares, ad laira, ad collum, ad guttur, ad ſcapulas, ad pectus, ad manus, ad pedes infra, & ſupra. Deinde Oratio ſequitur, & benedictiones ſuper infirmum variæ. Tandem ſic ait ſacerdos:

Vice S. Petri Apoſtolorum principis, cui à domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi cujus etiam nos licet indigni vice fungimur, abſolvimus te, frater, N. in quantum tua expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio; ſecundùm quod nobis ut diximus à Domino in S. Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus tuis, ſitque tibi omnipotens Deus redemptor tuus, vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum tuorum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, &c.

Quando communicat, Domine S. Pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri noſtro ſacroſanctum corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti Filii tui Domini noſtri, tam corporis quàm animæ ſit ſalus. Per eundem, &c.

X.

POENITENTIALE ROTHOMAGENSE in Cœna Domini.

Morinus teſtatur, hoc Pœnitentiale ſeu Rituale pro Cœna Domini Sæculo duodecimo ſcriptum eſſe. Sic habet:

Ordo, quomodo Pœnitentes in capite quadrageſimæ Epiſcopo ſe debent repræſentare.

In capite quadrageſimæ, ſcilicet in Feria 4. omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis ſacco induti, nudis

dis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani, id eſt Archi-Presbyteri Parochiarum, id eſt, Presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundùm modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungere. Poſt hæc eos in Eccleſiam introducat, & cum omni Clero ſeptem pœnitentiales pſalmos in terram proſtratus cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc reſurgens ab oratione, juxta, quòd Canones dicunt, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat; deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis eis denuntiet, quod ſicut Adam projectus eſt de paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis abjiciuntur. Poſt hæc jubeat Miniſtris, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant. Clerus verò proſequatur eos, cum R. in ſudore vultus tui &c. Ut videntes S. Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam, atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini Cœna, rurſus ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur.

Abſolutio Pœnitentis in capite jejunii.

In primis dicat ſeptem Pſalmos Pœnit. deinde Kyrie eleiſon, & orationem dominicam. Salvos fac ſervos tuos, &c. Oremus, Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi, &c.

Alia. Omnipotens, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione, &c.

Alia. Præveniat hos famulos, &c.

Alia. Adeſto, Domine, &c.

Alia. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris, &c. *Orationes illæ in ordine Romano edito & paſſim occurrunt, & nullus eis titulus ſuperpoſitus, niſi Alia ſequitur.*

Reconciliatio Pœnitentis in Cœna Domini.

Sedente Pontifice præ foribus Eccleſiæ, pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono introitum illius præſtolantibus, dicat Pontifex Antiphonam, venite filii, & Diaconi ex parte pœnitentium, Flectamus genua.

Tunc omnes ſtantes flectant Pœnitentes. Quo facto dicat Diaconus ex parte Pontificis, levate. Similiter agatur ſecundò repetente Epiſcopo Antiphonam. Venite filii, ſequente Diacono, flectamus genua, ut ſupra, & ſic ad medium pavimentum ſolo tenus veniant. Quando autem Dominus Epiſcopus tertio annuntiaverit Antiphonam, Venite, Venite, Venite, proſequatur Diaconus: flectamus genua. Mox cum Diacono Pœnitentes corruant ad pedes Epiſcopi, ſicque proſtrati jaceant uſque dum Dominus Epiſcopus innuat alteri Diacono, levate. Proſequitur chorus Antiphonam, venite Pſalm. Beati immaculati. Item ſequitur Antiph. Venite filii. Poſtea ab Archidiacono dicatur, Adeſt ò venerabilis Pontifex &c. Mox ſurgat Epiſcopus, faciatque pœnitentes ante ſe proſternere, ſimulque cum aditantibus cantet 7. Pſalmos Pœnitent. *Quibus finit. ſequuntur Dominica oratio, iſtique verſus.*

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Salvos fac &c. Oremus, Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris &c.

Alia. Præſta quæſumus, Domine famulis tuis dignum, &c.

Alia. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c. Poſt hæc, ſurgant pœnitentes, & dicat Diaconus, reintegra in eis Pontifex &c. Et monentur ab Epiſcopo Pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent, & imponat Epiſcopus Antiphonam, Venite filii, & clerus cum Epiſcopo pſalmum, Benedicam Dominum in omni tempore, & verſibus ejuſdem pſalmi finitis ſemper ſequatur Antiphona. Venite. Interim Pœnitentes manuatim ab Archidiacono reddantur Epiſcopo, & Epiſcopus reddat Diacono, qui ex parte ejus eſt, & ordinatim congregentur, ſicque reſtituantur gremio Eccleſiæ, Deinde imponat Epiſcopus Antiphonam. Cor mundum. Miſerere mei Deus. Quo finito proſternat ſe Pontifex cum pœnitentibus, in oratorio Clero faciente letaniam, qua expleta dicat preces, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac. &c. Oremus. Omipotens. Confitentibus his, &c.

Alia. Omnipotens, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti &c.

Alia. Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, &c.

Abſolutio. Omnipotens Deus, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque diſcipulis ſuis ſuam licentiam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum: Et quantum noſtræ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum, intercedente Beata Dei Genitrice Maria cum omnibus Sanctis. Amen.

XI.

POENITENTIALE VICTORINUM.

Morinus apud Canonicos Regulares ad S. Victorem reperit decem Codices Pœnitentiales. Decimus, quem judicat exaratum eſſe ſæculo duodecimo aut initio ſæculi decimitertii, ſic habet:

Ordo ad dandam Pœnitentiam.

Cum venerit pœnitens ad Sacerdotem, primo inquiratur de peccatis, & credulitate ſua, & ſi vult dimittere illis, qui in ſe peccaverunt. Poſtea faciat puram confeſſionem, deinde proſternat ſe in terram. Sed hoc ſciendum, ut cùm venerint ſervi, & ancillæ ad pœnitentiam, non cogantur jejunare tantum quantum divites, quia non ſunt in ſua poteſtate. Tunc imponat Sacerdos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum glor. Kyrie eleiſon. Pater noſter: Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem, &c. Convertere, Domine, uſquequo. Et deprecab. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto: Et de Sion. Domine, exaudi, Dominus vobiſcum.

Oratio. Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentis tibi parce peccatis, ut quem conſcien-

tiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Christum.

Oremus. Præveniat hunc famulum tuum, N. quæsumus Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Christum.

Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miseratio, sana vulnera, eique remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus separatus tibi Domino semper valeat adhærere. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus. Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum N. qui se tibi graviter peccasse confitetur, tuum est absolutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem. Concede igitur, Domine, huic, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus suis conferri sibi à te sempiterna gaudia gratuletur. Per Christum.

Oremus. Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento famuli tui N. & qui lubrica, terrenaque corporis fragilitate nudatus in multis deliquit, quæsumus, ut des veniam confitenti, parcas supplici, ut qui suis meritis accusatur, tua miseratione salvetur. Per Dominum.

Absolutio super eumdem. Absolvimus te vice beati Petri Apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi, atque solvendi dedit, & quantum ad te pertinet accusatio, & ad nos remissio, sit Dominus omnipotens tibi vita, & salus, omnibus peccatis tuis indultor. Qui vivit.

Alia. Omnipotens Deus, qui dixit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, ipse te benedicat, & custodiat semper, detque tibi remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam. Amen.

Sequitur postea benedictio cinerum, & præcesserat ordinem istum benedictio Candelarum in die Purificationis.

Reconciliatio Pœnitentium in Cœna Domini.

Sedente Pontifice præ foribus Ecclesiæ, Pœnitentibus verò in atrio eminus cum Archidiacono jussum illius præstolantibus, antequam eos offerat, postulet Archidiaconus his verbis.

Adest, ô Venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & salutis humanæ, qua mors, &c. *Ut in antiquo ordine Romano, atque; est supra relatum. Post ea verba,* & omnibus in commune succurrit, *sequitur immediate:* Redintegra igitur in eis, Apostolice Pontifex, &c. *quæ in Romano, & supra: post aliqua alia, sequuntur.*

Tunc dicat Pontifex, Venite, Venite, Diaconus ex parte Pœnitentium, flectamus genua, & flectent genua Pœnitentes. Quo facto Diaconus ex parte Pontificis, similiter repetente Episcopo venite, venite, & subsequente Diacono, flectamus genua, ut antea. Quando autem tertio annuntiaverit, venite, venite, prosequutur Diaconus, flectamus genua. Mox cum Diacono pœnitentes corruant ad pedes Episcopi, sicque prostrati jaceant, usque dum Episcopus innuat alteri Diacono; levate, prosequente Clero Antiphonam, venite, venite, venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore. Quamdiu verò Psalmus canitur à Clero cum Antiph. Venite, Venite, semper manuatim pœnitentes à Plebejanis Presbyteris Archidiacono, ab Archidiacono redduntur Episcopo, & ab Episcopo restituantur Ecclesiæ gremio. Deinde sequatur Episcopus, & canantur 7. Psalmi pœnitentiales prostratis in Oratorio pœnitentibus, quibus expletis dicatur, Kyrie eleison. Pater noster.

Preces. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. Secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne memineris iniquitatum nostrarum. Cito. Salvos fac servos tuos. Convertere, Domine, usquequo. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. Dominus vobiscum.

Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, &c. *Ut in ordine R. & supra.*

Alia. Deus humani generis benignissime conditor, &c. *Oratio longa, integra legitur, ut in antiquo ordine Romano. Quatuordecim variæ orationes breves, quæ habentur in ordine Romano, inter præcedentem, & hanc, quarum pleræque supra ex illo antiquo codice relatæ sunt, hic absunt.* Post duas illas sequuntur istæ.

Omnipotens sempiterne Deus confitentibus tibi famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Christum, &c.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice propitius super hoc famulos, qui ab infesta hujus sæculi tempestate demersi flebili lamentatione suos accusant excessus, ut fletus, ac gemitus eorum piè suscipias, eosque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus, salutem pœnitentibus, vulneratis auxilium sanitatis indulgeas, ne ultra inimicus in eorum habeat animabus potestatem, eorumque Confessionem libenter admittens, Ecclesiæ tuæ purificatos restitue, ac tuo altari repræsenta, ut ad Sacramentum reconciliationis admissi, una nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per Christum.

Deus misericordiæ, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum, &c. *Habetur in ordine Romano.*

Exaudi, quæsumus omnipotens Deus preces nostras, quas in conspectu pietatis tuæ effundere præsumimus, suppliciter deprecantes, ut famulos tuos de tua misericordia confitentes benedicas, & omnia peccata eorum dimittas, tuaque eos protectione conserves, ut possint te digni fieri, & ad æternam beatitudinem te auxiliante pervenire, per Dominum.

Absolutionem, & remissionem, omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. Amen. Post hæc surgant pœnitentes & moneantur ab Episcopo, ut quod pœnitendo diluerint, iterando non revocent.

Ordo

Ordo ad Visitandum Infirmum.

In primis cantentur septem Psalmi, & Litania, & inter agendum dicatur, ut eum à lecto ægritudinis piè, ac misericorditer relevare digneris. Dein Kyrie eleison. Pater noster: Et ne nos. Salvum, fac f. t. Mitte ei. Esto ei d. t. f. Domine, exaudi, Dominus vobiscum.

Oremus. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & hunc famulum tuum à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Alia. Respice, Domine, famulum tuum infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut castigationibus emendatus continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.

Alia. Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus cœlesti indulgentia deleantur. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate deviando peccarat, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per.

Hic abluantur ea membra, quæ ungenda sunt, & interim dicatur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Dens, qui per beatum Apostolum tuum dixisti, infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei, te supplices exoramus, ut hic famulus tuus per ministerium nostræ unctionis, & donum sanctæ pietatis peccatorum suorum veniam consequi, & ad vitam æternam pervenire mereatur. Per Dominum nostrum, &c.

Deinde inungat eum, ita dicendo. Per istam unctionem, & suam piissimam misericordism indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum. Amen.

Ad Aures. Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per auditum. Amen. Sic ad guttur, per gustum: ad labia, per illicita verba: ad nares per odoratum: ad manus per tactum: ad pedes, per incessum, per illicita tibi, per illicitas cogitationes: ad umbilicum, per ardorem libidinis. Amen.

Eo autem puncto ablues manus tuas, & ipsam aquam, ubi laveris, facies vel in ignem projici, vel in sacrarium deferri.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata per pœnitentiam deles, & præteritorum criminum culpas venia repromissionis evacuas, Respice super hunc famulum tuum, & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum, & in nnitate corporis Ecclesiæ tuæ membrorum perfecta remissione restitue. Miserere, Domine gemituum ejus, miserere lachrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Oremus. Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus ut huic famulo tuo longo squalore pœnitentiæ macerato miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum, &c.

Oremus. Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, &c. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Benedicamus Domino. Deo gratias. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, quæ copiosa caput tuum, interius, exteriusque repleat, atque circumdet, ac sit semper tecum in sæcula sæculorum.

Tunc sequitur benedictio Cilicii.

Omnipotens sempiterne Deus, qni per indumenti asperitatem vitam tui præcursoris laudasti, preces, quas tibi lachrymabiliter ex intimi cordis affectu fundimus, clementer exaudi, & hoc cilicium, quod ex fœtidarum capellarum setis ad pœnitentiæ indicium confici permisisti, benedicere tua ineffabili clementia dignare, & omnium eis utentium maculas criminum dele, vitamque concede perpetuam. Per.

XII.
POENITENTIALE TOLOSANUM.

Hoc Pœnitentiale plurimi æstimandum est, quia ritum pœnitentiæ privatæ & solennia exacte distinguit. Scriptum est Sæculo nono, prout Morinus argumentis solidis ostendit. Occurrit in hoc Pœnitentiali formula Confessionis generalis, qualem Eckardus in *Francia Orientali* etiam idiomate Germanico Sæculo nono & decimo usitatam adducit, & Egbertus in suo Pœnitentiali adducit. Ea tamen non sic intelligenda est, quasi omnes pœnitentes ea usi sint ex integro; nullus enim hominum omnia illius formulæ peccata simul collectim committit; sed accipienda est loco speculi confessionis, quo nunc simpliciores utuntur, ut eo commoniti sua quique peccata depromant; & verosimile, ejusmodi confitendi generales formulas in vernacula publice prælectas fuisse populo. Pœnitentiale Tolosanum sic habet:

Incipit Ordo, qualiter publice, vel specialiter agitur modus pœnitentiæ secundum Censuram Ecclesiasticam, qui quarta feria quinquagesimæ inchoatur.

Præmonere debet omnis Sacerdos eos, qui sibi con-

confiteri solent, ut in capite jejunii, id est, Feria quarta quinquagesimæ concurrere incipiant ad renovandam confessionem. Et tunc suscepta secundùm prolatam rationem confessione, indicat singulis congruam pœnitentiam, sive observantiam usque in cœnam Domini: magnopere intimans illis in præsenti, ut tunc ad reconciliandum festinare nullatenus parvi pendant. Si verò interest causa, aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita fortè hebes est, ut ei hoc Sacerdos persuadere nequeat, injungat ei tam quadragesimalem, quàm & annualem pœnitentiam, & reconciliet eum statim.

Cùm autem accesserit Pœnitens ad Sacerdotem, si Laicus est, dimisso baculo: quisquis verò ille est, sive Laicus, sive Clericus, sive Monachus, suppliciter se inclinet ante Sacerdotem. Deinde jubeat eum Sacerdos sedere, & interroget eum ita dicens: Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? Respondeat Pœnitens: credo. Credis, quia istæ tres Personæ, quas modo dixi, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus sit? Respondeat: credo. Credis, quia in hac ipsa carne, in qua nunc es, resurgere habes, & recipere, sive bonum sive malum prout gessisti? Respondeat: credo. Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, omnia peccata, ut & Deus dimittat tibi tua, ipso dicente: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra? Si vult dimittere, suscipiat ejus confessionem, & indicet ei Pœnitentiam. Si non vult, non suscipiat ejus Confessionem. Volens verò dimittere omnibus his, qui in se peccaverunt, confiteatur omnia peccata sua, quæ recordari potest. Quòd si litteras scit, jubeat eum Sacerdos hanc Confessionem, quæ inferius scripta est, intenta mente legere. Si verò non scit litteras, legat illam Sacerdos ipse, & faciat pœnitentem prosequendo repetere, quæ à se per singulas distinctiones pronuntiata fuerint.

Confessio pura coram Deo, & Angelis, & coram omnibus Sanctis.

Confiteor tibi, Domine, Pater cœli, & terræ, tibique benignissime Jesu, una cum Spiritu S. coram sanctis Angelis, & coram omnibus Sanctis tuis, & coram præsenti Altari, ac adstante Sacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, in peccatis natus, in peccatis nutritus, & in peccatis post Baptisma omni tempore vitæ meæ usque ad hanc horam sum conversatus. Confiteor etiam, quia peccavi nimis in superbia tam visibili quàm invisibili; in inani gloria, in invidia, in ira, in tristitia, in avaritia tam honoris quàm pecuniæ, in ventris ingluvie, in luxuria, & in cæteris, quæcumque ex his septem principalibus vitiis oriuntur: Scilicet in inobedientia, in odio, in acedia, in jactantia, in hypocrisi, in contentionibus, in pertinaciis, in discordiis, & in novitatis præsumptionibus, in susurrationibus, in detractionibus, in exultatione, in adversis proximi, in afflictione, in prosperis ejus, in rixis, in tumore mentis, in contumeliis, in clamoribus, in indignationibus, in blasphemiis, in malitia, in rancore, in pusillanimitate, in desperatione, in corpore circa præcepta, in vagatione mentis, in proditione, in fraude, in fallacia, in perjurio, in inquietudine, in violentia, in obduratione cordis, in inepta lætitia, in scurrilitate, in omni immunditia, in hebetudine sensus, in cæcitate mentis, in inconsideratione, in inconstantia, in præcipitatione, in amore mei, in odio autem Dei, in præsentis affectu sæculi, horrore autem, vel desperatione futuri, in extollentia tam oculorum quàm vestium, & omnium actuum meorum: In comessationibus, in ebrietatibus, in fabulis otiosis, in osculis, & amplexibus, in femoribus, in genitalibus meis, & in omni genere fornicationis: in adulteriis, quæ & ipse feci, & aliis facientibus consensi, & in quibus alios ad consentiendum, & perpetrandum illexi, & persuadendum coegi; in multiplicitate, & in omni genere, seu enormitate omnimoda, abominandissimæ, & sceleratissimæ immunditiæ, criminis Sodomitici, in omni immunditia, pollutione, & contagione, seu effusione seminis, vel libidinis Deo displicentis: In sacrilegiis diversis, & multimodis perjuriis, in furtis, in rapinis, in homicidiis, etsi non corporaliter actis, tamen animo præoptatis. In fide, spe, & charitate; in accipiendo corpus, & sanguinem Domini semper indignè; in exhortationibus, & adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in subreptionibus, in dandis, & accipiendis muneribus, & usuris, in appetendis prælationibus, in dispensandis, & distrahendis malè rebus Ecclesiasticis, in subtrahendis eleemosynis, in pauperibus exasperandis, in hospitalitatibus, & receptionibus pauperum, in despectione propinquorum, in oppressione pauperum, in afflictione populi mihi commissi, non visitando etiam infirmos secundùm Evangelicum præceptum, & in carcere positos, non sepeliendo mortuos, non vestiendo pauperes, non recreando esurientes, non potando sitientes, non dimittendo in me peccantibus, non orando pro persequentibus, & calumniantibus; solemnitatibus Sanctorum, & Dominicis ac Festis diebus debitum honorem non impendendo, nec sobriè ac castè in eis vivendo, consentiendo suadentibus mihi in malo, nocendo potius quam adjuvando petentes, clamores pauperum non libenter, nec misericorditer audiendo: Propinquis, nec non & Principibus, ac subditis detrahendo, & blasphemando, amicis, & benefactoribus meis fidem non servando, animalium, & pecudum, sive avium concubitus conscientia immunda intuendo, in Ecclesiam Dei superbè intrando, stando, sedendo, & egrediendo, & otiosis fabulis, ac turpibus colloquiis in ea cum aliis insistendo, vasa sancta, & ministerium sanctum polluto corde, & manibus immundis tangendo: Orationem, & Psalmodiam, atque officium divinum negligenter in Ecclesia faciendo, & audiendo. Sæpe etiam, imo omni die, & nocte de toto penitus omittendo, in cogitationibus etiam pessimis, in meditationibus perversis, in suspicionibus falsis, in judiciis temerariis, in consensu malo, & consilio iniquo, in concupiscentia carnali, & delectatione, ac pollutione immunda, in verbis otiosis, superfluis, luxuriosis, atque contumeliosis, in mendaciis,

daciis, in falsitatibus, in juramentis multimodis, & diversis, in detractionibus assiduis, in rixis, ac discordiis disseminandis, in irrisionibus, in otiositate, in contentione, in æmulatione, in dolositate, in malignitate, in susurratione, in inani lætitia, in omni malo linguæ, in murmurationibus, in blasphemiis, in scurrilitatibus, in cachinnis, in somnolentiis, in maledictis, in conviciis, in turpiloquiis, in stultiloquiis, in insultationibus, in dissimulatione, in vigiliis Deo contrariis, in transgressione omnium præceptorum Dei, in omni negligentia totius propositi mei, in dilectione Dei, & proximi, in visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu superfluo, & immundo, & omnimodis, cogitatione, locutione, voluntate, & actione perditus sum. Quoniam in his, & in aliis omnibus vitiis, in quibuscumque humana fragilitas contra Deum, & Creatorem suum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiscendo, aut alio quolibet modo peccare potest, in omnibus me peccasse, & Reum in conspectu Dei super omnes homines esse & cognosco, & confiteor. Ideoque precor vos omnes Angelos, cunctosque Sanctos Dei, & te, venerande Sacerdos Dei, in quorum conspectu hæc omnia confessus sum, ut testes mihi sitis in die judicii contra Diabolum hostem, inimicum humani generis, hæc omnia me confessum fuisse: Obnixè etiam te, Sacerdos Dei, exposco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum Deum nostrum, quatenus de his, & de aliis omnibus sceleribus meis veniam, & indulgentiam per merita, & intercessionem omnium Sanctorum à pio Domino consequi merear.

His perlectis, respondeatur illi à Sacerdote.

Misereatur nostri, frater, omnipotens Deus, quia graviter peccavimus in conspectu ejus, & per intercessionem omnium Sanctorum suorum indulgentiam nobis omnium peccatorum tribuat: Cor mundum in nobis creet, & Spiritum rectum in visceribus nostris innovet, spirituque principali nos confirmet, atque ab omnibus insidiis Diaboli, ac vitiis emundet, & omnibus diebus vitæ nostræ opus in nobis bonum perficiat. Misericordiam, & gratiam suam ipse nos semper & præveniens, & subsequens nobis concedat: fide, spe, & charitate nos repleat, ac mentem nostram ad desideria cœlestia erigat, ab omni adversitate nos defendat, atque ad bonam perseverantiam perducat, ut gaudiorum cœlestium cum Sanctis omnibus mereamur esse participes in vita æterna. Amen.

Post hæc ipse Pœnitens fixis genibus in terram, respiciensque Sacerdotem, iterum dicat: Multa quidem, & innumerabilia sunt alia peccata mea, quorum reminisci nequeo in factis, in dictis, & cogitationibus. Super quibus consilium, imo judicium tuum supplex optando, & deprecando præstolor; & ut pro eisdem peccatis meis non modo tantùm, sed indesinenter intercessor existas, humiliter imploro, quatenus judicio tuo cum superno adjutorio liberatus, atque munitus, oratione præterea & defensus, accusantem me Diabolum in tremendo Dei judicio spernere, & evadere possim.

Quo dicto totum se in terram prosternat, & gemitus, & suspiria, vel lachrymas, prout Dominus dederit, ab intimo corde producat. Sacerdos verò patiatur tantisper eum jacere prostratum, juxta quod viderit cum divina inspiratio compunctum. Deinde jubeat eum Sacerdos surgere, & cùm steterit super pedes suos cum timore, & humilitate præstoletur judicium Sacerdotis. Et indicat ei Sacerdos abstinentiam, sive observantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem.

Percepta sententia Sacerdotis, iterum prosternat se pœnitens pedibus illius petens pro se orationem fieri, ut suggerat ei divina visitatio virtutem constanter observandi, quæ ei injuncta sunt: Et ita reverenter Sacerdotis judicio obtemperare, ac si ab ipsius divinæ majestatis ore opportuna salutis suæ medica menta susciperet. Posthæc Sacerdos instruat eum, & doceat, qualiter vitia humanum genus decipiant, & quæ medela remediorum unicuique vitio obsistat, ex hac subjecta lectione tenorem, & seriem vitiorum eorundem, atque ipsorum remediorum percurrens.

His ita peractis Sacerdos dicat super eum has orationes: Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti Sacerdotalis officii, & me exiguum, humilemque Mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus, & ad Pœnitentiam revertentibus. Ideoque Dominator, Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ, pro famulis, & famulabus tuis, qui ad Pœnitentiam venerunt. Per eundem.

Alia Oratio. Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Dominum.

Alia. Adsit, quæsumus Domine, huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat, sicque se macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea satisfactione compescat. Per Dominum.

Alia. Quæsumus, Domine, huic famulo tuo continuam purgationis suæ observantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeat, gratia eum tuæ visitationis & præveniat, & subsequatur. Per Dominum.

Alia. Præveniat nunc famulum tuum, &c.

Alia. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, &c.

Alia. Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, &c.

Quibus dictis jubeat Sacerdos Pœnitentem surgere de terra, sed & ipse surgat de sedili suo, & si loco, & tempore congruit, ingressi in Ecclesiam, & super genua, vel cubitos uterque innixus,

nixus, decantent septem subjectos Pœnitentiæ psalmos cum capitulis, & precibus sibi connexis.

Domine, ne in furore tuo. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces. Domine, convertere, & eripe animam meam. Respice, & exaudi me, Domine. Illumina oculos meos. Ab occultis meis munda me, Domine.

Oratio. Exauditor omnium Deus exaudi nostrorum fletuum supplicem vocem, & tribue infirmitatibus nostris perpetem sospitatem, ut dum dignanter gemitum nostri laboris suscipis, tua nos semper misericordia consoleris Per Dominum.

Psalmus. Beati quorum. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces. Delicta juventutis meæ. Secundùm misericordiam tuam memento mei. Propter nomen tuum, Domine. Delictum meum cognitum tibi feci.

Oratio. Sancte Domine, qui remissis delictis beatitudinem tibi confessis tribuis, exaudi vota præsentis familiæ, & confractis peccati aculeis spiritali nos exultatione perfunde. Per Dominum.

Psalmus. Domine, ne in furore tuo. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces, Domine, ante te est omne desiderium. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.

Oratio. Emitte, Domine, salutare tuum in infirmitatibus nostris, vulnerum, cicatricumque mortalium potentissime mediator, ut omnem gemitum, doloremque nostrum coram te deplorantes, valeamus evincere insultationes adversantium vitiorum. Per Dominum.

Psalmus. Miserere mei Deus secundùm. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces. Domine, miserere mei, sana animam meam. Miserere mei Deus, miserere. Domine, averte faciem tuam à peccatis meis. Domine, ne memineris iniquitatum. Adjuva nos, Deus salutaris noster.

Oratio. Persolve miserationes tuas nobis per ineffabile nomen tuum, sancta Trinitas Deus, qui humani pectoris antrum emundatis vitiis super candorem efficis nivis. Innova, quæsumus, in visceribus nostris sanctum tuum spiritum, quo laudem tuam adnuntiare possimus, ut recto, principalique spiritu confirmati mereamur æternis sedibus in Hierusalem cœlesti componi, te præstante, qui vivis, & regnas.

Psalm. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces. Deus, tu scis insipientiam meam. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo. Intende animæ meæ, & libera eam.

Oratio. Exorabilis, Domine, intende, orationes supplicum tuorum, ut qui in peccatis detenti sicut fœnum aruimus, respectu cœlestis misericordiæ sublevemur. Per Dominum.

Psalm. De profundis. Pater noster. Et preces. Domine, vide humilitatem meam, & laborem. Ne perdas cum impiis Deus. Redime me Deus Israel, ex omnibus.

Oratio. Intendant, quæsumus, Domine, pietatis tuæ aures in orationem supplicum, quia apud te est propitiatio peccatorum, ut non observes iniquitates nostras, sed impertias nobis misericordias tuas. Per.

Psalm. Domine, exaudi orationem meam. Kyrie eleison. Pater noster. Et preces. Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me. Deus, ne elongeris à me. Deus meus in auxilium. Domine, doce me facere voluntatem tuam.

Oratio. Deus, qui matutinam sacræ resurrectionis tuæ auditam fecisti jucunditatem, cum ex inferno rediens replesti terram gaudiis, quam reliqueras in obscuris: Rogamus potentiæ tuæ ineffabilem majestatem, ut sicut tunc catervam Apostolicam gaudere fecisti sacra in anastasi; ita etiam hanc Ecclesiam tuam misericordiam expansis manibus flagitantem, splendore cœlestis jubaris illustrare digneris. Qui vivis, & regnas.

His expletis, instruat eum diligenter, ne dudum à se commissa scelera iterùm repetens instar porcorum polluatur. Sed sine cessatione pro sui custodia ponat sibi ante oculos mentis, hinc culpas operis, illinc districtionem extremæ animadversionis, & ita cum dimittat à se.

Si vero causa Pœnitentis fuerit, ut ab Episcopo, vel ipso jubente à Presbytero à liminibus Ecclesiæ arceri debeat, adducatur in Ecclesiam ante Episcopum, vel Presbyterum indutus cilicio: Atque peractis primum omnibus, quæ supra taxato Pœnitentium ordine expressa sunt, his verbis instruatur.

Apostoli præceptum est, criminalibus obnoxios peccatis, & publice his fœdari non timentes tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Ideoque scire te convenit, quia qui publice peccat, publica etiam satisfactione indulgentiam sibi à Domino, jejuniis, lachrymis, suspiriis, ciborum ac potus abstinentia, vigiliis quoque, omnique corporis maceratione postulare debet. Sed & Eleemosynarum largitatibus, & misericordiis pauperum juxta Prophetæ vocem, peccata, & iniquitates suas redimere. Sicut enim aqua extingnit ignem; sic eleemosyna peccatum, & non permittit animam ire in tenebras: Dominus quoque in Evangelio dicit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Scire etiam debes, quia qui multa illicita committit, ut veniam à Domino mereatur accipere, debet à licitis abstinere: Hoc enim ad fructum dignum Pœnitentiæ pertinet. Nec ignorare debes, quia invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum, quæ primum hominem à Paradiso expulit, per quem in hunc mundum peccatum introivit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Quia enim miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideo mirabiliter pro redemptione nostra incarnari dignatus est Deus homo. Primus homo de terra terrenus, vitiis nos, & peccatis subdidit: Secundus homo de cœlo cœlestis ad nostram liberationem veniens florere nos virtutibus fecit. Quem novum hominem, Christum utique, juxta Apostolum

lum induere debemus, deposito prius veteri cum actibus suis, hoc est, deponere veterem conversationem primi hominis vitiorum germine pullulantem, & induere secundi hominis innocentiam, virtutum splendore vernantem. Quæ sit autem primi, seu veteris hominis conversatio ex superius recitata tibi lectione audisti. Cujus hominis primum vitium superbia est: De cujus virulenta radice, quæ, qualis, & quanta proferatur vitiorum enormitas; vel qualiter humanum genus pravis suggestionibus, & mortiferis delectationibus eadem vitia decipiant, pleniter tibi Ecclesiastica auctoritate demonstratum est. Superest nunc tibi ut secundum decreta sanctorum Conciliorum, & statuta venerabilium Patrum censuram Ecclesiasticæ disciplinæ suscipiens, libenter pro remedio animæ tuæ à cœtu, & cohabitatione fidelium, atque ab introitu Ecclesiæ antiquitus delegato sequestreris tempore. Et quia his te obnoxium, quæ supra comprehensa sunt, & cognoscis, & confiteris, solicite tibi considerandum est, ne indultos tibi Pœnitentiæ dies inaniter, & sine salutis perdas fructu. Sumus enim omnes natura filii iræ: & quicunque à Massa perditionis liberamur, per gratiam utique Dei salvamur. Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: Nam licet sine Pœnitentia sint dona, & vocatio Dei, ipso dicente miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit; nulli tamen medicamentum Pœnitentiæ negligendum est, sed omnibus summopere nitendum est, cum Dei adjutorio, sine quo nihil boni facere possumus, exeubiis ejus salubriter insistere, juxta quod ipse ait in Evangelio, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Pœnitentiam verò digne agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam, qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc Pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelat? Aut quid prodest si iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? Qui ergo plangit vitium, perpetrare vitia pertimescat. Sed & hoc summopere attendendum est, ut qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscidere debeat etiam concessa: & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse.

His dictis operiat caput, & faciem ejus panno cilicii, & apprehensa manu ejus expellat eum ab Ecclesia, cantantibus choris responsorium, in sudore vultus tui. Quo finito dicatur ante ostium Ecclesiæ, hæc oratio ab Episcopo, vel à Presbytero.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, creator humanæ reformatorque naturæ, homini à Paradiso dejecto spinas terram germinare, & tribulos producere denuntiasti, clementiam majestatis tuæ suppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo peccata, ac facinora sua confitenti, ac deflenti veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas; qui Publicani precibus, Latronis confessione placatus es: Tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare: Tu ejus precibus benignus assiste, ut in confessione flebili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & sanctis, ac sacris altaribus restitutus, spei rursus æternæ, & cœlesti gloriæ reformetur. Per.

Hac oratione expleta recludatur Pœnitens, in loco secreto, usque in cœnam Domini, deputato sibi idoneo teste, qui sollicite inspiciat instantiam devotionis ejus, macerationem corporis, & super omnia desiderium emendandæ prioris vitæ suæ.

Sane hoc eodem die reconciliatio Pœnitentium tali ordine secunda hora diei incipitur, cujus perfectio in solemni officio percompletur. Hora secunda ingreditur Archidiaconus, ubi Pontifex sedet indutus sacris cum Electis cleri, & inclinans se deosculatur genua Pontificis, & adnuntiat, dicens: Apostolice Pontifex turba Pœnitentium pro foribus Basilicæ consistens reconciliari se Deo per vestrum ministerium, contrito, & humili corde, ac lamentabili implorat voce. Et mox Pontifex surgens cum præcedentium, & subsequentium ordine Clericorum, pergit in vestibulum Ecclesiæ, & composita sede residet, adstante retro, & ex utraque parte clero. Et audita ratione singulorum, qualiter, vel quomodo quisque pro admissis pœnituit, discernit subtiliter culparum modum, & eos qui reconciliandi sunt, facit stare in parte seorsum pro loci opportunitate. Et post hæc ingreditur Ecclesiam, remanentibus Pœnitentibus foris ostium. Mox vero, ut Pontifex ad altare ascendit, vertit vultum ad ostium Basilicæ, ubi Pœnitentes remanserunt, & illico annuente eo, quatuor cantores ad hoc ipsum deputati foris juxta Pœnitentes stantes cantant vice eorundem Pœnitentium hanc Antiphonam. *Antiph.* Domine, si iratus fueris adversus nos, quem Adjutorem petemus? aut quis miserebitur infirmitatibus nostris, qui Chananæam, & Publicanum vocasti ad Pœnitentiam, & Petrum lachrymantem, Domine, suscepisti; & nostram Pœnitentiam suscipe misericors, & salva nos Salvator mundi.

Hac finita totidem cantores retro altare cantant, quasi voce Redemptoris illis respondentes hanc Antiphonam. *Antiph.* Sicut Pastor portat ovem perditam ad gregem suum, sic porto, & complector vos, dicit Dominus: Ego feci, & ego feram: ego creavi, ego sustinui, ego redemi vos, ego dimittam peccata vestra, Sanctus, Sanctus, Sanctus Israel.

Et post hæc clamat Diaconus: Redite reconciliandi ad sinum matris vestræ; æterne sapientiæ, fugite larga ubera pietatis Dei; intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionem. Transacta plangite, imminentia vitate. Et post hæc ingrediuntur Ecclesiam, & prostrati in terram, orant diutius, cantantibus choris excelse offerendam: Laudate Dominum, quia benignus est, cum versibus suis. Quibus expletis incipit Chorus pro ipsis hoc officium, Deus in adjutorium meum intende, cum gloria, & laus

& laus tibi, Domine. *Antiph. in Invitatorio.* Adoremus Dominum.

Matutino officio expleto canitur Missa specialis, sive novas sive plures fuerint reconciliandi. Si unus fuerit, ita jubente Episcopo, peragitur hæc Missa à Presbytero. -- Cum lecta fuerit Evangelica Lectio, Presbyter conscenso pulpito tractet exponendo Dei misericordiam in filio prodigo, & in muliere peccatrice. Quod ubi expleverit, legat Diaconus, non tamen ille qui Evangelicam lectionem recitavit hunc sermonem -- exponente Presbytero per singulas periodos, quæ leguntur, stantibus circa ambonem pœnitentibus. Hoc sermone peragitur Missa. Qua expleta Pontifex cum Ecclesiastico Ordine pergit ad Ecclesiam, ad quam de more conveniunt populi ad stationem celebrandæ Missæ, quæ tali ordine ante horam tertiam (nonam) à Pontifice solenniter peragenda est.

Oratio ad Missam.

Deus à quo Judas reatus sui pœnam, & confessionis suæ latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster, diversa utrisque intulit stipendia meritorum: Ita nobis ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli, ad Corinthios.

Fratres convenientibus vobis in unum, *usque ad illa verba*, ut non cum hoc mundo damnemur.

Evangelium secundùm Joannem. Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, usque & vos faciatis.

Evangelio finito, illico Pontifex conscendit Ambonem, & Pœnitentes adducuntur deorsum propter illum, & prostrati in terram, præstolantur divinæ misericordiæ reconciliationem per ministerium Pontificale. Tunc Diaconus prope Episcopum stans, pronuntiat his verbis.

Adest, ò Venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & salutis humanæ, &c. *ut in editis, usque ad illa verba*, devicto mortis suæ auctore gratulemur.

Posthæc Pontifex prosequitur dicens. Quia dilectissimi hos de quorum periculo formidabamus, & pro inspectione negligentioris vitæ, de salute dubitabamus, per Pœnitentiæ lamenta, & desideria corrigendorum præteritorum actuum transgressionis, ad Deum ex toto corde, teste cœtu, & frequentia hujus Ecclesiæ conversos audivimus: Superest nunc, ut & pro illi, & pro nobis Domini misericordiam deprecemur, quatenus & nobis, & illis facultatem bonam operandi secundùm beneplacitum voluntatis suæ largiri dignetur, atque de vetustate prioris conversationis, & ignorantiæ, nos transferre, & ad perpetuitatis suæ regnum clementer admittere.

Inde facto parumper intervallo, jubente Pontifice inclamat Diaconus; Contrito corde, & mente devota Litaniarum solemnia pro Pœnitentibus, & reconciliandis nostris, ac pro omni Ecclesia sancta Dei sensualiter alternando modulemus: Et mox incipiunt Litaniam, sicut hic inferius habetur adnotata. Pontifex verò descendens de Ambone cum Electis cleri, qui eo die in omni sacro ordine ipsi ministraturi processionis illius officia implere debent, prosternit se ante sanctum altare super stratoria, dudum illic ad hoc ipsum aptata, & jacent orantes usque dum in Litania dicatur, Agne Dei: Et tunc surgentes finem Litaniæ omnes cum choro consummant.

Litania finita dicit Pontifex, *Oremus*. Et Diaconus clamat, *flectamus genua*. Postquam oraverint, prosequitur Pontifex hanc orationem, excelsa voce.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam & nova semper prole renascentium fœcundas, & resipiscentium à peccatis, atque ad te revertentium reparatione restauras: Auge super nos famulos tuos Spiritus Sanctus tui dona propitius, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ virtutis est, operare. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Post hæc iterum Pontifex conscendit Ambonem: & Pœnitentes veniunt ante illum. Et mox ut Diaconus clamaverit. Orate Pœnitentes, Prostrati in terram, expectantes divinæ misericordiæ reconciliationem per ministerium Pontificale jactant se in terram. Tunc Pontifex dicit super eos has orationes ad reconciliandum, stantibus duobus, aut quatuor, vel si necesse fuerit, pluribus Presbyteris altrinsecus juxta eos; & ubicunque in precibus orationum mentionem illorum facit Pontifex; dicendo hos famulos tuos, vel his famulis tuis, seu horum famulorum tuorum, vel aliquolibet casu, ipsi Presbyteri tangunt dextris manibus indesinenter ipsos Pœnitentes vice Pontificis.

Orationes ad reconciliandos Pœnitentes.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & mihi, quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per.

Alia. Precor Domine, clementiam tuæ majestatis, ac nominis, ut his famulis tuis peccata, & facinora sua confitentibus veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris. Qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas. Qui Publicani precibus, vel confessione placatus es: Tu etiam, Domine, & his famulis tuis placare. Tu eorum precibus benignus assiste, ut in confessione flebili permanentes clementiam tuam celeriter exorent, & sanctis, ac sacris altaribus restituti, spei rursus æterne, & cœlesti gloriæ reformentur. Per Dominum nostrum.

Alia. Præsta, Domine, quæsumus, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, à cujus integritate deviarant peccando, admissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per Dominum nostrum.

Alia. Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui homi-

hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras; & qui non derelinquis devios, assume correctos. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, lachrymosa suspiria. Tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno exultet inimicus, ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleant, ut nesciant, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversi justitiæ, numquam vulneribus saucientur, sed integrum sit eis, atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per eundem Dominum.

Alia. Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per.

Alia. Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere languoribus, ut sicut nemo nostrum est liber à culpa, ita nemo sit alienus à venia. Per.

Alia. Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento nostri, quæsumus, & da veniam confitentibus, parce supplicibus, ut qui lubrica, terrenaque corporis fragilitate circundamur, & nostris meritis accusamur, tua miseratione à debita peccatis nostris ultione liberemur. Per Dominum.

Orationibus expletis dicit Diaconus: Surgite de terra reconciliati Deo, expectantes contrito, & humili corde horam, quando ad percipiendum corporis, & sanguinis ejus mysterium admittamini. Quibus surgentibus, paululum interjecta mora, clamat Diaconus; psallite chori unanimiter, voce consona Domino jubilantes, eja. Et mox incipiunt omnes offerendam. Dextera Domini fecit virtutem cum versibus suis. Offerunt populi, & pœnitentes. Dicitur oratio super oblata.

Super oblata.

Ipse tibi, quæsumus, Domine, sancte Pater omnipotens Deus, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monstravit Jesus Christus Dominus noster: Qui tecum.

Canitur Præfatio. Vere dignum. Per Dominum nostrum.

Post hæc incipiunt agnus Dei, non tamen se osculantur. Et sic Pontifex lotis manibus venit ante altare, & communicat, primum quidem clerum secundum ordinem: deinde pœnitentes, postremo omnem populum loco, & gradu suo. Cantantibus choris *Communiones*. Dominus Jesus postquam cœnavit, *cum psalmo*, Deus stetit in synagoga. Et hoc corpus cum versibus psalmi. Calicem salutaris. Vota mea Domino reddam.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Post hæc Pontifex mittit unum de Presbyteris, qui vice sua dicat hanc orationem super pœnitentes, postquam communicaverint, antequam dicatur oratio ad complendum.

Oratio postquam communicaverint.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam Reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remissione omnium peccatorum in sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneant, & nullum damnationis æternæ sustineant detrimentum Per.

Post hæc dicitur oratio ad complendum.

Refecti vitalibus alimentis quæsumus Domine Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per Dominum.

Hac perorata clamat Diaconus: Ite Missa est. Tunc Pontifex revertitur in sacrarium cum ordine ministrorum sibi obsequentium, præcedente eum Acolytho cum chrismate. Et tunc si hora permiserit datur ipsum chrisma per manum Archidiaconi, tam legatis Monasteriorum ad hoc ipsum recipiendum missis, quam Presbyteris oppidanis atque vicanis. Sin autem, reservatur in crastinum. Similiter agitur de oleo ad baptizandos, & ad infirmos. Porro Missa finita invitantur per Vice-Dominum ad prandium Pontificis honoratiores quique qui ad stationem convenerunt, & omnes, si fieri potest, pœnitentes. Sin autem, pars illorum. Et peracta sunt omnia.

Similes Pœnitentiales ritus reconciliandi solenniter pœnitentes affert Morinus tres; duos videlicet ex Codicibus Thuanis, quorum unus pertinet ad Sæculum nonum, alter ad undecimum vel decimum. Tertium ex Codice Dyonisiano Sæculi decimi tertii. In duobus prioribus solùm occurrunt orationes deprecatoriæ. In Dyonisiano autem præter orationes deprecatorias Episcopi, quas habet in die cinerum ex pulpito super pœnitentes reperitur etiam hæc: *Absolvimus vos vice B. Petri Apostolorum Principis, cui collata est à Domino potestas ligandi atque solvendi, & quantum ad vos pertinet accusatio, & ad nos remissio, sit vobis omnipotens Deus vita & salus, & omnium peccatorum vestrorum pius indultor. Qui vivit & regnat Deus &c.* Econtra in Cœna Domini Reconciliatio hac forma in isto Codice Dyonisiano describitur:

Pœnitentes qui reconciliandi sunt & immittendi in Ecclesiam hora sexta sint parati ante Januas Ecclesiæ, ubi tamdiu expectent donec Episcopus veniat ad reconciliandum eos & absolvendum. Nona itaque pulsata & cantata pergat Episcopus ad Januas Ecclesiæ cum processione ad reconciliandos ipsos pœnitentes. Eoque sedente sint præsentes in atrio Ecclesiæ qui reconciliandi sunt. Stetque cum illis unus Archidiaconus indutus alba & stola, dicatque excelsa voce. State cum silentio audientes intente; & facto

facto silentio dicat ad Episcopum hunc sermonem.

Adest tempus, ò venerabilis Pontifex, votivum afflictis, congruum pœnitentibus, optabile tribulatis. Adsunt Filii tui, Pater, quos Deo per Spiritum Sanctum vera mater Ecclesia in lætitia peperit, sed iterum suadente Diabolo à sua integritate corruptos, miseros factos & exules, novis quotidie doloribus ingemiscit. Pro his suppliciter orant quicunque felices in sinu suo remanserunt, quique divina se protegente clementia in fide stabiles perstiterunt. Patet hodie, pater, & toto bonitatis tuæ impetu fluit nobis fons ille David patens in ablutionem menstruatæ, nulli improperans, nullum rejiciens, nullum excludens. Quamvis enim à divitiis supernæ pietatis nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium. Accepisti à Domino annulum discretionis & honoris, ut quæ signanda sunt signes, & quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt liges, quæ solvenda sunt solvas; atque credentibus per fidem Baptismatis; lapsis autem & pœnitentibus per ministerium reconciliationis januas Regni Cœlestis aperias. Lavant, atque lavant lachrymæ. Maria flevit & suscepta est. Negavit Apostolus, & quia flevit amarissimè, restitutus est. Publicanus de thelonio Apostolatum meruit. Latro de cruce Paradisum intravit. Susceptus est à Patre clementissimo filius ille minor, qui tamdiu porcos pavit, qui paternæ hæreditatis pretiosa stipendia infeliciter dissipavit. Inde est etiam quod hodie supplices tui, posteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum Cœlestium, & morum probabilium transgressione ceciderunt, humiliati atque prostrati prophetica voce clamant dicentes: Peccavimus cum patribus nostris, impiè egimus, iniquitatem fecimus. Manducaverunt sicut scriptum est panem doloris, lachrymis stratum rigaverunt. Cor suum luctu, corpus afflixerunt jejuniis ut animarum reciperent quam perdiderant sanitatem. Plorat cum istis; imo pro istis orare & plorare non desistit sancta mater Ecclesia, & lachrymæ ejus in maxillis ejus, quia tempus miserendi ejus. Moveat pietatem tuam, Pater, vox fidelis & flebilis, moveat gemitus & habitus ipse miserorum.

Hoc finito stet Episcopus in ostio Ecclesiæ, & dicat: *Venite*, & Diaconus ex parte pœnitentium: *Flectamus genua*. Tunc pœnitentes flectant genua. Quo facto dicat Diaconus ex parte Pontificis *levate*. Similiter agatur secundo repetente Episcopo *Venite*, subsequatur Diaconus ex parte Pœnitentium *Flectamus genua*, ut antea & sic ad medium pavimentum solo tenus, veniat, & Diaconus ex parte Episcopi, *levate*. Quando autem tertio annuntiaverit Dominus Episcopus *venite*. Prosequatur Diaconus ex parte pœnitentium *Flectamus genua*. Mox cum Diacono corruant pœnitentes ad pedes Episcopi, sicque jaceant prostrati, usque dum Dominus Episcopus Diacono suo innuat, & Diaconus statim dicat *levate*. Persequatur Chorus Antiphonam. *Venite, venite filii audite me, timorem Domini docebo vos. Psal.* Benedicam Dominum.

Tunc Episcopus verbum faciat ipsis pœnitentibus, idoneum videlicet ut reconciliati Sanctæ Ecclesiæ, ulterius non agant unde deinceps de ipsa Ecclesia Dei iterum ejici eos oporteat, sicque prostratos pœnitentes absolvat dicens has orationes.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Præsta quæsumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ reconciliati à cujus integritate deviarunt peccando, admissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per Christum.

Oremus. Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hos famulos tuos, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentes deprecatus exaudi. Renova in eis piissime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid Diabolica fraude violatum est. Miserere Domine gemituum, miserere lachrymarum, & non habentes fiduciam nisi in tua misericordia ad Sacramentum reconciliationis admitte, & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfecta remissione restitue. Per Christum.

Absolutio. Dominus Jesus Christus qui dixit Discipulis suis: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis, de quorum numero quamvis me Indignum & peccatorem, ministrum tamen esse voluit, intercedente Dei genitrice Maria, & beato Michaele Archangelo, & sancto Petro Apostolo; cui data est potestas ligandi atque solvendi, egregioque Joanne Evangelista, venerandoque Stephano protomartyre, & omnibus Sanctis, ipse vos absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis vestris, quæcunque aut cogitatione aut locutione, aut operatione negligenter egistis, atque à vinculis peccatorum vestrorum absolutos perducere dignetur ad regnum cœlorum, qui vivit.

Confirmatio Absolutionis. Absolutionem & remissionem omnium peccatorum vestrorum percipere mereamini hic & in ævum. Benedictio Dei Patris omnipotentis.

Post hæc erecti pœnitentes offerantur à Presbyteris Episcopo, ut ipse eos reconciliet Ecclesiæ, interrogetque per unumquemque. *Est dignus reconciliari?* Respondente Presbytero, *Dignus.* Ponat Episcopus manum unicuique super caput, dans ei pacis osculum & dicens Pax tecum, & sic intromittat eos in Ecclesiam. Quibus intromissis, cæteris qui sunt mediæ vel minoris pœnitentiæ intromittat dicens eis. Vos non per reconciliationem, sed per divinam pietatem recipimus intra sinum sanctæ Ecclesiæ, usque ad Octavum diem Pentecostes. Reconciliati ergo ad dexteram Ecclesiæ partem; non reconciliati, sed ad tempus recepti in Ecclesia, ad sinistram pergant: unicuique verò Episcopus aquam benedictam in facie spargat: Itemque absolutionem

nem faciat ante Altare Crucifixi cantando Antiphonam. *Cor mundum crea in me*, & Psal. *Miserere mei*, totum. Postea *Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Salvos fac servos.* Cætera ficut in præscriptis absolutionibus scripta sunt cum orationibus ibi pertinentibus. Facta absolutione portent etiam reconciliati singuli lumen quod secum attulerunt, & Altari Ecclesiæ repræsentent. Denique Episcopus cum processione pergat ad benedicendum novum ignem in quodam angulo Ecclesiæ, Diacono hastam cum cereo ferente in quo accendatur ignis.

§. XXXI.

POENITENTIALIA DUO JOANNIS JEJUNATORIS Sæculo sexto.

Pœnitentialia ista vindicavi à calumniis Basnagii in Præfatione. Sic autem habent:

Consequentia & ordo erga eos, qui peccata confitentur, observandus; à sancto Patre nostro Joanne Jejunatore compositus, & institutus.

Assumit Sacerdos peccata confessurum, & sistit eum coram altari, cantatque cum eo trisagion, & Psalmum sextum, Domine ne in furore tuo arguas me: Et Psalm. 24. Ad te Domine levavi animam meam: Et Psalmum 50. Miserere mei Deus secundum magnam. Kyrie eleison. Deinde glorificat. Postea recitat Psalmum 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates; Et Psalmum 69. Deus in adjutorium meum intende: & Psalmum 101. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus. Gloria, & dicitur Troparium toni quarti: Humilem animam meam visita. Aliud, Navigans pelagus. Ad Dei genitricem sedulo nunc confugiamus. Postea sequentem recitat orationem.

Domine Deus noster qui omnium pater es, & Dominus, qui omnia inspicis, & iis qui ad te per Pœnitentiam à peccatis propriis convertuntur, ea benigne & amanter remittis, qui Davidis prævaricantia misertus es per Confessionem, qui Ezechiæ lachrymanti, & facilitatem tuam in clementiam flectenti & exoranti vitam superaddidisti, qui Manassen pœnitentiam amplexum tantis malis liberasti: qui Petro & Meretrici per lachrymas veniam præbuisti: qui Publicanum gementem justificasti: qui Prodigo ulnas paternas aperuisti: qui omnes vis salvari, & ad veritatis cognitionem venire: qui lætaris super peccatore pœnitente, & non vis mortem peccatoris, ut convertatur & vivat. Ipse, Optime Servator, exaudi deprecationem meam, deprecationem indigni & inutilis servi tui, qui propter multitudinem iniquitatum mearum dignus non sum qui invocem Sanctissimum nomen tuum. Verùm quia Sacerdotii dignitate præditus sum, & secundum benignitatis tuæ mandatum confitentes tibi propria peccata suscipio, cum timore & tremore tibi supplico. Exaudi igitur me peccatorem secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & suscipe servum tuum N. confitentem: Et si aliquod ab eo peccatum perpetratum est, sive voluntarium, sive involuntarium, vel verbo, vel opere, vel cogitatione, ut benignus illud ne respice. Tu enim solus potestatem habes peccata remittendi, & tibi accedimus, teque rogamus, & laudamus glorificantes, cum Patre, & Sancto Spiritu nunc, &c.

Postea ipsum disponit & monet ut aperto capite, tres genuflexiones faciat, toties ipse simul genuflectens, & postquam surrexit; sic eum instituit, & catechizat.

Spiritualis fili: Ego confessionem tuam primario & præcipue non recipio, nec tibi Absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit, & per nostram vocem horum remissionem dispensat & largitur, sicut per propriam vocem ipse declaravit, cùm secundùm multam quæ exprimi non potest ejus misericordiam ita dixit: Quæcunque ligaveritis, aut solveritis super terram, erunt in cœlis, illa quidem ligata, hæc verò soluta. Revela igitur & declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ à te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris, & ipse occultorum cognitor delebit omnia quæ revelaveris, non solùm quæ antea facta sunt, & quæ nunc fiunt, sed etiam fient, & illuminabit mentem tuam per Sanctissimum Spiritum, teque docebit curare semper & loqui quæ ipsi placita sunt, dabit etiam tibi veram humilitatem, charitatem non fictam, longanimitatem malorum tolerantem, patientiam, & mansuetudinem, timorem purissimum immittet in cor tuum: Atque ut simpliciter & generaliter dicam, ad cujuscunque boni operationem te aptabit, & componet. Inclina igitur fili aurem tuam, & suaviter audi mandata Dei sic per sanctas scripturas dicentis, Convertimini ad me & sanabo contritiones & confusiones vestras. Et iterum, ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, quia mors non tardat. Et homo conversus à via iniquitatis suæ vita vivet, & non morietur & iniquitatum ejus non reminiscar. Et iterum, Confitemini Domino quoniam bonus. Et Confitemini alterutrum delicta vestra, & orate pro invicem ut sanemini. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Sic igitur per omnes scripturas admonitus, & ad participationem cœlestium & æternorum bonorum advocatus, attende ne post repudiationem iniquorum operum in eadem iterum te convertas, & assimileris cani ad proprium vomitum revertenti, & sui lotæ ad volutabrum cœni. Vide, fili, per gratiam Christi, quæ tibi prosunt exposui tibi, & nihil prætermisi eorum quæ conferunt ad utilitatem & salutem tuam. Cæterùm nihil procrastinans, aut erubescens enarra coram Deo, & sanctis Angelis. Licet enim hoc pudendum & probrosum tibi videatur, opera probris & pudori obnoxia revelare, attamen eximie & accurate tibi persuasum esto per præsentem pudorem te à futuro liberari, & mandatis obediendo non modo indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri. Per Christum Dominum nostrum cui sit gloria in sæcula. Amen.

Postea

Postea si vir est qui confitetur, monet eum ut caput aperiat, sicut dictum est, licet diadema gestet: Non autem si mulier: Si verò Abbas, cucullum qui super caput ejus est, deponere jubeat, deinde procidere ante altare, & dicere, Confiteor tibi Pater, Domine factor cœli & terræ, omnia occulta cordis mei. Postquam autem hæc verba protulit eum surgere jubet, & stare in una parte ingressus ad altare, ipse verò ei ad alterum latus adstat; & eum interrogat cum omni hilaritate & benignitate, ipsumque si possibile est, deosculatur, & manus confitentis proprio collo imponit, præsertim si videat ipsum intolerabili tristitia & pudore confectum quæ ei serviliter dominentur, ipsique mansueta & serena voce dicit.

Quomodo Domine frater vel soror, primùm virginitas tua corrupta est? Per fornicationem, vel legitimum matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum quæ sunt contra naturam. Consentientem verò & dicentem sic & sic, iterum ipsum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret: Num aliquæ ipsarum essent ancillæ, quot viduæ, & quot nuptæ: Num aliquæ Monachæ, & quot: Num aliquæ magnum habitum gestarent. Quæ enim parvum ut meretrices judicantur: quæ verò magnum ut nuptæ. Quodsi meretrices erant, quantæ, & quantæ Virgines.

Hæc in primis Confessorem oportet interrogare Confitentem: in universum simul in quutas incidit. Ante enim omnia numerus quæritur, & personarum differentia. Sex enim sunt differentiæ. Aliud est enim judicium servi, aliud liberæ: Aliud meretricis, aliud virginis: aliud viduæ, & aliud nuptæ: aliud Monachæ, & aliud virum sacratum habentis.

Similiter & de masculorum concubitu ipsum interrogare oportet, cujus criminis tres sunt differentiæ. Aliud est enim ab alio pati quod actione levius est: & aliud in alterum agere, quod τῷ pati gravius est, aliud pati ab altero, & in alterum agere, quod duabus prædictis differentiis gravius est. Nam pati solùm, vel agere solùm, tantum non est quantum pati & agere. Inquirere etiam oportet in quam harum differentiarum incidit, & quoties, & per quantum tempus: Et si antequam uxorem duxit, vel post eam ductam: Si ante ætatis triginta annos, aut postea hæc fecerit. Interrogandus præterea an bruta injerit, cujus una est differentia. Similiter, & de mollitie cujus duæ sunt differentiæ, una quæ propria manu suscitatur, altera quæ aliena quam Principes cum seipsis miserabiliter operantur, alios perdentes qui tantum scelus ab iis edocti sunt. Similiter & de perplexa, & admodum præstigiosa, & valde tenebrosa sanguinis permistione, cujus non est una, aut duæ, sed multæ & variæ differentiæ. Incidere enim in duas sorores, vel ex patre, vel ex matre, vel ex utroque, aliud est. Aliud quoque in Patruelem: Aliud in Patruelis filiam: Aliud in sponsam filii, aut fratris uxorem. Aliud in socrum & in consocrum; & aliud in novercam, aut aliquam Patris concubinarum. Quidam ad proprias usque matres procedunt. Aliud iterum cum propria filia spirituali, & aliud cum qua filiam in Baptismo suscepit. Scelus quidem masculorum concubitus multi etiam cum mulieribus ipsis perficiunt.

Sic etiam Inquirere eum oportet de cæde voluntaria & involuntaria. Si injuria, aut contumelia Parentes affecit, aut verberavit, vel conviciis & probris insectatus est. Si postquam bibit, aut comedit, communicavit, aut in quadragesima se polluit, aut mulieri commixtus indifferens & parvi momenti hoc existimans sancta mysteria sumpsit; aut clandestino matrimonio junctus est; aut impudica oscula, contrectationesque fecit, ipsum verò opus non perfecit, aut cum pueris sese corrupit, aut aliquem mercede frustravit: aut maledicentia læsit: aut injustè contumelia affecit: aut sanguinem, aut suffocatum, aut à belluis captum, & discerptum aut morticinum, aut ab avibus percussum comedit, aut in divinationibus, aut magiis, aut veneficiis deprehensus est. Atque etiam si hæresi ipsum cogitatio cepit, sive invidia & mali accepti recordatione adversus aliquem laborat, sive pejeravit, sive furatus est, aut aliena bona rapuit, aut depositum denegavit, aut falsum testimonium tulit, aut Sacerdotem contumeliose habuit, aut susceptorem. Atque ut absolutè dicam, de omnibus eum omni cum diligentia inquirere debet. Contingit enim quandoque, aliquem omne peccati genus aggredi & operari. Omnia igitur cum exquisierit, & diligenter consideraverit, debet ad singula quibus Confitentem assentiri audierit, dicere, Deus tibi indulgeat. Postquam autem omnia recensuerit, & Confessionem exceperit, Confitente infernè jacente, addet.

Dominus noster Jesus Christus Deus, indulgeat tibi omnia quæ in conspectu ejus nullitati meæ confessus es.

Alia solutio. Deus qui per Nathan Davidi propria peccata confitenti pepercit, & Petro abnegationem suam fortiter deflenti, & meretrici lacrymanti super immaculatos ipsius pedes, & Manassi, & Publicano, & Prodigo: qui dixit alterutrum confitemini peccata, ipse Salvator, & Dominus noster Jesus Christus remittat tibi & in hoc sæculo, & in futuro omnia quæ in ipsius conspectu parvitati meæ confessus es, & dignetur te ante tribunal suum sistere indemnatum, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Alia solutio. Deus qui propter nos homo factus est, & totius mundi peccata portavit. Ipse per optimam benignitatem suam hæc omnia, frater, suscipiet, quæ nunc coram ipso meæ indignitati declarasti, remittens tibi omnia, & in hoc sæculo, & in futuro, qui constanter vult & tribuit omnibus salutem, estque benedictus in sæcula. Amen.

Postea sic precatur. Deus Salvator noster qui per Prophetam tuum Nathan Davidi de propriis delictis Pœnitentiam agenti veniam largitus es, & Manassis Pœnitentis orationem suscepisti, ipse hunc servum tuum N. Pœnitentem, & Confitentem propria peccata suscipe consueta tibi miseratione. Tu enim Domine is es qui jussisti septuagies septies dimittere iis qui in peccata inciderunt. Quia sicut magnitudo tua, sic & misericordia

cordia tua. Tu quoque Deus es Pœnitentium, Pœnitentes super omnibus iniquitatibus nostris, tibique gloriam reddimus, Patri, & Filio, & Spiritu Sancto. Nunc.

Here Domine Deus, qui vocas justos ad sanctificationem, & peccatores ad eos justificandum, suscipe Pœnitentiam servi tui hujus N. & procidentem magnitudini tuæ in confessione eorum quæ peccavit benigne libera: & redime eum ex quocunque peccato carnali. Absterge eum ab omni conscientia sordidata, illustremque & splendidum redde: Purifica, & corrobora eum in operatione mandatorum tuorum: Dignum eum redde remissionis peccatorum suorum, ut per animæ & corporis purgationem Spiritus Sanctus in ipso inhabitans efficiat eum regni cœlorum hæredem, gratia, & misericordia, & benignitate unigeniti filii tui cum quo benedictus es, & cum omnifariam sancto & bono, & vivifico tuo Spiritu. Nunc.

Domine Deus salutis servorum tuorum, qui misericos & miserator es, longanimis, & multæ misericordiæ, quem malitiarum nostrarum pœnitet: qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; placare super servum tuum hunc N. & præbe illi peccatorum veniam, iniquitatum propitiationem, condonans illi omne delictum, sive voluntarium sive involuntarium. Reconciliare illi, & eum adunare sanctæ tuæ Ecclesiæ per Christum Jesum Dominum nostrum, cum quo tibi, potentia, magnitudo, & magnificentia, cum sanctissimo, & vivifico Spiritu. Nunc.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, Agne & Pastor qui tollis peccatum mundi, qui debitum gratiose donasti duobus debitoribus, & peccatrici, mulieri remissionem peccatorum dedisti, qui sanationem Paralytico cum remissione peccatorum largitus es: Ipse Domine parce, dimitte, condona, iniquitates, peccata, delicta, voluntaria, & involuntaria, sive scienter, sive ignoranter ab hoc servo tuo N. & inobedienter & cum prævaricatione perpetrata. Et si quid ut homo carnem gestans, & mundi incola à Diabolo deceptus, vel transgressus est, vel immoderate & contra rationem egit, sive verbo, sive opere, sive cum cognitione, sive cum ignorantia, sive ex animi proposito, sive maledictioni suppositus fuerit, sive in proprium anathema inciderit, vel jusjurandum, ipse ut benignus, & clemens, & malorum immemor Dominus ista præteriens, placeat tibi hunc verbo tuo absolvi, statimque illi condona & proprium anathema, & jusjurandum secundum inenarrabilem tuam clementiam. Here, Domine Deus noster exaudi me deprecantem bonitatem tuam, atque ut multùm misericors noli respicere omnia ejus peccata, eumque libera ab æterna punitione. Tu enim Domine dixisti, Si quem ligaveritis super terram; ligatus erit & in cœlis: Et si quem solveritis super terram, solutus erit & in cœlis: Quia tu es Deus omnis peccati expers, & peccata remittere potens, tibique gloriam reddimus Patrique, sine principio, Spirituique tuo omnimode sancto & vivifico, nunc & semper, & in sæcula.

Pater Domine ne tradas servum tuum hunc N. in manus Diaboli, ne hostes nostri prævaleant nobis. Trade in os ejus observationem mandatorum, & labiis ejus occultum sigillum ut dolose non loquatur; oculo superbo ab eo expulso, luxuriam & malitiam expurga ex animo ejus: Spiritus durus, & insolens, linguaque; dolosa ne sint in eo. Immitte Domine in mentem ejus spiritum bonum, eumque expia ab omni impuro spiritu: Averte, & ejice ab eo omnem miseriam: Remitte illi peccatorum omne debitum. Respice de cœlo, & eum exhilara; in te enim speravit, & corrobora eum virtute sancti tui Spiritus, neve permittas eum à Diabolo absorberi, & submergi, quia nos à morte æterna per gratiam Christi tui liberasti, cum quo & Spiritu Sancto tuo bono, & vivifico benedictus es, nunc.

Post hæc eum surgere jubens amanter amplectitur, & bono esse animo hortatur, dicens ei.

Ecce Dei voluntate homines amantis, & omnium salutem volentis, ad Pœnitentiam confugisti, & confessus, ab omnibus prioribus operibus tuis malis liberatus es. Ne igitur per incuriam divinorum præceptorum secundis malis te prostituas, ne sint tibi, secundum Evangelicum dictum, postrema pejora primis, quibus per Dei misericordiam redemptus es: sed studiose, & pro viribus contende dominica custodire præcepta, & saltem consequenter adipisci.

Postea sic dicit Sacerdos. Sapientia.
Lectio Prophetæ Ezechielis.

Hæc dicit Dominus omnipotens. Iniquus si averterit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit justitiam, & misericordiam: vita vivet, & non morietur. Omnia delicta ejus, quæcunque fecit, non memorabuntur: in sua justitia quam fecit, vivet. Numquid voluntate volam mortem iniqui, dicit Dominus, sicut averti ipsum à via sua pessima, & ipsum vivere? Cum autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit injustitiam secundum omnes iniquitates, quas fecit iniquus, omnes justitiæ ejus, quas fecit, non erunt in memoria: in delicto suo quo deliquit: & in peccatis suis quæ peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis non recte pergit via Domini. Audite nunc omnis domus Israel? Numquid via mea non recte pergit? Numquid via vestra recte pergit? In avertendo se justum à justitia sua, & faciet delictum, & morietur in delicto quod fecit, in ipso morietur. Et in avertendo se iniquum ab iniquitate sua, quam fecit, & faciet judicium, & justitiam: hic animam suam custodivit, & avertit se ab omnibus impietatibus suis, quas fecerat: vita vivet, & non morietur, dicit Dominus omnipotens.

Evangelium secundùm Lucam.

In illo tempore erant appropinquantes ei omnes Publicani & peccatores ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & perdiderit unam ex illis, non dimittit nonaginta novem

novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens? Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat? Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent Pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Et quum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Cum igitur trisagion persecerit, & iterum Troparia toni quarti, Humilem animam meam. Alia, Enavigans pelagus. Ad Dei genitricem sedulo nunc confugiamus. Postea cum ter dixit, Domine placatus esto: Similiter & hoc Domine parce, & Kyrie eleison imas, & Pœnitentis quadraginta factis utrique cessant. Suprascripta Officii consequentia peracta ipsi assidens dicit, fili quod vales observare? Pœnæ enim imponuntur secundum vires & voluntatem eas suscipientis, & non secundum peccatorum proportionem. Contingit enim qui pauca peccavit, cum animo est bono & prompto pœnas, sive epitimia magna libenter accipere, ut non modo peccatorum remissionem referat, sed etiam coronam: Istum verò qui multa peccavit, cum animo est remisso & segni, castigatione affici parum severa, ne pœnæ gravitate absorbeatur, & animo languens omnia deserat. Non enim jubemur gravia reddere levia, & gravia imponere. Suave est enim Christi jugum, & onus leve. Dijudicare enim debet amanter, & clementer differentiam, & personarum, & locorum, & scientiæ, & ignorantiæ, & in omnibus sanctorum Patrum scopum & mentem presse sectari: Sic enim ait S. Chrysostomus, Pœnitentia tempore non judicatur, sed animi dispositione. Magnus Basilius conformiter, ista tempore non judicamus, sed in modum formamque Pœnitentiæ mentem intendimus. Præterea humanissimus Chrysostomus Ninivitas multis non opus habuisse diebus ut Pœnitentiam agerent, sed tribus solis: Latronem verò ne quidem tot horarum, sed satis illi fuit ad Pœnitentiam illud temporis spatium quo verbum pronuntiavit, ita ut in momento Paradisum intraverit. Hæc igitur cognoscens ne accurate secundum Canones epitimia definias, sed secundum personæ qualitatem: sic autem cum viris te geres. Erga mulieres autem diligenti & accurata inquisitione uti debes. Procedunt enim ad usque magias & veneficia, & alia opera propudiosa, quorum vel meminisse horrendum est, nedum peragere. Polluunt quoque per menstrua sua consueta viros suos istorum ignaros. Cum autem confitentur permittere non oportet eas detecto esse capite. Hoc enim monitum viris datum est. Procedunt igitur mulieres usque ad varias cædes, non modo in conceptionibus suis, verum etiam in puerperiis. Eorum enim nonnullæ ope cujusdam herbæ singulis mensibus cædem patrant, ut ego humilis Dei servus miserandum hoc cum omnibus supra scriptis confessione excepi. Quapropter postquam hæc omnia percurrerit, eas interrogare oportet, & præsertim viduas & Monachaa quot puerulos occiderunt quot modis & qualibus hoc perpetrarunt. Aliud enim est pharmacum ebibere, quo fiat ut non amplius filios procreare possit, quod omnium gravissimum est: Aliud verò id per intrita quædam præstare, quod prædicto levius est. Istud verò, per herbas quasdam singulis mensibus fœtum excutere omni cæde perniciosius est, illique nisi desistat, ad mortem usque non communicare epitimum tribuitur. Mulieres cum ab Ecclesiis separatæ sunt, capitis inclinationes sine prostrationibus faciant. Nec hæc tantùm mulieres faciunt, sed etiam non secus ac viri polluuntur; illæ etiam quæ in virginitate degunt, & nullam qualemcunque viri experientiam habent. Hactenus de diligenti & accurata confitentium inquisitione, eorumque differentia.

Castigationes autem, earumque differentiæ eædem sunt. Quæcunque perpetrata sunt ante annum trigesimum sive à viris, sive à mulieribus, facile & celeriter condonentur, qualiacunque sint, ita ut duorum aut trium annorum pœnam non excedant, nisi cædes sit quælibet, magnaque aliqua sanguinis permistio, sive incestus. Eorum verò quæ post annum trigesimum perpetrantur, pœnæ in annum tertium & quartum extenduntur. Ubi vero cædes est una, aut plures, aut magnorum incestorum aliquod, veluti cum sorore germana, sive ex patre, sive ex matre, vel filii uxore, vel susceptrice, vel eorum qui duas sorores matrimonio aut contubernio sibi copulant, vel in novercas furunt, in annum duodecimum pœna prorogatur. Si verò filia potiatur quam de fonte suscepit, vel in propriam matrem, vel in propriam filiam, in annum usque decimum quintum. Si verò secundum naturam tantùm peccavit, nec in ea quæ præter naturam sunt incidit, nec in incesta qualiacunque sint, & quota, in annum aut sesquiannum puniri oportet. Si autem à mulieribus cædes variæ, & magiæ factæ sunt, vel usque ad ea quæ sunt præter naturam processum fuerit, ad octennium & decennium eas puniri oportet.

Has differentias, & punitiones de communione decernimus: peccatum enim omnium gravissimum est, indigne communicare. Istius rei à confitentibus interrogatio post omnium peccatorum confessionem nos fugerat, scilicet, an præconfessa operatus communicaverit. Cum dixerit ita: Maxime autem extra Pascha, hoc omnium pejus, licet offensa sit de minimis, veluti simplex peccatum; longior abstinentia immaculatæ communionis illi est imponenda.

Quod verò ad cibum, potum & orationem attinet, quantum uniuscujusque natura, ingenium, electio, virtus, & dispositio ferre poterit. Nos autem hactenus duabus differentiis usi sumus secundum quas agimus, & nobis confitentibus Pœnitentias imponimus. Qualenam illud sit? vel qualia peccata; si inter eos reponendus qui magna vel parva peccarunt: Antea enim diximus

ximus quod confitentibus, ut & confessoribus, levis est, & gravis pœnarum impositio. Nam certa & indubitata confitentis fides, & eorum quæ possidet distributio, quam beatus Apostolus alicubi Fidei fructum vocat; & confessoris selectum judicium, & cognitio, facilisque & compatiens accommodatio levia omnia decernit, sive cibum spectent, sive potum, sive communionem, præsertim si contingat confitentem ante confessionem à peccato destitisse, aut pollicetur se confessione facta destiturum. Multi enim confitentur, & de peccatis dolorem concipiunt & tristitiam; attamen vel natura, vel surreptione, vel mala & deliberata animi sententia, vel prava consuetudine iterum dejiciuntur, & in peccata incidunt. Igitur qui fuit ejusmodi semper confiteantur quoties ceciderunt. Si vero epitimia ipsorum compleverint, tot scilicet annos quot ab eo qui eos ligavit acceperunt, & velut his completis jam communicaturi sunt, si omnino sui ipsius miserentur, neque tunc communicent, sed differant, & reservent immaculatam communionem, donec peccare destiterint: Hujus enim rei causa solùm in die judicii misericordia digni censebuntur.

Cum verò nonnulli sunt qui præ habitudinis violentia seipsos à peccatis ne in ipsa quidem magna quadragesima continere possunt, cujusmodi sunt sæpe, etiam hi qui uxores habent, oportet & ipsos Pœnitentiis completis si transcant anni multi, nec habeant qua ratione communicent, eo quòd semper in peccata incidant, continere se à peccato saltem totam sanctam quadragesimam & cum timore & tremore tribus Pascbatis diebus communicare. Hoc autem hæsitanter dicimus, eo quod à spurcitiis carnalibus abstinere non possunt, non quod hoc fiat secundum aliam Canonicam communionis differentiam. Si verò in magna quadragesima qui tales sunt, in mollitiem inciderint, neque sic communicent. Si enim à S. Patribus decretum sit eos qui in miserandum illum animi morbum & perturbationem omnibus dominantem quem omnino derelinquere difficillimum, 40. tantùm diebus à communione arcendos esse, num multo magis erit in quadragesima observandum, cum id de cæteris & communibus anni diebus definierint?

Differentiæ servandæ in cibo, potu, & oratione.

Cum mea quidem sententia duæ sint, ut supra dixi, duæ quoque sunto Pœnitentiarum differentiæ, sicut humilis ego erga omnes ista usurpare soleo. Sæpius peccantes & infirmi, juvenes & senes, mulieres & viri, Monachi & Monachæ, præter eos qui sacris ordinibus imbuti sunt. Sacerdotes enim & Episcopi, & Diaconi qui in gradu sunt, vel earum uxores, ad peccatorum confessionem suscipiendi non sunt, nisi secundum Deum securitatem eorum confessoribus fecerint, quod si alicujus criminis rei sunt quod eos à sacris ordinibus exercendis prohibeat, non amplius sacris ministrare audebunt. Ejusmodi enim non datur Pœnitentia, qualiscunque illa sit, sive cibi, sive potus, nequidem omnino à communione abstinentia; sed sola à sacro ministerio cessatio. Nihil autem abdicat Sacerdotem Sacerdotii functione nisi alteri mulieri præterquam suæ misceatur. Si enim vel in unam solùm inciderit, sacrificandi potestate abdicatus est, licet martyrium decertaret, & mortuos suscitaret. Sunt autem aliæ nonnullæ contaminationes in quas si Sacerdos inciderit, & præsertim Monachus, vel eorum aliquis qui sine uxore consecrantur, à sacro ministerio ad tempus cessare debent, & iterum sacris operari. Sicut statuit Beatus Basilius de Diaconis, & Presbyteris sic dicens: Diaconus labiis pollutus, & eo usque se peccasse confitens, à sacro ministerio cohibebitur, communionis tamen cum Diaconis participatione dignus habebitur. Idem de Presbytero judicium. Si quis ultra peccasse deprebensus fuerit, in qualicunque sit gradu, deponatur. Quid verò hoc est, labiis esse pollutum? Hoc ego non scribo, licet illud probe sciam. Qui hoc perpetraverit, declarabit. Age tamen breviter pro viribus, & pro cognitione nostra dicemus de Sacerdotibus, de quibus jam verba fecimus, simul etiam & de iis qui ad Sacerdotium evehi merentur, nec non de Laicis, quousque nempe, & qualiter judicentur.

Viri vel mulieres qui sine necessitate, hoc est, nullo adigente timore humano, vel paupertate cum Ethnicorum corporibus sese contaminarunt: Illi quidem sine legitimis uxoribus mariti existentes; vel mulieres legitimis viris conjunctæ, tribus annis communione privandi sunt vice epitimiorum in cibo, potu, & oratione secundum quod aliquid ex his tribus elegerint, ut posthæc describetur. Qui verò legitimas habuerint uxores, vel uxores legitimos viros, quatuor vel quinque annis plectuntur, præsertim si contingat eos aliis succumbere peccatis. Si verò cum timore, & alterius potestate adacti, aut propter paupertatem annum aut duos puniuntor. Sacratorum vero mulieres, hoc est, Diaconorum & Presbyterorum, cum in hæc inciderint, triennium puniuntor, veluti quæ maritos suos occiderint: non enim amplius sacris ministeriis operabuntur, si postea cum mulieribus suis vel semel congredi voluerint. Sacerdotes & Diaconi si vel semel ceciderint, solumque casus fiat, nullomodo postea sacra administrabunt: communicent verò cum voluerint, & lectoris gradu potiantur, quæ lectoris sunt munia confidenter exercentes. Lector verò si ceciderit, vel ipsius uxor, ultra lectoris gradum promoveri non poterit, sed permanebit non amplius promovendus. Si verò quis puer vel sæcularis, vel Monachus, vel etiam Clericus, sive Lector, ab aliquo corruptus est, si solùm intra coxas, epitimio castigandus est, maximè si semel & bis hoc contigit. Quod si ultra hoc aliquid in ipsum perpetratum est, hoc est, in posteriora, nullomodo ad Diaconi, vel Sacerdotis dignitatem perveniet. Licet enim ipse non peccaverit, vas tamen ipsius disruptum est, & non licet ipsi sacra ministrare, est enim pollutus. Si in mollitiem inciderit ante consecrationem, nesciens quid hoc esset, & quod hoc prohibet ipsum à Sacerdotii susceptione, vel propter ignorantiam, vel quod sic ab animarum corruptore & ignorante edoctus fuerit: Vir tamen est vel sapiens, vel pius, vel utrumque, pu-

niatur prius, pœnaque exoluta sacerdotio dignus habeatur. Quodsi post sacrum ministerium susceptum in hoc crimine ea ratione quam prædiximus, deprehensus est, vel propter ignorantiam, vel quod hoc non esse malum ab aliquo animarum corruptore edoctus sit, unius anni pœnitentiam accipiat à sacro ministerio abstinens, & sic postmodum sacris operetur. Quodsi bis terve hoc iteraverit, non amplius sacris ministret, sed in Lectoris ordinem descendat. Si quis furta capitalia furatus fuerit, sacrum ministerium non adipiscatur. Similiter si post adeptum sacerdotium hoc perpetraverit, non amplius sacrificet. Eadem esto ratio eorum qui sacro ministerio non initiati furantur, sacerdotium nunquam assequantur, sed fornicantium pœnitentia plectantur.

Decem sunt apud me confitentium species à se invicem differentes. Alius pauculum, & uno modo, peccavit, & sponte pœnitet: Alius sæpius, & multis modis: Alius secundum naturam, & uno forsan modo, sed in eo perseveravit, et iam usque ad senectutem: Alius præter naturam peccavit, statim verò resipuit, & abstinuit propter Dei timorem: Alius qui infirmitate actus, vel calamitatis circumstantia ad confessionem se accingit, vel in ipsa morte confitetur, & moritur: Alius qui à peccato cessavit, qualecunque illud fuerit, & postea sic peccata confitetur: Alius qui ad confessionem usque peccat, sed confessione facta abstinet: Alius qui peccata quidem confitetur, sed ab iis abstinere non valet, aut non vult: Alius qui pollicetur quidem ab omnibus peccatis se abstenturum; sed in una specie hoc non potest. Alii verò qui in militia, & necessitate, aut timore, vel dono, vel insolentia, vel aliis variis modis peccantes confitentur. Ejusmodi inquirere oportet, si personarum & differentiarum quantitatem definire possint, vel non. Qui enim hoc definire nequit, ut luxui & intemperiei deditus judicatur. Illi autem omnes, & eorum unusquisque dijudicatur, prout in unoquoque ex illis decem modis se peccasse confitetur. Declarare debet in quot personas incidit, hoc est, in quot mulieres: similiter & mulieres. Tunc qui confessionem eorum Deo adjuvante excipit, interroget eos quales ex jam enumeratis sex fornicationis differentiis sunt personæ, hoc est, quot meretrices, quot viduæ, quot ancillæ, quot parvum habitum monachi cum indutæ, quot magnum, quot sacratæ, hoc est Presbyteræ, & Diaconorum uxores. Parvi enim habitus Monachæ & lectorum uxores, ut meretrices judicantur; magni verò habitus Monachæ ut nuptæ. Cùm verò confitentes istorum differentias & quantitates declaraverint, & quantum temporis in ista parva animi affectione contriverint: Atque si aliquæ ex ipsis pepererunt, vel non: Si essent illis uxores, vel non: si secundum naturam, aut utroque modo: si ante triginta annos, aut postea, vel utroque modo: si semel, vel bis, vel ter, aut sæpius: si destiterunt, vel ad senectutem usque & diem illum in quo confitentur peccaverunt, vel jam deficerant.

Postquam differentiarum istarum interrogationem finierit, eos iterum de incestis omnibus interrogabit. Nunquid aliquando in cognatas & affines, inciderint. Si deprehenderit eos in aliquid ejusmodi incidisse, interrogabit an iterum converterint se à secundo gradu propinquitatis ad primum, vel non. Hoc enim pejus est. Postea sic eos interrogare de iis quæ contra naturam perpetrantur: an ceciderint vel in virum, vel in puerum, vel in jumentum, vel in volatile, vel in puellulam ante sextum decimum annum. Postea progredietur ad interrogationem de cæde voluntaria, & involuntaria, simul & de gravi & duplici illa mollitie. Cum autem Pœnitentem de his omnibus rectè scrutatus fuerit, tum ad vires ejus animum convertet, præsertim ad compunctionem, & humilitatem, ad lachrymas, ad eleemosynam quam se posse Deo dare fatetur. Tandem Fidei fervorem & propositum considerabit, dabitque ei scriptum ipsius mandatum, hoc est, pœnitentiam. Quod ad communionem attinet, ut supra dictum est, abstinebitur ab ea per spatium unius anni, duorum, trium, 4. 5. usque ad sextum, & septimum, postea concedetur. Quod ad cibum & potum attinet ut ferunt uniuscuiusque natura & vires. Quod verò ad Liturgiam, cum Catechumenis exire è templo, & in Narthece stare jubentor: In vesperis verò, & matutinis officiis & aliis liberum omnino erit illis stare in templo ubi voluerint. Cum verò Pœnitens voluerit, in Nativitate Christi, & in Epiphania, & tribus Paschatis diebus, videlicet magna feria quinta, & magno Sabbato, & magna Dominica, & cum Sanctorum Apostolorum memoria celebratur, aliquid communionis participare potest, Epiphaniæ scilicet sanctificationem, & sic Pœnitentiam illis diebus relaxari. Monachis quidem caseum & ova, aliis verò etiam carnem. Tres autem sunt apud me hujus rei differentiæ. Quæ cibum & potum spectant omnibus impono. Eadem autem indifferentia, & comparatio, & discretio, & judicium in mulieribus & viris esse debet, sive sæculares, sive Monachi, sed excipiendi sunt servi & ancillæ. Servi enim & ancillæ secundum divinorum Canonum decreta mediam tantùm Pœnitentiarum partem quæ Dominis imponi solet, suscipere tenentur, eo quod in sua non sint potestate.

Hæc est igitur prima castigationis & Pœnitentiarum omnibus, si servos & ancillas excipias à me data definitio Feria 2. & 4. & Parasceve oleum comedere, & legumina cum oleribus tantùm: Abstinere verò à caseo, ovo, & carne, & piscibus: Tertia verò & quinta omnia libere comedere præter carnem: Sabbato verò & Dominica in cibo & potu nullo quocunque modo puniri, sed in omnibus liberum esse, non secus ac illi qui nullo epitimio tenentur, hoc est, in vino, in carne, & reliquis omnibus. Eadem ratio erit in omnibus festis Dominicis, & sanctissimæ Dei genitricis, & duodecim Apostolorum cujuscunque nomen sortiatur, & qualiscunque sit dies; Pœnitentiam multatus liber esse debet in esu & potu: neque in ejusmodi festis feriam quartam, aut Parasceven observabit. Similiter & in festo Joannis Baptistæ, & dodecaemero, & Paschatis septimana, & quæ Pentecosten sequitur, quam Sancti Spiritus septimanam vocamus, dies quoque

que ab Anti-Paschate, sive Dominica in Albis, usque ad Pentecostem, oportet esse omnibus modis liberas, præter 4. & 6. ferias quorum abstinentia est unius modi, sæcularium à carnibus, Monachorum à caseo & ovis. Duabus insuper hebdomadibus, abstinentiæ carnalis & denuntiationis, hoc est, sexagesimæ & quæ eam precedit, ab omnibus Pœnitentiis liberari debent, Monachi ab abstinentia casei, & ovorum, sæculares carnis, præter earum 4. & 6. ferias. Illas enim, si possibile est, omnino puras tenere oportet, etiam sine piscibus, & in iis usque ad vesperam jejunare. Definitum est enim à divino Canone nunquam licere ut dictum est, præterquam in festis & dodecaemero, & Pentecoste jejunium solvere, ne quidem propter amicum qualemcunque: nescio an propter infirmitatem, aut insignem aliam circumstantiam. Semper autem convenit Pœnitentia affectos, si possibile est, vini determinatam quantitatem habere, exceptis sabbatis, Dominicis & festis. Tunc autem non concedatur feriis 2. 4. & 6. vini libram unam bibere. Si verò quis potest omnino tribus illis diebus abstinere à vino mercedem magnam reportabit. Attamen uniuscuiusque natura, ingenium, mores, & habitudo ab eo qui ipsius confessionem suscipit, dijudicari, & definiri poterit etiam ultra mensuram. Decernimus autem sæcularibus ut à carne abstineant duabus quadragesimis, sancti scilicet Philippi, & sanctorum 12. Apostolorum; Monachis verò ut à caseo & ovis, præter Præcursoris festum in quo sol ad nos convertitur: Si tamen voluerint, & petierint Sancta Sanctorum participent. In magna autem quadragesima, si fieri potest, à piscibus sæculares abstinebunt præter sabbata & Dominicas, oleo verò Monachi. Si verò hoc non elegerint, tum tertia feria & quinta tantùm illis pisces relaxabuntur, his verò oleum. Si decumbant, nescio an fieri possit, ut vinum non bibant exceptis sabbatis & Dominicis. Si autem urget eos pusillanimitatis necessitas, vel lætitiæ amor, aut aliarum multarum causarum rationabilium, & abstinentiam illam admittere nolent, tum omnes qui Pœnitentiam agere sibi proponunt, 2. 4. & 6. feriis ne vinum quidem gustabunt, & præsertim tota prima hebdomada nullum omnino vinum bibent. Ultimæ autem & magnæ hebdomadæ sancta die quinta solum pauculum aliquid vini licebit illis bibere. Prima autem ista definitio & aliorum, & totius temporis differentias apud me complectitur.

Secunda definitio est ejusmodi. Si Pœnitentia multati non possunt, potius verò si nolunt primæ definitioni aquiescere, 4. & 6. ferias omnifariam transigant puras & illibatas: hoc est, sæculares carnem & caseum, & ovum, & pisces ne gustent, præter oleum, legumina, & olera; Monachi verò, nisi infirmi sint, neque oleum. Cæteri verò 5. septimanæ dies sint illis in omnibus & secundum omnia liberi, ita unusquisque juxta professionem, & conditionem suam comedat, hoc est, sæculares, in omnibus relaxentur, ad caseum usque, lac, & ovum.

Tertia definitio quæ ex necessitate & indigentia proficiscitur, est ejusmodi. Si neque sic ista amplectantur, vel propter deliciarum amorem, vel vanam gloriam, vel infirmitatem, duos illos dies septimanæ, ut dictum est, puros & illibatos toto Pœnitentiæ tempore ita observent, ut oleum comedant Monachi, sæculares verò pisces. Non sum nescius, me propter istam œconomiam & dispensationem nimium humanæ infirmitati compatientem à Deo communi omnium judice condemnandum fore. Sed tamen melius mihi est in ejusmodi sic judicari, quàm ut inhumanus & austerus laudari. Tres insuper tota die orationes facient, mane & cum comesturi sunt, & in hora cœnæ, & cum dormitum secedent. In unaquaque autem oratione qui sciunt, dicent Psalm. 8. trisagion, Pater noster; Kyrie eleison centies, Deus propitius esto mihi peccatori octies, & Pœnitentias facient octo. Quibus hoc non placuerit, aut qui non potuerint, dimidiam istorum partem facient. Qui verò ne hoc quidem, tertiam partem. Omnibus autem Sabbatis & Dominicis, & Festis, & dodecaemero similiter & diebus qui Pascha sequuntur usque ad festum omnium Sanctorum sive Dominicam Trinitatis, in orationibus genua non flectent, sed sese tantùm leviter inclinabunt.

Hæ sunt definitiones epitimiorum levissimorum quidem & nimia relaxatione facillimorum à me traditorum. Istius discretionis & moderationis auxilium dedit nobis magnus Basilius dicens: Hæc omnia scribimus, ut Pœnitentiæ fructus probemus: Non enim omnino ista tempore judicamus, sed attendimus ad modum & formam Pœnitentiæ. Cui autem Dei clementia potestatem credidit solvendi & ligandi, auctoritatem quoque habet, si humanitate uti velit, videns in peccatore Confessionis & Pœnitentiæ excessum, minuendi pœnarum tempus, nec ideo erit condemnationi obnoxius; historia sacra nobis notum faciente, eos qui majore cum labore peccata confitentur, celerius Dei misericordiam consequi. Si verò aliqui à propriis moribus difficillime avelli possint, & voluptatibus malunt quàm Deo servire, vitamque, secundum Evangelium non suscipiunt, nullus est nobis cum ipsis sermo communis. Nos enim edocti sumus audire, in populo inobediente & contradicente, servando serva tuam ipsius animam. Non igitur consentiemus una cum alienis peccatis perire, sed grave Dei judicium reformidantes, & tremendam illam diem præ oculis habentes cum illis perire ne velimus. Optimo Deo nostro gloria sit in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio super eum, qui à Sacerdote ligatus est, cum absolvitur.

Misericors, benigne, & clemens Domine, qui secundum misericordiam tuam misisti unigenitum tuum in mundum, ut confringeret, quod erat adversum nos chirographum, & solveret vincula eorum qui sub peccato vincti erant, & prædicaret captivis dimissionem, stimulum mortis perimens: Tu Domine libera benignitate tua hunc præsentem servum tuum N. à jugo cui subjacet, & relaxa hoc ipsi impositum jugum; & largire ipsi, ut omni tempore & loco confidenter possit

possit sine peccato, & cum pura conscientia majestatem tuam adire, & misericordiæ tuæ divitias exorare; quia misericors, & clemens es Deus, tibique gloriam remittimus. Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper & in &c.

IOANNIS MONACHI Patriarchæ Constantinopolitani, Jejunatoris dicti, ad eos qui peccatorum confessionem Patri suo spiritali edituri sunt, sermo.

Dominus noster Jesus Christus, Unigenitus Dei Filius, qui propter peccatorum salutem homo factus est, cognoscens naturæ nostræ lubricum, lapsibus variis obnoxium, & quod mens hominis à juventute sua perpetuo & solicite inclinat in res malas, nullo modo eorum curam deseruit, sed legem eis ad auxilium dedit, Angelos custodes præposuit, Prophetas, Apostolos, Episcopos, Presbyteros, Doctores misit ad eos spiritales doctrinas edocendos. Monachos insuper ad exhortandum, ad confessiones apud ipsos cum Pœnitentia edendum, ut nullam obtrectatur, & hostis noster adversum nos noxæ inferendæ occasionem inveniat, neve nos post casum in desperationem salutis, laqueis & tendiculis suis inducat, & irretiat, sed intra salutis portum Deus dirigat. Iis enim qui ad ipsum ex toto corde, & sincero proposito convertuntur, occurrit, & eos in ulnis amplectens deosculatur, & suscipit, ut Prodigum, ut Latronem, ut Meretricem, qui peccatoris mortem non vult, ut eorum conversionem, & vitam. Quum igitur fratres tam multis testimoniis abundemus, tam ex veteri quam ex novo Testamento, quæ nos ut salutis nostræ curam agamus admonent, confugiamus ad Deum nostrum in confessione, quia omnes peccatores, ut saluti suæ consulant, exhortatur, cosque per Prophetam Joel ad Pœnitentiam provocans alta voce exclamat dicens, Convertimini ad me ex toto corde vestro, & rumpite corda vestra, non autem vestimenta vestra. Et per Isajam. Lavamini, & puri estote, tollite peccata de animabus vestris: Et per alium iterum dicit, dic tu primum peccata tua, ut justificeris. Iterumque, justus sui ipsius est accusator in contradictione: Et per Ezechielem, Vivo ego, dicit Dominus; Nolo mortem peccatoris, ut convertatur, & ipse vivat: Et per Davidem: Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Et iterum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Et iterum, Cogitatio hominia confitebitur tibi: Et per Jacobum fratrem Domini, Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini. Sic & alibi. Numquid qui cadit non resurget? Et iterum, Exurge qui dormis ab incuria tua, & resurge à mortuis & desperatione, & illuminabit te Christus, qui sol est non occumbens, qui tenebris obruta luce perfundit.

Talem igitur, dilecti, habentes Dominum injuriarum tolerantem, minime iracundum, compatientem, bonorum amantem, malorum immemorem, ad misericordiam adeo proclivem, ne erubescamus ante tremendum & terribile illud judicium peccata nostra viris spiritualibus publicare: scriptum est enim, est pudor adducens peccatum, & est pudor gratia & gloria. Sciens enim Servator & Deus noster, quod juvenes baptizati, dum ætate provehimur, per peccata contaminamus tunicam ex aqua & spiritu nobis contextam, tunicam immortalitatis; dedit nobis facultatem iterum eam secundùm familiarem sibi bonitatem per confessionem & pœnitentiam repurgandi, & illustrandi, ut antiquam dignitatem recuperemus, & per brevem & momentaneam hanc erubescentiam effugiamus eam, quæ coram Angelis & hominibus futura est, cum Deus unicuique reddet secundum opera ejus. Non enim tibi promisit Christus impeccabilem aliquem, cui confiteris, vel Angelum, vel justum, purumque atque ab omni parte intactum, ut ipsius examen & severam inquisitionem timeas & refugias: sed hominem peccatorem iisdem quibus tu animi affectibus obnoxium, ut per hanc præsentem erubescentiam à futura & æterna redimaris. Hæc igitur animo revolvens considera, & ad calculum revoca, dilecte, quæ fecisti, quæ noctu, quæ interdiu, quæ sciens, quæ ignorans: Omnia coram Christo & electis ejus Angelis nihil pudore reticens aut contrahens, confidenter mihi peccatori confitere.

Debet autem, qui confitetur, tres Pœnitentias facere in introitu sancti altaris, terque dicere, Confitebor tibi, pater, Domine Deus cœli & terræ omnia, quæ in abscondito cordis mei sunt. His dictis, eum erigit confessor, & utroque stante Confessor cum interrogare debet cum omni hilaritate, ipsumque si fieri potest deosculari, manusque ejus, præsertim si viderit eum animo dejectum & intolerabilem aliquam tristitiam & pudorem ipsi dominantem, voce mansueta & serena sic alloquetur

De fide, de sacrilegio, de hæresi, de blasphemia, de virginis corruptione, de communione sacrilega, de quantitate mulierum, de fornicatione, de adulterio, de uxore Sacerdotis, de Moniali magni habitus, de Moniali parvi habitus, de Diaconissa, de incestu, de insano masculorum cum fœminis concubitu, de coitu cum brutis, cum volatilibus, de mollitie, de confrictione, de tactu alieno, de congressu Eunuchi, de irrationali concubitu masculorum animalium, de iis, qui cum non baptizatis copulantur, de raptu puellæ, de iis qui extra vas genitale, de copula cum ancilla sua, de osculo corporis muliebris, de desiderio privationis filiorum, de abortu, de Pharmacis componendis ad impediendam conceptionem, de mollitie alterius ope excita, de magia, de aruspicina, de divinatione, de Gonorrhea, de Pharmacis mortalibus, de oris ornamentis, & vultu muliebri fucato, de avellentibus sibi pilos, de impedientibus matres, ne infantes lactent, & educent, de vinculo & solutione magica, de invidia, de detractatione, de accusatione, de mendacio, de furto, de sepulchrorum effossoribus, de vestimentorum spoliatione iis facta, de dolo, de injuria Sacerdoti illata, de injuria spirituali Patri illata, de Parricidio, de sordibus, & inquinamentis, de rerum pollutarum esu, de rapina animalium, de ebrietate, de sanguine suffocati cujuscunque,

cunque, de contemptu Pauperis, de cibo morticino, de suffocatis, de rapina cujuscunque rei, de malorum & injuriarum memoria, de superbia, de vana gloria, de casu & morte hostium, de condemnatione, de animi inflatione & elatione, de misanthropia, de intemperantia & petulantia, de argenti cupiditate, de ventris ingluvie, de animi duritie, & misericordia, de iis qui non jejunant sabbatis de diebus Dominicis, de saltantibus cum cantilenis & choros agitantibus, de facientibus Satanicos lusus, de tibiis, & omni specie instrumenti musici, de lenonibus, de mutuo dante ad usuram, de mercede Mercenarii, de iis, qui statera fraudulente utuntur, de iis qui sibi violentas manus inferunt, de iis qui aquas augendæ rei suæ gratia miscent, de iis qui monumenta struunt mortem sibi inferentibus, de iis qui in alios malevolo sunt animo, & repentina morte iis obeuntibus imprecantur, de iis qui gestant amuleta, de incendiario, de moventibus terminos agrorum, de eo qui clam auscultatur, & ex improviso, & audita suspiciose refert, de iis qui Eunuchos faciunt, de iis qui falsum testimonium perhibent, de iis qui prostibula adeunt, de iis qui abeunt ad divinos, de iis qui atrociter tractant servos suos, de iis qui alios iniquitatem docent, de iis qui falsis subscriptionibus abutuntur.

Postquam eum vel eam interrogavit, tum detegit eum etiamsi diadema gerat, non autem si mulier.

Oratio. Deus Salvator noster, qui per Prophetam tuum Natham David de propriis peccatis Pœnitentiam agenti veniam tribuisti, & Manassis Pœnitentis orationem suscepisti, ipse hunc servum tuum N. de propriis peccatis Pœnitentiam agentem suscipe consueta tibi miseratione, dissimulans & non animadvertens ipsius peccata. Tu enim is es Domine qui septies septuagies parcere jussisti incidentibus in peccata: Quia sicut magnitudo tua, ita & misericordia tua, tuque es Deus, Deus Pœnitentium, & Pœnitens in omnibus iniquitatibus nostris, tibique gloriam reddimus, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Oratio. Ipse igitur Servator noster, & Dominus Jesus Christus dimittat tibi omnia quæ coram ipso meæ exiguitati confessus es, & in hoc seculo, & in futuro, & dignetur te indemnatum sistere coram tribunali suo, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Oratio. Domine Deus noster qui Petro & meretrici per lachrymas remissionem peccatorum donasti, & Publicanum propria delicta agnoscentem justificasti, suscipe confessionem servi tui hujus N. Et si aliquod ab ipso perpetratum est peccatum voluntarium aut involuntarium, verbo, aut opere, aut cogitatione, ut bonus & clemens ne animadvertas. Tu enim solus potestatem habes ut misericors peccata dimittendi, quia benignus, & hominum amator es, & tibi gloriam reddimus Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Oratio alia ad solvendum confitentem postquam Pœnitentiæ tempus complevit.

Domine Deus noster qui portis clausis discipulis tuis adsuisti, donansque illis pacem dixisti, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta erunt. Ipse Domine, secundum invisibilem & omnipotentem curam qua omnia administras, inspice super servum tuum hunc, & corporis ipsius maculas, sordesque animæ propter quas in peccata incidit, per os meum, quamvis peccator sim, dissolve; & qui per Canonem ligatus est, solutus sit à Canone & à peccato, quo constringitur per gratiam, & misericordiam tuam, quia sanctum nomen tuum benedicitur, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Postquam eum erexit à terra, & caput tegere jussit, cum ipso considere debet, & interrogare, quodnam mandatum servare potest. Non enim Pœnitentiam imponens, quam libuerit, Pœnitentiam illi dare debet; neque quod decet, & peccata postulant, sed quod servare eligit Pœnitentiam suscipiens. Quia non secundum peccatorum proportionem imponuntur epitimia à benignis, misericordibus, & Christi imitatoribus, qui recte possunt dijudicare personam, naturam, horam, locum, ignorantiam, juventutem, senectutem; sed juxta qualem dixi comparationem & discretionem quam instituere debet qui hæc dijudicaturus est, analogice ad personam, horam, & naturam confitentis. Contingit enim, eum qui pauca peccavit, bono esse & prompto animo & magnam accipere Pœnitentiam, ut non modo malorum remissionem consequatur, sed etiam coronam; cum verò qui multa peccavit remisso & segni esse animo, lenique affici Pœnitentia, ne gravitate Pœnitentiæ cum animi segnitia & debilitate conjuncta deserat omnia. Non enim jubemur gravia efficere levia, & gravia imponere: Suave est enim Domini jugum, & onus leve. Venite enim, inquit, ad me, & ego dabo vobis requiem: Contingit iterum aliquem in parva peccata, vel in multa, sed minora incidere, pluribusque annis epitimia jam exercentem, majorem tamen accipere Pœnitentiam eo, qui magna & gravia crimina peccavit, huncque etiam propter Dei timorem quo afficitur, celerius proficere & peccata deserere. Non enim æstimatur Pœnitentia, sed animi dispositio, ut ait magnus Basilius, quod tempore non judicamus ejusmodi confitentem sed modum Pœnitentiæ attendimus. Nam cui per Dei misericordiam hæc concredita sunt, potestatem habet animam illam humanius tractandi. Nos jussu Spiritus Sancti scripsimus in diminutionem temporis Pœnitentiarum. Non erit hoc condemnatio dignitatis & meriti confessionis peccatorum tuorum, sicut & Chrysostomus dicit, quod Ninivitæ non multis indiguerunt diebus, sed tribus solùm. Sed latro ne quidem tribus, sed nec uno die, at quantum quis ut unum verbum proferat, pronuntians, viam ad Paradisum confecit. Hæc à nobis dicta sunto propter eos, qui insulse Pœnitentias aggravant, & in omnes secundum divinorum Canonum definitionem eas accipiunt & interpretantur, non recte neque juste, sed inhumanitus, imprudenter, & ignoranter ista se facere profitentes. Atque hæc de viris.

Mulieres autem de pluribus inquirendæ sunt quàm de iis quæ pro viris scripta sunt. Procedunt enim usque ad veneficia & Magias quæ dicere horrendum, nedum exequi, atque etiam usque ad varias cædes, in conceptionibus, & in ipso perfecto partu. Eorum enim aliquæ circa mensem completum cædem perpetrant, ut ego humilis post hæc omnia scripta, accepi eas miserandum hoc facinus unoquoque mense per herbas perpetrare. Diligenter inquirendæ mulieres, ut dixi: Postquam enim omnia peccata sua, ut viri, confessæ fuerint, interrogentur & de hoc, quot infantulos occiderunt, & quomodo, præsertim si viduæ fuerint, & Monachæ. Aliud enim est pharmacum facere, ut filios non amplius procreent, quod omnium gravissimum est, non novit enim quot erat paritura. Aliud verò hoc præstare per contusionem vel intrita quædam quod alio levius est. Singulis autem mensibus ope cujusdam herbæ Embryon occidere omnino est perniciosum, & omni cæde sanguinolentius, cui etiam ad mortem usque Epitimium decernitur, nisi abstineat. Atque hæc de diligenti inquisitione, & differentia confessionum, & de ratione qua quæcunque facta sunt, confiteri oportet.

Castigationes & Pœnitentiarum differentiæ istæ sunt. Quæ facta sunt, tam à viris quàm à mulieribus ante annum ætatis trigesimum, facile remittuntur, & donantur, qualiacunque sint, ita ut eorum castigatio, sit velut trium aut duorum annorum, nisi cædes sit qualiscunque, aut magnus quidam incestus. Si verò post triginta annos, usque ad tertium aut quartum annum pœnæ prorogantur. Ubi vero interest cædes una aut plures, vel magnorum incestorum aliquod, veluti cum germana sorore, vel uxore filii, vel usque ad quartum & quintum. Si vero potiatur commatre, aut filia quam in Baptismo susceperat, aut matris ejus, usque ad quintum aut sextum annum. Si vero quis secundum naturam peccavit, non incidit autem in ea quæ contra naturam sunt, neque in incesta qualia & quantacunque fuerint, anno uno aut duobus tantùm puniatur. Hæc equidem erga eos qui bis quibuscunque abusi fuerint, & in iis sæpius ad senectutem usque perseveraverint. At si semel, vel bis, vel ter id fecerint, & destiterint, qualiacunque ista fuerint, annum unum, vel sesquiannum puniantur. Si vero à mulieribus diversæ cædes & magiæ factæ fuerint, & ad ea usque quæ contra naturam sunt, progressæ fuerint, protrahantur eorum Pœnitentiæ ad annum usque octavum aut etiam decimum.

Has castigationum differentias de communione definimus; omnium enim peccatorum gravissimum est indigne communicare, quod nos effugerat. Interrogare igitur oportet confitentes post exactam peccatorum confessionem, num quid cum omnia confessa perpetrasset, communicavit? Quodsi dixerit, ita communicavi, & extra Paschatis tempus: hoc omnium pejus est, licet in minimis peccatis contigerit, mereturque diuturniorem immaculatæ communionis abstinentiam.

Quod ad cibi potusque abstinentiam attinet, imperanda est prout uniuscujusque natura ferre potest. Nos vero interim duas differentias constituimus, secundum quas agimus, & Pœnitentiam damus iis, qui peccata sua qualiacunque sint, sive magna, sive parva peccaverint, nobis confitentur. Supra diximus quod confitentibus & eos suscipientibus Pœnitentiarum distributio duplex est, levis & gravis. Pura enim continua & indubitata confitentis fides, & eorum quæ possidet cum egentibus communicatio, quam beatus Apostolus Paulus fructum Fidei dicit, & prudentia scientiaque confessoris hæc bene discernens & distinguens, ipsiusque compatiens dispensatio & accommodatio omnia levia novit & decernit, sive cibum, sive potum, sive orationem, sive communionem spectent, præsertim si contingat confitentem ante confessionem à peccando abstinuisse, aut post confessionem pollicetur se abstenturum. Multi enim sunt, qui confitentur, & tristantur, & resipiscunt, attamen vel natura, vel arte furtiva inimici, vel prava opinione, vel mala consuetudine illecti, iterum labuntur, & in peccata incidunt. Qui hujusmodi sunt, semper confiteantur quoties ceciderint. Si autem post completas Pœnitentias sibi impositas jam communicaturi erant, neque tum communicent. Si vero eorum omnino miserentur, qui confessionem excipiunt, communicent, sed postea hoc observent, ut intermittant immaculatam communionem, donec à peccato perpetrando sese cohibuerint. Propter hoc enim tantùm in judicio misericordia digni censebuntur. Porro cum nonnulli violentiæ mali habitus succumbentes neque in ipsa magna quadragesima possint seipsos continere à peccatis, & illi ipsi qui mulieres habent hoc vitio sæpe teneantur, oportet eos, postquam compleverint, ipsorum epitimia, & præterierint anni multi, necdum jus communicandi habeant, eo quòd in fornicationem, & alia peccata semper incidant, continere se totam sanctam quadragesimam, nec ullo modo cum muliere peccare, & sic cum timore & tremore tribus Paschatis diebus communicent. Hoc est, sancta & magna feria quinta, magno Sabbato, & magna Dominica. Hoc autem dictum sit secundum desidiam, pusillanimitatem, & incuriam istorum, eo quod à sordibus carnalibus abstinere non possunt, non autem quod aliam statam ponamus Pœnitentium differentiam.

Quodsi ejusmodi homines in mollitiem in quadragesima inciderint, neque sic communicent, licet eorum aliqui sint Monachi, etiam sancti. A sanctis equidem Patribus qui Canones condiderunt quadraginta tantùm dies abstinentiæ à communione iis qui in hunc morbum inciderunt, definiti sint. Si communibus anni temporibus ita definitum est, quantò magis deplorandus ille animi morbus, moleste omnibus dominans, à quo avelli difficillimum est, tota sancta quadragesima cavendus est? Hæ sunt, de quibus supra dixi, duæ Pœnitentiarum mea quidem sententia differentiæ, sicut ego humilis solitus sum observare in omnes plurima & pauca peccantes, infirmos & sanos, juvenes & senes, mulieres

lieres & viros, Monachos & Monachas, præter homines facratos.

Presbyteros enim & Episcopos & Diaconos admittere non oportet ad Confessionem, donec securitatem secundùm Deum confessoribus dederint, si alicujus criminis conscii fuerint quod eos à sacro ministerio abdicet, non amplius ausuros sacrificare. Hujusmodi autem non datur ulla quæcunque sit Pœnitentia, vel à cibo, vel à communione abstinentia, sed sola à sacro ministerio cessatio. Nihil autem aliud prohibet Sacerdotem à sacro ministerio quàm in alienam mulierem præter legitimam revera incidere. In unicam: si solùm incidat, non datur illi restitutionis locus, hoc est, nunquam illi fiet sacrificandi potestas, etiamsi martyrum instar decertet, faciatque miracula magna, adeo ut mortuos suscitet.

Morinus post hæc duo Pœnitentialia addidit varia excerpta Veterum ex istis duobus Pœnitentialibus, & Fragmentum Nomocanonis, & varia alia Pœnitentialia Græcorum, inter quæ eminet Joannis Monachi, discipuli D. Basilii, *Canonarium*, seu directorium pro imponendis Pœnitentiis. Nobis sufficiant Pœnitentialia Latinæ Ecclesiæ hactenus adducta.

§. XXXII.

POENITENTIALE AUGUSTANUM sæculo decimo.

Hoc Pœnitentiale, quod ex Manuscripto Codice Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ exscripsi, videtur scriptum fuisse sæculo decimo, quo Ecclesiam hanc rexerat D. Udalricus. Cum autem in illo Manuscripto contineantur varia alia Opuscula, pariter illis temporibus Synchrona, unum eorum sic habet:

Ordo ad dandam pœnitentiam.

1. *Interrogat Sacerdos.* Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo.

2. Credis, quod istæ tres personæ, quomodo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres personæ sunt, & unus Deus? ℟. Credo.

3. Credis, quod in ista ipsa carne, in qua nunc es, in ipsa habes resurgere in die judicii, & recipere sive bonum, sive malum, quod gessisti? ℟. Credo.

4. Vis dimittere illis peccata, qui in te peccaverunt, domino dicente; si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. ℟. Volo. *Et require eum diligenter*, si est incœstuosus, & si non vult ipsa incœsta dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Nam si vult ipsa dimittere dic Psalmum 37. *Domine, ne in furore tuo.* Et dic orationem hanc:

5. *Deus, cujus indulgentia cuncti indigent, memento famuli tui N. & qui lubrici terrenique corporis fragilitate nudatus est, quæsumus, ut des ei veniam confitenti, parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum.*

Deinde dic psalmum. *Benedic anima mea Domino.* Usque, renovabitur, *ut aquilæ.* Et dic orationem hanc:

6. *Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere languoribus, ut sicut nemo nostrum est liber à culpa, ita nemo sit alienus à venia. Per.*

Et dic psalmum. *Miserere mei Deus.* *Usque. Et omnes iniquitates meas dele.* Et dic orationem.

7. *Precor Domine clementiæ & misericordiæ tuæ majestatem, ut famulo tuo peccata sua & facinora confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani preces confessione placatus exaudisti, tu etiam huic famulo tuo placare domine, tu hujus precibus benignus aspira, ut in confessione placabili permaneat; fletus ejus & petitio perpetuam clementiam tuam exoret, sanctisque altaribus & sacrariis restitutus spei rursus æternæ ac cœlesti gloriæ mancipetur. Per.*

Tunc fac eum confiteri omnia peccata sua ita dicendo.

8. Fecisti homicidium aut casu, aut *nolens*, aut pro vindicta parentum, aut jubente Domino tuo? aut in publico bello? vel facere voluisti, & non potuisti? V. annos, aut III. vel XL. dies. Similiter si servum occiderit II. annos pœnit.

9. Fecisti perjurium pro cupiditate sæculi? aut *coactus*? vel pro necessitate, vel pro vita parentum; aut nesciens; aut si alios in perjurium induxisti scienter VIII. annos, vel III. vel XL. dies.

10. Fecisti furtum, id est, effracturam, quadrupedia, vel fortiorem causam valentem XL. solidos, vel C. annos VII. vel V. & de minoribus furtis I. vel III. quadragesimas, seu & XL. dies.

11. Fecisti adulterium cum uxore aliena, aut cum sponsata, vel Virginem corrupisti, vel Sanctimonialem, vel Deo dicatam. V. vel III. annos.

12. *Nupsisti* cum uxore tua retro, vel ancilla? XL. dies pœniteas.

13. Fecisti fornicationem sicut Sodomitæ fecerunt, vel cum fratre, aut matre, vel cum pecoribus, vel ullo ingenio. XV. annos vel XII. vel VII. vel I. annum.

14. Dixisti falsum testimonium pro cupiditate, aut nesciens, III. annos, vel II. aut I.

15. Percussisti hominem, ut sanguis exiret ab eo, vel ossa, annum I. vel XL. dies. Truncasti ei unum membrum propter iram, III. annos pœniteas.

16. Odisti fratrem tuum? quamdiu in ipso odio fuisti, tamdiu pane & aqua pœniteas.

17. Detraxisti ullum hominem ad seniorem propter invidiam? vel ad pares? I. annum vel XL. dies.

Nupsi-

18. *Nupsisti* cum uxore tua retro XL. dies ante partum? XL. dies pœniteas. Nupsisti die Dominico? I. diem vel III.

19. Violasti sepulchra propter furtum? annos III. vel II. pœnit.

20. Contigit tibi ulla negligentia de Sacrificio? C. dies, vel XL. pœnit.

21. Fecisti usuras? V. annos, aut III. tulisti res alienas malo ordine, per malum ingenium? III. annos.

22. Fecisti sacrilegium, id est, quos aruspices vocant, & auguria faciunt, aut sortilegos, vel vota ad arbores, vel ad fontes, seu ad *Cancellos*, aut per ullum ingenium vovisti, aut sortibus fuisti deditus, aut avorsum fecisti? V. annos, vel III.

23. Fecisti raptum de virgine vel vidua? III. annos pœniteas.

24. Tulisti aliquid pecuniæ in Ecclesia contra *directum*? III. aut quadruplum restituas.

25. Prodidisti aliquam rem per injustam delaturam? III. annos pœniteas.

26. Duxisti, aut transmisisti per ullum ingenium servum tuum, aut alium hominem Christianum in captivitatem? V. annos, vel III. pœnit.

27. Cremasti domum vel arcam alterius? III. annos.

28. Fecisti vomitum per ebrietatem? XV. dies. Si per contentionem? XL. dies. Si nesciens? VII. dies pœniteas.

29. Coegisti ullum hominem bibere, ut inebriaretur? aut per odium hoc fecisti? C. dies.

30. Bibisti sanguinem, aut manducasti de ullo pecude vel homine? III. annos pœnit.

31. Manducasti morticina aut dilacerata à bestiis? XL. dies pœnit.

32. Edidisti de liquore, in quo mus, vel mustelæ mortuæ inventæ fuerunt? XL. dies.

33. Contempsisti indictum jejunium in Ecclesia? vel contra decreta seniorum? XL. dies pœniteas. Et si in quadragesima I. annum.

34. Oppressisti infantem tuum, vel alium, ut moreretur? VII. annos vel V. vel III.

35. Bibisti ullum maleficium? id est, herbas, vel alias causas, ut non potuisses infantes habere? aut aliis donasti; aut hominem per potionem occidere voluisti? aut de sanguine vel semine mariti tui, ut majorem de te haberet amorem? aut gustasti, aut bibisti chrisma. VII. annos, vel V. vel III. pœniteas.

36. Necasti partus tuos? X. annos. Et si filium vel filiam occidisti XII. annos. Et si in utero ante conceptum annum I. si post conceptum, annos III. Si infans per negligentiam mortuus fuerit sine Baptismo, annum I. & nunquam sine aliqua pœnitentia sit.

37. Fecisti aliquas *paganias*, quæ in Kalend. Januarii faciunt in *cervulo*, aut in *regula*? III. annos pœniteas.

38. Misisti filium tuum super tectum, aut in fornacem pro aliqua sanitate? V. annos.

39. Arsisti *grana, ubi mortuus* homo erat? V. annos pœniteas.

40. Et ad ultimum dicendum est confitenti: Multa sunt peccata mea, in verbis, in factis, in cogitationibus.

Adhuc interroget sacerdos. Habes fidem confessam, & peccata confessando, & Sacerdoti ut remittuntur tibi peccata tua? Credis hoc? ℟. Credo. 41.

Habes voluntatem, quod egisti contra mandata Dei, ut hoc emendes? ℟. habeo. 42.

Unde confessus fuisti, vis judicium recipere, & illud bene custodire, & omnibus adinventionibus Diaboli renuntiare? ℟. Volo. 43.

Dices ei: Dominus tibi adjutor, & protector, & præstet indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præsentibus & futuris. 44.

TUNC DA ILLI POENITENTIAM, & judica secundum modulum criminum ejus. Data verò pœnitentia dic Psalmum. *Deus in nomine tuo.* Et dic has orationes super eum &c. 45.

Ordo alius Pœnitentiæ.

Siquis pro homicidio commisso sponte, aut invitus, aut casu, sive adulterio, perjurio, sacrilegio, raptu, aut infantium oppressione, vel pro aliquo criminali peccato ad nos pœnitentiam suscepturus accesserit, oportet nos in primis rei veritatem ad liquidum interrogando discutere; deinde, si fidem rectam & Christianam credulitatem firmiter pronuntiet, id est, *Pater noster*, & *Credo in Deum*, quam statim coram nobis memoriter *canere* compellamus. Et si talis persona est, quæ non intelligat, neque etiam bene illud memoriter teneat, exponamus illi, prout tunc necesse est, & ut melius nobis statuto die reddat, præcipiamus. 1.

Præterea studiose perscrutandum, si in diversis erroribus sit implicatus, sicut quidam increduli lapides, lucos, arbores, & hujusmodi vanitates relicta Ecclesia venerantur, & vanissimam phantasiæ, & deceptionis illusionem in somnis observant. 2.

Inquirendum est etiam ab eo, si velit pro Christi amore omnem iracundiam dimittere illi, cui inimicus est. Aut si habeat quis aliquid adversus eum, unde reconciliari debeat, sicut Dominus in Evangelio docet. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et alibi ait: Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et Domino quotidie in oratione dicimus; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 3.

Et de aliis vitiis, quantum ei Deus dederit posse, deinceps se emendaturum promiserit; tunc cum omni devotione ante *absidam* suscipi debet ad pœnitentiam. 4.

Dicendum namque est illi, quod pro homicidio sponte & odii meditatione perpetrato VII. annos pœnitentiam suscipiat. Pro homicidio verò non sponte commisso V. annos pœnitere debeat. Pro adulterio, si sæpius & 5.

in

in consuetudine habeat, & cum uxore alterius adulterct, VII. annos. Si semel tantùm præ ebrietate, & ad pœnitentiam recurrerit, V. annos. Pro Sacrilegio, quod sola illius prava adinventione in Ecclesia in rebus Ecclesiasticis fecerit, aut confugientem in Ecclesia vi extraxerit, aut homicidium, aut adulterium in ea perpetraverit, quod duplex malum est, & dupliciter puniri debet, aut Ecclesiam igne concremaverit, VII. annos pœnit. si hujus periculi nescins, vel necessitate aliqua coactus in tale quid inciderit, V. annos.

6. Pro raptu, qui cæteros ad tale scelus adduxerit, VII. annos. Sequaces verò V. annos.

7. Pro infantium oppressione, qui sciens & per injuriam in hanc negligentiam devenerit, VII. annos. Qui ignoranter & casu, V. annos. Ubicunque enim de talibus altercatio fit, aut dubietas, judicio igniti ferri examinetur. Uno namque modo sicut de viris, ita de fœminis agatur.

8. Primos etenim quadraginta dies in pane & aqua & sale jejunent; si autem videmus corpus imbecille, concedo eis tres dies in hebdomada, ut legumine aut horto sustententur. Secundos dies, Lunæ diem, Mercurii, & Veneris in pane, aqua, & sale. Die verò Martis, Jovis, & Sabbati legumine aut horto utatur. Et semel in ipsis diebus de cerevisia bibat. Die verò Dominico, excepto vino & carne, quidquid ei dederit Deus, utatur. Sic per totum annum facere debet usque ad septimum vel quintum, prout scelus est, & Sacerdos viderit contritionem cordis ejus & studium. Ecclesiam non intret, nec pacis osculum ulli porrigat. Stans ante fores Ecclesiæ ad Missam osculetur limina ostii. Nudis pedibus incedat. Lanea vestimenta subtus induat. Balnea penitus dimittat; capillos non incidat; arma deponat: nullò vehiculo deducatur, nisi propriis pedibus. Cum sua uxore, nec cum ulla fœmina, dum est in pœnitentia, dormiat, neque cum aliquo homine. Si est in juvenili ætate uxoratus, & se non valet continere, melius videtur, ut sua uxore utatur, quàm in voraginem vitiorum incidat. Hoc secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Carnem non manducet, nec vinum bibat, ùt supra dictum est. Sale, pane, & aqua tantùm contentus sit. Idipsum quod manducat, non eum aliis communiter sumere debet, sed seorsum considere, & quod illi remanet de ipso cibo, aut sibi reservet, aut cani projiciat; si eleemosinam pro se facere desiderat, hoc alius pro illo agere debet. Ecclesias orationis causa frequentet. Dissensiones, contentiones, odia, invidiam, cæteraque vitia, quantum potuerit, vitare debet, nec ullius damnum consiliari aut meditari; nec etiam ullum negotium ei exercere convenit; quia inter ementis, vendentisque commercium solet intervenire peccatum. Si enim pro *faida* se dicit, non posse suam pœnitentiam observare, longius evagetur, & eligat sibi locum congruum, & quietum, ubi securus de salute animæ suæ agat, donec Episcopus suos insidiatores coerceat, ne pœnitentem illum inquietare præsumant. Nihil enim homo animæ suæ præponere debet, sicut in Evangelio legitur: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Caro nos læta trahit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Viaticum, antequam eum Episcopus reconciliet, nullatenus contingat, nisi forte in ultimo positus sit.

Canones pœnitentiales Augustani.

Incipiunt Capitula de Judicio pœnitentis.

Cap. 1. De fornicatione diversarum personarum.
2. De his, qui cum matre aut sorore fornicaverint.
3. De sordidatione puerorum.
4. De illecebroso amplexu.
5. De abstinentia viri ac fœminæ post manifestam conceptionem.
6. De menstruis abstinendis.
7. De his, qui in die dominico nupserint.
8. De his, qui in terga nupserint, aut retro.
9. De machina mulierum.
10. De Sodomitis.
11. De pollutione & effusione seminis.
12. De quadrupedum fornicatione.
13. De occisione hominum manifestè seu in bello.
14. De mulieribus partus suos necantibus.
15. De mulieribus, quæ aliquos interimunt arte maleficiæ suæ.
16. De Patricidis, vel Matricidis.
17. De infantibus per negligentiam mortuis. Necdum baptizatis.
18. De juramento.
19. De ebrietate, & de his, qui per ebrietatem vomitum faciunt.
20. De his, qui Evcharistiam vomunt.
21. De Evcharistia per negligentiam perdita.
22. De carne immunda, vel morticina, & de fraude.
23. De operibus in die dominico.
24. De Chrismate in Ecclesia perdito.
25. De thure, & sale benedictis, & sapone.
26. De Criminibus capitalibus.
27. De minoribus peccatis.
28. De cupiditate & cæteris flagitiis.
29. De immolatione.
30. De auguriis, vel divinationibus.
31. De furto capitali.
32. Item de furto.
33. De falso testimonio, & maledictione.
34. De detractione, quæ fit causa invidiæ, & de rixa.
35. De liquore, in quo mus vel mustela ceciderit, & si aves stercorant.
36. De esu sanguinis proprii.
37. De venationibus Clericorum.
38. De eo, qui peccatum fratris silebit.

Incipit de fornicatione diversarum personarum.

1. Adolescens si cum virgine peccaverit, annum I. pœnit. Si semel & fortuitò, levigetur, & tamen usque ad annum plenum. Si intra XX. annos puella & adolescens fornicationem faciunt, tres quadragesimas, & legitimas ferias; si propter hoc peccatum servitio humano addicti sunt, XL. dies. Si nesciens tantùm non coinquinatus, XX. dies. Si vidua, & stuprata, annum totum, & dies jejuniorum in altero anno. Si usque ad filii generationem, duos annos integros, & duos alios levius. Siquis vacans uxore sua, polluit se cum alterius, duos annos. Si uxoratus cum virgine fornicaverit, similiter duos annos pœniteat. Ita primùm omnium, ut a sua se contineat, si ei consenserit uxor, alioquin addatur modus pœnitentiæ. Si uxoratus alterius uxorem duxerit, III. annos pœniteat. Primò horum a sua se abstineat. Si uxoratus ancillam suam duxerit, I. annum pœniteat, & tres quadragesimas, & legitimas ferias, & tribus mensibus prius a sua se contineat. Illa verò, si invita passa est, XL. dies. Nam si consentiens est, III. quadragesimas, & legitimas ferias. Si Laicus cum Laica, III. annos pœnit. & quantò sæpius & negligentius ea peccata committunt, tantò majus & tempus addatur & modus. Qui dimiserit uxorem suam, & alterius se conjungit, VII. annos pœnit.

2. Laicus maculans se cum ancilla Domini Dei, II. annos pœnit. Si genuerit ex ea filium, III. annos. Si sine conjugio sunt, III. quadragesimas, quidam XL. dies judicant, id est, si consuetudo est fornicandi. Sic & virgo sanctimonialis si cum laicis sine gradu, sicut clerici, pœniteat. Qui Canonici sunt, & fornicantur, annum I. si frequenter, II. annos. Clericus sine voto Monachi fornicationem faciens, I. annum, si frequenter, II. annos. Qui in gradu est, sicut Monachus, III. annos. Theodorus dixit: Monachus faciens fornicationem, VII. annos pœnit. Si Monachus quærens fornicationem, & non inveniens, annum I. pœnit.

3. Item Monachus fornicationem faciens cum puella, III. annos pœnit. Si cum Sanctimoniale fornicavit, VII. annos. Monachus sine gradu, si cum puella fornicavit, III. annos pœnit.

4. Monachi cum gradu fornicationem facientes VII. annos pœnit. Si Monachi sine voto cum puella fornicaverint, IX. vel X. annis pœnit. Si Diaconi Monachi sunt, V. vel III. annis. Si Diaconi Monachi non sunt, III. vel II. annis.

5. Si Monachus Laicam duxerit, III. annis pœniteat, illa II. & legitimas ferias. Si usque ad generationem filii, III. annis pœnit. Si occiderit, VII. annos.

6. Si Monacha Laicum duxerit, II. annos pœniteat, & legitimas ferias. Illa vero III. annos. Si usque ad generatum filium, IV. annos. Et si occiderit VII. annos.

7. Si Monachus cum Monacha fornicaverit, VII. annos pœnit. Item Clericus sine voto Monachi fornicationem faciens, annum I. si frequenter, II. annos. Si genuerit ex ea filium, plus pœniteat, id est, IV. vel V. annos, alii dicunt, VII. aut exul fiat.

8. Presbyter cum puella fornicationem faciens non prolato Monachi voto, annos III. vel IV. pœnit. & III. quadragesimas, & IV. feria & VI. semper de sicco cibo. Si cum ancilla Domini fornicaverit, plus ei addatur pœnit. id est, VII. anni, si in consuetudine est.

9. Si Presbyter aut Diaconus, aut Monachus uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conscientiam populi devenit, projiciatur extra Ecclesiam, & inter Laicos ponatur, quamdiu vivit.

10. Si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui fornicatione & perjurio vel furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur. Quia non judicabit Dominus bis in idipsum.

11. Si quis Pontifex fornicationem naturalem faciens judicavit, ut XII. annorum pœnitentiam fecisset, per multas lachrymas & eleemosynas semper a Domino veniam petat. Post annos III. vel IV. lenius pœnitest.

12. Qui diutius fornicatione, perjurio, latrociniis, cæterisque flagitiis servivit, VII. annos pœnitest.

CAPUT II.

De his, qui cum Matre, aut Sorore fornicaverunt.

1. Si adolescens sororem suam duxerit, V. annos pœniteat. Et quamdiu vixerit, nunquam sit sine continentia. Item: Qui cum matre fornicaverit, XV. annos pœnit. Si quis cum sorore aut filia fornicaverit per commixtionem carnis, ab omni carne se abstineat, & XV. annis pœnit. Si mater cum filio suo parvulo fornicaverit, III. annos abstineat se a carne, & diem unum in unaquaque hebdomada jejunet.

2. Qui habet matrem, aut filiam, duas sorores, uxorem patris, & fratris, patruelis aut avunculi, uxoris neptam vel consobrinam, aut in prima vel in secunda generatione, vel in tertia conjuncti sunt, istis volumus judicare, ut separentur, & propter novellam plantatio-

tationem & humanitatem Ecclesiæ, ut VII. annorum agant pœnitentiam. Tres primos annos III. dies in hebdomada, secundam & quartam & VI. feriam, legitimas quadragesimas ante pascha, XX. noctes ante Missam S. Joannis, ante Natale Domini similiter. Quatuor verò reliquos annos quarta & sexta feria, & XIV. noctes ad Missam S. Joannis, & ad Natale Domini. Si autem se redimere vult, potens pro uno die donet valorem denariorum mille, in qualicunque re ei placuerit, pauper verò medietatem. Tamen hæc omnia in arbitrio discretionis sacerdotis consistant, juxta ætatem & qualitatem & sanitatem uniuscujusque personæ.

CAPUT III.

De Sordidatione puerorum.

Pueri se manibus invicem coinquinantes XL. dies pœnit. Majores verò C. diebus. Pueri sese inter fœmora sordidantes C. dies. Majores verò tres quadragesimas ac legitimas ferias. Parvulus a majore puero oppressus hebdomada pœnit. Si consenserit, XX. dies. Puer voluntate se ipsum polluens XXX. dies, juvenes verò XL. dies.

CAPUT IV.

De Illecebroso Amplexu.

Qui per illecebrosos amplexus fœminæ, vel per osculum polluitur, XXX. dies pœnit. Qui tetigerit inverecunde carnem ejusdem fœminæ, III. menses pœnit. Qui per turpiloquium negligens polluit, VII. dies sive III. pœnit. Qui impugnatione cogitationis & naturæ volens inquinatur, VII. dies pœnit. aut L. psalmos cantet, & IV. feria & VI. jejunet ad Nonam vel ad Vesperam. Presbyter, si osculatus est fœminam per desiderium, XX. dies pœnit. Sacerdos si per turpiloquium seu aspectu coinquinatur, & non voluit fornicare XX. dies. Qui in Ecclesia consecrata nubunt, requi.

CAPUT V.

De abstinentia viri vel fœminæ post manifestam conceptionem.

Uxoratus contineat se XL. dies ante Pascha & Pentecosten, ante Natale Domini, & omnem dominicam noctem, quarta & sexta feria, & a conceptione manifestata usque post natam sobolem. Vir autem contineat se ab uxore tres menses. Uxor post natam sobolem abstineat se ab Ecclesia, si filius est, dies XXX. si filia, XL. dies. Mulier abstineat se a viro, quando concepit, tres menses, antequam pariet, & post partum XL. dies. Qui autem nupserit his diebus, XL. dies pœnit. aut XXX. aut XX. Item qui in matrimonio sunt, abstineant se viri ab uxoribus, & uxores a viris earum in tribus quadragesimis, & in dominica nocte & in sabbato, & feria quarta & sexta, quia legitimæ sunt, & tres noctes, antequam communicent. Qui in quadragesima ante pascha cognoverit mulierem suam & noluerit abstinere ab ea I. annum pœnit. aut pretium suum videlicet XXVI. Solidos ad Ecclesiam reddat, aut in pauperes dividat. Si per ebrietatem, vel aliam causam, & sine consuetudine acciderit, XL. dies pœnit.

CAPUT VI.

De Menstruis abstinendis.

In tempore verò Menstrui sanguinis abstineat se vir ab uxore; nam qui tunc nupserit, dum illa hoc patitur, XL. dies pœnit.

CAPUT VII.

Qui dominico die nupserit.

Qui dominico die nupserint, VII. dies pœnit.

CAPUT VIII.

Qui retro nupserint.

Si quis cum uxore sua retro nupserit XL. dies pœnit. Si in terga nupserit, III. annos pœnit. quia Sodomiticum scelus est. Viri inter femora fornicantes annum I. pœnit. si iterant, annos II. Si in terga fornicantur, III. annos. Si pueri sunt, II. annos. Vir si cum muliere sua retro nupserit pœniteat, quomodo de animalibus, id est, si consuetudo erat sic nubendi VII. annos pœnit. Qui inter femora fornicaverit, tres quadragesimas, si parvulus oppressus vi talia patitur, XL. dies pœnit. vel psalmos dicat, vel continentia castigetur.

CAPUT IX.

De machina mulierum.

Mulier, quæ qualicunque molimine aut in se ipsa aut cum altera fornicaverit, tres annos pœnit. Si sanctimonialis fœmina cum sanctimoniali per machinam fornicaverit, VII. annos pœnit.

CAPUT X.

De Sodomitis.

Qui fornicaverit sicut Sodomitæ, quidam judicarunt X. annos, id est, qui sæpe fecerit, vel in gradu est, quidam VII. annos, quidam annum I. judicaverunt, ut mollis quidam C. diebus, ut pueri. Item Sodomitæ annos IV. si in consuetudine, annos VII. vel si Monachi sunt, annos VII. Item, ut Sodomitis, si in consuetudine erit Laicus V. annos pœnit. Clericus VII. Sub-Diaconus VIII. Diaconus X. Presbyter XII. Episcopus XIV.

CAPUT XI.

De effusione seminis.

Qui in Ecclesia per somnum polluitur, III. dies pœnit. Qui per turpiloquium negligens polluitur, VII. dies, sive III. Qui impugnatione cogitationis & naturæ volens inquinatur, VII. dies pœnit. aut L. psalmos canat, & IV. feris & VI. feria jejunet ad Nonam, vel ad Vesperam, & quousque cogitatio vincitur, pœnit. Qui in somnis voluntarie pollutus est, surgat, cantetque VII. psalmos pœnitentiales, vel unumquemque secundum suam virtutem, & in mane XXX. psalmos cantet. Volens autem in somnis peccare, sive pollutus sit, sine voluntate XV. psalmos cantet. Qui peccare voluerit, & non fuerit pollutus, XXIV. psalmos canat. Qui in somno peccaverit sine cogitatione, XV. psalmos cantet. Si in somno quis peccaverit, aut ex cogitatione sua pollutus fuerit, XXII. psalmos cantet. Clericus si semen fuderit non tangendo, VII. dies pœnit. Si tangit cum manu, XXX. dies, vel XX. pœniteat. Quanto magis, qui in alio gradu esse videntur. Diaconus II. hebdomadas, Monachus XX. dies. Presbyter, si semen fuderit per cogitationem, VII. dies pœnit. Si tangit cum manu, ut semen fundens ex eo, III. hebdomadas pœnit. Si Monachus hoc facit VII. dies pœnit. Diaconus IV. dies. Si tangit cum manu, XIV. dies pœnit. Monachus similia faciens & Diaconus, III. hebdomadas, aut II. pœnit. Qui semen fudit in Ecclesia per dormitionem non volens cantet psalterium I. aut tres dies pœnit. Si voluntariè semen fudit in Ecclesia per malam cogitationem, si Clericus hoc facit, XIV. dies pœniteat; si Presbyter XL. dies pœnit. Si Episcopus, L. dies. Monachus XXX. Clericus diligens mente tantum aliquam fœminam, VII. dies pœnit.

CAPUT XII.

De Quadrupedum fornicatione.

Qui cum pecude peccat, I. annum pœnit. Si Monachus annos II. qui sæpe fornicatur. Item qui cum pecude peccaverunt, vel cum jumento X. annos pœnit. quidam VII. vel III. vel I. vel C. dies, ut pueri. Si quis Clericus cum quadrupede fornicaverit, annos II. pœnit. Sub-Diaconus III. Diaconus V. Presbyter VII. Episcopus X. Item Episcopus VII. si consuetudine, X. annos, Presbyter V. Diaconus III. Monachus III. Clericus II. annos pœnit. oportet discretionem esse inter qualitatem pecudum, vel hominum, sicut supra diximus.

CAPUT XIII.

De Homicidiis hominum.

Qui occiderit Monachum aut Clericum, arma relinquat, & Deo serviat, vel VII. annis pœnit.

Qui laicum odii meditatione, vel possidendi hæreditatem ejus, IV. annos.

Qui per vindictam fratris hominem occiderit I. annum, & sequentibus II. annis tres quadragesimas, ac legitimas ferias.

Qui per iram & rixam subitò hominem occiderit, tres annos, aut IV. pœnit. qui casu, I. annum.

Qui in bello publico XL. dies. Siquis liber jubente Domino suo servum occiderit, XL. dies pœuit. Siquis liber jubente majore suo hominem innocentem occiderit, I. annum pœnit. & per II. alios annos tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui per rixam ictu debilem & deformem hominem facit, reddit impensa, quo sit in medico, & maculæ pretium, & opus ejus, donec sanetur, restituet, & ann. pœnit.

Qui ad feriendum hominem surrexerit, volens eum occidere, III. hebdomadas pœnitest. Si Clericus hoc fecerit, VII. menses pœnit. Quod si & vulneraverit hominem, dies XL. pœnit. Sed & pecunism juxta modum vulneris, licet lex non commendet, cui inflixit, tribuat, ne læsus scandalizetur.

Si Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit odii meditatione, exul VII. annis pœnit. Si Laicus homicidium fecerit per furorem & odii meditatione, III. vel V. annos pœnit. Qui per rixam, III. annos. Si occiderit hominem nolens, annum I. pœnit.

CAPUT XIV.

De Occisione infantum.

Siqua mulier partum suum ante XL. dies ex utero sponte perdiderit, I. annum pœnit. Si verò post XL. dies eum occiderit, tres annos pœnit. Si verò postquam animatus fuerit eum perdiderit, quasi homicida pœnit. Sed distat multum, utrum paupercula pro difficultate nutriendi, aut fornicaria causa sit, aut pro suis sceleribus celandis faciat. Mulier si occiderit filium suum per homicidium, X. annos pœnit.

CAPUT XV.

De Mulieribus, quæ aliquos interimunt.

Mulier, si aliquos interimit arte maleficiæ suæ, id est, per poculum, aut aliquam artem, VII. annos pœnit. si paupercula fuerit, III. annos. Mulier, si divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, I. annum pœnit. vel III. quadragesimas sive XL. dies juxta qualitatem culpæ.

CAPUT XVI.

De Patricidis, & Fratricidis.

Siquis hoc crimen perpetraverit, quidam judicaverunt, ut VII. annorum vel XIV. pœnitentiam egissent, quidam verò usque ad finem

finem vitæ fuæ in pœnitentia fuiffent, ficut Cain, qui fimilia perpetravit.

CAPUT XVII.

De Infantibus mortuis, & per negligentiam.

Pariens fœmina, cujus filius per negligentiam non baptizatus obiit, annum I. pœnit. & nunquam fit fine aliqua pœnitentia. Si Sacerdos, ad quem pertinebat, vocatus fuerit ad baptizandum infantem, & venire neglexerit, ipfe damnationem animæ judicio Epifcopi fui caftiget. Sed & omnibus fidelibus licet, ubi forte morituros invenerint non baptizatos, imo præceptum eft, omnes animas eripere diabolo per baptifma, id eft, benedictâ aqua fimpliciter in nomine Domini, & baptizare illos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti intinctos, aut fuperfufa aqua; unde oportet eos, qui poffunt, tamen fideles & maximè Monachos & fcientiam habere baptizandi, & fi alicubi longius exierint, Eucharistiam femper fecum habere debeant.

CAPUT XVIII.

De Juramento.

Qui perjurat fe fciens & compulfus eft a Domino, tres quadragefimas & legitimas ferias. Qui fciens virtutem juramenti vel perjurii & perjurat in manu Epifcopi vel Presbyteri feu in altario, aut in cruce confecrata, III. annos pœnit. Si verò in Cruce non confecrata, annum I. pœnit. Si autem in manu hominis, apud græcos nihil eft. Qui feductus eft nefcius, ut perjuret fe pro noxio, & poftea cognoverit perjurium fuum, annum I. pœnit. Qui juramentum in Ecclefia aut in Evangelio, five in reliquiis Sanctorum fecerit, VII. annos pœnit. alii XI. annos judicant. Si verò in manu Epifcopi vel Presbyteri vel Diaconi, feu in cruce confecrata, annum I. vel III. vel VII. ut alii judicant. Et fi in cruce non confecrata jurat, annum I. vel VII. menfes. Qui autem feductua fuerit ignorans, & poftea cognofcit, annum I. vel III. quadragefimas, aut XL. dies pœnit. Siquia coactus pro qualibet caufa neceffitatis III. quadragefimas. Alii III. annos, unum ex his in pane & aqua, ut alii judicant. Perjuri III. annos pœnit. qui fufpicatur, quod perjurium dicatur, & tamen jurat per confenfum, III. annos.

CAPUT XIX.

De ebrietate & vomitum facientibus.

Qui per ebrietatem vomitum facit, fi Presbyter aut Diaconus XL. dies pœnit. Si Monachus, XXX. Si Clericus XX. diea vel VII. Si Laicus, XV. diea. Si per ægritudinis caufam hoc fecerit, non nocet. Si per fatietatem ventris vomitum fecit, III. dies pœnit. Si Sacrificium vomit, XL. diea pœnit. Si cuiquam hoc per abftinentiam contigit, & non confuetudo ejus eft multùm bibere, fed præ gaudio folemnitatis præcipuæ licentius fe epulis indulferit, nec tamen plus, quàm a Senioribus fuis decretum eft, acceperit, multùm eft ejus pœnitentia levigands. Qui inebriatur contra dominicum interdictum, & non vomit, VII. dies pœnit. Siquis Epifcopus aut aliquis ordinatus vitium habuerit ebrietatis, aut definat, aut deponatur. Si Monachus per ebrietatem vomitum facit, XXX. dies pœnit. Laici fi hoc faciunt, III. dies fine carne & vino & cerevifia. Alii judicaverunt XV. dies pœnit. Si fidelis Laicus fit, qui per nequitiam alium inebriat, XL. dies pœn. Qui verò inebriatur contra præceptum Domini, fi votum fanctitatis habet, hoc eft, fi ebriofitas ftatum mentis mutat, & lingua balbutit, & oculi turbantur, diftenfio ac dolor fequitur, fi Clericus eft, VII. dies, fi Monachus XIV. dies, Diaconus XX. Presbyter XXVIII. Epifcopus XXXV. Laicus III. dies a carne & vino abftineat.

CAPUT XX.

De his, qui Eucharistiam vomunt.

Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam evomerit, XL. dies pœnit. Clerici vel Monachi feu Diaconi XL. dies pœnit. Presbyteri LXX. Epifcopus XC. Si præ infirmitatis caufa evomerit, VII. dies pœnit. Sed fi hoc facit non pro infirmitatis caufa, ut de ipfo, qui facrificium acceperit, evomet, VII. pœnit. quidam judicaverunt, ut pfalterium pro fe cancret; quidam bis.

CAPUT XXI.

De Eucharistia per negligentiam perdita.

Qui Sacrificium ipfo die, quo confecratum fuerit, in ignem vel flumen projecerit, C. pfalmos cantet. Si canes comedunt tale vomitum, fi fcit, C. dies pœnit. & fi non fcit, X. dies. Qui acceperit Sacrificium poft cibum, VII. dies pœnit. omne Sacrificium vetuftate fordida corruptum igne comburetur. Qui Sacrificium perdit, vel ab avibus devoratum fuerit, fi cafu, VII. dies jejunet. Si per negligentiam perditum fuerit, aut devoratum, qui id perdiderit, tres quadragefimss. Siquis Eucharistiam per negligentiam perdiderit, I. annum pœnit. aut tres quadragefimas, feu XL. dies a carne & vino abftineat. Quodfi Sacrificium per negligentiam cafu in terram ceciderit, qui neglexerit, L. pfalmos cantet. Quodfi in Sacrificio vermes funt, aut colorem non habet, nec faporem, qui neglexerat, XX aut XXX. dies pœnit. & in igne accendetur, & cinis ejus fub altare abfcondatur. Si usque ad terram cciderit, I. diem, quodfi ftilla fuper altare ceciderit, per cujus negligentiam factum fuerit, III. dies pœnit. Qui in Ecclefia modicam partem perdiderit, & minimè inventa fuerit, XX. dies, vel unoquoque die pro

pro se LXX. Psalmos dicat; qui profuderit calicem in solemnitatibus, XXX. dies pœnit.

CAPUT XXII.

De carne immunda, & fraude.

Qui manducat carnem immundam, aut morticinam, aut dilaceratam à bestiis, XL. dies pœnit. Si per necessitatem famis cogentis, multo levius pœnitendum est. Qui comedit morticinam casu inscius, XL. dies pœnit. qui scit, C. dies. Qui fraude comedit, & scit, & est inops, vel bibit, VII. dies; sin autem scit, XL. dies; infirmi vero, qui sciunt, XV. dies. Qui causam fraudem sæpe faciunt, I. annum vel tres quadragesimas. Qui comedit, vel bibit extinctum à familiari bestia, id est, à cane, vel catto, & scit, C. Psalmos pro se cantet, vel II dies jejunet. Si nescit, L Psalmos cantet, aut I. diem pœnit. Si quis alicui dedit liquorem aliquem, in quo mus vel mustela mortua est, si sæculares sunt, VII. pœnit. Si autem in cœnobio sunt, CC. Psalmos cantent. Qui postea noverit, quod talem potum biberit, psalterium cantet. Si quis semicoctum comederit inscius, III. dies pœnit. vel psalterium cantet; sciens autem VII. dies pœnit.

CAPUT XXIII.

De operibus in die dominico.

Qui operatur in die dominico, VII. dies pœnit. Qui jejunat in die dominico per negligentiam, totam jejunet hebdomadam sequentem. Si secundo die operatur, XXX. dies pœnit. si tertio XL.

CAPUT XXIV.

De Chrismate in Ecclesia perdito.

Qui autem in plebe sua chrisma perdiderit, & eam invenerit, XL. dies, vel III. quadragesimas pœniteat.

CAPUT XXV.

De thure & sale benedictis.

Siquis creaturam perdiderit, hoc est thus, tabulas vel fehedulam suam, aut salem benedictum, vel saponem novam, vel aliquid hujus simile, VII. dies pœnit.

CAPUT XXVI.

De Criminibus Capitalibus.

Nunc autem Capitalia Crimina secundùm Canones explicabo. Primum superbia, invidia, fornicatio, inanis gloria, ira longinqua, tristitia hujus sæculi, avaritia, ventris ingluvies. Et Augustinus adjecit sacrilegium, id est, sacrarum rerum furtum. Et hoc maximum est furtum; vel idolothitis servientem, id est, auspiciis, & reliqua. Deinde adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, ebrietas assidua, maledici, perjuri. Ista ergo Crimina S. Paulus & S. Augustinus vel alii SS. Patres computaverunt esse Capitalia Crimina. Pro istis verò fieri oportet eleemosynas & jejunium longo tempore. Alii vero judicaverunt pro istis Criminibus Capitalibus, id est, qualiter quisque, qui adulterium, homicidium, perjurium, & alia supra dicta aliquis aliquid perpetrasset, quemadmodum de his pœnitere debuisset; ut Laicus pro his IV. annos, Clericus vero V. Subdiaconus VI. Diaconus VII. Presbyter X. Episcopus XII. si in consuetudine erit ei hoc peccatum.

CAPUT XXVII.

De minoribus Peccatis.

Hæc minora sunt peccata, id est, furtum, falsum testimonium, & his similia. Laici unum annum pœnit. Clerici II. Subdiaconi III. Diaconi IV. Presbyter V. Episcopi VII. De ebrietate vel maledictione ac detractione causa invidiæ, vel eis similibus, Laici VII. dies, vel IV. Clerici VII. vel XIV Subdiaconi XIV. aut XX. Diaconi hebdomadas IV. vel III. Presbyteri hebdomadas IV. vel V. Episcopus V. vel VI.

CAPUT XXVIII.

De Cupiditate & cæteris.

Item si quis cupiditate vel avaritia, aut ebriosus, superbus & his similia, quæ enumerare longum est, esse voluerit, III. annos pœnit.

CAPUT XXIX.

De Immolatione.

Qui immolant dæmonibus magnis, si in consuetudine est X. annos pœnit. Qui in minimis, I. annum.

CAPUT XXX.

De auguriis vel divinatione.

Qui auguria vel divinationes perpetrant, V. annos pœnit. Emissores vero tempestatum VII. annos. Mulier si divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, I. annum pœnit. vel III. quadragesimas sive XL. dies juxta qualitatem culpæ pœnit. Auguria vel sortes, quæ dicuntur *falsa sanctorum*, vel divinationes, qui eas observaverit, vel quarumcunque scripturarum inspectione promittit, vel votum voverit ad arborem, vel ad quamlibet rerum, excepto ad Ecclesiam, si Clerici vel Laici hoc faciunt, excommunicantur ab Ecclesia, vel Clericus III. annos pœnit. Laicus II. vel I. &c. Noli exercere, quando luna obscuratur, ut clamoribus suis ac maleficiis sacrilego usu se defendere posse confidant. Carajos & divinos præcantatores, philacteria etiam diabolica vel herbas ac succinos aliis vel sibi impendere, vel quintam feriam in honore

nore Jovis seu Kalendas Januarii secundum paganiam causam honorare ac colere voluerit, si Clericus est, V. annos, si Laicus III. annos.

CAPUT XXXI.

De Furto.

Si quis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia, vel domos effregerit, si Laicus est, I. annum pœnit. & pretium reddat; si non habet unde reddere possit, II. annos pœnit. Si majus fecerit furtum, tres annos pœnit. vel quomodo sacerdos judicaverit. Qui sæpe fecerit furtum, VII. anoos pœnit. vel quomodo sacerdos judicaverit pro modo furti, in XX. annorum ætate XX. anoos pœnit. Pueri X. annorum aliquod furtum facientes VII. dies pœnit.

CAPUT XXXII.

Item de Furtis.

Item si aliquis de ministerio Ecclesiæ vel qualecunque opus quolibet modo fraudaverit, VII. annos pœnit. Si Laicus aliqua consecrata furaverit, - - - - - sine pinguedine, & sic communicet.

CAPUT XXXIII.

De falso testimonio.

Qui falsum testimonium contra aliquem hominem dixerit, juxta modum culpæ pœnit. Qui fratri cum furore maledixerit, reconcilietur, cui maledixit, & VII. pœnit.

CAPUT XXXIV.

De detractione, quæ fit causa invidiæ aut rixæ.

Qui pro causa invidiæ detrahit homini vel favet detrahenti, III. dies pœnit. Si autem ei coosenserit, qui præest, VII. dies pœoit. Si quis rixam fecerit, Clericorum, aut Monachorum, reconciliet se cum eis, quos læsit; hebdomadam dierum pœniteat.

CAPUT XXXV.

De liquore, in quo mus vel mustela ceciderit.

Mus si eeciderit in liquorem, tollatur inde & aspergatur benedicta & sumatur. Si vero mortua fuerit inventa, abjiciatur totus ille liquor, nec sumatur ab hominibus, sive lac sit, sive cerevisia, vel aliquid hujusmodi. Quodsi multum est de liquore illo, in quo mus vel mustela ceciderit, & ibi moritur, purgetur liquor ille, & aspergatur aqua sancta, & sumatur, si necesse est. Si aves stercorant in liquorem hujusmodi vel cibum, tollatur ab eo stercus, & mundetur liquor, & cibus aqua benedicta, & sumatur. Si quis tinxerit in aliquo cibo manum, & non est idooea manus, C. *palmatas* emendetur. Si in farina, aut in aliquo cibo aut in pultes vel in lacte coagulato mus vel mustela mortua inveniatur, in quo jacet, vel quodcunque in circuitu earum est, projiciatur foras, quod residuum fuerit, manducetur.

CAPUT XXXVI.

De esu sanguinis.

Qui sanguinem suum nescius vel cum saliva sorbet, non ei nocet. Qui manducat proprium sanguinem nescius polluitur, tamen non nocet. Si autem scit, pœoitentiam agat juxta modum culpæ ac pollutionis.

CAPUT XXXVII.

De venationibus Clericorum.

Si Clericus venationes exercuerit, annum I. pœnit. Diaconus II. Presbyter III.

CAPUT XXXVIII.

Qui peccatum fratris silebit.

Si reticuerit peccatum fratris, quod est ad mortem, neque eum corripuerit juxta regulam Evangelicam primum inter te & ipsum solum, deinde alios adhibuerit, deinde ad Ecclesiam culpam illius, si necesse fuerit referens, quanto tempore consentit, tanto tempore pœniteat.

CAPUT XXXIX.

De diversis causis.

Siqua de mulieribus, quæ fornicatæ sunt, interfecerit, quæ nascuntur, aut festinat abortivos facere, primùm constitutum est, usque ad exitum vetat, id quod verum definitum, humanius aliquid consequantur, constitulmus eos decennii tempore secundum gradus, quæ sunt constituta, pœniteat. Si quis sepulchrum violaverit, VII. annis pœnitent. Tres in pane & aqua. 1.

Si quis ligaturas fecerit, qnod detestabile est, tres annos, unum annum in pane & aqua. 2.

Si quis maoducaverit morticinum, aut idolis immolatum, jejunet hebdomadas XII. 3.

Si quis quodlibet membrum sibi truncaverit voluntariè, III. annos in paoe & aqua. 4.

Si quis abortum fecerit voluntarie, similiter pœniteat. 5.

Si quis usuras undequaquc exegerit, III. annos pœnit. Uoum in pane & aqua. 6.

Si quis per potestatem aut quolibet ingenio res alieoas malo ordine invaserit vel tulerit, superiore sententia pœniteat, & multas eleemosynas faciat. 7.

Si quis servum aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captivitatem duxerit, sicut superius pœniteat. 8.

Si quis aream aut domum cujuscunque voluntarie igne cremaverit, III. annos pœniteat. 9.

Si quis per iram alium percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilitaverit, solvat ei primo mercedem & medicum quærat. Si Laicus est, XL. dies pœnit. in pane & aqua. Clericus duas quadragesimas. Diaconus VII. menses, Presbyter annum I. 10.

11. Si titubaverit facerdos fuper orationem dominicam, quæ dicitur *periculofa*, una vice L. Pfalmos, fecunda C. plagas.

12. Si quis aliquem in expeditione publica occidit hominem fine caufa, jejunet hebdomadas XXII. fi autem forfitan fe defendendo aut parentes fuos aut familiam occidiffet aliquem, non erit ille reus. Si voluerit jejunare, in illius poteftate eft, quia coactus hoc fecit homicidium.

13. Si quis ad pœnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum eft à facerdote, fufcipietur ad fanctam communionem. Et fi voluerit eum Dominus falvare, jejunet poftea. Si autem aliquis excommunicatus fit mortuus, qui jam fit confeffus, & non occurrit, fed occupavit eum mors five in via, five in domo, fi eft aliquis ex parentibus ejus, pro eo offerat aliquid ad fanctum altare ac redemptionem captivorum, & ad commemorationem animæ ejus.

14. Propter fornicationem autem multi nefciunt numerum mulierum, eum quibus fornicati funt. Illi jejunent hebdomadas L.

15. Siquis per neceffitatem furaverit cibaria vel veftem five quadrupedem per famem aut per nuditatem, venia illi datur & jejunet hebdomadas IV. fi reddiderit, non cogatur jejunare. Si quis caballum aut bovem aut jumentum vel vaccam furaverit, five cibaria aut pecora, qui totam familiam nutrit, jejunet ut fupra.

16. Si mulier fuaferit alius mulieris maritum, fit excommunicata à Chriftianis. Si quis canis aut vulpes five accipiter mortificaverint, feu de lapide mortuum fuerit, hæc omnia fuffocata funt, non manducentur. Et qui manducat, jejunet hebdomadas VI.

17. Siquis fagitta percufferit cervum, five aliud animal & poft tertium diem inventum fuerit, & forfitan ex eo urfus, lupus, canis, vulpes, guftaverit, jejunet hebdomadas IV. Si gallina in puteo mortua fuerit, inventa puteus evacuetur. Si fciens ex eo bibit, VII. dies jejunet. Si pifcis mortuus fuerit in pifcina, non manducetur; qui manducaverit, jejunet hebdomadas IV.

18. Siquis voluerit pro anima fua dare eleemofynam de his pecuniis, quæ fuere de præda, fi jam egit pœnitentiam, poteftatem habet.

CAPUT XL.

De Jejunio commendando.

Qui verò poteft jejunare, quod ei impofitum eft, noli prohibere ipfum, fed permitte. Magis enim laudandi funt hi, qui celeriter debitum pondus folvere feftinant, quia jejunium debitum eft, & fic mandatum his, qui pœnitentiam agunt. Quia fi jejunaverit & compleverit, quod illi mandatum eft, à facerdote purificabitur à peccatis. Quodfi iterum ad priftinam confuetudinem peccati reverfus fuerit, fic eft, ficut canis, qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non hoc folùm debet jejunare, quod illi mandatum eft à facerdote, verum etiam poftquam impleverit ea, quæ illi juffa funt, debet quantum illi vifum fuerit jejunare, five *tetradas* five Parafceven; fi enim egerit, quæ illi facerdos præceperit, peccata ejus remittentur, fi verò poftea ex fua voluntate jejunaverit, mercedem fibi acquirit & vitam æternam. Qui ergo tota hebdomada jejunat pro peccatis, fabbato & dominico die manducet, & bibat, quidquid ei appofitum fuerit; cuftodiat tamen fe à crapula vel ebrietate; quia omnis luxuria de ebrietate nafcitur. Ideo B. Paulus prohibuit dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eft luxuria*, non quia in vino eft luxuria, fed in ebrietate.

Et hoc fcitote fratres, ut dum venerint fervi vel ancillæ quærentes pœnitentiam, ne eos gravetis, neque cogatis tantùm jejunare, quantùm divites, quia fervi & ancillæ non funt in fua poteftate. Ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

CAPUT XLI.

De Pretio Redemptionis.

Siquis forte non potuerit jejunare, & habuerit, unde poffit redimere, fi dives fuerit, pro VII. hebdomadis det folidos XX. fi tantum non habuerit unde dare poffit, det folidos X. Si autem multum pauper fuerit, det folidos III. Neminem vero conturbet, quia juffimus dare folidos XX. aut minus, quia fi dives fuerit, facilius eft ei dare folidos XX. quam pueris folidos III. fed attendat unufquifque, cui dare debeat, five pro redemptione captivorum, five fuper fancto altari, five pauperibus Chriftianis erogandum.

CAPUT XLII.

De pretio unius menfis.

Pro uno menfe, quem in pane & aqua pœnitere debet, canere mille & ducenta genuflexo, vel fine genuflexu Pfalmos DCLXXX. & poftea omni die reficiat ad fextam, nifi III. & VI. feria jejunet ad horam nonam, & de carne & vino abftineat. Et poftquam pfallit, alium cibum fumat, pro hebdomada CCC. Pfalmos genua flectendo in Ecclefia aut in uno loco per ordinem pfallat. Qui verò pfalmos non novit, & jejunare non poffit, pro uno anno, quem jejunare debet in pane & aqua, donet in eleemofynas folidos XXVI. & in unaquaque hebdomada diem unum jejunet ad nonam, & alium ad Vefperam, & in III. quadragefimis, quantum fumit, penfet & medietatem tribuat in eleemofynam. Io fecundo anno remiffior erit pœnitentia.

CAPUT XLIII.

De pretio diei vel anni.

Primo anno quidam promiferunt IV. triduanas interveniente I. nocte. Alii agant XII. triduanas, hoc eft femel in uno menfe. Qui-

dam

dam dixerunt, triduanas agere in verberibus, in vigiliis, insistendoque triduum. Alii sic, alii verò sic, pretium autem diei hoc est. Alii totum psalterium in æstate, in byeme vero & in vere vel autumno L. Psalmos.

Quidam judicaverunt XII. plagas vel percussiones vel plus minus. Tamen tempora discernere debet unusquisque judex. Quidam in labore alieno vel in flectendo XL. bis desinat, aut addetur X. secundo XX. superior XXX. si labor non sit.

CAPUT XLIV.

De moderatione horum Canonum.

Qui autem hoc, quod in Pœnitentiali scriptum est, implere potuerit, bonum est. Qui autem non potuerit ea implere, consilium damus secundùm misericordiam Dei. In primis, ut pro uno die in pane & aqua L. Psalmos unusquisque, qui potest, cantet genua flectendo, aut sine genua flectendo LXX. Psalmos in Ecclesia, vel in uno loco per ordinem psallat, & pro uno die valent CC. genuflexo. Vel unus denarius valet pro uno die, & tres eleemosynas tribus pauperibus pro uno die valent. Quidam dicunt, L. percussionibus vel L. Psalmis pro uno die valent in autumno, in hyeme, in vere. C. percussiones vel Psalmi L. in æstate Psalterium L vel percussiones CC. valent.

CAPUT XLV.

De Redemptione Pœnitentiarum.

Qui non potest sic agere pœnitentiam, ut superius diximus, in primo anno eroget in eleemosynas solidos XXVI. in secundo XX. in tertio solidos XVIII. id sunt solidi LXIV. potentes homines pro culpis criminalibus faciant, ut Zachæus ait: Domine omnium bonorum dimidium do pauperibus, & si aliquid injuste abstuli, in quadruplum restituo; & de mancipiis suis aliquos dimittat liberos, & captivos redimat, & à quo die desinit peccare, non desinat communicare, sicut Apostolus dixit: qui per corpus peccat, per corpus emendet, hoc est in jejuniis, in vigiliis, & orationibus ad Dominum. Qui conversus fuerit, & omne malum aliquando fecit, in effundendo sanguinem, in furto, vel cæteris malis, & postea Deo servire voluerit usque in finem, tres aut duos annos pœniteat, quomodo ei sacerdos judicaverit. Ipse tamen sacerdos semper cogitet de medicamento animarum, quomodo prius suam animam vel aliorum animas salvare debeat, in audiendo, in docendo sanum sermonem, quia qui bene ministrat, gaudium bonum sibi aqnirit apud eum, qui super omnia est Dominus benedictus in sæcula sæculorum.

CAPUT XLVI.

Edictio S. BONIFACII.

Quomodo possumus pœnitentiam VII. annorum uno anno pœnitere, triduanum vero per XXX. dies & noctes. Cantatio Psalmorum CXX. Psalteria pro missis XII. pro uno die psalteria L. & V. Pater noster. Psalterium L pro tribus diebus & XV. Pater noster. Item pro uno die tribus vicibus, *Beati immaculati*, & VI. *miserere mei Deus* & V. Pater noster, & LXX. vicibus prosternat se in terra, & cum injectione dicat, Pater noster. Sic faciat pro uno die. Si vult minus psallere, & non vult patere, prosternat se frequenter in oratione vicibus C. & dicat, *miserere mei Deus*, & *dimitte Domine delicta mea*. Hoc faciat pro uno die. Qui vult confiteri peccata sua, cum lachrimis faciat, quia lachrimæ veniam non postulant, sed merentur. Roget Presbyterum, ut pro eo Missam cantet, nisi sint capitalia crimina, quæ debet ante lavare cum lachrimis.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Cantatio unius Missæ potest redimere XII. dies. X. Missæ IV. menses. XX. Missæ VIII. menses. XXX. Missæ XII. menses possunt redimere, si volunt confessores. Tamen pœnitentes cum lacbrimis agant orationes, & Deo gratias referant semper, pro hebdomada CCC. Psalmos flectendo genua in Ecclesia aut in uno loco per ordinem canet, qui potest. Qui Psalmos nescit, & jejunare non potest, quantum sumit, penset, medietatem tribuet in eleemosyna.

CAPUT XLVII.

De Præcipuis Festivitatibus.

In istas præcipuas festivitates in anno: id est, Natale Domini, octava Domini, Theophania, Purificatio S. Mariæ, Pascha Domini, Ascensio Domini, Pentecosten, Natale S. Joannis, SS. Petri & Pauli, Assumptio S. Mariæ, S. Michaelis, S. Martini, S. Andreæ.

Doctrinæ utiles de Pœnitentia.

Tres suggestiones diabolus in hominem mittit. Primum suggerit homini, ut non suam faciat confessionem, quia juvenis est. Secundo dicit, quia alii gravius peccaverunt, quantum & diu vixerunt? tertio, tu pecca, quia magna est clementia & misericordia Dei, indulget tibi peccata tua, & per hanc securitatem ducit eum in infernum. 1.

Initium omnis peccati superbia; ex ipsa proferuntur septem principalia vitia, scilicet inanis gloria, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria; nam de inani gloria hæc oriuntur; inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinatia, discordiæ, novitatum præsumptiones. De invidia nascitur odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis. De ira proferuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. De tristitia nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis. De avaritia oriuntur proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, & contra misericordiam obduratio. De ventris ingluvie propagatur inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam. De luxuria generatur cæcitas mentis, inconsideratio, in- 2.

 con-

constantia, præcipitantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, vel desperatio futuri.

Sermo S. Augustini de Pœnitentia.

Admoneo Fratres in conspectu Dei, timori vestro timorem meum: qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. Audite ergo, quæ dicturus sum. Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, (quis enim sine peccato) sed vitam sine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicens: Dimitte nobis debita nostra &c. Si ergo faciat, quod sibi à Domino cupit fieri, quando diem finierit, vitam non finivit: sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam, de temporali ad æternam, sive iste voluntate sua currat ad Baptismum, sive in periculo constitutus baptizetur & transeat, ad Dominum vadit, ad requiem vadit. Baptizatus autem & postea desertor, violatorque Sacramenti fuerit, peccat, & Dominum repellit à se. Sed si agat veram pœnitentiam, ubi videt, qui vidit cor David, quando increpatus à Propheta graviter, & post comminationes Dei terribiles exclamavit dicens: *Peccavi.* Et mox audivit Dominus & abstulit peccatum ejus: Quantum valent tres syllabæ; tres enim syllabæ sunt, *Peccavi*: sed in his tribus syllabis flamma sacrificii cordis ejus ad cœlum ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat constrictus, & bene post pœnitentiam vixerit, post reconciliationem cùm defunctus fuerit, ad Dominum vadit, regno Dei non privabitur, à populo Diaboli separabitur. Quisquis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & transierit de corpore, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed nec præsumo dicere, quia bene hinc exiit; non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non verbis promitto. Fidelis bene vivens securus de hoc sæculo migrat, si agit pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus postea bene vixerit. Sed dicit aliquis: Quid est, bene vixerit? vel hoc nos instrue sacerdos bone, ut sciamus. Illum nescire te dicis, quia iis, qui acceptam pœnitentiam ad horam transit, si remittat illi facinora sua, si relaxet illi Deus peccata ipsius in die judicii, hinc nullam securitatem nobis das, vel quomodo bene vivere post pœnitentiam debeamus, docere nos debes. Dico ergo; abstinere ab ebrietate, à concupiscentia, à furto, à maliloquio, ab ipso immoderato risu, à verbo otioso, unde reddituri sunt homines rationem in die judicii. Ecce, quàm levia dixi; & omnia verba gravia & pestifera, & aliud dico, non solùm post pœnitentiam ab istis vitiis abstinere se debet homo, sed ante pœnitentiam, dum sanus est, quia nescit, si ipsam pœnitentiam possit accipere, & confiteri Domino & sacerdoti peccata sua. Ecce! quare dixi; & ante pœnitentiam bene vivendum est, post pœnitentiam melius. Agens verò pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus exierit de corpore, si securus hinc exit, & ego nescio: pœnitentiam dare possum, securitatem non possum. Quod dicturus sum, attendite, habeo planius exponere, ne aliquis me male intelligat. Nunquid dico, *damnabitur?* sed nec dico, *liberabitur*. Et quid mihi dicis sancte Episcope? quid tibi dicam nescio; jam dixi, non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate. Vis autem, Frater, te à Diabolo liberare? vis, quod incertum est, evadere? age pœnitentiam dum sanus es, & invenerit te novissimus dies; curritur, ut reconcilieris, si sic agis, securus es. Quare securus es? vis dico tibi? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo peccare potuisti. Ecce, dixi tibi, quare securus es, si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata. Sed respondet aliquis. Unde scis, si forte Deus misereatur, & dimittat mihi peccata mea? verum dicis, Frater, verum dicis, unde scio? & ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. At ille inquit: Ergo dimitte causam meam Domino; quid me tu verbis affligis, & judici me Deo dimittis? illius judicio te committo, cujus judicio me commendo: nam si scirem, nihil tibi prodesse pœnitentiam, non tibi eam darem. Iterum, si scirem, tibi prodesse, non te terrerem; duæ res sunt. Aut ignoscitur tibi, aut non tibi ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, ego ignoro; sed do consilium. Dimitte incertum, & tene certum, & dum vivis, dum sanus es, age pœnitentiam veram, ut cùm veneris in judicio Dei non ab eo confundaris, sed in regno cœlesti inducaris.

Explicit sermo S. Augustini.



Appen-

Appendicis

ad

Tractatum de Pœnitentia.

Pars II.

Ubi continentur

Directiones Confessariorum practicæ ex Decretis Summorum Pontificum, ex S. Carolo Borromæo, S. Francisco Xaverio, S. Francisco Salesio, Gersone, & aliis Scriptoribus.

INDEX PARTIS II.

I.

Epistola Encyclica Emin. Cardinalis Carpegna, in qua Clero Romano præscribit Instructionem D. Caroli Borromæi.

CASPARUS,
Episcopus Sabinensis,
S. R. E.
CARDIN. CARPEGNA,
Romæ & per Districtum Romanum
VICARIUS.

Reverendis Confessariis Romæ & per Districtum Romanum

Salutem in Domino!

Tametsi in nobis recognoscamus generalem obligationem instituendi Ministros bonos, fideles dispensatores mysteriorum DEI, ùt Paulus Apostolus loquitur: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & Dispensatores mysteriorum DEI*, haud dubiè tamen solicitudinem nostram in infinitum augere Nos oportet in ordine ad Ministros Sacramenti Pœnitentiæ, cujus usus sicut saluberrimus est fidelibus omnibus ad illud accedentibus cum necessariis dispositionibus, sic administratio est periculosissima Ministris illud non sicut oportet dispensantibus.

Tam ingentis mali timor urget Nos cum Apostolo dicere: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, id est, propria non quærens commoda, nec privatam suam satisfactionem, nec proprium intercesse vel honorem: sed solam DEI gloriam, animarumque salutem; quisque potestatem tam sublimem exerceat, non ut Dominus pro libitu, sed ut Minister, obstrictus reddendis supremo Judici JEsu Christo rationibus dispensati Sanguinis sui pretiosissimi, cujus applicatio ad lavandas peccatorum maculas ipsi committitur in hoc Sacramento.

Præmonuerat autem Salvator, Matth. 15. v. 15. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam*, id est, in æternam damnationem *cadunt*. Pharisæos etiam increpaverat Matth. 23. quòd amarent frequentiam concursúmque Sectatorum, quodque circuirent mare & aridam, ut facerent unum Proselytum, & cùm factus fuerat, malè ducendo, facerent eum filium perditionis; in majora peccata præcipitando. Alio loco eisdem objicit, quòd malo suo exemplo perversaque doctrinâ cælum hominibus clauderent, quod ipse per Passionem mortemque suam aperire venerat: Nec illud intrarent ipsi, eo quòd perversi essent; nec volentes introire permitterent, sed prohiberent, avertendo ipsos à via recta, quam ipsis præmonstrare tenebantur. Id totum haud dubiè eveniret, si sacri Tribunalis Ministri, malè vivendo in seipsis vitia nutrirent, quæ in ipsis confitentibus ex officio destruere tenentur; vel si sacro in Mysterio errarent, scientiæ defectu, Zelive indiscreti excessu: Vel si peccatorum foverent plagas, quas vino Christianæ Justitiæ, & oleo lenitatis tanquam boni Samaritani curare debent; vel si aliorum peccata curare non satagerent: sed eorum correctionem detestabili conniventia negligerent ex humano respectu ad potentiam, nobilitatemque pœnitentium suorum, vel ad commoditatem seu utilitatem temporalem ab ipsis speratam. Atque ita *confuerent*, juxta dictum prophetæ, *pulvillos sub omni cubitu manus, & cervicalia sub capite universæ carnis*. Super quibus molliter conquiescentes, per fallacem securitatem peccatis suis indormiscunt, tandémque culpâ ipsorum æternùm pereunt ii, pro quibus in sacro ministerio Confessionis, fidejussores se consti-

constituerunt, animasque suas pro animabus ipsorum oppignorarunt.

Necessarium proinde est, ut oneris sui pondus sentientes, juxta Sapientis consilium, nulli labori, nulli fatigationi, nulli parcant solicitudini in loquendo, Prov. 6. corrigendo, exhortando; nullamque sibi requiem dando, donec è tartarei draconis faucibus infelices animas istas eripuerint.

Ista namque de causa sancti Ecclesiæ Catholicæ Episcopi adeò soliciti fuêre, ut Sacerdotes ad tam sublime Ministerium destinati, summa cum applicatione illud exercerent, prout in Conciliis videre est. Pastorali quippe Zelo ipsos animante, nunquam cessarunt ipsis, velut conscientiarum Judicibus in memoriam revocare gravissima verba Regis Josaphat ad Veteris Legis Sacerdotes, populi duces: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: Sic agetis in timore Domini fideliter, & in corde perfecto, omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ostendite eis; ut non peccent in Dominum.* Hæc sunt, quæ sanctus ille Rex ipsis inculcavit, qui paulo ante, hanc dicti sui rationem solidissimam allegavit, quæ una mille valet, specialiterque in Judicibus sacri pœnitentiæ tribunalis procedit: *Quia non hominis exercetis judicium, sed DEI, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.*

Idipsum est, venerandi Confessores, quod vobis ob oculos proponit vivæ vocis oraculum supremi universæ Ecclesiæ Pastoris, qui & Pastor est specialis hujus sanctæ Civitatis, ubi prudentia, ubi sacri Ministerii Zelus florere debemagis, quàm in quovis alio orbis Christiani loco. Considerat utique pericula ingentia, quibus expositi estis, si Ministerii vestri debito plenè non satisfeceritis. Pondere Sanctuarii perpendit horrendas strages, quibus Christi Grex Pastoralis suæ solicitudini commissus desolabitur, si per vias rectas à vobis non deducatur. Terribile trutinat Judicium, in mortis articulo pronuntiandum in Ministros infideles, dum eos rationem reddere oportebit Sanguinis tot animarum, erga quas abusi fuerint, vel Sacri Judicis potestate (Absolutionem seu dando, seu negando, ex suo potiùs genio, beneplacitoque, quàm ex officii debito) vel spiritualis medici qualitate, sinendo miseras animas perire, necessariorum remediorum defectu. Quæ ipsis applicare neglexerint, vel per ignorantiam, vel per incuriam. Formidabilem recolit sententiam in lege gratiæ innovatam, quæ Sacerdotes nos longè magis concernit quàm Sacerdotes veteris Legis, quâ statuitur, ut Confessor solvat non solùm *dentem pro dente, oculum pro oculo, sed animam pro anima*, si pœnitentis sui animam perire contingat, qualicunque culpa ipsius, sive commissionis, sive omissionis.

Eapropter sanctissimus Pater provido Zelo animatus, vos omnes hortatur, ut ad vos reversi, Propheticum audiatis oraculum: *State super vias vestras, & videte, & interrogate, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Eumque in finem præcipit, uti nos ante per mandatum nostrum præceperamus, ut quotannis secedentes, per aliquot dies spiritualibus vacetis exercitiis, à vobismetipsis rationem exigentes grandis illius administrationis, quàm vobis ipse commisit, quâ pretiosus sanguis JEsu Christi dispensatur.

Novas vobis Leges proponit, ut in executione Ministerii vestri eas sectemini. Illæ ipsæ sunt, quas antehac præscripsit magnum Ecclesiæ lumen, verique animarum Pastoris Exemplar, S. Carolus Borromæus, de quo illud dici potest, quod olim de magno Basilio dictum fuit, quod utique sicut iste per *Cæsariensem*, sic ille per *Mediolanensem Ecclesiam toti præluxit orbi.* Nec tamen propriè loquendo Leges illæ pro novis habendæ sunt: cùm eas ipse excerpserit ex intimis visceribus seu spiritu disciplinæ veteris Ecclesiæ deque purioribus fontibus sanæ doctrinæ, seu potiùs ex natura ipsa Sacramenti pœnitentiæ; quod cùm institutum fuerit tribunalis in modum, ad noxas corrigendas, indispensabilem Ministris obligationem imponit, & puniendi noxas præteritas, & novas cum gratiæ auxilio, quoad fieri potest, impediendi.

Vos itaque sanctissimus Pater hortatur, ut legatis, relegatisque Leges tam sanctas *Instructionesque* tam plenas *cælesti* sapientia, atque ut eas præ manibus jugiter habeatis, velut Regulam Auream, quam sequendo depravatos populorum habitus facilè corrigetis.

Illud est, quod ipsius jussu vobis omnibus significamus, tanquam obedientiæ filiis, quos Sanctitas sua considerat velut comministros, cooperatoresque suos in magno divinorumque divinissimo Ministerio, cujus finis est animarum manuductio in cœlum, ut de Legis Evangelicæ Sacerdotibus dici nequeat: *Sinite eos, cæci sunt, & Duces cæcorum*, sed unusquisque vestrum piè exemplariterque vivendo, consiliisque prudentibus utendo, veram solidamque doctrinam sequatur, non in novellis infundatisque opinionibus, sed in doctrina praxique SS. Patrum, quos cælesti Deus clarificavit lumine ad directionem plebis Christianæ, ut cùm rationem vos reddere oportebit administrationis vestræ supremo Judici animarumque Patri, cum fiducia dicere possitis: *Cùm essem cum iis, ego servabam eos in nomine tuo, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, qui sequi noluit viam rectam, quam ipsi præmonstravimus, *& quos dedisti mihi, custodivi, & non perdidi ex eis quemquam.*

Nota.

Cùm dubitarem; hanc Epistolam Pastoralem revera ab Eminentissimo Cardinale Carpegna fuisse editam, eoquòd careat anno & die; nec ejus copiam repererim in Registris Vicariatûs à me non oscitanter perlustratis, proposui hoc meum dubium Reverendissimo DD. NICOLAO ANTONIO CUGGIO, Tribunalis Ecclesiastici Emin. Vicarii Secretario, qui jam tempore Emin. Cardinalis CARPEGNA fungebatur hoc munere. Respondit; certissimum esse, quòd ea Pastoralis à præfato suo Emin. Cardinale fuerit edita, & in confirmationem protulit quartam editionem

tionem ejusdem sub ipsis oculis totius Romæ typia Cameræ Apostolicæ adornatam; ut proin de authentia Epistolæ nec minimo scrupulo relinquatur locus.

Titulus hujus quartæ editionis erat iste: Avvertimenti di S. Carlo per li Confessori, stampati d'ordine della felice memoria di Papa Innocenzo XII. e publicati dalla ch. me. dell' Emo. e Rmo. Sig. Card. Carpegna suo Vicario, per uso de Confessori di Roma, e suo distretto, con le propositioni dannate, ed. altri Decreti alli mederni necessarii ed. utili. &c. In Roma, 1722.

II.

Instructiones S. CAROLI BORROMÆI, *Pro Confessariis.*

§. I.

Præfatio.

Ut Confessarii Sacramentum Pœnitentiæ administrent cum debito fructu, consistente in vera emendatione vitæ pœnitentium; nec in negotio tanti momenti ex defectu debitæ diligentiæ gravent proprias conscientias, quod merito de multis valde timeri potest, cùm universim tam exigua deprehendatur emendatio in iis, qui jam tot annis frequentarunt hoc Sacramentum, collegimus in unum omnea constitutiones atque admonitiones nostras, in diversis occasionibus desuper factas cum auctario quodam, utili ac necessario nobis viso in hunc finem. Itaque exhortamur eos in visceribus Domini nostri JEsu Christi, ut juxta exigentiam atque obligationem muneris & vocationis suæ in negotio tam gravi respiciente salutem animarum cum omni diligentia cooperentur intentioni nostræ in ordine ad dirigendum hunc populum nobis à Domino concreditum in viam vitæ.

§. II.

Nullus Sacerdos excipiat Confessiones sine Facultate Ordinarii.

1. Nullus Sacerdos, Sæcularis vel Regularis audeat administrare Sacramentum Pœnitentiæ, nisi priùs obtenta approbatione & facultate nostra, prout statuitur in Concilio Tridentino. Sess. 23. de Reform. c. 15.

2. Nullus in hoc seipsum fallat sub prætextu, quòd confitentes sint pueri; quia facilè potest contingere, quòd in multis eorum non obstante tenera ætate reperiantur peccata mortalia. Nec quispiam semetipsum decipiat sub prætextu necessitatis, sumendo pro casu necessitatis omne genus infirmitatis, aut infirmitatem etiam gravem ac periculosam, quando potest haberi recursus ad proprium Parochum, vel ad alium Confessarium à nobis approbatum.

3. Sacerdotes, qui à nobis habuerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam tamen ad certum tempus, ad certum locum, vel ad certum genus personarum, attendant, ne transgrediantur limites facultatis sibi concessæ.

§. III.

Quomodo Confessarius uti debeat facultate absolvendi à Casibus reservatis.

Confessarii, qui à nobis habuerint facultatem absolvendi à censuris, & à casibus reservatis, eâ utantur cum moderatione in ædificationem, & non in destructionem.

§. IV.

De Studio Casuum Conscientiæ.

1. Omnes Confessarii, quantumcunque à nobis approbati, ob varios ac sæpe etiam difficiles casus in dies occurrentes, indefinenter præ manibus habeant bonos & approbatos Authores tractantes de Casibus Conscientiæ. Et quando tales Authores non sufficerent ad resolvendum aliquem difficilem casum recurrant ad Virum doctiorem se, ac in tali merita expertum.

2. Benè examinent proprias vires ac scientiam; nec se ingerant ad excipiendas Confessiones personarum, de quibus dubitant, an non sint irretiti casibus, quos ignorant resolvere.

3. Habeant bonam notitiam censurarum, & casuum reservatorum, præsertim Bullæ in Cæna Domini. Sæpe etiam legant Canones Pœnitentiales, & præsentes has instructiones.

§. V.

Vita Confessarii debet esse exemplaris. Peccant graviter, qui audiunt Confessiones in statu peccati mortalis.

1. Cùm dubium non sit, quin is, qui peccato mortali infectus, sacramentum quodvis administrat, novo se scelere rursus obstringat; diligenter observent, qui Confessarii partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minùs id audeant, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

2. Qui verò fervidi animi Confessarius est, animarumque salutis studiò tenetur, ut eas ad virtutes inducat, divinisque remediis adjuvet, quibus contra peccata vel pœnitens utatur, vel ab eisdem abstrahatur, qui doceat, itidem dæmonis astutias perspectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & novum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam, speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum pœnitentiæ ministret, sed cùm facilè cognoscat, magnopere referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat, quandoquidem plus exempla, quàm verba commovent animos, neque quia aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in

in se possideat, idcirco perfectionis suæ totus amore ferveat necesse est, atque iis in virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

3. Sed quoniam Regulares, cùm ad confessiones audiendas emittuntur, solùm examinari solent, sintne sufficientes, & doctrinam justam habeant, neque nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias oneramus, ut ad hujusmodi provinciam non alios nobis in publicum deducant, quàm qui probitate, atque integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant.

§. VI.

Confessarii debent se exhibere promptos ad audiendas Confessiones.

1. Prompto ac parato animo ad confessiones audiendas accedant, evitentque diligenter, non solùm ad subterfugiendum laborem, ne submoveant intempestivè venientes ad se confitendi gratia, sed neque signo, aut verbis ullis præseferant, ægrè se gravatoque animo confessiones eorum excipere; quin potius ita se comparent, ut intelligant pœnitentes, eos salutis eorum causâ multum solatii & gaudii ex iis laboribus haurire.

2. Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excusationem justam prætexere possint, se non esse confessos, maximè quibus temporibus ad id tenentur, per speciem quasi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus Confessarios, si vel ad exequias, vel quævis alia Ecclesiastica munia illos evocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, ut ne confessiones iis diebus propterea vel interrumpant, vel intermittant, quibus frequentiores solent occurrere, maximè octiduo, aut amplius ante diem natalem D. N. J. C. in Quadragesima, & præcipuè circa medium illius usque ad octavam Paschæ, nonnullis etiam diebus, cùm Jubilæum promulgatum est, aliisque solemnioribus festis, quibus ut plurimum populus vel omnis, vel ex majori parte ad confessionis Sacramentum confluit.

3. Cupimus etiam in hunc finem Superiores Regularium certiores ea de re redditos, ut prædictis temporibus procurent, quantum poterunt numerum maximum confessariorum, qui doctrina & timore Domini insignes, atque à nobis approbati in suis Ecclesiis pœnitentes audiant.

§. VII.

Aliqua observanda in Confessione infirmorum.

1. Quoties Regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud non suadeat, ex Pastore prius intelligant, quæ conditio & status sit ægroti, ut tanto diligentiùs animadvertant, si quid allevamenti conscientiæ illius præberi valeat, præsertim in summo temporis illius articulo, in quo velut in cardine vertitur aut animæ salus aut perditio æterna: quodsi temporis brevitas non patiatur ante confessionem id fieri, saltem ab audita confessione quàm citissimè fiat, ut tam ipse Confessarius quàm Pastor in procuranda hominis infirmi salute suo officio non arguantur defuisse.

2. Cùm primùm Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ ægroto cuipiam ministravit, promptè subscribat testimonialem schedam de Confessione deposita, ne Medici deponant infirmi curam juxta Bullam S. Pii V. aut ne ob negligentiam Confessariorum in præfata fide præstanda Medici sumant occasionem excusandi se ab observantia dictæ Bullæ.

§. VIII.

In quibus locis, & quibus Horis debeant audiri Confessiones.

1. Sæcularium in domibus Confessiones nemo audiat, nec virorum, nec fœminarum, cujuscunque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod cùm fit, & mulierum confessiones Sacerdos excipit, ostium apertum sit, ita ut ab iis, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

2. Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, etiam si vel leviter reconciliari tantummodò vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem eo loco, nisi post ortum Solis, & ante ejus occasum audiantur.

3. In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur, etiam virorum, si qui solent in templo confiteri.

§. IX.

De Forma & loco Confessionalium.

1. Hanc ob causam omnibus in templis sedes hujusmodi tam multæ construantur, quàm multi solent esse Confessarii.

2. Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, ut ex omni parte conspici possint: quòd si præterea locus haberi talis possit, ut obstaculum aliquod intercedat, ut dum quis confitetur, interea cæteri à spatiis plus æquo propinquis arceantur, id fiat; ubi verò malus mos aliud obtinet, Confessarii partes erunt, sedem ipsam loco movere, simul & populum nimis vicinum antequam confideat propellere: quod item faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

§. X.

Qualis esse debeat intentio & præparatio Confessariorum, antequam excipiant Confessiones.

1. Confessarius in hujus Sacramenti administratione sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, ut nullus eum intuitus humanus eò protrahat, sed sola Dei gloria, & animarum salutis desiderium: quocirca quoties vel evocabitur ad confessiones audiendas, vel ad eas sese

sese conferet, totus in Deum erectus, in ipso opere mentis oculos in hunc finem conjiciat, & diligenter attendat, se eo pergere, ut pœnitente pretiosissimo Servatoris nostri Jesu Christi sanguine abluat ac mundet.

2. Sed quia hujus Sacramenti tractatione multa inveniuntur pericula, ne scilicet errent in variis quæstionibus, & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiant, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta fœditatesque audire necessarium est, nunquam ad tantum hoc officium sese Confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione, prout res feret, lumen & gratiam à Domino, petat, ut non solùm in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verùm aliorum sordes sic abstergere valeat, ut se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est. Habeant igitur singuli versiculos illius Psal. 50. & orationem antiquis temporibus ab Ecclesia usitatam penes se in scriptis, ut antequam ad Confessiones egrediantur, eam vel similem aliquam, prout cujusque pietas feret, apud se legant:

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*
℣. *Ne projicias me à facie tua.*
℟. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*
℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
℟. *Et Spiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impii ad te convertentur.*
℣. *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.*
℟. *Et exaltabit lingua mea justitiam tuam.*

Oratio.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officii Sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus: ideoque Dominator Deus, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant: suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis, & resipiscant à Diaboli laqueis, quibus astricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

§. XI.

Pœnitentes admonendi sunt, ne deserant suum Confessarium Ordinarium.

1. Si Confessarius pœnitentem aliquem deprehenderit, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, qui quidem perappositus erat alioqui ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eundem peropportune reducere, tum reprehensa perniciosa hominum negligentia, qui Confessarium doctum & prudentem sibi deligere negligunt, tum quasi noxiam & vitiosam frequentem mutationem Confessarii detestando: quemadmodum enim Medici, qui naturam temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutari solent, quod morbis necessaria facilius invenire remedia norint; sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à Medicis suis discedere debere, cùm ii melius animarum vulneribus adhibere opportuna ac utilia instituta possint.

§. XII.

Non debent admitti ad Confessionem, nisi bene præparati. In qua consistat ea præparatio tam interna, quàm externa?

1. Confessarii non admittant ad Confessionem eos, qui non accedunt cum debita præparatione tam externa quàm interna. Tales suavibus verbis juxta cujuslibet capacitatem admonendi sunt, ut prius se debite præparent, ac postmodum revertantur.

2. Itaque nullus Confessarius audiat confessiones mulierum, nisi modeste vestitæ sint; ita enim congruit reverentiæ huic Sacramento debitæ, & cognitioni & contritioni pœnitentium, cum qua sistere se debent ad tribunal Domini, à quo tanquam supplices rei misericordiam ac veniam exspectent.

3. Majus multo studium Confessarius ponat in inquirenda interiore præparatione. Ea præparatio consistit in prævia bona & diligenti examinatione conscientiæ de peccatis, & in studio procurandi debitum dolorem, & in firmo ac generoso proposito satisfaciendi de præteritis, & emendandi in futurum. In quibus igitur eam præparationem desiderari animadvertent, verbis benevolis persuadere conabuntur, ut conscientiam suam diligentius examinent, ac demum rite præparati revertantur.

4. Signa autem, ex quibus conjectura sumi potest, eos sine debita præparatione ad hoc Sacramentum accedere, hæc sunt: si immediate veniunt ab aliqua occupatione temporali, nullo temporis spatio prius in orationem collato; aut si appareat, quod nullam habeant cognitionem de commissis peccatis; aut si Confessarius certo sciat, quòd semper perseverent in illicitis actionibus; vel in se retineant aliquod peccatum, aut occasionem manifeste inductivam ad peccatum, nec habeant intentionem eam relinquendi; aut si possint restituere res alienas, eas tamen non restituant.

5. Advertat tamen Confessarius, si pœnitentes studii nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit & observet; tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, aliquid iis deesse, ut ipsemet, quod deest, suppleat sua industria, & ad cognitionem majorem eos inducere allaboret: quod fiet optime, si peccati turpitudinem & gravitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo adver-

adverſetur vel maxime, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum afferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & ſic efingere conetur, ut de univerſis & ſingulis peccatis mortalibus ſaltem attritionem concipiat, ut ſecure eis abſolutionis beneficium poſſit impertiri.

6. Præterea pœnitentes, eos præcipue, qui rarius confitentur, pro judicio & neceſſitate cujuſque, rationem ac methodum quandam bene confitendi diligenter edoceat, ac ſpeciatim quantum interſit, ut integra ſit confeſſio, aliaſque circumſtantias, quæ ad eam requiruntur, exponat.

§. XIII.

Modus obſervandus circa Confeſſiones Puerorum & Puellarum.

1. Conſuetudo ſancta eſt, puernlos, etiamſi quintum aut ſextum ætatis annum necdum exceſſerint, ante Confeſſarium adducere, ut ſic incipiant paulatim inſtrui, ac manu quaſi in cognitionem, atque uſum hujus Sacramenti transferri: caveant tamen accurate Sacerdotes, ne abſolutionem eum Sacramento iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; ut judicare poſſint, eos hujus Sacramenti capaces eſſe: operam tamen majorem collocabunt cum iis, qui ſeptimum aut octavum annum jam attigerunt, quantùm puerilis ætas ferre videbitur, ut bujus Sacramenti neceſſitatem & virtutem, nec non modum, quo ſuſcipitur, perſpicue intelligant.

2. Qui verò Confeſſiones audiunt puerorum aut puellarum, qui jam annos decem aut duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum altaris propediem fore exiſtimant, ſolerter videant, ne vel ſua, vel parentum negligentia & ſocordia, abſque guſtu tanti theſauri ſpiritualis eos patiantur adoleſcere: quin potius quanto minori cum productione temporis, quamque diligentiſſime fieri poterit, doceant eos, quæ ad boc Sacramentum percipiendum neceſſaria ſunt, fructuſque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi dimiſſione ac reverentia, quamque magna conſcientiæ puritate opus ſit.

3. Cæterum poſtquam iterum atque iterum eorum confeſſiones jam audierint, vel per ſe Venerabile Sacramentum eis porrigant, illiuſque rei fidem ſcripto faciant, ut Paſtori ſuo exhibeatur, quo deinceps in Paſchate ad communionem Paſtor eos cum cæteris adjungat, vel ad eam ſumendam inſtructos & idoneos eſſe ſcriptis declarent, atque proprium ad Paſtorem amandent.

§. XIV.

Interrogationes initio Confeſſionis faciendæ.

1. In principio Confeſſionis, antequam pœnitens incipiat exponere ſua peccata, debet Confeſſarius, præſertim circa perſonas ruſticanas aut eas, quæ raro ſolent confiteri, præmittere aliquas interrogationes, pro meliori earumdem directione. Interrogationes autem ſunt ſequentes.

2. Si Confeſſarius dubitet, an pœnitens ſit ex eorum numero, reſpectu quorum ipſe non babet facultatem audiendi confeſſiones, interroget de hoc pœnitentem. Quodſi repererit, ſe in hunc pœnitentem non habere juriſdictionem, remittat eum ad talem Confeſſarium, qui habet facultatem excipiendi ejus Confeſſionem. Si vero ſit ex eorum numero, quorum ipſi licet excipere Confeſſiones, nec tamen habeat notitiam de ſtatu pœnitentis, interroget eum de ſuo ſtatu, conditione, profeſſione, arte aut negotio, quod exercet?

3. Interroget præterea, à quo tempore ſit confeſſus? inculcetque ipſi ingentem fructum, qui ſequitur ex frequenti confeſſione.

4. Utrum exſolverit pœnitentiam ſibi injunctam?

5. Utrum ſciat articulos Fidei, Decalogum, & præcepta Eccleſiæ? ſi ea ignoraverit, dirigatur eo modo, qui infra aſſignabitur.

6. Utrum in excutienda ante Confeſſionem conſcientia adhibuerit debitam diligentiam, quæ debet eſſe tanta, quanta ſolet adhiberi in graviſſimo negotio. Tale enim re vera eſt ſuſceptio hujus Sacramenti. Exinde poterit ſumi occaſio, inſtruendi, ubi opus fuerit, pœnitentem circa modum examinandi conſcientiam, ac reducendi in memoriam omnia commiſſa peccata cum ſuis circumſtantiis, is verò conſiſtit in eo, ut pœnitens ingrediendo ſe ipſum diſcurrat circa ſuam vitam primo quoad diverſitatem ætatum, videlicet pueritiam, juventutem &c. Secundo quoad diverſitatem ſtatuum, in quibus vixit, videlicet primùm ante matrimonium, poſtea in matrimonio. Tertio quoad varia accidentia humanæ vitæ, videlicet proſperitatem, adverſitatem, ſanitatem, infirmitatem, varia tempora, diverſa adminiſtrata officia, ſocietates & familiaritates, loca, provincias, domos à ſe habitatas aut frequentatas; ac demum in omnibus iſtis diſquiſitionibus inquirat, an peccaverit cogitatione, verbo, vel opere.

7. Ad hæc conditiones, quæ ad confeſſionem perfectam requiruntur, quanta poterit brevitate, & facilitate illi proponet: poterit verò ad quatuor vel quinque præcipuas reducere illas ſedecim à Doctoribus ſæpe commemoratas, quæ his verſibus continentur:

> *Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura fidelis,*
> *Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,*
> *Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,*
> *Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.*

8. Rogabit, an recordetur ſe, vel in caſum aliquem reſervatum, vel excommunicationem incidiſſe, vel quod aliud impedimentum habere, à quo probabiliter arbitretur, quòd abſolvi non poſſit: ſi quid hujuſmodi in exordio, vel in ipſo decurſu confeſſionis reperiat, ne procedat ulterius, ſed ſignificet pœnitenti, eum à ſe abſolvi non poſſe, verùm neceſſarium eſſe, ut alteri, cui à ſimilibus caſibus abſolvendi poteſtas collata eſt, ſe exbibeat: ſi tamen ratio aliqua ſubſit, cur confeſſarius non expedire judicet, ut pœnitens id agat, tum ipſemet pro abſolvendi poteſtate impetranda recurrat.

9. Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, ferio commonefaciat eum pœnæ excommunicationis, & quæ gravitas illius, quamque periculosum in ea perseverare, quantaque cum diligentia fugienda sit excommunicatio: quod commode fiet, si effectus illi demonstret nonnullos excommunicationis.

10. Interroget utrum sciat hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectum, vel simile quippiam, qnod juxta eorum, qui Inquisitores vocantur, Leges denuntiare teneatur: quodsi pœnitentem ad tale quid aperiendum cognoverit teneri, curet ab eo satisfieri, & si negligentia sua factum est, postquam apud eum hæretici, vel suspecti de hæresi alicujus notitia fuit, aut terminus his denuntiationibus præfixus transierit, eo articulo jubebit ut licentiam impetret, qua absolvi possit; non enim satis tempestive perfecit denuntiationem, ut debebat.

11. Circa Confessiones antegressæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri, quæ sunt ad cognoscendum necessariæ; num aliquo in peccato erratum sit ab integritate confessionis, ob quod nullius ponderis neque virtutis extitissent cæteræ confessiones, ac proinde reiterandæ essent. Exempli gratia, si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absolvere non potuerit, vel qui legitima absolutionis forma usus non fuerit; vel Sacerdoti adeo indocto, ut ea, quæ ad hoc Sacramentum requiruntur, nec intellexerit, nec sciverit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diviserit, enumerata parte peccatorum suorum uni Confessario, alteri altera; vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis, nullove deliberato emendandi proposito, confessus sit, vel, quod etiam contingit interdum, si nullam omnino diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contulisse.

12. Et quoniam cernere est negligentiam maximam in confessionibus rite faciendis sæpenumero committi, præcipue verò eo tempore, quo quidam repudiato à se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur, ut potius veniant ad Confessionem ex certa quadem agendi consuetudine, quàm quòd peccatorum suorum agnitione eo perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint: in universum autem ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim, cùm ex animo quisquam statucrit imposterum vitam in melius commutare, & totum se ad Deum convertere; Confessarii pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco ad generalem quamdam confessionem pœnitentes exhortentur, ut per hanc, proposita omni præterita vita sibi ob oculos, majore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus confessionibus accidere, resarciant.

13. Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis veluti præambula quædam & præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, ut ipsemet omnia peccata sua, quorum recordatur, exprimat per se: quod ubi fecerit, si perspiciat adhuc (quod sæpenumero accidere solet) eum aliis interrogationibus indigere, per quas multa, quæ oblitus sit, reducantur in memoriam, vel ea, quæ prius confuse dixerat, distinctius consideret. Speciatim peccatorum mortalium numerum semper quàm poterit exactissime inquirat, & quamvis fieri posset, ut non usque adeo præcise & velut ad unguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paulo plus, minusve eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

14. In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, Initio ducto à Præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus si cum personis, quæ raro ad confitendum accedunt, agatur, utile erit etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

§. XV.

De Prudentia Confessarii circa interrogationes faciendas pœnitenti.

1. Confessarius utatur singulari prudentia & industria in exquirendis peccatis in eo statu, in quo pœnitens versatur, communiter committi solitis.

2. Quoad peccata verò luxuriæ præter prudentiam in inquirendo insuper opus est cautela, ut, postquam cognoverit speciem peccati & circumstantias notabiliter aggravantes, censeat nihil aliud esse inquirendum.

3. Ob hoc Confessarius instructus sit, quales sint circumstantiæ speciem mutantes, aut notabiliter aggravantes, quia hæc duo circumstantiarum genera necessario explicari debent in confessione. Id intelligere poterit ex Summis, in quibus hoc versu declarantur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

4. Præ cæteris tamen providus cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri ac puellæ interrogentur, ne forte, quæ prius ignorabant, eos doceat: verbis autem adeo commodis interrogationes suas circumloqui nitatur, ut pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admovet alicujus confessioni audiendæ, caveat omni modo peccati gravitatem à se auditi, gestu corporis vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, ut propterea aliud grave peccatum subticeat; imo contra animum ei addat, ut omnia, quantumvis enormia, & turpia peccata aperire non vereatur.

§. XIV.

Cautela in commutandis votis, & circa absolutionem à peccatis enormibus.

1. Confessarius, qui Privilegium aliquod, facultatem vel auctoritatem habet pœnitentium vota commutandi, ea non nisi in alia opera pia majora: Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, In quo negotio diligenter quas

attendet expenſas, labores, aliaſque difficultates, quas ſuſtinere neceſſe fuiſſet, ſi vota à ſe nuncupata primo modo debuiſſet perſolvere.

2. Quamvis vero per Jubilæum, aut litteras Apoſtolicas Privilegium aliquod ei conceſſum ſit ab omnibus peccatis quantumvis enormibus, ac pœnis, cenſuriſque Eccleſiaſticis abſolvendi, præmonemus tamen, quod diſpenſare non poſſit cum eis, qui irregularitatem incurrerint, niſi in ipſis litteris expreſſa hujus fiat mentio.

§. XVII.

Caſus, in quibus à Confeſſario neganda vel differenda eſt abſolutio pœnitentibus.

1. Ut Confeſſarii plenius inſtruantur, nec abſolutionis beneficium iis impertiantur, qui eo revera indigni ſunt (id quod vel incuria, vel negligentia, vel alia de cauſa ſæpe accidit, ac proinde multi in eiſdem ſemper peccatis hærent, cum animarum ſuarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum tum ſæcularium, tum regularium diverſorum ordinum conſenſu, quædam quæ in frequentiori conſuetudine agendi à Confeſſariis obſervanda erunt, inferius notavimus: qnandocunque verò ab iis pœnitentes vel abſolvent, vel relinquent ligatos, volumus ut ſecundùm id, quod infra dicetur, ſua conſilia dirigant.

2. Itaque quandoquidem quilibet, qui jam ad rationis uſum pervenit, ſub pœna peccati mortalis articulos omnes Fidei ſcire, & intelligere (ſaltem quoad ſubſtantiam) tenetur, necnon Decalogum, & S. Matris Eccleſiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in ſcholis cum Cathechiſmo doceri ſolent: ſi Confeſſarius deprehendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea quam citiſſime poterit perdiſcenda promptum, non debet eum abſolvere: ſi verò ad ea mandandum memoriæ paratum ſeſe exhibeat, ſi tamen alias à Confeſſario (ſive ipſemet is ſit, ſive alius) vel ſpeciatim à Paſtore ſuo hac de re admonitus fuerit (de quo interrogetur) neque tamen tantum ſtudii adjunxerit, quantum debuit pro capacitate ſuæ perſonæ, eouſque abſolutionem differat, donec aliquo modo ſatisfaciat: verùm ſi hac de re admonitus à nullo fuerit, poſtquam eum in ſupradictis ita generaliter inſtruxerit, ut eo tempore reddatur abſolutionis capax, poterit eum abſolvere.

3. Si Patres, aut Matresfamilias fuerint, qui curæ ſuæ ſubditos ſive filios ſive filias, ſive ſervos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerit) cùm rudimenta fidei non teneant, addiſcere non compellunt, vel non advigilant, ut Decalogi & Eccleſiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod pejus eſt, ab eorum obſervatione eoſdem prohibeant; ut faciunt qui ſervos & ancillas uſque adeo occupatos diebus profeſtis detinent, ut pro neceſſitatibus propriis diebus feſtis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, ut ſecundum Eccleſiæ præceptum ſacro officio Miſſæ intereſſe queant, aut qui neſcientes, quinam eorum, qui in familia ſua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiſcue tempore quadrageſimali, aut aliis jejuniorum diebus, cænam; vel tempore antemeridiano eſcam ante horam debitam in ædibus ſuis præbent, vel dari patiuntur: aut ſi quando hæc præcepta tranſgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel ſi ſervi corrigi nolint, & cæteris ſcandalo ſint, è domo ſua non quamprimum eos ablegant.

4. In omnibus his peccatis, niſi reipſa præſtent officium ſuum, negligentiamque in familiæ adminiſtratione commiſſam, quantum ad ea, quæ dicta ſunt, attinet, in poſterum ſeſe emendare promittant, nullo modo eos abſolvat: quodſi in ſe recipiant ea ſe facturos, nec horum admoniti unquam à Confeſſario vel Paſtore præſcripto modo fuerint, poterit eos abſolvere: quodſi ſæpius fuerint reprehenſi, nec ſeſe correxerint, tamen abſolutio differatur, donec promiſſa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio oſtenderint.

5. Confeſſarius eundem cum eis modum ſervabit, qui diebus feſtis operantur, vel à venditionibus & ſimilibus, quæ in illis prohibentur, non abſtinent. Idem etiam ſervetur cum iis, qui in immoderato corporis ornatu & faſtu mortaliter peccant.

§. XVIII.

Caſus, in quibus pompæ & vana ornamenta ſunt peccatum mortale.

1. Ac verò cum hac tempeſtate luxus veſtium ad ſummum, quo conſcendere potuit, verticem videatur evaſiſſe, idque magna ex parte culpa & negligentia Confeſſariorum accidat, qui vel ex inconſiderantia, vel forte nullo pœnitentibus moto ſcrupulo eos abſolvunt, capita quædam in medium afferemus, quibus propter ornatum & luxum in veſtitu, faſtumque animi ingentem, plerumque mortaliter peccatur, ut cùm abſolutio danda erit, ſecundum eas regulas actiones officii ſui metiantur.

2. Si quis igitur veſtitu ſpendidiore induitur, vel eo ſeſe ornat ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccatur: ad hæc qui veſtimenti ſumptuoſi gratia vel ipſe delinquit, vel alii ejus nomine Præceptum Domini vel Eccleſiæ tranſgrediuntur, ita ut, ne veſtis non conficiatur, feſtis diebus ſartori operandum ſit, vel ipſe certè eum operari, aut ſacrum Miſſæ officium omittere, vel ut alii omittant præbetur ab eo occaſio; vel ſi cauſam præſtat conjugi, iiſque ad quos ſpectat ejus ſuſtentatio, ut pluſquam privatæ opes ferunt, in veſtitum impendant; vel ſi prævidet, ut merito debet prævidere, aut ſaltem probabiliter dubitat, quod odium veſtium cauſa gignatur, diſſenſioneſque in ædibus fiant, vel quòd indumenti cauſa conjux aut aliorum quiſpiam blaſphemias evomat, aut lucra, contractuſque illicitos exerceant: His adde eos, qui ornatus gratia non ſine peccato mortali ſuperſedent eleemoſynis neceſſariis, aut legata pia non exequuntur, aut ſimilia, quibus obſtricti ſunt, complere negligunt, vel qui pro veſte mercedem operariis denegant, ſolvere vel differunt, aut ære alieno ſic ſe obruunt, ut cum tempore ſolvendo non ſint futuri.

futuri. In hoc etiam ordine ponendi sunt, qui ut se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt; vel ita se exhauriunt, ut filias cùm ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere: ad extremum cùm prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata similia iis, quæ dicta sunt, inde prodibunt, qualia fere solent sumptuosum & insolentem earum usum comitari. In omnibus, quæ diximus, judicandum est peccatum esse mortale indulgere nimio vestitui.

3. Cæterum cùm fieri vix possit, ut qui supra, quàm suæ copiæ ferunt, insumit, non animum advertat ad peccata consecutura, vel ut minimum possit & debeat advertere, potest in universum rectè judicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione certa ratione contrarium existimetur.

4. Neque solùm peccatur mortaliter, quando expensæ in vestium ornatum collatæ facultates excedunt & statum, sed etiam incurritur peccatum mortale in modo sese ornandi, ut fit, quando ornatus vestium per se, vel saltem ex communi interpretatione hominum est inductivus ad luxuriam; aut, licet ille ornatus non sit de se inductivus ad peccatum, advertitur tamen, vel probabiliter timetur, quod ex ejusmodi genere ornatus, inter probos ejusdem secum conditionis ac status non consueto, aliqua persona sit Inducenda ad inhonestum amorem, aut ad fovendum peccatum, quo casu signum est, quod parum curetur salus proximi, quem videt perire ex suo tali ornatu; vel denique, quando hujusmodi exornatio fit cum intentione monstrandi varios affectus amoris inhonesti, & eosdem significandi per varios colores, aliisve modis.

5. Præterea advertat Confessarius, non solùm eos non posse absolvi, qui re vera non habent firmum propositum relinquendi peccatum mortale; sed illos quoque, qui, licet affirment, se habere voluntatem relinquendi peccatum, simul tamen afferunt sibi videri, quòd illud non sint relicturi. Et hi enim absolvendi non sunt, nisi velint suscipere ea remedia, sine quibus Confessarius judicat, eos reversuros ad peccatum.

6. Denique differatur absolutio, usque dum appareat aliqua emendatio, etiam iis, qui licet afferant & promittant, quòd relicturi sint peccatum, nihilominus juxta judicium Confessarii probabiliter non sunt relicturi peccatum, quales sunt aliqui viri, præsertim otiosi juvenes, qui majorem partem temporis ex professo impendunt in lusibus, crapulis, amoribus, peccatis luxuriæ, blasphemiis, verbis inhonestis, murmurationibus, odiis, detractionibus; & solùm ultimis diebus quadragesimæ accedunt ad Confessionem. His accensendi ac consimiliter tractandi sunt, qui multis annis perseveraverunt, & relapsi sunt in iisdem peccatis, nec ullam adhibuerunt diligentiam se emendandi.

§. XIX.

Explicatur, quales sint occasiones proximæ, quæ relinquendæ sunt ante receptionem Absolutionis.

1. Confessarius non potest etiam absolvere eos, qui non habent firmum propositum, simul cum peccatis mortalibus relinquendi occasiones eorum. Et quia summopere necessarium est, ut Confessarii rem hanc bene intelligant, pro eorum instructione hic uberius explicabitur.

2. Occasiones peccati mortalis vocantur, quæcunque præbent causam peccandi. Id verò contingit, dum vel sunt per se inductivæ ad peccatum; vel dum confitens in eo genere peccati jam ita consuevit peccare, ut Confessarius rationabiliter debeat judicare, quod ob pravum suum habitum nec de futuro sit evitaturus peccatum, si in eisdem occasionibus perseveret.

3. Occasiones per se inductivæ ad peccatum sunt istiusmodi; se dare ex professo lusui chartarum vel alearum; in eundem finem tenere domum aliis paratam; personam, cum qua peccat, tenere in domo, aut suo rogatu fovere in alia; aut quovis alio modo cum ea cohabitare; perseverare in colloquiis, aspectibus, conversationibus, & aliis gestibus vel exercitiis impuris ac lascivis.

4. Itaque si pœnitens tali aliqua, vel alia simili occasione implicatus fuerit, & illa occasio actu existat, ut est tenere concubinam & similia, à Confessario non est absolvendus, nisi prius actu occasionem reliquerit. In aliis occasionibus, ut professio ludendi, aspectus, conversationes, gestus &c. Si non promittat, ea se relicturum; aut si promittat, & tamen appareat, quod jam aliis vicibus idem promiserit, nec tamen se emendaverit, differatur tamdiu absolutio, usque dum appareat aliqua emendatio.

5. Et quia potest contingere, quod pœnitens non obstantibus quibuscunque motivis à Zeloso Confessario propositis non possit relinquere occasionem sine periculo vel scandalo, debet Confessarius uti sequentibus remediis.

6. Primo differat absolutionem tamdiu, donec videat probationem certam veræ emendationis. Si verò non possit differri absolutio, quin pœnitens exponatur periculo infamiæ; & in eo appareant signa contritionis & dispositio ac promptitudo ad recipienda remedia, quæ visa fuerint necessaria pro ejus emendatione, debebit Confessarius ipsi præscribere ejusmodi remedia, quæ censuerit magis opportuna, v. gr. ut nunquam conversetur solus cum tali persona, ut persolvat certas orationes, ut subeat quasdam macerationes carnis, ut ante omnia frequenter confiteatur, & similia; quæ remedia si acceptaverit, poterit à Confessario absolvi.

7. Si verò post adhibitam à se vel alio præcedente Confessario hanc industriam non fuerit emendatus, non est absolvendus, priusquam actu sustulerit occasionem, nisi in casu, quo aliter nobis visum fuerit. In hujusmodi enim circumstantia ad nos recurrendum, & casus nobiscum conferendus est, reticendo tamen personam.

8. Occasiones peccatorum mortalium secundi generis, hoc est Occasiones respectivæ ad personam sunt illæ, quæ licet de se sint licitæ, nihilominus sunt tales, ut prudenter judicari possit, pœnitentem ad eadem peccata reversurum, si in iis occasionibus perseveraverit, prout de præterito contigit. Tales Occasiones ob generalem corru-

corruptionem hominum respectu multorum solent esse militia, mercatura, Magistratus officium, munus Advocati vel Procuratoris, & alia similia exercitia, in quibus homo assuctus ad peccandum mortaliter per blasphemias, furta, injustitias, calumnias, odia, fraudes, perjuria, & alias similes offensas divinas, scit sibi recursuras easdem occasiones, nec habet causam cogitandi, quod sit futurus fortior contra peccatum, quam prius se exhibuit, ac consequenter relapsurus est in eadem peccata.

9. Omnes, qui sunt hujusmodi, secundùm D. Augustinum vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia, & obedientia pii ac probati Sacerdotis non exereeant; qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si rationabiliter existimet ad easdem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseverat. Sed æquum est, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum exspectetur. Atque hic vigilandum est eo diligentius, quo manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.

10. Exempli gratia, in Magistratu adeundo & aliis officiis assumendis multa juramenta repe
riuntur, quæ servari debeant; quæ tamen postea non servantur.

11. Inter Consiliarios, Advocatos, Procuratores, elientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id, quod propria conscientia dictat faciendum.

12. Idem fit in bello, ubi duellis locus datur, ubi odiis, homicidiis plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricii. Apud mercatores hæc regnant, usuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miscent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multoque pluris quàm pretium justum est, eas distrahunt; nec desunt perjuria, mendacia, vectigalium fraudulenta aversio, aliaque ejus ordinis permulta.

13. Multi opifices festis æque ac profanis diebus ita occupantur, ut nunquam neque cultui divino vacent, neque conciones frequentent, nec se solùm, sed ad similem modum totam distentam familiam habent.

14. Quamobrem magno numero inveniet Confessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam fere in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat, qua simul & ab involucris hujusmodi liberentur, aut fortiores contra peccatum reddantur.

15. Quodsi Confessarius posuerit majorem industriam in examinandis iis, non dubium est, quin plures deprehendat, qui nunquam, ut oportuit, Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint: quod cum fuerit ab eo animadversum, ostendat eis, præterquam quod de emendatione majorem probationem facere debebunt, vel opificii genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac remediorum fortium applicatione in salutem suam incumbere tenebuntur.

16. Multo magis Confessarius circa ea officiorum actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipublicæ vel utilitatem secum ferunt; quæ quamvis ex priori ordine rerum non sint (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario à quovis homine quocunque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad male agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, ocio indulgere, similesque actiones, in quibus si qui consueverunt peccare mortaliter; ante non debent absolvi, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse pollicentur.

17. Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ & secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere; sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertio jam idem polliceatur, absolutionem differat, usque dum re ipsa videat pœnitentem se occasione liberasse, in qua prius vixerat.

18. Eos præterea qui contractus nominatim prohibitos, vel per se alias illicitos exercent, non absolvat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conveniens pro eis præstetur. Si contractus dubii sint, & pœnitens sufficientem dederit cautionem, quod futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absolvere, & ad communionem admittere.

19. Sed ne quidem Jubilæi alicujus tempore, qui ea quæ ex Edicto publico, Monitoriove Papali vel Arebi-Episcopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absolvantur, nisi denuntiationem rite prius fecerint, ac omnibus, ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Cæterum ante restitutionem debitamque satisfactionem eos non absolvant, qui aliquatenus ad tale quid astricti sunt, modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex gravi periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius oneretque, ut quam primum poterint, satisfaciant.

20. Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remediis diligenter usus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare vel differre debeat absolutionem; dicat pœnitenti, ut de peccatis omnibus, quæ confessus est, reliquisque in universum, quæ verbo, cogitatione, opere vel omissione commisit, quorum non recordatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

21. Quod ubi factum est, Confessarius ei, maxime si talis est qui rarius confiteri solet, peccatorum gravitatem ostendat, ac speciatim ad ea sensim descendat, quibus eum noverit magis involutum, iisque remediis contra eadem armet & muniat, quæ convenientissima esse judicabit. Proderit autem hac in parte librum cui Tit.

 Metho-

Methodus Confessariorum vel *Directorium* sibi facere familiarem.

22. Deinde ubi fuerit necessarium, injunget ei ut satisfaciat & restituat rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absolvet.

23. Si forte pœnitens aliquam censuram incurrerit, à qua absolvere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere; multum autem juvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur.

24. Multo minus sese ingeret ad absolvendum à casibus in Bulla in Cæna Domini contentis, vel aliis Sedi Apostolicæ reservatis.

§. XX.

Forma Absolutionis.

1. Atque ut omnes unam eandemque absolvendi formam observent hoc, quo sequitur, modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes serio, ne verba ea omittant, in quibus Forma absolutionis consistit, videlicet: *Ego te absolvo.* Hic itaque omnibus sit præfixus absolvendi modus:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & indiges.

Deinde: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

§. XXI.

Regulæ observandæ circa impositionem Pœnitentiæ.

1. In imponenda pœnitentia seu satisfactione Confessarius circumspectus esse debet, ne imponat tam leves, ut potestas Clavium exinde in contemptum abeat, & ipsemet se alienorum peccatorum participem reddat; neque etiam tam graves & longas, ut pœnitentes recusent eas excipere, aut etiamsi eas acceptent, postea tamen integre non persolvant.

2. Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales sciat, oportet. Nam licet juxta contritionem pœnitentis, & juxta qualitatem ac diversitatem personarum, aliasve circumstantias possint ac debeant pro arbitrio prudentis ac discreti Confessarii mitigari, nihilominus consultum est, semper ad præfatos Canones respicere, iisdemque, ubi expedire visum fuerit, tanquam regulæ se conformare. Et quantumvis Confessarius non sit impositurus pœnitentiam juxta Canones antiquos, debebit tamen frequenter eosdem insinuare pœnitenti, ut inducatur ad majorem contritionem, & ex consideratione modernæ benignitatis Ecclesiæ in mitigando rigore antiquæ disciplinæ Ecclesiasticæ promptius exequatur minorem pœnitentiam sibi injunctam.

3. Curet Confessarius, ut pœnitentiæ correspondeant commissis peccatis; sic pro peccatis carnalibus imponantur jejunia, vigiliæ, peregrinationes, cilicia, & hujusmodi &c. quæ possunt macerare ac mortificare carnem. Pro peccato Avaritiæ ultra onus restitutionis debitæ imponat eleemosynas juxta cujuslibet facultatem.

4. Pro superbia, & aliis peccatis spiritualibus, congruit oratio, qua se homo coram Deo humiliat, acquiritque vires ac vigorem resistendi ejusmodi peccatis.

5. Pro negligentia in addiscendis rebus, quæ pertinent ad Christianum, imponatur pœnitenti, ut auscultet conciones, pergatque certis temporibus ad Catechesin.

6. Indevotis & tepidis circa res ad suam salutem pertinentes imponatur visitatio Ecclesiarum, & frequens usus orationis.

7. Blasphemis imponatur gravis pœnitentia juxta qualitatem culpæ; conformando se dispositioni Sacrorum Canonum, Decretis Pontificum, & Concilio Lateranensi.

8. Observet tamen Confessarius regulas prudentiæ, habendo respectum ad qualitatem personarum; & propterea non imponat eleemosynas pauperibus, nec jejunia iis, qui quærunt victum suum labore manuum. Eadem consideratio habeatur circa alias personas.

9. Attendat diligenter Confessarius, ne absolvat peccatores publicos & scandalosos sine proportionata peccato pœnitentia, ut præter emendationem propriam etiam satisfaciant scandalo dato, prout habetur in Concilio Tridentino. Sess. 24. de Reform. c. 8.

§. XXII.

Confessarius fugiat omnem suspicionem avaritiæ.

1. Ut liberior sit Confessarius in exequendo officio, quod illi cum pœnitente est, majoreque apud eundem in authoritate habeatur in decernendis iis omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, non solùm fugiet studiose avaritiam, sed etiam omnem ejus, vel minimam suspicionem.

2. Nominatim autem pecunias vel aliquid hujusmodi pro confessionum audientia, non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem vel minimum ejus ostendat, quin potius voce & re ipsa declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere.

3. Cùm pœnitenti jubebit, ut Missæ sacrificium faciat uspiam peragi, nec recte nec oblique significet quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia aut Monasterio curare celebrari.

4. Idem faciat in satisfactionibus iis, cùm pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit.

5. Sed

5. Sed neque pecunias aliave quæ à pœnitente restituenda sunt, propriis Dominis in se provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod cùm erit ab eo factum, curet, ut is, cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, nt illud pœnitenti consignet, ac plane eo modo procedat, ut omnem speciem ac signum avaritiæ subterfugiat.

§. XXIII.

De Confessarii Obligatione non revelandi Confessionem.

1. Præ omnibus autem Confessarins caveat, ne verbis vel signis, vei quocunque alio modo, peccatorem vel peccatum ipsum, vel aliquam circumstantiam personæ, cum qua peccatum perpetratum est, prodat; denique verbum nullum ex ore ejus excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumvis levissimi, quod in confessione dictum sit, notitiam veniri possit.

2. Cumque pro rei alicujus controversæ, quæ in confessionem incidit, definitione consiiium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur necesse est: tractetur igitur cum iis hominibus, ac modo tali, ut is qui peccatum commisit, nullo modo, deprehendi possit.

3. Ideoque consultum videtur, nt nullam plane apud alios mentionem faciat ullo tempore peccatorum, quæ in confessione audiverit: quodsi postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat, id non nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquinm obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet.

§. XXIV.

Modus conficiendi testimonium Confessionis.

1. Si à Confessario petatur testimonium, quo testetur pœnitentem sibi esse confessum, ut exhibeatur ejus Parocho, id fiat seqnente forma:

Die N. Mense N. ministravi Sacramentum Pœnitentiæ NN.
habitanti in Parochia N.

2. Scribat in primo albo diem qno pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen & cognomen, quarto Parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen & cognomen suum subscribat cum Titulo Beneficii, vel Officii Ecclesiastici, à qno communiter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atque quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarii manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarii subscriptio.

§. XXV.

Variæ Instructiones pœnitenti à Confessario dandæ, ut perseveret in bono.

1. Pro majore Confessariorum instructione, atqne in jnvandis eorum animabus, quibus pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, ut certa quadam forma utantur, qua pœnitentes in gratia accepta perseverare ac progressum facere doceant, inscriptas adjunximus admonitiones.

2. Confessarii omnes, quemadmodum Patres spirituales decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant necesse est, ut instruantur diriganturque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem industriam & studium suum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres sibi Confessarios suos cooptant, ut ad eos in dubiis & controversis suæ conscientiæ rebus ordinariè tum pro consilio, tum pro expiandis peccatis possint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios suos spirituales in bono proposito confirmare nitantur, ut constantissime sibi proponant potius, quàm divinam Majestatem offendant mortaliter, non solùm bona ac bonores, sed etiam vitam profundere, vivumque præseferant & salutare desiderium secundùm sanctissimam Dei voluntatem totam vitam suam expendere.

3. Quare finem ob quem creatus est homo, eis ob oculos crebro ponat: qui quidem est servire & obedire in hac vita Divinæ Majestati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque similia: ac proinde debere hominem exsuscitare animum & vires sibi sumere, salutique suæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus uti, vel abstinere, quatenus ad bunc finem consequendum adminiculum vel impedimentum esse possint: ad extremum, huc se totos, actionesque suas, atque universa quæ in bac vita possident destinare, ita ut in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotiis, omnibusque aliis exercitationibus ita sese gerant, ut omnia quasi quædam adjumenta eis esse possint ad ultimnm finem, cul conditi sint, consequendum. Cæterum ipsi pœnitentes paratos sese exhibeant, non solùm in earnm rerum usu prudentiæ ac salutari consilio Confessarii libenter acquiescere, verum etiam si ilie omnia plane vel aliqua ex iis quæ habent, deferenda esse judicet, causa salutis eorum semper ei obediant. Confessarius tamen juxta uniuscujusque conditionem ac statum ad finem supra dictum eos diriget.

4. Proponat eis etiam modum orandi, ut feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, mane videlicet cùm surgunt, ac vesperi dum cnbitum concedunt.

5. Deinde exhortabitur eos, ut singulis diebus sacrum audiant, & diebus festis Divina Officia freqnentent.

6. Particulatim vero modum eis præscribet orationes mcntales faciendi, sive viri sive mulieres sint, modo tamen capaces fint: rudioribus autem ostendent quomodo Rosarium, sive Coronam, Officium B. Virginis, septem Psalmi pœnitentiaies, aut similes aliæ Orationes Legi debeant.

7. Quod amplius est, omnes suæ Fidei concreditos eo inducet, ut examen conscientiæ quotidie faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces invitantur. Admoneat quoque eos de frequenti confessione & commu-

communione, & paulatim eos fecundùm D. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut diebus Dominicis communicent. Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant idoneum, conabuntur eum paulatim ac veluti per gradus quosdam eo evehere: primo hortabuntur, ut communicet festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solemnem Paschæ, quo debent omnes communicare, scilicet Festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, omnium Sanctorum, Natalis Domini. Deinde etiam Dominica in capite quadragesimæ, pro præparatione ad sanctum jejunium quadragesimale: paulo post superaddat aliquot dies: postea hortetur ut singulis mensibus semel id præstet. Quodsi fiat, facile ad communionem octiduanam erit progredi.

8. Speciali cura eos admonebit Confessarius, ut dies Festos in honorem servitiumque Divinum impendant: quod ut commodius fiat, auctor eis erit, ut alicui Societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, piisque operibus expendit. In universum autem patres, matresve familias admoneat, ut familiam suam ad Dei bonorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant: qui interim dabunt operam, ut visitent scholas, ubi Doctrina Christiana docetur, modo ducant una secum eos festis diebus ad Conciones, ad Vespertinas preces, ad Prælectiones sacras, modo ad frequentem Confessionem & Communionem eos accommodent. Si qui uxorem duxeriot, curabuot, ut etiam illa Sacramenta frequentet: vel si uxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant, quod D. Paulus ait: Maritus bonus (inquiens) sæpe uxorem Christo lucratur, similiter & mulier virum. Eis, qui litteras norint, suadebunt, ut libros aliquos pios, & sancte scriptos emant (si modo facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant Legi à tota familia circa Vesperam, præcipue diebus festis: tales sunt, Vitæ Sanctorum Patrum, de Imitatione Christi, Opera F. Ludovici de Granada, Exercitia Vitæ Spiritualis, & Rosarium D. Gasparis Loarte, Practica Orationis Spiritualis P. F. Matthæi Capuccini, & alii Similes.

9. Sæpius Divitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse Divitiarum, quas possideot, quibus ordinem ac statum suum sustentare & alere possint; verùm id Christiane modesteque faciendum esse, ut non solùm in usu divitiarum non supra quàm eorum vires ferunt, sed potius minus expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solùm verbis, sed etiam Domesticis exemplis ostenderunt. Porro in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere; ad hoc enim obligantur: ac ne forte aberrent à modo convenieoti, hominum religiose pieque sentientium consilium in his sequantur.

10. Postremo secundùm uniuscujusque modum & conditionem omnibus & singulis ea præscribant adjumenta, quæ maxime necessaria, utiliaque esse judicabuot, ut in via mandatorum Domini Dei sui ambulent & proficiant.

NOTÆ
Circa Instructiones
S. CAROLI.

1. *De earundem authoritate.*

Quanto in pretio habendæ sint hæ Constitutiones, constat ex eo, quia non solùm præscriptæ fuerunt toti Clero Gallicano à Conventu Cleri in Gallia, sed etiam toti Clero Romano ab INNOCENTIO XII., ac postmodum toti Clero Italiæ in Concilio Lateranensi à BENEDICTO XIII., variisque Episcopis Italiæ in Diœcesanis Synodis, inter quos eminet Reverendissimus ac Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, & Vicarius Romæ JOANNES ANTONIUS QUADAGNI, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, qui & ipse in sua Synodo Diœcesana Arretana easdem suo Clero in Regulam proposuit; ut proin frustra se opponant, qui hanc *Regulam auream* Confessariorum aut despiciunt tanquam profectam à S. CAROLO adhuc juvene; aut eam de nimio rigore infamant, crimine videlicet pessimo.

Conventus Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus celebratis Anno 1655. 1656. 1657. ad Episcopos Galliæ de his Instructionibus loquens sic habet: *Non dubitamus, quin gratum sitis habituri, quod vestris in manibus posuerimus dogmata adeo sancta, adeoque necessaria bis temporibus, quæ finis & sex sæculorum dici merentur.*

BENEDICTUS XIII. in Concilio Lateranense celebrato Anno 1725. Tit. 32. c. 2. sic statuit: *Audiendæ Confessionis munus Sacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ipsi & scientia & peritia idonei appareant, Episcopi non committant, nisi à Monasterii Præfecto testatum fiat, eos in probatissimis etiam, pro Confessariis datis, S. Caroli monitis instructos esse.*

Eminentissimus Cardinalis QUADAGNI in Synodo Aretina Tit. *De Sacramento Pœnitentiæ* Anno 1729. sic præscribit: *Confessarii, ut suo bene fungantur officio, Theologiæ Morali sedulo navent operam; & quia Medici partes non minus quàm Judicis exercere tenentur, diligenter perspiciant, quæ remedia sint ad Pœnitentium salutem aptiora; utque ea facile possint addiscere, sæpius legant, atque volutent Instructiones, quas ad suæ Diœcesis Confessarios babuit Divus Carolus Borromæus.*

2. *De Variis harum Constitutionum editionibus.*

Instructiones hæ editæ fuerunt à S. CAROLO Italice Anno 1584. aut 1585. Id colligitur ex eo, quia jam Anno 1585. typis Latinis commissæ sunt Antverpiæ à Sylvestro Pardo, Ecclesiæ Antverpiensis Vicario sub Titulo: *Pastorum Instructiones.* Editor in Præfatione fatetur, eas *bisce diebus* ex Italia allatas fuisse à R. D. JOANNE FRANCISCO BONTIOMIO, Sedis Apostolicæ Legato à Latere. Sequenti altero Anno 1587. recusæ fuerunt Coloniæ, pariter auctoritate Nuntii Apostolici. Quod vero à D. Carolo non fuerint conscriptæ ante Annum 1584. desumi-

famitur ex eo, quia S. Carolus in Præfatione Institutionum dicit: *Se eas collegisse ex aliis suis Ordinationibus jam antecedenter de hac materia à se editis*. In Ordinationibus verò aliis de hac materia editis, magis confusis, adeoque prioribus citat S. Carolus Synodum undecimam, quæ celebrata est anno 1584. Ex quo patet, quam graviter hallucinentur, qui has Instructiones à S. Carolo adhuc Juvene conscriptas esse fingunt, cùm anno 1584. jam per viginti quinque annos præfuerit suo Mediolanensi Archi-Episcopatui. Quarta Editio prodiit in lingua Italica Brixiæ anno 1603. inserta Collectioni omnium Actorum Mediolanensium. Aliam pro omnibus Episcopis Galliæ paravit Conventus Cleri Gallicani anno 1657.

Recusæ etiam sunt Coloniæ anno 1705. sub Titulo: *Regula aurea Confessariorum*, cui præfixa est Pastoralis Em. Cardinalis CARPEGNA. Inter plures Editiones Romanas inter quas una publicata jussu INNOCENTII XII. ultima prodiit anno 1725. ex Mandato Benedicti XIII. in Idiomate Italico.

3. *De Variatione textus in præfatis editionibus.*

Observo notabilem diversitatem ac variationem textus in præfatis editionibus. In editione Romana anni 1722., qua utor, omissæ fuerunt aliquæ Instructiones, tantùm relativæ ad consuetudines Mediolanenses, ordoque textuum subin mutatus est; præterea videntur aliqui termini durjusculi in Coloniensi editione de anno 1587. non extantes in Romana. In præsenti translatione ac editione ita institi Romanæ, ut ejus sensui pro viribus conformarim omnia; satius arbitratus, sequi approbata à Vicariis Christi, quibus & ipse sanctus suam Doctrinam subjecit, & venerationem primam detulit. Ne verò Lector passim timido pergat pede, nec ignoret, quæ in Romana editione ab aliis diversa sint, subdam quædam insigniora loca lectionum variantium.

In §. 12. n. 3. Editio Brixiensis & Romana habent: *Ut de singulis peccatis talem saltem attritionem concipiant.* Editio Coloniensis de anno 1587. habet: *Ut de singulis peccatis tam acrem dolorem persentiat.*

§. 13. n. 1. In Editione Brixiensi & Romana legitur: *Caveant Sacerdotes, ne absolutionem iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut judicare possint, eos hujus Sacramenti capaces esse.* In Coloniensi de anno 1587. dicitur: *Ut sine controversia judicare possint.*

§. 17. n. 2. Editio Brixiensis & Romana dicunt: *Sub pœna peccati mortalis.* Editio Coloniensis de anno 1587. *Sub peccati mortalis periculo.*

§. 18. n. 1. Editio Brixiensis & Romana habent: *Nullo pœnitentibus moto scrupulo eos absolvunt.* Coloniensis de anno 1587. *Dum pœnitentes leviter peccare existimant, nullo eum scrupulo eos absolvunt.* In Coloniensi de anno 1705. *Nec pœnitentes de eo increpando absolvunt.*

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Ibid. n. 2. In Editione Brixiensi & Romana dicitur: *Judicandum est esse peccatum mortale indulgere pompæ & ornatui vestium, quando exinde sequuntur, aut secutura sunt* (fiano per nascere) *similia peccata.* In Editione Coloniensi de anno 1578. id sic redditur: *Cùm prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata inde prodibunt, ut dubitatio verosimilis habeatur, quod accidere possent.*

§. 19. n. 9. Editio Brixiensis & Romana legit: *Si Confessarius rationabiliter existimat, pœnitentem ad eadem peccata rediturum.* Coloniensis præfata: *Si existimat &c.*

Ibid. n. 14. Editio Brixiensis & Romana legit: *Tales absolutionis capaces non sunt, nisi prius diligentia accedat, qua ab occasionibus hujusmodi peccandi liberentur, aut fortiores contra peccatum reddantur.* In Editione autem Coloniensi de anno 1587. particula disjunctiva mutata fuit in copulativam, quod enormiter variat sensum. Sic enim legit: *Nisi prius diligentia accedat, qua NB. simul & ab hujusmodi involucris liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.*

Ibid. n. 15. Editio Brix. & Rom. *Tales remediorum fortium applicatione in salutem suam incumbere tenebuntur.* Coloniensis de anno 1587. utitur termino generico, qui verificatur etiam sine applicatione remediorum. *Tales studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.*

Ibid. n. 17. Editio Brix. & Rom. *Absolutionem differat, usque dum re ipsa videat, pœnitentem se occasione liberasse, in qua vixerat.* Editio Coloniensis illa: *Usque dum re ipsa videat, pœnitentem se peccato liberasse, in quo vixerat.* Sunt autem valde diversa, se liberare *peccato*, & se liberare *occasione.*

In §. 20. In Editione Brixiensi & Romana ponitur illa particula immediate præcedens formam absolutionis continua serie, ac per modum connexionis, adeoque ut pronuntianda à Confessario: *Deinde ego te absolvo &c.* In Coloniensi vero de anno 1587. ponitur per modum Instructionis cum subsequente puncto, adeoque ut non pronuntianda. Deinde. *Ego te absolvo &c.*

Ad §. 1.

De Negligentia Confessariorum.

S. CAROLUS hoc loco fatetur, se *valde* metuere Confessariis, & quidem non paucis sed *multis*, quod ipsorum negligentia accidat, dum pœnitentes pluribus annis in peccatis non emendantur. Quid manifestius, quam etiam nostris temporibus reperiri multos, qui pluribus annis in eodem peccato aut prava consuetudine hærent, non obstante, quod frequentent Sacramenta? Quodsi S. Carolus Confessariis tam graviter metuit, qui ejusmodi consuetudinarios perpetuo absolvunt, nec ab occasionibus serio abducunt, putatque gravari eorum conscientias, quamvis tunc temporis nondum fuerit à Sede Apostolica damnata praxis absolventium consuetudinarios indiscriminatim, aut constitutos in occasionibus proxi-

proximis; quid non metueret Confessariis hujus furfuris, postquam ea praxis ab Innocentio XI. solenniter damnata, & justissimis limitibus circumscripta est?

Ad §. 2.

De facultate limitata audiendi Confessiones.

Quod facultas audiendi Confessiones possit limitari ad determinatas personas, aut genus personarum, patet ex laudabilissima consuetudine Romana, & Constitutionibus Summorum Pontificum. Anno 1701. die 15. Octobris Clemens XI. promulgari jussit hoc Romæ Decretum, quod ex ipsis Registris Vicariatus descripsi. *Sua Sanctitas jussit, ut nulli detur licentia audiendi Confessiones fœminarum, nisi fuerit ætatis ad minimum triginta quinque annorum; & Confessiones masculorum, nisi impleverit annum ætatis trigesimum. Paucis post diebus dispensavit cum Patribus Jesuitis, ut possint excipere Confessiones virorum ante annum trigesimum, & anno trigesimo expleto etiam fœminarum in Communione generali.* In eodem Registro anno 1702. 4. Aprilis relata est sequens formula, qua Presbyteris sæcularibus Romæ datur facultas audiendi Confessiones:

Dilecto NN. Presbytero &c. Ut Confessiones Sacramentales omnium Christi fidelium, non tamen Monialium, Oblatarum, puellarum, aliarumque in Monasteriis & Conservatoriis degentium, neque in domibus privatis, nisi infirmorum duntaxat, & tunc de licentia Parochi, sed tantùm in Ecclesia NN. non autem in aliis Ecclesiis etiam de Consensu quorumcunque Rectorum, audire &c. possis, facultatem concedimus. Ibidem extat similis formula limitatæ concessionis pro Confessariis Monialium, quibus ea potestas limitatur ad certum tempus, quo finito exspirat; & tantùm ad Moniales, sic ut denegetur facultas audiendi Confessiones sæcularium.

Ad §. 4.

De Studio Casuum Conscientiæ.

Pro Studio Casuum Conscientiæ quatuor saluberrima Decreta Romæ constituta sunt. Primo ordinantur in 17. diversis locis Urbis Conferentiæ Theologicæ, ad quas Parochi, & Beneficiati, & Confessarii tam Regulares quàm Sæculares tenentur comparere sub pœna suspensionis. 2. Nullus admittitur ad audiendas Confessiones, quamvis jam trigesimum ætatis annum impleverit, nisi prius jam per annum frequentaverit Conferentias Theologicas. 3. Præcipitur Directoribus Conferentiarum, ut non adoptent Sententias laxas, sed inhæreant vestigiis Conciliorum & Patrum; & ne in hoc excedant, tenentur Resolutiones Casuum Vicario Generali exhibere in Scripto. 4. Omnibus Confessariis pro Regula dantur Instructiones præsentes S. Caroli Ut ista fiant explicatoria, afferam ipsa Decreta Summorum Pontificum in hunc finem edita, & à me ex ipsis Registris Vicariatus Romæ excerpta. Anno 1702. 6. Octobris editum fuit Decretum, quo præscribitur forma Conferentiis Theologicis. Ibidem statuitur, ut Parochi & Confessarii sæculares perdant quinque Julios pro qualibet vice, qua fuerint absentes. Regulares verò tribus continuis vicibus absentes sciant se ab audiendis Confessionibus suspensos, donec iterum examinentur. Methodus præscribitur sequens: 1. Fiat Lectio super materia ab Eminentissimo Vicario designata. 2. Duo ex interessentibus alternatim, quorum unus sit ex Parochis seu Confessariis sæcularibus, alter verò ex Regularibus, dent Solutiones in Scriptis, vel oretenus pro duobus Casibus hebdomada præterita propositis. 3. Dabitur à Præside solida solutio dictorum casuum. 4. Si quis voluerit objectionem opponere, breviter se expediat. 5. Proponantur ab eodem Præside duo alii Casus pro sequenti hebdomada. Quæ omnia horæ spatium non excedant, & fiant absque contentione & strepitu, sed comite modestia, prout Clericos decet. In resolvendis Casibus propositiones à S. Sede proscriptæ, & opiniones Christianæ disciplinæ relaxativæ evitentur. Modus opinandi ab Evangelica simplicitate omnino alienus procul sit, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas arctam esse definivit, in animarum pernitiem dilatari, seu verius perverti contingat; sed Sacrorum Canonum, Sanctorumque Patrum vestigiis inhærendo salubres sententias à noxiis segregare studeant; & ut hoc observari possit, & accurate fiat, Præses resolutiones Casuum curabit in scriptum reducere, ac Vicariatui transmittere, ut à R.R. Examinatoribus Synodalibus recognoscantur. Hucusque Decretum.

Anno 1719. 28. Novembris publicatum fuit ex Vicariatu Decretum exhortatorium ad frequentandas præfatas Conferentias, & in eo recensetur Edictum S. Pii V., datum 14. Februarii, 1571., quo jubetur, ut in omnibus Monasteriis Romæ habeantur quotidie ejusmodi Conferentiæ. Clemens VIII. hoc Decretum restrinxit ad duodecim tantum Monasteria, & ad duas solùm vices per hebdomadam. Sequentes Pontifices determinarunt quindecim; & anno 1720. 28. Novembris determinati fuerunt Septendecim diversi conventus, in quibus Romæ habentur singulis hebdomadis non impeditis Conferentiæ, videlicet 1. ad S. Andream della Valle Feria 2. 2. Ad S. Andream de Tractis Feria 3. 3. Ad S. Augustinum Feria 4. 4. Ad SS. Apostolos Feria 5. 5. Ad S. Bartholomæum in Insula Feria 5. 6. Ad SS. Cosmam & Damianum Feria 6. 7. Ad S. Carolum de Latenariis Feria 4. 8. A Giesu Feria 6. 9. Ad S. Joannem Florentinorum Feria 6. 10. Ad S. Mariam de Scala Feria 6. 11. Alla Pace Feria 5. 12. Ad S. Marcellum Feria 6. 13. Ad S. Mariam Transpontinam Feria 4. 14. Ad S. Mariam super Minervam Feria 6. 15. Ad S. Mariam de Ara cœli Feria 5. 16. In Pœnitentiaria Lateranensi Feria 5. 17. Ad S. Pudentianam Feria 2.

Anno 1720. 28. Septembris publicatum fuit Decretum, ut nullus Sacerdos admittatur pro audiendis Confessionibus, nisi per annum frequentaverit Conferentias spirituales in domo Patrum Missionariorum & Conferentias Casuum in Collegio Societatis Jesu à Giesu.

Anno

Anno 1725. 29. Novembris ftatuitur, ut omnes Beneficiati aut alii Clerici obligati ad refidentiam aut fervitium Ecclefiæ 5. menfibus ante Ordinationem pergant ad Conferentias Patrum Miffionariorum die Martis & ad Cafus morales die Mercurii, ac demum ad Conferentias ejus Loci, in quo tenentur comparere eorum Parochi.

In Concilio Lateranenfi, celebrato eodem anno 1725. Tit. 15. c. 9. Et in Appendice n. 17. traditur exactior formula inftituendi ejufmodi Conferentias, quæ ibi poterit legi.

Ad §. 8.

De Confeffione ægrotantium.

Præcipitur hoc loco, ut janua cubiculi durante Confeffione fœminæ ægrotantis relinquatur aperta. In nonnullis morbis, v. gr. febribus calidis, in Germania ob frigus exterioris aeris judicio noftrorum Medicorum, ac ipfa experientia tefte regulariter induceretur grave periculum, fi relinqueretur janua calefacti cubiculi notabili temporis fpatio aperta; adeoque, cùm intentio Legislatoris fit anima Legis, & illa ipfa intentio reguletur per Leges prudentiæ, non eft cenfendum, fummum Pontificem refpexiffe aut refpecturum ad Germaniam per ejufmodi Legem Carolinam Romæ adoptatam.

Ad §. 11.

De eligendo Confeffario ordinario.

Dum hoc loco commendatur electio Confeffarii ordinarii, id imprimis locum habere debet apud perfonas jam adultiores, quæ funt maturioris judicii, & bonæ mentis adeoque capaces alicujus directionis; vel circa confuetudinarios; quod enim attinet teneriorem ætatem, cùm illi potenter imperet verecundia, videtur confultum, ut aliquoties non folùm permittatur, fed etiam jubeatur adire Confeffarium fibi ignotum extraordinarium, ut occultum, fi quem forte corde geftat, ferpentem evomat.

Ad §. 12.

De Prima Confeffione & Communione impuberum.

In Appendice Concilii Lateranenfis celebrati anno 1725. Benedictus XIII. N. 25. juffit inferi Inftructionem Infantium, alioque impuberum, ad primam Confeffionem vel Communionem accedentium. In hac Inftructione etiam monentur Confeffarii, ut tales confitentes inftruant, præfertim circa difcrimen peccatorum venialium & mortalium, circa examen, circa contritionem, modum confitendi, & efficaciam Sacramenti. Circa ætatem Communicantium, quamvis in Italia ante annum ætatis decimum, undecimum, vel duodecimum non foleant communiter admitti, obfervat tamen, hoc relinquendum difcretioni Parochi, vel Confeffarii Numero 30. de Inftructione Communicantium, parte 4. fic habet: *Sufficitne ad primam Communionem, fi feptennium attigit.* Refponfio. *Nequit hac in parte dari certa regula: fed attendi debet eorum capacitas & prudentia Confeffarii directio.* Ubi obfervo, fapientiffime hæc duo inter fe diftinqui, *capacitas & directio.* Neque enim fpectanda eft fola *capacitas* recepturi Communionem, fed etiam ejus *utilitas*, quæ cùm pofita æquali fcientia ac capacitate poffit effe diverfa ob varias circumftantias perfonæ vel regionis, videtur, fapienter acturum Confeffarium, fi in dubio de utilitate communicaturi, pofita alioquin capacitate, fe conformet confuetudini fuæ regionis vel diœcefis, cùm & ipfa confuetudo præfumatur fundari in judicio prudentum, circumftantias particulares ex quibus formatur judicium de utilitate generali ejus loci communicantium, ex ipfa experientia diuturna, actorumque ferie, quæ ratione fola à priori comprehendi nequit, melius ponderantium.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

Ad §. 14.

De Interrogationibus à Confeffario faciendis.

Cùm Interrogationes à Confeffario faciendæ fint ad fupplendum defectum præcedentis examinis, clarum eft, eas omittendas in perfonis optime inftructis, fua fponte tempus ultimæ Confeffionis, fpeciem, ac numerum peccatorum, aliafque circumftantias neceffarias ordinate enumerantibus. Itaque non fubito ad interrogationes prorumpendum, fed exfpectandum, ufque dum pœnitens incipiat confiteri, ut ex modo confitendi, aut ex ipfa ejus cunctatione in loquendo appareat, fibi adminiculo obftetricis opus effe. Neque videtur confultum, ut etiam perfonæ rufticanæ, aliunde capaces rite examinandæ propriæ confcientiæ, paffim examinentur à Confeffario: fic enim fovetur earum negligentia in difcutienda propria confcientia ex confidentia, quod Confeffarius omnes finus cordis reconditos fuis Interrogationibus excuffurus fit. Itaque Interrogationes ejufmodi à S. Carolo cenfendæ funt fuiffe commendatæ circa perfonas male inftructas, quales plurimæ erant tempore S. Caroli, ut merito ea generalis regula de faciendis Interrogationibus ftatuta fuerit. Obfervo, etiam in Antiquis Pœnitentialibus libris, exaratis Sæculo 7. 8. 9. 10. fimilem regulam Confeffariis fuiffe præfcriptam, ut examinent pœnitentes circa Catalogum vitiorum communium; eo enim tempore populus erat rudis, & Confeffiones nimis rara frequentes in Laicis ac plebe. In Parte II. n. XIV. inferui ex Manufcripto Sæculi decimi reperto in Bibliotheca Cathedrali Auguftana Pœnitentiale, ubi fic habetur: *Ordo ad dandam pœnitentiam. Interrogat Sacerdos. Credis in Deum Patrem &c. Tunc fac eum confiteri omnia peccata, dicendo: Fecifti homicidium? - fecifti perjurium? - fecifti furtum? - fecifti vomitum per ebrietatem? - cogifti ullum hominem bibere, ut inebriaretur? - bibifti fanguinem, aut manducafti* (fanguinem) *de ullo pecude vel homine? - Manducafti Morticina, aut dilacerata à beftiis? - edidifti de liquore, in quo mus vel mustela mortua inventa funt? - &c. Ad ultimum interroget Sacerdos; habes fidem, ut confeffando remittantur tibi peccata? - habes voluntatem, ut hoc emendes? - vis judicium fufcipere & illud cuftodire? & omnibus adinventionibus Diaboli renuntiare?*

Ad §. 14. n. 2.

De monendo pœnitente, si Confessarius in illum non habet jurisdictionem.

S. CAROLUS hoc loco respicit ad legem Synodalem, qua sustulit Parochis omnem jurisdictionem in Parochianos alienæ Parochiæ. In Sacramentali Ambrosiano, quod ipse pro usu suæ Diœcesis edidit, Tit. de Sacramento Pœnit. sic habet: *Parochus quisque ne eorum Confessiones audiat, qui alienæ parochiæ sunt, nisi facultatem ejus rei habeat ad præscriptum Synodi undecimæ.*

Ad §. 14. n. 10.

De denuntiandis hæreticis.

Cùm in Germania non detur Inquisitio, obligatio denuntiandi hæreticos occultos vel suspectos, regulanda est ex lege charitatis, quam debemus proximo, ut emendetur; communitati, ne pervertatur, Ecclesiæ, ut purgetur, & tanquam sponsa Christi condecoretur.

Ad §. 15. n. 2.

De inquirendis circumstantiis aggravantibus.

Quamvis aliqui Authores sentiant, non dari in pœnitente obligationem, sua sponte confitendi circumstantias notabiliter aggravantes; & ipsemet eam sententiam amplexus sim, negari tamen meo judicio non potest. Confessarium habere jus, imo aliquoties obligationem, de iis circumstantiis interrogandi; & pœnitentem eo casu obligari ad respondendum. Christus enim dicendo: *Quorum remiseritis &c. Quæcunque solveris &c.* Videtur conditionem, sub qua voluerunt *remittere*, aut *solvere*, reliquisse in arbitrio Petri & Ecclesiæ ratione regulato. Itaque si Ecclesia voluerit exigere confessionem circumstantiarum etiam aggravantium saltem ad interrogationem Sacerdotis, prout juxta leges prudentiæ legislativæ debet velle, sine dubio pœnitens tenetur de iisdem respondere. Cæterùm non videtur S. Carolus velle præjudicare alterutri sententiæ; sed tantùm habere hunc sensum, ut si Confessarius interrogaverit de circumstantiis, pœnitens teneatur eas confiteri. Quodsi S. Carolus etiam censuisset; conformiter ad Catechismum Romanum, cujus ipse erat promotor, ejusmodi circumstantias sine interrogatione necessario esse à pœnitente exponendas; responderi posset; determinationem materiæ & formæ Sacramentorum quoad speciem infimam relictam esse determinationi Ecclesiæ. Cùm igitur circumstantiæ aggravantes videantur referri posse ad materiam, & ad speciem infimam exponibilium in Confessione, obligatio eas confitendi pertinebit ad arbitrium ac determinationem, adeoque ad disciplinam, Ecclesiæ. Disciplina autem Ecclesiæ suscipit variationem juxta varietatem locorum & temporum. Itaque fieri potuit, ut tempore S. Caroli, quo Confessiones & Confessarii boni non erant ita frequentes, Ecclesia, cujus utpote personæ mutæ, os sunt Doctores, rectè censuerit, expedire, ut circumstantiæ notabiliter aggravantes determinentur ac habeantur pro materia necessaria Sacramenti; nostris vero temporibus, quibus abundant boni Confessarii periti in inquirendo, ad tollendos scrupulos tantorum pœnitentium id relinquat examini ac discretioni Confessariorum. Idem respondere soleo circa peccata dubia, & alias similes difficultates. Et ex eodem principio censeo, non esse mentis Ecclesiæ, ut circa peccata luxuriæ exquirantur universim circumstantiæ aggravantes; neque eam velle, ut ubi differentia numerica vel specifica dependet à judicio prudentum, adeoque etiam à determinatione Ecclesiæ in ordine ad inducendam obligationem Confessionis, scrupulosè in hac materia multiplicentur numeri, & species peccatorum.

Ad §. 17.

De differenda absolutione.

Cùm dilatio absolutionis pertineat ad Disciplinam Ecclesiæ, mirum non est, quod circa eam varia sit praxis pro varietate locorum & temporum. Id enim, quod in hoc puncto disciplinæ dirigit intentionem, & usum Ecclesiæ, est utilitas pœnitentium, & purgatio Ecclesiæ ab iis consuetudinibus, quæ inurunt maculam, aut inducunt perversionem Ecclesiæ. Itaque sicut uno tempore, aut uno in loco ac regno dilatio absolutionis potest esse necessaria pro decore Ecclesiæ, & utilis pro majori numero pœnitentium, quòd alio tempore aut loco non contingit, ita etiam locus est variationi disciplinæ in hac materia. Et quia potest contingere, duas praxes valde inter se diversas, ac etiam oppositas habere se per modum excedentis & excessi, ita ut utraque praxis habeat sua commoda & incommoda, potest utraque praxis esse laudabilis, aut certe tolerabilis pro diversis regnis ac provinciis. Cæterum praxis, quæ hic traditur à S. Carolo, tam moderata est, ut declinare in laxiora regulariter non videatur tutum.

Ad §. 18. n. 5.

De Consuetudinariis.

Remedia, de quibus hic meminit S. Carolus, talia esse debent, ut ex eorum applicatione prudenter sperari possit, pœnitentem in ejusmodi peccata, quæ quidem cum plena deliberatione committuntur, nunquam amplius relapsurum. Ita enim sonat Textus S. Caroli: *Nisi suscipere velint ea remedia, sine quibus Confessarius judicat, eos reversuros esse ad peccatum.* Et hæc regula fundatur in Tridentino, præcipiente tales imponi pœnitentias, quæ pœnitentem *absterrere* possint à peccato. Fundatur etiam in ipsa natura *efficacis* remedii. Quomodo enim v. gr. in Medicina appellari potest illud remedium efficax, de quo prudenter sperari non potest sanitas sine celeri relapsu in eundem morbum? Itaque viderint Confessarii, an remedia, quæ injungunt consuetudinariis, tam efficacia sint, ut credant, pœnitentem ex eorum applicatione in peccata eadem plene deliberata non amplius relapsurum, ab iis verò, quæ ex impetu passionis committuntur, v. gr. juramentis, blas-

blaſphemiis, ſucceſſive ſe expediturum? Io hoc enim gravatur eorum conſcientia, & teoebuntur de hoc ſtrictam dare Deo ratiooem, qui non parcet eorum aut ignorantiæ aut ſocordiæ. Qualia verò remedia ſint, quæ ſpondeant emendationem, reperire eſt in Authoribus, videlicet oratiooes continuæ, occaſionum etiam remotarum fuga, ſpiritualium librorum lectio, frequens uſos Sacramentorum. Pœnitentiæ conditionatæ, quas toties ſubeat, quoties in idem peccatum relabitur. Hoc ultimum remedium, quod & Buſeobaum & La Croix l. 6. part. 2. n. 1267. commeodat, cenſeo regulariter coocurrere debere cum prioribus.

Ad §. 18. n. 6.

De Juvene conſuetudinario.

Non debet hoc loco textus S. Caroli ſic intelligi, quod illis ſolis juvenibus differenda ſit abſolutio, qui dediti ſunt omnibus hic enumeratis vitiis ſimul ſumptis, aut plerifque; ſed ſufficit ad boc, ut dici poſſit conſuetudinarius, ſi uni vitio deditus fuerit. Conſtat autem, ab Innocentio XI. damnatam eſſe hanc propoſitionem 60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi &c. etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.*

Ad §. 19.

De relinquendis occaſionibus.

De occaſionibus cooferendæ ſunt damnatæ ab Innoceotio XI. propoſitiones 61. 62. 63. In Germania multis Juveoibus ac puellis eſt occaſio propinqua peccati frequentatio Chorearum, iis videlicet, qui jam experti ſunt, earum occaſione ſe graviter cogitatione, aut verbis obſcœnis, tactibus &c. deliquiſſe; vel qui ob ſpecialem proclivitatem in ejuſmodi vitia prævidentur ea occaſione probabiliter peccaturi. Itaque ejuſmodi perſonis talis occaſio, reſpective ad eas perſonas propioqua, à Confeſſario interdicenda, & niſi promittant, quod eas nolint, ſaltem extra ſolennitates nuptiales amicorum, ſponte adire, iis deneganda eſt abſolutio.

Ut verò accurate ſciatur, quidoam intelligatur per occaſionem *proximam*, adſcribam hujus termini definitionem ex authoribus minimc rigoroſis, juxta quos occaſio proxima eſt, quæ in ſimilibus circumſtaotiis in perſonis ſimilis conditionis frequenter conjungitur cum peccato. Ita La Croix l. 5. n. 252. Viva io Propoſ. 4. Alexandri VII. n. 2. Moya ſelect. quæſt. Tr. 3. q. 5. n. 4. Quomodo autem occaſio proxima in caſu neceſſitatis, ubi periculum moraliter vitari oon poteſt, poſſit mutari io remotam, cujuſvis Confeſſarii prudeotiæ diſpiciendum relinquitur. Si enim cooſtituto in periculo ſeu occaſione peccandi Confeſſarius talia remedia præſcribet, quæ, etiamſi obſerventur, nihilominus in ejuſdem conditionis hominibus frequenter coojungi ſolent cum eo, de quo agitur, peccato, noo mutatur occaſio proxima in remotam. Confeſſarii in boc articulo poterunt ſemetipſos fallere, & pœnitentem; minime verò Deum, qui ab iis requiret animas ejuſmodi negligentia perditas.

Ad §. 19. n. 16.

De vitanda occaſione peccati non neceſſaria Reipublicæ, aut perſonæ.

Hoc diſcrimen inter occaſiooes neceſſarias & oon neceſſarias ſummopere Confeſſariis inculcandum eſt. Ac propterea ab iis, qui peccarunt obſcœnis cogitatiooibus, colloquiis, tactibus &c. & ſiot ejus conditionis, ut dubitari poſſint. An frequentent choreas, vel conventicula oocturna, præſertim utriuſque ſexus, id ex eis inquirendum eſt; nec ſunt abſolvendi, oiſi promittant, ſe choreas, extra ſolennitates ouptiales, ac extra caſum neceſſitatis oon frequentaturos. Ex iiſdem inquirendum eſt, an non ejuſmodi occaſiooes ab aliis Confeſſariis jam ipſis interdictæ fuerint; ſic enim apparebit, an jam datam fidem fregerint; quo caſu juxta S. Caroli præſens monitum abſolveodi ooo ſuot.

Ad §. 21.

De imponendis pœnitentiis.

Quæ hoc loco S. Carolus ſtrictim proſequitur de pœniteotiis injungendis, ſuſius exponit io Sacramentario ſuo Ambroſiano, inſerto Parti ſecundæ Actorum Mediolaneoſium, ubi ſic habet.

De modo imponendæ pœnitentiæ.

In pœnitentia impooenda adhibebit & prudentiam, & pietatem, & juſtitiam.

Habebit rationem ſtatus, conditionis, ætatis, & ſexus.

Videbit, ne ei, qui in aliena poteſtate eſt, eam pœnitentiam injungat, qua vel præjudicium afferatur illius juri, qui pœniteotem in poteſtate habeat; neve eam, qua vel occaſio detur ſpiritualis ruinæ; vel pœnitentis alteriuſve peccatum detegi, vel aliquod ſcandalum ſuboriri, vel ipſe pœniteos nimium deterreri, remiſſuſve & tepidus reddi poſſit.

Quamobrem talem imponet, qualem ab eo præſtari poſſe judicet. Proinde aliquando, ſi ita expedire viderit, illum ioterroget, an poſſit, anve dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere: alioquin eam mutabit, aut minuet.

Conſiderabit item animum, meotemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lachrimas intimi doloris indices.

Cùm hæc Parochus pro prudentia, charitateque ſua ſpectabit, tum verò maxime videbit, ut oe pro peccatis gravibus leviſſimas pœniteotias injungat: id quod & Cooſeſſoribus & pœnitentibus periculoſum eſt; cùm id à Sacris Litteris, & à Conciliorum Decretis; & à Sanctorum Patrum ſententia alienum ſit.

Nam divinæ Litteræ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et verò, qui peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi, (Canon inquit) *consuunt pulvillos*, secundum propheticum sermonem, *sub omni cubito manus & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Imo Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui, dum cum pœnitentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt &c.

Pœnitentiæ genera.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à sanctis viris accepta, Ecclesiasticæque disciplinæ interpretibus pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret: pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semctum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet: vel etiam vescatur solùm pane, & aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in Eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in formam crucis certo tempore & hora præfinita ante crucem aliamve Sacram imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquamdiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut statos Psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

Hucusque Sacramentarium Ambrosianum.

III.

SANCTI

FRANCISCI

XAVERII

Indorum, & Japonum Apostoli, zelo Catholicæ Fidei propagandæ, toto Orbe celeberrimi,

Ad Confessarios gravissima admonitio.

De optima Sacramenti Pœnitentiæ administratione.

Ex Turfellino lib. 6. Vitæ ejus cap. 17. ita prænotato.

Si quando locupletes, atque opulenti negotiatores, Magistratus, aut Præsides vitæ solutioris ad Confessionem accederent, ante omnia censebat, eos sedulo admonendos, ut sumpto spatio bidui, triduive, intentius in anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia (si diffiderent memoriæ) mandarent litteris, dolorisque sensum, contritionemque à Deo suppliciter peterent. Inde principio Confessionis rationem ab eis exquirendam dicebat munerum, curationumque, quibus præessent, negotiorum, quæ tractarent, qua sedulitate, qua fide in iis se gererent, gessissentne. Quippe hisce percontationibus explorari facilius posse, ecquid oporteret restitui, quàm si generatim interrogarentur, nunquid cuiquam restituere deberent; quia ad tales interrogationes prorsus, abnuere consueverint, seu lucri cupiditate, seu rerum inscitia excæcati. Confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam, ac remediis curandas. *Neque tamen à Confessione absolvendos illico, sed postquam ea, quæ deberent, persolverint.* Itaque Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum. *Confessionem non continuo sequatur absolutio. Sed biduum, triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim* 1. *Animorum maculas voluntariis eluant pœnis*. 2. *Si quid cui debent, restituant*. 3. *Simultatibus, si quas habent, depositis*. 4. *Redeant cum inimicis in gratiam*. 5. *A libidinis consuetudine*. 6. *Cæterisque, quibus impliciti sunt, flagitiis expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrant rectius, quàm sequantur. Namque istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos: Post absolutionem fidei datæ immemores promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est, ut absolvendi repræsentent, quod præstare debent absoluti &c.* Confitentibus porro, non festinatam, sed diligentem navandam operam censebat, monens, ut præoptarent, confessiones paucas rite factas audire, quàm multas temere properatas. Qui enim confitentes intentius excuti posse? Qui eorum odiis, fraudibus, vitiis adhiberi remedia, *nisi per otium curarentur?* An verò dubium esse, quin confessio una recte instituta, multis cursim peractis præferenda

renda sit: *Cùm præsertim confessio aditum aperiat ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum?* Postremo monebat Confessarios, ut sumpto spatio, in auditas ab se Confessiones inquirentes, viderent intentius, ecquid in delictia aliorum expiandis, ipsi deliquissent, & quæcunque in alienis peccassent, confessionibus expiarent suis, eaque delicta in posterum summa vi corrigere niterentur: Hoc quippe studium, ad recte, atque utiliter Confessarii munus obeundem maximo adjumento futurum.

NOTÆ.

Quæ hic à Tursellino ex mente S. Xaverii referuntur, explicatius ponuntur in hujus Epistolis. Nec inane fuerit, ipsa verba Sancti apponere, cùm D. Francolinus in suo *Clerico Romano* Disp. 8. n. 28. existimet, maximam in iis vim positam esse. Itaque l. 4. Epist. 4. ad Casparum Barzæum ex Indiis sic scribit: *In istis partibus, ubi peccandi magna licentia, pœnitendi rarissimus est usus, Sacræ Confessionis cùm à te suadendæ tum ab aliis exercendæ hanc arbitror rationem optimam. Quem videris, velle ex longo exaggeratum prægravatæ conscientiæ onus in tuis auribus deponere, eum fac* Adhorteris *primum, ut biduo triduove in id sumpto se totum excutiat; inde usque ad ultima pueritiæ recordatione per omnes ætatum, & occupationum gradus relegens vestigia vitæ decursæ, & cuncta perperam acta, dicta, cogitata in summam contrahens, ac si opus est ad memoriæ subsidium scripto subjegens. Sic paratum postquam audieris, plerumque juverit, non continuo absolvere, sed agere cum illo, ut boni consulat, per duos tresve dies abducere à curis familiaribus animum, & idoneis ad dolorem peccatorum ex amore Dei offensi ciendum commentationibus comparare se ad fructum uberiorem è Sacramentali Confessione percipiendum. Eo triduo pœnitenteni exercebis aliquot meditationibus primæ hebdomadæ mensis ascetici, quarum illi capita edisseres, modum commentandi & orandi trades. Suadebis etiam, ut pœna quapiam ultro suscepta, puta jejunio, aut flagellatione, seipsum ad veram detestationem criminum intime concipiendam, & per lachrimas etiam prodendam juvet.*

Et l. Epist. 8. Proponens modum reconciliandi maritoa rixosoa cum uxoribus, sic scribit: Confessarii *viros adcriantur, dextreque abductos à negotio perpellant ad semel purgandam animam Confessione generali, ad quam prius se comparent modico secessu, & meditatione aliqua. Tum ubi peccata vitæ totius exponentem audierit Sacerdos, suaviter abducat, ut Libens patiatur sibi differri absolutionem ad dies aliquot, quibus se Sacris Commentationibus, ac piaculis, tum de vita emendanda seriis deliberationibus exerceat. Sic affecto, & ad totum se Dei obsequio impendendum confirmato facile persuadebis, quæ ad pacem domesticam cum uxore stabiliendam pertinent.*

Et l. 5. Epist. 9. ad D. Herediam sic scribit: *Itaque cum sub manum venient, qui & egeant, & capaces opis sint, & alioqui vitæ statum sat habeant compositum, ut iis & libeat, & vacet dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis ipsos jube sustinere per dies aliquot comparando se ad veram detestationem peccatorum ex dolore Dei omnipotentis & summe amabilis offensi, ad hunc finem præscribe illis Commentationes pias de morte.*

IV.

SESSIO XIV.
SACRI CONCILII TRIDENTINI.
De Pœnitentia.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia, susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum (*Psal.* 102. *Ephes.* 2.) illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaris, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur, unde Propheta ait (*Ezech.* 18.) Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibua iniquitatibus vestria, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominua etiam dixit (*Luc.* 13.) Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus, Baptismo initiandis, pœnitentiam commendans, dicebat: (*Act.* 2.) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: (*Joan.* 3. *Matth.* 16.) Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum Sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi, contra

contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAPUT II.

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi.

Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? (*1. Cor.* 5.) Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus (*1. Cor.* 12.) lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos, sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum (*Galat.* 3.) induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAPUT III.

De partibus, & fructu hujus Sacramenti.

Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo &c.*, quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res, & effectus hujus Sacramenti, quantùm ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quàm interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

CAPUT IV.

De Contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; & hominem post Baptismum lapsum ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: (*Ezech.* 18.) Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certè, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: (*Psalm.* 50.) Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: (*Psalm.* 6.) Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: (*Isaiæ* 38.) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios hujus generis: facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quòd in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad DEi gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter (*Jonæ* 3., *Matth.* 22., *Lucæ* 11.) concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quòd numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit: sed & falsò docent, Contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

CAPUT V.

De Confessione.

Ex (*Luc.* 5. & 17., *Jac.* 1. 1., *Joan.* 1.) institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata,

ta, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere: quia Dominus noster JEsus Christus, (*Joan.* 20., *Matth.* 16.) è terris adscensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ciciderint; qui, pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient: constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima (*Deut.* 5.) Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm, cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, (*Ephes.* 2.) homines iræ filios, & Dei inimicos reddant: necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda Confessione, à DEO quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi Fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere; unde alienum à ratione est, docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est, Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à Pœnitentibus exigi, quàm ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & in conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & DEum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem Confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: (*Ps.* 18.) Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa verò hujus

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

modi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua Lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. Unde cum à sanctissimis, & antiquissimis Patribus, magno, unanimique consensu, secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à Divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiterentur (quod Jure Divino necessarium, & institutum esse intellexerat) sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum.

CAPUT VI.

De Ministro hujus Sacramenti, & Absolutione.

Circa Ministrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelica penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: (*Matth.* 16. & 18.) Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in Cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo; (*Joann.* 20.) &: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: ad omnes Christi Fideles indifferenter, & promiscuè, contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata: publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta verò per spontaneam Confessionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti, in ordinatione collatam, tanquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque pravè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem Absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium,

gelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à Judice, sententia pronunciatur, atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam, si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum: nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret.

CAPUT VII.

De Casuum reservatione.

Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus, absolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illis in subditos, tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est Divinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere, verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.

CAPUT VIII.

De satisfactionis necessitate, & fructu.

Demùm, quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maximè nostra ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: Sancta Synodus declarat, falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur, perspicua enim, & illustria (*Gen.* 3., 2. *Reg.* 12. *num.* 12. & 20., 2. *Machab.* 1. 9., *Matth.* 11. *c.*) in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter Divinam traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur. Sanè, & Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scienter (1. *Cor.* 3.) Templum Dei violare, & (*Ephes.* 4.) Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et Divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & (*Hebr.* 10.) contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, (*Rom.* 2., *Jac.* 5.) thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. (*Ezech.* 33., *Jonæ* 3., *Jer.* 3. 18. & 25.) Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem (*Isa.* 30., *Eccl.* 17., *Matth.* 3. 4. 11. & 18. *cum fin.*) à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd, dum satisfaciendo, patimur pro peccatis, Christo JEsu, (*Rom.* 5. 1. *Joan.* 2. *in princ.*) qui pro peccatis nostris satisfecit, (2. *Cor.* 8.) ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod (*Rom.* 8.) si compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum JEsum; Nam qui (2. *Cor.* 3., *Philip.* 4., 1. *Cor.* 1. *in fin.*) ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus, ita non habet homo unde glorietur. (2. *Cor.* 10. *in fin.*, *Galat.* 5.) sed omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo (*Act.* 17.) vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, (*Matth.* 3. & 4., *Luc.* 3. 10. & 17.) facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: Nam (*Matth.* 16., & *Joan.* 20.) Claves Sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent; nec propterea existimarunt,

Sacra-

Sacramentum Pœnitentiæ esse fornm iræ, vel pœnarum, sicut nemo umquam Catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis Domini nostri JEsu Christi, vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam Pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.

CAPUT IX.

De Operibus satisfactionis.

Docet præterea, tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum JEsum satisfacere valeamus.

V. INSTRUCTIO DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Ex Rituali Romano.

Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, à Christo Domino institutum; eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, & quo plura requiruntur ad illud rectè, digneque tractandum, ac suscipiendum. Cùm autem ad illud constituendum tria concurrant, Materia, Forma, & Minister: illius quidem remota materia sunt peccata; proxima vero sunt actus pœnitentis; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba: *Ego te absolvo &c.* Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius; quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris, & peccatis absolvere. In ejus Ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo Secretæ Confessionis sub exacto, perpetuoque silentio. Quibus, & aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent Confessarii.

In primis meminerit Confessarius, se judicis pariter, & Medici personam sustinere, ac Divinæ Justitiæ simul, & misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse: ut tanquam arbiter inter Deum, & homines, honori Divino, & animarum saluti consulat.

Ut ergo rectè judicare queat, discernens inter lepram, & lepram, & tamquam peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare sciat; quantam potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præsertim è Catechismo Ro-

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

mano, & prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

Sciat casus, & censuras Sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reservatos, & suæ cujusque Ecclesiæ Constitutiones; easque diligenter observet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem rectè nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc Ministerio ita procedat, ut infrà præscribitur.

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus promptum, facilemque se præbeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè, sanctèque obeundum, Divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causa rationali, quæ cum inciderit, studeat tamen in decenti, ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras Confessiones excipiat: quæ sedes patenti, conspicuo, & apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem, & Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo, & stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, & habitus accedat, & flexis genibus signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) & quàm pridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam adimpleverit, num ritè, atque integrè alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quodsi pœnitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, à quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate à Superiore.

Si verò Confessarius, pro Personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ Fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Tum Pœnitens Confessionem generalem Latina, vel vulgari Lingua dicat, scilicet, *Confiteor &c.* vel saltem utatur his verbis: *Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater.* Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, Confessione: neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere: proinde fiduciam ei præbcat, & humaniter suggerat, ut omnia peccata sua ritè, & integrè confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

Si Pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias, non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, nec curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel illos de eo, quod ignorant, imprudenter interroget, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem, & multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem, & convenientem satisfactionem, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, & ætatis, & item dispositionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat; veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem, vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent: neque à pœnitentibus quicquam tamquam ministerii sui præmium petant, & accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio: ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut alicna, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt superioribus reservata.

Si verò quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, & censuris quantumvis reservatis: cessat enim tunc omnis reservatio, sed prius, si potest, cui debet satisfaciat; ac si periculum evaserit, & aliqua ratione superiori, à quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cùm primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet præstiturus.

Quodsi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitens cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porrò Sacerdos, ægris non esse injungendam gravem, aut laboriosam pœnitentiam: sed indicendam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi aliqua oratione, aut levi satisfactione interposita, & acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

VI.
EPISTOLA
S. CONGREGATIONIS
Scripta jussu
INNOCENTII XII.
ubi præcipitur,

Ne admittantur ad audiendas Confessiones nisi Confessarii ætate provecti, docti, & moribus probati.

Item:

Præscribitur modus excipiendi Confessiones mulierum.

Foris. *Eminentissimo ac Reverendissimo D. D. Cardinali Candelmo, Archiepiscopo Neapolitano.*

Intus. *Eminentissime ac Reverendissime Domine, mihi Observandissime.*

Ex Casibus &c. &c. Sua Sanctitas satis Intellexit, quàm ad eos præcavendos necessarium sit, ut Episcopi singularem attentionem admoveant in eligendis personis Ministerio tanti momenti idoneis. Hinc præhabita matura deliberatione cum Collegio Eminentissimorum Cardinalium Inquisitionis Generalis voluit, ut ad Eminentiam suam exararem præsentem Circularem Epistolam, in eaque specialiter instarem, ut in posterum omni possibili cura ac diligentia procuret constitui solùm Confessarios ætate, doctrina, ac prudentia provectos, probitate morum commendatos, nullatenus verò adhuc juvenes. Prætereà iisdem præcipiatur, ut non excipiant Confessiones, præsertim mulierum, ante Confessionale, sed ex ejus latere, ac in locis publicis omnium conspectui expositis. Confidit sua Sanctitas in Zelo suæ Eminentiæ, intentionem suam perfectè fore adimplendam. Ego verò humillimè exosculor suas manus. Romæ 4. Decembr. 1694.

Eminentiæ suæ

Humillimus ac Devotissimus Servus

A CARD. CYBO.

Neapolim, D. Cardinali Archiepiscopo.

VII.

VII.

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS

Visitationis circa Confessiones audiendas.

Congregatio Sacræ Apostolicæ Visitationis. De Mandato Sanctissimi D. N. URBANI Papæ VIII. vivæ vocis oraculo ei facto, justis de causis præcipit omnibus, singulis Confessariis tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus quocunque nomine nuncupatis; cujusvis gradus, & dignitatis in suo Ordine, ne in posterum, tam virorum, quàm mulierum cujuslibet qualitatis, vel conditionis existant. Præterquam si gravi infirmitate detenti, vel detentæ sint, Sacramentales Confessiones in illorum, seu illarum, vel etiam alienis ædibus, audiant, nisi de Licentia Illustrissimi D. Card. Urbis Vicarii, seu Reverendiss. D. ejus Vicesgerentis, in scriptis concedenda (exceptis tamen Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium, Principum virorum sæcularium, videlicet, Oratorum Regum, & Magnorum Principum, necnon & Ducum, ac Romani Pontificis, qui fuerunt, vel pro tempore erunt Nepotum.) Hoc etiam addito, ut iidem Confessarii in mulierum hujusmodi Sacramentalibus Confessionibus audiendis, cubiculi januam apertam, ac velum levatum semper habeant, ita ut conspici, non autem audiri possint: Sacramentumque Confessionis hujusmodi, Confessarii sæculares cum superpelliceo, & stola; Regulares verò cum stola ministrent in Ecclesia, nisi ex rationabili causa, audire aliquos in Sacrario, seu alio decenti loco quandoque occurrat. Contra facientes, non solùm suspensionis à Confessionibus audiendis, verum etiam alias pœnas, arbitrio ejusdem Congregationis, eo ipso incurrant. Insuper Confessariis hujusmodi, sub eisdem pœnis, injungitur, ut si eos, vigore facultatum eis concessarum, Confessiones infirmorum hujusmodi in privatis Domibus audire contigerit, Parochum dictorum infirmorum ante, vel saltem eadem die, qua Confessionem audicrint, absolutionemque infirmis impertiti fuerint, certiorem reddere debeant. In quorum &c. Datum Romæ, in loco solitæ Congregationis die 10. Julii, 1625.

O. Episc. Cabellionen. Sac. Visit. Secr.
Odoardus Tibaldescus Not.

Impress. Romæ &c. *In Regest. Sacr. Congreg. Episcopor., & Regular. fol.* 101.

EPISTOLA CIRCULARIS S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM,

De Modo, qui observari debet in excipiendis Confessionibus Monialium ægrotantium.

Sua Sanctitas, mota paterno Zelo, per me insinuari vult Suæ Eminentiæ, mentem suam in eo esse, ut omnes Confessarii in Monasteriis Monialium, quomodocunque exemptis, non excipiant Confessiones Sacramentales Monialium ægrotantium, nisi janua Cellæ, in qua morantur, aperta; assistant etiam aliquæ Moniales, ita tamen, ut videre quidem possint tam ægrotam, quàm Confessarium, non autem audire loquentes. Placeat Suæ Eminentiæ, Abbatissis & Superiorissis præfatorum Monasteriorum strictè, etiam sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, injungere, ut intentioni SS. Domini Nostri prompta executione exactè obsecundent. Romæ, 21. Martii 1682.

VIII.

DECRETUM PONTIFICIUM CLEMENTIS OCTAVI

Super Propositione Confessionis per litteras.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico die 20. Mensis Junii 1602. Sanctiss. D. N. CLEMENS PAPA VIII. Propositionem: *Licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit.

Præcipitque ne deinceps ista Propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur, quodsi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, vel indirectè, deduxerit, præter excommunicationem latæ Sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam Dignitate fulgente, etiam S. R. E. Majori Pœnitentiario, nisi à, pro tempore existente, Romano Pontifice absolvi, ac etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.

IX.

DECRETUM ALEXANDRI PP. VII.

Super Attritione.

Sanctissimus Dominus Noster ALEXANDER PAPA VII. cùm acceperit non sine gravi mœrore animi, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa

illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei (aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam Sententiam cenſurantibus) Sanctitas Sua enixè cupiens, pacis vinculum inter Fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, nec non DD. Conſultorum, & Qualificatorum Sac. Congreg. ejuſdem Gener. Inquiſit. hoc præſenti Decreto in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctæ Sedi reſervatæ, aliiſque pœnis, ejuſdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & ſingulis Fidelibus, quocunque gradu, & dignitate, etiam Epiſcopali, & majore, imò, & Cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel libros, aut Scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cæteroſque erudient, non audeant alicujus Theologicæ Cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram Sententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta (quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur) ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec à S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum; ſtatuitque præterea, Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixum, omnes ubique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

DECRETUM
SAC. CONGREGATIONIS SANCTI OFFICII.

Quòd in facultatibus abſolvendi à Caſibus Bullæ Cœnæ Domini non intelligatur comprehenſa poteſtas abſolvendi ab hæreſi.

Sanctiſſimus Dominus Noſter ALEXANDER PAPA VII. ſub die 23. Martii 1656. inhærendo declarationibus aliàs à Prædeceſſoribus ſuis factis ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitare contingat, cùm crimen hæreſis præ cæteris graviſſimum ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus Conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

X.
INSTRUCTIO PAROCHORUM ET CONFESSARIORUM,
Pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio à Sacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

Cùm ſæpè ſit experientia compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſti Fideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitatum, & cujuſcumque modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lachrymoſe perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laborioſe perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primò eo quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cùm ad Ordinarium accedendi (fœminis præſertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulterius requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundò evenit, quòd Pœnitentes egeni recognitionem pro ſolicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exſolvere non valentes, inconſolati, ac conſcientiæ motibus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cùm re vera Sacræ Pœnitentiariæ miniſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Tertiò, accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta expoſita obtentæ, irritæ evadant, quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticent, unde fit, quòd litterarum executores, caſu poſtea Pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quàm expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant, quare pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile Fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam ſacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cùm Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit; caſuum qualitates, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne, quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores, ſeu Pœnitentes poterunt caſus præfatos cum dictis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſive Latino, ſive quocunque alio idiomate propriæ regionis; nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacunque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet: exprimantque ſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit à Sacra Pœnitentiaria reſcribendum, etiam

etiamsi ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine Oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum data mensis, & anni in huoc modum. Intus incipiant Epistolam, seu Supplicationem sic

Eminentiss. & Reverendiss. Domine.

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium. *Terminent Epistolam, seu Supplicationem sic.* Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. & N. *& exprimant nomen, & cognomen, cui est rescribendum:* ad Civitatem N. *exprimendo nomen Civitatis:* per Oppidum N. *exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi.*

Et dirigere Breve, seu Gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro io Theologia, sive Decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœmioæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacram Pœnitentiariam.

Dirigant Epistolam, seu Supplicationem scribendo extra, seu foris in hunc modum:

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, D. Cardinali Majori Pœnitentiario Roman.

Et, si tardaverit respoosio, Coosessarii rescribant, ne fortè sit deperdita, & ounquam desperent Pœnitentes.

XI.

IDEA BONI CONFESSARII JUXTA DOCTRINAM, ET VIVENDI RATIONEM S. FRANCISCI SALESII, EPISCOPI, & PRINCIPIS GEBENNENSIUM.

Auctore R. Presbytero
RAYMUNDO BONALIO,
Sacræ Theol. Doctore.

LECTIO PRIMA.

De præstantia muneris Confessarii.

I. QUÆRES I. *Quare Confessariorum munus eximium est?*

R. Tribus de causis. I. Quia Confessarii sunt Judices Animarum: quod sanctus Franciscus Salesius in præfatione libelli mooitionis ad Parochos, & Confessarios his verbis declarat: *Charissimi Filii, munus quod in Ecclesia Dei exercetis, planè eximium est, cum tantam vobis Christus ad judicandas Animas auctoritatem dederit, ut sententiæ in terra justè à vobis latæ, in cœlo ratæ habeantur.*

II. Quia sunt destructores peccati: quam rationem vir sanctus exprimit ibidem: *Verba oris vestri tubæ sunt magni Josue, id est, Christi Domini, quæ muros iniquitatis, seu mysticæ Jericho evertunt.* Ubi alludit ad historiam Josuæ c. 6. relatam, cujus hæc summa est: Præceperat Deus Josue, ut cuncti cum ipso bellatores Israel, sex dies continuos, & semel quolibet die urbem Jericho circuirent: septimo autem Sacerdotes tollerent septem buccinas; quarum usus erat in Jubilæo; & præcedentes Arcam Testamenti clangerent buccinis; atque ita cum omni exercitu septies urbem circuireot, interim conclamante omoi populo vociferatiooe maxima. Quæ dum agerentur, illicò muri corruerunt, ac direpta est civitas, & succensa.

III. Quia sunt Angelis superiores: *magno* sanè beatus Vir prosequitur ibidem: *Homines immensa Dei bonitas honore dignata est, quos ad eam dignitatem evexit, cujus ne ipsos quidem Angelos voluit esse participes; cui enim ordini Angelorum dictum est aliquando: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis? hoc tamen Apostolis dictum fuit Joannis cap. 20. & in illis dictum est omnibus, qui successione legitima eamdem auctoritatem accipient.*

Idem ostendit noster Franciscus his verbis: *Ora vestra*, ioquit, *canales esse mysticos dico, quibus vera de cœlo pax in homines bonæ voluntatis emanat.* Ubi notum est eleganter alludere ad eam multitudinem militiæ cœlestis nato Christo laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax homioibus bonæ voluntatis, quam Lucas Evangelista cap. 2. commemorat; acsi apertè Vir sanctus diceret: magno honori Angelis fuit, quod oocte natalis Christum sacrum hymoum suaviter & modulatè canentes pacem hominibus booæ voluntatis annuociaverint: sed Confessarii non modo pacem hominibus bonæ voluntatis, id est, bene contritis ac dispositis nuntiant, sed illis etiam Dei oomine largiuntur, eamdemque constituunt; nam peccatores Divinæ Majestati conciliant, ejusque in ipsis gratiam velut instrumeotales causæ producunt.

QUÆRES 2. *Hujusce lectionis fructus.*

RESPONDEO: Tres esse colligendos ex ea. Ex priori oumero, Coosessariis Animarum Judicibus, propriæ conscieotiæ judicium non esse omittendum: hoc est, ut judices à culpis remotos esse coovenit, quas damnare io aliis & punire solent, ita Confessarii reprehensione atque crimine omni carere debent: cæterum per crimina intelligimus peccata mortalia, quæ Divina Scriptura, & veteres Patres hoc nomine appellant. Illis autem carere debent Confessarii: ne unicuique ipsorum objici possit, quod à D. Paulo in alia materia dictum est ad Rom. c. 2. v. 2. *propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui judicas: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.*

Ex altero verò oumero; ubi eosdem comparavimus tubis illis argenteis, ad quarum clangorem muri Jericho corrueruot, facilè intelliges, probæ illorum vitæ exemplum argeoti sono designari, quod ad peccata destrueoda multum potest.

Tandem ex tertio disces, Confessarios Angelis dignitate superiores, virtute saltem æquales esse oportere, si antecellere oequeaot: puta, mentis cum Deo conjunctione, siogulari charitate, & egregia animi, corporisque munditie.

LE-

LECTIO II.

De bonorum Confessariorum inopia, eorumque muneris onere gravissimo, & an illud recusandum sit?

I. QUÆRES 1. *Quanta sit idoneorum Confessariorum inopia?*

RESPONDEO: Ecce verba Francisci Salesii notatione dignissima 1. parte introductionis cap. 4. *Elige*, inquit Avila, *unum ex millibus Confessarium, ego vero subjungo ex decem millibus, etenim multò pauciores, quàm dici possit, huic officio idoneos reperias.*

II. QUÆRES 2. *Qua tandem ratione persuaderi quis poterit officium Confessarii esse onus gravissimum?*

RESPONDEO: Audi B. Fr. lib. 2. cap. 42. ubi agens de Animarum cura, hæc ad unam è suis pœnitentibus scribit: *Ora Deum pro me sanè miserrimo, tum mei, tum aliorum cura oppresso, quod est onus intolerabile.*

III. DICES: *Si res ita se habeat, bene sibi consulent, qui munus hujusmodi recusabunt.*

RESPONDEO: Verum quidem est probè sibi consulturos, si se huic muneri non intrudant, sed legitimè vocatos abnuere numquam licet; nam ut ait B. Franc. 3. parte introductionis cap. 5. num. 4. *Tunc humiliter, & sanctè audendum est, quidquid à pastoribus Animarum nostrarum profectui nostro utile judicatur.*

IV. QUÆRES 3. *Quid eum consolari poterit, cui hoc onus legitimè impositum fuerit?*

RESPONDEO: Si seriò meditetur, eum se oneris ferendi socium & adjutorem habiturum, qui omnes dolores nostros incredibili charitate portavit. Ut docet B. Franc. loco suprà laudato num. 2. nam post verba ibi recitata, *ora Deum*, &c. subjungit, *nisi ille, qui me cum omnibus delictis meis in Cruce portavit, ad Cœlum usque tandem evehere dignetur:* quasi diceret: hoc Animarum onus meis additum peccatis adeo grave est, ut ab eo salutis dispendium timere non immeritò possim; nisi me oneri succumbentem divina misericordia sublevet, & ad Cœlum usque perducat, ut præstituram esse confido.

V. QUÆRES 4. *Quos ex præsenti Lectione fructus colligemus?*

RESPONDEO: Duos. 1. Ex priori quidem numero videre licet miserum planè rerum statum, in quo versamur: cùm enim tanta sit inopia Sacerdotum, quos huic officio idoneos esse constet, plurimos tamen reperias, qui ultrò illud subeunt: unde meritò Cleri miseriam deflens perennibus lachrymis, ut olim urbis Jerusalem, & Judaici Templi ruinam Jeremias deplorabat.

2. Ex aliis verò disce onus gravissimum formidare, ne id tibi assumere præsumas. Nec minus in Domino confidere, si ad illud legitimè voceris.

LECTIO III.

Respondetur excusationibus Sacerdotum, qui humilitatis specie Confessarii munus efugiunt.

I. QUÆRES 1. *Quænam sunt excusationes illæ?*

RESPONDEO: Duplicis generis: aliqui enim obicem suæ infirmitatis & imperitiæ opponunt, quem se non ignorare testantur: alii verò dicunt, vereri se, ne dum alienæ salutis curam suscipient, propriæ, quæ ipsis potior esse debet, jacturam faciant.

II. *Quid autem his respondes?*

RESPONDEO: Sanctum Franciscum Salesium 3. parte Introduc. cap. 5. num. 4. damnare istos, qui naturæ & gratiæ dotes utiliter impendere Dei gloriæ, & proximorum saluti recusant. Ubi notum est loqui de legitimè vocatis, cùm præcipuas rectæ vocationis notas exhibeat, nempe talentum à Deo concessum, & proprii Superioris, aut Directoris invitationem, quæ hac voce, *recusant*, exprimitur.

DICES 2. *Sed numquid humilitatem exercent, qui onus gravissimum subire abnuunt?*

RESPONDEO: Equidem, si ita lubeat appellare, sed vitiosam, & duobus passim defectibus inquinatam, quod ibidem aperit oculatissimus Doctor, nempe malitia, & falsitate. *Totum illud merum*, inquit, *artificium est, & quoddam humilitatis genus non modo falsum, sed etiam malignum, quo divina tacitè subdoleque damnantur; vel saltem nimium suæ naturæ opinionis, desidiæque studium humilitatis nomine velatur, ac tegitur.*

III. QUÆRES 2. *In quo sita sit hujus humilitatis pravitas, & quænam sint res illæ divinæ, quas per eam damnari asserit Beatus Salesius.*

RESPONDEO: Res illæ divinæ sunt obsequia Deo præstita sacris eorum officiis, qui se totos Animarum saluti procurandæ impendunt. Nam Sacerdotes, de quibus loquimur, cùm per humilitatis speciem rejiciunt munus Confessarii, damnant obscurè, sed callidè hanc provinciam, Deo tamen auctore institutam, & illos, qui eam Superiorum jussu exercent, obliquè accusant, ideoque res divinas, ut ait S. Episcopus Salesius, culpare videntur.

IV. QUÆRES 3. *Hujus humilitatis falsitatem expone.*

RESPONDEO: In hoc posita est; quod specie virtutis tres defectus insignes, videlicet nimiam proprio judicio, iodoli, desidiæque adhæsionem occultare nitantur. Ut ait S. Franciscus verbis in fine secundi numeri allatis.

DICES: *Sed numquid humilitatis est suam infirmitatem agnoscere?*

RESPONDEO: Quamvis aliquando hæc propriæ vilitatis agnitio sit quoddam humilitatis initium, verè tamen humiles numquam inducit ad ea munia declinanda, quæ legitima ipsis authoritate mandantur. Contra excitat illos ad eadem alacriùs amplectenda, nam ut ait Sanctus Franciscus dicto c. 5. Introduct. Verus humilis tanto fortior & animosior est, quantò se novit infirmiorem: utque se abjectum putat, ita est altiore animo: quippe qui totam spem suam in Deo posuerit: cui sæpius in nostra infirmitate suam commendare potentiam, & in erigendis miseriæ nostræ ruinis, divitias suæ bonitatis exhibere placet.

V. QUÆRES 4. *Quibusnam rationibus decipi se deprehendent, qui prava illa humilitate inficiuntur, ideoque munus Confessarii fugiunt?*

RESPON-

RESPONDEO: His duabus, quas loco supra laudato insignia Dei vir Salesius exponit. Prior ex Scriptura depromitur, nimirum ex cap. 7. Isaiæ, ubi hæc narrat Propheta: *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz: pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, sive in excelsum supra: & dixit Achaz: non petam, & non tentabo Dominum;* quem locum tractans Salesius ita exclamat: *O impium & miserum hominem, fingit se Deum impensè venerari, ac per simulationem humilitatis, gratiam accipere negligit, quam ei divina misericordia affert.* Altera hia B. Fr. verbis exprimitur eodem loco relatia. *Humilitatis est obedire, ac beneplacito Dei, quo poteris propius adhærere.*

VI. QUÆRES 5. *Præsentis Lectionis fructus.*
RESPONDEO I. Gratiæ Deo habendæ sunt, quod nobis parvæ humilitatis fucum plurimos seducentem detexerit. II. Si umquam ea nos deceperit, protinus abjicienda est.

LECTIO IV.

De his, quæ attendere deberent, qui nimia facilitate Confessarii munus assumunt.

I. QUÆRES 1. *Quænam essent illis attendenda?*
RESPONDEO: Tria præcipuè. I. gravissimum hujusce muneris onus ac simul rationes, quas lect. 2. n. 1. in hunc finem adduximus. II. Magna virtutum, aliarumque dotum copia Sacerdotibus Confessoriis necessaria, de quibus hoc loco fuse tractabimus. III. Cura propriæ salutis, quia juxta veræ charitatis ordinem prius ac diligentius cogitandum est de sua, quàm de aliena salute promovenda: quid enim proderit homini, si universum mundum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur?

II. DICES: *Sed cur adeò illa cogitatione indigent?*
RESPONDEO: Ob duas præsertim rationes. Primam discimus ex Divo Paulo, qui Epist. 1. ad Tim. cap. 5. hæc ait: *Attende tibi & doctrinæ*, & Actuum 10. v. 26. Idem sic admonet Ephesios Sacerdotes: *Attendite vobis & universo gregi*, ad quæ duo loca B. Fr. alludit l. 3. epist. 35. egregiè advertens, Apostolum sui curam aliorum curæ præponere.

Alteram rationem B. Doctor ibidem insinuat, consulens amico, ut sibi potius quam aliis vacet, non enim esset charitas ordinata, si prius aliis, deinde sibi provideret. *Nullus*, inquit, *est tibi proximior teipso, ut ait noster Seneca Christianus, id est, Doctor Bernardus Papam Eugenium alloquens.*

III. QUÆRES 2. *Qui fructus ex ista Lectione colligendi?*
RESPONDEO: Hi tres. I. Non est sæpè opus meritorium, sed potius inutile, cum ad salutem aliorum procurandam inflammaris: nam ibi nullum propriè meritum esse constat, unde vera charitas abest.

II. Expendendum est diligenter, an hujusmodi errore laboremus.

III. Oportet hujus erroris originem detegere, quæ passim est 1. quædam nativa propensio erga bonum proximi. 2. Frivolæ cujusdam gloriæ cupiditas. 3. Spes lucri temporalis.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

LECTIO V.

De Virtutibus, alisque bono Confessario necessariis, ac primum de Charitate.

I. QUÆRES 1. *Quænam sunt Confessario necessaria?*
RESPONDEO: Tria præsertim, ex B. Fr. 1. p. Introd. c. 4. *Abundet*, inquit, *Confessarius charitate, scientia & prudentia; si enim vel una ex istis dotibus ei defuerit, periculum est.* Dixi tria præsertim: nam licet alia multa possint assignari, ea tamen omnia ad hæc tria facile revocantur, atque ex illia velut eorum fructus dependent. Cæterum majoris claritatis gratia, primum de charitate, deinde verò scientia, ac prudentia singillatim agemus.

II. QUÆRES 2. *Quænam charitas est Confessario necessaria?*
RESPONDEO: Paterna, ut docet eximius Doctor 1. cap. monit. ad Confessarios: *Suavissimum*, inquit, *patris nomen recordamini, quo vos pœnitentes appellant, cùm suam ordiuntur confessionem; vosque debere illos paterno amore amplecti.*

DICES: *Plurisne facere debet Confessarius Patris nomen, quàm Domini?*

RESPONDEO: Ita sane authore verbo & exemplo B. Doctoris l. 4. ep. 52. ubi Animam suæ curæ commissam vis verbis alloquitur: *Non ero tibi Dominus inposterum, nec tu à me Domina vocaberis. Antiqua enim, & charitate plena patris, & filiæ nomina, plus christianam pietatem, ac mansuetudinem redolent; bisque major vis inest ad sacram dilectionem, quam Christus inter nos esse voluit, declarandam.*

III. QUÆRES 3. *Numquid hoc patris nomen gerere satis est?*
RESPONDEO: Nequaquam, exigitur enim præterea, ut ejusmodi nomen imò pectori Confessoris insigatur, hoc est, ut is eximium patris affectum induat. Audi nostrum Oraculum l. 2. ep. 41. *Vide quæso ut spiritus meus*, inquit Vir admirabilia, *tuam impensè diligat, & patris nomen, quo me honorificè nuncupasti, ad te magis amandum excitet: nimirum cordis intima penetravit, cunctique affectus mei leges amoris quem significat, omnium nempe maximi & vehementissimi accepere.*

IV. QUÆRES 4. *Assigna hujus lectionis fructus.*
RESPONDEO: Disce I. Patris nomen esse nobilissimum, & optatissimum Confessarii titulum. II. sedulo cogita, num peccatores, ut tam suave nomen exigit, affectu paterno amplectaria, & hujusce charitatia indicia, si quæ habeas, expende.

LECTIO VI.

De quibusdam officiis paternæ Confessarii charitatis, ac I. de benigna pauperum, & plebejorum admissione.

I. QUÆRES 1. *Hæc paternæ charitatis officia.*
RESPONDEO: 6. in libris, aut vita B. Doctoris invenio. 1. Habetur cap. 1. num. 3. monit. nimirum paterna ignobilium, & egenorum admis-

admiſſio; fecit verò quæ docuit, ut teſtatur vitæ ipſius auctor l. 2. p. 6. qui laudata priùs in hoc munere Confeſſarii obeundo, viri ſancti aſſiduitate, illum dicere ſolitum refert, ſe confeſſionibus idiotarum, & ruſticorum audiendis maximè delectari.

II. *Expone aliquot hujus B. Franciſci charitatis exempla.*

Respondeo: Ecce tria verè admiranda. Primum l. 2. p. 65. ejus vitæ deſcribitur: Erat homo ita claudus in civitate Aniſienſi, ut melius paralyticum dixeris, quem dum B. Franciſcus peccata confiteri volentem adverteret, brachiis ſuis benignè ſuſtentabat, & ad ſacrum uſque tribunal deductum, ſituque congruente dignitati hujus Sacramenti compoſitum, incredibili patientia & charitate audiebat. Secundum ex l. 6. p. 369. depromptum, eſt hujuſmodi. Inopem mutum, quem ſuæ familiæ motu charitatis adſcripſerat, mira diligentia præcipuos fidei articulos, & ipſam confitendi methodum edocuit; ac pro mutulo confitenti, tanta animi dulcedine aderat, ut ejus genas propriis lachrymis rigaret.

III. *Aliud verò erga mulieres exhibitum profer.*

Responneo: Neque perſonæ, neque ſexus ullam habuit acceptationem viri admirabilis charitas. Erat in urbe mulier inops, & à nativitate cæca, quæ ipſi confiteri peccata conſueverit, cum illam ſine comite manibus palpando venientem proſpiceret, ſtatim è ſacro tribunali ſurgebat, ut ad ejus cubitale manu propria duceret.

Quæres 2. *Quinam ſunt hujus lectionis fructus?*

Respondeo: Duo. I. operienda eſt confuſione Anima noſtra coram Deo, cum ab ea charitate longe diſtemus. II. illius imitatio firmiter proponenda eſt.

LECTIO VII.

De altero hujus Charitatis officio, nempe de ſingulari patientia erga rudes, & inurbanos exhibenda.

I. Quæres 1. *Quod eſt alterum charitatis Officium à Confeſſario erga rudiores exhibendum?*

Responneo: Singularis patientia, quam noſter Franciſcus his verbis præſcribit capit. 1. n. 3. monit. *Benignè tolerantes eorum ruſticam aſperitatem, inſcitiam, imbecillitatem, ingenii tarditatem, ac reliquos defectus.*

Quæres 2. *Propone rationes, quibus ad eam patientiam excitari poſſim.*

Respondeo: Affert Saleſius ibidem præclarum dictum ſancti Abbatis Bernardi: *Hoc autem Animarum onus eſt infirmarum: nam quæ ſanæ ſunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus ſunt.*

II. Dices: *Habeſne aliquod exemplum B. Franciſci?*

Responneo: Ita ſane, potens enim fuit opere & ſermone. Cùm illum tranſeuntem egens Mulier è feneſtra conſpexiſſet, nutibus indicavit, ut in Eccleſiam ſe conferret ipſius confeſſionem auditurus: quò eximiæ humilitatis vir ſtatim profectus eſt, authore P. Ludovico de la Riviere in ejus vita.

Quæres 3. *Specialem aliquam conditionem illius patientiæ erga ruſticos exhibendæ.*

Respondeo: Hanc te docebit B. Fr. eodem loco, nimirum ut eam diuturna perſeverantia committetur. Sic enim habet: *Nunquam à præſtando eis auxilio deſiſtentes, quamdiu ſpes aliqua emendationis affulſerit.*

III. Quæres 4. *Quos fructus ex iſta lectione colligemus?*

Respondeo: Duos. 1. Cogita quàm parum ad eam patientiam inclinemur. 2. Illius exercitium ſedulo proponendum eſt in quibuſdam caſibus à nobis prævifis.

LECTIO VIII.

De tertio paternæ Charitatis officio, nimirùm, ut inſignes peccatores humaniter excipiantur.

I. Quæres 1. *Quomodo ſe gerat Confeſſarius erga hujuſmodi peccatores?*

Responneo: Duo præſtabit, 1. illos magna teſtificatione amoris excipiet, ut ſanctus noſter Saleſius docuit verbo & exemplo; verbo quidem, nam c. 1. num. 3. monit. poſtquam Confeſſarios ad ejuſmodi charitatis officia hortatus eſt, Filii prodigi parentem eis in exemplum proponit: *Licet filius prodigus*, inquit ille vir Dei, *à porcorum cuſtodia nudus, ſquallore obſitus, fœtenſque redierit, eum tamen benigniſſimus pater agnovit, amplexus & oſculatus eſt, ac præ ingenti gaudio lacrymas fudit; pater enim erat, filii verò à parentibus animo teneriore diliguntur.* Exemplo. Audi enim loquentem ep. 13. l. 4. *Nudiuſquartus in Eccleſiæ gremium, & ſacræ Confeſſionis Tribunal virum nobilem admiſi: Deus bone! quot ei pacis oſcula dedimus!*

II. Eorum animum excitabit ad confitendum miſericordia & bonitate Dei, quorumlibet peccatorum multitudine, ac gravitate onerentur, ut B. Antiſtes Confeſſarios docuit, c. 1. n. 1. monit. his verbis: *Eorum animum erigite intuitu ſummi gaudii, quod Deus inſignium peccatorum ad meliorem vitam converſioni impertitur.*

III. Quæres 2. *Quænam ſunt motiva præcipua iſtiuſmodi peccatoribus in hunc finem à Confeſſariis proponenda?*

Respondeo: Sex ibidem tradit venerabilis Præſul.

1. Quò major eſt noſtra miſeria, eò Dei bonitatem glorioſiùs elucere.

2. Chriſtum, pro ſe crucifigentibus patrem oraſſe; ut omnes intelligant, agnum, qui tollit peccata mundi, veniam ipſis daturum libentiſſimè, licet cum Cruci affixiſſent.

3. Deum tanti facere pœnitentiam, ut minima, modò vera, graviſſima ſceleribus delendis par ſit: unde ſi Diabolus & miſeri, quos cum illo æternus ignis excruciat, pœnitentiam agere poſſent, omnia ipſis condonarentur.

4. Ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundaſſe gratiam; ſiquidem illuſtrioris ſanctimoniæ viros, ac fœminas, legimus inſignes fuiſſe peccatores; ut de ſanctis Petro, Matthæo; Davide, Magdalena conſtat.

5. Nullam graviorem injuriam bonitati divinæ, morti ac paſſioni Salvatoris irrogari poſſe, quàm

quàm si quis de peccatorum obtinenda remissione desperet.

6. Eam, scilicet peccatorum remissionem, Fide Catholica tenendam esse; ut illam nemo se consecuturum dubitet, cùm ad Sacramentum in hunc finem à Domino institutum rite accedit.

IV. QUÆRES 3. *Quis est hujusce lectionis fructus?*

RESPONDEO: Ut ea charitatis munia feliciter exequaris, diligere oportet, nedum verbo, sed etiam opere, & veritate.

LECTIO IX.

De quarto Charitatis officio, nimirum, ut Confessarius homines scrupulis agitatos consolari dignetur.

I. QUÆRES 1. *Quodnam est 4. istius charitatis officium?*

RESPONDEO: Benigna consolatio eorum, quos scrupuli, & reliquæ animi anxietates cruciant, nam ut ait Scriptura: amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum: amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Quem utrumque locum affert, ac præsenti materiæ applicat noster Antistes 1. p. introd. c 4. n. 2. *Ille*, inquit, (Confessarium intellige) *sive nos tristitia deprimat, sive ullo casu à via suscepta retardemur, sapientiæ thesauri, ac medicamenti spiritualis instar erit, qui animam afflictam eriget, abundeque recreabit.*

II. QUÆRES 2. *In quo præsertim Confessarius debet scrupulis vexatos consolari?*

RESPONDEO: Maximè circa præteritas confessiones, quas multi scatere defectibus pertimescunt. Ita S. Franc. agebat ex l. 3. epist. 13. *Ne dubites*, inquit, *charissima soror, nam te nostræ salutis periculo certam esse volumus; quod ad præteritam confessionem repetendam nulla ratione tenearis.*

III. QUÆRES 3. *Sed numquid in his casibus asperitate quadam utendum est?*

RESPONDEO: Si contumaces nactus fueris; benignitas prudenter asperitati admiscebitur. Audi quæso mansuetissimum Præsulem l. 7. epist. 19. *Hæc nobis soror negotium facessivit, & adhuc facessere perseverat; delicta enim ad suum arbitrium fingit: quare obstinato animo, sacra communione abstinet; egi cum illa non minus aspere quam benigne, agamque mutatis verbis, si Deus faverit, quamdiu opus esse judicabo.*

IV. *Refer aliquod mansuetudinis eximiæ factum à B. Antistite F. in hoc genere præstitum.*

RESPONDEO: Ecce tibi singulare. Miles in urbe Tononiensi, ubi tunc temporis F. noster agebat, Divinam Eucharistiam non jejunus accepit. Sed cum ideo graviter increparetur à sociis, tanto mœrore affectus est (nam id per incogitantiam fecerat) ut magnitudine doloris ejularet. Omnes interim ei consulunt, ut B. Patrem eo nomine singulis notum conveniat, qui re intellecta hominem consolatus est, ac poscenti pœnitentiam, *Pater*, & *Ave* dumtaxat injunxit, quod ipsi animum militis adeo conciliavit, ut ab ejus consortio dimoveri non posset.

D. Amort Tract. de Pœnitentia.

V. QUÆRES 4. *Quis est hujus Lectionis fructus?*

RESPONDEO: Ut ex n. 3. discamus, homines hujusmodi quantumvis contumaces invicta patientia tolerare.

LECTIO X.

De quinto Charitatis officio erga illos exercendo, quos sua peccata detegere pudet.

I. QUÆRES 1. *Quonam pacto se geret Confessarius erga hujusmodi homines?*

Responsioni præmitto genus illorum triplex reperiri posse. 1. Aliqui peccata detegere omnino erubescunt. 2. Alii non detegerent, nisi adhibito excusationum colore. 3. Demum alii accusationem incipiunt, sed multiplici exhortatione indigent, ut prorsus absolvant.

RESPONDEO: Igitur omnibus illis apta remedia juxta B. Doctoris mentem assignanda esse.

QUÆRES 2. *Quomodo se geret Confessarius erga prioris generis homines?*

RESPONDEO: Eos ad integram peccatorum declarationem his quinque rationibus excitabit, quas affert B. Doctor cap. 1. n. 4. monit. Si eos, inquit, ullo pudore affectos deprehendas, expone 1. te nihilo magis quàm illos è numero Angelorum esse, unde 2. te non mirari homines peccatis esse obnoxios. 3. Majorem homini ex pœnitentia laudem obvenire quàm ex peccato ignominiam. 4. Nec Deum, nec Confessarios de hominibus judicare juxta præteritum statum, sed præsentem. 5. Peccata ita penitus coram Deo, & Confessariis obliterari, ut nulla eorum amplius futura sit memoria.

II. *Affertne sanctus vir alias rationes?*

RESPONDEO: Quatuor adhuc in ejus scriptis adverti 1. l. 4. ep. 46. continetur: *Revera*, inquit, *primam ac præcipuam christianæ sinceritatis caput in hoc peccata detegendi candore positum est.*

III. 2. Ibidem tradit in hæc verba: *Non præbet aures Confessarius in sacro tribunali, ut audiat virtutes pœnitentium, sed noxas, & quidem omnis generis.*

IV. 3. Est, quod Sacramentalis Confessio peccata licet nativo veneno corrupta in salutis remedium vertat. En ipsa B. Fr. verba introd. 1. p. cap. 19. *Scorpio, dum cauda nos ferit, venenatus est, at oleum ex illo confectum, ejusdem ictibus curandis mirè inservit. Pariter noxa tunc solum pudenda est cum admittitur, sed eam confessio pœnitentiis utilem efficit, atque laudabilem.*

V. 4. Quod confessa peccata magnum Spiritui Sancto honorem tribuant, l. 2. ep. 30. B. Fr. exponit his verbis: *Culpæ, quamdiu morantur in Anima, spinæ sunt, hinc verò accusatione voluntaria expulsæ, in rosas & aromata mutantur, nam peccatum, quo voluntatis humanæ pravitas Animam inficit, ex illa Spiritus Sancti* (qui summa bonitas est) *potenti, sed suavi gratia ejicitur.*

VI. QUÆRES 3. *Quinam ex ista lectione fructus colligi potest?*

RESPONDEO: Admirari debemus insignem, & omni veneratione dignissimam bonitatem Dei ac sapientiam, qui hominum peccata in suam gloriam, eorumque salutem vertere novit.

LECTIO XI.

Prosequitur eandem materiam.

I. Quæres 1. *Quomodo se geret Confessarius erga illos, qui peccata declarare non audent, nisi ea variis excusationum, & historiarum coloribus tegant?*

Respondeo: Id docet B. Salesius c. 1. n. 9. monit. in hæc verba: *Si peccatorum suorum accusationem variis excusationibus & historiis implicent, patienter ferendum erit, nec ullatenus interpellari debent: & post pauca: tum amice, hujusmodi accusationum defectus, absque ulla tamen censuræ nota, illis exponentur.*

II. Quæres 2. *Qua illos ratione accendet, qui peccatorum confessionem prosequi verentur?*

Respondeo: Ea, quam tradit eximius Doctor ibidem num. 10. *Eos*, inquit, *hortabimini, ut prosequantur ulterius, his, aut similibus verbis. 1. ô te felicem, qui abdita mentis vulnera sacro medico aperis, qui Spiritui Sancto cor ad integram tui accusationem moventi obsequeris: macte animo, & opus tuæ reconciliationis inceptum fideliter absolve. 2. Paulo post ex hac bona confessione magnam capies voluptatem, neque omnino velles minimam conscientiæ latebram occultasse. Qualem tibi hæc humilis confessio in obitu consolationem pariet! 3. Deus suæ tibi rorem benedictionis infundat, qui sordes animi bona confessione patefacis.*

III. Quæres 3. *Quem fructum præsens lectio suppeditat?*

Respondeo: Serio advertendum est, quanta patientiæ, mansuetudinis, aliarumque virtutum copia Sacerdotes Confessarii opus habeant. Et sane D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 13. charitatem benignam, & patientem appellat. Cumque virtus non nisi diuturno labore comparetur, de necessitate incumbendi ejus exercitio convicti esse debemus.

LECTIO XII.

De sexto Charitatis officio, seu de fiducia, quam erga se Confessarii omnibus tribuere debent.

I. Quæres 1. *Quod est 6. charitatis officium à Confessario exhibendum?*

Respondeo: Ut singularem omnibus ad se veniendi fiduciam præbeat, qua in re sic B. Franc. excelluit, ut generalem parentis confessionem aliquando exceperit, apud ipsius vitæ authorem l. 5. p. 252. idem de matre narratur l. 7. p. 410.

II. Quæres 2. *Quo pacto id efficit Confessarius?*

Respondeo: Duplici genere mediorum utetur, quorum alia sunt remota, alia verò proxima.

Quænam sunt remota?

Respondeo: Hæc duo, 1. vita recta. 2. Comitas, affabilitasque sermonis.

Quæ proxima?

Respondeo: Duo quoque. Primum est inviolabilis sigilli expositio, cum aliquem illius violationis timorem in confitentibus deprehendet: ecce quæ fecit & docuit maximus Præsul. *Huic filiæ*, inquit, *à me tibi sedulo commendatæ, quam singulari benevolentia complector, affirmes velim, illam omnia mentis arcana, quæ meam in sinum deposuit, illum subiisse locum, unde non nisi obtenta ipsius facultate unquam exibunt.*

III. *Quodnam est Alterum conciliandæ fiduciæ medium proximum?*

Respondeo: Omnis exquisitæ urbanitatis proscriptio, sic enim habet: *Nullæ inter nos amplius erunt hujusmodi urbanitatis cærimoniæ, nec enim quibus nectimur vincula, hisce funibus constant. Illa quidem firmissima sunt, & nulla temporum serie immutanda, cum eodem Christi amore jungendi simus in cælis, quo sincerissime devincimur in terris.*

IV. Quæres 3. *Quos ex ista lectione fructus colligere oportet?*

Respondeo: Gravem Confessariis obligationem incumbere, ut 1. per bona ipsorum opera cunctis hominibus lucis exempla monstrentur. 2. Ut eorum colloquium pia sinceritas, & mansuetudo commendent: 3. ut juxta propheticum dictum, sermones suos in judicio disponant.

LECTIO XIII.

De Virtutibus, quæ à dicta Charitate dependent, ac primum Devotione.

I. Quæres 1. *Quænam virtutes à prædicta charitate dependent?*

Respondeo: Præsertim 4. nimirum, Devotio, proprii commodi neglectus, spiritus libertatis, & amicitia Christiana.

Quæres 2. *Quænam Devotionis officia Confessarii exercere debent?*

Respondeo: Maxime quatuor. 1. Est piæ contritionis motus, ut ad similem contritionem pœnitentium corda excitare possint. Qua re sanctus Antistes plane insignis fuit, nam peccata confitentes (ut l. 2. vitæ ipsius p. 68. habetur) sæpius flere, ac lamentari cogebat, & suum illis sudariolum ad lachrymas detergendas commodabat.

II. Alterum hujus devotionis officium ita describit B. Franc. agens de quodam è suis pœnitentibus, lib. 4. Epist. 13. *O meæ salutis authorem, quali gaudio perfundebar, cùm hominem ita sancta peccata declarantem audirem, & prorsus admirandam Dei providentiam ex eorum narratione colligerem, quæ illum occultis, sed miris modis à perditione revocaverat.*

Ubi duos eximiæ devotionis actus adverte, quos in audiendis confessionibus utiliter exercebis, nempe gaudium de peccatorum conversione conceptum, & Dei gratiæ ac providentiæ admirationem.

Tertium devotionis officium est frequens Angelorum invocatio, quos suis pœnitentibus Del bonitas comites dedit, hoc enim à B. Salesio l. 2. Epist. 1. discimus: *Nunquam*, inquit, *meos Angelos in oratione saluto, quin tuum etiam salutem. Quæso ut parem mihi gratiam referas.*

LECTIO XIV.

De quarto Devotionis officio, nimirum Oratione pro pœnitentibus rite fundenda.

I. Quæres 1. *Quartum hujusce devotionis officium.*

Respon-

Respondeo: Sedulam pro pœnitentibus ad Deum orationem. En B. Franc. praxim his verbis expressam: *Eam apud me locum obtinet, ut adeo tuæ consolationis, & internæ prosperitatis augmentum sine ulla intermissione deposcam. Deus bone, cùm hujus filiæ mentem ad te suavissime traxeris, ut eam in sacra dilectione perficias obtestor:* & alibi. *Te mihi plurimum cordi esse ne dubites, bis enim quolibet die singularem tui memoriam in orationibus habeo, ante oculos meos continuo versaris, ac pro tua salute ceram Deo, & Angelis ejus continua desideria effundo.*

II. Quæres 2. *In qua maxime oratione Confessarius pœnitentium meminisse debet?*

Respondeo: In tremendo Altaris Sacrificio, ut mos erat devotissimi Præsulis: *Charissima,* inquit, *quam cupio intense tuum in Dei amore progressum, cui te hoc mane denuo sacra mysteria peragens dedicavi: tunc mihi sane videbar, te in cœlum brachiis sublevare, ut parvulos attolere solemus.* Et l. 4. Ep. 60. *Hisque horis matutinis cum puram Unigeniti hostiam Deo Patri offerrem, apud me tacitus ajebam, ecce tibi cor tuum, æterne Pater, seu filium dilectionis tuæ, ejus quoque gratia nostrum acceptare digneris: nostrum,* inquam, *hoc est meum, ac Filiæ in Christo charissimæ.* Epist. verò 61. lib. 7. *Mox introibo ad Altare Dei, ubi pro tua salute mille vota emittam.*

III. Quæres 3. *Quid pro illis à Deo Confessarius postulabit?*

Respondeo: Suavissimam ejus charitatem, ut solebat homo Dei Fr. *Plures,* inquit, *gratias animæ tuæ poscimus in augusto Missæ sacrificio, sed præcipue amorem Dei, quippe qui omne donum in se continent;* unde lib. 5. Epist. 30. hanc beati viri charitas flammam exhalat: *Sit Jesus semper in medio cordis hujus, & cor istud semper in Domino Jesu requiescat: Jesus vivat in hoc corde, & cor istud in Jesu tanquam in unico suæ dilectionis termino.*

IV. Quæres 4. *In quibus pœnitentium necessitatibus Confessarium orare convenit?*

Respondeo: Duabus: Primo dum corporaliter affliguntur: *Quàm mihi sunt utilia* (inquit B. Salesius Epist. 26. l. 5.) *mala tua, nam me attentius orare compellunt.* Et Epist. 45. ejusdem libri, alloquens ex fracto crure laborantem: *Non deciperis,* inquit, *si me in hac infirmitate tibi propius adesse putes, sane adsum quo maximo possum affectu, & effundens in conspectu amantissimi tui sponsi orationem meam, tribulationes tuas ante ipsum pronuntio.*

V. Dices: *Quid Confessarius à Deo flagitabit in hoc casu?*

Respondeo: Ecce doctrinam & praxim sanctissimi Præsulis l. 5. Epist. 51. *Te Deo libentissime commendamus, ut sacram obtineas patientiam, nec possum aliud de te illi proponere, quàm eam, juxta consilium voluntatis ejus affectionem animæ tuæ, ut æternum ipsius habitaculum effici mereatur: affectionem, inquam, seu malleo vel scalpro aut penicillo, id est aspera quadam, vel suavi ratione conformandam: Dominus enim est, quod bonum est in oculis suis, faciat.*

VI. *Pro quibus aliis pœnitentium necessitatibus Confessarium orare decet?*

Respondeo: Spiritualibus. Audi orationem, quam B. Fr ad Dominum habuit pro una è suis pœnitentibus, quæ mentis ariditate languebat. *Tibi mille benedictiones exopto* (inquit l. 5. Ep. 30. *huic cordi filiæ mihi charissimæ benedicere digneris optime Deus, holocausti suavissimi instar accendatur in tui amoris honorem, ut nihil aliud quærat præter te, & hanc unam consolationem expectat, quæ de perfecta in tuá gloriam dedicatione procedit.*

LECTIO XV.

De altera virtute, quam à Confessarii charitate pendere diximus, nempe omnis proprii commodi neglectu.

I. Quæres 1. *Quare hunc proprii commodi neglectum inter virtutes à charitate fluentes annumeras?*

Respondeo: Ob illud Apostoli Pauli de charitate pronuntiatum: *non quærit quæ sua sunt 1. ad Cor. 13. v. 5.*

Quæres 2. *Quid per hujusmodi neglectum intelligis?*

Respondeo: Perfectam omnis commodi temporalis, & spiritualis abnegationem.

Quæres 3. *In quo posita est temporalis commodi abnegatio?*

Respondeo: In nulla temporalis lucri spè habenda, præsertim pecuniæ, quæ spes non minus est frequens quàm sordida: plures enim reperias, quos in sacro tribunali pecuniam accipere non pudet. Verum ab hoc more iniquissimo tam longe aberat B. Fr. ut audiens Confessiones ex l. 2. p. 68. vitæ ipsius, copiosas eleemosynas erogaret iis præsertim egenis, qui mendicare palam erubescant. Unde varios pecuniæ fasciculos deferre solebat, quos habita uniuscujusque status, & paupertatis ratione distribueret.

II. Quæres 4. *In quo posita est spiritualis commodi abdicatio?*

Respondeo: In duobus præsertim capitibus. 1. Ut nulla ratione Confessarius offendatur, si pœnitentes ad ipsum accedere soliti, alios consulant. Quod B. Franc. egregie præstitit, ut ex Epist. 33. constat. *Videtur,* inquit, *meam nimis offensionem pertimescere, si alteri cuipiam arcana mentis aperiat.*

III. Alterum hujus abnegationis caput est, ut pœnitentes hortetur ad alium sibi Confessarium eligendum, quando ita vel ob locorum distantiam, vel ob alias rationes expedire videbitur. Audi B. Antistitem l. 3. Epist. 65. *Tibi certo persuadeas velim, animi sententiam, qua mihi soli fidere decrevisti, meram esse Diaboli tentationem, qui solet nobis absentia commendare, ut præsentium usum impediat.*

IV. Dices: *Quonam pacto error illorum auferetur, qui absente solito Confessario, nulli eorum animæ suæ regimen committere volunt, quorum copiam habent?*

Respondeo: Tres afferri à B. Salesio rationes in Epist. mox citata. 1. verbis ultimo loco relatis continetur, eamque hac similitudine illustrat: *Horum,* inquit, *æger est animus ægrotorum, qui absentes medicos optant, eosque præsentibus anteponunt.* Altera sequentibus exprimatur; *non sunt impossibilia cupienda, nec difficilibus & dubiis confidendum.* 3. Verò hæc est, *non sufficit ut Deum omnibus modis opitulari posse credamus, sed adhuc sibi persuadendum est illo medio uti nolle, quod nobis*

deesse permittit, *eo autem uti velle*, *quod*, *sic ejus disponente sapientia*, *præ manibus habemus*.

V. Dices adhuc: *nunquamne accidere posset*, *ut Confessarius nullius licet privati commodi studiosus*, *teneretur monere pœnitentem*, *ne alium adiret?*

Respondeo: Posse, ut re ipsa nostro Præsuli contigisse libri 3. Epist. 44. demonstrat: *Si Dei bonitas agnovisset præsentiori auxilio tibi opus esse*, *quam illo*, *quod adeo diffitus præbere possum*, *nullatenus defuisset*, *neque deerit unquam*, *si meum supplere defectum expediat: Firma igitur pace fruere*, *ò charissima*, *Deus enim ubique præsens*, *ubique juvare potest. Vocat etiam remota*, *nec tamen suo loco movet*, *in illorum obsequium qui ei serviunt in veritate*, *unde gentium Apostolus dixit: ego quidem absens corpore*, *præsens autem spiritu*.

VI. Quæres 5. *Da præsentis lectionis fructus.*

Respondeo: Ecce duos, 1. Stude imitari egregiam temporalis commodi fugam, recusando in primis omne pecuniæ genus in sacro tribunali, quamvis pro celebranda Missæ stipendio offeretur.

2. Vide quàm delicata sit spiritualis abnegatio, ac perægre executioni mandetur, nisi quis animum babeat ab omni re creata liberum, & segregatum, maxime cum agitur admonendo pœnitentem, ut alium sibi Confessarium eligat.

LECTIO XVI.

De tertia virtute, *quam Confessarii charitas parit*, *nempe libertatis spiritu.*

I. Quæres 1. *Quid vocas spiritum libertatis?*

Responpeo: Hanc B. Fr. l. 2. Epist. 1. definitionem ejus tradit. Est, inquit, animi Christiani liberatio & inanitas omnium, ut agnitam Dei voluntatem amplectatur. Dixit, *rerum omnium liberatio*, quod præsertim intelligendum de se suisque propensionibus ac propria voluntate, nulli enim magis quàm sibi cor humanum adhæret ob amorem privatum (ut vocant) qui sæpius illi dominatur. 2. Ut agnitam Dei voluntatem sequatur: hæc enim voluntas debet esse viri Christiani ultimus & unus finis maxime Confessarii, quem verè cum Christo pronuntiare decet: *non quæro voluntatem meam*, *sed ejus qui misit me.* Joan. 5. vers. 8.

II. Quæres 2. *Quæ sunt notæ spiritus libertatis?*

Respondeo: Tres B. Doctor assignat loco supra laudato. De prima hæc habet: animus ea gaudens libertate, consolationibus non adhæret, sed angustias juxta humanæ fragilitatis modum, æquissime tolerat. Non inficior tamen eum consolationes diligere & optare, sed adeo illis non esse implicatum.

Hanc mihi notam in Confessario detege.

Respondeo: Cum ab excipiendis Confessionibus non desistit, licet hujusmodi munus ipsi non satisfaciat. Tum ob varias animi molestias, tum ob rusticitatem, ingratitudinem, & contumaciam pœnitentium.

III. Quæres 3. *Quæ est altera istius libertatis nota?*

Respondeo: Eam B. Fr. his verbis explicat. *Pietatis officiis non inhæret*, *ita ut si morbo*, *aut alio casu ab iis obeundis arceatur*, *nullam inde molestiam capiat. Fateor quidem ex pietatis officiis à viris sanctis amari*, *sed illos iis esse implicatos nego.*

Dices: *quomodo hanc notam in Confessario deprehendam?*

Respondeo: Si non habeat inhærentem affectum 1. Confessionis exercitio, nec 2. aliis pietatis officiis, sed ea cum animi tranquilitate deferat, cum id ratio exigit. B. Antistes ibidem affert exemplum Confessario valde congruum. *Anima*, inquit, *piæ meditationis officio addicta*, *si ab eo tantisper arceatur*, *non sine mœrore desistit*, *at quæ vera libertate potitur*, *sereno vultu*, *animoque erga interpellatorem benevolo discedet. Nam illi perinde est aut Deo servire meditando*, *aut proximum tolerando*, *utrumque Deo placere constat*, *sed istud proximi onus*, *hoc temporis momento perferre necessarium est.*

IV. Quæres 4. *Quænam est tertia nota?*

Respondeo: Illam declarat sanctus Episcopus his verbis loco citato: *raro lætitiæ jacturam facit*, *quia nullius rei privatio eum affligere potest*, *qui nulli bono creato adhærescit. Dixi raro*, *contingit enim aliquando tristari*, *sed parum.*

Ostende mihi hanc notam in Confessario.

Respondeo: Si nullo mœrore afficiatur. 1. Cum pœnitentes indociles nactus fuerit. 2. Cum iidem, aliique ipsius agendi rationem licet immerito condemnant, & illum apud omnes male audire vellent.

V. Quæres 5. *Præsentis lectionis fructus?*

Respondeo: Hos duos accipe, 1. quidem notandus est eximiæ perfectionis apex Confessario necessarius, ut in hoc capite dicta exequatur. 2. Agnoscere oportet unicam hujus sibi comparandæ libertatis viam esse, Dei solius dilectionem.

LECTIO XVII.

In qua effectus prædicti spiritus libertatis, *& vitia illi opposita declarantur.*

I. Quæres 1. *Quinam sunt dictæ libertatis effectus?*

Respondeo: Duos affert S. Antistes l. 2. Epist. 1. *Hujus*, inquit, *libertatis effectus duo sunt. 1. Ingens animi suavitas. 2. Mansuetudo singularis & in alterius voluntatem benigna proclivitas in iis*, *quæ mala non sunt*, *aut mali periculo carent: hæc nimirum est proprii arbitrii ad alienum accommodatio in omnigenæ virtutis officiis.*

II. Quæres 2. *Quandonam Confessarius vacare poterit hujus virtutis exercitio?*

Respondeo: Id B. Præsulem eodem loco docere bis verbis. Censeo istius libertatis occasiones esse illa omnia, quæ nostræ inclinationi contraria occurrunt; de quibus occasionibus & earum frequentia lectione præcedenti actum est, cum de triplici hujus virtutis nota loqueremur.

III. Quæres 3. *Vitia eidem virtuti opposita.*

Respondeo: Duo noster Salesius assignat ibidem, nempe instabilitatem, & servitutem.

Quid est instabilitas?

Respondeo Cum eodem: quidam libertatis excessus, quo aliquis mutare cupit solitum agendi morem, ac vitæ statum, absque ullo tamen rationis legitimæ titulo, Deique voluntatis agni-

agnitione. Confessarius autem in hujusmodi vitium incidit, cùm ex repentino impetu animi Confessionibus audiendis operam dat, vel ab eis excipiendis desistit eadem levitate, aut etiam ut rei minus necessariæ vacet, puro studio, nulla id temporis necessitate cogente.

IV. *Quid per servitutem intelligis?*

RESPONDEO: Ex Doctrina B. Fr. quemdam libertatis defectum, quo animus tædio, vel ira obruitur, cùm propositum exequi non potest, quamvis rem longe meliorem agere queat. Confessarius verò in hunc scopulum impinget, si cum rei honestæ operam navat E. G. studio, meditationi, urget verò aliqualis necessitas excipiendi confessionem, Ipse vocatus ad id muneris abnuat, vel molestia saltem afficiatur.

V. QUÆRES 4. *Quid notabimus ex ista lectione?*

RESPONDEO: Quam necessarium sit Confessariis, ut propriæ voluntati nullatenus adhæreant.

LECTIO XVIII.

De quarta virtute, quæ à Confessarii charitate dependet, nimirum amicitia Christiana.

I. QUÆRES 1. *An oporteat Confessarium, & pœnitentem, Christianam inire amicitiam?*

RESPONDEO: Ita sane juxta mentem B. Doctoris, qui 1. p. introd. cap. 4. docet, illum fidelem amicum, de quo agit Ecclesiasticus c. 6. v. 14. esse confessarium, additque; *In primis necessarium est hunc fidelem amicum habere, qui nos in tenebris sedentes consilio illuminet ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

II. QUÆRES 2. *Quas exigit conditiones hæc amicitia Christiana ex parte Confessarii?*

RESPONDEO: Tres. 1. ut illam B. Fr. amicitiam, de qua l. 4. Epist. 13. disserit, imitetur: *hic*, inquit, *affectus meus nive ipsa candidior est, ac sole purior.*

III. 2. Ut motivo perfectissimo innitatur, nempe divinæ voluntati. Hoc enim discimus ex l. 5. Epist. 45. quam ita B. Fr. exorditur. *Charissima, en illud, quod me tibi præcipue conjungit, nempe Dei voluntas, non est in orbe toto melior amicitiæ titulus.*

IV. 3. Ut tota sit ad Deum, & secundum Deum. Quod sic declarat eximius vir l. 5. Ep. 13. *Deus, qui cordis intima penetrat, optime novit omnia hic ad ipsum referri, & juxta ipsius placitum agi, sine quo, annuente illius gratia, nullius amicitiam desidero.*

V. QUÆRES 3. *Qua via triplicem illam conditionem deprehendemus?*

RESPONDEO: Consule divini amoris speculum, id est, cor sanctissimum Christi Domini, ut solebat B. Fr. ex lib. 4. Epist. 92. *nunquam spiritualem adoptionem, quæ me tibi paterno amore conjungit, luculentius intellexeram, quam modo intelligo, nimirum, consulto Christi corde velut speculo sine macula fidelium animarum.*

VI. QUÆRES 4. *Quid ex ista lectione colligemus?*

RESPONDEO: Confessarium his duobus maxime indigere. 1. Amore Dei exquisitissimo. 2. Diligenti examine, quo sedulo investiget, an hujusmodi charitate animas prosequatur.

LECTIO XIX.

Qualis esse debeat hæc amicitia Christiana ex parte pœnitentis?

I. QUÆRES 1. *Quænam exigit hæc amicitia ex parte pœnitentis?*

RESPONDEO: 1. Eadem, quæ requiruntur ex parte Confessarii juxta dicta superiore Lectione. 2. ut pœnitens Confessario non adhæreat, quippe quem soli Deo adhærere par est, ita docet vir admirandus l. 4. Epist. 55. sub nutricis nomine de Confessario disserens. Nullam, inquit, adhuc mater charissima, nutricem sumere oportet, imo, ut vides, illa, quam nihilominus habebis, deserenda est, ac standum coram sacro divinæ misericordiæ throno, unde remoto prorsus creaturæ affectu, omnia indifferenter expectes, quæ tibi accidere decernet. Neque ulla erit habenda ratio, quod meæ curæ sis aliquando committenda, nutricem enim diligens, non te ipsam juxta præceptum Evangelii abnegares, sed potius tibi satisfaceres; quod tamen est in primis fugiendum.

II. QUÆRES 2. *In quibus præsertim casibus hæc adhæsio vitari debet?*

RESPONDEO: Duobus, quamvis prima fronte nihil indecori præ se ferant 1. in tuendæ Confessarii famæ studio; quod sane fuerit nimium, si statim ac ei censuræ ullius nota inuritur, gravem inde concipiat mœrorem. Audi quæso nostrum oraculum l. 3. Epist. 41. *non ita mea patrocinandum est fama, ut nullam ejus injuriam ferre possis: nam id semper aliqua ratione meremur, tametsi non ea forte, quam præferunt Adversarii.*

III. *Redde alterum hujus adhæsionis vitandæ casum.*

RESPONDEO: In prorogandæ vitæ Confessarii desiderio. Qua de re sic loquitur B. Salesius l. 4. Epist 92. *recte illius vitæ productionem expetis, quem Deus tuæ regendæ ducem præfert: Sed non est abbreviata manus Domini nec alia media, verè dicam innumera, summæ illius sapientiæ desunt; quibus dirigat gressus tuos secundum eloquium suum, ut in sanctitate ac justitia divinæ ipsius majestati servire possis: ille quidem bonus est pastor, qui te sicut ovem deducit in loco peregrinationis tuæ, velim ideo cor sursum erigas, & illud supremo parentis optimi, tuæque salutis amantissimi placito, indissolubili nexu conjungas.*

LECTIO XX.

De Amicitia vitiosa, quæ inter Pœnitentes, & Confessarios aliquando irrepit.

I. QUÆRES 1. *An ullum periculum sit, ne vitium aliquod in hanc mutuam Confessarii & Pœnitentis amicitiam irrepat?*

RESPONDEO: Sane maximum, ut S. Fr. hac duplici similitudine peregregia demonstrat. Prima ducitur à rubigine, quam ferrum, aliave metal-

metalla contrahere solent. *Hæc*, inquit, *amicitia vitiosa, rubigo est, quæ sæpius in humano corde, sincerissima licet dilectione prædito, generatur, nisi quis diligenter advertat.*

Altera desumitur ex vitibus, quæ inutiles pampinos copiosissime proferunt: ecce verba magni Salesii. *Nonne perspicuum est, vites melioris vini feraces, plus aliis luxuriari, & diligentiori putatione indigere? Talis etiam est amicitia spiritualis.*

II. Quæres 2. *Numquid ejusmodi periculum facile perspici potest?*

Respondeo: Nequaquam, ipso præsertim exordio, ut monet Præsul eximius. *Hoc*, inquit, *vitium luxuriei ita ipso initio tenue est, ut solum ab oculis perspicacissimis deprehendi valeat, idem verò intelliges de hujus vitii principiis.*

III. Quæres 3. *Qua ratione hoc vitium emergens agnoscetur?*

Respondeo: Duplici à B. Salesio tradita 1. cum anima motibus dissolutis afficitur, quos loco citato B. Fr. appellat irregulares animi motus: ubi ad hominem febri jactatum alludit, cujus venæ motio non est temperata, huic enim perturbationi febris ipsa causam præbet, & ab ea vicissim indicatur.

Altera est mentis agitatio. Audi sanctum Episcopum loco supra laudato: *Divini amoris ignis omni prorsus fumo caret: quamdiu sua illi constat integritas, sed cum patitur admistionem, fumum statim perturbationis emittit.*

IV. Quæres 4. *Quomodo hujus vitii progressus deprehendi poterit?*

Respondeo: A fructibus agnoscetur; quos ex 3. parte introd. c. 18. paucis accipe. 1. autem à B. Fr. enumerantur. 1. Mellitæ suavitatis verba, & pulchritudinis, decoris, aliarumve dotium præconia: 2. aspectus nimis affectati & molles, blanditiæ, tum solitæ amantibus de pari affectu non respondente querimoniæ. 3. Conspectus alieni fuga, & cæcitas voluntaria, quæ imminentis ruinæ periculum videre nolit. 4. Verba obscœna.

V. Quæres 5. *Quinam sunt hujusce lectionis fructus?*

Respondeo: Hi duo: primus est seria periculi gravissimi observatio, cui Confessarius exponitur, ineundi cum suis pœnitentibus amicitiam vitiosam. Quare timore Deo confixus plurimum sibi caveat, eumque semper ante oculos mentis habere studeat.

Alter est frequens animi ejusque affectuum examen; quo diligenter Confessarius exploret; an ullo motu dissoluto, vel inquietudine agitetur; maxime si non videat, & alloquatur pœnitentes; tum si alios isti Confessarios eligant, vel etiam consulant.

LECTIO XXI.

De scientia Confessarii & virtutibus, quæ ab illa dependent.

I. Quæres 1. *Qualis esse debet hujusmodi scientia?*

Respondeo: Universalis, siquidem Confessarius non modo casus conscientiæ, & sacram Scripturam, sed ea maxime, quæ ad vitam spiritualem spectant, callere debet.

II. Quæres 2. *Quænam sunt virtutes à scientia Confessarii dependentes?*

Respondeo: Spiritum orationis Confessario maxime necessarium eas omnes amplecti. Istam autem orationis necessitatem inde probo, quod inter ea media, quæ gratiæ promerendæ conducunt, primum à sacramentis locum obtineat oratio: Cum enim divina gratia legitimæ conversioni omnino necessaria sit, colligitur confessorem debere multum vacare orationi, ut Dei gratiam pœnitentibus impetret; sine qua verè converti ad Dominum nullatenus possunt.

III. Quæres 3. *In quibus præsertim casibus oratione indiget Confessarius?*

Respondeo: Duobus 1. cum pœnitens Davidem imitatus hortatur, ut faciant bonum & à malo declinent, nam debet oratio tunc temporis sermonem reddere efficacem. Clare infertur ex his, quæ tradit eximius Doctor 3. p. introd. c. 26. ubi Philotheam his verbis alloquitur. *Deum in animæ secreto rogabis, ut sacer ille, ac pius ros, tuæ nimirum exhortatio[illegible] audientium animos, juvante ipsius gratia, penetret.*

IV. Cum dubia & difficultates occurrunt: tunc enim magni consilii Angelus ab eo consulendus est. Sic illas moniales B. Fr. edocuit, quas construendis novis Monasteriis destinabat. Idem verò monitum à Confessariis observari plurimum decet, quippe quorum munus gravioris momenti esse constat. *Discite*, inquit Serm. 6. *à Domino Salvatore omnia prorsus agenda, nihil eo inconsulto executioni mandetur. Is enim est notæ fidelitatis amicus, qui diriget pedes vestros in viam salutis & pacis.*

LECTIO XXII.

De prudentia Confessario necessaria.

I. Quæres 1. *Estne prudentia Confessario necessaria?*

Respondeo: Maxime, ut his verbis optime notat B. Fr. c. 1. mon. n. 4. *habere medici prudentiam, cùm verè peccata sint ægritudines animarum.*

Quæres 2. *In quo sita est hæc prudentia?*

Respondeo: Eundem audi sic prosequentem: *& serio cogitate statum animæ pœnitentis, ut ejus habita ratione, cum illo agere possitis.*

II. Quæres 3. *Quomodo id Confessarius præstabit?*

Respondeo: Attende 1. num ille sit animæ status, qui paternæ charitatis officium exigat, puta si pœnitentem inscium, rudem, timidum, scrupulis agitatum, nactus fuerit. De quo charitatis officio, ejusque obeundi ratione superius dictum est.

2. Num ille sit animæ status, qui severitatem aliquam postulet.

III. *Explica mihi hunc posteriorem statum.*

Respondeo: In duobus præsertim consistit 1. *in impudentia*, tunc verò ita se geret Confessarius ex c. mon. n. 5. *si hominem*, inquit B. Fr. *inverecunda frontis advertas, diligenter illi propone:* 1. ipsum hic coram Deo sistere judicandum, 2. agi autem de salute æterna, 3. nullam ab ipso ratio-

nem feverius exigendam, quam de Confessionibus invalidis. 4. *In absolutionis indignitate*, de qua sic loquitur eximius Doctor ibidem cap. 5. num 1. *nosse debet Confessarius, an pœnitens absolutionis gratia dignus sit, hæc enim certis hominibus conferenda non est.*

LECTIO XXIII.

De tribus dictæ prudentiæ officiis.

I. Quæres 1. *Quot sunt prudentiæ Confessariorum officia?*

Respondeo Tria: primum est *opportuna correptio:* Ut docet B. Antistes sermone in festum Circumcisionis Christi, ubi eum sic D. Petro loquentem inducit. *Non ut par erat, cultrum admovisti,* (agit autem de Petro Malchi auriculam amputante) *non est hæc bona circumcisio, dexteram enim aurem præcidisti, qua Dei verbum audimus, & sacris inspirationibus locum damus; at lævam intactam reliquisti, quæ futilia & perniciosa excipere solet. Erat ista potius abscindenda quàm altera, ut ita Dei verbo facilior præberetur auditus*, unde constat correptionis modum non levis esse momenti.

II. Dices: *Est hic sane discursus difficilis, quapropter explicandus est.*

Respondeo 1. Cultrum ægræ parti non applicare, significat ea in pœnitente arguere & vetare, quæ nullam objurgationem, ac prohibitionem merentur.

2. Id contingere, si Confessarius pœnitenti quadam occasione peccandi proxima, vel consuetudine non interdicat, aut æris alieni restitutionem non jungat; sed eum de aliis objurget, illique eleemosynas, corporis afflictiones, aliave pietatis opera recipiat, quæ tamen si desint, cætera periculosorum vulnerum sanitati non prosunt.

III. Quæres 2. *Qua ratione illos arguet Confessarius, qui cum lascivia peccata declarant, verbis parum honestis utuntur?*

Respondeo: Ita docet B. Fr. c. 1. mon. n. 9. *tametsi verbis minus pudicis utantur, patienter audiendi sunt. Absoluta verò peccatorum accusatione, honestiorum confitenti modum hac materia doceri debent.*

LECTIO XXIV.

De duobus aliis prudentiæ Confessarii officiis.

I. Quæres 1. *Quodnam est alterum hujus prudentiæ munus?*

Respondeo: Ut Confessarius pia illorum exercitia, qui sui juris non sunt, magna discretione disponat, ne forsan iis domestici superiores offendantur. Id homo Dei Salesius in singulari frequentis communionis exemplo sapienter observat 2. Patre introd. c. 20. n. 4. *si alicujus potestati subsis, vel aliquam ei debeas reverentiam, & in hominem ita morosum, aut pietatis ignarum incideris, ut tuas frequentes synaxes non approbet: forte rebus omnibus attente perspectis conveniet ejus infirmitati aliquatenus cedere.*

II. Quodsi à superioribus liberam illi obtinnerint facultatem: Confessarius expendat, an hujusmodi facultas sponte concessa fuerit, vel importune extorta. Hæc etiam est B. Salesii mens l. 2. Epist. 12. *ita caute procedo, quod istam facultatem non esse libere concessam valde suspicer; unde sæpius murmurationes & jurgia oriri probe scio. Denique sedulo expendere debes, an ea tibi licentia ex animo donetur.*

2. Quæres 2. *Tertium istius prudentiæ officium?*

Respondeo: In legitima pœnitentiæ impositione versari. Circa quam, ut te prudenter geras, quatuor observabis.

1. Quod attinet ad modum eam imponendi, duo tradit vir admirabilis c. 8. mon. n. 1. Primo, ut Confessarius leni Sermone utatur, qui paternæ charitatis affectum spiret, ac animis peccatorum dolore contritis aliquod solatium impertiat: 2. Ut pœnitens injunctam satisfactionem æquo animo acceptet; *unde*, inquit, *ab eo quærendum est, an eam libenter exequi velit, secus enim benignior, ac facilior imponenda esset.*

2. Circa illius gravitatem; de qua eximius Doctor ibidem tria monet. 1. Ut potius ad levitatem accedat, quàm gravitatem. 2. Cavendum tamen esse diligenter, ne peccatis hominum blandiamur. 3. De hac agendi ratione monendum esse pœnitentem. Sic habet ad verbum C. mon. priori numero. *Quamvis longe melius sit benigne agere cum pœnitentibus, omni prorsus adulatione remota, quàm aspere; attamen monendi sunt, graviorem ipsis pœnam indicendam, si ratio meriti peccatorum haberetur.*

3. Circa rerum *varietatem*, quarum executio mandatur. Hanc vir sanctus diserte vetat loco supra laudato. *Pœnitentia non esse debet implicata, & vario precum genere permixta. Hinc enim duplex incommodum oritur. 1. Facile contingit hanc orationum congeriem e memoria pœnitentis excidere, ac ista multiplici scrupulo dari locum: 2 Dum solvit pœnam injunctam, dicenda & agenda magis cogitat, quàm illa, quæ re ipsa dicit & agit. Interim dum excitando memoriam, aut preces horarias volutando, quæ ipsi sunt indicta, perquirit, mentis devotio remittitur.*

4. Ut ea Confessarius injungat, quæ statui pœnitentis utiliora videbitur. Puta 1. cujusdam libri pii lectionem, ejus nempe, à quo pœnitens majorem fructum haurire poterit. 2. Per annum singulis mensibus confiteri. 3. Piæ societati nomen dare, ac similia, quæ non solùm prætcrita peccata punient, sed à futuris utilissime præservabunt.

LECTIO XXV.

De virtutibus, quæ à prudentia Confessarii dependent.

I. Quæres 1. *Hujusmodi virtutes.*

Respondeo: Ecce illas numero quatuor, videlicet exteriorem modestiam, humilitatem interiorem, fiduciam in Deum, & castitatem.

Quæres 2. *Exercendæ modestiæ necessitatem Confessario incumbentem.*

Respondeo: Post B. Franciscum c. 2. monit. Si ullum plane sit sacramentum, cujus administratio singularem postulet gravitatem; id de pœnitentia verissimum in primis esse, cum in ea judices animarum Dei authoritate constituamur. Hanc verò modestiam Confessarius exhibebit, si qua-

quatuor observet à Præsule nostro præscripta. 1. Quantum ad vestem; ut nempe clericali habitu, eoque talari, superpelliceo & stola indutus sit, ac biretum in capite gestet. 2. Quantum ad locum, ut in aperto Ecclesiæ loco sedeat.

3. Quantum ad vultum, ut lenitatem præ se ferat cum gravitate conjunctam, quam vultus affectionem ullis omnino signis immutare non licet, quæ tædium, aut mœrorem aliquem denotare possint, ne forte suspicentur astantes crimen gravissimum à pœnitente declarari.

4. Quartum observatu dignum est, ne pœnitens recta in aurem Confessarii peccata sua explicet, aut etiam ad loquendum ambo capita conferant, verum id fiat oblique.

IV. Quæres 2. *Quid de Confessarii humilitate censeam?*

Responndeo: Eam in duobus maxime casibus ab ipso exercendam. 1. Dum numerosa pœnitentium multitudine affluit, ne ideo prorsus intumescat, de quo tumore sic loquitur eximius Præsul l. 3. Epist. 50. *in his*, inquit, *casibus nullo animus tumore inflatur, quinimo ad humilitatem vehementius excitor admirans sane tantam Dei servorum copiam homini plurimis defectibus laboranti ea se fiducia committere.*

V. Dices: *Qualis esse debet ista humilitas?*

Respondeo: Generosa, & nihil abjectum redolens, ut ibidem B.Fr. exponit. *Hinc talis fieri nitor, qualem omnes me esse credunt: Speroque Deum totius consolationis authorem, cum mihi sanctam suorum amicitiam conciliet, suam item sanctissimam libere concessurum. Quod à misericordiarum Patre me consecuturum spero, cum meis prius morbis congruam pœnitentiæ medicinam adhibuerit.*

VI. Ecce alteram exercendæ humilitatis rationem, videlicet, ut Confessarius omne animarum lucrum Deo acceptum referat, si quas à via veritatis errantes, in semitas justitiæ reduxerit. Ad hoc humilitatis officium nos B. Salesius hortatur in aureo tractatu de amore divino l. 7. c. 8. ubi recitata cujusdam aquilæ historia (quæ puellam ita unice diligebat, ut ei prædam omnem deferret; quodque majorem habet admirationem, se in illum rogum immiserit, quo virginis cadaver ex more patriæ comburebatur.) Verbis eximiis suadet, ut Divinæ Salvatoris Christi dilectioni cuncta vitæ momenta dedicemus, atque ad ejus gloriam fructus omnes ac victorias referamus

VII. Quæres 3. *Quænam sunt dicta humilitatis indicia?*

Responndeo: Hæc duo. I. si Confessarius pio quodam mœrore afficiatur, cum se magni fieri videt. Quod opere docuit vir omni laude major, acceptis enim litteris, quæ magnum ipsius nomen testabantur, ita rescripsit l. 4. Epist. 99. *heri cum tuam perlegi Epistolam, semel atque iterum non sine lachrymis ambulavi, hinc mei vilitatem attendens, hinc aliorum de me judicium obstupescens.*

Alterum hujus humilitatis indicium est, cum honorificam aliorum de se existimationem vero animi candore non approbat. Hæc erat agendi ratio B. Fr. ut ex eadem Epistola constat. In qua sic loquitur: *video sane quàm de me habeas existimationem, quæ nisi fallor tibi plurimum satisfacit. Hoc verò merum idolum est.*

Sed dices: *Nunquid potest Confessarius bonam expetere famam, ut vita pœnitentes magis in ipso confidant?*

Responndeo: Hoc quidem ultimum necessarium est, atque ad hoc tendere debet Confessarius: sed non ideo debet optare, ut à suo pœnitente pluris fiat. Audi B. Fr. de hac materia egregie disserentem. In eadem Epist. *Vellem tibi esse intime notus, non minus ideo mihi confideres, sed me in viliori pretio haberes, ac diceres. Ecce juncum, cui me Deus inniti vult, hoc est hominem maxime fragilem, cujus me consilio & opera dirigi cupit in viam salutis æternæ. Id quidem certo scio, ejusmodi tamen juncum nihil prorsus valde mihi liquet.*

LECTIO XXVI.

De duabus aliis virtutibus, quæ ab eadem prudentia manant, scilicet fiducia in Deum & castitate.

I. Quæres 1. *Quænam est tertia virtus à prudentia Confessarii dependens?*

Respondeo: Fiducia in Deum, quæ in eo posita est, ut præsertim à Dei omnipotentis auxilio beatæ Virginis precibus obtinendo, animarum inpietate progressum, ac robur speremus. Ita mirabilis Præsul. l. 4. Epist. 13. *nihil*, inquit, *de tua salute pertimescam, nec tuæ me infirmitates terrebunt. Quippe quem dolores hujus spiritualis partus jam pridem requierunt. Rachel cum se infœcundam agnosceret, Balam ancillam marito alteram uxorem dedit* (quo tempore plures uni viro uxores habere licebat, ut Dei populus augeretur) *Rachel autem Balæ filios genibus excipiebat, ita sibi eos vendicans, ut nullam de his curam mater haberet. Sic mihi te videor super Rachelis genua, nimirum beatæ Virgini Abbatissæ nostræ, semel aliquando peperisse, quæ ea te charitate suscepit, ut jam tua me sollicitudo non urgeat. Tu quæso super tantæ matris genua requiesce, vel potius ad ejus pedes humillime prostrata.*

II. Quæres 2. *Quænam est quarta virtus?*

Responndeo: Castitas, quæ maxime effulgere debet in Confessario.

INDEX

LECTIO PRIMA.

LE-

XII.

GERSONIS Opusculum de modo audiendi Confessiones, & de remediis contra recidivos; cum annotationibus.

Hoc Opusculum reperitur impressum primis annis inventæ Typographiæ, nempe circa annum 1460. sine anno & loco impressionis. Illud sic habet:

Magister Joannes GERSON Cancellarius Parisiensis DE MODO AUDIENDI CONFESSIONES.

1. Etsi virtus quam assuefactio gignit certius quam ars operetur; neque nihil tamen prodest artis traditio apud eos qui nondum perfecti sunt in virtute. Hoc in arte qualibet perspicuum est. Et quoniam ars artium est regimen animarum præsertim in Confessionibus audiendis; studui quasdam generales considerationes tradere breviter & distincte, quas esse proficuas experientia doctrinæ cognovi. Induxit hoc agere me non mediocriter, quod paucos hactenus reperi qui perfecte unquam & integre confessi fuerunt causa existente in multis, vel negligentia, vel ignorantia confessorum.

2. PRIMA CONSIDERATIO. *Provideat ante omnia Confessor purus esse*, qui purgandis animabus invigilat. Opem quoque sui laboris & proficiendi circa alios non in propria, sed divina virtute reponat; meminerit jugiter; quoniam *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus.* Et quod nisi Spiritus Sanctus adsit cordi audientis, in vanum laborat lingua loquentis. Oret igitur crebro, prout SAPIENS corporali medico consulit, quatenus dirigat opus suum à Deo ejusque virtute roboretur & crescat.

3. CONSIDERATIO SECUNDA: Collocet se Confessor in arte seu specula rationis abstrahens semetipsum quantum potuerit ab homine exte-

exteriori tam in se quam in aliis. Ut spiritu ambulet & non carne; ne forte illectus formis corporum fiat ipse laqueus perditionis sibi ipsi. Totus in animarum perspicienda qualitate spiritualiter invigilet, non attendens discretionem sexuum vel formarum. Alioquin quid ei proderit, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

4. CONSIDERATIO TERTIA: Compleat erga quemlibet sibi confitentem soliciti Confessoris officium, nihil præcipitanter, aut in solo transcursu pervolans, sed morositate pervigili omnia plene examinans dijudicansque; memoriæ quoque confitenti quæ dicenda imponendave fuerint, ea diligenti repetitione reponens insigat, quippe eligibilius est paucos audire complete quàm multos imperfecte cum conscientiarum scrupulis, non tam expeditos quàm impeditos, plerumque relinquere. Imitetur in hoc Deum, cujus perfecta sunt opera. Mallem namque si curatus essem multorum differre Confessiones post Pascha, etiam ubi quidam non redirent, quàm quod cæcos cæcus seducerem, dum pro vere absolutis ipsi non recte absoluti se gererent.

5. CONSIDERATIO QUARTA: Ostendat Confessor in operibus nihil in Confessione quærere præter salutem animarum suarum & solutionem liberam à laqueis peccatorum. Ita nihil agat propter quæstum; recolens, quod gratis accepit, gratis det. Nihil ad mundanam ostentet gratiam. Pauperibus æque sicut divitibus se tradat & offerat, turpibus ut pulchris, indoctis ut doctis; nisi forte pro quanto major inde fructus honorque apud Deum speraretur. Proderit supra modum hæc sinceritas intentionis rectæ; & velut magnes aliquis spiritualis ferrea etiam populi corda virtuosius ad se trahet.

6. CONSIDERATIO QUINTA: Expedit, ut Confessor zelans animas obtineat à Prælato subditorum suam in casibus reservatis potestatem seu relaxationem, præcipue nisi sint casus publici & scandalosi. Reperiuntur itaque paucissimi, qui non inciderunt in aliquem talium casuum, qui communiter reservantur Scientes vero ipsi confessi se ipsos non debere remitti deinceps ad alterum, uni libentius & citius omnia detegunt. Confessor etiam similiter eos præsumit liberius interrogare de singulis; plenius quoque sanare simul & semel ipsos absolvendo confidit.

7. CONSIDERATIO SEXTA: Sciat Confessor omnium peccatorum genera & species tanquam medicus Doctissimus spiritualium ægritudinum. Præterea, qualiter homines diversorum statuum & variorum officiorum peccare possunt, nullatenus ignoret. Et quamquam ad hæc cognoscenda facti sint tractatuli, attamen aliqui sunt, qui non tute committuntur scripto aut verbo publico propter evitandum quorundam scandalum. Sed ea secrete discant ipsi, quorum interest hoc non nescire. Sicut medicos morborum varietates convenit non ignorare. Aliter nempe quo pacto sibi confessos prudenter ac diligenter interrogabit, instruetque Confessor ad suorum rememorationem criminum? hoc maxime necesse est in peccatis carnis extraordinariis, quadia expertum est, vix unquam dici in Confessione à culpabilibus in eis, nisi cautissima arte præmoneantur, interrogentur, capianturque. Et certe necesse est, ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spiritualem ad educendum colubrum talem pestiferum tortuosum & virulentum ab anima ipsius, aut ipsa sine dubio periclitabitur, & ut crebrius, & æterno morietur; nec reputo audiendos in hac re eos, qui nihil interrogandum aut inquirendum esse dicunt à Confessis; præsertim cum hoc ipsum velint, requirantque confessi. Alioquin non satis consulitur verecundiæ ignorantiæ & fragilitati peccantium, nec impletur illud scripturæ, *alter alterius onera portate & similia.*

8. CONSIDERATIO SEPTIMA: Conjecturet Confessor post interrogationes quasdam præambulas super ætate, statu, conditione, studio, vel officio confessi, utrum ipse verecundus sit & nimio pudore detentus. Quia forte puer est, aut fœmina, vel exilis complexionis. Apud tales præ cæteris persuadendum est primitus & figendum in animo; quemadmodum confessio secretissima est & omniscienti Deo magis quam homini fit; non ad revelandum aut accusandum quæri peccata sua, sed emendandum & absolvendum & perpetuo quietandum. Mallem Confessorem mori, quam aliquid reticendorum detegere. Tollat igitur omnem talem suspicionem, ne formident quod propter etiam dicenda Confessor fit eos postmodum evitaturus aut contempturus aut accusaturus. Imo tenerius eos diligat, sicut filios charissimos, & qui suæ Fidei se totos commiserunt.

9. CONSIDERATIO OCTAVA: Laboret Confessor præsertim erga juvenes & parvulos; habere Confessionem eorum generalem; quia vix aut nunquam integre confitentur, nisi forte perdocti à tali Confessore, qualem describimus. Quin etiam illud esset utile apud grandævos rurales & simplices fæminas. Quod si non possint leniter induci ad hoc, poterunt ad eos fieri interrogationes tales. Utrum facta est tibi conscientia de talibus peccatis & de talibus, & de tali ætate & de societatibus talibus? & secundùm responsiones poterit animadvertere prudens Confessor, si plena fuerit talis Confessio. Et si non, tunc inducatur eam perficere.

10. CONSIDERATIO NONA: Præcaveat summopere Confessor, ne sit austerus ab initio, tristis & rigidus. Mox enim clauderetur os obstinati peccatoris. Prævia sit affabilis locutio, etiam aliquando, si res ita exigat, super non peccatis, quousque familiaritas quædam contracta sit. Dehinc ostendat, quantæ iniquitatis sit, & hypocrisis pessimæ, quidquam velle celare in Confessione coram Deo. Et quemadmodum hoc agere est se ipsum turpiter fallere, esse quoque melius dicat, si non confessus abscedere velit quàm singere confessionem imperfectam.

11. CONSIDERATIO DECIMA: Quærat Confessor à confitentibus, nonne velint expurgari penitus ab omni suo crimine & quod nisi hoc velint, fas habent recedendi, ne tempus incassum, imo noxie detineant, si nolunt. Debent igitur juvare se, & hoc melius & celerius fieri nequit, quàm si ad interrogata veritatem plenam responderint.

derint. Si vero deprehenduntur velle mentiri & se celare ut sæpe fit, per discretum confessorem coarguantur vehementer & acriter, & compellantur, veniam statim quærere super hujusmodi mendacio; quod postquam fecerint, rursus blande & leniter moneantur, nihil deinceps mentiri aut celare. Si vero bis aut ter rursus mentiti fuerint, poterunt remitti & differri usque ad tempus alterum, injungendo ut melius sibi provideant. Et sæpe fit, ut in altera Confessione libentius aperiant omnia, dum putant mendacia priora imputanda eis magis ad inadvertentiam quam malitiam.

12. Consideratio Undecima: Applaudat Confessor dicentibus veritatem super delictis suis, quanto magis enormissima & abominanda videbuntur. Collaudentur de veritate, de Religione, & Timore Dei, de Zelo propriæ salutis, de Confidentia ad Sacerdotem, & consimilibus; & quod audacter pergant ad alia nihil hæsitantes. Fit alioquin non inutilis quæstio, si fuerint alias de talibus confessi; & si non, qualiter inde amplius nunc loqui debeant, & Deo gratias agere, qui talem tribuit eis voluntatem & opportunitatem. Convenit quoque, ut per Confessorem gratias agere principaliter moneantur; postmodum tendant ad alia.

13. Consideratio Duodecima: Jubeat Confessor, ne confessi crimina detegant aliorum nominando eos vel signis certis notificando; nisi forte peccata talia sint, quæ nullo modo possunt aliter aperiri, ut si sororem unicam frater male cognoverit, aut vir uxorem. Non sit prætcrea curiosus in perquirendo particulares circumstantias peccatorum, quæ non multum augent vel variant gravitatem in eis, quoniam nasceretur inde aliquando vel tentatio periculosa vel turpitudo nimia, aut suspicio retardativa confitendi. Nihilominus utile judicamus pro serenatione conscientiarum illorum qui confitentur, quia forte postmodum gravioribus urgerentur stimulis, quasi non bene integre peccata sua confessi essent, ut plenius explicent omnia quantum & quousque judicaverit Confessor expedire.

14. Consideratio Tredecima: Aggravet & reprehendat acriter ipse Confessor peccata enormia, & ostendat, quanta punitione digna sint, postquam illa plene cognoverit, ne peccator confugere possit ad negandum jam confessa; sicut pluries expertum est etiam post confessionem completam prius. Idcirco habeatur certissima explicatio peccatorum. Denique quidquid in Confessione dixerit sacerdos, sit ipse semper in fine mansuetus atque benignus infundens oleum consolationis & compassionis & bonæ spei. Potest insuper aliquando dicere Confessor; ex quo talia & talia confessus es, quæ sunt gravissima, noli deinceps aliqua celare, sed omnia dic, ut te simul expedias.

15. Consideratio Decimaquarta: Procedat Confessor in inquisitione peccatorum, specialiter peccati carnalis, quod à multis cum summa difficultate potest extorqueri, primo pedetentim, & à generalioribus, & quæ nullam ant paucam videntur includere culpam. Quia si peccator vult mentiri aut fugere sæpe deprehenditur per talia quæ naturaliter accidunt omnibus, aut rarissime reperitur oppositum, qualia si statim neget, constat eum timere dicere grandiora. Hoc modo novi pluries fuisse deprehensos, qui interrogati negabant, se unquam passiones membri pudendi calcefactionem vel pruritum, vel erectionem qualemcunque, vel tentationem, vel cogitationem malam de quacunque muliere habuisse, & dum convicti fuerant de hoc mendacio, quærebant, nonne illud erat turpe sic dimittere? quid agebas tu? sæpe respondebant illud, quod quæritur, credentes ex modo loquendi Confessoris, quod illud non imputaretur ad culpam sed laudem.

16. Consideratio Quindecima: Sciat Confessor generalitates istas esse & similes: Fuisti unquam à tempore, quo cognovisti te in societatibus famulorum aut sociorum vel famularum specialiter in lecto? si sic; audistine unquam malum ut sæpe fit loqui tibi de impudicitia & mulieribus? si sic; loquebaris tu similiter? & si mala desiderabas? si sic; utrum voluerit unquam alter, quod tangeres eum inhoneste vel ipse te? si sic; processus fiat ulterior sub velamine tali, quod intelligat, an commissa fuerit ibidem mollities sive pollutio? nam hoc bene committitur etiam ante pubertatis annos. Imo semper imputatur in vigilia dum complete transit delectatio etiam pollutione non existante.

17. Consideratio Sedecima: Poterit Confessor, dum inhoneste loquendum (seu phrasin) dicere erit: Amice non cures, si loquor turpiter, quoniam oportet omnia in Confessione dicere. Longe aliter dicerem aut certe silerem extra Confessionem. Et dicantur talia satis constanter; & quasi præsciantur, aut quod non reputentur ita gravia, nec aspiciantur fixe vultus peccatoris; sed divertat Confessor vultum quasi non curans, aut fere narrans fabulam, dicendo; ego bene video; tu fecisti sic & sic; consequenter dic ergo totum in nomine Domini, ego tibi indulgeo, si non alias feceris, & si diceres omnia mala mundi non inde pejus haberes, dic audacter. Imo & quæri poterit, si velit, ut super omnibus diligenter interrogetur. Si sic? subinferatur, quod ergo dicat in omnibus veritatem.

18. Consideratio Decima septima: Accidit aliquando, licet rarissimum sit apud circumspectum & providum confessorem, quod aperiuntur quædam species peccatorum carnis, aut quædam circumstantiæ viles, quarum peccator non conscius aut culpabilis est, hinc forte scandalizabitur vel docebitur deinceps facere similia. Licet pro certo non videamus istud ita esse timendum, quemadmodum aliqui tradunt, nec tenendum quod propter hoc debeat omitti diligens inquisitio peccatorum. Utinam mala à pueris & aliis tam diligenter confiterentur, quàm sciuntur & aguntur ab eis. Nec inquirenda esse judicamus, quasi nesciant, sed quia forte ea non tam gravia esse credunt, quàm sunt, aut quia aliter nolunt manifestare ea. Attamen in hoc casu debet cum summa detestatione peccatum tale damnari quasi etiam non caderet in hominem tale aliquid agere, sed quod illud dicebatur ad experiendum discretionem peccatoris, an sciat distinguere inter ea, quæ fecisset, sunt enim quidam male

male respondentes affirmative ad omnia, quæ Confessor interrogat.

19. CONSIDERATIO DECIMAOCTAVA: Pergat Confessor, ut diximus, à generalioribus ad specialiora, à minus turpibus ad turpiora & quasi à causis generalibus ad effectus earum speciales ut habito quod aliquis conatus fuerit se aut alium socium luxuriose attrectare, quæratur quamdiu, & quam sæpe, & cum quot, accidit, & à quanto tempore in tota vita? & si aliqui erant de suo genere? & finaliter, in qua parte corporis completa est libido sua vel altera? demum ad alteram peccati hujusmodi speciem pejorem successive poterit inquisitio pertransire.

20. CONSIDERATIO DECIMANONA: Congruit, prout expertus sum, quod parvuli & adolescentes masculi prius interrogentur modo dicto de cohabitatione sociorum & famulorum, tanquam de his quæ prima facie minus horrent, quia minus insolita sunt. Postmodum quæratur de cohabitatione mulierum ancillarum aut cognatarum, & primo, si unquam in ætate V. vel VI. annorum vel co circa, jacuerunt cum ancillis, sicut mos est puerorum. Si sic? inquiratur conformiter de prædictis. Et certe reperiuntur consequenter horrenda, non solum de ancillis, sed in genere proximiori, ad qualia non descenditur nisi quasi subito & à latere, dicendo sine mutatione vultus. O! bene video, tu similiter fecisti cum talibus & talibus, & si sic? ut heu! sæpe fit, ut priusquam dearticuletur aliquid amplius, fiat practica considerationis undecimæ præcedentis, collaudandi peccatorem dum peccatum aperuit. Postmodum suadeatur, pro bono suo velle dicere circumstantias omnes in particulari, sicut de ancillis prædixi, ostendendo, quod pudor ille ad magnum meritum sibi cedet, futuramque operabitur conscientiæ tranquillitatem, ex quo nunquam alteri deinceps revelare compelletur. Æstimo autem quod fœminis converso ordine faciendæ sint interrogationes, prius scilicet de cohabitatione mutua secum, postmodum cum viris aut parvulis, sed experientiam totalem non habeo.

21. CONSIDERATIO VIGESIMA: Reprehendet forte aliquis audaciam hanc Confessoris, cum talia præsumat aperire quæ vix certe credibilia sunt & fere incogitabilia nisi ab expertis & seductis aut aliunde doctis. Sentiat alius quod voluerit. Ego coram Deo testor, me plures talibus mediis induxisse ad confessionem, qui fatebantur nunquam etiam in lecto mortis fuisse talia dicturos cuicunque. Laudabant tamen Deum totis visceribus gratias agentes, quod ita se aperuerant. Quidam & paucissimi retroire volebant aliquando, sed tandem redierunt fatentes illusionem esse Dæmonis qui claudere os semel aptum rursus satagebat, aliquando jam confessi, propter omissionem hujusmodi interrogationis rursus ad confitendum inducti, apertum mihi fecerunt indicium, quam necessaria sit hujusmodi inquisitio.

22. CONSIDERATIO VIGESIMAPRIMA: Judicabit aliquis, talia se vel nescire vel nolle inquirere, quod forte est ut Chirurgicus timidus & inexpertus pallescens aut spasmum patiens in aspectu fœdorum dirorumque vulnerum. Fatebor cautelam esse necessariam & non leviter debere fieri descensum ad illa abominanda, nisi confessa præcedentia videantur velut inferre talem conclusionem. Quodsi quis nesciat uti cautela tali, dimittat, consulo; ne & sibi noceat & peccatorem, si semel negaverit neque deprehensus fuerit, scandalizet & vix in futurum convinci queat. Quale vero debeat universale remedium dari apud omnes, nondum scio, quoniam prædicationes generales non sufficere satis puto. In hac tamen interim sum sententia quia tales casus secreti pro parvulis quatuordecim annorum & infra, & pro mulieribus, nequaquam reservari debent, alioquin non video, quin multi ex hoc defectu confessionis integre perditi sunt. Ad nullos vero amplius quàm ad Prælatos spectat remedium, & etiam damnatio, si claudant regnum cœlorum aut per negligentiam aut per hujusmodi rigidiorem observationem occultorum.

23. CONSIDERATIO VIGESIMASECUNDA: Videtur tanquam expediens, quod in qualibet cura notabili curatus, si discretus esset, aut alius loco sui Vicarius aut Coadjutor, ordinaretur quasi Pœnitentiarius in talibus & circa tales. Esset insuper diligens, audire confessiones parvulorum juvenum quocunque tempore vellet sibi vacare, evocando nunc unum nunc alium, quod perfectæ ætatis homines ad hoc forte non possent induci ut provideret tamen, quomodo caute & circumspecte ambularet qui talis esset, ne culpabiles & seducentes hujusmodi parvulos persequerentur eum directe vel indirecte per malitias exquisitas, & forte confingendas per parvulos, quamquam securitas maxima circa hoc esset puritas conscientiæ & intentionis, & quod neque verbo neque signo quomodolibet revelaret quæ dicerentur, & ad non revelandum viis omnibus induceret. Neque daret pœnitentiam, per quam possent parvuli de quocunque notari apud eos, circa quos conversantur, denique circa hoc melius videtur habere plures confessores minus discretos (minus rigidos) in pœnitentiis injungendis, quàm reservando casus multos discretis paucis hominem ad hoc ducere pudore cogente, ne talibus paucis confiteantur in æternum sicut tolerabilius est, finire pœnitentiam in purgatorio, quàm ut infinita patiatur in inferno.

24. CONSIDERATIO VIGESIMATERTIA: Remanet aliquando in sacerdote scrupulus super confessione peccatoris, quod non dixerit omnia, & hoc habet, vel quia scit aliunde, quam per Confessionem, vel quia tenet certa principia ex jam confessis, quod tale peccatum commiserit, aut aliis modis: quo casu vel remittat peccatorem pro avisando se, ut dictum est, vel si absolvit, prædicat sæpius iterum & iterum, quodsi celet aliquid, confessio sua & absolutio penitus invalida est & irrisoria. Dicere denique poterit, ut si mallet alteri confiteri, pergat in nomine Domini: tantummodo fiat integra confessio sua, sufficit hoc, nec aliud exquiritur, aut redeat, si velit, alias cum provisione meliori.

25. CONSIDERATIO VIGESIMAQUARTA: Petat Confessor à peccatore, si proponat, abstinere cum auxilio Dei deinceps à peccatis? Item,

Item, si caret odio contra alium? Item, si vult realiter, dum poterit alienum restituere? Item, si occasiones certas peccatorum vitare proponit? ut concubinatum & usuras & similia? si aliquod istorum defuerit, non valet absolutio, nec tradi debet. Si hoc peccator fateatur, studeat tamen interim agere bona quæ potuerit, ut Deus illuminet cor ipsius. Item diximus de revocatione seductorum malis consiliis & moribus per eum, & de diffamatis injuste, & similibus, non inquirendo tamen ultra illud quod verosimiliter fieri potest, talia reparando.

26. CONSIDERATIO VIGESIMAQUINTA: Injungat Confessor pœnitentiam non aliam quam de consensu peccatoris & de qua speret impletionem, nisi forte peccata essent publica & scandalosa, pro quibus ad reparationem cogi debet invitus. Cæterum potest aliquando dare pœnitentiam de non peccando tali vel tali crimine per tempus certum futurum sub pœna alioquin vel pecuniaria vel corporali efficaciter solvenda, aut sub debito redeundi ad Confessionem infra biduum post perpetrationem delicti aut aliquod hujusmodi. Commoneatur tamen ipse confessus, ne pœnitentiam hanc aut aliam quamlibet acceptet si non eam proponat se firmiter impleturum, agnoveritque graviorem se in purgatorio pœnam quàm in hoc mundo, & gravius omnia soluturum. Cæterum de celando pœnitentiam suam & ea quæ in Confessione acta dictaque fuerint & de non respondendo ea curiose interrogantibus moneatur. Denique reliqua multa tradi potuerant, quorum nonnulla jam conscripsi partim latino eloquio partim in Gallico in variis tractatulis & alii Doctores longe ampliora utilioraque ac vera. Hæc interim pro sui brevitate ne fastidio sint sufficiant. Et quodsi quis ad opus hoc saluberrimum bona fide processerit, ille plus exercendo & orando quam legendo erudictur atque proficiet.

Explicit opus magistri Joannis Gerson de modo audiendi Confessiones.

Magister Joannes Gerson Sacræ Paginæ Doctor, nec non Cancellarius Parisiensis Remedia contra recidiva hæc dat.

1. Habet hoc proprium ars quælibet ut facilìori compendio ad finem ducat optatum. Admirari propterea nemo debet si in animarum regimine, quod est ars artium, experti in eo faciliora quidem sciunt & dant remedia contra morbos vitiorum præsertim in foro conscientiæ ubi maxime iocum habet illa Christi formidabilis sententia. *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Placuit idcirco scriptis mandare brevem se habendi formam, quam quidam Magister in Theologia Parisiensi fide moribus & Doctrina probatus observabat & observare consulebat, præcipue contra recidivum in peccato vel peccatis, ad quæ confessus se nimis sentit inclinatum. De præteritis itaque dabat satis tolerabilem pœnitentiam attentis moribus & ætate confitentis & non nisi de consensu suo. Ut esse sine camisia uno die in hebdomada per annum, vel tribus abstinere aut uti cilicio & similia. Item pro prima vice Confessionis alicujus peccati inveterati seu detestabilis ob recordationem sanctæ gratiæ quo vitium illud detectum erat, apertum & sanatum; injungebat, ut toto tempore vitæ confessus diceret quolibet die bis Pater noster & Ave Maria, semel in mane & semel in sero, aut miserere mei Deus vel simile aliquod. Et sic in istis, si cadebat oblivio aut impedimentum legitimum, bene volebat, ut in alio die posset fieri simile vel æquivalens, sed ad providendum futuro casui & recidivo in morbum peccati, qui semper est deterior, majorem dabat operam & studiosius invigilabat sic agendo, ut simul etiam de præteritis pœnitentiam daret, in quantum resistere peccato consueto pœnalitatis multum habet & meriti. Injungebat igitur, non perpetuo sed ad tempus certum, brevius aut longius, secundum voluntatem & dispositionem confitentis, quod idem confitens pro qualibet vice, qua incideret peccatum tale, quod volebat ex toto sanare, aliqua de subsequentibus adimplere deberet.

2. PRIMO, quod in casu illo teneretur uno sequenti die jejunare in pane & aqua intra tres dies.

SECUNDO, diceret certum psalmorum numerum.

TERTIO, si erat sui juris, daret in Ecclesia certum jocale aut aliud bene charum sibi, aut summam pecuniæ secundum qualitatem divitiarum suarum infra tres dies.

QUARTO, quod illud infra trium dierum spatium teneretur confiteri.

3. QUINTO, nonnunquam addebat, quod si quis vehementer tentaretur facere peccatum tale, & omnino deliberaret intra se, agere; nihilominus per antea teneretur dicere sub juramento septem psalmos, aut flectere genua pluries coram imagine Crucifixi, seu Virginis Mariæ, seu alicujus sanctorum, priusquam opus illud nepharium perpetraret. Sic enim forsitan miserebitur Deus & orando sic vel se humiliando faciet in tentatione proventum, & mitigabit maris fluctus suscitatos. Compertum est, remedia hæc cum adjutorio divinæ gratiæ esse efficacissima tam in foro pœnitentiæ quàm extra, si velit homo bona fide & non illusorie converti à via sua mala & salvari. Sicut etenim fieri videmus in foro exteriori publico, ut pœnæ certæ taxentur ad rebelles compescendum, sic Domine, sic in camo & fræno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te & compelle intrare, si vocare parum est, sic quemadmodum Naso ait: *ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes; ut valeas animo multa ferenda tuo.* Causam vero utilitatis pœnitentiæ talem reddebat à priori idem magister; quoniam, inquit, secundùm Aristotelem & experientiam incontinens ante passionem seu tentationem bene deliberat & eligit, sed adveniente tentatione & urgente, vincitur, labitur, & succumbit. Turbatur quippe judicium rationis, & obnubilatur propter tractum motumque sensitivi appetitus, ita ut non possit habere cogitationem de Deo & bonestatem perfectam integram & solidam; quemadmodum si quis somnolentia quadam sera prematur.

4. EST PRÆTEREA SALUBERRIMUM ut per aliquid terribile præsens aut quasi præsens ipse

ipse terreatur, & ideo quasi sopitus excitetur vel exsuscitetur vivificeturque ad non consentiendum tentationi. Neque enim aliquis est tam acri tentatione pulsatus in carne vel aliter, quin ex toto vel magna parte desistat ab impletione tentationis suæ si pro certo credat, quod in corpore vel in membris vel bonis grave damnum statim esset incursurus. Vigilaret siquidem tunc intra se & forti voce clamaret, quid cogitas? Quid tibi vis? quorsum tendis? nunquid vis pro quadam levi tentatione aut delectatione sordida, quæ subito in pœnam & fastidium conversa erit, hoc vel illud subire detrimentum? Non tibi sic expedit. Inter hæc & similia verba resilire incipiet à cogitatione maligna, & avertet paulatim oculos rationis ab ea, fietque cum adjutorio orationis & cum tunsione pectoris vel aliis congruis remediis, ut cesset miserabile illud tentationis incendium, quia & cessabit cogitatuum sordidorum sufflatio.

5. Deinceps respondebat idem magister ad duas objectiones, fieri possibiles. Quoniam timor ille servilis videtur, evacuare meritum resistendi peccato: est illic præterea transgressionis periculum. De Primo dicebat quod ex qua pœna ista voluntarie imposita erat, & propter Deum, ex illa radice primaria bona germinabat pullulabatque meritum: quamvis enim non ita sincera & laudabilis sit hujusmodi resistentia & cessatio à peccato in casu prædicto, quemadmodum est in virtuoso qui præcise propter Deum peccata deserit: nihilominus resistentia talis bona est & saltem inductiva virtutis, sicut de timore simili respectu timoris casti doctores determinant, quamquam ibi non sit timor tantummodo servilis, sed in sua radice primaria filialis & castus. Resultat insuper meritum ex approbatione sequenti, dum gaudebit incontinens transacta tentatione, non consensisse peccato. Demum, qualiter ibi esset timor simpliciter servilis, cum posset confessus ab ista pœna liberari non implendo pœnitentiam, attamen implet: quia Deo & Sacerdoti suo vult obediens existere. Et hic sumi potest grata & pulchra consideratio pro sponte voventibus ac Religionem intrantibus.

6. Ad alteram objectionem dicebat, similiter fieri posse ad improbationem omnium Religionum omniumque votorum salubrium. Sic omnis pœnitentiæ susceptio periculosa esset, sic & Deus & Superiores in suis præceptis & legibus culparentur. Evitatur etiam periculum sufficienter per hoc, quod non nisi consensu habito confessi, & ad tempus, non perpetuo, tales pœnitentiæ sive obligationes imponuntur. Sive igitur fiat per tempus illius transgressio, aut si Diabolo perurgente fieret, pœnæ solvi possunt, & ita homo à nova transgressione liber erit, imo & opus bonum faciet: quodsi transacto tempore statuto remedium videretur inefficax aut in deterius vertatur, poterit omitti. Si vero sit utile, sicut sperandum est, rursus valebit iterari. Denique, si salubre antitodum ob ægrotantis inobedientiam pestiferum fiat, medicus culpa caret.

7. Subinde prædictus Magister aliud adjiciebat argumentum. Itaque si videbat pueros aut alios simplices minus cogitare præcepta Dei, & ex hoc liberius peccasse, reddebat eos magis timidos & cautos contra peccatum per promissiones expressas, in manibus suis factas, de cavendo deinceps à tali vel tali peccato. Per hoc enim promissionem in Baptismo factam de observatione Legis Christi tanquam abolitam à memoria vel transgressam renovabat & per modum cujusdam recognitionis iterum promittendo reparabat. Sic Moyses & Josue respectu filiorum Israel, sic plerumque homines post primam considerationem fœdus antiquum retractant & ineunt. Neque arbitretur aliquis, promissionem talem patere discrimini aut fractionem ejus esse casum specialiter reservatum, quoniam nullum ibi votum est, cum non nisi respectu illorum, quæ alias essent licita, de quibus conteritur, implicite vel explicite promissionem talem facit, aut innovat, secundùm quod contra Dei præcepta de cætero mortaliter non peccabit. Erit attamen transgressio per accidens deterior, quia & cognitio divini præcepti jam sibi facta & lucidior.

8. Rursus idem magister providebat diligenter, ne Confessus suus esset deinceps occasio primariæ corruptionis aliorum, præsertim juvenum & quod sibi sufficeret damnatio perditioque propria. Specialiter in peccatis gravioribus & abominandis, imo nec nominanda palam, ne pias aures polluant, occurrebat diligenter providendo viis omnibus, comminatione & pœnarum obligatione, ne confessus transiret in deteriorem speciem ex societate seu conjunctione perversa. Et explicabat quandoque particularibus, sicut clam & secreto fieri possunt, dum videbat opportunum. Malebat enim confessum suum dimittere, & tolerare in sua libertate quoad peccata aliqua minus gravia, quàm ita eundem urgere ab omni parte, ne ad deteriora laberetur. Quando autem & qualiter illud fiendum est, magis docebit virtus, ars, & unctio Sancti Spiritus, & circumstantiarum omnium particularium consideratio, quàm scriptis aut verbis possit edoceri.

9. Postremo dabat consilium idem Magister, ut confitentes non refugerent, sed pro dono maximo reputarent habere peritos Confessores, moribus & scientia & longo experimento probatos, qui quærerent non quæstum proprium, sed sincero corde salutem animarum. *Et iterum pro congruis remediis* contra singula vitia laudabat plurimum compilationem seu *summam de vitiis & virtutibus; laudabat denique* pro bonis affectibus generandis, libenter conversari cum viris bonis & devotis, quæ vox divina est. *Cum sancto sanctus eris.* Eorum itaque colloquia sunt ignita vehementer, & stimulantia ad virtutem, sicut & sanctorum Patrum vitæ, & exempla frequenter & attente lecta vehementer proficiunt ad infundendum cordibus nostris divini amoris affectum, & tamen in omnibus & super omnia diligentes promissiones suas, quæ omne desiderium superant, sequimur. Amen. Præterea illæ circumstantiæ, quæ habentur per hunc versum, inquirendæ sunt in

in Confessione à Confessore, *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Per *quis* intelligitur, an sit juvenis aut senax, Clericus vel Laicus, solutus vel ligatus? *per quid*, an sit res sacra, vel non? per *ubi*, an sit in loco sacro, publico, vel occulto seu privato? per *quibus auxiliis*, an cum pugno, baculo, aut gladio? per *cur*, qua intentione? an ratione vindictæ vel rapiendi? per *quomodo*, an percusserit aliquem fortiter vel remisse? per *quando*, an in quadragesima, vel in alio tempore sacro? vel aliter, *tempus*, *locus*, *motus*, *numerus*, *mora*, *scientia*, *ætas*. Item per *quis* notantur omnes circumstantiæ personales, hoc est dicere, utrum fueris puer vel adolescens, juvenis vel senex? Et circa quot annos? nobilis an ignobilis, liber an servus, domesticus vel extraneus? in dignitate vel officio constitutus? sanæ mentis, an non compos rationis & scientiæ? si scivisti, hoc peccatum esse, vel dubitasti? an nescisti? si fuisti solutus vel conjugatus? Religiosus vel sæcularis? Clericus vel Laicus? Consanguineus, affinis, vel extraneus? in sacris Ordinibus vel non? & in qua Religione? vel in excellenti & arte vel in laxiori? & sic de aliis, per quod notatur genus peccati, hoc est, utrum commiserit fornicationem simplicem, vel adulterium, quod majus est, incæstum, stuprum, vel raptum. Item utrum homicidium voluntarium vel casuale, utrum furtum, vel sacrilegium vel rapinam? Item utrum peccatum, quod commisit, sit enorme, mediocre, vel parvum? Item utrum sit manifestum, vel occultum? utrum quadriduanum & fœtens & in consuetudinem ductum? an recens aut nuper factum &c.? gravius enim est dicere & facere aliquid coram iis, qui possunt ex hoc sumere occasionem peccandi, quàm illud occulte facere, & gravius est, simulare, se esse patientem habendo iram in corde, quàm se ostendere turbatum, sicut est non dando alicui per hoc mali exempli occasionem. Et ideo non sufficit dicere, fui iratus de verbo mihi dicto, sed debet addere, & simulavi, me esse patientem in signis exterioribus; ut reputarer humilis, ubi eram superbus, ita quod cum illa simulatione addidi mendacium ad iram, quam occultavi. Item non sufficit dicere: tetigi Bertam impudice, sed oportet dicere locum corporis scilicet manum, vel pectus, supra pannum vel ad nudum, & dicas modum, scilicet ore, manu, vel pede &c. quomodo hoc est naturaliter vel contra naturam, & proprie quem modum habueris in agendo vel patiendo, quod melius actu quàm lectione scitur. Gravius enim est, tangere Bertam osculando, quam ipsam tangere in eodem loco pede, quia magis impudicus est modus ille tangendi. Ideo non sufficit dicere, ut supra, tetigi Bertam. Item non est ita grave unum peccatum simpliciter, sicut est illud, cujus occasione plura alia committuntur, ut siquis fecit aliquem defectum, pro quo alius est accusatus, & non excusasti innocentem, vel si pro defensione unius mendacii protulisti verba injuriosa, aut incurristi plura alia mendacia, aut si pro excusatione unius mendacii vel peccati commisisti perjurium, & ob hoc fuit suspicio de alio, vel facta est punitio super aliquem propter hoc, vel orta est turbatio aliqua inter aliquos. Omnia illa explicari debent. *Quando*, hoc est quo tempore, an sacro, puta diebus festis, quadragesimæ & aliis jejuniis, aut in non sacro, puta diebus non festis & privatis? Item, utrum ante acceptam pœnitentiam, vel post, non servando sed frangendo pœnitentiam? gravius namque est cavere à Missa, vel otiari die Dominico, vel in festo solemni, quam in alio die simplici, & gravius est, quodcunque peccatum in magna solemnitate, quàm alio tempore, & gravius est, non vacare orationi vel esse dissolutum in lingua vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare, & in die, quo homo communicat, vel celebrat, quàm alio tempore. *Ubi*, hoc est, in quo loco? scilicet, si peccatum sit factum in loco sacro vel non sacro, in domo dominorum, vel alibi in aliquo loco, cui reverentiam exhibere debuisti. Nam circumstantia loci sacrati multum aggravat peccatum Gravius enim est peccare in Ecclesia, quàm in domo, & gravius est, cogitare aliquid inhonestum, quando oras, vel quando dicis missam vel officium. Et gravius est, respicere aut tangere animo impudico corpus hominis sub pannis, quàm manum vel pedem, quia magis libidinosa est ibi delectatio. Per *quos*, hoc est, quibus mediatoribus vel adjuvantibus aut internuntiis, quia in talibus homo reus est obligatus pro peccatis eorum, & ipsi cum eo sunt participes criminis vel damnationis. Item per *quos* vel *quas*, id est, cum quibus, utrum fuerint Religiosæ Virgines, conjugatæ vel solutæ? Item *per quos*, id est, pro quibus, vel contra quos, vel contra quas? Item, an solus, an cum sociis? gravius enim peccat, qui plures secum peccare facit: gravius est etiam, esse inobedientem aut irreverentem patri vel matri propriæ, quàm illi, cui non tenetur sic obedientiam vel reverentiam exhibere. Et gravius est, turbare unum sanctum hominem, aut deridere, quàm unum hominem vitiosum. Et gravius est, provocare unam personam religiosam ad aliquod peccatum, quod est contra professionem, quàm unum vel unam sæcularem inducere ad idem peccatum. Et gravius est, inspicere impudice unum juvenem aut mulierem, & unum religiosum quàm sæcularem. Hoc idem intellige de tactu & quocunque actu & verbo impudico. Non sis ergo contentus dicere, non bene custodivi visum, auditum, tactum & sic de aliis, aut dicere: iteravi aspectum in facie personæ eum complacentia, & imaginatione impudica, sed dic qualitatem & conditionem personæ, & si de visu sic expedit dicere, multo magis de verbo impudico provocante ad peccatum. Et similiter de tactu aut commotione carnis libidinosa habita ex allocutione vel à propinquatione ad corpus alicujus: quoties hoc est, quot vicibus? ut peccata dicat non tantum specialiter sed etiam individualiter; & ad memoriam revocet sub certo accusationem numero, ut non solum confiteatur peccata, sed etiam vices & iterationes; ut dicat, quoties cognovit fornicariam, sive adulteram? & utrum unam vel plures; quoties dixit proximo verba contumeliosa? quoties iteravit malum vel injurias? ut dicit *Augustinus*: *vulnus iteratum tardius sanatur*, & cætera, *cur*, hoe est, qua suggestione vel intentione hoc feceris, & qua-

& quali tentatione, videlicet si ipse prævenerit tentationem, eam in se provocando & materiam mali in cogitatione assumendo, vel etiam fœdas cogitationes voluntarie ad delectationem habendo, & turpes ac carnales imaginationes, ut citius ac fortius in eo surgat illatus tentationis? vel utrum præventus sit ab ipsa tentatione? nam suscitare sibi tentationem multo gravius est, minus tentationibus vinci. Item, utrum sponte fecerit vel coactus? & quali coactione, absoluta videlicet, an conditionali? Item, utrum cupiditate vel paupertate? utrum in ludo vel intentione? Item, utrum aliquem coegisti vel induxisti ad peccandum, quasi non sufficeret tibi propria damnatio? gravius enim est, facere quodcunque peccatum cum intentione provocandi aliquem ad simile, aut ad aliud peccatum, quam ad satisfaciendum sibi ipsi tantum, ut, si noveris defectum alicujus, quem enarras, ut facias ipsum despici aut minus reputari propter invidiam tuam vel aliam malitiam, aut si fecisti alium actum cum oculis aut cum manibus contra aliquem, ut provocares eum ad malum? & sic de aliis peccatis factis studiose, non tantum in damnum facientis, sed etiam in proximi detrimentum, in quibus opus est, explicare intentiones malitiosas. Tales enim assimilantur Diabolo seu Dæmonibus, qui student animas perdere, pro quarum salute Christus sanguinem suum efudit. NOTANDUM, quod quædam circumstantiæ adhærent ipsi peccato, ut *detestatio* in vitio sodomitico, *horribilitas* in homicidio. Item *qualitas*, ut in peccato occulto vel manifesto, *quantitas*, ut in peccato enormi, mediocri, vel parvo. Et similes quædam circumstantiæ adhærent personæ peccanti, ut dignitas, libertas, scientia, ætas, sexus. Quædam nec peccato nec personæ, sed extrinsecus considerantur. Ut locus, tempus; tales omnes tenetur homo confiteri pro posse & dolere. Unde leguntur angeli dixisse LOTH *Genesis decimo nono. Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione*, per quod circumstantiæ accipiuntur. Et JOB VII. *non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei. Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Peccator etiam confiteri & dolere debet de bonis omissis, quæ facere bene potuisset. *Item* de tempore male expenso & inutiliter. *Item* si aliis fuit malum exemplum, & per hoc eos à Deo retraxit & suo exemplo in malo confirmavit. *Item* quia aliis non fuit exemplum boni. *Item* quia bonis tristitiam de peccatis suis intulit. *Item* fideles in purgatorio propter mortalia peccata, in quibus fuit, suffragiis defraudavit, & etiam pro quibus tenebatur orare. *Item* in omnibus his benignissimum & bonum Deum suum benefactorem injustè offendit. Deo gratias.

Explicit Opus Magistri Joannis Gerson Sacræ paginæ Doctoris nec non Cancellarii Parisiensis, quod intitulatur remedia contra recidiva.

ANNOTATIONES.

1. In Consideratione 15. & aliis censet Gerson, à pueris & puellis interrogandas varias species peccatorum circa sextum præceptum. Sed hoc Gerson rectè consuluerit illo depravato sæculo, quo educatio erat neglecta à pluribus parentibus, quo Catecheses erant raræ, & quo usus Sacramentorum respective exiguus. Nostro autem tempore apud pueros vel puellas bene institutas, saltem in locis, ubi habentur frequentes Catecheses, & viget frequens usus Sacramentorum, & abundant ludi magistri, & libelli catechetici innumeri, ejusmodi interrogationes plus crearent mali, quam boni. Accedit, quod Gerson potissimum moveatur ex reservatione indefinita talium peccatorum, quæ illis temporibus frequens erat. Cum enim reservatio incurratur etiam ab ignorante, & ignorantia juris naturalis in hoc genere rara sit, timebat Gerson, ne absolutiones sæpe essent invalidæ. Verum etiam huic timori hoc tempore occurritur à plerisque Episcopis, qui sustulerunt, aut limitarunt tot reservationes.

2. Rectè intelligendum esse Gersonem in eo, dum asserit; nullam esse imponendam pœnitentiam confitenti, nisi quam ipsemet vltro acceptaverit. Hoc enim solum intelligit de *Pœnitentiis Canonicis* & rigorosis, ita tamen, ut imponatur adhuc proportionata peccatis pœnitentia, quam si pœnitens acceptare nolit, eoipso monstraret, se non habere animum verè pœnitentem. Itaque juxta illam Gersonis & aliorum veterum quorundam Sæculi XIV. & XV. sententiam pœnitentiæ factæ sunt *arbitrariæ*, in quantum Confessario liberum erat, inter pœnitentias Canonicas eligere *minorem*, peccato proportionatam tamen; nec majorem imponendam esse prorsus invito pœnitente. Ea mens Gersonis desumitur ex eo, quia pro pœnitentia omnium minima recidivis *prima vice* imponebat, ut toto vitæ tempore quotidie mane & vespere dicant unum Pater & Ave pro gratia victæ primitus verecundiæ; ut habetur inter remedia pro recidivis num. 1. & 3.

XIII.

Directiones practicæ pro Confessariis, ex variis Authoribus collectæ.

QUÆRITUR 1. Qualis à Confessario præmittenda sit intentio, & dispositio proxima ad excipiendas Confessiones?

RESPONDEO. Confessarius, antequam adeat Confessionale, 1. genu flexo coram Crucifixo recitet saltem mentaliter brevem orationem, qua se & suos pœnitentes Deo commendet. 2. In ea oratione concipiat expressum propositum continendi ex amore Dei suos oculos à curioso personarum, præsertim fœminarum, aspectu, & excludendi ex corde omnem etiam momentaneam irrepentem affectionem circa objecta inhonesta, aduersus quæ in semetipso horrorem excitet. 3. In eadem oratione revocet in memoriam primarias obligationes Confessarii, præsertim eas, circa quas sæpius ac periculosius impingitur. Hæc omnia includuntur in sequenti Oratione, quam affert P. HERZIO S. J. in suo *Manuali Confessariorum*, edito Augustæ 1718.

Oratio.

„Mitissime Domine Jesu, qui hujus saluberrimi Tribunalis es Author & Rector, te supplex „oro,

„ oro, ut ficut mihi indigno poteftatem judiciariam ligandi atque folvendi peccata communicare dignatus es, ita etiam largiri digneris fanctitatem, qua munus hoc foli Deo proprium, tam dignè expleam, ac decet Vicarium tuum. Sit igitur in me *cor* imprimis *purum & caftum*, ne dum alios à fœditate mundo, ipfemet vel levisfime polluor. Sit in me ardens prorfus *defiderium falutis alienæ* & animarum, pro quibus fanguinem fudifti; itemque *præmii* æternum perdendi, ac *pœnæ* incurrendæ *digna æftimatio*. Sit in me *fuavitas* Patris, peritia Medici, cura Paftoris. Da, ut valeam *folari afflictos*, illuftrare cœcos, *pacare turbatos, timidos confortare, recidivos ftabilire, negligentes percellere, tepidos accendere, fragiles firmare, infirmos fanare, cuivis bene confulere, & quæ ad falutem funt, perfuadere*. Mihi vero, qui venturos jam vi tuæ poteftatis abfolvere volo, da *attentionem*, & *patientiam*, cordi & corpori *puritatem*, fpiritui *tranquillitatem*, *animæ folatium*. Da, *ut compatiar miferis*, *nec efferar* præ illis, quibus fine tua gratia pejor fuiffem. Idque a Patre tuo per te peto, per quem omnia nos obtenturos promififti Salvator mundi. Huic tamen orationi addi poffet alia oratiuncula, quæ reperitur in cæremoniali Romano his fere verbis: Domine Deus, qui omnes homines vis falvos fieri; nec vis mortem peccatorum, fed ut convertantur & vivant, fufcipe orationem meam, quam fundo ante confpectum clementiæ tuæ pro peccatis meis & pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis fpiritum compunctionis, ut refipifcant à diaboli laqueis, quibus adftricti tenentur; & ad te per condignam fatisfactionem revertantur. Per eundem Chriftum &c." Hæc oratiuncula, quando emittitur ex corde verè amico Dei, plurimum valet pro falute pœnitentium.

QUÆRITUR 2. Quid à Confeffario obfervandum in ipfo principio audiendæ Confeffionis?

RESPONDEO. Confeffarius hæc obfervet. 1. det advenienti pœnitenti benedictionem his vel fimilibus verbis à Rituali Diœcefano præfcribendis: *Dominus fit in corde tuo, & labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua*. 2. Curet, ut pœnitens decenter fe habeat utroque genu flexo, fi fieri poffit; & facie non recta in faciem facerdotis, fed aliquantulum ad latus verfa, ita tamen, ne fimul cum voce nocivum halitum in Confeffarii aures infufflet. Quod fi negligeret, blandè moneri poffet. 3. Viciffim Confeffarius caveat, ne os & nares pœnitentium ori directè obvertat; noxiumque & nonnunquam fœtentem halitum in corpus fibi attrahat. Manum proinde & ftrophiolum vel cottam inter fe & pœnitentem fic circumponat, ut, ubi ejusmodi noxium halitum advertit, illis faltem os fuum & nares contegat, præfertim quando graffantur morbi contagiofi. 4. Doceat rudes, Confeffioni congruam quandam formulam præmittere, v. g. hanc: *Accufo me cum magno dolore coram Deo & reverentia veftra, qua loco Dei hic meam confeffionem excipit, de omnibus meis peccatis ab ultima confeffione commiffis. Ultimam meam confeffionem depofui ante duas feptimanas &c.* 5. Si pœnitens rudis non ftatim incipiat loqui, prævenîat Confeffarius, ut faltem tempus ultimæ confeffionis exquirat. 6. Ut ftatim ab initio confeffionis de ftatu pœnitentis exquirat; vel utrum pœnitentiam prius injunctam jam impleverit? vel utrum prius rectè confeffus fit? hoc quidem tempore in locis, ubi fideles catholicè & bene inftructos fuiffe conftat, non decet. Multo minus convenit præmittere alias interrogationes non neceffarias ad cognofcendum ftatum internum pœnitentis. Eas enim interrogationes pœnitentes interpretantur tanquam vanam curiofitatem, ex qua fcandalizantur. 7. Ut, fi pravum in fe affectum oriri timeat, vel fentiat erga pœnitentem, in memoriam vocet ac invocet pœnitentis Angelum tutelarem. Multum enim juvat invocatio angelorum tutelarium, qui præficiuntur à Deo cuilibet homini ad infpiranda bona non folis fuis clientibus, fed etiam patribus & curatoribus clientum.

QUÆRITUR 3. Quænam fint obfervanda à Confeffario fub ipfa confeffione?

RESPONDEO. In exceptione Confeffionum obfervanda funt fequentia. 1. Caveat, ne inter audiendas confeffiones dormitet, diftrahatur, aut omnino oblivifcatur peccatorum, antequam injunxerit pœnitentiam. Si enim Confeffarius in fine confeffionis non amplius recordetur peccatorum, quæ pœnitens confeffus eft; nec moraliter certus fit, ea peccata non fuiffe mortalia, tenetur pœnitentem monere de fua oblivione, eumque rogare, ut repetat peccata graviora, quæ poffent effe mortalia, fi quæ forte habuit; aut fi nullum gravius habuit, ut faltem repetat unum vel alterum peccatum veniale. Si enim abfolvat pœnitentem, de quo dubium eft, annon habeat peccatum mortale, non poteft loco Dei tractare cum pœnitente de competente fatisfactione. Itaque non implendo fuum officium in puncto effentiali hujus judicii, peccabit mortaliter. Si autem Confeffarius moraliter certus fit, pœnitentem non fuiffe confeffum mortale, feque peccatorum aliquorum confeffionem, vel faltem unius, audiviffe quidem, fed illius fe non recordari amplius, poterit pœnitentem validè abfolvere; imo etiam licitè, fi petendo repetitionem peccati certi præberet faltem leve fcandalum. Tenetur tamen Confeffarius fub peccato mortali in fe corrigere hujusmodi oblivifcentiam. 2. Confeffarius non prodat ullum exterius fignum indignationis aut faftidii contra pœnitentem ratione peccatorum occultorum. Signa ejusmodi impatientiæ produntur, fi Confeffarius fe huc illuc torqueat; pœnitenti, ut abrumpat importunè præcipiat; vel pœnitentem interpellet, ubi res non poftulat. Ejusmodi enim fignis pœnitens facile moveri poteft, ut facrilegio fe obftringat aut reticendo, quod admifit, aut abrumpendo vel excufando, quod addendum fuit & fatendum. De his graviffimis fequelis Confeffario graviffima ratio reddenda erit. Præfertim vero Confeffarius caveat, ne dum pœnitens enorme aliquid affert, figna admirationis oftendat. Proinde figna manuum, vel pedum, aliosque corporis motus omnino intermittat. Hæc enim figna externa confeffionis facrilegæ non folùm in confitente, fed etiam in circumftantibus caufa facillime effe pof-

sunt; simulque sufficientia sunt ad frangendum sigillum confessionis graviter, eo quod circumstantes ex illis colligere possint vel saltem suspicari eorum opinione prudenter, graviora delicta à pœnitente recenseri. Quare sic se componere nitatur Confessarius, acsi nihil audiret; suumque zelum in finem Confessionis reservet, ubi quantum opus esse judicaverit, peccatorum gravitatem, & deformitatem pœnitenti exponat. Dixi, *ratione peccatorum occultorum;* si enim indignatio solùm feratur super defectum de se non peccaminosum, v. g. super scrupulositatem notoriam, surditatem, balbutiem, & concomitantem tenacitatem judicii non parentis monito bono Confessarii, præfata malitia in hujusmodi indignatione locum non habet. 3. Confessarius abstineat ab increpationibus, exprobrationibus, asperis interrogationibus, severis admonitionibus, nisi pro genio pœnitentis ea reprehendendi methodus appareat manifestè utilior ac fructuosior. Scommata autem, & contumeliæ universim longè absint ab ore Confessarii. Si autem duriorum pœnitentium corda ea tunsione frangenda fuerint, id fiat in fine Confessionis, & eo modo, ut simul ex verbis reluceat spiritus charitatis, lenitatis, & mansuetudinis. Hoc si Confessarius negligat, sua asperitate causa esse poterit, ut pœnitentes absterriti reliqua peccata reticeant, & omnino Confessionem, tanquam rem odiosam, horreant, sicque pereant. 4. Inter circumstantias illæ potissimum inquirendæ sunt, quæ causam, seu occasionem peccati manifestant, v. g. si quis confiteatur desideria obscœna, colloquia lasciva, tactus impudicos, interrogandus erit pœnitens, an illa persona cui afficitur sit in domo? an ea contigerint in conventiculis extra domum? an personam alteram soleat ducere ad choreas, vel popinas? an peccata illa contigerint in reditu à choreis? &c. exinde enim occasiones præscindi, & congrua remedia ordinari poterunt. 5. Si Confessarius videat, quod pœnitens velit manifestare complicem, debet illum prohibere ab hoc, nisi ex circumstantiis dubitet, eam manifestationem à pœnitente fieri causa procurandæ correctionis in complice, vel causa consilii necessarii, vel ex causa, quia aliter species peccati explicari nequit & nequeat haberi alius confessarius, cui persona complex ignota sit. Si enim Confessarius unam ex his causis subesse dubitet, non est prohibendus pœnitens, prout patet ex antiquis Pœnitentialibus. Tunc autem censetur non posse haberi alius Confessarius, quando pro illo inveniendo oporteret differri Confessionem cum jactura confessionis paschalis, Jubilæi, vel Indulgentiæ, aut quando sacerdos alias per triduum deberet omittere sacrum, vel laicus communionem sibi alias consuetam; aut quando alias per triduum non posset alteri confiteri, vel si alius Confessarius esset quærendus cum magno labore & molestia. Rectè tamen Gobat, Lugo, & Dicastillo observant; eum, qui complicem induxit ad peccatum, obligari ad subeundam majorem molestiam ad parcendum bonæ existimationi personæ seductæ apud Confessarium, præsertim si illa persona fuit seducta per fraudem vel injuriam. 6. Quando Confessarius jam satis intellecta substantia peccati advertit, pœnitentem circumlocutionibus superfluis uti, moneat se rem intellexisse, & ipsemet interroget, annon habeat aliud peccatum? 7. Confessiones nunquam abbreviet, quin saltem peccata nunquam adhuc à pœnitente confessa perfectè agnoscat qua judex & medicus. 8. P. Segneri rectè monet, non esse à Confessario sequendas sententias benignas, quando pœnitentem non manu ducunt ad observationem legis, vel quando servantur circa leges naturales refrœnativas concupiscentiæ carnis. In his enim per sententias benignas homo non redditur melior sed deterior. 9. Confessarius non sit præceps in judicio ferendo, si dubitat de reservatione, excommunicatione, impedimento, obligatione status &c. Pœniteni denuntianda; præsertim eam præcipitantiam caveat, quando per obligationem vel deobligationem necessario creatur grave præjudicium aut pœnitenti, aut alteri personæ, vel integræ communitati. Itaque non statim pœnitenti restitutiones vel alias obligationes imponat, sed rem prius bene perpendat, circumstantias omnes vel excusantes vel obligantes aliquamdiu ex pœnitente exquirat, & si omnibus circumstantiis exactè discussis adhuc remaneat obligatio dubia, spatium deliberandi ad aliquot dies, vel usque ad proximam confessionem petat; interea pœnitentem ad ea, quæ comperta sunt, adstringat, & tempore præfixo ad excipiendam resolutionem redire jubeat. Hæc admonitio summi est momenti, eaque à Confessariis non solum junioribus, sed etiam senioribus exactè observanda est, ne se gravissimorum peccatorum reos faciant, si vel ex ignorantia vel ex culpabili oblivione in præjudicium aliorum, vel in detrimentum legum malè resolvant. 10. Confessarius tenetur regulariter credere confessioni pœnitentis. Unde quantumcunque Confessarius sciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc judicio magis credere ipsi pœnitenti, cum hic rei simul & testis personam agat. Dein, si ipsemet Confessarius propriis oculis vidit peccatum, & propabiliter existimare potest, pœnitentem jam exposuisse hoc peccatum alteri Confessario, potest hoc dissimulare. Si autem omnino evidens sit, pœnitentem mentiri vel reticendo peccatum agere contra integritatem Confessionis, non tenetur ita stare dictis pœnitentis, ut non possit uti scientia illa ad convincendum & redarguendum ipsum pœnitentem. Imo hoc moribus primitivæ Ecclesiæ conforme est, ubi pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, qui Episcopo per alios vel per Diaconum fuerant denuntiati de aliquo gravi crimine occulto. Unde si Confessarius evidenter videat, pœnitentem esse indispositum, non debet illum absolvere, quidquid ille dicat. Moneat tamen illum de elicienda contritione perfecta, eamque cum illo eliciat, sub prætextu, sic utile fore, quia pœnitentes aliquando laborant latente peccato occulto. 11. Si Confessarius occasione confessionis advertat, pœnitentem non confiteri alia peccata notoria vulgo, v. g. injustitiæ, vel malæ gubernationis, neglectus officii, scandali, quæ tamen pœnitens non apprehendit ex ignorantia probabilius vincibili, tenetur illum admonere de obligatione consulendi Confessa-

rium,

rium, vel alios rerum peritos, an stantibus talibus circumstantiis possit esse tutus in conscientia vel non? & quod alioquin omnes suæ absolutiones sint futuræ invalidæ. Ratio est, quia Confessarii tanquam Episcoporum delegati funguntur nunc in isto tribunali eodem munere, quo per se funguntur etiam nunc, & præsertim in primitiva Ecclesia fungebantur Episcopi. Hi autem tenebantur infamatos, vel sibi denuntiatos corrigere, monere, & adstringere ad pœnitentiam. Hæc obligatio Confessario inhæret, si evidens sit malitia actionum vel omissionum, sive fructus ex monitione sperandus fit, vel non. Hæc enim est obligatio parentis ad filium, medici ad infirmum, pastoris ad oviculam, doctoris ad discipulum, ac præsertim judicis, tanquam publici custodis legum ad subditos. Si autem obligatio aut malitia non sit certa, saltem circa leges naturales tenetur monere, ut attentius rem perpendat, quia in judicio Dei circa ejusmodi leges proferetur testimonium solius propriæ conscientiæ. Circa leges autem positivas admoneatur, ut accedat veriori sententiæ, & judicio propriæ conscientiæ, an ex tali actionum genere accedat grave præjudicium publicæ honestati nostræ religionis.

Quæritur 4. Quænam observanda sint à Confessario quoad impositionem pœnitentiæ?

Respondeo. Observandum est 1. omnibus absque ullo discrimine esse imponendam pœnitentiam. Ratio est, quia impositio pœnitentiæ est pars essentialis in hoc sacramento, in quantum Confessarius nomine Dei cum pœnitente paciscitur de modo præstandæ satisfactionis, jure naturali ad virtutem pœnitentiæ requisitæ. 2. Idem consequenter etiam observandum circa morientes, ut imponatur illis salutaris pœnitentia pro casu reconvalescentiæ implenda, nunc autem per invocationem Dei v. g. per unum *miserere mei Deus*, vel tunsionem pectoris, vel osculationem crucifixi, &c. Si plus fieri nequeat, inchoanda. 3. Idem observandum tempore Indulgentiæ plenariæ, imo etiam Jubilæi, prout in sua ad Confessarios Romanos Encyclica, quam attuli ad calcem *Disputationis* 7. declaravit SS. D. N. Benedictus XIV. Ratio est, quia Romani Pontifices ad opera præscripta præsupponunt sacramentum adeoque & virtutem pœnitentiæ veræ juxta modum à Vicario Dei Confessario determinandæ. 4. Opus injungendum juxta communem authorum debet aliquo modo esse *pœnale* & *afflictivum*. Verùm cum pœnitentia potius habeat rationem *satisfactionis*, quæ pertinet ad *justitiam commutativam*, quàm ad rationem *vindictæ*, quæ pertinet ad *justitiam legalem*, & remanet post remissionem culpæ, non scrupulosè inhærendum est huic Doctrinæ, nisi in quantum omne opus bonum, etiamsi libentissimè & ex inclinatione propria fiat, habet aliquid pœnalitatis annexum comparativè ad statum naturæ corruptæ. 5. Opus debet esse aliunde indebitum. Neque enim potest habere rationem compensationis, quod aliunde debetur. 6. Licet absolutè possit injungi opus internum v. g. meditatio, Examen nocturnum, quia pœnitentiale opus non est effectus jurisdictionis, sed contractus inter Deum & hominem, illud tamen *ordinariè* non expedit, quia, cum sit aliquid insensibile, non habet mensuram satis manifestam, ex qua ipsi pœnitenti possit constare de ejus impletione. 7. Pro peccatis publicis & scandalosis, ut scandalo satisfiat, juxta D. Thomam, Suarezium, Reginaldum, & Laymanum, & perpetuam traditionem Ecclesiæ, debet imponi pœna publica, quæ aliis scandalizatis innotescat. Semper enim hoc fuit in more positum, ut crimina publica corrigantur per pœnitentiam publicam. Caveat autem Sacerdos, ne imponat pro talibus peccatis publicis pœnitentiam solennem sine authoritate Episcopi, aut talem, quæ inurat notam perpetuæ infamiæ etiam apud eos, qui non fuerunt scandalizati v. g. si pœnitens obligaretur postulare in Ecclesia ab omnibus veniam, aut ibi in choro coram omnibus recitare preces expansis brachiis &c. ejusmodi enim pœnitentiæ hoc tempore inurerent etiam apud infantes perennem memoriam. Cæterum bene fit, si adulteri vel fornicarii notorii jubentur singulis mensibus confiteri, & omnibus festis ac dominicis tempore pomeridiano transigere horam in oratione in Ecclesia per unum vel alterum annum ad publicam ædificationem populi, etiamsi omnes advertant, ista fieri ex injuncta pœnitentia. 8. Censent quidem Lugo & Gobat, quandoque in pœnitentiam injungi posse omissionem S. Communionis; verum, quamdiu censetur pœnitenti posse esse fructuosa, in pœnitentiam injungenda non est; quia habet quandam speciem *excommunicationis*, antiquitus usitatæ per potestatem *jurisdictionis*, vel per modum *declarationis* de majori utilitate. Certe enim rationem *compensationis* non habet. 9. Potest tamen injungi *oratio* vel aliud opus pro conversione peccatorum, vel pro defunctis; quia omne opus bonum gratum Deo & aliunde indebitum habet rationem compensationis seu satisfactionis pro læso honore divino. 10. Non tamen potest pro pœnitentia injungi tolerantia afflictionum à Deo immissarum. Ratio est, quia afflictiones sunt effectus justitiæ divinæ vindicativæ, non verò justitiæ commutativæ; nec afflictionum patiens tolerantia necessaria est aliunde indebita. Itaque non habet rationem compensationis, seu satisfactionis compensatoriæ, prout hic in sacramento sumitur, sed tantum habet rationem satispassionis meritoriæ. Aliud dicendum est de afflictionibus in sua causa liberè susceptis, v. g. passionibus Martirum, vel austeritatibus Religiosorum Ordinum, quæ sunt satisfactoriæ; & compensatoriæ, quia sunt ultro susceptæ; quamvis nec ipsæ possint imponi pro pœnitentia, quia ad ejusmodi passiones aut requiritur specialis vocatio divina, aut gratia gratis data specialis fortitudinis in eo, qui se ultro exponit martirio.

Quæritur 5. Quales hominibus diversorum statuum possint imponi pœnitentiæ?

Respondeo. Possunt imponi sequentes.

1. Magnis peccatoribus potest imponi una vel altera ex sequentibus pœnitentiis. 1. Confiteatur singulis circiter mensibus, nempe tertia, quarta, quinta septimana, prout opportunitas tulerit, per unum, vel duos &c. annos. 2. Per

annum vel duos &c. singulis septimanis recitet tria Rosaria. Vel 3. per annum, duos &c. singulis dominicis ac festis recitet Rosarium. 4. Vel per unum annum, duos &c. singulis diebus recitet quinquies Pater & Ave expansis manibus. 5. Per annum, duos &c. singulis diebus recitet ex libro actum contritionis, vel confiteor, vel *miserere*, vel Confessionem publicam, quæ recitari solet post concionem. 6. Per annum, duosque &c. singulis diebus mane & vespere coram devota imagine dicat tria Pater & Ave cum proposito non peccandi hoc genere peccati per diem vel noctem. 7. Per annum, duos &c. non adeat choreas publicas. 8. Per annum, duos &c. omni die Dominico, & festo non impedito tempore pomeridisno impendat horam in Ecclesia orando. 9. Per annum, duos &c. omni die, vel omni die Dominico & festo impendat semihoram lectioni sacræ de novissimis, passione Domini &c. 10. Per annum, duos &c. eligat sibi per septimanam unum diem pro jecunio, saltem respectivo &c. 11. Per annum, duos &c. quotidie dicat actus trium virtutum Theologicarum, Litaniam de SS. Nomine Jesu, vesperas defunctorum, Litaniam de omnibus sanctis &c. 12. Per annum, duos &c. abstineat à ludo, venstione, compotatione, vel aliis recreationibus sibi periculosis ex suo genere.

2. Aliæ pœnitentiæ pro aliis etiam personis possunt esse istæ: 1. Ut pœnitens usque ad proximam Confessionem quotidie recitet Rosarium cum mysteriis dolorosis, vel dimidium, vel quinque Pater & Ave, vel Litaniam de Passione, SS. Nomine &c. 2. Ut quotidie usque ad proximam Confessionem dicat quinque Pater & Ave in sacra Christi vulnera, vel in memoriam quinque mysteriorum Passionis Dominicæ. 3. Ut quotidie usque ad proximam Confessionem dicat tria Pater & Ave Christo flagellato, spinis coronato & crucifixo. 4. Ut quotidie usque sd proximam Confessionem dicat tria Pater & Ave in honorem Jesu, Mariæ, & Josephi pro impetrando dono puritatis, paeis domesticæ &c. 5. Ut usque ad proximam Confessionem dicat tria Pster & Ave S. Angelo Custodi pro obtinenda excitatione memoriæ de divina & ejus præsentia, vel pro commonitione in periculis animæ seu tentationibus. 6. Ut usque ad proximam Confessionem quotidie quadrantem horæ pro lectione facra impendat. 7. Ut usque ad proximsm Confessionem quotidie dicat actum contritionis ex libello de commisso gravi peccato. 8. Ut quotidie usque ad proximam Confessionem exerceat actum mortificationis vel abstinentiæ, v. g. per tres horas portando cilicium, extra tempus prsndii & cœnæ abstinendo ab omni cibo & potu, abstinendo à certo genere cibi, aut temperando quoad mensuram cibi & potus, &c.

3. Alia genera pœnitentiarum sunt certis festis vel anni temporibus proportionata, v. g. 1. ut in hebdomada passionis se excipiat flagellis, portet crucem, vel sepulchra visitet extensis brachiis. 2. Ut alioquin non obligstus ad jejunandum in quadragesima ter jejunet per Septimanam. 3. Ut per quadrsgesimam quotidie post cœnsm familiæ prælegat aut prælegi faciat Evangelium diei, aut etiam Epistolam. 4. Ut quotidie per quadragesimam osculetur devotè sacra vulnera Christi. 5. Ut in Nativitate Domini per octiduum dicat tria Pater & Ave in honorem Jesu, Mariæ, & Josephi, vel officium, Litanias &c. 6. Ut intra Octavam Resurrectionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, Visitationis B. Virginis, Assumptionis, SS. Angelorum custodum, omnium Sanctorum &c. per octiduum recitet preces congruas, v. g. *Cæli Regina*, orationem de septem donis Spiritus sancti, officium de Trinitate vel *Gloria Patri* post singula *Pater* & *Ave*, Litaniam de SS. Sacramento vel Hymnum; *Magnificat*, tres decades Rosarii, vel unam pro bona morte, orationem de Angelo custode, Litaniam de omnibus Sanctis. 4. Alia genera pœnitentiarum sunt conditionata, ita ut quoties pœnitens relapsus fuerit in peccatum carnis, blasphemiæ, imprecationis, perjurii, vel juramenti assueti, &c. semper ad vesperam, vel si incommodum fuerit aut oblitum, proximo die non impedito v. g. festo, dicat tria *Pater* expansis brachiis cum actu contritionis, vel dimidium; vel exerceat actum mortificationis, vel jejunet, vel det Eleemosynam determinatam nnius vel alterius crucigeri, vel confiteatur occasione proxima. Hujusmodi genera possunt innumeris modis variari, augeri, vel minui pro congruentia personarum. Sic v. g. Clericis aut aliis latinè doctis aliquando possunt imponi Exercitia Octiduana in loco separato ac tranquillo, Psalmi Pœnitentiales duo vel tres per mensem, vesperæ defunctorum aut Nocturnum ex eodem Officio ad octiduum, mensem, vel annum diebus non impeditis, visitatio SS. Sacramenti pomeridiana per quadrantem vel semihoram diebus non impeditis, lectio sacra quotidiana diebus non impeditis per semihoram ex Scriptura Novi Testamenti vel ex libris sapientialibus vel ex Asceta &c.

Quæritur 6. Quid observare debeat Confessarius puerorum?

Respondeo. Quid observandum sit Confessario circa pueros, juvenes, rusticos, rudes, Clericos, Judices, Opifices, personas scandalosas, consuetudinarios, pusillanimes, pudibundos, induratos, ebriosos, conversos ad fidem, ægros, moribundos, mntos, fatuos, deponentes Confessionem generalem, confitentes solum peccata dubia, Confessiones mulierum, personas devotioni deditas, tentatas, scrupulosas, deliberantes de statu vitæ deligendo &c. optima documenta ex authoribus collegit P. La Croix l. 6. part. 2. quæ proin paucis partim demptis partim mutatis accludo. Sic scribit:

Quid observare debeat Confessarius puerorum?

Respondeo.

§. 1. Merito viri prudentes gravissimam in his audiendis difficultatem apprehendunt, longe enim facilius est expedire adultos quam pueros, quia sæpissime dubium est in pneris, an & quomodo re ipsa peccarint, an habeant actus ad absolutionem prærequisitos. *Et ut me absolvam hoc ultimo dubio*, inquit *Gob.* t. 7. n. 455. *interrogo, cur venerit ad Confessionem, nec desisto, donec dicat se vere credere, quod qui nolunt confiteri sua peccata, puniantur à Deo: econtra qui recte confitentur, veniant*

veniant ad cœlum. Ut autem eliciam ex iis verum & formalem actum Fidei, ex quo debet procedere dolor necessarius ad pœnitentiam, quæriere soleo, utrum putet, Deum posse falli aut fallere? si neget, urgeo, ergo credis omnia esse vera, quæ Deus unquam dixit? Respondet, credo: laudata ejus fide confirmandus est recte sic facere, Deum enim mentiri non posse, eo quod sit veracissimus: tumque scitu necessaria eis proponenda sunt, si putentur ignorare.

§. 2. Expedit pueros quamvis necdum absolutionis capaces audire, ut sic instruantur & assuefcant, *Laym.* c. 5. n. 7. Ideoque utilissime laborat Confessarius, si jam paulo capaciores doceat, quomodo debeant confiteri, mane surgere, vesperi incumbere, conscientiam examinare circa cogitationes, verba & opera.

§. 3. *Lessius* in Auct. V. *Confessio* casu 6. putat pueros tum esse capaces absolutionis, si sciant, quid mali eventurum sit malis, quid boni bonis. *Gob.* in Exp. t. 4. n. 118. dicit in Germania puellas non ante octavum, pueros vero post nonum & dimidium, prius communiter non videri capaces peccati mortalis: sed recte notant *Laym.* & *Sporer* n. 525. non ex sola ætate sed multo magis ex ingenii & educationis qualitate esse hoc colligendum. Addit *Teretius* apud *Gob.* n. 452. si pueri pudefiant de mendacio aut de aliqua impudicitia commissa, si laudent obedientiam &c. inde recte colligi, quod sufficiente ratione utantur, quantumcunque parvæ sint ætatis. Notat etiam *Gob.* num. 454. multum prodesse ad cognoscendam maturitatem puerorum confitentium, si Confessarius attendat ad vultum & gestus eorum, nam si digitis ludat in clathris, si confitens respiciat alios extra confessionale, si nugetur cum rosario vel pileo suo, signum est exiguæ maturitatis.

§. 4. Quando dubitatur, an puer sufficientem usum rationis habeat, *Less.* putat non esse absolvendum, nisi in morte & in Paschate. *Gob.* dicit secure absolvi posse sub conditione: nam non posse absolute absolvi, recte docent *Bardi* & *Schild.* reverentia enim Sacramenti postulat, ne exponatur periculo nullitatis. Quodsi puer non afferat nisi peccata levissima, præsertim sub dubio, & signa doloris etiam sint dubia, dixi aliquos velle, tantum dari benedictionem; *Laym.* tamen *Dian. Schild.* putant etiam in boc casu posse absolvi sub conditione, nec esse opus differre, quamvis commode posset fieri.

§. 5. Pueri sæpe peccant venialiter tantum, quamvis materia sit gravis, quia boc, quod faciunt, tantum in confuso apprehendunt esse malum, non advertentes ad gravitatem malitiæ, econtra aliquando peccant mortaliter in eis, quæ de se sunt levia, quia per parentes vel alios causata est eis conscientia erronea de aliquo tanquam gravi, quod de se leve est, & ad hoc dignoscendum quandoque interrogari possunt, an per hoc vel illud plane putarint se infernum mereri.

§. 6. Examen puerorum potest esse: an diligenter diebus festivis audierint Missam, vel econtra garriverint in templo. An parentibus aliisque Superioribus fuerint inobedientes. An mentiti. An cognomina dederint aliis. An irati fuerint, rixati. An pugnaverint, percusserint alios. An illuserint senibus vel aliis. An aliquid furati sint. Si Confessarius advertat puerum audaciorem esse, interrogare potest de petulantiis in lecto vel alibi exercitis. Si has fateatur, de verberationibus mutuis in nudo corpore, de tactibus. Primæ seductiones puerorum sunt à similibus collusionibus, denudationibus corporum &c. *Gerson.* p. 2. num. 32. in Opusc. *De arte audiendi Confess.* consid. 17. ait: *Utinam mala à pueris tam diligenter confiterentur, quàm sciuntur & aguntur ab eis!*

§. 7. Si Confessarius judicet puerum absolvendum, adducere debet ad dolorem hoc vel simili modo. *Quær.* Fili, quo deveniunt post mortem, qui peccant? *Resp.* Ad infernum vel Purgatorium. *Quær.* Quid ibi patiuntur? *Resp.* Gravissimas pœnas ignis. *Quær.* Possesne talem ignem ferre? potesne jam digitum in cantela tenere? Quid si ergo totus ardere deberes & tam diu in igne? Et quis detrudit hominem ad tales pœnas? *Resp.* Deus. *Quær.* Agnoscisne etiam te offendisse illum Deum, qui ita potest punire? *Resp.* Agnosco. *Quær.* Sed quid nobis boni fecit Deus? nonne creavit, redemit suo sanguine, dedit omnia, quæ habemus, & vult etiam cœlum dare, ubi æternum simus beati? Nunquid ergo Deus erat dignus amari à te & non offendi? utique erat dignus. Adde: Et quamvis ista non essent, tamen Deus in se est dignissimus amari, quia in ipso est omnis pulchritudo, omnis perfectio, omnis bonitas, hinc dignissimus est non offendi. Itaque jam ex corde dole, quod illum offenderis, & dic mecum: O Deus amabilissime, doleo, quod te judicem meum, quod te summum benefactorem meum, quod te summum bonum meum unquam offenderim, & propono cavere in posterum omnia peccata. Nunquid ita? Et ideo te accusas de omnibus tuis peccatis? *Resp.* Accuso. Dic ergo pro pœnitentia &c.

§. 8. Confessarius inculcet pueris horrorem peccati, quia nempe reddit animam turpem & deformem instar dæmonis: gratia vero reddit speciosam instar Angeli. Præterea ingerat Timorem Dei, qui instar solis ubique præsens est & videt omnes malas cogitationes, & peccata mortalia vult igne æterno punire: econtra qui pios & probos amat sicuti filios, dat ipsis bona in hac vita, & postea in cœlo æternam gloriam.

QUÆRITUR 7. *Quid observare debeat Confessarius adolescentum & juvenum.*

RESPONDEO:

§. 1. Multa quæ de pueris dicta sunt, etiam his possunt applicari, maxime si Confessarius non habuerit eos à pueritia sibi confitentes. Habita occasione, in primis studiose inculcet, quòd peccata, de quibus timor est vel dubium, an sint mortalia, non sint reticenda ex pudore, alioquin nullum peccatum remitti, sed committi novum & grande sacrilegium. Nec causam esse pudoris, cum Confessarius sciat infirmitatem hominum, & obligetur strictissimo silentio, & tanto pluris æstimaturus sit, quanto majore confidentia erga eum utentur. Econtra si reticeant, nihilominus toti mundo manifestandum in extremo judicio, & cum æterna damnatione. Deinde etiam data occasione monendi sunt, ut primas tentationes aperiant,

riant, pro intelligendis mediis illas superandi, natura enim incipit in illa ætate se commovere, & quandoque faciunt aliqua, primo nescientes esse peccata, sed inducto pessimo habitu difficillime emendantur.

§. 2. Nihil isti ætati magis utile quàm frequens confessio, nam sic augetur Dei Timor & cura puritatis, præcaventur seductiones, vincitur pudor, sicque facilius primo in parvis, postea in majoribus conscientiam aperiunt: sed bene instruendi, ut diligens examen & actus requisitos præmittant. Potest autem examen adolescentum esse, præter illa, quæ de pueris dicta sunt, an tempus otiose transegerint: pecuniam parentum prodegerint: inhonestis cognominibus alios affecerint: malum imprecati sint alteri: fuerint Parentibus causa iræ. Examen juvenum est ferme idem, & si suadent circumstantiæ, vel ipsi occasionem dent, interrogandi sunt, primo in genere, an non aliquid turpe cogitarint, dixerint vel fecerint. Circumstantias personarum non solent advertere, nisi jam ante hac talia confessi, instructi sint à Confessariis: debent autem assuefieri omnes pœnitentes, ut ipsimet distinguant speciem & addant numerum in mortalibus. Hæc autem ætas studiose deterrenda est à turpiloquiis, quia hæc apud plerosque sunt initium seductionis; ab illis venitur ad turpes tactus &c.

§. 3. Si Confessarius advertat, quod quandoque accedant ad alium Confessarium, permittat, nec ullo signo ostendat sibi displicere, quia melius est sic, quàm sacrilege confiteri: attamen tanto diligentius eis invigilet, quando redibunt. Si autem tales ab alio Confessario clam ad se veniant, audiat ista vice, sed conetur disponere, ut se aperiant suo, neque enim est melior, imo vix est alius modus conservandi innocentiam aut emendandi ipsos, quàm si uno utantur Confessario, & ejus consilia sequantur. Sapienter dicit *S. Carolus Borrom.* in Instruct. Pastor. p. 2. c. 6. *si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, conetur eundem peropportune reducere, quemadmodum enim Medici, qui naturam temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutari solent, quod morbis necessaria facilius invenire remedia norint, sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à Medicis suis discedere debere, cum ii melius animarum vulneribus adhibere opportuna ac utilia instituta possint.*

§. 4. Caute procedendum cum adolescentibus & juvenibus, quæ enim vident vel audiunt, observant diu, narrant aliis, de his ipsimet postea prudentiores judicant: major cura habenda est, ut satisfiat judicio, quod habebunt, quàm quod nunc habent: nec plus eis dicendum, quàm pati possis resciri ab aliis. Etiam invitis ingerenda sunt pia documenta & monita, sunt enim feminа, quæ si non jam, postea fructum dare poterunt.

QUÆRITUR 8. *Quid observare debeat Confessarius Rusticorum aliorumque rudium.*

RESPONDEO:

§. 1. Eadem ferme observanda sunt de his, quæ de pueris sunt dicta; nam sæpe sunt æque vel magis ignorantes. Hinc 1. poterunt simili modo ad dolorem disponi: Habesne etiam parentes adhuc? Nunquid amas illos, & putas merito esse dignos, qui à te non offendantur, quia te sic amarunt semper & tibi benefecerunt? Et nunquid doleres, si graviter offendisses? Sed nunquid Deus tibi adhuc plus fecit? Hunc tu offendisti, qui præterea in se dignissimus erat non offendi, quia est Deus summe bonus, summe perfectus, propter infinitam majestatem & præcellentiam suam dignissimus semper amari & coli. Nunquid ergo doles & proponis non offendere amplius? Dic ergo corde, quod dicam ore: Deus meus & dominus meus! doleo me fecisse, quæ tibi displicent, quia tibi summo Domino meo, maximo benefactori & amabilissimo Deo displicent, & propono cavere in posterum, ideoque me de illis accuso.

§. 2. Examen illorum potest esse: An blasphemarint per Christi Sanguinem, per Sacramenta &c. An jurarint, & quidem advertenter contra veritatem: (debentque plerique pœnitentes instrui, quid sit jurare, nam alias sæpissime per conscientiam erroneam peccant, putantes se jurare, cum tamen id, quo dictum suum confirmant, juramentum non sit.) An imprecati sint grave malum alicui, serio, ex animo: neglexerint sua culpa, vel sero venerint ad Missam die festivo: Grave odium habeant in aliquem: Dixerint contra honorem alicujus, vel alicui in faciem contumeliose locuti sint: Inebriaverint se usque ad privationem rationis, & hoc quidem prævidentes: Die vetito comederint carnes: Aliquem defraudarint, furati sint, damnum intulerint, inferre voluerint, si potuissent: An usi sint signis superstitiosis vel observationibus vanis. Circa turpia cum illis agendum est uti cum juvenibus, communiter incipiendo ab operibus, & descendendo ad verba, oscula, tactus, pollutiones, desideria, cogitationes. Quandoque etiam juvat apud aliquos sic facere hoc examen, ut recogitent, quid mali fecerint in ultimo die festivo, quod enim in uno faciunt, solent etiam facere in aliis: deinde quid mali fecerint ultimo die profano: denique quid alio die extraordinario, v. gr. die convivii, nuptiarum, itineris, aut simili, quo solent esse majores occasiones peccaudi.

§. 3. Si à rudi homine non possis ullam materiam elicere, pete aliquid de priore vita: si neque de hac certum aliquid in specie afferre possit, sed tantum in genere dicat, sæpe peccavi, propone ipsi præcipuas species peccatorum, in quæ tales homines labuntur. Quodsi nihil adhuc in specie possint agnoscere, potest, imo juxta *Laym.* debet sine absolutione dimitti, nam tales sæpe nullum habent grave peccatum; & quamvis haberent, hoc sæpe utile est, inquit *Gob.* t. 7. num. 430. ut metu carendi absolutione alia vice excitentur ad melius examinandam conscientiam. *Teret.* in Instr. idiotæ c. 1. §. 2. q. 1. sic habet: Si advertis rudem illum esse bonæ mentis, & à non longo tempore confessum, elice cum eo contritionem, & dicto super eum, *misereatur*, dimitte cum Cruce sine absolutione: Si vero diu, v. gr. à medio anno non est absolutus, tutius est sub conditione absolvere, prius tamen interrogatum, an non doleat de omnibus suis peccatis, & etiam de

de eo, quod ita incurie vixerit, ut advertere non possit, in quo peccarit, cum tamen dubium non sit, eum sæpe peccasse, de qua incuria si doleat, dicit posse absolvi. Confessarius suppleat, breviter percurrendo præcepta Decalogi & Ecclesiæ, aliasque materias ad ipsoa spectantes. Experientia etiam compertum est, rudes adultos cum de peccatis interrogati omnia negant, sæpe nescire scitu necessaria ad salutem, & inde esse tantam obcœcationem, quæ sola instructione tolli poterit.

§. 4. Si pœnitens sit ita stupidus & hebes, ut ne quidem necessaria necessitate medii possit capere, varie cum tali est procedendum: nam si hebetudo oriatur ex consuetudine committendi aliqua peccata, quæ mentem veluti obcœcant, uti sunt luxuria & ebrietas, differri debet absolutio, & prius abducendus est à talibus vitiis, quia durante impetu talium vitiorum frustra erit instructio: sicque voluntate paulatim à malo abducta informandus erit plenius intellectus. Quodsi nesciatur, an hebetudo oriatur ex peccatis, videri debet, an in aliis rebus temporalibus sit solers & industrius, nam si est, suspicio est ortam esse ex peccatis, ideoque interrogandus erit sed caute, circa peccata luxuriæ aut intemperantiæ. Econtra si hebetudo oriatur ex naturali complexione, quod colligitur ex eo, si etiam ad alia temporalia sit hebes, si de cætero ostendat se esse bonæ voluntatis & innocenter vivat, Confessarius præeat ipsi actus Fidei, spei, charitatis, doloris & propositi, prout capere poterit, sicque dispositum absolvat saltem sub conditione, si capax est, jubeatque communicare. Quodsi tam hebeti sit ingenio, ut nullam propriam cognitionem de quibusdam mysteriis formare possit, *Tann.* & *Gob.* num. 311. dicunt esse æquiparandum fatuo vel infanti, Deus enim à nemine exiget majorem notitiam, quàm per vim intellectus habere possit. Denique si hebetudo oriatur ex senectute, & hic senex prius sciverit ea, quæ sunt scitu necessaria, potest illi impendi absolutio & Communio, quamvis jam non ita clare videatur ea capere. Si autem antehac non sciverit ista, nec satis Christiane vixerit, laborandum, ut cito addiscat, quantum fieri potest, & disponatur ad dolorem, ne accedente majore senio minor sit capacitas.

QUÆRITUR 9. *Quid observare debeat Confessarius hominis scandalosi.*

RESPONDEO. Per hominem scandalosum intelligo illum, qui causa est, cur alii peccent, sive id faciat malo exemplo, sive turpiloquiis, sive aliter. Deterrendi sunt tales studiosissime motivis, quæ habet *Gerson* p. 2. num. 3. opusc. *De præcept. Decal.* capit. 18. *Quidquid agat homo in persona sua, supreme caveat alium ad male agendum solicitare: aut verbis, aut factis exemplis vel consiliis aliquid agere, quod de se sit occasio ruinæ peccati, specialiter coram juvenibus aut personis innocentibus. Hoc etiam proprium est singulareque dæmonum officium, quemadmodum bonorum Angelorum est specialiter homines inducere ad bonum. Compertum est etiam frequenter accidere, quod homines aliorum ad malum impulsores vix aut nunquam delicti sui condignam pænitentiam perficiant, quia nequeunt eos corrigere ad bonum, quos deceperunt: jam forte damnati sunt, vindictam à Deo postulantes æternamque eis maledictionem jugiter imprecantes: sicuti ex opposito jam salvati aliorum doctrinis & factis aut opera diligenti (quo nullum Deo opus at sacrificium acceptius esse potest, ut ad peccata delendum validius) pro suis Adjutoribus preces indeficienter effundunt.* In Reg. Mor. §. De Pœnit. addit: *Qui seduxit alios ad peccatum, tenetur pro posse eos postmodum ad viam virtutis reducere, non minus quàm de damno temporali illato.*

QUÆRITUR 10. *Quid observare debeat Confessarius consuetudinarii vel recidivi.*

RESPONDEO.

§. 1. Consuetudinario quandoque neganda est vel differenda absolutio, etiamsi dicat se habere dolorem & propositum, quia quandoque non potest prudenter credi illi. Et quamvis nunc putaretur habere sufficientem dolorem & propositum, adhuc aliquando potest differri absolutio, *Francol.* De discipl. pœn. l. 3. c. 10. n. 4. ait: *Remedium Sacramenti & frequens ejus usus, cum non appareat satis utilis, rationabilius subtrahitur.*

§. 2. Confessarius potest absolvere consuetudinarium prima vice, qua se accusat de peccatis suæ consuetudinis, licet nulla adhuc emendatio præcesserit, dummodo eam serio proponat, præcipue si ultro nemine cogente ad Confessionem venerit, uti habet communissima. Ratio est, quia sic confitens est rite dispositus, & dat spem emendationis, ergo.

§. 3. Si nunc iterum sint signa novi doloris & propositi, recidivus, per se loquendo, potest absolvi. Signa sufficientia novi doloris & propositi pro spe etiam jam secuturæ emendationis sunt, si pœnitens à Confessione facta rarius vel difficiliùs peccarit: si sæpiùs sibi vim fecerit contra tentationem: si occasiones aliquas relapsus vitaverit: si adhibuerit media præscripta contra relapsum: si occasiones externas vitarit: si novum dolorem manifestet, ita ut Confessarius credere debeat, quod se emendare velit: si ex professo ad Confessarium accesserit, quem putabat suggesturum efficaciora remedia: si se offerat ad priora serio & studiosius adhibenda.

§. 4. Inter media emendandi consuetudinarium, primum est, ut semper utatur eodem Confessario, unde si advertatur currere ab uno ad alium, merito dubitari potest de ejus dolore vel proposito, quia adhibere non vult medium, quod utilissimum & fere unicum est, nempe unum Confessarium habere & ejus consilia sequi. Confessarius autem ab eo electus 1. specialiter rogabit Deum pro illo. 2. Conabitur nosse ejus naturam, genium, inclinationes, passiones, ut sic mediis & affectibus naturæ accommodatis eum ducat, quia, quando natura concurrit, res facilius peragitur. 3. Semper ostendet illi benevolentiam & constantem charitatem, nec ullo signo prodet desperationem de emendatione ipsius. 4. Studebit pro inveniendis & suggerendis ipsi aptis remediis.

Contra luxuriam.

1. Fuge conspectum & maxime familiaritatem eam, quæ te ad libidinem movet, qualiscumque & cujuscumque illa sit, nam hic fugiendo vinci-

vincitur: recedendum ab eis, qui loquela, gestu, exemplo vel qualicumque facto ad aliquid turpe excitant. Si hæc efficaciter non caves, vis ignem contrectare & non uri, lutum tangere & non maculari: absque hoc omnia proposita & protestationes tuæ nullæ sunt. 2. Fuge otium & honestis semper exercitiis vaca. 3. Ne nutrias corpus delicate, abstine à vinis fortioribus & calidioribus cibis: si quandoque opus erit sumere, cùm illis incalueris, tum maxime sis cautus. 4. Sensus custodi. 5. Primas scintillas tentationis statim excute, facilius præcluditur malum quàm admissum excludatur. 6. Juvat etiam uti flagello vel cilicio, exemplo Apostoli. 1. ad Corinth. 9. v. 7. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* 7. Pone tibi ob oculos cadaver hominis, quem perdite amasti, vide vermes, saniem, fœdissimam putredinem; audi quid dicat: *Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum: mihi heri & tibi hodie*, Eccli. 38. v. 23.

Contra iram.

1. Scis ipse, per quæ ordinarie ad iram provoceris; ad ista præpara animum per propositum patientiæ, & sic moderatius feres. Cave potationes vel lusus, si occasiones tibi sunt irarum & rixarum. 2. Undecumque sit causa, patiendum est. Cogita quoties Deus justam contra scelera tua conceptam iram continuerit: Deus te patienter fert, & tu vilis homo male vis proximo. 3. Saltem Christo id da, qui hoc à te petit: & quamvis non mereatur proximus, meretur tamen Christus jubens diligere invicem, benefacere his, qui oderunt nos. 4. Moveat te Sanctorum exemplum & in primis Christi, *qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*, 1. Petri 2. v. 23. 5. Quid prodest ira tua? soli tibi nocet, plus proficeres tibi & proximo, si absque passione in charitate corriperes. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, Prov. 15. v. 1. 6. Reflecte super præterita, & advertes plus semper obfuisse tibi iram quàm profuisse. 7. Injuria, quæ fit tibi, plus nocet inferenti. 8. Si quid accidat displicens vel adversum, converte statim animum ad aliud quidvis occurrens: saltem non erumpe statim sed collige teipsum, paucis considerans, an non expediat magis tacere, dissimulare, sermonem alio convertere &c. non crede spiritui, qui statim dicit, de tuo honore hic agitur, id pati non debes, oppone te, repugna, vindica. 9. Si non possis commotionem animi impedire, saltem contine linguam à contumeliis, imprecationibus, blasphemiis, juramentis, *vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga*, Eccli. 23. v. 12. Multo magis contine manum à verberationibus & pugnis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, Lucæ 21. v. 19.

Remedia & adjumenta universalia.

1. Præcipuum & universale remedium ad omnia vitia extirpanda & inferendas virtutes est, ut humiliter & frequenter cum fiducia ores Deum pro gratia & auxilio, ac crebro per pias aspirationes ad eum recurras. 2. Mane propone cavere tale vitium, & vespere de illo examen institue. 3. Frequenter confitere, & quidem statim, si in peccatum fueris relapsus. 4. Frequenter sume Eucharistiam. 5. Fuge improborum & sectare proborum societatem. 6. Lege pios libros, & præsertim S. Scripturam. 7. Considera vitam Christi & Sanctorum. 8. Cogita præsentem tibi semper Deum & Angelos. 9. Pœnas peccatorum perpende, & econtra gaudium ac felicitatem justorum. 10. In pœnam relapsus affige quandoque corpus per jejunium, cilicium, flagellum; injunge tibi eleemosynam, exerce aliquod opus charitatis, misericordiæ, humilitatis. 11. Necessaria est tibi magnitudo animi ad ineunda hæc certamina, certumque victoriæ signum est victoriam magnanimiter sperare. 12. Etiam perseverantia necessaria est, quare nunquam despondere animum: licet millies cadas, surge statim & innova pugnam: ille solum est victus, qui armis & voluntate pugnandi abjectis se Adversario turpiter dedit. 13. Quamvis non statim advertas profectum, non ideo nihil profecisti, nam ut horologii umbram progressam videmus, progredientem non advertimus; ut segetes crevisse apparet, non apparet crescere, ita virtutem crescentem, quoniam minutis constat auctionibus, non facile videas, sed tandem longiore intervallo crevisse videbis: labor ipse pugnandi est continuus profectus in humilitate & patientia, quæ etiam ad vitii victoriam conferent.

§. 5. Quandoque etiam terrendi sunt recidivi propositis extremis hominis, morte, judicio, inferno: item periculo damnationis ob incertitudinem vitæ, ob facilitatem casuum lethalium, ob invidiam dæmonis, qui hominem in mortali constitutum statim è medio tolleret, nisi infinita Dei misericordia impediret. Quandoque movendi sunt objecta passione Christi, quem quoties peccant, iterum crucifigunt, quantum in se est. Etiam terror injici potest proposita Dei justitia per exempla illorum, quos punivit: item proposita abysso judiciorum Dei, qui unicuique homini numerum peccatorum præstituit, quem si impleat, privatur gratia efficace, nec resurgit, sed culpa sua infallibiliter perit, unde merito timeat quisque, ne primus relapsus sit peccatum ultimum. Quosdam etiam movere poterit hæc interrogatio: Quid si homo esset tibi subditus, cui dedisses omnia, quæ habet, ac cumulasses maximis beneficiis, si tamen ille toties, tam deliberate, tam malitiose te contemneret, vilipenderet, & quantum in se esset, è medio tolleret, quid illi faceres? possesne post veniam decies, vigesies aut centies datam adhuc condonare? an non desævires in illum? Idem posset in te Deus, & forte brevi faciet, nisi peccandi consuetudinem abrumpas. Qui tamen sunt ex natura pusillamines vel turbati ingenii, non multum terreri debent, ne in desperationem incidant, sed laudandi sunt, si quid emendarint, & ostendi debet possibilitas totalis emendationis, si vim aliquam sibi faciant, & pergant cooperari gratiæ Dei, quæ eo faciliora reddet omnia, quo ipsi melius diutiusque se continuerint.

§. 6. De pœnitentia illis injungenda. Quibusdam prodest, si imponatur, ut mane prima, vespe-

vespere ultima cogitatio sit de aliqua sententia vel veritate æterna, v. g. *Brevis vita, longa æternitas. Fac ea, quæ moriens facta fuisse voles. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Etiam experiri oportet varia remedia, nam non omnes uno, nec idem homo semper eodem modo juvatur. *Gerson* p. 2. Num. 32. opusc. De præcept. Decal. Capit. 17. dicit sæpe utiliter imponi, ut quoties relabetur, toties det pauperi eleemosynam: *Dicunt,* inquit, *sæpius insipientes aliqui, se à peccato iræ, luxuriæ, perjurii, & si quid est simile, abstinere non posse, qui tamen hoc ipso salubri remedio velut mendaces facillimè confutantur, cum unius Albi vel Franci in emenda cujuslibet transgressionis eis inflicta pœna ipsos à perpetratione injusti operis retraheret.* Etiam potest ipsis pro pœnitentia imponi, ut quoties relabentur, toties pœnam aliquam ipsi sibi imponant statim peragendam: & Confessarius ex hac pœna, quam sibi imponent, colliget, qualis sit conatus & quam efficax desiderium se emendandi.

§. 7. Si habeat Recidivum in materiis plurium peccatorum, non aggrediatur specialiter emendationem omnium simul, sed primo studeat tollere radicem cæterorum, aut illa prius, quæ magis scandalosa sunt, instituto super illis examine particulari, usquedum unum post aliud expugnetur. Quodsi Confessarius fecerit, quod in se est, totum eventum committat Deo, ad quem solum spectat convertere animas: unde nec vane extollatur, si videat consilia sua prodesse, nec dejiciatur, si minus proficiant: Angeli *Jerem.* 51. v. 9. dicebant, *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Denique notat *Carden.* in 2. crisi d. 39. n. 15. quando consuetudinarii advertuntur esse vere pœnitentes, & incipiunt se emendare, monendos esse de confessione generali, prudenter enim timeri potest, ne antehac aliquando confessi sint sine sincero dolore aut proposito, alioquin non tam diu in pessima consuetudine hæsissent.

QUÆRITUR II. *Quid Confessario sit agendum specialiter cum illo, qui frequenter relabitur in pollutiones & peccata mollitiei.*

RESPONDEO.

§. 1. De hoc ita scribit *Toletus* in summa l. 5. c. 13. *Hoc peccatum est difficillimæ curationis, quia occasio semper cum homine est, estque præterea adeo universale peccatum, ut crediderim maximam partem damnandorum infici hoc peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem apud unum eundemque Confessarium, ut fiat ter in hebdomada, si fieri possit, est enim hoc Sacramentum maximum frænum, & qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum à Deo factum vel rarissimum privilegium.* Idem tenet *Polancus* in Director. c. 3. ubi ait, *Crebrò confiteri sacramentaliter multorum remediorum instar alia pleraque complectitur.* De efficacia Communionis contra hoc vitium, dixi l. 6. p. 1. soletque dæmon libidinosis injicere horrorem ab hoc Sacramento, ad quod tanto magis invitandi sunt. Varia tamen remedia habere debet in promptu Confessarius, maxime sub initium, cum advertit pœnitentem incipere se turpiter tangere, ut gravissimè deterreat, principiis enim facilius obstatur, quam malum emendetur, quando invaluit. Remedia, præter ea, quæ hactenus insinuavimus, latè suppeditant *Drexelius* in Niceta, & *Veron* in Manuali Sodalitatis c. 10. *Gobat* autem tr. 7. à n. 548. & *Sporer* n. 333. dicunt se expertos, quod sequentia multis fuerint salutaria. 1. Confessarius inquirat, ad quem Sanctum, vel ad quod mysterium vitæ aut Passionis Christi pœnitens magis afficiatur, tumque ei pro pœnitentia injungat, ut per certum tempus, v. g. usque ad proximam Confessionem mane & vespere dicat flexis genibus, *Domine Deus, qui flammas æternas ignis sulphurei præparasti omnibus libidinosis, statuo coram te, & propono in honorem amantissimi hujus, Patroni mei & Passionis Christi, me hac die, hac nocte abstenturum ab omni turpi tactu mei ipsius:* quando autem actu urgebit tentatio, repetat apud se ea verba. 2. Si consentiat Confessarius, voveat servare castitatem per unam v. g. septimanam: Confessarius autem id non permittat, nisi ubi fere certam speret victoriam, nec unquam permittat, ut voveat in perpetuum. 3. Beatæ Virgini ante aram vel iconem offerat & obstringat manus suas, cum firmissimo proposito eas ob reverentiam ipsius intra tot dies non extendendi ad turpem tactum. 4. Ante Crucifixi imaginem quotidie statuat continere manus suas ad honorem sacrorum vulnerum, quæ Christus pro se in manibus accepit, & ad reverentiam sacratissimi Sanguinis, qui ex illis fluxit. 5. Multis profuerunt hæ precationes ad Christum, B. Virginem, & S. Josephum, dictæ mane, vespere, & quando urget tentatio: *JESU purissime, per sanctam Virginitatem & Incarnationem tuam emunda cor & carnem meam, in Nomine Patris & Filii &c. Purissima Virgo Maria, per Sanctam Virginitatem & immaculatam Conceptionem tuam emunda cor & carnem meam, in Nomine Patris &c. Castissime Sponse Josephe, per sanctam virginitatem & sanctificationem tuam emunda cor & carnem meam, in Nomine Patris & Filii &c.* 6. Quotidie mane & vespere, & quoties tentatio urget, aliquam brevem sententiam volvat in mente, v. g. *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat. Mors certa, judicium formidabile, æternitas infinita. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Stoz l. 2. n. 161. etiam ponit hos versus: **Ich leb, weiß aber nicht wie lang: ich stirb, weiß aber auch nicht wann: ich fahr, weiß wieder nicht wohin: wie kommts, daß ich nit frömmer bin?** Quamdiu vivam, nescio; nec mortis horam præscio; vado, sed quo, non video; mirum, quod me non corrigo. 7. Quando tentatur, reflectat se ad Deum sibi præsentem, qui severissime judicabit etiam de hac actione. Item ad Angelum custodem, qui accusabit. 8. Potest etiam incuti metus abbreviandæ vitæ, ut sic motiva naturalia etiam impellant ad exequenda supernaturalia, certum enim est hoc vitio exhauriri summe vires corporis, ac per singulas pollutiones plus tolli roboris, quam si libra sanguinis efflueret, hinc sæpe fit, ut hi fiant phthysici aut alia tabe corporis præmoriantur. Alia media suggeret prudentia, usus, circumstantiæ, & in primis Spiritus S. Quod si nulla remedia juvent, Confessarius suadeat pœnitenti, ut ingrediatur Matrimonium, si ætas ferat, aut quan-

doque etiam ſtatum religioſum, ſed talem, in quo ſit rigor & diſciplina. Vix unquam ſuadeat ſtatum eccleſiaſticum, inquit *Sporer*, quia in hoc ſtatu vitium illud nimis facile invenit fomenta ſua & occaſiones majoris ruinæ.

§. 2. Illi, qui ſe emendant, ſæpe affliguntur nocturnis pollutionibus, quas antiquæ imaginationes obſcœnæ cauſant, ſed terreri non debent, nam quia natura aſſuevit conficiendo ſemini, quod non amplius per diem effunditur, hæc ſe exonerat in ſomno. Circa miſeriam illam dat hoc conſilium *Gerſon* p. 2. Num. 38. opuſc. De pollutione diurna, prop. 12. *Pollutio diurna vel nocturna, dum ſentitur effluere, non debet violenter prohiberi, ſi probabiliter exiſtimetur, quod hujuſmodi violentia fruſtra eſſet: nihilominus pro exercitatione virtutis & pro evaſione periculi videtur expediens, ut homo conetur prohibere, quantum ſentit, vel experitur commode fieri poſſe, quoniam etſi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ: natura denique poſtmodum uno modo vel alio talem humorem à ſe ejicit.*

QUÆRITUR 12. *Quid obſervare debeat Confeſſarius alicujus conſtituti in occaſione proxima peccandi.*

RESPONDEO. Num. 256. dixi illum peccare, qui ſe exponit formali periculo vel certo vel etiam probabili tantum, aut qui voluntarie manet in occaſione proxima peccandi: & ideo n. 271. dixi talem occaſionem eſſe vitandam cum quocunque incommodo, etiamſi mors eſſet ſubeunda: ac conſequenter concubinarium vel quemcunque alium actu peccare, & ne quidem ſemel abſolvi poſſe, qui domi retinet mulierem, ob quam ipſe eſt in periculo vel occaſione proxima peccandi. Si tamen nunc eſſet nova & certa ſpes ex prudentibus motivis, quod illam eſſet proxime ejecturus, aut quod talem occaſionem per aliqua media ſibi ſuggeſta redditurus eſſet ex proxima remotam, adeoque facturus, ut hoc, quod hactenus ipſi fuiſſet formale periculum, poſtea eſſet materiale tantum, ſecundum dicta ibidem à n 259. abſolvi poſſet pro illa vice: attamen dixi ibidem non eſſe hoc facile credendum. Et poſtea ſi per experientiam adverteretur, quod permaneret periculum proximum relabendi, omnino abſolvi non poſſet, niſi actu antecedenter removiſſet talem occaſionem, uti ibidem à n. 280. expoſui & per plura exempla declaravi. Si pœnitens obtendat, ſe non poſſe vitare certam domum vel perſonam, dic ei; ſi eſſet periculum in domo vel a perſona illa contrahendi peſtem, nunquid invenires modum & prætextum vitandi? jam multo magis, quia tibi afflabitur peſtis animæ, quod per experientiam ſcis.

QUÆRITUR 13. *Quid obſervare debeat Confeſſarius hominis pudibundi, puſillanimis, deſperantis de emendatione.*

RESPONDEO.

§. 1. Si advertat pudore deterreri, quo minus confiteatur, animet his motivis: Debebis tandem aperire omnia vulnera animæ, & quo diutius exſpectas, eo pejus ac difficilius eſt. Tu occultiſſimos morbos corporis aperis amico vel Medico, ut ſaneris, cur non magis morbos animæ, cum ſcias Deum non aliter remiſſurum eſſe peccata? Non melius eſt ſe coram uno ad ſilendum obligatiſſimo aperire cum certa ſpe veniæ, quam poſtea in extremo judicio coram toto mundo propterea confundi cum certa damnatione? ibi latere erit impoſſibile, comparare intolerabile. Quid refugis te aperire coram homine, ſimili tibi peccatore, cui novum non eſt talis, & forte graviora audire? Sacerdos ea, quæ in confeſſione ſcit, minus ſcit, quam quæ ipſe neſcit, quæ enim neſcit, ſcire poteſt & ea revelare, quæ autem in confeſſione ſcit, etiamſi aliunde ſciverit, ea tamen ratione ſcandali revelare non auſit. Hæc carnificina conſcientiæ, quæ te jam torquet, moleſtior cenſeri debet, quam glorioſa ſui victoria, quam pax & quies animæ conſequetur: pus non cruciat, poſtquam eſt ex ulcere egeſtum, ſic nec peccatum remordet, poſtquam eſt in confeſſione detectum. Si erubeſcentiam iſtam non potes ſuſtinere coram uno, quomodo ſuſtinebis coram toto mundo? Diabolo fidelior es, quam Deo, qui illius conſilia contra Deum & in tuam etiam perniciem detegere metuis: aliter non diſſolves fœdus cum eo, quam per Confeſſionem peccatorum. Erubeſcentia peccatorum data eſt à Deo in ſatisfactionem pro præteritis, in medicinam & cautelam contra relapſus: e contra nequiſſimus dæmon illa abutitur ad augenda ſcelera: & qui abſtulit pudorem peccaturo, reddit confeſſuro, ut jam pudeat mundari, cum non puduerit coinquinari. Non erubuiſti peccare in conſpectu Creatoris, & jam in conſpectu creaturæ confiteri erubeſcis. Si pœnitens ſit capax lectionis, detur ei legendus *Viexmontius* in Inſtit. ad pœnitentiam parte 4.

§. 2. Puſillanimis erigitur his motivis ad ſperandam miſericordiam: Quia Deus eſt pater, qui filios prodigos in primam gratiam amantiſſime recipit, *Lucæ* 15. Medicus eſt, qui venit ſalvum facere, quod perierat, *Matth.* 18. Paſtor eſt, qui oves errantes quærit, & in humeris ad ovile lætus reportat, *Luc.* 15. Redemptor eſt, qui quos ſanguine ſuo comparavit, non abjiciet: venit vocare non juſtos ſed peccatores, *Matth.* 9.

§. 3. Si quaſi deſperet de emendatione, erigat his motivis: Nulla ſunt peccata, quæ per Dei gratiam vinci emendarique non poſſint: neque Deus vult mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur & vivat, *Ezech.* 18. Si deſperes de tua ægritudine, præſume de Medico omnipotente: major eſt potentia Medici, quam magnitudo tui morbi. Si potuit te dæmon perdere, quanto magis poterit te Deus reſtituere? Qui pro totius mundi peccatis mortuus eſt, voluit etiam tibi mortem ſuam prodeſſe. Neſcis, quam potens ſit & miſericors Deus: imaginaris eum tibi infenſum, cum benigniſſime invitet ad pœnitentiam: confide, quia multus eſt ad ignoſcendum. Tantummodo incipe, & ſenties auxilium ejus: qui dat velle, dat perficere. Difficultatem apprehendis majorem, quam re ipſa ſit: putas te abſtinere non poſſe, ſed potes: ſi ſcires te perditurum oculos relabendo hodie, nonne abſtineres? vides, quod mentiaris tibi, dicendo te abſtinere non poſſe: ſaltem hac die abſtine pro honore Chriſti pro te tam dura paſſi, cras pro-

pones

pones similiter pro die isto, & quotidie majus Dei auxilium senties.

§. 4. Si animo concidat, quia post adhibitum conatum pergit turpissimè tentari, aut etiam quandoque relabi, excitet his motivis: Hæc Dei bonitas est, quòd recordatione præteritorum te affligat, ut tantò magis detesteris, & pro illis satisfacias: si non tentareris, minùs esses cautus. Dæmon te non ita tentabat, cùm ei servires, quia possidebat te, jam fortius tentat, ut te sub servitutem iterum reducat: sed jam Dei servus es, qui major & potentior Dominus est, dummodo illi serio adhæreas: vide, quomodo parvus David in virtute Dei superarit magnum Goliam. Si relaberis, statim resurge, id enim est ex fragilitate naturæ per consuetudinem fractæ: quandoque etiam est ad majorem profectum, ut infirmitatem tuam humiliter agnoscas, & scias te per solius Dei gratiam posse constantem manere. Si non cessas recidere, non cesses resurgere: nonne mundas calceos, quamvis prævideas iterum inquinandos? Nonne miles curet vulnera, quamvis nova prævideat in similibus prælîs? Incarceratus, si exire nollet, quia timeret iterum incarcerari, nonne stultus esset? sic & tu nolens pœnitere, quia times relabi: an putas minus malum esse continuare peccare quàm aliquando cessare? An ignoras eam esse certaminis conditionem, non ut nunquam quis cadat, sed ut nunquam cedat? non is victus dicitur, qui sæpe recidit, sed qui ad extremum cessit.

Quæritur 14. *Quomodo aget Confessarius cum homine, quem advertit seriam pœnitentiam differre velle in alia tempora fortè etiam usque ad mortem?*

Respondeo: Conabitur ad indilatam pœnitentiam adducere his motivis: Valde instabilis est vita hominis, mors certissimè eventura, sed incertissimum, quo tempore, modo, loco: docent id experientia & casus quotidiani. Pars major hominum ante annum 50. in æternitatem abripitur: Deus, qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti crastinum non promisit: angelum peccantem non exspectavit ad pœnitentiam: Adamum mox à peccato extra Paradisum expulit: sicut benignus est in tolerando, ita justus in puniendo: & quem vult convertere, exspectat ad tempus præfinitum, statuit cuique terminum, qui præteriri non poterit: jam admonuit *Eccli. 5. v. 8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te:* monuit te per Evangelium, *veniet, cum minimè putabis, sicut fur de nocte: vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Voluit Deus latere ultimum diem, ut velut ultimum observaremus omnem diem. Quis cautus non esset in omni cibo, si sciret uni adhærere venenum? sed dicis, jam tam diu vixi, nec me mors obruit: hoc ipsum fuit Dei beneficium, qui quo magis est jam longanimis & misericors, eo severior & districtior adveniet; quem enim, ut convertatur, exspectat, non conversum durius damnat. Si tibi multi dies sine morte præterierunt, hoc ipso jam es morti vicinior: avicula, quo diutius insidet ramo, magis exposita est telo jaculantis: seu vigiles seu dormias, magis morti appropinquas, cui vicinior es, quàm putas: mors senibus in januis est, juvenibus in insidiis. Re mutuo accepta ad utilitatem corporis, statim uteris, quia scis brevi repetendam; sic utere nunc vita mortali tibi ad dies incertos concessa, ut æternam non amittas. Pœnitentia ad finem dilata est difficillima, & vix seria: putasne, quod arbor, quæ vix viruit, & nunquam rectè floruit, fructus proferat, cùm propè aruerit, jamque exscindenda erit? Audi *Augustinum:* sic enim refertur, de pœn. dist. 7. *Si quis pósitus in ultima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam . . . pœnitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus: numquid dico, damnabitur? sed non dico, liberabitur: vis ergo à dubio liberari, vis, quod est incertum, evadere, age pœnitentiam, dum sanus es . . . . si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Deus, ut peccata remittat, humani arbitrii vult libertatem non necessitatem, in fine vitæ vult charitatem non timorem, & quomodo tu ad charitatem assurges? solo terrore instantis gehennæ concutieris: non convertes te ad Deum, quia bonus est, sed quia justus, & jam jugulo instat per damnationis sententiam. In tota Scriptura non invenitur nisi bonus latro, qui in fine verè pœnituerit, ille, ut nullus desperet; solus, ut nullus præsumat. Multa præterea languentem impediunt à vera pœnitentia, avulsio à temporalibus ita perditè amatis, dolores acutissimi corporis, obtusio sensuum, remorsus, terror, inquietudo conscientiæ, incertitudo instantis judicii, tentatio desperationis propter Deum tamdiu contemptum, propter neglectum tempus pœnitentiæ, propter rejectas gratias: *fit justo Dei judicio*, inquit *Gerson* p. 2. n. 32. de præcept. Decal. Capit. 17. *ut qui pœnitere de commissis cum possunt, non velint, cum velint, nequeant*, non enim tenetur Deus omni momento dare efficaces gratias, nec tenetur semper, quando velles, sed tu teneris, ubi & quando ille vult. Dæmon eo articulo non feriabitur, hic extremas artes adhibebit: creditur visibili specie apparere multis, ingerit tum priorum voluptatum recordationem, turbat phantasiam, ad desperationem sollicitat. Cur putas ita sudare agonizantes, contorquere oculos, dirum intueri? fortè multi non tam ex vicinia mortis quàm propter angustias cordis. Si viri sancti deprehensi in eo articulo exterriti fuerunt, quid fiet tibi? Qua temeritate speras tum temporis converti, quando perfectissimi homines timent perverti? Etiam dato, futurum esse, quòd in fine vitæ per Dei misericordiam pœniteas, nam in primis si grave est nunc pœnitere, gravius erit in senectute, cùm prava consuetudo erit robustior & ætas ad patiendum infirmior: quò diutiùs rubigo est in ferro, tantò difficiliùs eraditur; sordes, quantò diutiùs in vase relinquuntur, tantò ægriùs avelluntur. Deinde quid hic brevis voluptas ad diuturnam pœnam, quam meretur & auget? numquid facilius nunc est diem insumere pœnitentiæ, quàm in acerbissimis saltem purgatorii pœnis pati ad annos? crescunt autem debita pœnarum cum culpis, & incredibile est illis subitò remitti pœnas, qui ita temerè cumulant culpas. Neque confide in hæredum suffragiis, cum sæpitu peri-bit

bit memoria tui, clamares usque ad diem judicii, *miseremini mei*, & non exaudirent. Alterutrum eligendum, vel hic pati modicum pro peccatis cum ingenti merito novæ gratiæ, vel ibi torqueri multum sine augmento gratiæ vel gloriæ. Plus valet in mundo cum pœnitentia dies unus, quàm in Purgatorio cum gravissima pœna annus integer. Præterea certum est, quòd gaudium bonæ conscientiæ & delectatio justorum longè major sit voluptatibus impiorum: sola sui victoria sub initium difficilis est, nam si probi postea cruces habent, sunt unctæ; si spinas sentiunt, ornantur rosis; si experiuntur laborem, sciunt æternam esse mercedem: non sunt condignæ passiones tam brevis vitæ, si comparentur ad culpam, quæ remittitur, ad consolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriam, quæ promittitur, ô si impius vel levi gustu spiritualem prælibasset delectationem, facilè pro ea vilipenderet omnem aliam voluptatem. Accedit, quòd peccator per pœnitentiam optet post mortem æternùm frui Deo Ter Optimo Maximo, quàm ergo inhonestum est, & quàm pudebit ipsum, florem ætatis immolasse vitiis, & fæcem senectutis Deo reservasse? Denique qui differt pœnitentiam, magnis se gaudiis æternum privat, quidquid enim operis fit extra gratiam, manet mortuum nec per pœnitentiam postea fit vivum. Videat igitur, quantis se periculis exponat, quantis objiciat malis, quantis privet bonis, & cito resipiscat.

QUÆRITUR 15. *Quid aget Confessarius hominis nolentis condonare, indurati, desperantis de salute ob peccatorum multitudinem.*

RESPONDEO: §. 1. Nolenti condonare rotundè dicat, nec absolvi nec peccatum dimitti posse: & siquidem hoc sciatur extra Sacramentum, inducendi sunt alii homines ipsi amici, qui de adversario molliter loquantur, declarando eum bene loqui de ipso, laudando prout possunt &c. Deinde proponendum exemplum Christi & Sanctorum, etiam orantium pro suis hostibus. Revocandum in mentem, quid oret quotidie, nempe, *& dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*, itaque si non dimittat, rogat sibi non dimitti. Præterea proponenda Dei voluntas dicentis, *mihi vindicta, & ego retribuam*, hinc in jus Dei involat ille, qui vult vindicare se ipsum. Item proponenda Christi sententia *Matth.* 18. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Si his non flectatur, roget, obtestetur, etiamque exhibita Crucifixi imagine adjuret per sanguinolentas plagas, ut si non hosti, saltem condonet injuriam Christo, qui peccata omnium in se sumpsit.

§. 2. Peccatori indurato dic, non tam malum esse cecidisse, quàm post lapsum nolle resurgere. *Stoz* eundem ita aggreditur: Si enorme crimen publicè commisisses, & jam veniret severissimus Judex cum ministris, qui te ad carcerem, & postea ad ignes, rotas, mortem acerbissimam essent tracturi, nisi deprecareris culpam, nunquid statim provolutus in genua id faceres? sed nunquid credis Deum esse Judicem ita justum & rigidum, ut nullum delictum possit relinquere impunitum? An non credis hic esse præsentem cum tota sua omnipotentia, qua te hoc momento ad infernum detrudere posset, si vellet? imo adsunt Dæmones, qui tibi collum obtorquerent, nisi Deus impediret? Itaque prostratus ad pedes Domini dic, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Si non concutiatur Dei timore, conare emollire amore, propositis Dei beneficiis & bonitate, de quibus *Regin.* de Off. pœnit. c. 5. f. 2. & 3. Plura suggerunt *Arsd.* §. 7. & *Lohner* §. 2. à n. 5.

§. 3. Si æger sic obstinatus confiteri non velit, ora pro illo: submitte hominem ei gratum, qui pœnitentiam suadeat, insinua te suaviter, de aliis rebus ei gratis loquens, & conare subinferre, saltem obesse non posse, si propter vitæ incertitudinem paulatim se ad Dei gratiam disponat; hoc ipsum posse conferre ad recuperandam sanitatem. Si non moveatur, inquire in causam istius obstinationis, & conare eam removere. Si pergat renuere, propone justa judicia Dei, qui non irridetur, nec dat gratias, prout volumus, sed nostrum esse cooperari, quando dat: æternitatem sequi, quæ à statu animæ, tempore mortis futuro pendeat. Si adhuc resistat, fac etiam à Medicis edici præsens mortis periculum. Potest etiam ipsi ob oculos poni, quàm miseranda sit in morte desperatio animæ in obduratione decedentis, nam 1. videt se deserere omnia & ab omnibus deseri. 2. Exhorrescit ad conspectum Dæmonum, qui totius vitæ peccata iterum memoriæ objiciunt. 3. Sentit se jam à corpore extrudi in infelicem æternitatem. 4. Ipsa jam sibi pronunciat Dei judicium, cognoscendo se perditam in æternum, sine spe tormenta æterna evadendi. Legatur *Viexm.* p. 1. c. 7. & de pœnis inferni c. 8. Item *Vogleri* Trostbronn l. 5. c. 3.

§. 4. Si dicat, major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear: reponat, major est Dei pietas quàm tua impietas; major Dei misericordia quàm tua miseria; majora Christi merita quàm tua demerita: peccata tua sunt finita, Dei pietas & misericordia, Christi merita sunt infinita: peccata omnia collata ad Dei misericordiam & ad Christi merita sunt velut aquæ guttula ad mare: secundùm multitudinem miserationum suarum delebit multitudinem iniquitatum tuarum, hoc ipse promisit *Ezech.* 23. *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Desperatio maximè injuriosa est Deo: Judas magis peccavit in eo, quia desperavit, quàm quod Christum tradiderit. Exempla misericordiæ sunt Ninivitæ, David, Nabuchodonosor, Magdalena, Latro &c. legatur *Viexm.* p. 6. c. 2. & 3. *Regin.* c. 5. f. 1. Etiam juvat tali desperanti revocare ad memoriam bona, quæ fecit aliquando, secundùm illud *S. Greg.* Moral. l. 22. c. 5. *Sicut dum vivimus, debemus bona nostra à memoria repellere, ne extollant, ita appropinquante exitu plerumque ea ad memoriam justè revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant & desperatum timorem premant.* Et quomodo etiam in articulo mortis possit pœnitentia agi, rectè deducit *Viexm.* p. 6. c. 6. Exempla, quibus spes nostra ex Dei bonitate & misericordia erigitur, affert *Voglerus* suprà l. 3. c. 11.

QUÆRITUR 16. *Quid observare debeat Confessarius captivi vel condemnati ad mortem?*

RESPONDEO: §. 1. Si teneatur ob crimina,

na, quæ non negat, tum audiri potest, uti & plerumque tum, quando sua sponte petit confiteri.

§. 2. Non spondeat se fore patronum pro ejus vita, tum enim non ita serio se disponit, & si spe cadat, facile alienabitur à Confessario, hinc potius disponat ad exspectandam resignatè veluti de manu Dei quamcunque sententiam, interim profuturum, si de peccatis serio doleat, & in satisfactionem offerat ignominiam & molestias carceris. Nihil æquivocè loquatur cum illo, ne postea conqueri possit se deceptum, quod potest esse causa gravis perturbationis in fine vitæ.

§. 3. Si Reus est, & teneatur crimen etiam capitale fateri Judici hic & nunc legitimè interroganti, suadere imo & obligare potest, ut fateatur, nec ideo fit irregularis, *Vasq. Turr. Lugo, Aversa* q. 16. f. 14. quod *Arr.* d. 43. n. 26. dicit sibi esse evidens, quia non est credibile Ecclesiam voluisse imponere irregularitatem actioni, ad quam hic & nunc tenetur Confessarius pro salute æterna sui pœnitentis.

§. 4. A fuga suadenda abstineat Confessarius.

§. 5. Confessarius non indicet ipsemet sententiam mortis Reo, sed permittat id fieri per alium: nec proponat ei tristia, sed consolatoria & excitantia ad spem æternæ felicitatis.

§. 6. Si possit, adducat Reum, ut dormiat nocte ante mortem, alioqui deficiet viribus capitis.

§. 7. Non præest Reum, aut si sistat, non moneat, ut pergat, sed sequatur ipse, & sistenti se accommodet.

§. 8. Si existens in scalis adhuc confiteri velit, si prius jam confessus est, & Judex difficulter concederet descensum, moneat de dolore eliciendo, & ibi absolvat: si autem ex pertinacia antea non fuit confessus, rogandus Judex, ut permittat descendere.

§. 9. Si per testimonia plenè convictus, neget crimen, *Suar.* & *Sanch.* nolunt absolvi: *Avers.* f. 11. rectè dicit, si saltem dubiè præsumi possit non fecisse, absolvendum, quia hic potius credendum Reo: si autem ipsemet Confessario sit fassus, non esse absolvendum, nisi velit etiam in judicio fateri, quia ad hoc tenetur.

§. 10. Nec ante, nec post supplicium quidquam dicat contra Judices, sed solos privatim admoneat, si opus, debet enim stare pro authoritate Judicum, ne Reos concitet, & sic mortem impatientius admittant.

QUÆRITUR 17. *Quid agendum sit Confessario hominis ebriosi, vel habentis ebriosam uxorem?*

RESPONDEO.

§. 1. Ebriosus obligandus est ad declinandas occasiones bibendi, vel ad bibendum non plus, quàm sciat per experientiam se posse portare. Si monitus non faciat, in pœnam injungenda abstinentia à potu inebriante diebus illis, quibus prævidetur futura occasio. Si bibere debet, eo quòd cogatur prandere vel agere cum aliis bibentibus, nec omnino possit nequidem per fraudem declinare haustum, suggerenda sunt præservativa & naturalia remedia pro cavenda ebrietate, qualia colligit *Gob.* in Quin. t. 5. c. 5. f. 1. & 2. Peccat tamen venialiter, qui talibus præservativis utitur sine justa causa, & tantum ideo, ut ultra debitum possit bibere, hæc enim est intemperantia, & per tales potationes valetudo frangitur.

§. 2. Ut possit se excusare & paulatim appetitum inordinatum corrigere, voveat per aliquod tempus abstinere à vino, vel non adire tabernam, aut saltem voveat non bibere ultra id, quod scit se ferre posse sine periculo ebrietatis. Quodsi voveat omnino abstinere à vino, votum non debet esse ad longum tempus, nequidem ad mensem integrum, tum quia hoc erit ipsi nimis difficile, ideoque vix observabit, tum etiam quia post bepar accensum & assuetum stomachum, si nimis subitus & violentus sit transitus ab extremo ad extremum, patietur valetudo, unde consultius erit obligare, ut paulatim sibi subtrahat aliquid, donec periculum inebriandi evaserit.

§. 3. *Matthias Faber* Conc. 5. Domin. 16. post Pentec. dat ebriosis supra 5. digitos consideranda hæc quinque puncta. *Quid fecisti? quantum perdidisti? qualis per ebrietatem evasisti? Quæ supplicia meruisti? Quid jam toties promisisti?* Etiam prodest injungere illi, ut à Confessione domum reversus dicat uxori, si hæc sobria sit & prudens; video, quanta mala mihi, tibi, prolibus, rei familiari afferat mea damnata ebrietas, plane constitui cum bono Deo vitam sobriam instituere, & quia nosti tempus atque occasiones, quibus soleo in eam miseriam prolabi, quoties videbis periculum adesse, mone me, impedi etiam invitum, & postea agnoscam te bene egisse, sic enim volo fieri. Plura suggerit *Gob.* f. 3. §. 4.

§. 4. Si vir apud Confessarium conqueratur de uxore ebriosa, quærendum, an non ipsemet sit ebriosus: si affirmet, dicendum, ut corrigat se primum, quia ebriosus frustra sobrietatem requirit in alio. Si neget, suadendum, ut uxori ad mensam concedat, quantum similis conditionis mulieribus concedi solet, aut etiam aliquanto plus. Si sic nil proficiat, utatur rationibus accommodatis ad persuadendum, ut abstineat, etiam aliorum authoritatem interponat. Si neque hæc juvent, minetur verbera: addit *Gob.* ut etiam det, ubi opus, in tali enim casu dicit licitum esse verberare uxorem, etiamsi sentiat ad plures dies. Per experientiam alicujus pœnitentis scio, quod exemplum viri sobrii, patientia & moderata ejusdem admonitio plus potuerint, quàm verbera vel rixa.

§. 5. Sive vir sive mulier in ebrietate tumultuetur, alter, qui sobrius est, non objurget vel obstrepat eo tempore, sed patienter sileat, alioquin malum magis exasperat. Cogitet prudens fuisse illud *Recipe* Medici, datum mulieri, ut quamdiu ebrius maritus tumultuaretur, ipsa de aqua, quam in phiala dabat (erat autem naturalis) partem aliquam ore clauso retineret. Simile fuit factum chirurgi, qui vocatus ad curanda vulnera à marito inflicta uxori, primum emplastrum applicare voluit ori mulieres, dicens hoc vulnus & foramen esse ante omnia sanandum.

QUÆRITUR 18. *Quid observandum sit circa hominem conversum ad fidem.*

RESPON-

Respondeo.

§. 1. Examen pro confessione non debet rigide institui cum converso, neque dandi longi catalogi peccatorum, hæc enim ipsum terrent: Dicat Confessarius, cùm ipse dixerit, quod occurret, se reliqua interrogaturum. Nec expedit, ut ab illo exactè petatur numerus singulorum peccatorum, ne nimium fatigatus apprehendat onus confessionis esse gravius, quàm ut postea ferre possit, unde petere non debet, quoties non jejunasti? carnes comedisti die vetito &c.? sed sic procedat. Quot annos habes? Nunquid accusas te, qnod à tempore usus rationis neglexeris omnia præcepta Ecclesiæ? Quoties per annum solitus es adire cœnam hæreticam? nunquid plerumque quater vel quinquies? sic enim Confessarius sufficienter agnoscet numerum peccatorum illorum. Si tamen specialem aliquem contemptum Papæ vel Ecclesiæ habuerit, aut dixerit blasphemias vel calumnias contra Ecclesiasticos, plusquam regulariter fiat ab hæreticis, aut dederit scandalum in rebus fidei, vel alios perverterit, vel in hæresi detinuerit, hæc essent speciatim explicanda, *Verjuys*. tr. 9. a. 2.

§. 2. Quamvis convertendus gravia afferat peccata, non arguat illum Confessarius, sed potius ad spem veniæ excitet, dicens mirum non esse, quod destitutus Sacramentis ita lapsus sit. Nec ab initio gravem imponat pœnitentiam, sed invitet ad proximas Indulgentias.

§. 3. Multi cum *Laym*. dicunt quemvis approbatum posse absolvere ab hæresi materiali. Quia tamen timeri poterit, ne fuerit formalis, si quis non habeat speciale privilegium, expedit remittere ad alium, qui habet, aut talem facultatem petere.

§. 4. Cautus esse debet Confessarius, ne talibus, qui se dicunt converti velle, nimium credat, aut multa appromittat, vel commendet aliis, tales enim quandoque sunt homines fraudulenti, qui non quærunt salutem animæ, sed sustentationem vel alia temporalia aucupantur. Hæc aliaque plura *Lohner* de Conversf. Apost. p. 2. c. 2. §. 1. Facillimum autem medium convincendi Acatholicum est, probare Ecclesiam Catholico-Romanam esse veram Christi Ecclesiam, eo quod illi soli conveniant Notæ veræ Ecclesiæ, quod nempe sit *una*, *sancta*, *Catholica*, *Apostolica*, ac consequenter quidquid illa proponit credendum, id esse verum.

Quæritur 19. *Quid observare debeat Confessarius ægri vel moribundi?*

Respondeo.

§. 1. Confessarius ægri non statim ingerat mentionem confessionis, nisi esset periculum mortis, sed amice salutet, quærat de morbo, doloribus, quiete &c. suadeat resignationem in manus Dei, qui vitæ & mortis dominus est. Captata occasione insinuet expedire confessionem, antequam invalescat vis morbi, qui difficiliorem reddit: nec id posse obesse, sed profuturum pro quiete animæ, & etiam pro salute corporis. Si resolvat jam confiteri, præeat in actus necessarios, sublevando illum & alleviando onus confessionis, quantum potest. Si pro confessione dilationem petat, concedat, sed conetur efficere, ut determinet tempus, quo redeat, ne pergat differre. Videat, ut aqua lustralis & effigies Christi Crucifixi sit ad manum apud ægrum.

§. 2. Expedit, ut quivis recens ordinatus Sacerdos ex libris aut aliunde speciales sibi componat industrias & modos, agendi cum ægris ac juvandi moribundos. Modum suaviter abducendi à nimio desiderio vitæ & timore mortis, proponit *Polanc*. c. 9. & 10. Modum tractandi ægrum impatientem, habet c. 11. Quomodo juvandus tentatus in fide vel per desperationem, c. 12. & seqq.

§. 3. Confessarium ordinarie posse sub conditione absolvere moribundum, quamvis jam non sciatur dare signa pœnitentiæ, si hoc saltem dubie præsumi possit. 1. Talis moribundus aut etiam postea mortuus absolvi non potest ab excommunicatione in ordine ad sepulturam, nisi dederit evidentia signa pœnitentiæ, uti decernitur Cap. *A nobis* 28. de sentent. excomm. Attamen in ordine ad absolutionem à peccatis nulla est reservatio pro articulo mortis. 2. Si æger ante delirium petiit absolvi, quamvis in delirio dicat se nolle, potest & debet absolvi, quia voluntas antecedens habitualiter permanet, & nunc nescit, quid dicat. 3. Milites post conflictum moribundi in exercitu Catholico, cui permixti sunt Acatholici, rectè absolvuntur sub conditione, eo ipso quod de exercitu Catholico sint. Quodsi exercitus ex majori parte sit Acatholicus, vel si milites ante noluerint confiteri, *Schild*. & *Arsdek*. putant vix debere dari absolutionem, sed probabile est dari posse sub conditione illis, qui capaces sunt.

§. 4. Si Catholicus Sacerdos intelligat hominem Acatholicum esse ad extrema deductum, potest cum eo elicere actus Fidei, Spei, Charitatis, perfectæ contritionis de peccatis, manendo in illis, quæ nobis communia sunt cum hæreticis. Quodsi patiantur circumstantiæ, potest posteà rogare, an non, si sciret se non esse in vera fide, vellet amplecti aliam, & facere omnia ad salutem necessaria, an non vellet confiteri & absolvi, si hoc ad salutem foret necessarium. Si ad hæc annuat, secundum *Gob*. absolvi potest sub conditione, *si dispositus es*, ideoque docet *Caram*. quod Lutheranus dicens, *ò Deus! morior in vera Religione, utra sit vera, nescio, tu scis: propitius esto mihi peccatori*, possit absolvi: *Vindex Gob*. ad prop. 4. addit, si spes sit, ut Religionem Catholicam admittat, hanc proponendam: si autem absolute renuat, posse ita disponi & absolvi, potest enim esse hæreticus materialis tantum, qui quamvis absolute posset salvari per contritionem perfectam, tamen cum hæc sit difficilis, & ad valorem Sacramenti sufficiat dolor inferior, pro necessitate serviendum est moribundo, prout securissimè fieri potest.

§. 5. Quibus dari debeat Viaticum, & quoties dari possit in eadem infirmitate, etiam non jejuno, dixi in l. 6. p. 1. à. n. 604. Quibus extrema Unctio, dicam, à n. 2084. Quandonam autem censeatur esse periculum vel articulus mortis, dixi hic n. 1559.

§. 6.

§. 6. Si moribundus videatur esse destitutus auditu, sæpe vox per nervos sensorios delata melius percipitur, si formetur supra caput ad cranium, quàm in aures ipsas, uti experientia quorundam docuit: unde expedit ibi inclamare moribundo. Dixi, Parochum non satisfacere officio suo, si moribundum extremis munitum destituat.

QUÆRITUR 20. *Quid notandum sit circa Confessarium illius, qui tenetur ad restitutionem famæ vel aliorum bonorum?*

RESPONDEO.

§. 1. Tenetur eos admonere de obligatione restituendi.

§. 2. *Caj. Molin.* & alii communiter dicunt non esse absolvendum, qui ante hac admonitus non restituit: quod *Lugo* dicit regulariter esse observandum, nam sicuti voluntarie manens in periculo proximo peccandi non potest absolvi, ita neque hic, merito enim timetur relapsus, cujus experimentum dedit. Si tamen jam essent circumstantiæ, ex quibus colligeretur magis serio velle & probabiliter facturum, absolvi posset, attamen rectè injungetur, ut prius ad Communionem non accedat, quàm actualiter restituerit, nisi esset specialis ratio etiam hoc permittendi. *Trident.* Seff. 25. de Reform. c. 12. præcipit, ut qui decimas non solvit, aut impedivit, ne solverentur, non absolvatur, *nisi plena restitutione secuta*: quod tamen plerique cum *Sanch.* in Decal. l. 2. c. 20. n. 10. intelligunt, nisi excuset impossibilitas restituendi. Motiva permovendi ad restituendum proponit *Viexm.* tota parte 2. nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: nec debet is apud hominea timere confessionem, qui vult apud Deum invenire gratiam, quæ temporalibus bonis utique præferenda est. Et quid proderit tacuisse hanc obligationem suam vel hæredibus aliena relinquere? certe ista tantùm conferent ad damnationem & ad impediendam quoad cætera Dei benedictionem. Juvat etiam interrogare pœnitentem, quid vellet sibi fieri, si ablata sibi essent bona fortunæ vel famæ, an non vellet sibi restitui? hinc faciat hoc alteri, quod sibi fieri vellet.

QUÆRITUR 21. *Quid observare debeat Confessarius fatui, surdi, muti, hominis linguæ peregrinæ?*

RESPONDEO.

§. 1. Qui scitur esse plane fatuus, absolvi non debet, quamvis genuflectat, se accuset, tundat pectus, id enim facit, quia vidit & audivit alios facere: & re ipsa capax non est peccati vel actuum supernaturalium ad absolutionem prærequisitorum. Semifatuus est capax peccati, cùm habeat libertatem saltem imperfectam, unde si prudenter judicetur, quod hic & nunc habeat saltem imperfectè actus ad pœnitentiam prærequisitos, potest absolvi saltem sub conditione, ubi dubium est, etiam singulis mensibus, inquit *Gob.* t. 7. n. 468. Ut verò quis credatur non esse plane fatuus, non sufficit, quòd distinguat inter status hominum, exhibeat reverentiam Clericis, aliqua mandata rectè exequatur, hæc enim fieri possunt sine libertate & absque discretione inter bonum & malum morale: itaque in hoc consuli debet judicium prudentum, & si dubium sit, an sit semi an plane fatuus, in articulo mortis disponi debet, quantum potest, ad pœnitentiam, & absolvi sub conditione.

§. 2. Qui quandoque delirant, quandoque sapiunt, possunt tempore lucidi intervalli absolvi, non aliter ac illi, qui semper sapiunt. Qui in aliquo tantum objecto delirat, v. gr. si se putet esse Regem, & in reliquia non det signa amentiæ, absolvi potest, quia talis deliratio oriri potest aut per species circa hoc objectum tantum, turbatas vel male ordinatas; aut per apprehensionem vel desiderium nimis vehemens circa hoc unicum, atque ita homo talia manebit capax actuum liberorum circa alia objecta, *Gob.* n. 469.

§. 3. Surdaster Confessario ignotus, qui audire non potest, nisi Confessarius clamet, aut ita loquatur, ut circumstantes audiant, remitti debet ad locum separatum: Si autem Confessario nota sit illius innocentia, eo quod non soleat nisi venialia afferre, audiri potest & absolvi, opus enim non erit talem de aliquo interrogare, & pœnitentia imponi potest ostensis digitis vel Rosario, prout inter ipsos ante hac convenerit. Quodsi prudens metus sit, ne afferat materiam mortalem, circa quam interrogari debeat, remitti debet ad alium locum: Et quamvis *Gob.* n. 463. dicat, non displicere sibi, si dicatur talem eo ipso, quod tali loco confiteatur, dare potestatem Confessario loquendi ea, quæ ad absolutionem sunt necessaria, quamvis etiam ab aliis audiantur, tamen hoc non debet universaliter admitti, quia plerique putant se ita confiteri, ut non sit opus interrogari.

§. 4. Si pœnitens sit mutus & non surdus, facile juvari potest per interrogationes, quibus per signa respondeat. Si, postquam didicit necessaria scitu & creditu, fiat surdus & mutus, extra articulum mortis absolvi non potest, nisi scripto vel signis ostendat, quod doleat: Et si per signa possit significare species peccatorum & numerum, ad hoc tenetur, uti & ad accedendum illum Confessarium, qui præ reliquis ea signa novit, vel per usum eum illo, vel ex relatione domesticorum, *Gob.* à n. 476. Quodsi à nativitate sit surdus & mutus, putant aliqui absolvi non posse, quia non videtur capax actus Fidei, cùm nihil sciat de revelatione Dei: econtra alii putant posse absolvi, si det signa pœnitentiæ, est enim capax peccati, item agnitionis Dei, vitæ æternæ &c. quæ per signa illi declarari possunt: & ita ex *Tam.* testatur *Gob.* t. 4. n. 132. quod aliquis à nativitate surdus & mutus etiam mysteria SS. Trinit. & Incarnationis potuerit signis ostendere, Deo forte per intellectum perspicaciorem vel magis illuminatum supplente, quod deest in sensibus: ideoque putat *Gob.* talem absolvi potuisse etiam sæpius & extra articulum mortis: & consequenter secundùm *Lohn.* & *Dian.* p. 5. t. 6. R. 3. obligandus erit semel in anno confiteri, quamvis non posset se accusare de aliquo certo peccato, quia sufficit accessisse eo animo, ut se accuset, cùm per hoc sufficienter fateatur se peccasse: potest autem illi pro pœnitentia injungi, ut pectus tundat, flectat junctis manibus vel expansis brachiis.

§. 5. Si quis fit à nativitate furdus, mutus & cœcus, cenferi debet velut perpetuo amens, cùm non videatur ullo modo edoceri poffe res facras, adeoque nullum Sacramentum eft illi conferendum præterquam Baptifmus, *Teret. Lohn. Gob.* Qui autem poft ufum rationis cafu vel morbo factus effet furdus, mutus & cœcus, vix poterit cognofcere aliquid de abfolutione fibi danda, unde fecundùm *Lohn.* fola extrema Unctio videtur illi effe danda; fed non video, cur dari non poffit etiam Euchariftia pro Viatico.

§. 6. Si Confeffarius ob imperitiam linguæ non poffit percipere mortalia, fi commode fieri poteft, remittere debet ad alium peritum linguæ: fi autem fine gravi incommodo remitti non poffit, & faltem aliquod veniale intellexerit, tum non tantum in articulo mortis aut quando præceptum obligat, fed etiam alio tempore licite abfolvitur, quia in tali cafu fufficit integritas formalis, *Sa, Laym. Caftrop. Staz.* l. 2. n. 91. Semper autem videtur effe permoleftum fæcularibus, fi poftquam fe præpararunt, inauditi remittantur, quando alius linguæ peritus diu aberit, *Gob.* t. 7. n. 485. Tenetur tamen talis pœnitens mortalia non intellecta fuo tempore confiteri alteri intelligenti.

§. 7. Si quis fciat linguam principalem, v. g. Germanicam, quamvis non intelligat aliquas dialectos feu modos loquendi alterius linguæ fubordinatæ, v. gr. Weftphalicæ, *Gob.* n. 486. dicit, quod licite fe exponat pro audiendis Weftphalorum confeffionibus: fed ubi neceffitas nulla eft, videtur dicendum, quod teneatur prius intelligere tales modos loquendi, vel faltem in confeffione petere explicationem aut circumlocutionem, alioquin fine jufta caufa negligit integritatem materialem.

QUÆRITUR 22. *Quid obfervare debeat Confeffarius pœnitentis generaliter confitentis, vel ante hac male confeffi?*

RESPONDEO.

§. 1. Aliqui ideo confitentur generaliter, quia haĉtenus fæpe foliti funt confiteri facrilege vel fine examine, dolore aut propofito, vel quia putant fe aliqua mortalia nunquam effe confeffos, quæ qualia fint, nefciunt: & ifti omnes per ordinem præceptorum Decalogi & Ecclefiæ examinandi funt, ficuti fi nunquam effent confeffi. Alii faciunt pro majore fecuritate fua, aut ad magis expianda peccata, aut quia ingreffi funt ftatum Religiofum, in quo id ftatuitur: & cum hic ita eft procedendum, ut primo interrogentur, an non ab ultima confeffione in aliquo Deum graviter offenderint; fi affirment, ut hæc peccata primo dicant in fpecie & numero: fi negent, aut quando hæc jam dixerunt, permittantur de priore vita dicere, quod occurrit, neque importunus fit Confeffarius in exquirenda fpecie vel numero, nifi pœnitens fieri vellet, quia cùm femel fint bene confeffi, uti fuppono, opus non eft pœnitenti novam moleftiam facefcere.

§. 2. Quamvis pœnitens dixerit fe velle de tota vita confiteri, tamen omittere poteft mortalia aliqua, dummodo ea ante hac fit rite confeffus. Præcipua autem cura Confeffarii effe debet, ut generaliter confitens ftudiofe eliciat actus præ-requifitos, præcipue autem fincerum dolorem & propofitum, longe enim plus de his laborandum quàm de enarratione peccatorum.

§. 3. Quamvis, fecundùm aliquos, non effet obligatio imponendi pœnitentiam pro fola confeffione generali, ne idem bis puniatur, tamen ob nova peccata addi debet aliqua, & communiter etiam ob priora, quia ita confulitur integritati Sacramenti. Quodfi pœnitens mixtim omnia dicat, confeffa & non confeffa, imponi debet pœnitentia proportionata, veluti fi nullum effet confeffus, cùm enim nullum diftinguat ab altero, vult omnia accipi veluti non confeffa.

§. 4. Confeffio generalis non eft permittenda fcrupulofis, nifi cum cautelis notatis l. 1. n. 541. aliis verò, qui in peccatis luxuriæ vixerunt, una tantum vice permittenda, ne fordes eas fæpius movendo fe iterum inquinent: unde curandum, ut jam accurate peragant, fic enim faltem indirecte remittentur omnia etiam per oblivionem omiffa: impofterum autem permittantur generaliter confiteri tantum de anno in annum, aut in genere accufare fe de illis. Nec expedit talibus fuadere confeffionem generalem, nifi poftquam major impetus illius vitii eft repreffus.

§. 5. Cum illo, qui haĉtenus fæpe eft confeffus facrilege vel invalide, Confeffarius nulla facta mentione Confeffionis generalis inftituat interrogationes circa fingulas ætates pœnitentis, percurrendo præcepta, contra quæ potiffimum peccare potuerit, ficque confeffionem generalem eliciat ab ipfo vix advertente: in fine autem petat, an aliquid fit grave, quod præterea tota vita commiferit, & tum denique eliciat numerum facrilegarum Confeffionum & Communionum.

§. 6. Qui fecit Confeffionem generalem præmiffo diligente examine fecundùm *J. Sanch. Dian. Staz.* l. 1. p. 3. n. 613. *Illf.* n. 124. non tenetur amplius de vita anteacta cogitare, & fi poftea occurrat dubium, an hoc vel illud peccatum fit confeffus, nifi certus fit effe omiffum, poteft præfumere fe effe confeffum, & omnia dubia de vita præterita deponere, alioquin, inquiunt, nunquam erit finis dubitandi ac fe & Confeffarios vexandi. Putarem tamen permittendum, ut ter aut quater adhuc addat, quæ incident, fi non meminerit fe effe confeffum, fecundùm dicta l. 1. à num. 541. maximè fi non femper fuit timoratæ confcientiæ.

QUÆRITUR 23. *Quid obfervare debeat Confeffarius, fi pœnitens confiteatur fola dubia, venialia vel imperfectiones?*

RESPONDEO.

§. 1. Peccatum dubium non debere fe folo fubjici abfolutioni dandæ abfolutè, ne fi reipfa peccatum non fuerit, Sacramentum fruftretur.

§. 2. Quòd venialia fint materia fufficiens Sacramenti, & utiliter ea confiteantur etiam pii homines. Deinde omnino rejici debet fententia illa, quæ dicit viris perfectis non effe confitendum, labitur enim etiam juftus fæpe, aut faltem poteft de priore vita confiteri, ut gratiam in fe augeat & à lapfibus præfervetur. *S. Franc. Salefius* p. 2. Introd. ad vitam devotam c. 19. ait: *Humiliter & devotè quot hebdomadis confitere, & fi fieri poteft, quoties ad facram Communionem accedis, tametfi nullam*

nullum peccati alicujus mortalis in conscientia tua remorsum sentias, etenim per confessionem, quam instituis, non solùm venialium peccatorum, quæ confiteberis, absolutionem, sed & incredibile ad eadem imposterum evitanda robur recipies, uti & ingens ad eadem discernenda lumen, nec non abundantem gratiam ad omnem jacturam & dispendium, quam tibi attulerant, reparandam: adhæc humilitatis, obedientiæ, candoris & charitatis virtutem exercebis, & plures in solo hoc confessionis actu virtutes, quàm in alio quocunque usurpabis. Hujus Sancti judicium pluris facio, quàm Jansenistarum.

§. 3. Quamvis fortè validè fiat, attamen non esse licitum extra casum necessitatis se tantùm in genere accusare de solis venialibus, bene tamen in specie, v. g. dicendo, mentitus sum, licèt non addatur numerus.

§. 4. Notat ex *Gersone Rayn.* in Heter. tom. 16. f. 1. p. 8. n. 38. posse fieri, ut crebra & nimis solicita confessio venialium obsit, reddendo animam plus æquo timidam: etiam parum utile est texere longum Catalogum omnium venialium, sed melius est in specie accusare se de paucis, de quibus certo dolet; de aliis autem omnibus in genere. *Cardinalis Bona* de Missa c. 4. §. 2. ait: *In ipsa confessione vitanda prolixitas & nimiâ diligentia in levioribus culpis recensendis.* Quòd si pœnitens semper rediens cum eisdem venialibus hic & nunc non daret sufficientia signa sinceri doloris & propositi, excitandus esset, aut ad specialem dolorem circa aliquod veniale determinatè, quod gravius est & creditur faciliùs efficaciter displiciturum; aut suaviter inducendus, nt ex priore vita repetat aliquod mortale, peccata enim etiam antehac confessa & plenè remissa adhuc esse materiam sufficientem novæ absolutionis, satis certum est ex dictis n. 589.

§. 5. Communis sententia est contra *J. Sanch.* d. 1. n. 4. quòd Confessarins debeat permittere, ut pœnitens etiam meras imperfectiones confiteatur, quamvis enim secundùm dicta l. 5. à n. 211. & 214. imperfectiones, neglectus inspirationum divinarum, transgressiones Regularum non obligantium sub peccato, de se non sint materia sufficiens absolutionis, attamen ordinariè habent adjunctum peccatum, quod sit materia sufficiens, adeoque accusans se de talibus deliberatè commissis absolvi posset; in praxi tamen exquirendum est certum peccatum, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Et etiam hic rectè notat *Gob.* n. 513. non semper operæ pretium esse, ut pœnitens texat longum Catalogum ejusmodi imperfectionum, sæpe enim alii pœnitentes impediuntur, aut saltem est jactura temporis, satis autem erit, si in genere etiam de illis se accuset. *Cavendus item*, inquit *Bona* suprà, *multorum error, qui se prolixè de iis accusant, quæ peccata non sunt, ut de pravis habitibus & passionibus & de circumstantiis impertinentibus, quòd sint superbi, iracundi & proni ad malum, quòd Deum non amaverint ex tota cordis intensione &c.*

§. 6. Quando pœnitens non affert materiam necessariam, & quia etiam non scitur, an afferat sufficientem, aut meritò dubitatur, an efficaciter doleat de suis venialibus, ideoque illi non datur absolntio, sed sola benedictio, putarunt aliqui id non posse fieri pœnitente inscio seu non admoni-to, sed non invenio causam, cur necesse sit eum admoneri, nam judicium de danda absolutione vel sola benedictione pertinet ad solum Confessarium; quòd autem absolutio non detur, ipse causa est, quia non ostendit se dispositum, & ex hoc, quòd non admoneatur, nullum ei damnum vel incommodum causatur, ergo causa nulla est, cur admoneri debeat. In hoc autem non esse simnlationem administrationis Sacramenti, dixi l. 6. p. 1. n. 158.

QUÆRITUR 24. *Quid observare debeat Confessarius mulierum?*

RESPONDEO.

§. 1. Confessarius mulierum debet habere magnam patientiam, *ut audiat nugas, quæ solent ab ipsis admisceri in ipsa confessione; ut expiscetur veritatem eorum, quæ dicunt, modò ajentes, modò negantes; ut suadeat non expedire, quòd ita crebrò repetant confessiones generales; ut sinat protrahi confessionem ad diffusos discursus, quæ verbis valde compendiosis posset peragi; ut ferat idem peccatum in eadem confessione iterum atque iterum exprimi, & quidem sine ulla omnino necessitate; ut insurgentium scrupulorum nubes disjiciat; ut pusillanimes in spem salutis æternæ erigat; ut remissionem injuriarum animo tenacius inhærentium suadeat; ut inducat ad fugam occasionum proximarum; ut denique sustineat muliebrem levitatem, inscitiam ac inconstantiam.* Hæc *Pelliz.* tr. 10. c. 3. n. 162.

§. 2. Confessarius debet esse cautissimus in conversatione cum mulieribus: *S. Hieron.* in Epist. ad Nepotianum ait: *Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora aut æqualiter dilige: nec sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Salomone esse potes sapientior. Memento, quòd Paradisi colonum de possessione Paradisi mulier ejecerit. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium Clericatus vidua à te visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas: tales habeto socios, quorum contubernio non diffameris: caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula & sudariola & fasciolas & vestes ori applicitas & degustatos cibos blandasque & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepores & risu dignas urbanitates & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur, quantò magis in Monachis & Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa à mulieribus non posse discedere &c.* Similia habet *S. August.* Tom. 8. in Psal. 50. & Tom. 10. Serm. 250. de Tempore, alibi ait: *Nec tamen quò sanctiores sunt, minus cavendæ: crede mihi, Episcopus sum, in Domino loquor, non mentior, Cedros Libani, id est, magnos Ecclesiæ Prælatos sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quàm Ambrosii & Hieronymi.* *Raynaudus* Tom. 12. opusc. 1. in præf. n. 6. refert dixisse *S. Franciscum Seraphicum* ob quorundam è suis familiaritatem nimiam cum Clarissis: *Timeo Fratres, ne Deus abstulerit nobis uxores, & Diabolus dedit nobis Sorores.* Propter ista pericula Societas Jesu in Reg. 16. Sacerdotum sic habet: *In audiendis confessionibus, fœminarum præsertim, severos potiùs se quàm familia-*

res exhibeant: in universum tamen paterna quædam & spiritualis gravitas in eis eluceat. Atque etiam ideo *S. Xaverius* teste *Tursell.* in ejus vita l. 6. c. 17. *Quoniam in familiaritate mulierum ferme plus periculi est quàm emolumenti, magnopere author erat Confessariis, ut in confessionibus, in colloquiis, in congressibus earum, in reconciliatione cum conjugibus cauti essent intentique ad suspiciones rumoresque borum, & non tantùm ad culpam crimenve vitandum &c.* Addebat *S. Xav.* uxori affirmanti se enixiùs servituram Deo, si abstineret à consuetudine viri, non esse credendum, *quia muliebris ille fervor facilè refrigescit, nec unquam ferè suscipitur sine gravi aliqua virorum offensione.* *Sylvius* in notis, ad c. 22. Instruct. Pastor. S. Car. Borrom. ait: *Cavendum est unicuique, præsertim Sacerdoti, ne sub specie necessitatis, consilii vel auxilii nimiam familiaritatem contrahat cum quantumcumque devota muliere, contingit enim, ut ubi videtur esse charitas, ibi vere sit vitiosa cupiditas .... Quatuor sunt potissima, quæ Sacerdotes quosdam reddunt inglorios ac inutiles, (utinam non noxios) Pocula, Mulieres, Præsumptio; & eorum, quæ didicisse se putant, Usus indiscretus.* Videri potest *Rayn.* tom. 12. de sobria conversatione cum mulieribus. Et singulariter *Hadrianus Lyræus* Apophtegmatum S. Ignatii Apopht. 3.

QUÆRITUR 25. *Quid observare debeat Confessarius eorum, qui specialiter profitentur devotionem aut perfectionem?*

RESPONDEO.

§. 1. Aliqui pœnitentes volunt esse contemplativi sive hypermystici, omnia extraordinaria sectantes, imo & loquentes vocibus extraordinariis, quales sunt, *submersio in abyssali profundo, annihilatio sui, effluxus à Deo, meditatio negativa, sanitas cœlestis, languor tartareus &c.* hos egregiè perstringit *Rayn.* in Heter. tom. 16. f. 3. p. 2. docetque sæpe comitari ingentem superbiam, proprii judicii tenacitatem, stultas imaginationes, insanias falsas. Itaque tales reducendi sunt ad veram humilitatem æternam, de qua *Rayn.* f. 4. p. 1. à n. 9. deinde ad puram in omnibus intentionem, de qua habet ibidem p. 4. & aliqua signa intentionis non puræ dedi l. 5. num. 371. in fine. Postmodum dirigendi sunt secundùm communes Regulas spiritus, quas viri sancti & Ascetæ tradunt. Ferendæ autem non sunt personæ, ac præsertim mulieres, quæ advertuntur semper loqui velle de rebus spiritualibus, vel docendi causâ vel ad dandum virtutis aut spiritualis scientiæ suæ specimen: *Novi quasdam*, inquit *S. Hier.* in Epist. ad Nepotianum, *maturioris ætatis, sed libertini generis, adolescentulis delectari, filios quærere spirituales, paulatimque superato pudore &c.*

§. 2. Sæpe etiam sunt pœnitentes, qui quibusdam devotiunculis addicti sunt, & simul hærent in vitiis: *Cornel. à Lapide* in c. 34. Eccli. ℣. 28. ait: *Alii peculiares devotiones sibi indicunt, v. g. die Sabbathi jejunant, Rosarium recitant, officium legunt in honorem B. Virginis, & interim in gravibus sceleribus persistunt, persuasi neminem posse perire & damnari, qui colat B. Virginem, eò quòd ipsa sit mater misericordiæ: quæ omnia Diabolus eis astutè suggerit, ut per hosce errores & illusiones eos pertrahat in gehennam.* Itaque sollicitè edocendi sunt, ista quidem bona esse, sed nihil profutura sine cura gratiæ Dei semper conservandæ. Quomodo autem corrigendæ sint personæ aliquæ ad externam sui mortificationem nimium pronæ, aut putantes visiones se habere, docet *Ludov. de Ponte* in Epist. 20. post ejus vitam.

§. 3. Confessarius sæpe incidet in animas capaces perfectionis, pro quibus dirigendis indigebit speciali lumine, obtinendo per orationem & per lectionem librorum spiritualium. Ex piis Ascetis collegi sequentia veluti documenta.

1. Non omnes uno regendi sunt spiritu nec uno ducendi modo: modum, quo tu vel alius juvatur, non obtrudes importunè omnibus: & ideo priusquam directionem incipias, conare pœnitentis intimos animi motus constitutionemque perspicere, ut instructiones tuas possis ejus capacitati & naturæ accommodare. 2. Apud unumquemque excitandum & fovendum est desiderium maximæ perfectionis, quamvis hic vel ille ad eam non putetur perventurus, nam & Deus desideria ad martyrium immisit Sanctis, quos Martyres esse nolebat. Attamen ad perfectionem ducantur per gradus & ordinatè: nec statim ab osculo pedum saliendum ad osculum oris, sed transeundum per osculum manuum, operando & imitando actiones Christi, plusque imitando quàm meditando. 3. Necessaria omnibus est mortificatio aliqua. Probatione etiam opus est, ut videas, quis in anima spiritus dominetur, & quis sit dominans affectus malus, qui primò superandus est: attamen cautela necessaria est in probatione, ubi indoles ad amorem propensa est, aut ubi temperamentum atra bile abundat, nam tum facilè oritur inordinata affectio vel nimia dejectio. 4. Sæpe expedit animas eximiis à Deo donis ornatas sibi ipsis subducere quasi per contemptum eorum, quæ recensent, ne si ostendatur æstimatio, illis præparetur ruina per superbiam: hinc in obscuritate aliqua continendæ sunt, ut non sciant se scire vel sciri. 5. Animæ adhuc teneræ, quas Deus sibi primò conciliat, molliùs tractandæ sunt; nec est omnino abeundum à divinis consiliis animam suaviter ducentibus: attamen cum nobilioribus animabus & paulùm provectis ea suavitate disciplinæ utendum est, quæ severitatem contineat: cum illis tamen non est utendum severiore disciplina, qui communi forte feruntur, sed tantùm cum illis potest fieri insolitum probandi genus, apud quos beneficia Dei singularia sunt & insolita, quia gratiæ tum pariformiter affunduntur, ut anima ad difficultates par efficiatur. 6. Animarum nobilium probationes non sint quæsitæ vel apertæ, hoc enim si advertant, facilè ad omnem humilitatis & abjectionis modum sese fingent, sed ita fiat probatio ex re nata, ut non videatur recedere à communi modo vulgares animas dirigendi, hinc communia & levia quandoque imponenda, quasi se ad earum imbecillitatem accommodando, & sic reprimetur superbia fervorque ad gravissimas probationes immoderatior: extraordinarii labores pœnalitatum non debent imponi, sed animæ sic sunt instituendæ, ut illos sua sponte deponant

ſeant. 7. Sequendus eſt inſtinctus divini ductus, qui unicuique propriæ perfectionis menſuram ponit, ſumma enim & propria cujuſque perfectio eſt Deum ſequi: unde cùm certum ſanctitatis gradum ſingulis definiverit Deus, non eſt altiùs enitendum, quàm quò Deus vocat: hinc anima divinitus ad metum impulſa, abſtrahenda non eſt, ſed moderatoris eſt ſuo ductu conſentire divino, ne opus Dei conſiliis ſuis evertat. Et licèt deſiderium majoris perfectionis excitandum ſit, hoc fiat circa modum proprium, ut nempe ea excolantur, ad quæ movet Deus, qui aliquando ſolam exteriorem vitam hominibus regendam relinquit, modum verò in interiori tenendum ſolus docet. 8. Circa eos, qui benignæ ſunt indolis, ſciendum, inprimis nihil eſſe difficilius, quàm diſcernere virtutem naturali eorum indoli convenientem, eiſque etiam difficillimum erit eandem acquirere, nam in opere & exercitio natura agit non virtus, præſertim cum natura, utpote innata, ſit fortior, uſus autem facere debeat virtutes non natura. Suadendæ tamen & proſequendæ ſunt virtutes naturæ accommodatæ, nam Dei gratia naturis ſe attemperat, ut ſuaviùs finem conſequatur, & homo conſtantiùs in eum tendat. Nihilominus adhuc indoles ad certam virtutem prona, cùm exercenda eſt virtus, reprimenda ſæpe eſt, ne ſe nimium effundat, & ad exemplum à Chriſto datum revocanda, ſic enim probatio ſit, ſitne virtutis actus vel indolis. Deinde in talibus hominibus opinio virtutis comparatæ eidem comparandæ officit, nam virtutem ſæpe putant, quod naturæ eſt, ideoque ſolicitè edocendi ſunt, quodnam ſit proprium & ſupernaturale virtutis motivum, ut ex eo agere conſueſcant. 9. Suaviter corrigendi, qui in rebus agendis proprii ſunt cerebri & tenacioris judicii. Ad prudentiam ſpectat non obſirmare mentem ad aliquid faciendum vel omittendum, ſed proponere firmiter, ita tamen, ut mutatis cauſis & circumſtantiis immutari te ſinas ſine violentia: nec mens ita defigenda eſt in unam rem, ut ad alia fortè magis neceſſaria vel utilia reddatur minùs apta. 10. Nunquam crede illorum ſpiritui, quos adverteris ſtudioſe extraordinaria ſectari, niſi ex certis ſignis habeas id eſſe impulſu divino. Perfectio uniuscujuſque eſt, *ordinaria* opera *bene* peragere, ut nempe mane bene ſurgamus, bene meditemur, bene oremus, legamus vel audiamus Miſſam, bene doceamus, legamus, laboremus, bene comedamus & bibamus, bene ludamus & recreemus nos, bene converſemur cum proximo, bene faciamus examen conſcientiæ veſperi, bene nos demus quieti: qui hæc bene facit, perfectus eſt: tum autem bene facit, ſi faciat tempore ac modo debito, & imprimis intentione pura, quia Deus ſic fieri vult, & ut ſic adimpleatur ſanctiſſimum ejus beneplacitum.

§. 4. Huc ſpectant monita quædam & ſententiæ, quibus ad perfectionem ſe & alios direxit *Ludov. de Ponte*, & habentur in ejus vita pag. 416. 1. Fac pro Deo, quod potes, & Deus faciet pro te, quod tu non potes. 2. Bene fac parva, & Deus te juvabit, ut poſſis majora. 3. Ne differas bona tua propoſita, quia ſi jam non facis, quod potes, quotidie poteris minus. 4. Accipe dulcia hujus vitæ pro amaris, amara pro dulcibus, & habebis pacem. 5. Habeas tu curam Dei, & Deus habebit curam tui. 6. Eſto liberalis erga alios, & Deus erit erga te. 7. Da, quod à te petunt, & Deus dabit tibi, quod tu petis. 8. Si deſideras implere voluntatem Dei, quare fallis obedientiam properando ad alia, cùm jam habeas, quod deſideras? 9. Si turbaris interiùs in eo, quod facis, ſignum eſt, quòd in eo quæras aliquid proprium. 10. In me nihil, in Deo omnia. 11. Ego ſum, qui non ſum: Deus eſt, qui eſt. 12. Verus amor Dei mavult hic pati quàm gaudere: bibere calicem amaritudinis quàm dulcedinis. 13. Verus amor Dei magis quærit gloriam Dei quàm propriam. 14. Verus amor Dei mavult dare quàm accipere, & ſi deſiderat accipere, dandi cauſa deſiderat. 15. Verus amor mavult amare quàm cognoſcere, pluris æſtimat obedientiam quàm ſcientiam. 16. Cura facere omnia & ſola, quæ Deus vult, & ſic ejus voluntatem impleveris. 17. Cura facere voluntatem Dei promptè ac purè, quia ipſius voluntas eſt, & ut ei placeat, & ſic feceris eam in terra, ſicut in cœlo ſit. 18. Tantum amas Deum, quantùm abhorres teipſum. 19. Ille ſe verè abhorret, qui fugit honores & voluptates, quærit verò contemptum ac dolores. 20. Elige pro ſociis vitæ paupertatem, contemptum ac dolorem, quia hos etiam ſibi comites Chriſtus Dominus noſter elegit. 21. Quantaſcumque habeas occupationes, cura eas obire cum tanta pace ac quiete interna, ac ſi nihil aliud eſſet agendum. 22. Reprime anxiam cupiditatem abſolvendi opus, ut tranſeas ad aliud, niſi velis malè peractum. 23. Magis cura in tuis officiis, quid te oporteat facere, quàm quid gratiæ & mercedis poſſis pro illis recipere. 24. Anxia cura favorum accipiendorum à Deo facit ineptum ad illos accipiendos, qui indicium eſt exiguæ humilitatis & intentionis non puræ, & inſuper inducit teporem in agendo, dum eſt magis intentus, quid recipiat, quàm quid & quomodo agat. 25. Verè humilis judicat ſe indignum omnibus bonis, dignum verò malis omnibus: indignum præmio, dignum pœna. 26. Si verè ſentires te promeritum pœnas inferni, non querereris de malis, quæ habes, nec de bonis, quæ non habes. 27. Quid Deus tibi debet, vel quid pro illo feciſti, ut queraris, eum tibi non dare, quod cupis? 28. Si vis continuò meminiſſe Dei, cura tuimet oblivisci. 29. Recordabitur tui Deus, ſi tui tu obliviſcaris. 30. Mei oblivisci, eſt oblivisci mei honoris, voluptatum, ſanitatis, vitæ, conſolationum etiam ſpiritualium, & quidquid in hoc mundo meam in rem eſt, niſi quantùm Deus me vult meminiſſe propter obſequia ſua & majorem gloriam. 31. Plus cura mortificationem quàm contemplationem, quia immortificatus quærit orationem, ſed non invenit, mortificatum autem ipſa oratio quærit & invenit. 32. Experientia novi timorem infantum eſſe pœnam ſuperborum. 33. Juſtitiæ divinæ eſt, ut qui vanè & ſine cauſa gloriatur, etiam vanè & ſine cauſa timeat. 34. Propinquus eſt malo, qui propter ignaviam contentus eſt minore bono. 35. Procul à malo eſt, qui ſemper quærit majus bonum. 36. Deus illi ſe manifeſtat,

ftat, qui humiliter feipfum abfcondit. 37. Deus illi fe abfcondit, qui vanè feipfum oftentat. 38. Lingua terræ eft, loqui bene de fe, male de aliis, nunquam de Deo. 39. Lingua cœleftis eft loqui male de fe, bene de aliis, femper de Deo vel pro Deo. 40. Relinque litteram imperfectam, cùm Deus te vocat, quia plus valet res bene cœpta quàm male finita. 41. Tunc Deus te ordinat, cùm obedientia tuas cogitationes difturbat. 42. Summa miferia abundare conceptibus, egere affectibus, divitem effe veritatum, egenum virtutum. 43. Homuie, difpone domui tuæ, cras fortè morieris. 44. Simulacrum Divinitatis eft facere bonum fine turbatione, cum amore fine quæftu, cum magnanimitate fine præfumptione. 45. Villice iniquitatis, vide quid agas, cras fortè reddes rationem villicationis tuæ.

QUÆRITUR 23. *Quid obfervare debeat Confeffarius, fi advertat pœnitenti fuo immitti à Deo varias confolationes vel defolationes internas?*

RESPONDEO: Sequentia collegi ex piis Afcetis, quæ fervire poffunt pro aliquali directione:

§. 1. Expectandæ autem funt à Deo, non extorquendæ confolationes: & media obtinendi funt, 1. petere moderatè, quantùm Deo placet & tibi expedit. 2. Accuratè obire exercitia fpiritualia ordinaria, maximè in fummis ariditatibus. 3. Humilem effe & gratum, quando Dei vifitationes adveniunt. 4. Moderatè folicitum effe in eis confervandis. 5. Sequi, quò impellunt, & conari capere fructum, ad quem tendunt.

§. 2. Indicia ádvenientis confolationis funt, impulfus fubiti & admonitiones animæ, ut attenta fit & quieta: item defiderium fervens & confidens petitio interni Dei colloquii.

§. 3. Indicia præfentis Dei vifitationis funt, 1. quædam fubita & fine naturali caufa facta quafi commutatio animæ à priori ftatu obfcuro vel tepido vel timido. 2. Cognitio Dei vel veritatis alicujus cum nova luce vel modo infolito, cum fatisfactione, quiete & fuavitate, generans odium vanitatis alicujus, vel motum peculiarem ad Deum vel virtutem. 3. Subita dilatatio mentis & defiderium perfectionis, quod femper eft certiffimum Dei præfentis indicium: item amor puritatis, mortificationis, exercitii virtutum, imitationis Chrifti, perpetuæ converfationis & unionis cum Deo. 4. Acquiefcentia circa Deum virtutefque vel res divinas. 5. Elevatio quædam animi ad laudes & complexus Dei, idque cum fuavitate, nam hic femper comeditur favus cum melle, & bibitur vinum cum lacte. 6. Senfus humilis de fe, folito profundior. 7. Acceptatio contemptus pro Deo, fine moleftia. 8. Facilis defpectus rerum omnium mundanarum, quæ cor jam dilatatum implere non poffunt, adeoque quod jam à folo Deo fentitur impleri poffe. Reprimendus eft autem impetus, quo anima motus divini fuavitate ebria vix fefe continet, nihil non agit, quafi vult Dei confilia penetrare, fuisque viribus & conatibus divinum opus prævenire vel augere, ac divinæ gratiæ opem quodammodo fuperare.

§. 4. Indicia abeuntis vifitationis funt, 1. fi hæc remittant & anima redeat ad difpofitionem quafi naturalem & ordinariam. 2. Solita inquietudo, timor, obfcuritas, licèt abfque peccato fint & à Deo immittantur. 3. Solita ariditas &c.

§. 5. Caufæ, cur non dentur vel fubtrahantur confolationes, funt, 1. quia fæpe nobis expedit non habere, eò quòd nefciamus uti, aut quòd in vitium effent abituræ, aut in valetudinis detrimentum. 2. Quia fimilibus abutimur aut antehac abufi fumus ad vanitatem vel gloriam propriam, nam difficile eft hæc Dei dona modeftè amplecti, & faltem anima fæpe illis utitur ad gulam quandam fpiritualem, aut ad inanem de fe opinionem; ex quo fit, ut in gratiarum actione fit parca, & parcior in practico talium bonorum ufu, cùm tamen familiaritas divina humilem Dei adorationem procreare deberet, ac menti humanæ ingenerare, tum reverentiam erga opus hoc folius Dei, tum fervorem majorem in obfequio divino. 3. Quia focordes fumus in recollectione interna: impleri enim non poteft vifitationibus divinis anima, quæ impletur diftractionibus & curis fæcularibus, quia ubi vas vacuum non adeft, ftat oleum, 4. *Reg.* 4. 4. Quia in exercitiis ordinariis necdum fumus perfecti. 5. Ut fciamus folius Dei bona effe, & ferventiùs defideremus. 6. Ne abftrahamur ab aliis negotiis vocationi debitis. 7. Ut exerceamus folidas virtutes pofitas in Deo & non in confolationibus, atque fic impenfis noftris & de noftro quafi laboremus Deo. 8. Ob defectum mortificationis, avulfionis à creaturis, abnegationis perfectæ fui. 9. Ad probationem, mortificationem, patientiam exercendam, & ad majus meritum noftrum.

§. 6. Defolationes plurimùm juvant ad virtutem: in frigore planta dilatat radicem, profundiufque mittit, in calore fructum protrudit: defolatio eft frigus, confolatio calor; utrumque neceffarium eft ad mittendam radicem deorfum, & faciendum fructum furfum, *Ifaiæ* 37.

§. 7. Nobiles animæ in mœroribus quandoque relinquendæ funt, nam fingulare hoc eft Dei confilium, tum ut expiet incipientium peccata, tum ut in humilitate contineat mentes, quæ adhuc contaminatæ ad amplexus divinos anhelant, tum ut fortes animas ad magna præparet. Et quis pœnas à Deo fancitas confolatione fua minuere attentet? aut fortaffe non æquè divinæ juftitiæ litandum eft ac clementiæ? Quin & perfectorum virtus in mœrore probanda eft & augenda, ut etiam difcant Dei dona majore cum puritate confervare. Cùm Domino placet quiefcere vel dormire, quis fervorum eum interpellare audeat? Etiam affuefcat anima tum interiori filentio, & ita Deo propter Deum, non propter divina dona amor purior probatiorque deferviet. Cavendum itaque, ne tum negligantur ordinaria: potiùs addendum aliquid quàm demendum, quia in tædio guftus eft Deo, & majus meritum virtutis.

§. 8. Tempore defolationis vel tentationis duo maximè obfervanda funt, imprimis nihil tum deliberandum vel innovandum circa bona propofita, fed perfeverandum in conftitutis tempore

pore divinæ consolationis. Deinde profundè agnoscenda sunt hæc, 1. quòd Deus te tractet, uti mereris, imò plus demeritus es, nihil autem boni debetur tibi. 2. Talia petiisti, quoties Dei voluntatem in te fieri petiisti: quid nunc quereris & deprecaris? 3. Amanti animæ satis sit, Deum sic velle, quare patere sine recursu ad Deum, sine oratione, ut libereris, decet sic nos ipsos velut tacitas hostias immolare: *In illo die me non rogabitis quidquam*, inquit Christus *Joan.* 16. v. 23. *Hæc mihi sit consolatio libenter velle carere omni mundano solatio*, Th. de Kempis l. 3. c. 16. Si tamen sentias te satisfcere, confidenter recurre ad Deum. 4. Multa & magna ex amore Dei pati, dicebat *sanctus Ignatius* esse compendiosissimam ad perfectionem viam, quia anima hîc ab omni creatura & solatio suo abstracta soli Deo affigere se debet.

QUÆRITUR 27. *Quid observare debeat Confessarius hominis tentationibus variis agitati vel tribulati?*

RESPONDEO.

§. 1. Remedia valde bona contra præsentem quamcunque tentationem suggerit *Stoz* l. 2. à n. 169. præcipua sunt, cogitare, Deum Judicem sibi hîc esse præsentem, qui certissimè puniet: tentationem esse à Dæmone, qui idem accusator erit: jam agi, ut vel Deo vel Dæmoni placeas, & utri voles placuisse, quando morieris? Si te sentias velut imparem tentationi, recurre ad Deum per preces, dicendo: *Domine, vim patior, responde pro me. Domine adjuva me, salvum fac servum tuum Domine. Domine salva me, pereo. Egone peccabo in conspectu tuo Domine? non faciam.* Si nec hoc juvet, sensum doloris fac tibi per morsum linguæ vel pressionem carnis, cogitando, *momentaneum est, quod delectat; æternum, quod cruciat*: muta situm corporis; fac aliquid aliud, quod primò occurrit; converte phantasiam ad quidvis primo obvium.

§. 2. Si pugnaveris cum tali tentatione, non statim judica, te succubuisse, quamdiu enim molestiam attulit & optasti non habere, ei non consensisti. Monetque *Gerson* apud *Rayn.* in Heter. tom. 16. f. 1. pu. 8. n. 38. valde errare illos, qui censent, se liberandos importunitate cogitationum fœdarum, blasphemarum, hæreticalium aliarumque similium, si semper eas confiteantur, cùm econtra sic augeatur timor & magis infigatur tentatio, quæ oblivione ac contemptu meliùs fuisset dissipata.

§. 3. *S. Bonav.* Opusc. cui titulus: *Remedium defectuum Religiosi*, c. ult. sic habet: *Si de prædestinatione aut præscientia Dei Diabolus tibi aliquam tentationem immiserit, sic ei respondeas: Quidquid sit de me, certum est, te esse damnatum: si autem & ego damnabor, & post hanc vitam Deum meum habere non debeo, habebo per totum tempus vitæ præsentis, & tantò ardentius amabo, quantò brevius novero me habiturum. Et tu Diabole, sit tecum esse oportet, scias, quòd tamdiu in Dei servitio perseverabo corde, ore, opere, omni membro, omni momento, quamdiu possim.* Simili modo procedit *Gerson*, quem refert *Tann.* in fine tr. de Prædest. n. 10. *In hac recogitatione, si fortè damnandus est, humiliatus dicit: Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. Non quòd damnationem eligat, absit, quia nec Deus hoc vult ipsum velle, sicut nec peccare nec desperare, dum viator est, dicit potius cum Job: Etiamsi me occideris, tamen in te sperabo. Et conversus ad Dominum cum pio & humili affectu, scio, inquit, æquissime Judex, quoniam damnati in inferno te odiunt, te injustum, te invidum, te crudelissimum judicant, te blasphemant, tibi sanctisque omnibus ore rabido maledicunt, scio, quòd illic constitutus (heu me miserum) sic agerem; at verò dum interim affectibus tam efferis & blasphemis careo, amo te, qui solus es amabilis, te justissimum, te amantissimum, te clementissimum dijudico, te collaudo, tibi sanctisque omnibus tuis ore pio benedico, quidquid postremò de me futurum ordinaverit voluntas tua; credo & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui sanctus es in omnibus operibus tuis.* Subdit n. 16. *Quoniam ignotum est, quos vult inter homines Deus, & qualiter salvos fieri, operandum est bonum, relinquendo Deo judicia in futurum.* Hîc obiter notandum, non expedire, præsertim apud indoctos, loqui, minùs concionari de hoc mysterio, asserendo, aliquos esse prædestinatos, alios à Deo reprobatos, uti monet *S. Aug.* de Dono persev. c. 22. sed si opus fit de prædestinatione loqui, sic esse loquendum, quòd omnes ex Dei gratia prædestinati esse censeamur.

§. 4. Quosdam fatigat hæc tentatio, an potiùs vellent hæc vel ista mala, aut etiam damnationem æternam subire, quàm hoc vel illud peccatum committere; & quia non videntur se plenè posse resolvere ad potiùs subeunda ista mala aut etiam damnationem, timent, ne hoc ipso in peccatum consentiant. *Gerson* tr. 8. super *Magnificat* partit. 3. huic tentationi sic obviat; *Dicat*, inquit, *neutrum eligo, displicet peccatum, horreo incendium; nunc incendium non incumbit eligendum. Quòd si vehementiùs urgeatur aliquis eligere, quod ogeret adveniente tali casu, prout erat martyrium tempore Tyrannorum, respondeat se humilians sub Deo & S. Angelo ejus, dicatque, Dominus non patietur me tentari supra id, quod possum, & si casus eveniret, qualem proponis, spero in Domini bonitate, quod faceret cum tentatione proventum, ut possim sustinere, vel aliter quàm per peccatum evadere. Caveat igitur arroganter prædicere cum Petro, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, dicat potius, imperfectum meum viderunt oculi tui, sis adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, aut in talem tentationem me non inducas.* Itaque vult *Gerson.* opus non esse alterutram partem positivè eligere, sed excludendam talem comparationem saltem velut otiosam cogitationem, uti dixi n. 732.

§. 5. Id solatio esse debet quibuscunque & ex quacunque causa afflictis, quòd afflictio ex amore nostri immissa sit, vel permissa à Deo, eam dirigente in bonum nostrum: ac re ipsa est maximum Dei beneficium, dummodo sciamus applicare nobis & bene uti.

QUÆRITUR 28. *Quid observare debeat Confessarius hominis scrupulosi vel meticulosi?*

RESPONDEO.

§. 1. *Conscientiæ scrupulosæ malum curandique difficultas iis, qui scrupulos experti sunt, tam est evidens, ut ejus meminisse necesse non sit: illis verò, qui nunquam ita afflicti fuere, tam insolens, ut vix credibilis appareat. Sanè carnificina est intolerabilis, amaror vitæ spiritualis, insigne profectus impedimentum, tinea actionum, corporis & potentiarum flagellum, tristitiæ &*

& perturbationis barathrum, cordis ac animi tabes, sæpe tam fera, ut dira morte infelicior censeatur, & ad desperationem usque adducere possit, Schorrer Theol. scet. p. 3. f. 2. c. 6. n. 4. ideoque debet Confessarius erga sic afflictos esse summè patiens & blandus.

Quæritur 29. *Quid observandum sit Confessario illius, qui deliberat de re aliqua, & præcipuè de statu vitæ eligendo?*

Respondeo: Proponat & explicet ei sequentia, quæ in Instructione Ordinandorum fusius exequor. 1. Vocatio est insinuatio divinæ voluntatis de statu vitæ deligendo. 2. Signa vocationis sunt tria: 1. *Talenta naturæ & gratiæ* ad finem, ad quem Deus vocat. 2. *Propensio ad illum finem à Deo indita* secundùm rectam rationem. 3. Præparatio provida causarum & mediorum à Deo facta. Deus enim ad illum finem, ad quem vocat, viam & januam suavi, non violento modo aperit.

§. 3. Pius Asceta suggerit hæc axiomata, quæ deliberans præ oculis habere debet: 1. Præ omnibus obsequendum inspiranti Deo: Jobi 9. dicitur, *quis restitit ei, & pacem habuit?* 2. Inspirat Deus, quæ magis sunt secundùm voluntatem ejus. 3. *Voluntas Dei est sanctificatio nostra & salus*, 1. ad Thess. 4. non qualiscunque, sed certior, sed abundantior. 4. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Quid proderit in hac brevi vita delectari, honorari, si cruciari & probris affici æternùm oporteat? 5. Fac ea, quæ moriens facta fuisse voles. 6. Considerandum Dei judicium, & nihili faciendum, quidquid obmurmurent homines: Nonne bene tecum agitur, si aliis displicens placeas Deo? quàm multi avari, dummodo vilis pecuniæ aliquid lucrifaciant, contemnunt omnia humana dicteria? 7. Ad æterna creatus es: nunquid non magnum *flatus æternus?* 8. *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 9. Perfectius id putandum, quod magis ex virtute est: hoc magis est ex virtute, quod magis rationi, & corruptæ naturæ minus conforme est. 10. Quærendum, ubi *securius & majori cum gloria salvabor?* Quis viator eligit viam periculosam aut lutosam, si videat securiorem & mundam? 11. Unam tantùm animam habes: hac salvata salva sunt omnia: hac damnata perdita sunt omnia.

Quæritur 30. *Quid denique adhuc notandum sit circa prudentiam Confessarii?*

Respondeo: Instructiones, quas *S. Xaverius* dabat Missionariis Apostolicis, etiam Confessariis serviunt pro sua & pœnitentium directione: in hunc autem sensum dicebat. 1. Authoritas est quidem necessaria accedenti ad munus Apostolicum, sed hæc Dei donum est, quam si quis quærat, præterquam adjuvante virtute, funditus perdet, nec permittet Deus, ut constanter habeat, ne sic vilia fiant hominibus cœlestia dona. 2. Studiose quæsita familiaritas displicet, nimia confidentia nocet, assumpta gravitas suspicionem præbet arrogantiæ exigentia reverentiam: nil affectatum sit in verbis, gestibus, actionibus tuis: malis dici sincerus quàm politicus: si dissimulatione quandoque opus est, simulationem cave: pro aliis in benigniorem semper partem inclina. 3. Conversatio semper ædificet: discipulorum Christi est, Magistri sui doctrinam non tam tueri verbo quàm exprimere vita? Induimus Christum, plus agere debet & valere in nobis Christus, quàm Dæmon in energumeno. 4. Non quære vanè placere homini, sed nec gratis velis quemquam offendere: parvus sine offensione fructus præferendus est majori cum minima offensione conjuncto. 5. Pravos alicujus mores emendaturus, non prius manum admovebis, quàm intimos ejus motus constitutionemque perspexeris: & quid alicui vis persuadere, illum ipsum consule de eo, quod suades, quid ipse suasurus esset alteri. 6. Communi more age, si non scias hunc esse malum: melius est errare cum multis quàm velle solum sapere. 7. Nil sponde, quod certò præstare non possis: Si non est causa dicendi aliquid, hoc ipso est causa non dicendi. Non plus asserе, quàm sit necesse. Non facile utere Superlativis, & potius minus quàm plus proferendum, nisi ubi honorandus est alter: præstat enim in honore excedere quàm deficere. 8. Non da præcepta vel instructiones, nisi rogeris, vel opportuna charitas aut necessitas suadeat. 9. Veritas jocosa sæpe plus ferit & minus offendit. 10. Sapienter etiam dixit *Ludov. Granat.* l. 2. Ducis pecc. p. 2. *Quatuor novercæ veræ prudentiæ evitentur, quæ sunt præcipitatio, affectus, pertinacia, vana ineptia: præcipitatio namque non deliberat; affectus excæcat; pertinacia bonis consiliis portam occludit; vana ineptia, quamcunque deliberationem ingreditur, eam sine fructu dissolvit. Extrema fugiamus, virtus enim & veritas medium tenent: nunquam igitur omnia simul sunt reprehendenda, nunquam omnia simul probanda, nunquam omnia negare, nunquam omnia credere, nunquam omnia non credere debemus: nunquam ob delictum paucorum damnandi multi, nunquam ob sanctitatem aliquorum omnes justificandi sunt.*

Denique ad veram prudentiam Confessarii spectat cognoscere & tam respectu sui quàm aliorum in praxi rejicere pseudo-prudentiæ principia; qualia sunt, 1. Aliquando tempori cedendum & dissimulandum, licèt Dei honor vel propria aut aliena perfectio retardetur; posteà id compensari posse. 2. Homines jam non esse capaces tantæ perfectionis, uti olim: imò nec antiquos semper ita fuisse scrupulosos in parvis. 3. Eos esse singulares, qui pœnitentias aliaque agunt plura, quàm Deus & Ecclesia præscribat. 4. Habendam esse rationem sui honoris, licet hoc non exigat majus Dei obsequium. 5. Existimare aliquid tibi perire, si te huic vel illi submittas, ei cedas, ab illo quid patiaris, pejus illo habearis, is præ te honoretur. 6. Conandum, ut omnibus placeas, nemini displiceas; unde fit, ut licentiùs cum aliis agas, in jocos & exteriora te effundas, parum de internis solicitus. 7. Officium erga proximum ita exactè peragendum, ut semper inde lauderis ac honoreris, licèt, quæ propriæ sunt perfectionis, negligas. 8. Valetudinis habendam esse rationem, corpus indulgentiùs tractandum, quærendas occasiones illud bene habendi, ut diu nos servitio Dei & proximi conservemus. 9. Ipse tam prudens & exercitatus es, ut teipsum regere possis, nec aliorum consilio vel directione indigeas, &c.

O. A. M. D. G.

Tractatus DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS ET DE SACRAMENTO ORDINIS.

Tractatus DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

QUÆRITUR 1. Quid sit Sacramentum Extremæ Unctionis?

RESPONDEO. Sacramentum Extremæ Unctionis est signum sensibile Symbolicum, quo moribundi inunctione olei ab Episcopo benedicti per gratiam alleviationis ab onere peccatorum aggravatione morbi, quæ fit opera dæmonum ad consequendam in extrema lucta salutem confortantur. Sensus patebit ex qq. 4.

QUÆRITUR 2. Quænam est materia hujus Sacramenti?

RESPONDEO. Materia hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum?

DICITUR 1. *oleum*, videlicet commune ex olivis expressum.

DICITUR 2. *benedictum.* Hoc enim termino benedictionis utuntur Concilia & Patres EUGENIUS IV. in Instructione Armenorum dicit; *materiam* hujus Sacramenti *esse oleum ab Episcopo benedictum.* Et CONCIL. TRIDENTINUM Seff. 14. C. 1. ait: *Ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* CATECHISMUS tamen CONCILII p. 2. C. 6. §. 5. vocat hoc oleum *consecratum*, quod non in eo sensu accipiendum, quasi hnic olco *chrisma* permixtum esse indicare velit, sed vocatur consecratum, quia, licet sit purum oleum sine permixtione Chrismatis, ob ipsam tamen rationem sacramentalem, qua sanctificat, *sacrum*, *sanctum*, *sanctificatum*, ac *consecratum* à nonnullis antiquioribus Scriptoribus dicitur, ac dici meretur, prout apud P. *Juenin* videri potest. Chrisma autem à Græcis vocatur in latiore sensu, quo omnem unctionem olei vulgaris chrismationem in sua linqua nominant.

QUÆRITUR 3. Quæ sit forma hujus Sacramenti.

RESPONDEO. Forma hujus Sacramenti sunt illa verba, quibus Sacerdos significat, per externam inunctionem significari interiorem confortationem & alleviationem animi ab onere peccatorum & aggravatione morbi opera dæmonum pro extrema lucta.

QUÆRITUR 4. Quis sit effectus hujus Sacramenti?

RESPONDEO. Effectus est triplex. 1. Confortatio animi adversus tentationes dæmonis in extrema lucta. 2. Alleviatio animi ab onere peccatorum, in quantum reatus peccatorum residuus non solum ad pœnas in hoc & altero mundo, inter quas sunt etiam morbi, sed etiam ad derelictionem ac denegationem specialium gratiarum extraordinariarum ita minuitur, ne ægrnm in pusillanimitatem, vel omnino in desperationem suo pondere deprimat. 3. Alleviatio ab aggravatione morbi per dæmones, qui non raro justo Dei judicio non solum phantasiam infirmi graviter infestant, sed etiam viscera, pectus, cor, ac ipsas medullas miris modis torquent, ac insident, ut peccatorem in diffidentiam à divina misericordia coniiciant. Ex hac autem alleviatione non raro consequitur ipsa sanitas corporis. Hi tres effectus assignantur partim in Scriptura, partim in ipsa forma hujus Sacramenti tam veteri quam nova, partim in Patribus. Sic 1. D. JACOBUS Episcopus Jerosolimitanus scribens ad omnes Judæos fidei addictos, quotquot reperiebantur per totum orbem, c. 5. ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* 2. In forma AMBROSIANA, quæ sæculo quarto viguit, dicitur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* 3. SACRAMENTARIUM GREGORII M. quod repræsentat sensum Ecclesiæ sæculo sexto, ubi describit ritum consecrandi oleum in Cœna Domini, sic habet: *Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tum ipse, quam omnes presbyteri, ad ungendum infirmum bis verbis: Emitte Domine Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ.* - - - - *ut tua sancta benedictione sit omni hoc unquentum tangenti tutamentum mentis & corporis ad evacuandum omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* In hac oratione, dum sacrum oleum consideratur tanquam *tutamentum* corporis, qui terminus est relativus ad hostem extrinsecum, vel malum ab extrinseco immissum tacite insinuatur, per hoc oleum sanari morbos, vel à dæmone provenientes, vel à Deo in pœnam peccati immissos. IBIDEM Sacerdoti visitanti infirmnm ad eum innungendum præscribitur hæc oratio: *Inungo te oleo sancto. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut NB. non lateat hic spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus Sancti.* In hac forma Sacramenti,

menti, hoc est, in hac oratione virtus Sacramenti directe dirigitur in dœmonem insidentem in membris, medullis, & iuncturis membrorum, per quod videtur aliudi ad ilium textum Lucæ 13. v. 11. ubi erat *mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo; & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua.* Dein Christus reddens causam bujus infirmitatis ait: *Hanc filiam Abrahæ alligavit Satanas decem & octo annis.* Sicut enim Satanas ligavit juncturas hujus mulieris, ita dicitur in illo Sacramentario, ut non habitet spiritus immundus in compagine membrorum. Ibidem sic pergitur: *Et perungit eum dicens ... Deus conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat.* In hac oratione *medela* supponitur jam facta per expulsionem spiritus immundi ex medullis & membris & compagine membrorum. Ibidem ultima oratio est ista: *Mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia & æterna remedia comprehendat.* In hac oratione, dum imploratur Deus, ut mittat angelum sanctum, eoipso, quod angeli utendo motu causarum secundarum possint causare sanitatem, inter effectus hujus Sacramenti tacite ponitur sanitas corporis, quamvis non ex opere operato & infallibiliter, sed deprecative & fallibiliter. 4. Concilium Cabilonense anno 813. de Extrema Unctione loquens ait: *Non parvipendenda est bujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.* 5. Concilium Regiaticense anno 850. C. 8. *Magnum & valde appetendum est* (hoc) *mysterium; per quod, si fideliter poscitur, & remittuntur peccata & NB. consequenter corporalis sanitas restituitur.* In hoc textu recuperatio sanitatis dicitur non fieri directe sed consecutive ad remissionem peccatorum; nempe quoad reatum pœnarum in hoc vel altero mundo. 6. In Codice MS. Halitgarii, qui vixit sæculo octavo, continetur hæc forma: *Ungo te de oleo sanctificato, ut more militum præparatus ad luctamen aereas possis superare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut non lateat hic spiritus immundus nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis; sed operetur in eum virtus Christi Filii altissimi &c.* Hæc forma videtur esse desumpta ex Sacramentario Gregorii M. 7. Arcudius l. 5. C. 5. refert, in Sacramentario Græcorum approbato per Leonem X. contineri hanc formam. *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus varias catervas, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* In hac forma iterum solum promittitur *protectio*, qui terminus est relativus ad hostes, eorumque operationes contra salutem corporis & animæ.

Quæritur 5. An etiam sanitas corporis sit effectus hujus Sacramenti *per se, directe, & ex opere operato?*

Respondeo 1. Sanitas corporis, quando morbus vel ejus aggravatio provenit ex operatione continua dœmonis interna, est effectus hujus Sacramenti *per se, directe, & ex opere operato.*

Probatur hæc responsio ex formulis Sacramenti hucusque adductis, in quibus dicitur, hoc sacramentum esse in *tutamentum* corporis ad evacuandas infirmitates; per hoc sacramentum præberi *consolationem* animos *attollentem*, qua in *præsenti* causetur auxilium; operatione hujus Sacramenti expelli immundum spiritum *ex medullis*, & *membris*, & *ex juncturis membrorum* & sanitatem *interdum consequi* ex remissione peccatorum; effectum hujus Sacramenti esse *protectionem* à catervis dœmonum absque mentione alterius effectus. Ergo melius fit, si sanitas corporalis dicatur esse effectus hujus Sacramenti, in quantum per se restituitur cessante operatione continua dœmonis.

Respondeo 2. Sanitas corporalis, quando morbus & ejus aggravatio provenit ex causis naturalibus; non est effectus hujus Sacramenti ex opere operato, neque ex solo opere operantis, sed ex promisso tacite conditionato. Quod non sit effectus hujus sacramenti *ex opere operato*, probatur ex eo, quia operari effectum ex opere operato est eum operari *semper & infallibiliter* in subjecto rite disposito. Sed hoc non fit in isto Sacramento; quia etiam sancti optime dispositi rarissime post receptionem Extremæ Unctionis recuperant sanitatem. Imo etiam Tridentinum, quod Sess. 7. Can. 7. dicit: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit*, nihilominus de sanitate corporali tanquam effectu hujus Sacramenti loquens Sess. 14. C. 2. ait sine ulla limitatione, sanitatem hanc tantum *aliquando* conferri. *Res & effectus hujus Sacramenti*, inquit, *illis verbis explicantur; Et oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit, & ægroti NB. animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ gratiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis*, interdum, *ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Ex his ergo colligitur; sanitatem, quando morbus ex causis naturalibus provenit, non causari ex opere operato, ac directe, & per se, sed tantum *interdum indirecte ac per accidens*, in quantum ex interna fiducia & confortatione animæ etiam corpus interdum quandam majorem activitatem recipit. Idem, quod hoc Sacramentum directe non causet sanitatem corporalem per modum gratiæ curationum, probatur ex eodem Tridentino l. c. Can. 2. ubi dicitur: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim fuerit gratia curationum, anathema sit.* Itaque non superest convenientior modus explicandi vim causandi sanitatem corporalem in hoc Sacramento, quam si dicatur, eam conferri orationi fiduciali Ministrorum Ecclesiæ deprecantium ex promisso tacite conditionato sub his tribus

bus conditionibus. 1. Si sanitas fuerit ad salutem infirmi. 2. Si insuper ea sanitas fuerit ad majorem Dei gloriam, hoc est, si fuerit conformis rectissimo ordini per sapientiam, ac justitiam in gubernatione hujus mundi præstabilito. 3. Si insuper fuerit postulata *per orationem fidei*, hoc est, conjunctam cum magna fiducia impetrandi, fundata in merito impetrandi & in motione speciali divina, qua mens excitatur ad petendam talem gratiam.

QUÆRITUR 6. An etiam peccata mortalia remittantur per Sacramentum Extremæ Unctionis? saltem per accidens?

RESPONDEO 1. Peccata mortalia non remittuntur in hoc Sacramento *per se*.

PROBATUR. Hoc Sacramentum administratur per Presbyteros, qui possunt excipere confessionem moribundi, eumque à peccatis absolvere per sacramentum pœnitentiæ, directe à Christo institutum ad remissionem peccatorum mortalium. Ergo cum non sit verosimile, in præsentia presbyterorum ordinatum fuisse à Christo duplex Sacramentum contra peccata mortalia, dicendum est, hoc Sacramentum *per se* non ordinari ad remissionem peccatorum mortalium.

Idem PROBATUR 2. ex eo, quia in omnibus antiquis Ritualibus administrationi Extremæ Unctionis præmittitur confessio & absolutio, prout *Juenin* h. l. C 3. n. 2. ex Codice Tiliano ostendit; ubi sic habetur: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo accipiat plenam.* Imo ipsemet textus Doct. Jacobi videtur hoc modo utrumque Sacramentum conjungere, ita tamen ut confessio peccatorum, & absolutio deprecatoria præcedat inunctionem: nam post descriptionem hujus ritus sacramentalis, quasi recapitulando atque explicando præterita subinfert, *confitemini ergo alterutrum peccata vestra.*

RESPONDEO 2. Sacramentum Extremæ Unctionis probabiliter est remissivum peccatorum mortalium saltem *per accidens*, quando homo non amplius potest recipere sacramentum pœnitentiæ ob defectum partium materialium hujus Sacramenti, v. g. in casu quo nec petiit advocari sacerdotem, nec advertit adesse sacerdotem, utpote correptus phrenesi, Syncope, deliquio, suffocatione, vel ex alia causa subito destitutus omnibus sensibus; aut si advertat adesse sacerdotem, attamen non possit edere ullum externum signum probabile doloris & confessionis saltem generalis. Hanc responsionem P. *Juenin* h. l. C. 3. object. 2. testatur esse communem apud Theologos, dum sic scribit: „ Ideo destituto sensibus, „ quamvis nullum edat contritionis signum, nec „ antea confessus fuerit, Ecclesia unctionis extre„ mæ Sacramentum impendit, quod eum aut nul„ lius peccati lethalis reum, aut justificatum per „ absolutionis sacramentalis votum existimet; aut „ quod, ut NB. *passim* docent Theologi, cen„ seat, unctionem extremam *per accidens* dimittere „ peccata mortalia, cum nempe aut à reo igno„ rantur, aut non occurrunt ejus memoriæ, „ aut præ impotentia ab impio apud Sacerdo„ tem accusari non possunt. " In eandem sen-

tentiam adducit FERRARIENSEM, qui in D. Thomam commentana sic scribit: „ Ex Doctri„ na D. Thomæ (*inferius referenda*) sic intelligi„ tur, dimitti culpam per Extremam Unctio„ nem, ut tamen adsit pœnitentia in proposito ip„ sam Extremam Unctionem suscipientis, quan„ do exteriorem pœnitentiam suscipere non po„ test. Tunc enim ex hoc Sacramento simul cum „ proposito & desiderio confessionis confertur „ gratia, per quam culpa remittitur; & sic non „ sequitur, quod pœnitentiæ Sacramentum sit „ superfluum. Attendendum autem, cum vult „ S. Thomas, per hoc Sacramentum emundari „ hominem à peccatis, quæ in memoria non ha„ bet, quod hoc intelligendum est, quando ta„ lia peccata prius per pœnitentiam non sunt di„ missa, puta, quia homo non est usus debita „ diligentia ad recolendum ea: tunc enim homo „ in extremis positus, si adsit dolor generalis „ eorum, quorum per incuriam fuit oblitus, per hoc Sacramentum (*Extremæ Unctionis*) ab omni„ bus emundatur. " Ita Ferrariensis. Pro hac sententia etiam recte adducuntur omnes authores, qui docent, hoc sacramento remitti peccata mortalia etiam *per se*. Ex eorum enim textibus satis clare colligitur, eos per hunc modum plus nolle dicere, quam nos, dum asserimus, hoc sacramento peccata mortalia remitti saltem *per accidens*, quamvis non exacte loquantur. In horum numero sunt SAMBOVIUS, & TOURNELIUS. *Prior* in tract. de Extrem. Unct. pag. 478. teste *P. Juenin*, sic scribit: *Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis per se non est sola remissio venialium, sed etiam mortalium.* POSTERIOR vero in sua Theologia de hoc Sacramento quæst. ult. qq. 4. pro se adducens *Bellarminum*, *Maldonatum*, & *D. Carolum Borromæum* sic scribit: „ Quærea 4. „ Quænam peccata per se et primario dimittat „ nostrum Sacramentum: an venialia tantum, „ an etiam mortalia?

RESPONDEO. „ Non consentire ea de re „ inter se Theologos, Estius loco mox citato, „ cum multis aliis Thomistis, sola venialia, econ„ tra Bellarminus, Maldonatus, & alii etiam „ mortalia peccata directe ac per se à Sacramen„ to Extremæ Unctionis dimitti existimant, quæ „ postrema Sententia vero magis proxima nobis „ videtur. Tum quia generatim & indefinite „ pronuntiat S. Jacobus, *si in peccatis sit, remit*„ *tentur ei.* Et Concil. Trid. *delicta, si quæ sunt ad*„ *huc expianda, abstergit.* Tum quia forma ipsa „ Sacramenti indefinite quoque ait, *quidquid pec*„ *casti per visum* &c. Et aliunde SS. Patres, cum „ de effectu hujus Sacramenti loquuntur, non „ distinguunt inter peccata mortalia & venialia. „ Nomine vero peccatorum, & delictorum, „ mortalia non minus, quam venialia intelligun„ tur, imo & potiori jure. Quæ autem sint „ illa mortalia peccata, in quæ vim suam exerit „ nostrum Sacramentum, explicat Bellarminus „ hic C. 8. ea nempe, quæ interdum remanent post „ omnia alia Sacramenta. *Potest enim fieri*, (in„ quit) *ut quis post confessionem & communionem in* „ *peccatum mortale incidat, & ignoret, se eo peccato te*„ *neri; unde non poterit illud nova confessione expiare:* „ *potest etiam fieri, ut confessionem & communionem non*

„ *rite peregerit, & hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt* „ *veræ reliquiæ, quæ hoc Sacramento tolluntur, nisi quis* „ *ponat obicem.* Hoc ipsum docere videtur *Sanct.* „ *Thomas* L. 4. *contra Gentes* cap. 73. bis verbis: „ *Contingit quod homo omnium peccatorum, quæ com-* „ *misit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per* „ *pœnitentiam singula expurgare, à quibus oportet ho-* „ *minem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.* „ Et in Supplemento q. 30. art. 1. *Si invenit pec-* „ *catum aliquod,* inquit, *vel mortale, vel veniale,* „ *quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex* „ *ex parte recipientis.* Denique *S. Carolus Borromæus* „ *in Instructione de Extrema Unctione* sic loquitur: „ *Potest fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non* „ *valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo* „ *delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit, eum* „ *per hoc Sacramentum Salvari, qui alioqui fuisset dam-* „ *nandus.*

Dixi tamen in Responsione, *probabiliter.* De hoc enim effectu valde dubito ea potissimum ex ratione, quia sic istud Sacramentum debuisset numerari inter Sacramenta *mortuorum*, & haberi *pro necessario* ad salutem respectu plurimorum, sub quo tamen eximio attributo nobis non commendatur nec ex Doctrina nec praxi Patrum. Hinc probabilius est, quod Sacramentum Extremæ Unctionis sit institutum *tanquam Supplementum, perfectio ac consummatio pœnitentiæ*, antiquitus à plerisque in articulum mortis differri solitæ, prout *Tournelius* quasi prioris suæ sententiæ pœnitens l. c. tandem fatetur.

Quæritur 7. Qualia, & in quo sensu, remittantur peccata per Sacramentum Extremæ Unctionis?

Respondeo 1. Per Sacramentum Extremæ Unctionis non remittuntur peccata mortalia quoad reatum pœnæ.

Ratio est, quia alioquin inuncti Extrema Unctione antiquitus non fuissent in casu reconvalescentiæ subjecti statutis pœnitentiæ legibus, quod patet esse falsum ex dictis in Tractatu de pœnitentia *Disput.* 6.

Respondeo 2. Per Sacramentum Extremæ Unctionis non remittuntur peccata venialia quoad reatum culpæ.

Ratio est, quia in peccato veniali reperitur duplex *macula*; una *moralis*, quæ consistit in deordinatione habituali voluntatis; altera *Theologica*, quæ consistit in diminutione amicitiæ divinæ. Illa autem macula moralis non tollitur per susceptionem Extremæ Unctionis, cum per hanc non mutetur directè ac infallibiliter ex opere operato voluntas humana. Ergo nec tollitur macula Theologica, utpote proportionalis ordinatæ vel inordinatæ habituali dispositioni voluntatis.

Respondeo 3. Per Sacramentum Extremæ Unctionis peccata tam mortalia quam venialia per pœnitentiam sufficienter retractata remittuntur quoad reatum reliquiarum peccato inhærentium.

Dixi, *inhærentium*; sunt enim duplicis generis reliquiæ peccatorum. Quædam enim peccato *inhærent*, illudque consequuntur per modum proprietatis metaphysicæ etiam sublato *reatu culpæ*, seu indignationis personalis respectivæ ad determinatum gradum præmii essentialis, & *reatu pœnæ*, seu debiti ad pœnas sensuum afflictivas. Tales Reliquiæ peccato inhærentes sunt duæ; nempe *indignitas ad gratias* alioquin præparatas perseverantibus in fervore charitatis, & *dignitas ad majorem subjectionem & potestatem dæmonis* ad tentandam animam. Aliæ reliquiæ peccatorum sunt peccatis extrinsecæ, seque habent per modum effectus physici causati ex peccatis. Tales reliquiæ sunt *pravæ consuetudines*, nempe *pronitas* seu *proclivitas* ad malum, & *ineptitudo, torpor, languor*, & *debilitas* ad operandum bonum.

Dico proin, per Sacramentum Extremæ Unctionis tanquam complementum, perfectionem, & consummationem pœnitentiæ finalis remitti per se ac directè *reatum reliquiarum peccatis inhærentium* post remissum reatum culpæ, vel etiam pœnæ.

Ratio est; quia ex una parte ex textibus superius adductis constat, per Sacramentum Extremæ Unctionis remitti peccata, ex alio vero parte nullus potest assignari alias modus convenientior remissionis; Ergo debet hic assignari.

Quæritur 8. Quis ergo sit primarius effectus hujus Sacramenti?

Respondeo. Primarius effectus, ex quo reliqui effectus consequuntur, consistit in *confirmatione* animæ per gratias *adjuvantes* & per ligationem potestatis dæmonum pro ultima lucta. Exinde enim consequitur *indirectè* remissio peccatorum mortalium inquantum moribundus per gratias actuales disponitur ad eliciendum actum contritionis seu charitatis perfectæ, & directè consequitur remissio peccatorum quoad reatum privationis gratiarum indebitarum & subjectionis majoris ad potestatem dæmonum, seu quoad reatum reliquiarum peccato inhærentium.

Ratio est, quia hic effectus primario & unice exprimitur in textibus plerisque Patrum, & in forma Sacramentorum veteri.

Quæritur 9. Quis sit Minister hujus Sacramenti?

Respondeo. Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos.

Probatur ex traditione Ecclesiæ & sensu Patrum, qui verba D. Jacobi, ubi pro Ministris hujus Sacramenti designat presbyteros, semper intellexerunt *presbyteros* sic dictos antonomasticè ex ordine, non *Seniores ætate*, vel *dignitate*.

Nec obstat quod juxta Innocentium I. hoc oleum possit ægris applicari etiam à laico, dum in Epistola ad Decentium sic scribit: *Non est dubium* (textum D. Jacobi de inungendis infirmis) *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.*

Respondeo enim; ibi tantum esse sermonem de hujus olei usu laicis permissio per modum *rei sacramentalis* in ordine ad obtinendum fructum secundarium ex precibus seu benedictione Ecclesiæ; non vero de *usu* hujus olei *sacramentali* in ordine ad fructum primarium Sacramenti. Aliud enim est, quod aliqua *res* dicatur *sacramentalis*; cujus rei usus non est sacramentalis; & aliud est, quod

quod ipse *usus* alicujus rei fit *sacramentalis*. Sic enim aqua benedicta vocatur res sacramentalis, licet ejus usus, dum ea nosipsos vel populum aspergimus, non sit sacramentalis. Econtra dum aqua benedicta baptizamus, etiam usus hujus aquæ est sacramentalis.

Dico proin in sacratione olei Infirmorum ab Episcopo adhiberi duas orationes; quarum prima ordinatur *ad usum sacramentalem* hujus olei; secundo vero *ad usum non sacramentalem olei* tanquam rei *sacramentalis*. In prima enim oratione Episcopus authoritative dicit: *Exorcizo te immundissime Spiritus, omnisque incursio Satanæ, & omne phantasma. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, & possit effici unctio Spiritus ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare per nomen Dei Patris omnipotentis, & per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu Christi; qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Resp. Amen.* Hæc oratio videtur ordinari ad unctionem Spiritus per gratiam sacramentalem remissivam peccatorum quoad reatum reliquiarum peccato inhærentium, adeoque ordinatur ad usum sacramentalem olei, solis sacerdotibus licitum. Econtra secunda Episcopi oratio est pure *benedictionalis*, ut proin sicut Chrisma, olim in baptismo *Sacramentale* pro impertienda simul cum baptismo confirmatione, transiit successu temporum in Chrisma tantum cæremoniale seu benedictionale, ita etiam inunctio olei ab Episcopo benedicti duplicem finem ac usum, nempe Sacramentalem & benedictionalem, habere potest juxta diversam intentionem Episcopi, expressam per diversas preces Ecclesiæ. Oratio ista secunda sic habet: *Emitte quæsumus Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cœlis in banc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis, & corporis; ut tua Sancta bene†dictione, sit omni hoc unguento cœlestis medicinæ peruncto, tutamen mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis, & corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas; & Martyres, sit Chrisma tuum perfectum, Domine nobis à te benedictum, permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Jesu Christi.*

Quæritur 10. An hoc Sacramentum licite & valide possit administrari à quovis Sacerdote, etiam religioso?

Respondeo. In casu necessitatis urgente mortis periculo & absente proprio parocho, quisque presbyter, etiam religiosus, licite potest infirmo conferre Sacramentum Extremæ Unctionis. Ita *Dominicus Soto*, & *P. Juenin* l. c. c. 2.

Probatur ex S. Carolo Borromæo, qui in Concilio Mediolanensi V. dicit: *Si porro* (Parochus) *impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, hoc* (Sacramentum Extremæ Unctionis) *Sacerdos alius administret.*

Nec obstat, quod in Clementina *de Privilegiis* prohibeatur, ne quis presbyter Extremam Unctionem administret *sine licentia* proprii Sacerdotis; & quod ibidem statuatur Excommunicationis pœna in talem presbyterum, si *religiosus* fuerit.

Respondeo enim; id solum statui, si fiat sine licentia parochi saltem rationabiliter præsumpta, qualis in tali casu necessitatis à Parocho dari & ab aliis præsumi debet. Concederem tamen; à Religioso incurri excommunicationem, si in tali necessitatis casu huic muneri se ingereret in præsentia alterius Sacerdotis sæcularis idonei & parati ad hoc sacramentum administrandum.

Ratio est, quia præsumpta licentia Parochi censetur potius referri tacite ad alium conpresbyterum sæcularem: & quia præsumendum est, eam fuisse intentionem Pontificia, volentis præscindere omnem ansam querelarum contra religiosos.

Quæritur 11. Utrum ad conferendum antiquitus hoc Sacramentum advocati fuerint plures presbyteri? Et quando vel cur is mos defierit?

Respondeo. Antiquitus usque ad sæculum decimum tertium viguit mos adhibendi plures Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti solenni; in administratione tamen minus solenni adhibebatur sacerdos unicus. Sic enim in Rituali MS. *Romsaviensi* nostræ Diœcesis, scripto sæculo duodecimo vel decimo tertio, quod descripsit quidam meorum amanuensium, fit tantum mentio unius presbyteri. P. Juenin etiam affert nonnulla antiquiora exempla, in quibus fit mentio unius presbyteri. Causa autem etiam in urbibus collationem hujus Sacramenti restringendi ad unum presbyterum forte erat, quia presbyteri non amplius vivebant in communi, prout fiebat ante sæculum duodecimum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis. Cum ergo difficulter convocarentur, enata est querela Waldensium, *quod hoc Sacramentum tantum conferatur divitibus*, prout Reynerius agens de Waldensibus testatur. De illa anteriori communi vita Clericorum scripsi in opere, cui titulus: *De origine & vita Canonicorum Regularium & Sæcularium.*

Quæritur 11. Quodnam sit subjectum hujus Sacramenti?

Respondeo 1. Subjectum hujus Sacramenti est *infirmus periculose decumbens*. Dicitur autem periculose decumbere, de quo habetur saltem *probabilis metus*, an non sit ex tali infirmitate moriturus.

Id probatur 1. ex instructione Eugenii IV. ad Armenos, ubi Pontifex dicit: *Hoc Sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet.*

Probatur 2. ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 2. ubi sic habet: *Declaratur etiam, esse banc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Probatur 3. In pœnitentiali Theodori Cantuariensis dicitur: *Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio peccatorum. -- Et idea secundum authoritatem canonicam Sacra Unctione olei inuncti communione viatici reficiantur.*

Respondeo 2. Hinc Sacramentum Extremæ Unctionis non est differendum in tempus, quo jam de vita infirmi desperatum est.

 Id

Id PROBATUR 1. ex adductis testimoniis Concilii Tridentini & Eugenii IV. ubi ad conferendum hoc Sacramentum non requiritur *certitudo*, sed tantum *metus* de fecutura morte; nec requiritur, ut infirmi jam sint constituti *in exitu vitæ*, sed dicitur, *præsertim*, quæ particula est implicativa etiam aliorum ægrorum non constitutorum in exitu vitæ.

PROBATUR 2. ex variis Conciliis, relatis à *P. Juenin.* Sic Concilium BITURICENSE anno 1584. ait: *Administretur tempestive à Sacerdote Extrema Unctio olei sancti, ita ut Christianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoscere possit.* Concilium BURDIGALENSE de eodem Sacramento loquens tit. 13. ait: *Tamen non eo usque differendum est, dum æger omnibus pene sensibus destitutus sit.* Et Concilium MEDIOLANENSE V. sub D. Carolo Barromæo. *Extremæ unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.*

QUÆRITUR 12. An hoc Sacramentum conferendum sit præ mero senio morientibus?

RESPONDEO Affirmative.

RATIO est, quia senectus ipsa accedente levi alioqui alteratione inducit periculum mortis ab intrinseco ex statu æquivalente infirmitati. Ita habetur in CONCILIO MEDIOLANENSI. IV. tit. 6. ubi dicitur: *Parochus Extremæ Unctionis Sacramentum sicut bis ministrare debet, adultis scilicet periculose ægrotantibus; propeque moribundis, senio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris: ita istis ne ministret, nempe pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.*

QUÆRITUR 13. An hoc Sacramentum sit conferendum pueris, jam semel confessis, sed necdum S. Communione refectis?

RESPONDEO. Si habeant rudem aliquam notitiam de natura & effectu hujus Sacramenti, debet illis conferri.

RATIO est, quia in ejusmodi infantibus frequens est reticentia peccatorum gravium in confessione, cujus reticentiæ gravem malitiam forte non satis ponderant. Igitur, si hoc sacramentum *per accidens* peccata etiam mortalia aut venialia sufficienter retractata delet, potest contingere, ex applicatione hujus sacramenti aliquos salvari alioquin perituros.

QUÆRITUR 14. An hoc Sacramentum sit iterandum in eodem morbo?

RESPONDEO 1. Si æger ita convaluerit, ut jam sit constitutus extra mortis periculum sine probabili metu variationis ac reincidentiæ, potest noviter inungi superveniente novo mortis periculo. Ita docet CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. 14. C. 3. his verbis: *Si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud vitæ discrimen inciderint.*

RESPONDEO 2. Nulla unquam fuit alia Ecclesiæ Latinæ disciplina iterandi Extremam Unctionem durante eodem morbo, sed tantum superveniente alio novo mortis periculo. Id colligitur ex testimonio PETRI CLUNIACENSIS, qui l. 5. Epist. 7. testatur; à quibusdam fuisse impugnatum hunc morem Ecclesiæ, de novo inungendi recidivos in morbum. *Qua ratione*, inquiunt, *sola infirmorum Unctio non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo servato numero datur?* Ad quam objectionem Petrus Cluniacensis respondet, hanc esse disparitatem inter hanc & alias unctiones, quia ista unctio ordinatur ad remissionem peccatorum, quæ iteranda est. *Iterari*, inquit, *necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.*

NEC OBSTAT, quod D. GREGORIUS M. in suo *Sacramentario* videatur dicere, illis temporibus Extremam Unctionem etiam in eodem morbo sæpius fuisse administratam, dum ait: *Presbyter deinde communicet eum* (infirmum jam inunctum) *de corpore & sanguine Domini. Et sic faciant illi per septem dies tam de communione, quam de alio officio, & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

RESPONDEO enim, hoc loco non esse sermonem de iteratione unctionis, sed tantum de iteratione S. Communionis, & de iteratione precum, quæ recitari solent in collatione Extremæ Unctionis. Cum enim effectus hujus Sacramenti dependeat ab *oratione fidei*, hoc est, ab *oratione fiduciali*, qualis est, oratio *continua ac perseverans*, saltem tanquam *à conditione*, credebatur, abundantiorem fructum hujus Sacramenti obtinendum fore, si oratio presbyteri foret instantior. Si enim fructus Sacramenti Eucharistiæ commensuratur devotioni suscipientis tanquam conditioni, non alienum à divina sapientia videri poterat, si etiam fructus hujus Sacramenti sic disponente Deo quoad copiosius augmentum commensuretur orationi ferventiori sacerdotis, licet in nullo alio Sacramento id locum habeat, cum in nullo alio Sacramento pro materia Sacramenti constituta fuerit ipsa oratio Ministri.

QUÆRITUR 15. An Sacramentum Extremæ Unctionis sit necessarium necessitate præcepti divini vel Ecclesiastici?

RESPONDEO 1. Sacramentum Extremæ Unctionis ex parte recipientis nec est necessarium necessitate præcepti divini positivi, nec Ecclesiastici.

RATIO est, quia hoc præceptum non potest sufficienter probari.

Idem CONFIRMATUR ex eo, quia si extaret tale præceptum, debuisset aliquando ejus necessitas à Patribus inculcari, quod tamen nullibi reperitur.

RESPONDEO 2. Peccant tamen mortaliter, qui ex tepore, negligentia, vel avaritia illud postulare vel conferre negligunt.

RATIO est, quia sine hoc Sacramento se exponit temere gravi periculo amittendæ salutis æternæ in extrema lucta, seu succumbendi extraordinariis gravissimis tentationibus dæmonis, quod est peccatum mortale. Quod autem homo se temere exponat tali periculo, patet, quia certum est, frequentissime homines in articulo mortis pati gravissimas tentationes à dæmone, contra quas Deus ordinavit determinatum hoc tutamentum fortissimum; Itaque se absque necessi-

ceffitate privare tali medio divinitus ordinato est se exponere periculo temere.

DICES 1. D. JACOBUS tendendo præceptive dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. THEDORUS Cantuariensis in suo Pœnitentiali dicit: *Secundum authoritatem Canonicam, ne illis* (morihundis) *pietatis janua clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra unctione olei muniti secundum Statuta Sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.* 3. In CAPITULARIBUS CAROLI M. habetur: *Si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat; nec unctione sacrati olei careat.* 4. CONCILIUM CABILONENSE C. 48. *Infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent.* 5. CONCILIUM COLONIENSE celebratum 1536. part. 7. c. 50. *Hæc sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici.* 6. Alterum Concilium Coloniense 1549. *Si quis Sacramentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.* 7. S. CAROLUS in V. Concilio Mediolanensi part. 2. *Caveat parochus, ne in eo Sacramento ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioquin si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Episcopo graviter plectatur.*

RESPONDEO.

Ad 1. Apostolum hoc dicere non *præceptive*, sed *commonitive* & *declarative* præcepti naturalis, quo homo tenetur arripere media divinitus ordinata ad evadendum grave periculum amittendæ salutis æternæ.

Ad 2. 3. 4. 7. dico, ihi dari mandatum parochis, ut hoc Sacramentum ministrent moribundis.

Ad 5. dico, etiam verha Apostoli tacite continere mandatum respectu presbyterorum, ut administrent hoc Sacramentum petentibus.

Ad 6. dico, eam pœnam Ecclesiasticam solum respicere eos, qui, ut illis temporibus frequens erat, per contemptum formalem vel interpretativum recusahant recipere hoc Sacramentum.

QUÆRITUR 16. Qualis in recipiente requiratur dispositio ad fructuose recipiendum hoc Sacramentum?

RESPONDEO. Requiritur 1. status gratiæ, saltem *per se*. Et hinc si infirmus sit sibi peccati mortalis conscius, tenetur prius confiteri. Qua de causa parochi tenentur infirmos adhortari ad præmittendam huic Sacramento confessionem. 2. Requiritur etiam in recipiente devotio ad hoc Sacramentum vel actualis, vel virtualis, vel habitualis. Imo, si haberi potest; requiritur actualis vel virtualis. Devotio autem illa consistit *in actu fidei* de sua miseria & necessitate gratiæ; *in actu spei* seu fiducia ad obtinendum robur & remissionem peccatorum per merita & misericordiam Christi, *in actu amoris* erga honitatem Dei sibi præordinantis tam efficacia media. Hinc cum fructus hujus Sacramenti magna ex parte commensuretur huic dispositioni recipientium, tenentur parochi infirmos excitare ad ejusmodi actus. Responsio autem hæc est conformis ad mentem D. Thomæ proxime referendi, & PROBATUR ex generali principio, quia Deus, cum nunquam operetur sine harmonia omnium perfectionum divinarum, & cum honitate concurrat semper sapientia ac justitia, non solet profundere suas gratias sine *congrua dispositione* recipientis, uhi potest haberi ea dispositio; prout patet ex haptismo adultorum.

QUÆRITUR 17. In qnihus partibus soleat conferri Extrema Unctio?

RESPONDEO 1. In Græca Ecclesia inungitur frons, mentum, genæ, pectus, manus, & pedes. Ita testatur ARCUDIUS l. 5. C. 7. his verhis: *Græcorum Sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur unctio in modum crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes.* SIMEON tamen Thessalonicensis l. 1. de Sacramentis, ubi ritum hujus Sacramenti describit, non facit mentionem pectoris, & pedum, sed tantum frontis, faciei, & manuum, ex quo *P. Juenin* colligit, antiquitus à Græcis non fuisse inunctum pectus & pedes.

RESPONDEO 2. In Latina Ecclesia jam sæculo sexto viguit consuetudo multorum præter alias quasdam partes inungendi quinque sensus corporis humani. In Sacramentario GREGORII M. quod *Menardus* edidit, sic habetur: *Multi sacerdotum perungunt insuper*, (hoc est, ultra frontem, & forte labia, pectus, ac pedes) *in quinque sensus corporis, id est, in superciliis oculorum, in auribus deintus, & in narium summitate sive exterius, & in manibus exterius, id est, deforis.* Teste *P. Juenin* Codex Abbatis *Rotaldi* unctioni quinque sensuum adjungit unctionem *colli, pectoris* & *scapularum.* Vetus PONTIFICIALE ANGLICANUM imperat unctiones *colli, scapularum, pectoris, pedum, umbilici*, seu *loci, ubi plus dolor imminet.* Codex REMIGIOREMENSIS addit utriusque temporis unctionem. *Ungatur*, inquit, *à sacerdote vel pluribus sacerdotibus de oleo sanctificato facientibus cruces singulis in dextro tempore & sinistro, non in fronte, nec in vertice.* EUGENIUS IV. in Instructioue ad Armenos juhet inungi præter quinque sensus etiam renes. *Hoc Sacramentum*, inquit, *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Hanc formam secutum est *Rituale Romanum* Tit. 27. §. 15. ita tameo ut prohibeat inungi renes In mulieribus honestatis causa; imo etiam in iis viris, qui commode moveri non possunt.

QUÆRITUR 18. Cujusnam partis inunctio pertineat ad essentiam hujus Sacramenti?

RESPONDEO. Nullius determinatæ partis inunctio requiritur ad essentiam hujus Sacramenti, sed sufficit, dummodo inungatur aliqua pars notabilis corporis humani.

PROBATUR 1. Id sufficit in haptismo ad hoc, ut dicatur ablui corpus humanum. Ergo idem etiam sufficit ad hoc, ut dicatur inungi corpus humanum.

PROBATUR 2. Nulla est assignabilis pars in corpore humano, quæ non fuerit omissa in uno

uno vel altero Rituali. Ergo, cum non possit supponi, omissa esse essentialia Sacramenti, dicendum est, nullam esse determinatam partem corporis humani pro materia essentiali hujus Sacramenti, sed sufficere, dummodo corpus humanum inungatur in aliqua parte notabili. *ant. prob.* Nam inprimis non potest dici, sensus quinque esse materiam necessariam hujus Sacramenti; quia D. GREGORIUS M. in suo Sacramentario testatur, quod non omnes, sed tantum *multi* quinque sensus, inter quos ibi organum gustus omittitur, inungant, prout ostensum est. Neque etiam potest dici; quod frons, aut genæ, aut mentum, aut collum, aut pectus sit pars essentialis, quia ex adductis textibus constat, non semper ab omnibus has partes inunctas esse. PETRUS CLUNIACENSIS l. 5. Epist. 7. observat, nullam earum unctionum iterari, quæ fit in baptismo, in confirmatione, & in ordinatione Sacerdotis. Cum ergo baptizandi ungantur in vertice, confirmandi in fronte, presbyterandi in manibus, verosimile est, has inunctiones tempore Petri Cluniacensis omissas fuisse. Idem PROBATUR ex *Rituali Mechlinensi*, approbato ab Academia Lovaniensi anno 1588. quod Can. 9. de Extr. Unct. sic scribit: *In morbis contagiosis & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, aut detectum dicendo: Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum. Et tunc preces quæ prætermittendæ forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili Sacramento devote legi.*

CONFIRMATUR ex eo, quia authores communiter concedunt, quod unica solum pars corporis inungenda sit, quando timetur, ægrum sub inunctione moriturum. Sic etiam SYNODUS VENETA 1668. præscribit his verbis: *Si imminens transitus prævideatur, unica unctione in fronte suppleri poterit sub hac forma. Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per sensus deliquisti. Amen.*

QUÆRITUR 19. Qualis in Latina Ecclesia sit Extremæ Unctionis forma?

RESPONDEO. In singulis partibus corporis, quæ inunguntur, repetitur hæc forma: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per* (nominatur pars inungenda hoc modo;) *visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, gressum, deliquisti.* In nomine Patris &c.

QUÆRITUR 20. An omnia verba hujus formæ sint essentialia?

RESPONDEO Negative.

RATIO est, quia, ut superius ostensum est, ad essentiam hujus Sacramenti sufficit unica inunctio, & generalis expressio sensuum. Imo, ne quidem ad essentiam Sacramenti requireretur expressio sensuum, cum per hoc sacramentum etiam remittantur peccata mentalia, quæ sine ullo sensu interno vel externo commissa sunt. Si ergo non requiritur ad essentiam sacramenti, ut exprimantur potentiæ internæ, per quas peccatur, etiam non requiritur ad essentiam sacramenti, ut exprimantur sensus. Multo minus ad essentiam sacramenti exigitur, ut pronuntientur hæc verba: *Per suam piissimam misericordiam;* quia hæc causalis propositio vel modus incidens per se jam præsupponitur in omni sacramento.

RESPONDEO 2. Ista tamen verba vel his æquivalentia: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*, sunt essentialia huic sacramento.

RATIO est, quia in omni alio sacramento exprimitur actio sacramentalis, & effectus primarius, à quo tanquam radice dependent cæteri effectus secundarii. Ista antem in hoc sacramento sunt inunctio & remissio peccatorum quoad reatum reliquiarum peccato inhærentium, prout superius explicatum est. Hinc in antiquis formis semper continetur expressio inunctionis. Et quamvis hæc actio sufficienter exprimeretur ipso facto externo, placuit tamen authori Sacramentorum, requirere expressionem etiam verbalem; nec decet, in re dependente ab arbitrio instituentis hariolari seu divinare de illius mente, quod ea, quæ requisivit, non requisierit tanquam requisita essentialia. Id enim nec tutum, nec præsumendum est.

QUÆRITUR 21. Qualis fuerit forma Extremæ Unctionis primis decem sæculis?

RESPONDEO. Forma Extremæ Unctionis primis decem sæculis non erat deprecatoria, ut nunc, sed absoluta ac indicativa.

Id PROBATUR ex variis illorum temporum formulis. 1. Forma, quæ dicitur AMBROSIANA, & quam Paludanus in 4. dist. 23. à nullo antiquorum Patrum fuisse improbatam testatur, sic habet, *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates.* 2. ALBERTUS M. in 4. dist. 23. art. 4. testatur; se lustrasse oculis antiquissimos Germaniæ Rituales libros, qui hujus Sacramenti formam mere indicativam continebant. Addit; praxin sic conferendi sacramentum vocari à Germanis *Gregorianum*. 3. ARCUDIUS l. 5. de concordia c. 5. refert ex MS. Codice HALITOARII, qui floruit sub Ludovico Pio, hanc formulam: *Ungo te de oleo sanctificato, ut more militum præparatus ad luctamen aëreas possis superare catervas*, &c. 4. In Sacramentario GREGORII M. habetur indicativa & authoritativa hoc modo: *Inungo te de oleo sancto, sicut Saulem unxit Samuel in Regem & Prophetam. Operare creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus &c.*

QUÆRITUR 22. Utrum amentibus aut furiosis possit conferri hoc Sacramentum?

RESPONDEO. Si tales amentes aut furiosi aliquando habuerunt usum rationis, & frequentarunt devote sacramenta Ecclesiæ, nec inciderunt in amentiam vel rabiem in actuali commissione peccati mortalis, vel saltem possit dubitari, an non suum peccatum uno vel altero momento lucidi intervalli retractarint, potest illis conferri hoc Sacramentum, dummodo id fieri possit sine gravi irreverentia & nulla extet particularis lex Diœcesana in contrarium.

RATIO est, quia ad fructuose suscipiendum hoc sacramentum sufficit intentio & devotio habitualis,

bitualis, seu actualis præterita per peccatum devotioni contrarium non retractata.

Idem CONFIRMATUR ex D. Thoma, qui p. 3. q. 80. a. 9. sic scribit: *Dicendum, quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter; uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere usum rationis totaliter. Aut igitur nunquam habuerunt usum rationis, sed sic à Nativitate permanserunt, & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit hujus Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis? Et tunc, si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi.*

QUÆRITUR 23. An Extrema Unctio præmittenda sit sacræ communioni?

RESPONDEO. Antiquitus Extrema Unctio præmissa fuit S. Communioni, sed RITUALE ROMANUM A PAULO V. editum testatur, initio elapsi sæculi jam obtinuisse universalem Ecclesiæ consuetudinem, ut hoc Sacramentum conferatur ægro post sumptionem Eucharistiæ. De hac re P. JUENIN h. i. quæst. ult. sic scribit: „ Antiquitus Unctionem Extremam fuisse datam infirmis immediate ante Eucharistiæ communionem, probat *Doctissimus Hugo Menardus* ex libro Sacramentorum *S. Gregorii*, ex Codice *Rotaldi* & ex Codice *Tiliano*, ubi infirmi unctio peragenda præscribitur antequam infirmus inungatur; *Deinde* (seu post unctionem) *communicet eum* (Sacerdos) *corpore & Sanguine Domini.* Probat etiam ex *Pœnitentiali* libro *Theodori Cantuariensis*: *Ideo secundum Canonicam authoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus sacra cum unctione olei animati, secundum statuta SS. Patrum Communione viatici reficiantur.* Probat quoque ex *Eparchio* authore vitæ *Caroli Magni*: *oleo sancto inunctus ab Episcopis* (inquit) *& viatico sumpto --- obiit in pace.* Probat iterum ex Constitutionibus *Riculphi Episcopi Suessionensis*: *Item oportet* (inquit) *ut Presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem oleo sancto perungant & tunc eos communicent.* Aliquibus abhinc sæculis diversa disciplina obtinuit apud Latinos, seu, passim communicatur infirmus antequam unctione extrema donetur: *In quo* (verba sunt Romani Ritualis editi jussu Pauli Papæ V.) *illud inprimis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.*

„ Jam vero si quis roget quænam ex duabus illis disciplinis sit magis laudanda; dicendum erit utramque non levibus niti momentis. Antiqua nititur ipsa Extremæ Unctionis natura: cum enim (ut ajunt Patres) sit quoddam Sacramenti Pœnitentiæ consummativum, decuit ut non separaretur ab ipso Pœnitentiæ Sacramento. Præterea cum peccata, saltem venialia, remittat, animamque qua de cœlestibus cogitet, expeditam efficiat, par fuit ut per modum dispositionis Sacræ Communioni præmitteretur. Alter usus ipsa etiam unctionis natura nititur: cum enim sit Sacramentum exeuntium, non immerito confertur post cætera omnia Sacramenta: Unde autem posterior ea consuetudo originem duxerit, his verbis docet BELLARMINUS lib. 2. de arte bene moriendi cap. 2. *Nostro tempore invertitur ordo non sine justissima causa: sæpe enim accidit ut Extrema Unctio, ne terreantur ægroti, differatur in longum tempus & periculum est ne interim ægrotus vel usum rationis amittat, vel alia de causa reddatur inhabilis ad Eucharistiam rite percipiendam: Ideo igitur viaticum nostro tempore præmittitur: Melius est enim ut inverso ordine Sacramenta ita ministrentur ægrotis quam ut altero eoque saluberrimo priventur: Unctio enim extrema conferri potest ægroto etiam in agone posito, & non intelligenti vel sentienti quid circa se agatur, modo tamen in vivis sit, defuncti enim nullius Sacramenti capaces sunt.* Cæterum non in extremæ tantum unctionis administratione, sed & in dispensatione aliorum Sacramentorum quisque in praxi tenetur sequi ritum qui suis temporibus obtinet in Ecclesia cujus est Minister: *Si quis dixerit* (verba sunt CONCILII TRIDENTINI Sess. 7. Can. 13. de Sacramentis in genere) *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiæ pastorem mutari posse: anathema sit.*

Tractatus DE SACRAMENTO ORDINIS.

In hoc Tractatu agetur

1. De vocatione & intentione ad recte ineundum Statum Clericalem requisita.
2. De Tonsura.
3. De Ostiariatu.
4. De Lectoratu.
5. De Exorcistatu.
6. De Acolythatu.
7. De quatuor Minoribus Ordinibus in genere.
8. De vita & honestate Clericorum.
9. De veste Clericali.
10. De privilegio Canonis.
11. De privilegio fori.
12. De Irregularitate.
13. De Subdiaconatu.
14. De annexo voto castitatis.

15. De Horis Canonicis.
16. De Titulo Mensæ.
17. De Diaconatu.
18. De Prædicatione Verbi Divini.
19. De Presbyteratu.
20. De Sacrificio Missæ.
21. De requisitis ad licitam & validam consecrationem.
22. De fructu Sacrificii Missæ.
23. De applicatione Missæ.
24. De cæremonialibus Missæ.
25. De Rubricis Generalibus Missæ.
26. De censuris.

§. I.

De vocatione & intentione ad Statum Clericalem requisita.

QUÆRITUR 1. Quid sit Sacramentum Ordinis?

RESPONDEO. Sacramentum ordinis est signum sensibile, quo homini confertur spiritualis potestas, ad offerendum juge Sacrificium Novi Testamenti, & impertiendam absolutionem à peccatis remote aut proxime ordinata.

QUÆRITUR 2. Quot sint ordines?

RESPONDEO. A Concilio Tridentino Sess. 23. numerantur septem, ita tamen, ut omnes *unitate finis & unitate subordinationis* conficiunt *unum Sacramentum* ordinis. Hi ordines sunt 1. Ostiaratus. 2. Lectoratus. 3. Exorcistatus. 4. Acolythatus. 5. Subdiaconatus. 6. Diaconatus. 7. Presbyteratus.

QUÆRITUR 3. Unde probetur, ordinem esse Sacramentum?

RESPONDEO. Probatur ex eo, quia ex constanti traditione habetur, quod Presbyteratus, ad quem inferiores ordines subordinantur, habeat promissionem gratiæ. Sic enim Apostolus 1. Tim. 4. v. 14. dicit: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. Tim. 1. v 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Similiter, quando Christus Apostolis Joan. 20. contulit presbyteralem potestatem completam remittendi peccata, *insufflavit in eos dicens: accipite Spiritum Sanctum.* An vero etiam inferiores sint Sacramentum separatim sumpti, dicetur suo loco.

QUÆRITUR 4. An etiam Episcopatus sit Sacramentum?

RESPONDEO Affirmative,

RATIO est, quia licet videatur Episcopatus esse quidam ordo ministerialis, ordinatus ad valide ordinandos presbyteros, nihilominus; cum in ordinatione Episcoporum ex primis Ecclesiæ temporibus dicatur: *Accipe Spiritum Sanctum*, prout hoc dicitur in ordinatione presbyterorum, dicendum est, simili modo conferri gratiam. Tridentinum enim Sess. 23. Can. 4. dicit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipite Spiritum Sanctum, anathema sit.*

QUÆRITUR 5. Quinam censendi sint esse vocati ad Statum Clericalem? Et qui non?

RESPONDEO. Ad statum clericalem vocati esse censendi sunt, in quibus comparent 1. Talenta naturæ & gratiæ huic statui idonea. 2. Inclinatio spontanea ad omnes functiones hujus status sancte obeundas. 3. Opportunitas mediorum. Quando enim Deus vocat, confert etiam media ad finem. Hinc cum ad talenta gratiæ huic statui idonea inprimis pertineat *castimonia exemplaris, honestas morum, tenera affectio ad divina, amor applicationis ad studia Ecclesiastica*, hæc in candidato status clericalis requirenda sunt. Econtra Authores experti scribunt; Statum clericalem assumendum non esse ab iis, qui pravum vitiorum contra castitatem habitum contraxerunt, eumque necdum sufficienti tempore, quod constantiam spondeat, emendarunt. P. LA CROIX l. 6. p. 2. q. 265. n. 1829. loquens de iis, qui pollutionibus seu peccato mollitiei dediti sunt, citans *P. Sporerum* ait: *Confessarius vix unquam* (talibus) *suadeat statum Ecclesiasticum, inquit Sporer, quia in hoc statu vitium illud nimis facile invenit fomenta sua & occasiones majoris ruinæ.* Ex instituto autem hanc quæstionem examinat P. JACOBUS SPAENO Societatis Jesu in suo libro, cui titulus: *Hierarchia Ecclesiastica* edita *Friburgi* 1722. ubi Differt. 1. fol. 92. sic scribit: „Quid autem „iis sentiendum est, qui diuturna servitute vitio cuipiam obnoxii sunt, præsertim, quos „inveterata peccandi assuetudo, soli Deo & „ipsis nota, Veneri obligat? an non & hosce „Deus ad Sacerdotium, tanquam ad asylum, „certumque adversus vitia alexipharmacum, „vocat?

„Videri possit vocatio eorum Divina, tum „quod venerandus Sacerdotii status, gratiarum „omnium fons, in Sacramentorum dispensatione, ipsaque manuum impositione per Hierarcham Episcopum facta, specialiter consecratus, abunde utique efficaciæ, gratiæque contineat ad omnem Alumnis suis sanctitatem impertiendum; tum quod quotidie in purissimo „Missæ sacrificio Agnum immaculatum offerant, „vinum germinans virgines bibant, atque ad „puritatis scaturiginem, abinendumque æstum „lascivi ardoris mitigaturi, sitemque illecebrosæ voluptatis extincturi, perpetuo convolent.

„Verumtamen IN OPPOSITAM ABEUNDUM SENTENTIAM EST. Id genus hominum ad Sacerdotium vocatio non est divina.

„Id quod SUADETUR PRIMO per Canonem ex AQUINATE mutuatum; *principium sanitatis sanum esse debere. In Expos. aurea in cap. 4. Joa.* Enimvero Sacerdotis est, immundis, „ægris, debilibus puritatem, sanitatem, acrobur impertiri; mundus igitur, sanus, atque „robustus sit ipsemet, oportet. Ita qui ad libertatem Filiorum Dei alios vocat, ipsemet „sit liber, oportet; qui ad aliorum vulnera „curanda accingitur, ipse prius obliget sua; ne „audiat notum illud: *Medice cura teipsum. Neque enim*, verba sunt *D. Ambrosii in Luc.* 4. „*quisquam potest æger, minimeque sanus immortalium sanitatum remedia ministrare.* Prius igitur „exulcerata conscientiæ tuæ apostemata domi „tuæ

„ tuæ perſanabis, quam ad alios ſanandos acce-„ das: prius propria diuturni mancipatus vincu-„ la dirumpes, quam ad libertatem alienam ad-„ jicias animum.

„ SUADETUR SECUNDO ab efficaci teſti-„ ficatione experientiæ, qua fere conſtat, reci-„ divos id genus homines quotidiana ſacrorum „ adminiſtratione adeo non emendari, ut & de-„ teriores reddantur. Rationem autem tam fu-„ neſti experimenti tum ex ipſa conſuetudinis „ hujus natura, tum à veneranda auguſtiſſimi ſa-„ crificii ſanctitate meritu petas. Equidem con-„ ſuetudinem hanc, non citra rationem, catenam „ ferream dixeris, quam non niſi ægerrime rum-„ pas, alteram velut naturam, quam difficilli-„ me exuas. Eſto enim, quandoque ad tempus „ turpitudinis ſuæ tædium concipiant, pronum „ tamen eſt à deſpotica voluptatis tyrannide ad „ fœdiſſima veteris ſervitutis eos ergaſtula retra-„ hi, fortiusque alligari. Quodque ærumno-„ ſiſſimum eſt, in ſuammet ipſi cladem cum ho-„ ſte conſpirant; amant vincula ſua, & ab iis „ expediri perhorreſcunt, id quod non ſine la-„ mento, ſimili olim nexu implicitus, *Auguſti-nus* confeſſus eſt *l.* 8. *Conf. c.* 11.

„ Quid? quod ipſamet illibata Sacrificii „ puritas (quod mirum videri poſſit) recidivo-„ rum horum ſordes firmare, ac indurare videa-„ tur; non ſecus, ac ſolis radius ceram quidem „ liquefacit, lutum vero indurat. Dum nem-„ pe infauſti hi Miſſæ tremenda quotidie teme-„ rant ſacra; dum ſacrilegis manibus temere „ contrectant Agnum ſine macula, prohibente „ Deo *ſanctum canibus dare*, toties præſertim ad „ vomitum redeuntibus; conſcientiæ male cau-„ teriatæ nova identidem ignia tartarei ſtigmata „ inurunt. Nimirum non ſanctificat Sacramen-„ tum hominem non ſancte, ſed ſacrilege illud „ tractantem; & *Iſcariotes accepta buccella abut* ad „ parricidium deſignandum, quo immanius ſui „ non aſpexit.

„ Non igitur à Deo eſt hæc recidivorum „ vocatio; Deus enim hoſtias, & Sacerdotes ſi-„ ne macula requirit. Non eſt à charitate; cha-„ ritas enim *non agit perperam*. Supereſt, ut ſpi-„ ritum immundum authorem agnoſcat, qui „ concupiſcentia hac excæcatia, ſpecioſo pieta-„ tis prætextu, turpiſſime imponit. Quisquis „ igitur etiamnum *infixus eſt in limo profundi, in* „ *quo non eſt ſubſtantia*; qui huic etiamdum viſco „ deliciarum inhæret, cui *inceſſabile delictum*, 2. „ Pet. 2. & mortifera voluptas dominatur, ma-„ culatus is eſt, indignus eſt, qui ad ſancta ſan-„ ctorum appropinquet, Panemve Angelorum „ contingere auſit; non enim minus hic mors „ eſt malis, quam vita bonis,

„ Atque hæc animadverſa ſunto ſuper Divi-„ na, ac ſpuria vocatione ad ſtatum Eccleſiaſti-„ eum. Cæterum temerarium foret, Deo non „ vocante, in ſacrarium irrepere. *Omnis plan-„ tatio*, inquit Filius Dei, *quam non plantavit Pa-„ ter meus, eradicabitur*. Matth. 15. Non uni cla-„ dem ſibi ac præcipitium parat, qui cœlo invi-„ to, ad ſancta Sanctorum aſcendit.

QUÆRITUR 6. An peccet mortaliter, qui principaliter Clericatum recipit ex moti-vo aſſequendi honores vel divitias ex Beneficio curato?

RESPONDEO Affirmative.

Id PROBATUR ratione & authoritate D. ANTONINI, qui part. 2. Summæ Tit. 3. C. 5. § 4. ſic ſcribit: „ Quærere & appetere hujusmo-„ di curata (*Beneficia*) principaliter propter ho-„ nores & divitias, quæ inde ſequuntur homini-„ bus, videtur eſſe mortale.. Et ratio eſt, quia „ eſt contra ordinem charitatis. Nam non ſo-„ lum dilectio Dei & proximi eſt in præcepto, „ ſed etiam ipſe ordo dilectionis. Eſt autem de „ Ordine dilectionis, ut diligatur prius ſalus ani-„ marum, quam corporum. Sed hunc ordinem „ talis pervertit præterens temporalia, quæ or-„ dinantur ad corpus, ſcilicet divitias & hono-„ rem, ſaluti animarum, quæ exercetur per „ curam.

§. II.

De Tonſura.

QUÆRITUR 1. Quid eſt Tonſura?

RESPONDEO. Eſt Cæremonia Eccle-ſiaſtica, qua inſignitus tranſertur à Statu Lai-cali ad Clericalem. Definitio patet ex materia & forma hujus Cæremoniæ, proxime referenda. Hinc & titulus hujus Cæremoniæ in Pontificali Romano inſcribitur: *De Clerico faciendo*.

QUÆRITUR 2. Quæ eſt materia hujus Cæremoniæ?

RESPONDEO. Per modum materiæ ſumi poſſunt actiones conſerentis Tonſuram, & actiones ſuſcipientis Tonſuram. Suſcipiens Tonſuram candelam accenſam geſtans in manu dextra, & ſuperpelliceum portans ſuper brachium ſiniſtrum genufſectit coram Pontifice. Conferens autem Tonſuram forcipe incidit in forma crucis quasdam extremitates capillorum, nimirum in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, & in medio capitis, ac dein ipſum induit ſuperpelliceo.

QUÆRITUR 3. Quæ eſt forma hujus Cæremoniæ.

RESPONDEO. Per modum formæ ſumi poſſunt verba recipientis Tonſuram, quibus conteſtatur, ſe ſtatum Clericalem eligere, & verba Pontificis, quibus eum cum imprecatione divinæ benedictionis in Statum Clericalem recipit.

QUÆRITUR 4. Qualia ſunt illa verba Tonſurandi, quibus proteſtatur, ſe tranſire in Statum Clericalem?

RESPONDEO. Sunt iſta: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Quorum verborum hic eſt ſenſus: In poſterum non quæram amplius bona terrena; totum bonum, quod jam quæro, Deus eſt; & hoc grande bonum, tanquam filius adoptivus, per modum portionis hæreditariæ me à Deo conſecuturum ſpero.

QUÆRITUR 5. Qualia ſunt illa verba Tonſurantis, quibus Tonſuratum in Statum Clericalem recipit?

RESPONDEO. Sunt iſta: *Filii Chariſſimi, animadvertere debetis, quod hodie de ſoro Eccleſiæ facti*

estis, & privilegia Clericalia sortiti estis; cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, & habitu honesto, bonisque moribus, atque operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum.

Quæritur 6. Quales sunt illæ benedictiones, quas Pontifex Tonsurando imprecatur?

Respondeo. Imprecatur illi in oblatione candelæ 1. Ut Spiritus sanctus habitum religionis in eo in perpetuum conservet. 2. Ut à mundi impedimento ac sæculari desiderio cor ejus defendat. 3. Ut virtutis incrementa tribuat. 4. Ut ab omni cæcitate oculos aperiat. 5. Ut lumen æternæ gloriæ concedat. In Tonsuratione illi imprecatur, ut in dilectione divina perpetuo maneat, & sine macula custodiatur in sempiternum. Et in superpellicei indutione precatur, ut devotus in Ecclesia perfistat; & ab omni servitute sæcularis habitus emundetur, & gerendo similitudinem coronæ spineæ Christi fiat particeps gloriæ. In ipso actu investitionis dicit: *Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Itaque, si Tonsurandus cupit se dignum reddere effectu harum benedictionum Ecclesiæ, semet ardentissimo affectu ad hæc divina dona disponat, conjungendo suas simul preces cum precibus Ecclesiæ.

Quæritur 7. Qualis requiritur ætas ad suscipiendam Tonsuram?

Respondeo. In nullo Concilio generali aut Decreto Pontificio certa ætas præfigitur. Varia tamen Concilia particularia, & ipsa decedentia, requirunt ætatem satis maturam, ad eligendum prudenter vitæ statum idoneum. Concilium Coloniense anno 1536. p. 1. c. 27. dicit: *Quid indecorum magis, quam admoveri infantes, qui non intelligant, quid agatur; imo ne capiant quidem, quid Clerici nomen significet? Qui enim in Clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam, nempe se particulariter in sortem Domini adscitos, quibus post hæc omnia sordeant, ac solus Dominus sors & pars hæreditatis futurus sit.* Hinc in variis statutis Synodalibus cavetur, ne Tonsura iis conferatur, qui decimum quartum ætatis annum non attigerint. Sic v. g. Em. Cardinalis Grimaldi Archiepiscopus in suis statutis Synodalibus ait: *Circa primam Tonsuram, à qua velut è radice totius Ecclesiastici Ordinis integritas pendet, statuimus, neminem illa fore initiandum, qui natus non sit ad minus annorum quatuordecim.*

Quæritur 8. Quales requiruntur aliæ dispositiones in Tonsurando?

Respondeo. Concilium Tridentinum sess. 23. c. 4. requirit sequentes. *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint; & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Requiruntur proin quinque conditiones. 1. Confirmatio. 2. Scientia principiorum fidei. 3. Ars legendi & scribendi. 4. Motivum non defectuosum. 5. Intentio promovendi cultum divinum.

Quæritur 9. An peccent graviter, qui suscipiunt Tonsuram cum positiva intentione non perseverandi in statu Clericali?

Respondeo. Peccant graviter. Ità communis.

Ratio est, 1. Quia tam verbo quam facto protestantur, se in præsenti habere animum perseverandi in statu Clericali. Itaque mentirentur in re gravis momenti, si haberent animum positive contrarium. Verbo dicunt: *Dominus pars hæreditatis meæ*, quæ electio ex sua natura petit esse perpetua. Facto autem se subjiciunt jurisdictioni Ecclesiæ, quæ aperte declarat, se nolle recipere in statum Clericalem, nisi qui spem præbent perseverandi. Tridentinum sess. 23. c. 18. ubi præcipit adolescentes nullos, nec pauperes nec divites, in Seminaria, & ad primam Tonsuram, ibi statim ab initio conferendam, recipiendos esse, nisi spem præbeant perseverandi in statu Clericali. *In hoc Collegio*, inquit, *recipiantur, qui ad minimum duodecim annos nati sint, ac legere & scribere competenter noverint; & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Tonsura statim atque habitu Clericali utantur.* 2. Est gravis irreverentia, in Cæremonia tam gravi, per quam conferuntur tam insignia privilegia, habere intentionem positive contrariam precibus Ecclesiæ, quæ in collatione Tonsuræ recitantur super ordinandum. In his enim dicitur; *Oremus D. N. J. Christum pro his famulis suis, ut donet eis Spiritum S. qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet.* Talis vero Tonsurandus in corde suo diceret; *Nolo id fieri.* Cæterum hoc peccatum adhuc gravius erit, si Tonsuratus cum illa intentione positive contraria retineat beneficium Ecclesiasticum prout ostensum est Part. 1.

Quæritur 10. An possit à Tonsurando exigi juramentum de Intentione permanendi in statu Clericali?

Respondeo. Potest exigi. Id enim actu exactum est à Concilio Mexicano anno 1585. quod l. 1. tit. 4. ait: *Nullus nisi prius juramento præstito de intentione permanendi in habitu Clericali admittatur, nec ad primam Tonsuram promoveatur.* Idem exigit Synodus Tarentina edita à Bonifacio Cardinali Cajetano tit. 26. c. 2.

Quæritur 11. An liceat recipere primam Tonsuram animo experiendi statum Clericalem?

Respondeo. Si animus experiendi statum Clericalem simul sit resolutus ad perseverandum stantibus iisdem motivis, difficultatibus, & circumstantiis, quo modo Candidati solent ingredi Religionem, id licet. Si vero animus ille sit tantum deliberativus, ea intentio perversa est.

Ratio est, quia status Clericalis non est status deliberativus, prout ex materia & forma Tonsurationis liquet, sed est protestatio animi jam resoluti ad statum Clericalem, & actualis via ad Ordines: Catechismus Romanus de Tonsura loquens ait: *Docere oportet, Tonsuram præparationem esse ad Ordines accipiendos; ut enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur; tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur.*

Quæ-

Quæritur 12. Quales contrahuntur obligationes à recipiente Tonsuram?

Respondeo. Tonsurati contrahunt sequentes 1. Ut Deo fidelem cultum præstent. 2. Ut recipiant in se quævis ministeria Ecclesiastica communia, si ab Episcopo illis injungantur. 3. Ut patiantur se adscribi servitio determinatæ Ecclesiæ. 4. Ut studeant in Seminario, aut Academia, ubi Episcopus jusserit. 5. Ut deferant habitum & Tonsuram Clericalem. 6. Ut vitam Clericalem vita & moribus ornent. Ratio horum petitur ex Tridentino, quod l. c. c. 4. ait: *Prima Tonsura non initientur, de quibus probabilis conjunctura non sit, eos, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Et c. 6. *Nullus prima Tonsura initiatus fori privilegio gaudeat, nisi Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi; quasi in via ad majores Ordines versetur.* Et c. 18. *In hoc Collegio recipiantur, quorum indoles & voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios elegit vult; nec tamen ditiorum excludit; modo suo sumptu alantur, & studium præseferant Deo & Ecclesiæ inserviendi.* Cum in his textibus Tonsurati spoliantur privilegio fori, nisi in habitu Clericali alicui Ecclesiæ deserviant, sequitur, eos dimittendo habitum Clericalem violare notabiliter statum suum Clericalem, sese subjiciendo per hoc foro Sæculari.

Quæritur 13. Estne peccatum, post semel susceptam primam Tonsuram non deferre habitum Clericalem?

Respondeo. Si Tonsuratus, vel Minorista ex rationabili causa mutet statum suum, transeundo à statu Clericali ad Laicum, non peccat. Si vero statim post susceptum habitum Clericalem in collatione Tonsuræ sine mutatione status rationabili induat habitum sæcularem, id plane est deordinatio repugnans constitutionibus & intentioni Ecclesiæ; & ipsi naturæ actus. Nam Clericalis status, qui per Tonsuram suscipitur, est Novitiatus quidam ad Ordines altiores, ut recte Genettus Episcopus in sua Theologia Morali discurrit; ut enim Cathechismus Romanus & D. Carolus Borromæus Conc. Mediol. 4. loquitur, *Prima Tonsura quædam præparatio iis est, qui Dei ministerio dicandi sunt.* Qualis autem est iste Novitiatus, si ne quidem deferatur habitus professionis suscipiendæ? aut quomodo Episcopus ex eorum conversatione & ministerio Clericali argumentum sumere poterit, quod in sacris Ordinibus veri Clerici perseveraturi sint, si tempore probationis ne quidem detulerunt habitum Clericalem, quo à laicis dignosci possent? Secundo, aliqua Concilia statuerunt graves pœnas in Clericos non deferentes habitum; quod non fieret, nisi interveniret gravis indecentia. Synodus Aguensis celebrata ab Eminent. Cardinali Grimaldo ait: *Clericali Tonsura initiatos illam semper deferre & in habitu Clericali continuo incedere; Dominicis & Festis diebus cum superpelliceo in Ecclesia Parochiali deservire, & Sacerdotibus ministrare præcipimus & jubemus. Si secus fecerint, privilegiis Clericatus sui non gaudere & ab Ordinibus ac beneficiis rejiciendos tanquam inhabiles declaramus.* Synodus Nucerina ait: *Qui Clericalem habitum Episcopi authoritate susceptum eo inconsulto deposuerit, non solum graves ejusdem arbitrio pœnas luet; sed sciat etiam, se omni spe ulterius in Ordinibus progrediendi aut eundem habitum obtinendi cariturum.* Tertio, omnes Canones, in quibus Clerici jubentur deferre Tonsuram & habitum Clericalem, loquuntur indiscriminatim de omnibus Clericis; ergo comprehendunt etiam Clericos præcise tonsuratos. Sic Concilium Bituricense anno 1584. ait: *Clerici omnes Tonsuram gerant, vestibus talaribus utantur.* Eadem habet Concilium Burdigalense 1583. Agnense 1485. Tolosanum 1590. His mille annis præcessit Carthaginense IV. can. 45. *Clericus professionem suam habitu & incessu probet.* Et Matisconense anno 581. *Nullus Clericus vestimenta sæcularia induere præsumat.* Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. can. 16. *Clerici coronam & Tonsuram habeant congruentem; clausa deferant indumenta.* Et Tridentinum sess. 14. cap. 6. *Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* Neque his obstat, quod Tridentinum videatur loqui de solis Minoristis, dum ait, *congruentes Ordini;* aut quod nullam pœnam statuat in Tonsuratos, non deferentes habitum Clericalem. Cum enim Tonsura soleat indivisim conferri cum Minoribus Ordinibus, recte vestes describit per congruentiam ad Ordinem. Quod si etiam loqueretur de solis Minoristis, ratio tamen & intentio Decreti pertinet etiam ad Tonsuratos. Pœnam nec statuit in simplices Minoristas, etsi velit, ab iisdem deferri habitum Clericalem. Ratio nullam pœnam statuendi esse poterat; quia præsumi potest, Clericum per reassumptionem habitus laicalis renuntiare statui Clericali.

Quæritur 14. Qualia sunt privilegia, quæ Tonsuratus obtinet per assumptionem status Clericalis?

Respondeo. Tonsuratus obtinet quatuor privilegia. *Primo Privilegium fori*, quo in causis personalibus eximitur à jurisdictione Judicis sæcularis, & subditur soli Judici Ecclesiastico. 2. *Privilegium Canonis*, quo ejus persona defenditur ab injuriis, & violentiis hominum; quia in C. *Siquis suadente diabolo*, fertur excommunicatio in percussores Clerici. 3. *Exemptionem à Gabellis*, steuris, & aliis oneribus, quæ imponuntur à Magistratu vel Principe sæculari personis aut bonis sæcularibus ratione subjectionis. C. non minus, de Immun. Eccles. Ex Concilio Lateranensi generali sub Alexandro III. ubi dicitur: *Sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* 4. *Capacitatem ad beneficia Ecclesiastica post adeptum annum ætatis decimum quartum.* Ita colligitur ex Tridentino Sess. 23. C. 6. *Nullus prima Tonsura initiatus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegium non habeat, nisi clericalem habitum deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat.*

Quæritur 15. An Tonsura sit Ordo?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia ut D. Thomas in 4. dist. 23. q. 3. ait; *Cum per coronam* (seu Tonsuram) *nulla potestas peculiaris tradatur, sed ad communia quædam Ecclesiæ ministeria deputatio tantum fiat, non Ordo est, sed ad ipsum potius est præambulum.*

Nec obstat, quod Innocentius III. prout refertur C. *cum contingat.* de ætate & qualitate ordinandorum, interrogatus, an Abbates conferendo primam Tonsuram conferant *Clericatus Ordinem?* responderit; quod *per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, Clericalis Ordo conferatur*, si sint Abbates Sacerdotes & benedicti ab Episcopo.

Respondetur enim, ibi terminum *Ordinis* sumi latius pro *gradu* ad majores Sacros Ordines, abstrahendo, an *ille gradus* sit institutus & ordinatus à primis Ecclesiæ Patribus *per modum necessariæ partis integralis* hujus Sacramenti, an per modum solum cæremoniæ non necessariæ. Sic in C. *Clerof.* 1. Dist. 21. dicitur: *Clericorum NB. gradus & nomina sunt; Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus &c.* quamvis certum sit, Psalmisteriatum nec esse partem Sacramenti Ordinis, nec Ordinem. Eodem modo respondetur ad alios textus, in quibus Tonsuræ tribuitur prædicatum Ordinis. Dicitur enim; hunc terminum sumi late pro gradu Ecclesiastico, non pro parte Sacramenti.

Quæritur 16. An Tonsura sit Sacramentum, & imprimat characterem?

Respondeo. Cum Tonsura non sit Ordo, quo infignitus aquirit potestatem peculiarem ad actionem sacram determinatam, sed tantum nuda deputatio ad ministeria Ecclesiastica *communia*, id est, quæ non solum à quovis Ordinato Clerico, sed etiam à Laico obiri possunt, nec est Sacramentum, nec imprimit Characterem. Ita omnes.

Quæritur 17. Qualia sunt illa *communia ministeria*, ad quæ antiquitus applicabantur, vel etiamnum applicari possunt solum Tonsurati?

Respondeo. D. Thomas inter illa *communia ministeria* l. c. ponit officium cantandi laudes Dei in Ecclesia. Ex D. Gregorio l. 12. Ep. 30. constat, quod permiserit Tonsurari etiam *Actionarios*, id est, præfectos exigendis censibus & aliis præstationibus ex patrimonio Ecclesiæ. *Si de Laicis Deum timentibus inveneris, ut tonsurari debeant, & actionarii sub Rectore fieri, omnino patienter fero.* In eundem Censum veniebant *defensores* Ecclesiæ, seu Syndici, & Notarii Ecclesiastici, & Chartularii, & Bibliothecarii. De defensoribus Zosimus Papa, qui obiit anno 418. ait: *Defensores Ecclesiæ, qui ex Laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.*

Quæritur 18. An Tonsura sit Ritus antiquus.

Respondeo. Quoad substantiam pertinet jam ad tempora Apostolica; quoad modum vero orta est sæculo quarto. Ad substantiam pertinet tonsura capillorum, qua reciduntur, ne nimia longe defluant. Ad modum pertinet corona, seu rasura capillorum rotunda in vertice.

Quæritur 19. Unde probatur, Tonsuram quoad substantiam pertinere ad tempora Apostolica?

Respondeo. Probatur 1. quia D. Paulus 1. Cor. 11. dicit: ignominiosum esse viro, si comam nutriat. *Vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi.* Quod autem ignominiosum erat Laicis, haud dubie inhibitum erat Clericis. 2. In Libro Pontificali, qui eonsque, quamdiu habet adscriptos Consules, tribuitur Damaso Papæ, de Aniceto Romano Pontifice sæculi secundi dicitur: *Constituit, ut Clericus comam non nutriat, secundum præceptum apostolicum.* 3. In antiquissima effigie D. Petri, & D. Pauli, quæ jam extitit tempore Sylvestri I. anno 300. & repræsentatur à Blanchino in Tomo 3. Anastasii de Vitis Romanorum Pontificum, cernitur, eos non habuisse comas multum protensas infra aures. 4. Constat, sæculo tertio & quarto jam viguisse nniversalem observantiam tondendi capillos in Clericis. Prudentius de ordinatione D. Cypriani loquens ait: *Cæsaries compescitur ad breves capillos.* & D. Hieronymus in C. 44. Ezech. dicit: *Demonstrat, nos nec comam dimittere debere, ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur.*

Quæritur 20. Unde probatur, hunc ritum quoad modum introductum fuisse sæculo quarto?

Respondeo. Quia habentur monumenta non solum de ritu tonsurandi, tanquam jam recepto & necessario sæculo quinto, sed etiam jam sæculo quarto, de rasura coronali. Constantinus Presbyter in vita S. Germani Episcopi Antisiodorensis dicit, Amatorem illius urbis Episcopum, cum divinitus intelligeret, Germanum sibi in Episcopatu successurum, se contulisse ad Præfectum Provinciæ ac dixisse: *Licentiam tribuas Germanum tonsurandi;* qua impetrata *Germanum apprehendit, & invocato nomine Domini cæsariem ejus capiti detrahens habitu religionis rejectis sæcularibus ornamentis eum promotionis honore induit.* Blanchinus tom. 3. Anastasii exhibet imaginem D. Petri & D. Pauli, & Sixti II. & Damasi Papæ, confectam sæculo quarto cum rasura coronali. Idem exhibet Imagines D. Petri, S. Laurentii, & S. Stephani, confectas sæculo sexto, cum simili rasura; in qua etiam comparet imago D. Gregorii Magni prout & illam describit Joannes Diaconus in ejus vita l. 4. C. 83. *Corona rotunda illi erat*, inquit, *& spatiosa, capillo sub auriculæ medium propendente.* Neque his obstat D. Hieronymus in C. 44. Ezechielis, ubi improbat rasuram capitis. Aut enim loquitur de rasura totius capitis, aut solum improbat coronam nimis latam. Hinc & Gregorius NB. in suo Pastorali part. 2. C. 7. iisdem propemodum utitur verbis, ac D. Hieronymus, cum tamen certum sit, ipsummet gestasse coronam, ut ex dictis liquet. *Sacerdotes*, inquit, *recte caput prohibentur radere, & comam nutrire; capilli in capite Sacerdotis & serventur, ut cutem cooperiant, & resecantur, ne oculos claudant.* Gregorius Turonensis plura ejusmodi Tonsuræ Clericalis exempla producit è sæculo quinto & sexto L. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10.

Quæritur 21. Qua de causa introductus est ille ritus coronæ in vertice?

Re-

RESPONDEO. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus anno 720. docet, D. Petrum ab infidelibus, cum eis prædicaret, sic in vertice tonsum esse, ut ei illuderent, sed Christum eam ignominiam illi in gloriam commutasse. Hinc aliqui existimant, eum Ritum introductum esse in memoriam illius ignominiæ, quæ D. Petro allata est. Si id ita se habet, verosimile est, primos authores hujus Ritus respexisse simul ad motivum aliquod universale, quale esse poterat, ut ignominia à Gentilibus prius communiter inferri solita per rasionem verticis converteretur in gloriam, sicut crux conversa est in decus & gloriam. Constat enim, usitatissimum genus ignominiæ, quod Gentiles Christianis inferebant, fuisse rasuram capitis. D. Cyprianus Ep. 77. Martyres ad metalla damnatos describens ait; *Semitonsi capitis capillus horrescit.* In quem locum Pamelius observat servos ad metalla damnatos sic tonderi consuevisse. Sic etiam in Actis Martyrum apud Baronium, Surium, & Bollandianos legitur de S. Fausta: *Decalvata & ad turpitudinem rasa est.* Lisias Præfectus de S. Theonila jubet: *Novacula acuta radite caput ejus, ut vel sic erubescat.* De S. Carinite Virgine legitur: *Judex ira repletus jussit ejus capillos radi in superficie.* Cum Præses S. Calinico minaretur, ei se rasurum capillos & barbam, ille sibipsi eos evulsit, & tyranno projecit dicens: *Ecce, quod tu mihi pro magna facturus injuria minaris, habe capillos meos, & barbam & peccata simul.* De S. Macrina legitur; *Imperator maleficia ejus capillis hærere existimans mandat radi capillos capitis ejus.* De S. Taciana: *Abraso capite decalvatur.* De S. Natalia: *Avulserunt capillos capitis ejus.* De S. Maura: *Iratus Præses jussit capillos capitis ejus evelli.* Cum ergo illa ignominia fuerit ferme generalis, eo quod gentiles crederent, Christianos esse maleficos, congrue ea converti poterat devicta idololatia in coronam, & in signum gloriæ. Fatendum tamen, in antiquis imaginibus Petri & Pauli, & aliorum Clericorum, quæ pictæ sunt ante annum 360. & videri possunt apud Blanchinum T. 3. fol. XXVI. & CXXVIII. & 120. & apud Boldettum fol. 192. 193. 194. 197. nullam adhuc apparere coronam. Alia occasio introducendi hunc ritum esse poterat, quod opera D. Basilii & D. Gregorii Nazianzeni Monachi introducti fuerint in Ecclesias Cathedralca, noluerunt dimittere rasuram apud eos consuetam, & cum benedictione Sacerdotali impertiri solitam, prout eam monachorum solennem tonsurationem describit author Hierarchiæ Eccles. C. 6. his verbis; *Sacerdos Signo crucis eum* (monachum ad habitum & professionem recipiendum) *consignatum tondet, oppellans tres personas divinæ beatitudinis.* Cum ergo ex eo tempore in multis Ecclesiis etiam primariæ dignitatis monachi assumerentur in Sedes Pontificias, Thomassinus T. 1. Vet. discipl. existimat, à monachis in Ecclesiam eum ritum dimanasse, attamen cum eo temperamento & discrimine, quod monachi totum caput raderent; Clerici autem pro integumento retinerent coronam capillitiam.

QUÆRITUR 12. Quid significat Tonsura, & Corona Clericalis?

RESPONDEO. Ab authoribus, qui fuerunt viciniores primævæ horum rituum institutioni, afferri varias significationes.

1. Gregorius Turonensis de glor. Mart. l. 1. C. 28. Ep. 77. docet, Clericos ea rasura significare ac protestari *humilitatem*, & animum paratum ad omnem ignominiam perferendam. *Petrus Apostolus*, inquit, *ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit*, nimirum, ut recordarentur, se non debere erigere cristas superbiæ, sed ad contemptum ac irrisionem paratos esse. Hinc idem in Vitis Patrum C. 5: de ordinato in Sacerdotium ait: *Humilitatis capillis Pri[illegible] ordinatus est.*

2. Geolfridus Abbas, Scriptor sæculi septimi, in Epistola apud Bedam in Historia, censet, Clericos per eam coronam figurare *coronam Christi spineam*, quasi palam edicerent, se sub capite spinis coronato nolle esse membra delicata, nec detrectari opprobria. *Non ob id tantum*, inquit, *in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ possionis attonsus est. Oportet eos, qui gradum Clericatus habent, formam quoque coronæ, quam Dominus in passione sua spineam portavit in capite suo, quemque in capite suo per Tonsuram præferre, ut se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant.*

3. Idem l. c. à Clericis gestari cororam, *ut coronam vitæ æternæ se semper expectore, proque hujus perceptione & adversa mundi & prospera se contemnere designent.*

4. S. Isidorus Hispalensis, qui scripsit sæculo sexto exeunte, asserit, per eam coronam designari dignitatem regiam Sacerdotii Christiani, ut memores dignitatis suæ non deflectant ad actiones indignas, & intuentes moneantur de exhibenda reverentia. *Quod detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Ecclesiæ figurari existimo, ut impleatur, quod scriptum est: Vos estis regale Sacerdotium.* De offic. l. 2. C. 4. Idem docet Ratramus, qui scripsit exeunte sæculo nono. *Regibus*, inquit, *decus proprium est coronas capite ferre; Pontifices autem in templo Tiaras portabant, quæ hemisphæriis gerunt similitudinem. Quod significare volentes Clerici Tiaræ similitudinem figurant, per quam Sacerdotale decus insinuant. Reliqua pars capillorum caput ambiens, neque tamen verticem contingens, speciem coronæ repræsentat, qua regalis dignitas ostendatur. Sic utraque hac specie regale Sacerdotium designatur.* l. 4. C. 5.

5. Alcuinus, Scriptor sæculi octavi, valde accommode eam Tonsuram explicat de resectione cogitationum inutilium. *Superiorem capitis partem rasorio renovamus, cum forti solicitudine superfluas cogitationes ab animo resecamus.* De div. offic. C. 17.

6. S. Isidorus supra relatus l. 2. de offic. C. 4. existimat, per eam rusuram designari perpetuam renovationem interioris hominis, resecando vitia, & mentem liberius in agnitionem Dei elevando. *Clerici*, inquit, *exspoliari veterem hominem cum actibus suis, & induere novum debent, qui in agnitionem in mente fieri oportet, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare.*

7. D.

7. D. Thomas in 4. dist. 24. q. 3. a. 1. superaddit prioribus significatum perfectionis & contemplationis. *Eis*, inquit, *qui ad divina ministeria applicantur, competit tonsura & rasura in modum coronæ, & ratione figuræ, quia corona est signum regni; & ratione perfectionis, cum sit circularis. Illi autem, qui divinis mysteriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit eis etiam ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione divinorum retardetur, & ex parte inferiori per Tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur.*

Ex his ergo sequitur, per Tonsuram & coronam Clericalem significari octonarium virtutum. 1. humilitatis professionem. 2. coronæ spineæ gestationem. 3. coronæ æternæ exspectationem. 4. dignitatis regiæ observationem. 5. superfluarum cogitationum resectionem. 6. interiorem renovationem. 7. perfectionis dilectionem. 8. contemplationis exercitationem. Si Clerici sæpe sub novacula revolvant hoc octonarium virtutum, quoties renovant Tonsuram, elegantiores fient mente quam facie.

Quæritur 23. Utrum à Tonsurandis requirenda sit aliqua prævia probatio?

Respondeo. Requirenda est aliqua Tonsurandorum probatio, ita ut per notabile temporis spatium continuato bonæ conversationis exemplo fidem præbeant de futura honestate morum. Ita desumitur ex Tridentino Sess. 23. C. 4. ubi dicitur, *Prima tonsura non esse initiandos eos, de quibus probabilis conjectura non sit, eos, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Conjectura enim probabilis, id est, credulitas prudens, haberi non potest, nisi prius sufficienti tempore eorum conversatio à testibus fide dignis fuerit comprobata. Probatur 2. ex D. Gregorio l. 8. Ep. 23. ubi Abbatibus præcipit, *ut eos, quos ad convertendum susceperint, priusquam bien nium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare.* Genettus Tract. 8. C. 4. q. 3. censet, optimum probationis genus haberi posse ex Seminariis bene institutis. *Concilii* (Tridentini) *verba*, inquit, *satis declarant, Tonsuram ab Episcopis passim conferri non debere, nisi iis, quos per aliquod tempus notabile in aliquo Seminario probaverint, in quo possint addiscere, quænam sint obligationes sacri status, quem amplecti cupiunt; ubi vocationem suam examinare possint, & signa dare fideli sua perseverentia in exercitiis pietatis, & aliarum virtutum Clericalium, & præsertim constantis voluntatis, qua significant, se nolle unquam Ecclesiastici status habitum exuere, sed penitus velle se consecrare per totam vitam sanctis Ecclesiæ ministeriis.*

Quæritur 24. An ad licitam receptionem Tonsuræ requiratur Status gratiæ?

Respondeo. Requiritur. Est enim magna irreverentia, si quis se Deo offerat ad stabile servitium, & cum tanta solennitate petat benedictionem ac gratiam ad observationem sui status, si tamen permanet in eo statu, in quo est incapax recipiendæ benedictionis & gratiæ. An vero ea irreverentia ascendat ad malitiam peccati mortalis, non opus est speciali discussione, cum hoc tempore non soleat conferri sine Ordinibus Minoribus, quos in statu peccati mortalis recipiens peccat graviter.

Quæritur 25. Quo loco & tempore possit conferri Tonsura?

Respondeo. In Pontificali Romano sic habetur: *Clericus fieri potest etiam extra Missarum solennia, quocunque die, hora, & loco.* Decet tamen, ut conferatur in Ecclesia.

Quæritur 26. Quis potest conferre Tonsuram?

Respondeo. Præter Episcopum, qui Tonsuram solum conferre potest suis subditis, conferre eam etiam possunt Abbates suis Regularibus, & aliis, qui sunt sub eorum jurisdictione; requiritur tamen, ut Abbates sint presbyteri, & benedicti ab Episcopo, C. *cum contingit.* de ætate &c. & C. Abbates. in 6. de Privil. Videnda Constitutio Benedicti XIII. *Commissi nobis*, ubi fiunt ab hac regula exceptiones.

Quæritur 27. An incurrat Censuram, qui suscipit Tonsuram sine prævia confirmatione?

Respondeo Negative. Quia nulla legitur annexa.

Quæritur 28. An incurrat irregularitatem Tonsuratus, si in Excommunicatione exerceat Clericale Officium?

Respondeo Negative. Quia nullum est determinatum Officium, quod possit dici *proprium Tonsuræ*, sicut tamen datur in Ordinibus?

Quæritur 29. Estne irregularis incapax Tonsuræ?

Respondeo Affirmative. Cui enim interdicitur Ordo, etiam intercluditur via directa & immediata ad Ordines, nempe Tonsura. Ut enim D. Thomas frequenter observat, *eadem est ratio mediorum & finis.* Qui vult aut non vult unum, necesse est, ut etiam velit aut non velit alterum.

§. II.

De Ostiaratu.

Quæritur 1. Quid sit Ostiaratus?

Respondeo. Ostiaratus est signum sensibile, quo per traditionem clavium Ecclesiæ traditur potestas aperiendi Ecclesiam dignis, eamque claudendi indignis.

Quæritur 2. An Ostiaratus sit Ordo?

Respondeo Affirmative. Id patet ex Concilio Tridentino, ubi Sess. 23. can. 2. Ostiaratus numeratur inter quatuor Minores Ordines.

Quæritur 3. Estne de fide, dari etiam Ordines Minores?

Respondeo. Est de fide: Id enim definitum est in Tridentino can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* His ergo verbis definitum est, non esse inanem, ac infructuosam cæremoniam hanc, quasi nullam utilitatem conferat ex benedictione Ecclesiæ, aut potestatem legitimam ad sacrum ministerium ex officio & conditione status obeundum.

Qu Æ-

QUÆRITUR 4. Qualis est materia Ostiaratus?

RESPONDEO. Per modum materiæ in Ostiaratu se habet *traditio clavium Ecclesiæ.*

QUÆRITUR 5. Quæ est forma Ostiaratus?

RESPONDEO. Forma sunt illa verba, quibus ordinato traditur potestas ad custodiendas res Ecclesiæ. Verba ordinationis sunt ista: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

QUÆRITUR 6. Quod est Officium Ostiarii?

RESPONDEO. Ostiarii Officium est, 1. Per se vel alium convocare congruis horis populum ad Ecclesiam. Id in primitiva Ecclesia fiebat circumeundo plateas per pulsum cymbali: Sed à sæculo octavo post inventas majores campanas fit per pulsum campanarum. 2. Aperire Ecclesiam dignis; ab ea autem excludere indignos, nimirum excommunicatos, hæreticos, gentiles. Interdicti, Catechumeni, & pœnitentes publici, qui erant in ordine *substratorum*, debebant ex Ecclesia emitti post concionem; & existentes in ordine *consistentium* debebant emitti ante communionem. 3. ejus Officium est, custodire Sacrarium, & sacra vasa, ne à profanis auferantur, inhonorentur, aut irreverenter tractentur. Quod in primitiva Ecclesia magna indiguit fortitudine, dum à Tyrannis exigebatur *traditio vasorum.* Ad eam custodiam haud dubie nunc etiam pertinet Custodia Reliquiarum, quæ in Sacrario asservantur. 4. ad Ostiarium pertinet custodire & disponere ad Officium Ecclesiasticum libros Ecclesiæ, seu Missalia, Ritualia, Psalteria, Scripturas. &c. Cum antiquitus in Ecclesiis Cathedralibus fuerit etiam Bibliotheca, prout constat ex variis documentis primitivæ Ecclesiæ, verosimile est, ad Ostiarum etiam hujus curam pertinuisse. Etiam ad hoc munus tempore primitivæ Ecclesiæ opus erat valido robore animi, tum quia vigebat *disciplina arcani*, ne mysteria Ecclesiæ proderentur profanis cum irrisionis periculo; tum ob Persecutorum crudelitatem fraudulentam, dum exigebant traditionem librorum Sacrorum, unde frequenter in Actis Ecclesiasticis illorum temporum occurrit mentio *de traditionibus librorum.* Ex his omnibus apparet, idem officium fuisse Ostarii, quod nunc est officium Sacristæ: ut proin Clerici, dum adeunt munus Sacristæ, reipsa adeant actuale ministerium, quod in Ostiaratu acceperunt: prout insinuat Catechismus Tridentini his verbis: *Magnam in antiqua Ecclesia hujus Ordinis dignitatem fuisse ex eo intelligitur, quod his temporibus in Ecclesia observari animadvertimus. Nam Thesaurarii Officium, qui erat idem Sacrificii Custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur.* Hinc 5. ad officium Ostiarii referendum etiam est, utservent Ecclesiam mundam, & agant omnia, quæ ad pietatem fidelium, & invocationem divini nominis reverentem adjumento sunt; nimirum ut paramenta altaris, & vestimenta munda sint; ut ardeat lampas coram Sanctissimo, ut abigantur animalia, quæ devotioni impedimento sunt; ut non exponantur imagines aut Reliquiæ debite non approbatæ; ut non permittantur prædicare fœminæ; ut non tolerentur novæ devotiones à Superioribus nondum approbatæ; ut *Directorium* divini officii, ac Cæremoniarum habeatur, & præparetur.

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

QUÆRITUR 7. Unde probatur tot ministeriorum obligatio pro munere Ostiarii?

RESPONDEO. Probatur ex ipsis verbis ordinationis comparatis ad observantiam priorum temporum, ex qua haud dubie eorundem verborum sensus repetendus est. Nam antequam Pontifex ordinandis tradit claves Ecclesiæ, sic eos alloquitur: *Suscepturi, Filii Charissimi, officium Ostiariorum, videte, quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere Cymbalum, & Campanam; aperire Ecclesiam & Sacrarium, & librum ei aperire, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, & semper claudatis infidelibus &c.* Et in alia oratione post porrectionem clavium Pontifex dicit. *Deum Patrem deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est; ut sit eis fidelissima cura in Domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini.* &c.

QUÆRITUR 8. Quænam adhibentur Cæremoniæ in collatione Ostiaratus?

RESPONDEO. In Pontificali Romano præscribuntur sequentes. Quando ordines Minores conferuntur sub Missa quatuor temporibus, cantata prima collecta & lectione Pontifex accedit à Faldistorio ad Altare, ubi ordinandis in superpelliceis cum candelis in manibus coram eo flexis dicit: *Suscepturi.* &c. Dein Pontifex tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangant. Pontifice dicente: *Sic agite* &c. Post hæc Archidiaconus ducit eos ad ostium Ecclesiæ, & facit illos claudere & aperire. Tradit eis etiam funem Campanarum, faciens eos campanas pulsare. Dein reducuntur ad Pontificem, coram quo genuflexis dicit: *Deum Patrem* &c. *Domine sancte* &c.

§. IV.

De Lectoratu.

QUÆRITUR 1. Quid sit Lectoratus?

RESPONDEO. Lectoratus est signum sensibile, quo traditur potestas prælegendi fidelibus verbum Dei in Ecclesia Dei.

QUÆRITUR 2. Quæ sit materia & forma Lectoratus?

RESPONDEO. Materia est traditio Codicis prælegendi fidelibus. Forma autem consistit in verbis, quibus traditur potestas prælegendi verbum divinum fidelibus in Ecclesia Dei.

QUÆRITUR 3. Quod est Officium Lectoris?

RESPONDEO. Ejus Officium est 1. Verbum divinum populo prælegere. 2. Illud ipsum, quod prælegit, prædicare. 3. In Catechesi elementa doctrinæ Christianæ explicare. 4. Benedicere panem & omnes fructus novos.

QUÆRITUR 4. Unde probatur, Lectorum esse, Verbum divinum populo prælegere, & prædicare?

Respondeo. Probatur ex tota Ordinationis *forma*, & ex Orationibus, quas Pontifex super Ordinandum recitat. Nam Pontifex Ordinandos sic alloquitur: „ Electi, Filii Chariſſimi, „ ut ſitis Lectores in Domo Dei noſtri, officium „ veſtrum agnoſcite, & implete. Lectorem ſi„ quidem oportet legere ea, quæ prædicat, & „ lectiones cantare, & benedicere panem & om„ nes fructus novos. Studete igitur verba Dei, „ videlicet Lectiones ſacras diſtincte, & aperte, „ ad intelligentiam & ædificationem fidelium abſ„ que omni mendacio falſitatis proferre, ne ve„ ritas divinarum Lectionum incuria veſtra ad „ inſtructionem audientium corrumpatur. Quod „ autem ore legitis, corde credatis, atque opere „ compleatis, quatenus auditores veſtros ver„ bo pariter & exemplo veſtro docere poſſitis. „ Ideoque dum legitis, in alto loco Eccleſiæ ſte„ tis, ut ab omnibus audiamini, & videamini, „ figurantes poſitione corporali, vos in alto vir„ tutum gradu debere converſari; quatenus „ cunctis, à quibus audimini, & videmini, cœ„ leſtis vitæ formam præbeatis; quod in vobis „ Deus impleat per gratiam ſuam. " Dein in traditione Codicis Pontifex ordinando confert poteſtatem prælegendi hac verborum forma: „ Ac„ cipite, & eſtote verbi Dei relatores, habitu„ ri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium „ veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei be„ ne adminiſtraverunt ab initio. *Poſt collationem* „ *poteſtatis Pontifex ſubjungit*; Oremus Deum, ut „ ſuper hos famulos ſuos, quos in Ordinem Le„ ctorum dignatur aſſumere, benedictionem ſuam „ effundat, quatenus diſtincte legant, quæ in Ec„ cleſia Dei legenda ſunt. *Et in oratione ſubſequen*„ *te iterum* Pontifex ait: Domine Deus, bene„ dicere dignare hos famulos tuos in Officium „ Lectorum, ut aſſiduitate Lectionum inſtructi „ ſint, atque ordinati; & agenda dicant, & di„ cta opere impleant, ut in utroque ſanctæ Eccle„ ſiæ exemplo ſanctitatis ſuæ conſulant.

Quæritur 5. Cur dicitur, quod Lectores debeant *prædicare* verbum divinum, cum aliud ſit legere, aliud prædicare?

Respondeo. Propterea dicitur quod Lectores debeant *prædicare Verbum divinum*, quia eorum officium eſt, prælegere Scripturas divinas, aut alias ab Epiſcopo approbatas, modo concionatorio ad inſtructionem populi.

Quæritur 6. Unde hoc probatur, quod Lectorum officium ſit, prælegere Scripturas divinas modo concionatorio?

Respondeo. Id probatur ex S. Iſidoro Hiſpalenſi, qui ſæculo ſexto exeunte ex inſtituto ſcripſit librum de Officiis Eccleſiaſticis, ubi in Præfatione monet, ea, quæ in officiis Eccleſiaſticis celebrantur, partim ſacrarum Scripturarum authoritate, partim Apoſtolica traditione, vel conſuetudine univerſalis Eccleſiæ ſtatuta eſſe. Itaque l. 2. C. 11. de Lectoribus ſic ſcribit: „ Lectorum Ordo formam & initium à Pro„ phetis accepit. Sunt enim Lectores, qui ver„ bum Dei prædicant; quibus dicitur: Clama, „ ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Iſti „ quippe dum ordinantur, primum de eorum „ converſatione Epiſcopus verbum facit ad po„ pulum. Denique coram plebe tradit eis Co„ dicem apicum divinarum ad Dei Verbum an„ nuntiandum. Qui autem ad hujusmodi pro„ movetur gradum, iſte erit doctrina & libris „ imbutus, ſenſuumque ac verborum ſcientia „ perornatus; ita ut in diſtinctionibus ſententia„ rum intelligat, ubi finiatur junctura; ubi adhuc „ pendet oratio, ubi ſententia extrema clauda„ tur. Sicque expeditus vim pronuntiationis „ tenebit, ut ad intellectum omnium mentes, „ ſenſusque promoveat, diſcernendo genera „ pronuntiationis, atque exprimendo omnium „ ſententiarum proprios affectus, modo indi„ cantis voce, modo dolentis, modo increpan„ tis, modo exhortantis, ſive his ſimilia ſecun„ dum genus propriæ pronuntiationis. Porro „ vox Lectoris ſimplex erit, & clara, ad omne „ pronuntiationis genus accommodata, plena „ ſucco virili, agreſtem & ſubruſticum effugiens „ ſonum; non humilis, nec adeo ſublimis, non „ fracta nec tenera, nihilque fœmineum ſonans, „ neque cum motu corporis, ſed tantum cum „ gravitatis ſpecie. Auribus enim & cordi con„ ſulere debet Lector, non oculis; ne potius „ ex ſeipſo ſpectatores magis, quam auditores „ faciat. *Idem docet l. 7. Originum C. 12.* Lecto„ res, *inquit*, à legendo, Pſalmiſta à Pſalmis ca„ nendis vocati ſunt. Illi enim prædicant po„ pulis, quid ſequantur.

Quæritur 7. Quale eſt diſcrimen inter Lectorem, & Concionatorem?

Respondeo. Hoc, quod Lector præciſe prædicet Scripturas alienas, ab Eccleſia vel Epiſcopo approbatas, eas concionatorio modo prælegendo; concionator vero prædicet, & Verbum divinum explicet ex ingenio proprio. Erant antiquitus in Eccleſia in navi Eccleſiæ duo ambones ex oppoſito; in uno prælegebat Lector populo caput Scripturæ, quod interpretari volebat Epiſcopus; in altero Epiſcopus interpretabatur lecta.

Quæritur 8. Legebantur nonnunquam etiam Scripta aliorum Doctorum v. g. Ignatii Antiocheni Epiſtolæ, Liber Paſtoris, Epiſtolæ & Acta Martyrum; prout conſtat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Quæritur 9. Eratne miniſterium Lectorum reſtrictum ad ſolum tempus divini Officii?

Respondeo. Non erat reſtrictum; ſed debebant prælegere populo Scripturas Sacras, aut alias authenticas ab Epiſcopo approbatas, quandocunque volebant Superiores, etiam extra tempus divini officii. Sic Balſamon in Nomocanone tit. 1. C. 11. in Can. 14. Syn. 7. teſtatur, moris fuiſſe, ut Lectores *in Ambone divinas Scripturas legerent poſt finitum Matutinum*. In eodem Can. 14. dicitur, quod Lectores *in Collecta* prælegant, non reſtringendo id ad divinum Officium.

Quæritur X. Eſtne poteſtas Lectorum hoc tempore ſolum reſtricta ad legendam ſolenniter Scripturam in Sabbato Sancto, & in Vigilia Pentecoſtes?

Respondeo. Non cenſendum eſt, eorundem poteſtatem ad hunc ſolum actum reſtrictam eſſe. Cum enim retenta ſit antiqua materia & forma

forma ordinationis, præsumendum est, etiam conferri potestatem omnem ac plenam, quæ conferebatur antiquitus; ita tamen, ut conferatur in actu primo tantum, quia semper completum in actu secundo exercitium pertinet ad determinationem Episcopi. Hinc si Lector in aliquo casu necessitatis, ubi desunt idonei concionatores, sicut fit in terris Infidelium, constituatur ab Episcopo vel suo Superiore ad prælegendas populo Scripturas authenticas ad ejus instructionem, illa Lectio erit vere actus Ordinis.

QUÆRITUR 11. Quæ requiritur ætas, aut scientia ad suscipiendum Lectoratum?

RESPONDEO. Sufficit quævis ætas, & scientia, ad apte prælegendum idonea; hinc passim in Historia Ecclesiastica occurunt, quod etiam pueri fuerint ordinati in Lectores. Sed gravius & decentius agebatur in primitiva Ecclesia, ubi tales promovebantur ad gradum Lectoratus, qui vel jam steterunt coram Tyrannis in fide immobiles, aut aliis inclaroerant actis. Sic D. Cyprianus Aurelium Confessorem coram Tyranno intrepidum ad Clericatum promoturus l. 2. Ep. 5. ait: *Ab Officio Lectoris incipiat; quia nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia, quæ Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt; ad pulpitum post Catastam venire.* Et l. 3. Ep. 22. de Celerino fortissimo Confessore pariter ad Lectoratum promovendo loquens ait: *Nihil est, in quo magis Confessor Fratribus prosit, quam ut dum Evangelica lectio ex ejus ore auditur; Lectoris fidem quisquis audierit imitetur.* Ex quibus, & pluribus aliis l. c. verbis colligitur, à Lectoribus etiam prælectum esse populo Evangelium Christi.

QUÆRITUR 12. Quis possit conferre Ordinem Lectoratus?

RESPONDEO. Lectoratus potest subditis suis conferri ab Episcopo, & ab Abbatibus suis Religiosis, si tamen ipsimet hujusmodi Abbates sint Benedicti ab Episcopo. Ita habetur C. *cum contingat* h. t. Et est ille Canon desumptus ex Synodo 7. œcumenica. Benedictus tamen XIV. ab hac limitatione petendæ benedictionis excipit eos Abbates, quibus *directe* à Sede Apostolica concessum est, ut *electi habeantur pro benedictis à summo Pontifice.* Constitut. *Commissi.* in Conc. Rom. N. 4. In Synodo 7. præfata eadem potestas extenditur ad Chorepiscopos. *Simili modo secundum antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione Episcopi oportet promovere Lectores.*

QUÆRITUR 13. An possit haberi pro Exercitio Ordinis Lectoratus Recitatio publica Lectionum Scripturæ in Matutino?

RESPONDEO Affirmative. Sic enim docet Catechismus Tridentini his verbis: *Ad Lectorem pertinet, in Ecclesia V. & N. Testamenti libros clara voce & distincte recitare, præsertim vero eos, qui inter Nocturnam Psalmodiam legi solent.* Quod ipsum ob paritatem rationis, & ob antiquam Ecclesiæ observantiam, dum prælegebantur Acta Martyrum, extendendum videtur ad Lectiones secundi Nocturni.

QUÆRITUR 14. Utrum ad officium Lectoris etiam pertineat, habere Catecheses?

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

RESPONDEO Affirmative.

RATIO est, quia Catechismus Tridentini expresse docet, Lectoris officium id fuisse: *Ejus quoque* (Lectoris) *partes erant, prima religionis Christianæ rudimenta fidelibus tradere.* Cum ergo semper maneat eadem, quæ prius fuerat, Ordinationis forma, eundem etiam verborum sensum, & eandem potestarem manere præsumendum est. Itaque quotiescunque Lector habet Catechesin, re vera exercet actum Ordinis, præsertim si doctrinam non desumat ex proprio capite, aut ex libris ad eum effectum ab Episcopis specialiter non approbatis; sed ex Catechesibus specialiter ab Episcopo vel universali Ecclesia approbatis ante vel post examen puerorum populo partem aliquam prælegat.

QUÆRITUR 14. Cur non amplius in Officio divino à Lectoribus leguntur Evangelia & Epistolæ?

RESPONDEO. Quia nunc abundant Diaconi, & Subdiaconi, qui omnes jam sunt insigniti Ordine Lectoratus; Itaque non est variatio in Ecclesia, sed ad majorem decentiam altioris Ordinis ad munus Lectoris accessio.

QUÆRITUR 16. Cur nunc raro Lectoribus committitur Lectio Verbi divini, & aliorum Librorum authenticorum in Ecclesia coram populo?

RESPONDEO. Quia abundat Ecclesia Presbyteris, Concionatoribus, & Cooperatoribus Sacerdotio auctis, à quibus fructuosius verbum divinum explicari potest exhortatione & explanatione, quam sola prælectione. Si tamen defuerint, nec haberi possint aliunde, habet Episcopus potestatem constituendi Lectorem. Idque ante tria sæcula, dum adhuc Parochi obligabantur secum habere Clericum, ob defectum artis typographicæ ac librorum pro subsidio Laicorum, & Concionatorum frequens lectio Scripturarum approbatarum publica fuisset remedium utilissimum ad depellendam ab hominibus ignorantiam. Certe Concilium Coloniense celebratum anno 1536. vehementer exoptat, Ordines Minores restitui activitati majori, dum part. 3. C. 31. in hæc lamenta erumpit: *Eo ventum est, ut quatuor Minores Ordines, non temere ab Ecclesia instituti, ac recepti, præter nomen nihil in Ecclesia retinuerint.*

QUÆRITUR 17. An Lectores etiamnum habent potestatem benedicendi panem & fructus novos?

RESPONDEO. Non est dubium, hanc potestatem illis competere, cum nullibi reperiatur illis adempta. Possunt proin publice in Ecclesia superpellicio induti benedicere panes & fructus novos, si id ipsis à Parochis permittatur, & ubi nulla alia præscribitur cæremonia solis competens altioribus Ordinibus, prout præscribitur in Pascbate, & Assumptione, &c. Ibi enim requiritur Sacerdos & stola ex præscripto Soperiorum. In aliis vero diebus poterunt ex permissione Parochi adhibere communem benedictionem in Rituali Diœcesano præscriptam. Neque datur ad ejusmodi actum in clerico Lectore incapacitas, cum talis benedictio simplex nil aliud sit quam imprecatio bonorum facta nomine Ecclesiæ.

C 2 Hinc

Hinc mirum, quod *Quartus*, celebris author, de benedictione Lectorum nec verbulo miminerit, sed benedictionem immediate in *Sacerdotalem* tantum, & *Laicalem* diviserit. His tamen non obstantibus consultum, ut Parochi eam licentiam non passim, nec sine speciali ratione Lectoribus faciant, ne Benedictiones abeant in contemptum.

§. V.

De Exorcistatu.

QUÆRITUR 1. Quid est Exorcistatus?

RESPONDEO. Est cæremonia Ecclesiastica, qua confertur potestas imponendi manus super energumenos ad expellendos dœmones ab obsessis corporibus.

QUÆRITUR 2. Quæ est materia Exorcistatus?

RESPONDEO. Traditio libri Exorcismorum; in quo continentur Exorcismi. Hinc quia nonnunquam in Missalibus, & Pontificalibus libris continentur Exorcismi, in tali casu erit materia Exorcistatus etiam Missale, vel Pontificale.

QUÆRITUR 3. Quæ est forma Exorcistatus?

RESPONDEO. Forma consistit in verbis, quibus confertur potestas expellendi dœmones ab obsessis corporibus. Sunt autem ista: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.*

QUÆRITUR 4. Si in Missali nihis contineretur de Exorcismis usurpandis ab ordinando, aut de potestate illi conferenda, an nihilominus esset valida ordinatio?

RESPONDEO. Esset valida; quia in iis, ubi materia Sacramentorum non est à Christo determinata quoad speciem infimam, pertinet ad Ecclesiam, determinare aliquod signum externum, quo confertur potestas Ordinando, ad quod sufficerent sola verba Ordinantis, ut relata ad Ordinandum in circumstantiis congruis.

QUÆRITUR 5. Quale est Officium Exorcistæ?

RESPONDEO. Officium essentialiter huic Ordini annexum est deputatio ad expellendos dœmones ab obsessis corporibus. Officium autem accidentaliter annexum, est munus segregandi non communicantes à communicantibus, & fundendi aquam in ministerio.

QUÆRITUR 6. Quales sunt preces & Cæremoniæ in collatione Exorcistatus?

RESPONDEO. Cæremoniæ & preces adhibentur sequentes. Postquam absoluta fuerit Ordinatio Ostiariorum & Lectorum, Ordinandi ad Exorcistatum vocantur per Notarium, quibus Pontifex cum candelis in manibus coram se flexis dicit: *Ordinandi in Officium Exorcistarum debetis noscere, quid suscipitis. Exorcistam. etenim oportet abjicere dœmones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum, & aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos, & per impositionem manuum vestraum, gratia Spiritus Sancti, & verbis Exorcismi pelluntur Spiritus immundi à corporibus obsessis. Studete igitur, ut sicut à corporibus aliorum dœmones expellitis, ita à mentibus & corporibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per Officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dœmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis* &c. Post hanc adhortationem traditur illis liber Exorcismorum, quem manu dextera tangunt, dicente Pontifice: *Accipite & commendate memoriæ*, &c. Postea Pontifex dicit: *Deum deprecemur, ut hos famulos suos benedicere dignetur in Officium Exorcistarum, ut sint spirituales Imperatores ad abjiciendos dœmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi*, &c. *Domine Deus, benedicere dignare hos famulos tuos in Officium Exorcistarum, ut per impositionem manuum & oris Officium potestatem & imperium habeant spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint Medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati*, &c.

QUÆRITUR 7. An re vera per Exorcistatum conferatur quædam supernaturalis potestas in dœmones?

RESPONDEO. Per Exorcistatum non solum confertur potestas ad ministeria quædam Ecclesiastica externa, sicut fit in Ostiaratu, Lectoratu, & Acolythatu; sed re vera confertur potestas quædam supernaturalis interna in ipsos dœmones. Neque enim confertur tantum facultas pronuntiandi verba Exorcismorum, sed etiam verum *imperium* in dœmones, quod significatur *per impositionem manuum* super Energumenos. Id vero colligitur ex ipsis precibus, & forma Ordinationis.

QUÆRITUR 8. An non potestas supernaturalis expellendi dœmones est gratia gratis data?

RESPONDEO. Potestas *coactiva* expellendi dœmones est gratia gratis data, quæ consequenter non confertur per ordinationem, sed datur à Deo, cui voluerit. Sed potestas *præceptiva* cum vera eminentia authoritatis in dœmones confertur per ordinationem. Et hinc, cum in primitiva Ecclesia sæculo primo viguerint ejusmodi gratiæ gratis datæ, author Constitutionum Apostolicarum l. 8. C. 26. dicit, eo tempore nondum fuisse ordinatos Exorcistas. *Exorcista*, inquit, *non fit ordinatione; certare enim pro præmio Exorcistæ liberæ voluntatis est, ac Dei gratiæ per Christum, & adventum Spiritus Sancti. Siquidem, qui gratiam sanitatum accepit, per revelationem declaratur à Deo, cum gratia, quæ in eo est, omnibus est manifesta.*

QUÆRITUR 9. Cur Exorcistæ non perpermittuntur exercere suam potestatem in dœmones?

RESPONDEO. Exorcistæ non arcentur ab Exercitio suæ potestatis, sed differuntur. Cum enim diuturnitate Interstitiorum probati, & tandem potestate sacerdotali in Corpus Christi physicum aucti fuerint, tunc demum Ecclesia permittit actuale exercitium hujus Ordinis in subditos loco & tempore congruo. Tunc ergo, si presbitero defertur munus exorcizandi Energumenos,

menos, ea functio exercetur non vi & potestate sacerdotali, sed ipsissima potestate accepta in ordine Exorcistatus prout recte observant nonnulli apud Bussaldum Tit. 90. n. 101. Idem dicendum, quando Sacerdotes exorcizant varias creaturas, aut tempestates; Totum enim fit potestate Exorcistæ, non potestate peculiari sacerdotali. Quod auten Ecclesia retento more veteri singulatim conferat ordinem Exorcistatus, nec illius collationem differat usque ad collationem presbiteratus, causa esse potest, quia semper usque ad finem mundi supererunt convertendæ integræ nationes gentiles, in quibus, cum plurimi sint obsessi, ob defectum presbiterorum decet habere numerum Exorcistarum in remedium Catechumenorum. Accedit, quod P. Natalis Alexander in *Theologia Morali Dogmatica*, ubi agit de Sacramento Ordinis art 4. §. 3. optimum interdum fore existimet, si functio hujus Ordinis *interdum non exerceatur à presbiteris, sed ab Exorcistis Junioribus, ac adolescentulis ad hoc Officium destinatis, ac morum innocentia & sapientia huic ministerio paribus, ad majorem dæmonis contemptum ac confusionem.*

QUÆRITUR 10. An hodie requiratur facultas Episcopi ad hoc, ut Sacerdoti vel Exorcistæ liceat exorcizare Energumenos?

RESPONDEO. Ea facultas in plerisque Ritualibus, sicut & in nostro Augustano, reservatur Episcopo, à quo proin in casu particulari requirenda est. Observat tamen Bussaldus in Commentario ad Rituale Romanum Tit. 90. n. 5. non prohiberi Exorcistam, quin sine speciali licentia in casu repentino humili deprecatione ad Deum præmunitus retundat nefarium spiritum, quando Energumenos impedit à perceptione vel veneratione SS. Eucharistiæ, aut à devota præsentia in Sacrificio Missæ. Formulam confessionis, & regulas in in Exorcismo observandas tradit idem Bussaldus l. c.

QUÆRITUR 11. An liceat exorcismis uti etiam adversus creaturas irrationales, v. g. cibos, mures, bruchos, nubes?

RESPONDEO. Si verosimile est, intervenire operationem dæmonis, qui illis creaturis utatur tanquam instrumentis, licite adhibentur Exorcismi. Si vero non est verosimilis conjectura, intervenire operationem dæmonis, ejusmodi Exorcismi à superstitione excusari non possunt. Bussaldus l. c. n. 131. sic scribit: „Sciant „Clerici, hujusmodi bestias non esse adjurationibus & exorcismis expellendas, sed jejuniis „& orationibus humiliter deprecandum esse „Deum, qui dicta animalia irrationabilia movet, ut dignetur ea compescere aliquo modo „suæ Majestati bene viso. Et quatenus à Sacerdote sacris vestibus induto adjurationes fiant, referantur ad diabolum, qui Dei permissu his utitur ad nocendum hominibus, præcipiendo ei dure ac rigide, potestate à Deo „tradita Ecclesiæ, ut cesset à movendo, educendo, & dirigendo ea animalia contra nos, „& abstineat à tali usu damnoso, & sinat animalia nocentia redire ad locum, unde venerunt; „& fugiat à facie sacrosanctæ Crucis, quæ ostenditur, & virtute ejus fugere jubeatur, & relinquere & cessare à suis maleficiis, ad gloriam „Domini nostri Jesu Christi, omissa semper „mentione Excommunicationis & anathematizationis, quarum nec animalia irrationabilia, „nec dæmones capaces sunt. Et iste modus „adjurandi animalia nocentia licitus erit. Igitur vanum est animalia irrationabilia Exorcismis adjurare, maledicere, & anathematizare; „quia adjurare aliquam creaturam irrationalem „nocentem ad aliquem actum tanquam procedentem ab ipsa, est superstitiosum, cum non „sit sui Domina, sed Deus, qui movet eam, „vel dæmon, quatenus permissu ejus utitur ea „ad nocendum nobis. Quapropter ejusmodi „adjurationes, quæ referuntur ad irrationabilia, „fieri non posse scienter sine peccato mortali, „docent Nav. Graff. Monacell. & alii. Propterea expungendi sunt & damnandi quidam Libelli Manuales, qui hujuscemodi conjurationes & preces continent, nec à Missali, nec à „Rituali Romano admittuntur, prout eos nuper damnavit SS. Benedictus decimus tertius.

QUÆRITUR 12. Si non licet Exorcismos dirigere in ipsas creaturas irrationales, cur Ecclesia exorcizat creaturam salis & aquæ?

RESPONDEO. Exorcismus, ut recte P. Quartus de benedict. dub. 1. n. 19. advertit, est duplex. Unus est *Deprecativus*, seu invocatorius, quo invocatur Deus, ut ponat desideratum effectum seu virtutem in creatura exorcizata *tanquam in subjecto*; vel ut eo creatura utatur *tanquam instrumento* adversus dæmonum insidias. Alter Exorcismus est *Imperativus*; & hoc modo non licet exorcizare creaturas irrationales, cum non sint capaces præcepti. Ille Exorcismus aquæ & salis benedicti est *deprecativus*, & est sensus, quod Exorcista optet, speret, & velit, hanc creaturam esse *subjectum* alicujus virtutis supernaturalis, & *instrumentum* contra dæmones, idque ob intercessionem Ecclesiæ & per gratiam Dei. Hinc etiam non prohibentur Exorcismi alterius generis erga creaturas irrationales, v. g. bruchos, nubes, &c. sed illicitum est dirigere in eas ipsam conjurationem, tanquam in subjectum capax præcepti; quæ prava ac superstitiosa intentio colligitur, si in exorcismo simul contineantur *maledictiones* seu *anathematizationes* ipsius creaturæ, dicendo, v. g. quod *sint maledictæ* &c.

QUÆRITUR 13. Quomodo definitur Exorcismus?

RESPONDEO. D. Thomas 2. 2. q. 90. art. 1. eum sic definit: *Est inductio alicujus personæ ad faciendum vel omittendum aliquid per invocationem Dei vel alicujus rei sacræ; melius dicitur, inductio dæmonis.*

QUÆRITUR 14. Unde desumendi sunt Exorcismi?

RESPONDEO. Unice ex Rituali Diœcesano, vel ex Rituali Romano authentico & expurgato. Ita præcipitur in statutis Synodalibus part. 1. C. 6. n. 6. *Nemo Veneficia, fascinationes, vel ligaturas dissolvere tentet, modo & ratione, quæ ab Ecclesia approbata non sit; nec quisquam exorcizare præsumat Energumenos sine licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis in scripto obtenta; neve aliis utatur Exorcismis, quam in obsequiali nostro præscriptis, vel alias à nobis visis*

visis & approbatis. Inter quæ haud dubie referendum est Rituale Romanum Pauli V. & commentario illustratum à Buffaldo, & impressum typis Bencardianis Dilingæ 1735. ubi tamen notandum, Rituale Romanum ipsum, non Commentaria pro regula teneri posse.

Quæritur 15. Quales libri Exorcismorum censeri debeant ab Ecclesia non approbati esse?

Respondeo. Omnes illi Exorcismorum libri pro non approbatis haberi debent, qui Romæ sunt prohibiti; & qui se ad ejusmodi libros Romæ prohibitos in citationibus referunt. Ubi enim probibentur fontes, utique prohibentur & rivuli. Inter Romæ autem prohibitos sunt sequentes:

I. Compendio dell' Arte Esorcistica. Del P. Menghi Minore Observante. Prohibitum Decret S. Cong. Indicis 4. Martii 1709.

II. Complementum Artis Exorcisticæ. Authore Fr. Zaccharia Vulcomite Ordinis SS. Barnabæ & Ambrosii. Decr. SS. Cong. 4. Martii 1709.

III. Flagellum Dæmonum. Authore P. Hier. Mengho Ordinis Minorum Regularis Observantiæ. Venetiis 1644.

Accessit pars secunda, quæ *Fustis Dæmonum* inscribitur. Decr. S. Cong. Ind. 4. Mart. 1709.

IV. Malleus Dæmonum. Authore P. Fr. Alexandro Albertino Ordinis Minorum Observantiæ. Mediol. 1624. Decr. S. Cong. Ind. 4. Martii 1709.

V. Practica Exorcistarum. Fr. Valerii Polidori Patavini Conventualis. Venet. 1606. Decr. S. Cong. Ind. 4 Mart. 1709.

VI. Circulus aureus. Authore Fr. Francisco de Capellis à Bononia Ord. Capucinorum, quocunque loco & tempore impressus. Decr. S. Cong. Ind. 4. Dec. 1725.

VII. Conjurationes potentissimæ & efficaces ad fugandas aereas tempestates à dæmonibus &c. excitatas, ex probatis authoribus collectæ à Petro Lucatello. In Indice prohibitorum 1711.

VIII. Rituale juxta Ritum Ecclesiæ Romanæ, usumque Fratrum Discalceatorum S. P. Augustini per Galliam. Donec corrigatur. In Indice 1711.

IX. Rituario, del P. Vicenzo Auruccio. ibid.

X. Rituel Romain du Pape Paul V. à l'usage du diocese d'Alet avec les Instructiones. In Indice 1711.

XI. Liber continens Ritus Ecclesiasticos in ditione Principum D. Joan. Alberti, & D. Udalrici. &c. In Indice 1711.

Quæritur 16. An etiam Laici uti possint Exorcismis contra tempestates?

Respondeo. Peccant graviter, si utantur Exorcismis.

Ratio est, quia Laici non habent potestatem imperandi dæmonibus, utpote, quæ solum aquiritur per Ordinem Exorcistatus. Hinc damnandi & concremandi sunt libelli continentes Exorcismos in idiomate germanico.

Quæritur 17. Quibus signis Energumeni, & maleficia agnosci possint?

Respondeo. Certiora præ reliquis signa ab Exorcistis tradita 1. Si persona loquatur ordinate & ad interrogationes congrue linguis peregrinis quas nunquam didicit. 2. Si Litterarum & sententiarum rudis legat, scribat, pingat, aut de rebus scientificis apte disserat. 3. Si res arcanas & occultas aperiat, quæ in locis remotis fiunt, quarum veritas comprobetur subsequente experientia, vel certa notitia. 4. Si verbo vel facto ostendat, se nosse occultas cogitationes Exorcistæ ad ipsam directas, vel aliorum hominum. 5. Si quid aliud agat vires humanas superans. Verum in his omnibus attendendum, an non interveniat fraus dæmonis *operantis transeunter.* Sæpe enim contingit, ejusmodi effectus provenire a dæmone *transeunter* in phantasia hominis *operante*, non à dæmone *stabiliter inhabitante.* Certum enim est, dæmonem nosse posse eas cogitationes hominum, quæ requirunt species in phantasia, prout demonstrat D. Augustinus l. 1. C. Acad. C. 6. Cum enim movere possit humanam phantasiam, & varias illi imaginationes imprimere, nosse etiam poterit impressas. Caute proin considerandum, an non concurrant tales circumstantiæ, in quibus exorcista cum aliis ejus familiaribus merito à Deo relinquatur fraudi, aut illusioni dæmonis in persona afflicta *transeunter* operantis. Tales circumstantiæ esse solent, si intercedat tentatio Dei, quæstiones curiosæ impertinentes, imperia dæmoni facta ad varias actiones otiosas & inutiles, ad exorcismi functionem non necessarias; curiositas, lucri & honoris, aut commodi proprii cupiditas; temeraria Exorcismorum applicatio sine prævia gravibus indiciis; temeraria ac imprudens falsitatum à dæmone suggestarum credulitas; culpabilis cooperatio ad fraudulentias dæmonis, dum facile perspici posset, à dæmone nil aliud intendi, quam perturbationes, falsos cultus, superstitiones, distractionem virorum utilium ab occupationibus utilioribus, ut detineantur talibus nugacitatibus, &c. In his omnibus, si in Exorcistis intervenit culpabilis negligentia aut deordinatio, ita ut sinant se detineri ineptiis dæmonum, seque integris horis occupari in hujusmodi nugacitatibus, justo Deo judicio relinquuntur illusionibus dæmonis *transeunter* in persona afflicta *operantis*, etsi non interveniat obsessio dæmonis vere *inhabitantis.*

§. VI.

De Acolythatu.

Quæritur 1. Quid est Acolythatus? Respondeo. Est cæremonia Ecclesiastica, qua confertur potestas accendendi Ecclesiæ lumina, materiam pro consecratione sanguinis præparandi, & luminaria in Sacrificio solenni Missæ deferendi.

Quæritur 2. Quænam est materia Acolythatus?

Respondeo. Materia est traditio candelabri cum cereo extincto, & urceoli vacui.

Quæritur 3. Quænam est forma Acolythatus?

Respondeo. Forma consistit in verbis, quibus traditur Acolytho potestas exercendi munus

munus suum. In porrectione candelabri cum candela extincta à Pontifice pronuntiatur ista: *Accipite Ceroferarium cum cereo, & sciotis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. In nomine Domini.* In porrectione vero urceoli vacui dicitur: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi. In nomine Domini.*

QUÆRITUR 4. Quale est Officium Acolythi?

RESPONDEO. Officium Acolythi exprimitur in adhortatione Pontificis prævia ad ordinationem, ubi ait: *Suscepturi Officium Acolythorum, pensate, quod suscepistis. Acolythum enim oportet Ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiæ accendere; vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.* In ipsa forma ordinationis exprimitur *accensio luminum;* ex quo videtur posse colligi accensionem luminum in Ecclesia esse functionem Acolythi essentialem.

QUÆRITUR 5. Quales adhibentur cæremoniæ in collatione Acolythatus?

RESPONDEO. Post ordinationem Ostiariorum, Lectorum, & Exorcistarum, interjecta denuo Lectione Pontificis, vocantur acolythandi: flectunt coram Pontifice, qui eos exhortatur præfatis verbis: *Suscepturi*, &c. Simul eos admonens, ut dum lucem manibus præferunt, caveant ab operibus tenebrarum, & tanquam filii lucis bonis operibus præluceant. Dein successive porriguntur illis candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus, quas materias manu dextra tangunt. Denique recitat Pontifex quatuor orationes, in quibus pro ordinandis invocatur gratia Numinis, ut *lumen visibile manibus proferentes lumen quoque spirituale moribus præbeant;* atque *ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, & ad suggerendum vinum & aquam ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia sanctis altoribus tuis fideliter subministrent.*

QUÆRITUR 6. Cur Acolythi jubentur ministrare vinum & aquam pro consecratione sacri sanguinis, & non etiam panem pro consecratione sacri Corporis?

RESPONDEO. Quia antiquitus ipse populus offerebat panem, etiam in sacrificium; prout patet ex antiquis Liturgiis, & documentis Historiæ Ecclesiasticæ.

QUÆRITUR 7. Daturne obligatio, hæc ministeria imponendi Clericis, ubi haberi possunt?

RESPONDEO. Datur. Ita præcipit Tridentinum Sess. 23. C 17. ubi sic habet: *Ut Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiaratum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur; nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, illius pristini moris restituen di desiderio flagrans Sancta Synodus, decernit, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; omnesque & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quoniam fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, & ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus suppetant; aut utrisque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent.* Cæterum, an, ubi, & quomodo hæc saluberrima constitutio sic in praxin reduci possit, ne Clerici ejusmodi ministeriis solis applicati diffluant otio; aut ne ex ejusmodi Juvenum liberiore modo agendi nascantur scandala in populo, librandum relinquitur curæ Episcoporum.

§. VII.

De quatuor Minoribus Ordinibus in genere.

QUÆRITUR 1. An Minores Ordines fuerint instituti à Christo, vel ab Ecclesia?

RESPONDEO. Minores Ordines *quoad substantiam* sunt institutionis divinæ, *quoad modum* vero, & quoad *rationem specificam infimam* sunt institutionis Ecclesiasticæ.

PROBATUR quoad primam Responsionis partem ex Tridentino Sess. 23. Can. 7. ubi dicit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Si Concilium per Ministros tantum intelligi voluisset Diaconos, non fuisset usum termino generico.

Idem CONFIRMATUR ex Can. 2. ubi dicit: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & Majores, & Minores, anathema sit.* Si vero etiam quoad substantiam essent tantum institutionis Ecclesiasticæ, posset aliquando falsificari hæc propositio. Quoad partem secundam probatur ex dicendis.

QUÆRITUR 2. An Minores Ordines semper fuerint in Ecclesia Latina?

RESPONDEO. Fuerunt semper. Nam illorum jam mentionem facit Cornelius Papa in Epistola, quæ extat apud Eusebium Hist. l. 6. C. 43. ubi dicit; in Romana Ecclesia in Urbe esse *Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Sub-Diaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistos & Lectores cum Ostiariis quinquaginta.* Obiit Cornelius anno 255. Concilium Carthaginense IV. celebratum Sæculo quarto exeunte non solum distincte exprimit hos quatuor Minores ordines, sed insuper explicite ponit eandem materiam & formam ordinationis, quæ in hunc usque diem adhibetur.

QUÆRITUR 3. An Minores Ordines semper etiam fuerint in Ecclesia Græca?

RESPONDEO. In Ecclesia Græca primorum temporum solum comparet Ordo *Lectoratus;* reliqui autem tres Minores Ordines continebantur adhuc indivisim in Diaconatu, aut Sub Diaconatu, ita ut nomen Diaconatus aut Sub Diaconatus contineret junctim omne genus ministerii in Ecclesia, ac divino officio exhibendi; dum interim Ecclesia Romana, à D. Petro longe exactius ordinata, ministeria illa in suas inferiores Classes munere stabili divisit, & divisim contulit. Ad illam Ecclesiam Græcam, in qua Author Hier. Eccl. vulgo Dionysius, scripsit, referenda sunt verba D. Thomæ in C. 3. Epist. 1. ad Tim. ubi sic scribit: *In primitiva Ecclesia erant solum tres ordines, ut dicit Dionysius, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum, & non dividebantur*

vide-

videbantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno ordine (nempe Diaconatus) *propter paucitatem ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ.* Idem in 4. d. 24. q. 2. a. 2. ait: *In primitiva Ecclesia propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionysium. Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit diversis.* Consimiliter loquitur D. Bonaventura in 4. d. 24. art. 2. q. 1. *Fuerunt* (præter superiores Ordines) *& alii Ordines, sed implicite dabantur in impositione manuum; Ratio autem, quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium, & propter paucitatem fidelium. Ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni.*

QUÆRITUR 4. An omnes quatuor Minores Ordines antiquitus fuerint collati eidem personæ, & simul?

RESPONDEO. Antiquitus, quamdiu ministeria cujuslibet Ordinis debebant impleri per Clericos ordinatos ad ea munia, non conferebantur omnes quatuor uni eidemque personæ; sed quisque ordinabatur ad ministerium illius tantum Ordinis, ad cujus functiones videbatur magis idoneus; aut si habebat aptitudinem ad plures, oportebat, ab uno Ordine ascendere ad alterum post longam probationem. Id constat ex variis documentis primitivæ Ecclesiæ. Sic in Epistola Cornelii Papæ non comparent tot Exorcistæ, vel Lectores, quot Acolythi. In Concilio Romano, quod jam citatur ante mille ferme annos tanquam celebratum sub Sylvestro I. dicitur: *Si quis desiderat in Ecclesia militare, aut proficere, sit prius Ostiarius, Lector, Exorcista, per tempora, quæ Episcopus constituerit; deinde Acolythus annis quinque.* Idem statuunt Innocentius I. Zosimus, qui ad Pontificatum venit anno 417. in Epistola ad Hesychium n. 3. sic ait: *Hæc in singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam & grandævus accesserit, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur; exinde Acolythus, vel Sub-Diaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus accedat.* D. Ambrosius l. 1. de Officiis C. 44. scribit: *Alius distinguendæ lectioni aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcistandis, qui malo laborant spiritu, solicitior, alius Sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet* (Episcopus) *& quid cuique congruat, id Officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium docet, id majore implet gratia.*

QUÆRITUR 5. In quibus Ordinibus antiquitus fuerit dispensatum, ut sine illis potuerit ascendi ad superiores?

RESPONDEO. Aliquando non exigebatur Exorcistatus, aut Lectoratus; frequenter autem omittebatur Ostiaratus; nonnunquam requirebatur solus Lectoratus. Synodus Sardicensis celebrata anno 347. Can. 10. ait: *Si quis ex foro sive dives sive Scholasticus Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit. Habebit autem uniuscujusque Ordinis gradus non minimi temporis longitudinem, per quod morum probitas possit cognosci.* Siricius, qui Pontificatum suscepit anno 385. in Epistola 1. ad Himerium n. 8. & 9. sic scribit: *Quid ab universis postbac* (Hispaniæ) *Ecclesiis sequendum sit, generali pronuntiatione decernimus. Quicunque itaque Ecclesiæ se vovit obsequiis à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ, usque ad tricesimum ætatis annum Acolythus, & Sub-Diaconus esse debebit. Post quæ ad Diaconii gradum accedat. Qui vero jam ætate grandævus ex Laica ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio per quinquennium aliud Acolythus & Sub Diaconus fiat, & sic ad Diaconatum provebatur.*

QUÆRITUR 6. An Minores Ordines sint Sacramentum?

RESPONDEO. D. Thomas, D. Bonaventura, & plurimi cum iis Theologi affirmant, Minores Ordines esse Sacramentum. Nihilominus etiam pro opposita sententia stant non pauci Theologi, inter quos Vasquez, Durandus, Cajetanus, Aiala, de Castro, Medina, Dominicus Soto, Navarrus, Victoria, Anglez, Caranza, Arcudius, Morinus, Juenin, Canali.

Rationes pro Affirmativa sunt 1. Quia Minores Ordines sunt tantum divisio Officii Diaconalis; sicut ergo Deus instituit Diaconatum cum alligatione gratiæ, consentaneum est, etiam partes ministerii Diaconalis institutas esse implicite à Deo, easque habere participationem quandam gratiæ; cum utique Deus optime norit artem dividendi servata proportione partium. 2. Concilium Tridentinum Sess. 23. Can. 3. anathema dicit: *Si quis dixerit, Ordinem, sive Sacram Ordinationem non esse vere Sacramentum à Christo institutum.* Cum ergo Ordines Minores etiam tanquam pars potestativa aut tanquam pars actualis contineantur sub hoc *Toto*, seu *Concreto*, quod est ordo; etiam participare debebunt denominationem Sacramenti. 3. Exorcistatus confert veram superioritatem & authoritatem in Dæmones: quæ sola deputatione externa cæremoniali sine potestate divinitus collata conferri nequit. 4. Christus in sua mente disposuit ordinem ministeriorum sacrorum perfectum, ac pro iis præparavit gratias speciales, ut dicetur infra ad q. 8. & Ordines Minores pertinent ad ordinem illum perfectum ut pars.

Rationes econtra *pro sententia Negativa* afferuntur sequentes.

1. Minores Ordines sunt tantum instituti ab Ecclesia. Nam D. Ambrosius in Epist. ad Tim. ait: *Non convenit demirari, si neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur. Illis etenim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti* (Minores) *postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri necessitas postulavit.*

2. Si Minores Ordines essent Sacramentum, etiam deberent dici Sacri Ordines.

3. Ecclesia Græca prætermisit Ordinem Ostiaratus, Exorcistatus, & Acolythatus, quin propterea fuerit culpata ab Ecclesia Latina. Innocentius

centius IV. Epist. 10. apud Raynaldum ad annum 1154. n. 9. ipsemet de illo more Græcorum testatur, dum ait: *Præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de Minoribus circa Ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur.* Non autem omisissent, nec Pontifex sine redargutione erroris morem illum transmisisset, si forent Sacramenta instituta à Christo.

4. Aliqui Ordines, qui & ipsi antiquitus connumerabantur Minoribus Ordinibus, fuerunt ab Ecclesia abrogati, nempe Ordo *Psalmistarum*, seu *Cantorum*, & Ordo *Fossariorum*, qui sepeliebant corpora SS. Martyrum. Ergo sicut hi non sunt Sacramenta, ita nec illi.

5. Hi Minores Ordines possunt conferri per Abbates, & alios simplices Sacerdotes; ergo videntur esse solum cæremonia Ecclesiastica; quia verum Sacramentum Ordinis requirit perpetuam seriem potestatis Episcopalis usque ad Christum.

6. Ministeria Minorum Ordinum possunt fieri etiam per Laicos. Talia autem non videntur exigere specialem institutionem aut collationem gratiæ sacramentalis.

7. Multi leguntur fuisse statim insigniti diaconatu omissis inferioribus Ordinibus, saltem tribus; idque etiam in Latina Ecclesia; v. g. S. Marcellus post Lectoratum, & S. Bernardus Hildesiensis Episcopus post Exorcistatum fuit statim ordinatus in Subdiaconum. Verum hæ rationes non sunt convincentes. Potest enim dici

Ad 1. Minores Ordines fuisse à Christo institutos quoad substantiam, quatenus unitive comprehenduntur in Diaconatu, vel presbyteratu; eos autem fuisse institutos ab Ecclesia quoad rationem specificam infimam, quatenus videlicet ministeria diaconatui conjunctim annexa fuerunt divisa. Imo ipse diaconatus ab Apostolis forte sic fuit divisus à presbyteratu.

Ad 2. Dicendum, Superiores Ordines tantum ideo vocari Sacros, quia stabiliter *sacrant* ac devovent Deo per votum castitatis, non à sacratione per Sacramentum.

Ad 3. Respondetur, Græcos hæc ministeria Minorum Ordinum non neglexisse quoad substantiam, sed illa unitive in diaconatu reliquisse.

Ad 4. Dicitur, Psalmistas, & Fossarios non habuisse ordinationem, sed tantum benedictionem presbiteri. Sic enim expresse habetur in Concilio Carthaginensi IV. C. 10. *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione presbiterii suscipere officium cantandi.* Et licet quandoque, v. g. apud S. Ignatium in Epistola ad Antiochenos & apud Epiphanium in Expositione fidei C. 21. recenseantur in ordine Ministrorum, id solum intelligendum de æquiparatione quoad gradum honoris, quia eo tempore erant in magno honore, non quoad gradum muneris & gratiæ.

Ad 5. Dici potest, Abbates & simplices Presbiteros has muneris Diaconalis partes non conferre nomine proprio, sed nomine ejus, qui illis delegavit hanc potestatem. Fateor tamen; hanc responsionem non tollere difficultatem. Videtur enim superesse quæstio, cur ad inferiores Ordines conferendos sufficiat delegatio Episcopi, & non etiam pro Diaconatu? An etiam divisibilis Ordo Episcopalis?

Ad 6. Responderi potest, Clericos in his ministeriis requiri de decentia, non de necessitate: Christum autem in coordinatione Hierarchiæ Ecclesiasticæ & in distributione statuum, & congruentium gratiarum debuisse attendere ad decentiam, singulis ministeriis circa mysteria primaria fidei providendo de ministris condecentibus, ex officio & conditione Status eo ordinatis.

Ad 7. Idem respondetur, quod ad 3. His non obstantibus, in hac controversia sentire cuivis licet, quod verius duxerit.

QUÆRITUR 7. An hi Minores Ordines imprimant characterem, & ex opere operato conferant gratiam?

RESPONDEO. Resolutio hujus dubii dependet ex Responsione præcedente; si enim Minores Ordines sunt Sacramentum, etiam imprimunt characterem, & conferunt gratiam, seu jus ad gratias actuales suo tempore pro recte obeundo ministerio consequendas. Si vero non sunt Sacramentum, saltem per preces & benedictionem Ecclesiæ impetrant ejusmodi gratias actuales devote hæc munia in se recipientibus.

QUÆRITUR 8. Fundanturne Minores Ordines etiam in Scriptura?

RESPONDEO. Explicite non exprimuntur, sed continentur in terminis genericis *ministerii.* Christus dicit Joan. 12. *Qui mihi ministrat; me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* ubi in Græco habetur: ἐμοὶ ἀκολουθείτω. unde & nomen *Acolythi* nil aliud significat, quam *pedissequum.* D. Paulus in pluribus locis, ubi videtur loqui de gratiis gratis datis, probabilius etiam, ac primario agit de Hierarchia Ecclesiastica, & gratiis sacramentalibus, quas Deus pro diversitate officiorum Ecclesiasticorum, ad quæ quemque gratis vocat, diversas distribuit; in iis gratiis ponitur etiam gratia *ministeriorum*, & & gratia *sanitatum* seu liberationis à dæmone, prout in *Constitutionum Apostolicarum* l. 8. C. 26. ut supra ostensum est, hic terminus explicatur. Ad Rom. 12. ait: *Multi enim corpus sumus in Christo, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei,* (id est, prælegendi, catechizandi, concionandi) *sive ministerium in ministrando &c.* Et 1. Cor. 12. Divisiones gratiarum sunt, & divisiones ministrationum sunt, & divisiones operationum sunt &c. Et ad Ephes. 4. *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, & ipse dedit quosdam Apostolos, alios pastores & doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi.* Ex his omnibus videtur posse colligi, Christum in sua mente habuisse designatam coordinationem ministeriorum Ecclesiasticorum perfectam quibus proin etiam destinaverit divisionem illarum gratiarum, de quibus agit Apostolus. De Exorcistatu habetur textus Luc. 10. ubi Christus ad septuaginta duos discipulos ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super* omnem

omnem virtutem inimici, quæ verba referenda esse ad ejectionem dæmonum, patet ex immediate præcedentibus, dum discipuli dicebant: *Ecce etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Utcunque autem sit, illud certum est, quod in Ecclesia Dei omnia sint ordinata, & quod Deus cuivis statui positive à se approbato, accedente ordinatione Ecclesiæ, conferat infallibiliter gratias actuales ad rectam observationem illius status necessarias. Ex hoc principio etiam D. THOMAS in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. probat, in Sacramento ordinis conferri gratiam. *Dicendum*, inquit, *quod Dei perfecta sunt opera, & ideo, cuicunque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea, per quæ executio illius potentiæ potest congrue fieri. Et hoc patet etiam in naturalibus. Et ideo in Sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem, est necessaria gratia ad hoc, quod homo digne dispenset.* Hic ergo textus Angelici Doctoris potest etiam applicari ad quatuor Minores Ordines, præsertim, si ad eorum dependentiam ab ordine Episcopali, prout ipsimet sunt tantum aliquid subdelegatum ex ordine Diaconali, sufficiat potestas delegata, qualis confertur Abbatibus quibusdam, conferendi Minores Ordines.

§. VIII.

De vita & honestate Clericorum.

QUÆRITUR 1. In quibus rebus potissimum consistat honestas vitæ Clericalis?

RESPONDEO: Consistit in sequentibus. 1. in modestia vestium. 2. in moderatione suppellectilis. 3. in frugalitate mensæ. 4. in cohabitatione non suspecta. 5. in abstinentia à ludis indecentibus. 6. in sequestratione à vanis spectaculis & choreis. 7. in fuga crapulæ & ebrietatis. 8. in devitatione venationis clamosæ. 9. in abdicatione negotiorum sæcularium. 10. in dispensatione redituum Ecclesiasticorum fideli & pia.

QUÆRITUR 2. Quid circa honestatem Clericalem præcipitur in jure Canonico?

RESPONDEO. Gregorius X. ex Concilio Lateranensi Generali, celebrato sub Innocentio III. sequentia in Corpus Juris Canonici retulit:

I. DE INCONTINENTIA. *Ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint, incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, puniantur secundum Canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius præcipimus observari; ut quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato. Si quis igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare divina; non solum Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponatur. C. Ut Clericorum* h. t. Ibid Tit. 2. dicitur: *Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.* De qua re ibi, & in Conciliis multa statuuntur. Imo c. 2. jubetur excommunicari Clericus, si post trinam admonitionem adhuc reperiatur *fabulari, & aliquo modo conversari cum fœmina, de qua crimine fornicationis erat suspectus.*

II. DE EBRIETATE. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo ad potus æquales suo modo obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio deponatur. C. à crapula.* h. t.

III. DE VARIIS STATUI CLERICALI INCONGRUIS. 1. Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur. 2. Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. 3. Mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant. 4. Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. 5. Ad aleas, & taxillos non ludant, & hujusmodi ludis non intersint. 6. In officiis Ecclesiasticis & aliis bonis studiis se exerceant diligenter. 7. Frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. C. 2. & 15. h. t.

IV. DE NEGOTIATIONE. *Intelleximus, quod quidam Clerici potius sæcularibus negotiationibus, quam Officiis Divinis intendunt; & gaudere volentes privilegio Clericali nolunt statutis patriæ in negotiationum suarum quæstibus subjacere. Si tales tertio à te commoniti ab hujusmodi non resipuerint, sed prætermissis divinis officiis negotiationibus institerint supradictis, cum facto abjiciant privilegium Clericale; in quo minus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis & consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem.* Ibid ex Decretali Honori III.

V. DE CAUPONATIONE. Clemens V. in Concilio Viennensi generali Clement, l. 3. tit. 1. c. 1. sic statuit: *Diœcesanis locorum*, (Episcopis) *districte præcipimus, ut Clericos macellariorum aut tabernariorum officium publice & personaliter exercentes nominatim & tertio moneant, ut sic ab hujusmodi officiis intra convenientem terminum monentium ipsorum arbitrio moderandum desistant, & quod ipsa nullo unquam tempore reassumant. Qui si moniti non destiterint, in rebus, & si omnino incedant ut laici, in personis privilegium Clericale eoipso amittant.*

QUÆRITUR 3. Quid circa honestatem clericalem inculcat Tridentinum?

RESPONDEO. Tridentinum Sess. 25. c. 1. de Ref. præscribit legem *de moderatione suppellectilis & mensæ*, necnon *de cavenda applicatione bonorum in propinquos.* Loquitur equidem in textu de solis Episcopis, sed in fine addit; hoc intelligendum de omnibus beneficiatis.„ Optandum est *inquit*, ut ii, qui Episcopale (*vel aliud beneficii* „ *Ecclesiastici cujuscunque*) ministerium suscipiunt, „ quæ suæ sint partes, agnoscant; ac se non ad „ propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed labores & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant; nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem, „ innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, „ sed animarum salutem, ac cœlestem patriam „ cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse S. Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, „ ut secum ea sæpius meditantes factis etiam ip-

fis

„ fis ac vitæ actionibus, quod est velut perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri „ suo conformes ostendant. Inprimis vere ita „ mores suos omnes componant, ut reliqui ab „ eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac „ quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ „ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Consilio „ Carthaginensi non solum jubet, ut Episcopi „ (*& omnes alii Beneficiati*) modesta suppellectili, „ & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus „ domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non „ simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, „ familiaresve suos augere studeant; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eos „ autem non distrahant, nec dissipent illorum „ causa. Imo, quam maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum „ hunc erga fratres, nepotes, propinquosque „ carnis affectum, unde multorum malorum in „ Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. „ Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem in „ quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam sæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus „ sui conditione observari decernit.

Quæritur 4. Quid circa honestatem Clericalem præcipiatur in statutis Synodalibus?

Respondeo. Præcipiuntur potissimum sequentia.

1. Clerici vitam, moresque omnes ita componant, ut habitu, gestu, incessu, sermone, scientia, conversatione, aliisque rebus omnibus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Part. 3. c. 1.

2. Levia quoque delicta, quæ graviora vulgi judicio in ipsis reputantur, sedulo declinent; actionesque omnes ita instituant, ut augeatur in omnibus Dei gloria, & Ecclesiæ utilitas promoveatur.

3. Arma nisi necessaria, cum iter faciunt, non permittimus.

4. Mensa sit moderata & frugalis, carens omni luxu & delitiis, ut bona quæ ipsa Ecclesia suppeditat, non solum ad moderatam vitæ sustentationem, sed ad communem etiam Ecclesiæ & pauperum necessitatem convertant; illudque studiose caveant, ne Christi Crucifixi patrimonium, cujus expensi rationem Deo reddere debent, cupiditati & intemperantiæ quarumque personarum servire videatur.

5. Cum tam publicæ, quam privatæ comessationes, compotationes, longiores NB. accubitus, convivationes, ad æquales haustus provocationes, tum omnes Christianos, tum maxime Clericos magnopere dedeceant, mandamus ac præcipimus Clericis omnibus Diœcesis nostræ, cujuscunque gradus & ordinis illi sint, ne illis ulla ratione indulgeant, sed quanta possunt diligentia declinent atque fugiant.

6. Lusibus jure prohibitis, choreis, illicitis venationibus, aucupiis, turpibus spectaculis neque adesse, neque ullo modo operam dare præsumant Clerici.

7. Cauponas, aut tabernas vinarias compotandi gratia ne adeant.

8. Negotiationes, mercaturas, alienæ rei procurationes, advocationes, actiones causarum apud Judices sæculares, Notariatus & Tabellionatus officia profana, artes medendi & cauponandi, tanquam à professione Clericorum aliena severe vetamus.

9. Mandamus omnibus Diœcesis nostræ Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant. l. 11. c. 2.

10. Hortamur eos in Domino, ut quibus in locis viros ministeriis domesticis præficere possunt, ibi nullas plane mulieres in familiæ numero esse patiantur. In aliis vero locis, si vel matrem, vel patris matrisve sororem, aut aliam mulierem bonæ famæ cognatione tam propinqua sibi conjunctam habeant, ut vinculum naturale omnem turpitudinis suspicionem facile excludat, illam domi suæ in matremfamilias ut assumant licet. Talis si haberi nequeat, nullam certe quadraginta annis minorem, quæve ab omni incontinentiæ suspicione immunis sit, sibi adjungat.

Hucusque Decreta Synodalia, Tridentina, & Juris Canonici, quæ omnes in Diœcesi obligant, ubi in Decreto adhibentur verba *præceptiva*. Si quæ sunt aliæ actiones hoc loco non expressæ, de quibus dubitatur, an sint contra honestatem Clericalem, inspiciatur. 1. an à potiori & in plerisque trahant ad multas deordinationes. 2. an reperiantur prohibitæ à variis aliis Conciliis Provincialibus? 3. an in æstimatione plebis indoctæ habeantur pro actionibus clerico *indecoris?* 4. an careant exemplo Sanctorum, aut timoratorum? Si enim nullum reperiant virorum doctrina & pietate illustrium exemplum; si repugnet æstimatio plebis; si tot Concilia particularia conspirent; & si ex suo genere causent multas deordinationes, nec verbo nec exemplo approbandæ, nec unquam *motu proprio* suscipiendæ sunt. Quid tamen in iis, quæ intrinsece mala non sunt, aliquando suadeat lex charitatis aut necessitatis, ubi actionis deformitas extrinseca sanatur majori bono extrinseco, intelligi potest ex verbis D. Thomæ Quodl. 9. art. 15.

§. IX.

De Veste Clericali.

Quæritur 1. Quid statuitur in Jure Canonico de veste Clericali?

Respondeo. Statuitur 1. ut non sit indecens à communi consuetudine approbata. 2. Ut non sit sæcularis. 3. Ut Clericus in publico non compareat sine veste Clericali. Canone *Nullus.* Causa 21. q. 4. ex Synodo Trullana sic habetur: *Nullus eorum, qui connumerantur in Clero, vestimentum indecens habeat, sive in civitate degens, sive in itinere ambulans; sed stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis. Si vero quis tale quid fecerit, per unam hebdomadam suspendatur.* 2. In C. *Episcopi* l. c. dicitur: Epis-

Episcopi, presbyteri, Diaconi, sæcularibus indumentis non utantur, nisi, ut condecet, tunica sacerdotali. Sed neque dum ambulaverint in civitate, aut in via aut in plateis, sine operimento præsumant ambulare. Quod si temere præsumpserint contra statuta agere, communione priventur. Hic Canon desumptus est ex Synodo Romana sub Zacharia Psps. 3. In Can. *Sine.* i. c. desumpto ex Synodo Romans sub Leone IV. præcipitur : *Sine ornatu sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non convenit ; -- contrarius inventus aut desinat ; aut Canonicæ subjaceat disciplinæ.*

QUÆRITUR 2. Quid de veste Clericali statuunt priora concilia Generalia?

RESPONDEO. Statuunt. 1. ut vestes non mereantur singularitatis aut Indecentiæ notam in populo. 2. Ut sint clausa. Concilium Lateranense Generale sub Innocentio II. C. 4. dicit : „ Præcipimus, ut tam Episcopi, quam „ Clerici In statu mentis, & habitu corporis Deo „ & hominibua placere studeant; & nec in super„ fluitate, scissura, aut colore vestium nec in „ Tonsura intuentium offendsnt aspectum. „ Quod si moniti ab Episcopis emendare noiue„ rint, Ecclesiasticis careant beneficiis. " In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. pariter Generali Can. 16. statuitur : „ Clerici clau„ sa daserant desuper indnmenta, nimia brevi„ tate vel longitudine non notanda.

QUÆRITUR 3. Quid circa vestes Clericales præcipit Tridentinum?

RESPONDEO. Præcipit, nt Clerici deferant babitum, non laicalem, sed talem, qualem Episcopi pro congruentia locorum & temporum in quavis Diœcesi præscripserint, & in transgressores vult animadverti pœnis severissimis. Sess. 14. C. 6. de Reform. sic hsbet : „ Oportet Cle„ ricos vestes proprio congruentes Ordini sem„ per deserre, ut per decentiam habitus eatrin„ seci morum bonestatem intrinsecam ostendant. „ Tanta autem hodie aliquorum inolevit teme„ ritas, religionisque contemptus, ut propriam „ dignitatem, & honorem Clericalem parvipen„ dentes, vestes etiam deferant publice laicales. „ Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, si „ postquam ab Episcopo suo, etiam per Edi„ ctum publicum, moniti fuerint, honestum „ habitum Clericalem, illorum Ordini & digni„ tati congruentem, & juxta ipsius Episcopi or„ dinationem & Mandatum non detulerint, per „ suspensionem ab Ordinibus, ab Officio, & be„ neficio, ac fructibus, redditibus ipsorum be„ neficiorum; necnon, si semel correpti denuo „ in hoc deliquerint, etiam per privationem „ Officiorum & beneficiorum bujusmodi coerce„ ri possint & debeant; Constitutionem Clemen„ tis V. in Concilio Viennensi editam, quæ in„ cipit, Quoniam, innovando & ampliando. " Præfata autem Constitutio babetur in Corpore Juris Canonici Clementinarum l. 3. Tit. 1. c. 2.

QUÆRITUR 4. Quid constituitur in statutis nostris Synodalibus Diœcesis Augustanæ de veste clericsli?

RESPONDEO. In Decretis Synodalibus Augustsnis parte. 3. c. 1. constituuntur tria. 1. Ut clerici semper deferant babitum. 2. Ut habitus sit decens ac modestus. 3. Ut non sit nimis brevis &c. Sic babent : V. „ Omnes Diœce„ sia nostræ Clerici, cujuscunque gradus, Or„ dinis, vel conditionis fuerint, etiamsi studio„ rum gratia absint, si in sacris Ordinibus con„ stituti sint, vel dignitatem, personatum, „ officium, aut beneficium aliquod Ecclesiasti„ cum habeant, gestent tam domi quam foris „ habitum & tonsuram clericalem, ordini, reli„ gioni & dignitati suæ congruentem.

„ VI. Vestitu utantur omnes ita honesto & „ decenti, ut materia forma, colore, & quoad „ alia omnia respondeat tum modestiæ & digni„ tati clericali, tum conditioni ac statui singu„ lorum, in quo ut nihil vanum, curiosum, „ aut nimis pretiosum & exquisitum sit, ita ni„ hil sordidum, lacerum, & nimis abjectum ap„ pareat.

„ VII. Interior tunica brevior non sit, quam „ ut infra genua diffundatur ; exterior vero us„ que ad talos. Collaria non sint crispata, non „ nimium elaborata, vel acupicta, nec in lati„ tudinem expansa, aut directa, sed plana, „ quæ commode super tunica reflecti possint. „ Caligæ non turgidæ; nec vestes dissectæ; nec „ ad elegentiam incisi calcei.

Quamvis bæc Decreta Synodalia jam edita fuerint Anno 1610. & ab eo tempore nonnulla sic exigente congruentis temporum aliam induerint formam, sufficienter tamen exinde elucet, & etiamnum loquitur intentio legis, quæ est immortalis anima legis.

QUÆRITUR 5. An dentur leges universalea pro tota Ecclesia, quibus præscribitur vestis talaria?

RESPONDEO. Dantur, quia tamen versantur in materia disciplinæ variabili pro congruentia locorum & temporum, relinquitur prudenti Episcoporum judicio, quousque ex rationabili intentione legislatoris urgendæ, aut temperandæ sint. Sixtus V. in Bulla, *cum Sacrosanctam*, dicit : *Hoc nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus & mandamus omnibus & quibuscunque Clericis, ut vestes talares assumant, & juguer deferant. Qui autem non obedierint, Ecclesiasticis beneficiis privamus* &c. Eadem lex sæpius fuit renovata à successoribus summis Pontificibus, præsertim Innocentio XI. & Innocentio XII. D. Carolus eam legem in suo Archiepiscopatu temperavit pro iter agentibus. *Clericis*, inquit, *iter babentibus vestitu contractiori uti licebit ; decentem tamen illum esse oportet, ex quo eos esse bomines Ecclesiastici Ordinis facile dignosci possit.* In bene ordinatis Diœcesibua observatur saltem stricte Rubrica generalis Missalis Romani, *de præparatione Sacerdotis celebraturi*, ubi dicitur : *Sacerdos celebret indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat.*

QUÆRITUR 6. Quis color sit positive à Conciliis improbatus in vestimentis Clericalibus.

RESPONDEO. A variis Conciliis particularibus, quorum sensus in Ecclesia prædominans format consuetudinem, probibentur præcipue tria genera colorum. 1. *rubeus.* 2. *viridis.* 3. *varius*, seu mixtus ex variis coloribus. Sic In Constitutionibus Gallonis Legati Pontificii anno

anno 1208. dicitur: *Prohibemus ne constituti in sacris Ordinibus vestes rubri coloris habeant. Decanis quoque, Archipresbyteris, & Archidiaconibus, ne vestes rubri coloris, vel viridis habere præsumant,* Et in Concilio Montispessulano Can. 3. dicitur: *Nullus Clericus indumentis vel caligis rubeis vel viridis coloris utatur.* Et Synodus Coloniensis anno 1280. ait: *Pannis rubeis aut viridibus non utantur* Eadem Synodus præcipit, ut *Clerici se induant vestibus unius coloris, & non varii, nec permixti.* Concilium Lateranense sub Leone X. anno 1514. Ipsis Cardinalibus vetuit, ne in sua familia haberent Clericos, qui gestarent vestes varii coloris. Et in Clementina l. c. similiter prohibentur vestes *variati* coloris.

Quæritur 7. Qualis erat vestitus civilis Clericorum in primitiva Ecclesia?

Respondeo. Erat communis ac usitatus populo, modestus tamen & mundus. Id desumitur ex Epistola Cœlestini I. ad Episcopos quosdam Galliæ, ubi vehementer reprehendit nonnullos Sacerdotes, eo quod loco tunicæ Romanæ gestaverint pallium Græcorum. „ Didici„ mus, *inquit*, quosdam Domini Sacerdotes su„ perstitioso potius cultui inservire, quam men„ tis & fidei puritati. Amicti pallio & lumbis „ præcincti credunt se Scripturæ fidem comple„ turos. -- Discernendi à plebe vel cæteris su„ mus doctrina, non veste, mentis puritate, „ non cultu. Unde hic habitus in Ecclesiis Gal„ licanis, ut tot annorum, tantorumque Pon„ tificum in alterum habitum consuetudo ver„ tatur? " Scripsit hæc Cœlestinus anno 428; unde sequitur, Clericos per priora quatuor sæcula semper usos esse veste vulgari, ac usitata apud Romanos.

Quæritur 8. Cujus coloris ac formæ erat ille habitus primorum Clericorum?

Respondeo. In latina Ecclesia utebantur tunica alba sine manicis, quæ erat vestis ordinaria Romanorum. Vestis enim communis populi Romani toga alba sine manicis erat prout observant, qui scribunt *de re vestiaria* Romanorum. Et in hac forma exhibentur omnes Clerici primitivæ Ecclesiæ in imaginibus & picturis sæculo tertio aut quarto exaratis, quæ videri possunt in Baronio, Blanchino, Boldetto. Idem colligitur ex D. Hieronymo in Epistola ad Nepotianum n. 5. ubi Clerico normam vestium præscribens ait: *Pullas* (subnigras naturalis vilis coloris) *vestes devita, ut candidas* (id est, splendentes) *ornatus, ut sordes pari modo fugiendi sunt. Non absque amictu lineo* (more Græcorum in habitu nigro) *incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est.* Idem tamen l. 1. adversus Pelagianos testatur, quod Clerici in *administratione Sacrificiorum* habuerint *tunicam mundiorem, & vestem candidam*, non colore nimirum, sed munditie ab usu vulgari differentem. In Ecclesia vero græca, ubi usus pallii, invaluit color niger, quo & Romani in luctu utebantur. Ex Oriente vero ille usus nigri coloris & pallii transiit etiam in Occidentem, prout ex illa Epistola Cœlestini Papæ, & aliis documentis colligitur, præsertim per eos, qui monasticam vitam, ac pallium philosophicum adamabant.

Quæritur 9. An deceat, à Clericis indui vestem lugubrem in funere suorum propinquorum?

Respondeo. Id tanquam indecens à Conciliis quibusdam particularibus prohibitum est. *Concilium Toletanum* anno 1473. Can. 8. dicit: *Luctuosas vestes induere Clerici in sacris Ordinibus constituti vel beneficiati non audeant.* D. Carolus in Concilio Mediolanensi 1573. ait: *Clericus ne quidem in obitu parentis lugubres vestes more laicorum induat.* Id tamen indulsit cum limitatione concilium Tarraconense anno 1338. dum l. 3. tit. 1. ait: *Ne Clericus in sacris ordinibus induat se de nigro, seu de vestibus lugubribus per mortem alicujus, nisi fuerit pater vel mater, frater aut soror, aut Dominus, quas etiam ultra duos menses portare non debet.* Res hæc est ordine ac ratione Superiorum variabilis pro congruentia locorum & temporum.

Quæritur 10. Quid potissimum vitandum in vestitu Clericali?

Respondeo. Novatio & pretiositas. Nam, ut Cœlestinus Papa l. c. observat: *Si incipiamus studere novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.* Hinc & S. Carolus in Concilio Mediolanensi I. C. 23. idipsum specialiter inculcat. *Omnem habitus & ornamenti novitatem Clerici fugiant.* Alterum à Concilio Generali Nicæno. II. Can. 15. his verbis exprimitur: *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena est à sacrato ordine. Omne, quod non propter necessitatem, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam.* Itaque rationabilis pro cujusque status aut dignitatis gradu consuetudo in vestibus Clericalibus limes esto. Id enim solum in colore, forma, & pretio vestium in quovis gradu deposcit honestatis necessitas, quod probat consuetudinis etiam à timoratis communius receptæ authoritas.

§. X.

De Privilegio Canonis.

Quæritur 1. Quid sit Privilegium Canonis?

Respondeo. *Privilegium Canonis* vocatur quædam Constitutio Ecclesiæ, vi cujus excommunicantur injicientes sacrilege manus violentas in Clericum.

Quæritur 2. Quis edidit illam Constitutionem?

Respondeo. Concilium generale Lateranense I. sub Innocentio II. anno 1139. In quo comparuerunt plusquam mille Episcopi & Prælati.

Quæritur 3. Quomodo sonant verba illius Constitutionis?

Respondeo. Præfatum Concilium Can. 15. sic habet: „ Placuit, ut si quis suadente dia„ bolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod „ in Clericum vel monachum violentas manus „ injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & „ nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, „ nisi mortis urgente periculo, donec Aposto„ lico

„ lico conspectui præsentetur, & ejus manda-„ tum accipiat.

Quæritur 4. Quid requiratur ad incurrendam hanc excommunicationem?

Respondeo. Requiritur violentia corporalis de se graviter peccaminosa.

Ratio est, quia excommunicatio solum stringit eos, qui *violentas manus*, non eos, qui *injuriosa verba* injecerint. Debet autem illa actio esse de se graviter peccaminosa; quia excommunicatio est pœna gravissima, quam Ecclesia nunquam solita est inferre ob delicta levia.

Quæritur 5. An hanc excommunicationem incurrant etiam illi, qui percutiunt Clericum causa correctionis?

Respondeo. Superiores, vel alii quibus incumbit munus correctionis, non incurrunt excommunicationem, si Clericos delinquentes violenter coerceant, aut pro emendatione castigent. In Jure Tit. de Sent. Excomm. expresse excipiuntur 1. „ Magister Scholarum si Scho-„ larem Clericum intuitu disciplinæ, vel cor-„ rectionis percusserit. C. super eo. 2. Si quis „ ex Ecclesia ejiciat Clericum divina officia tur-„ bantem, v. g. ludendo cum alio C. *si vero ali-„ quis*. 3. Prælati, qui Clericos, postquam „ fuerint de crimine canonice condemnati, sub „ arcta custodia detinent; qui, cum sint incor-„ rigibiles, nec monasteriis valeant custodiri, „ ad similia vel pejora laberentur. 4. Laici, „ si de mandato Prælatorum, quorum sunt ju-„ risdictioni subjecti, capiant Clericos, & ad ju-„ dicium trahant, si oportet, etiam violenter; „ dum tamen non amplius eorum violentia se „ extendat, quam defensio vel rebellio Cleri-„ corum exigit. C. *ut famæ*. Idem dicendum, „ si id faciant ex mandato Prælatorum *rationabi-„ liter præsumpto*, capiendo Clericos, ut sistan-„ tur Superiori. Quod fieri potest, si clerici „ deprehendantur in crimine enormi, aut per-„ turbativo boni publici, aut alias graviter præ-„ judicante juribus privatorum, & aliud me-„ dium non occurrat, crimen puniendi, aut „ probandi, eo quod v. g. Clericus sit arreptu-„ rus fugam, quod sit vagabundus, quod Cle-„ ricus alioquin sit negaturus crimen. V. Theol. „ Mor. Salmant, Tr. 8. C. 7. p. 1. 5. Qui ratio-„ ne Officii, quod in Ecclesia obtinent, aut „ etiam alii Clerici Seniores Zelo devotionis „ pueros vel adolescentes in Minoribus consti-„ tutos turbantes divinum Officium; & hi, qui „ prælationis vel magisterii obtentu subditos & „ scholares correctionis causa leviter forte per-„ cusserint C. *cum voluntate*. 6. Qui aliquos de „ familia sua, vel propinquos inferiorum gra-„ duum simili modo, ut cohibeantur a suis inso-„ lentiis, & scientiis, bonisque moribus infor-„ mentur, duxerint corrigendos. 7. Si Præla-„ tus Clericos suæ jurisdictioni subjectos prop-„ ter commissos excessus etiam per laicos capi „ faciat; & eos, ne fugiant, in carcere inclu-„ dat, nec ipse nec capientes incurrunt excom-„ municationem, licet nondum appareat, illos „ esse incorrigibiles; quia in his, nisi ex pro-„ posito excedatur, temeritas, vel injuria non deprehenditur. C. *si Clericos* in 6.

Quæritur 6. An incurratur hæc excommunicatio etiam ab iis, qui vim vi repellunt?

Respondeo. Non incurritur, sic enim habetur *C. si vero*. h. t. *Si quis Clericum vim sibi inferentem vi repellat vel lædat, si in continenti vim vi repellat; cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere permittant.*

Quæritur 7. An hæc excommunicatio incurratur etiam ab iis, qui occidunt clericum in adulterio, vel seditione comprehensum?

Respondeo. In Jure ab incurrenda excommunicatione specialiter eximuntur „ 1. Qui „ in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel „ filia propria turpiter inventum manus injece-„ rit violentas. Cæterum si in stupro vel adul-„ terio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita „ proxima consanguinitatis linea non contingit, „ ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, „ non erit à sententia illius excommunicationis „ immunis. c. si vero alicujus. i. c. 2. Qui oc-„ cidunt, vel occidi mandant clericum seditio-„ nem facientem. c. perpendimus." In quo tamen posteriore casu Episcopo injungitur, ut occisoribus imponat pœnitentiam.

Quæritur 8. An incurratur hæc excommunicatio etiam ab iis, qui percutiunt vel incarcerant clericum non deferentem Tonsuram vel habitum?

Respondeo. In Jure ab excommunicatione incurrenda eximitur 1. „ Si quis in clericum „ nutrientem comas manus injecerit violentas, „ dummodo ipsum clericum esse ignoraverit; „ vel si hoc dubium fuerit, propria manu dun-„ taxat præstiterit juramentum, quod eum esse „ clericum ignoraverit. *C. si vero aliquis*. 2. Si „ quis intulerit injuriam corporalem clerico, qui „ adhuc post trinam monitionem arma militaria „ gestaverit. *C. in audientia*. 3. Si Judex incar-„ ceraverit eum, qui ante deprehensionem se „ publice pro laico gesserit, & pro tali commu-„ niter habitus fuerit, quamvis deprehensionis „ tempore repertus fuerit in habitu clericali. *C.* „ *si judex*. in 6. 4. Idem constitutum est de Bi-„ gamis bigamia vera: *digamos*, inquit Pontifex „ *omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos*. T. „ de digamis, in 6.

Quæritur. An etiam pueri impuberes, & fœminæ, si percutiant clericum, incurrant hanc excommunicationem?

Respondeo. Incurrunt etiam pueri impuberes, & fœminæ hanc excommunicationem. Id probatur ex eo, quia *C. pueris*, & *C. mulieres*, permittitur Episcopo, ut absolvantur ab excommunicatione. *Mulieres & aliæ personæ, quæ sui juris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolvi possunt, si manus in Clericum injecerint violentas*. l. c. *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri; cum propter defectum ætatis rigor sit mansuetudine temperandus.*

Quæritur 10. An hæc excommunicatio incurratur etiam ab iis, qui percussionem clerici mandant, vel, cum prohibere possent, non impediunt?

Re-

Respondeo. Affirmative. Ita habetur in Jure. C. *quarta*. h. t. ubi dicitur: „ Ne solos „ violentiæ hujusmodi authores aliquorum præ„ sumptio existimet puniendos, facientes & con„ sentientes pari pœna plectendos catholica con„ demnat authoritas. Eos delinquentibus fave„ re interpretamur, qui cum possint, manifesto „ facinori desinunt obviare. Et *C. cum quis* in 6. „ Cum quis absque tuo mandato manus injicit „ in Clericum tuo nomine violentas: si hocra„ tum habueris, excommunicationem latam à „ Canone incunctanter incurris. Cum ratihabi„ tio retrotrahatur, & mandato debeat compa„ rari. Si vero injectio eadem tuo nomine non „ fit facta, tunc licet pecces ratam habendo ean„ dem, non tamen propter hoc excommunica„ tionis ullius vinculo innodaris. Et *C. Mulieres*. „ Illi, qui non per seipsos, sed eorum authori„ tate vel mandato alii violenter injiciunt manus „ in Clericos, ad Sedem *Apostolicam sunt mittendi;* „ *cum is committat vere, cujus authoritate vel mandato* „ *delictum committi probatur*.

Quæritur 11. An incurratur excommunicatio hæc etiam in casu, quo percussio Clerici fit in occulto, ita ut probari non possit?

Respondeo. Incurritur. Ita habetur *C. Porro si* ubi dicitur: „ Porro si aliqui violentas „ manus in fratres suos injiciunt, & ducti pœni„ tentia, non convicti sed privatim à te (Epis„ copo Senon.) veniam postulant, eos debes in„ ducere, ut Apostolico se repræsentent con„ spectui, cum à te vel alio sine speciali manda„ to Rom. Pont. absolvi non possint.

Quæritur 12. An incurratur hæc excommunicatio etiam in casu, quo Clericus non percutitur, sed solum includitur?

Respondeo Affirmative: Ita habetur in *C. Nuper*. h. t. ubi dicitur: „ Nuper tua Discre„ tio requisivit, quid de illis Laicis sit facien„ dum, qui Clericos, sine læsione tamen, in „ custodia detinent publica vel privata, vel etiam „ detrudunt in vincula? Nos non credimus, „ Laicos pœnam excommunicationis evadere, „ quamvis per eorum factum corporalis læsio „ non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæ„ pius circa clericos nequiter perpetratur.

Quæritur 13. An absolutio ab hac excommunicatione semper & in omni casu sit reservata summo Pontifici?

Respondeo. Regulariter est servata summo Pontifici; dantur tamen aliqui casus, in qui bus absolutio potest impendi ab Episcopo Diœcesano. In Jure enumerantur sequentes.

„ 1. Si Clerici infra pubertatis annos se ad „ invicem, aut unus alterum percusserit, non „ sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia „ eos ætas excusat. *C. Super eo*. h. t.

„ 2. Monachi, & Canonici Regulares quo„ cunque modo se in claustro percusserint, non „ sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed se„ cundum providentiam sui Abbatis disciplinæ „ subdantur. C. *Monachi*.

„ 3. Si alicujus potestatis Ostiarius sub præ„ textu sui officii malignatus Clericum læserit, „ ab Episcopo suo potest absolvi, nisi forte eun„ dem Clericum graviter læserit. *C. Si vero*.

„ 4. Mulieres vel aliæ personæ, quæ sui ju„ ris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absol„ vi possunt. *C. Mulieres*.

„ 5. Si quis habens capitales inimicitias, vel „ alias justas excusationes, quibus ab itinere „ (Romano) rationabiliter excusetur, ita quod „ sine periculo Apostolico se nequeat conspe„ ctui præsentare, licet Diœcesano Episcopo „ sibi absolutionis gratiam impertiri; sed est illi „ sub juramenti debito injungendum, ut quam „ citius opportunitatem habuerit, Rom. Ponti„ ficem adeat. *C. de cætero*.

„ 6. Duximus respondendum, quod mulie„ res, senes, & valetudinarii, seu membrorum „ destitutionibus impediti, licet ad Apostoli„ cam Sedem non veniant, ab Episcopis va„ leant communionis fidelium restitui. Alias au„ tem sive pauperes, sive divites, Sedi Apo„ stolicæ vel Legato ejus, ut beneficium abso„ lutionis obtineant, necesse est præsentari. Si „ vero infirmitatis tempore timore mortis be„ neficium absolutionis fuerit inductum, jura„ mento præstito injungatur eisdem, ut post„ quam sanitati fuerint restituti, ad Romanam „ Ecclesiam, vel ejus Legatum accedant. *C. ea* „ *noscitur*. Clemens III.

„ 7. De iis absolvendis, qui Clericis non „ enormem, sed modicam & levem injuriam ir„ rogarunt, tuo arbitrio (Episcopali) duximus „ committendum. Ita Clemens III. *C. Pervenit*.

Quæritur 14. Qualis potestas absolvendi concessa est Episcopis in Tridentino?

Respondeo. In Tridentino concessum est Episcopis, ac consequenter aliis in suos subditos jurisdictionem Episcopalem exercentibus, ut possint subditos pro foro conscientiæ absolvere ab omnibus *delictis occultis*, talibus nimirum, quæ nondum sunt deducta ad forum contentiosum, aut nondum sciuntur à majore parte communitatis, quamvis cæteroquin testibus probari possunt. Decretum Tridentini Sess. 24. c. 7. sic habet: „ Liceat Episcopis in quibuscunque „ casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reser„ vatis, delinquentes quoscunque sibi subditos „ in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad „ id specialiter deputandum in foro conscientiæ „ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. „ Idem & in hæresis crimine in eodem foro con„ scientiæ eis tantum, & non eorum Vicariis „ sit permissum, " nimirum nisi in casu particulari ab Episcopis delegetur Vicario. Dicitur etiam, *in foro conscientiæ*, per quod intelligitur facultas tam intra quam extra confessionale ad omnes actiones externas, exceptis solum, quæ subjacent actu *foro contentioso*.

§. XI.

De Privilegio fori.

Quæritur 1. Quid est Privilegium Fori?

Respondeo. Est exemptio à jurisdictione tribunalium sæcularium tam in causis civilibus, quam in criminalibus.

Quæritur 2. Estne hæc exemptio juris naturalis & divini?

Re-

Respondeo. In causis tam civilibus saltem personalibus, quam criminalibus, quando Clericus concurrit cum clerico, ea exemptio est juris non solum divini, sed etiam naturalis.

Probatur ex eo, quia non solum primi Imperatores Christiani unanimiter, sed etiam Aurelianus Imperator gentilis, tales controversias reliquerunt judicio Episcoporum; quæ uniformitas mentium non daretur, nisi ex impulsu æquitatis naturalis. De Aureliano Imperatore, qui obiit anno 278. Eusebius l. 7. c. 30. scribit: *Cum Paulus* (Samosatenus, hæreticus) *à fide simul & Episcopatu excidisset, Dominus administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscepit; sed cum Paulus è Domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent.* 2. Idem Eusebius l. 13. c. 5. scribit, quod, cum Cæcilianus Cartaginensis Episcopus *a quibusdam Collegis suis multis de causis apud Proconsulem* Africæ, & Constantinum Imperatorem insimularetur, hic causam denuo remiserit ad judicium Episcoporum. Cumque Donatistæ ab illo Episcoporum judicio denuo ad Imperatorem appellarent, Imperator respondit: *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt, renuentes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum.* 3. Ruffinus l. 1. Hist. c. 2. de eodem Imperatore Constantino scribit: „Cum in Concilio Niceno ex omnibus pene locis Episcopi „convenissent, & ut fieri solet, diversis ex cau„sis inter se jurgia quædam detulissent, inter„pellabatur frequenter à singulis; offerebantur „Libelli, culpæ proferebantur. At ille singu„los Libellos sinu suo continens, nec, quid in „eis contineretur, aperiens, ait ad Episcopos: „Deus vobis dedit potestatem, de nobis quo„que judicandi. Et ideo nos à vobis recte ju„dicamur; vos autem non potestis ab omni„bus judicari. Cum hæc dixisset, omnes que„rimoniarum Libellos jussit simul exuri.“ 4. „Concilium generale Chalcedonense, celebratum anno 451. non fuisset ausum hanc legem in præjudicium Tribunalium sæcularium sine consensu Imperatoris statuere, nisi ea foret juris naturalis ac divini, jam prius in ipsis tribunalibus agniti, & acceptati Can. 9. sic habet: „Si quis Clericus habet cum Clerico litem aut „negotium, proprium Episcopum ne relinquat, „ad sæcularia judicia ne excurrat, sed causam „prius apud proprium Episcopum agat, vel de „Episcopi sententia apud eos, quos utraque „pars elegerit, si quia autem præter hæc fece„rit, canonicis pœnis subjiciatur. Si Clericus „autem cum proprio vel etiam alio Episcopo „negotium aut litem habeat, à provinciæ Sy„nodo judicetur. Si autem cum ipsius provin„ciæ Metropolitano Episcopus vel Clericus con„troversiam habeat, Diœcesis Exarchum (Prima„tem) adeat, vel urbis Constantinopolis thro„num (Patriarchalem) & apud eum litiget.“ Consimiliter Concilium Toletanum, celebratum anno 589. supponit illam legem tanquam immutabilem, ita ut opposita consuetudo semper respicienda sit tanquam corruptela. Can. 13. sic habet: „Diuturna indisciplinatio, & licentiæ „inolita præsumptio usque eo illicitis ausibus „aditum patefecit, ut clerici Conclericos suo „neglecto Pontifice ad judicia publica pertra„hant. Proinde statuimus, hoc de cætero non „præsumi; sed si quis hoc facere præsumpserit, „& causam perdat, & à communione efficiatur „extraneus.“ Dum dicitur, *causam perdat*, satis ostenditur, non agi de crimine, aut de injuria personali, sed de causa civili *circa jura aut bona temporalia*, de quibus solis agnoscebant judices sæculares.

Quæritur 3. An exemptio à jurisdictione sæculari sit etiam juris divini in causa criminali, si actor sit Laicus, & causa criminalis non fuerit politica?

Respondeo. Etiam in hoc casu illa exemptio est juris divini.

Probatur ex Apostolo, qui supponit, hoc judicium in criminalibus competere soli Ecclesiæ, dum ait: *Adversus Presbyterum accusationem noli excipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* 1. Tim. 5. *Confirmatur* ex perpetua praxi Ecclesiæ, quia nunquam legitur aliquis clericus in criminalibus non politicis condemnatus à Judice sæculari Christiano nisi ad pœnam post Ecclesiæ sententiam, ut post degradationem ipso facto incursam. Hinc & Justinianus Imperator cum in l. *Certissime* 33. C. de Episcopali audientia, vehementer conquereretur contra quosdam clericos, qui interessent lusui taxillorum, & aliis spectaculis, generaliter à se etiam respectu Laicorum prohibitis, clericos transgressores suarum legum non vocat in judicium sæculare; sed tantum postulat ab Episcopis, ut ejusmodi clericos certis, quas suggerit, pœnis afficiant, & si opus fuerit, etiam degradatione plectant, suis vero Provinciarum Præfectis solum mandat, ut tales clericos Episcopis deferant, & his pro executione pœnarum brachium sæculare porrigant. Hinc & clericum, in causa criminali civili, id est, Politica reum inventum, vult prius degradari, ac dein fieri *sub manu legum.* Nov. 83. & 123. C. 21.

Quæritur 4. Quis contulit Ecclesiæ exemptionem à jurisdictione sæculari in causis civilibus clericorum cum laicis?

Respondeo. Eam emptionem contulerunt Imperatores Christiani sæculo quinto & sexto. Martianus Imperator, qui obiit anno 457. contulit laicis facultatem, ut Clericos etiam in quibuavis causis civilibus possent convenire coram Episcopo; dein vero clericis Patriarchæ Constantinopolitano subjectis contulit privilegium, ut etiam in causis civilibus non possent conveniri à laicis coram judicibus inferioribus, sed tantum coram supremis Provinciarum Prætoribus. Justinianus Imperator illud privilegium ampliavit ad omnes clericos etiam aliorum Patriarchatuum existentium sub ditione Romani Imperii. Martianus in l. decernimus 13. *C. de Episcopali audientia*, ait: Quicunque Catholicarum Ecclesiarum quæ *sub almæ Urbis* (C. P.) *Archiepiscopo sunt, sive de Ecclesiasticis, sive de propriis, & ad ipsum solum pertinentibus causis quemcunque earundem Ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare,* apud

apud memoratum Archiepiscopum causam dicat; volentibus tamen actoribus pateat Episcopale judicium, ac nullus, qui in praedictos Clericos intendit actionem, ad religiosissimum antistitem ducatur invitus. Et in alia lege, eodem anno & die ad Praefectum Praetorio scripta ait: *Cum Clericis in judicium vocatis pateat Episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus, si actor disceptionem SS. Archiepiscopi noluerit experiri, eminentissimae tuae Sedis examen contra Clericos sub Archiepiscopo hujus urbis constitutos, tam de suis, quam de Ecclesiasticis* (circa bona temporalia) *negotiis sibimet noverit expetendum: qui in nullo alio foro, vel apud quemquam alterum judicem eosdem Clericos litibus irretire, & civilibus vel criminalibus negotiis tentet innectere.* Justinianus vero Imperator tandem anno 539. generale Clericis concedit Privilegium Novella 83. In qua sic scribit: *Petiit fummus à Menna Archiepiscopo hujus civitatis* (C. P.) *Clericis hoc dare privilegium, ut si quis habet adversus eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Archiepiscopum pergat sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex non scripto judicium mereatur; & si hoc fiat nec inquietet eum, nec trahat ad auditoria civilia.* Ex clausula hujus Novellae apparet privilegium petitum actu concessum fuisse. Quod adhuc manifestius liquet ex Novella 123. ubi c. 8. sic scribit: *Neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali Episcopum ad judicem civilem invitum producere citra imperialem jussionem permittimus.* Et c. 21. *Si quis contra aliquem Clericorum habeat aliquam actionem, adeat prius Episcopum, cui horum unusquisque subjaceat. Ille vero causam inter eos judicet; & siquidem utraque pars iis, quae judicata sunt acquieverit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectae contradi. Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat iis, quae judicata sunt, tunc locorum Judex causam examinet; & si invenerit judicium recte factum, hoc per sententiam propriam confirmet. Si vero judicis sententia contraria fuerit iis quae ab Episcopo judicata sunt, tunc locum habere appellationem contra sententiam Judicis.* Hucusque constitutio Justiniani. Et quamvis Imperium Romanum ab Oriente fuerit translatum in Occidentem anno 800. in persona Caroli M. ac dein anno 888. ex Gallia transierit in Germaniam, nihilominus praefatae constitutiones fuerunt confirmatae à Friderico II. Imperatore qui obiit anno 1250. Ejus confirmatio inserta est corpori juris civilis C. de Sacrosanctis Ecclesiis. l. *Cassa*, ubi sic sonat: *Cassa & irrita esse denuntiari per totam Italiam praecipimus omnia Statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiae ejusque personas inductas adversus Canonicas, & Imperiales sanctiones.* Caeterum ex eo tempore quantum consuetudo mutaverit; & quaenam consuetudo pro rationabili tolerari mereatur, disquirendum relinquitur curae Episcopali; & judicio Ecclesiae.

Quaeritur 5. An Clerici compelli possint ad ferendum testimonium in causis Civilibus?

Respondeo. Si desint alii testes idonei, obligantur in conscientia ad perhibendum testimonium veritati. Sed ad hoc deponendum non tenentur se sistere personaliter in judicio; & si exigatur ab eis juramentum, regulariter requirendus est consensus Episcopi. Imperator Justinianus Novella 123. C. 7. de Episcopis sic statuit: *Nulli judicum liceat Episcopos cogere ad judicium veni-re pro exhibendo testimonio; sed judex mittat ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis Evangeliis, secundum quod decet Sacerdotes dicant, quae noverint.* Illud privilegium Eugenius II. anno 827. & Leo IV. anno 853. in duobus Conciliis Romanis extenderunt ad omnes Presbyteros, Can. 13. sic statuunt: *Quamquam Sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in saecularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur; quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si enim eventae causae aliquid viderint, aut audierint, ubi nullae idoneae saecularium inveniantur personae, ne veritas occultetur, & malus & bonus existimetur, in providentia proprii Episcopi sit, ut aut coram se, & compotentibus judicibus, aut aliter veritatem honorifice attollant.* Cum ergo Fridericus II. omnia privilegia Clericis indulta per Sacros Canones saeculo decimo tertio confirmaverit, ut supra vidimus, hic etiam Canon observandus est.

Quaeritur 6. Quid requiritur, ut Clerici privilegio Fori gaudeant?

Respondeo. Requiritur imprimis, ut deferant habitum & Tonsuram. Secundo requiritur unum ex his tribus; nimirum ut vel habeant beneficium, vel alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi deserviant, vel ut cum consensu Episcopi in aliquo Seminario vel in aliqua Schola versentur. Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 6. sic habet: „ Nullus prima Tonsura initiatus „ aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutus „ ante annum 14. beneficium possit obtinere. „ Is etiam Fori privilegio non gaudeat, nisi be„ neficium Ecclesiasticum habeat; aut clerica„ lem habitum & Tonsuram deferens alicui Ec„ clesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in „ Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola „ vel Universitate de licentia Episcopi quasi in „ via ad Majores Ordines suscipiendos versetur. „ In Clericis vero conjugatis servetur constitu„ tio Bonifacii IX. quae incipit, *Clerici qui cum „ unicis*; modo hi Clerici alicujus Ecclesiae ser„ vitio vel ministerio ab Episcopo deputati ei„ dem Ecclesiae serviant, vel ministrent.

§. XII.

De Irregularitate.

Quaeritur 1. Quid est irregularitas?

Respondeo. Est inhabilitas de se perpetua ad Ordines suscipiendos, & in susceptis ministrandi jure Ecclesiastico constituta.

Quaeritur 2. Quotuplex est irregularitas?

Respondeo. Est duplex. Una vocatur irregularitas *ex defectu*, altera *ex delicto*. Irregularitas *ex defectu* est inhabilitas ad recipiendos vel exercendos Ordines ob defectum alicujus qualitatis requisitae; etiamsi ille defectus non proveniret ex culpa, saltem gravi. Irregularitas *ex delicto* est inhabilitas statuta in poenam ob grave delictum?

Quaeritur 3. Quot dantur irregularitates *ex defectu*?

Respondeo. Sex. 1. Ex defectu animi. 2. Ex defectu corporis. 3. Ex defectu Natalium. 4. Ex

4. Ex defectu libertatis. 5. Ex defectu Sacramenti. 6. Ex defectu lenitatis.

Quæritur 4. Quot dantur irregularitates *ex delicto*?

Respondeo. Quatuor. 1. Ex iteratione baptismi. 2. Ex indebita susceptione vel usu Ordinis. 3. Ex homicidio illicite perpetrato, vel mutilatione. 4. Ex infamia. S. Pius in Bulla: *Horrendum* addidit quintum genus irregularitatis, quæ incurritur ob Sodomiam completam.

Quæritur 5. Quinam sunt irregulares ex defectu animi?

Respondeo. 1. Qui fuerunt aliquando *furiosi*, & timentur denuo relapsuri esse. C. *Maritum*, dist. 33. 2. Ob paritatem rationis eo revocantur etiam *amentes*, quorum ea est dementia, ut timeatur, eos sine Status Clericalis dedecore non ministraturos in Ordine. Tales, licet habeant quandoque lucida intervalla, si tamen amentia proveniat ex passione permanente, vel ex humorum intemperie, vel ex læsione cerebri facile relabuntur. 3. Ad furiosos accensentur etiam *Energumeni*, de quibus fit expressa mentio C. *maritum* l. cc. & C. *communiter* & C. *Clerici* l. cc. 4. Eo pertinent *similibus passionibus vexati*. C. *Usque* l. cc.

Quæritur 6. Quinam sunt irregulares *ex defectu corporis*?

Respondeo 1. *Mutilati* aliquo membro visibili, quo deficiente sine periculo irreverentiæ, aut sine notabili deformitate ministrare non possunt. Talis mutilatio foret, si deesset brachium, manus, pollex. Colligitur ex C. *exposuisti*, de corpore vitiatis. 2. *Deformes deformitate notabili*, tali nimirum, quæ inducit horrorem intuentibus. Tales æstimantur carentes naso, oculo sinistro, auriculis &c. item claudi, qui sine baculo vel pede ligneo non possunt servire Altari, gibbosi &c. Hujus vero deformitatis æstimatio pertinet ad Episcopum; ejus enim in hac re judicium se habet per modum sententiæ pertinentis ad jurisdictionem, ut recte advertit Theologia Moralis Salmant. Tract. 10. C. 9. p. 6. n. 68. 3. *Infirmi* infirmitate aliqua incutiente horrorem aspicientibus, v. g. laborantes morbo caduco, morbo gallico, lepra aperta, &c. 4. *Hermaphroditi*, nisi prævaleat sexus virilis. 5. Qui seipsos castraverunt. Hæc omnia desumuntur ex C. *illiteratos*. dist 36. ubi dicitur. *Aliqua parte corporis vitiatos vel imminutos nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere. Similiter qui seipsos abscindunt.* Idem colligitur ex variis capitulis *de corpore vitiatis*, & *de Clerico ægrotante*.

Quæritur 7. Quinam sunt irregulares ex defectu Natalium?

Respondeo. *Illegitimi* omnes, etiamsi eorum illegitimitas non notoria ac publica; & etiamsi sint tantum naturales. Id doctores colligunt ex C. *per venerabilem*, Tit. Qui filii legitimi, in 6. De natis autem ex spurio vel sacrilego coitu habentur capitula specialia Tit. *de filiis Presbit.* & dist. 36. C. fin,

Quæritur 8. Quinam sint irregulares *ex defectu libertatis*?

Respondeo. 1. *Mancipia*, seu *servi* proprie dicti, quamdiu non donantur libertate. Ita habetur Tit. de servis non ordinandis. 2. *Ratiociniis obligati*; id est, qui tenentur deponere rationem de sua administratione, nimirum Thesaurarii communitatum, vel nobilium, depositarii, Actores, Procuratores, Magistratus, Judices rerum temporalium, Tutores, Curatores, ac universim omnes, qui de suo munere sive privato sive publico nondum deposuerunt ratiocinium; nisi constituerint cautionem aut fidejussionem idoneam. Habetur Tit. de obligatis ad ratiocinia; & dist. 51.

Quæritur 9. Quinam sunt irregulares ex *defectu Sacramenti*?

Respondeo. Bigami Est autem bigamia triplex, nempe *vera*, *interpretativa*, & *similitudinaria*. 1. Bigamia *vera* est matrimonium cum duabus successive uxoribus consummatum. C. *super eo*. de bigamis non ordinandis. 2. Bigamia *interpretativa* est matrimonium cum duabus successive uxoribus, intercedente tamen saltem cum alterutra impedimento dirimente, consummatum. C. *nuper à nobis*. l. cc. Interpretativa etiam bigamia est matrimonium consummatum cum vidua, aut cum fœmina ab alio corrupta. C. *curandum*. dist. 34. & C. de bigamis l. cc. Consimiliter Bigamus *interpretative* habetur, qui cognovit suam uxorem, quam scit ab alio adulterio fuisse pollutam. C. si laici, dist. 34. 3. Bigamia *similitudinaria* est matrimonium attentatum & consummatum cum virgine ab eo, qui castitatem susceptione Sacrorum Ordinum, vel Status religiosi professus est. C. *quotquot*, causa. 27. q. 1. & C. *nuper*, de bigamis, & C. *à nobis*. Ratio horum omnium est, quia matrimonium significat unionem Christi cum Ecclesia, utique una, & non adultera; quæ significatio deficit in bigamiis huc usque descriptis.

Quæritur 10. Quinam incurrant Irregularitatem *ex defectu lenitatis*?

Respondeo. 1. Qui committunt homicidium voluntarium etiam in bello justo. C. *Petitio*. 24. de homicidio. 2. Qui judicium sanguinis agitant, aut truncationem membrorum per se vel suo judicio inferunt. C. *Clericis*. Tit. Ne Clerici vel monachi Alexander III. sic statuit: *Clericis in sacris Ordinibus constitutis judicium sanguinis inferre non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut indicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.* 3. Qui per aliam quandam actionem præseferentem speciem sævitiæ inferunt mortem. Sic enim C. *ad audientiam*. presbiter, qui cingulo, in quo pendebat cultellus, percusserat domesticum, eumque cultello ex vagina lapso ita vulneraverat, ut ex vulnere visus sit decessisse, declaratur irregularis à Clemente III. Adducitur quidem communiter C. *siquis viduam*. dist. 50. Sed ibi est sermo de homicidio illicito, & non de licito, de quo hic est sermo, ubi inducit irregularitatem præcise ex defectu lenitatis.

Quæritur 11. An hanc irregularitatem etiam incurrunt Prælati, si occasione criminis capitalis in sua jurisdictione commissi injungant judicibus, ut veritatem inquirant, & justitiæ debitum exequantur; & exinde procedatur ad pœnam sanguinis?

Re-

RESPONDEO. Non incurrunt irregularitatem. Ita respondet Bonifacius VIII. *C. Episcopus.* Ne Clerici vel monachi in 6. ubi sic definit: *Licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat; eas tamen, cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.*

QUÆRITUR 12. An incurrunt irregularitatem Clerici, qui de injuriis, damnisque sibi illatis contra malefactores deferunt querelas ad judicem, & exposcunt satisfactionem, si Judex justitiæ exigente illis inferat mortem?

RESPONDEO. Non incurrunt irregularitatem. Ita rursus definivit Bonifacius VIII. in *C. Prælatis.* de homicidio, in 6. ubi sic habet: „ Prælatis, vel Clericis quibuscunque, qui de „ laicis suis malefactoribus querelam penes sæ„ cularem Judicem deponentes petunt Emendam „ sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia „ de cætero præsumantur, protestando expres„ se, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis „ non intendunt, imputari non debet, quam„ vis alias in tali casu de jure debeat pœna san„ guinis irrogari, si Judex mortem illis inferat „ justitia exigente. Alioquin si Prælati aut Cle„ rici propter metum hujusmodi, quia Judex ad „ pœnam sanguinis posset procedere, de suis ma„ lefactoribus taliter conqueri non auderent, „ daretur plerisque materia trucidandi eosdem, „ & ipsorum bona libere prædandi." Ex hoc sequitur, non fieri irregularem Clericum, qui tantum agit *civiliter* ad restitutionem ablatorum, ad arcendas aliorum sibi commissorum seductiones, molestationes, damnificationes, quantumvis in eadem causa sit in reos constituta pœna mortis; dummodo fiat protestatio, quod non intendatur pœna mortis, sed tantum sui & suorum securitas ac indemnitas.

QUÆRITUR 13. Estne irregularis Princeps, qui condit legem de irrogando certorum criminum reis supplicio mortis?

RESPONDEO. Non fit irregularis statuendo in quædam crimina pœnam mortis; quia leges non feruntur ad inferendam mortem, sed ad criminum licentiam reprimendam suppliciorum metu. Idem dicendum est de Consiliariis Principum, qui illis consulunt & authores sunt ad statuendum tales leges continentes pœnam sanguinis. S. Antoninus l. part. 3. tit. 28. §. *mandato,* in Præfat. dicit: *Princeps, qui legem condidit, cujus legis authoritate homines sunt traditi morti, non efficitur propter hoc irregularis, quia in certam personam non animadvertit.*

QUÆRITUR 14. An irregularitatem incurrant Sacerdotes Castrenses, adhortantes ad strenue pugnandum? Confessarii denegantes Magistratui absolutionem nolenti punire secundum leges continentes pœnam mortis? Aut Confessarii, denegantes reo absolutionem nolenti fateri crimen capitale Judici legitime interroganti?

RESPONDEO. Non fiunt irregulares. Quia adhortari quemlibet sui officii non facit irregularem, neque cooperatio ad mortem alienam qualiscunque, sed cooperatio præferens speciem animi immitis, & alieni à lenitate ac mansuetudine Christi in communi æstimatione populi, qualis reperitur in exemplis in jure expressis.

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

QUÆRITUR 15. An fiat irregularis Clericus, quia author est, ut capiatur maleficus, etiamsi capiens illum occidat?

RESPONDEO. Non fit irregularis; dummodo protestetur, se non intendere pœnam sanguinis. Ita colligitur ex C. *Juanos.* §. *ad ultimum,* ubi declaratur, eum non esse irregularem, qui requisitus à Judice de indiciis, quibus fur convinci posset, eidem submisit convincentia indicia; neque etiam in præfato capitulo declarantur irregulares Scholares, qui juncta opera tradiderunt furem Judici. Idem colligitur ex *C. Postulasti.* l. cc. ubi ponitur casus, quod Clericus accusaverit quosdam apud Regem, qui decimas Ecclesiæ subtrahebant, quos ad solutionem vix absque effusione sanguinis præviderat posse coarctari. Respondet Innocentius III. *Si te hujusmodi querimoniam simpliciter deponente Rex, cui ad vindictam malorum gladius est commissus, in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritia vel malitiæ imputandum.* Hucusque actum est de irregularitate *ex defectu.* Sequitur de irregularitatibus *ex delicto.*

QUÆRITUR 16. Quomodo incurratur irregularitas ex reiteratione baptismi?

RESPONDEO. Incurritur à rebaptizatis, quando reiteratur baptismus malitiose ex errore hæreticali, quasi baptismus parvulis collatus, vel ab hæreticis administratus non valeat. Non vero incurritur, quando prior baptismus ex defectu materiæ vel formæ probabiliter timetur esse invalidus. *C. Confirmandum.* dist. 50. dicitur: *Nunquam permittendum, ut rebaptizati ad Clericatus ordinem promoveantur.* idem habetur *C. qui bis.* de consecrat. dist. 4. Sed quando Baptismus reiteratur ex superstitione, incurritur à solo baptizante. C. *Ex Litterarum.* de Apostatis, sic habetur: *Quidam ægritudine longa confectus insano sortilegarum mulierum consilio credens, ut sanaretur, per iterationem fecit injuriam baptismatis Sacramento. Acolythus,* (qui rebaptizavit) *ad superiores Ordines promoveri, si publicum est, quod proponitur, non valebit. Si vero occultum est, promoveri poterit.* Huc referuntur C. *Qui in qualibet.* causa 1. q. 7. qui ab hæreticis baptizati sunt. Quod intelligendum, si quis jam in adulta ætate sine casu necessitatis baptizetur ab hæreticis, sic ut videatur communicare eorum errori. SS. D. N. Benedictus XIV. in l. 7. de Synodo c. 6. n. 2. 3. 4. ab irregularitate non excusat eos, qui ex mera scrupulositate de valore prioris baptismi baptismum sub forma conditionata vel suscipiunt vel administrant, prout dicetur in Tr. de baptismo.

QUÆRITUR 17. Quomodo incurritur irregularitas ex indebita susceptione vel usu ordinis?

RESPONDEO. Incurritur 1. Ab iis, qui actum Ordinis exercent sine prævia ordinatione. 2. Ab iis, qui exercent solenniter actum Sacri Ordinis, quo tempore aliqua censura Ecclesiastica, nimirum excommunicationis majoris, suspensionis, vel Interdicti personalis innodati sunt. Primum habetur ex C. *si quis.* & C. *ex litteris.* De Clerico non ordinato ministrante. C. *si quis* dicitur: *Si quis baptizaverit, vel aliquod divinum Officium* exer-

exercuerit non ordinatur propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia & nunquam ordinetur.

QUÆRITUR 18. Unde probatur, suspensos, si tempore suspensionis celebrent divina, fieri irregulares?

RESPONDEO. Ex C. *cum æterni.* De sent. & re judicata in 6. ubi Innocentius IV. de quopiam suspenso loquens ait: *Si suspensione durante damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet secundum Canonicas Sanctiones, à qua non nisi per summum Pontificem poterit liberari.* Idem Pontifex C. *cum medicinalis.* de sent. excommunicationis, in 6. de quibusdam Prælatis & Judicibus loquens ait: *Caveant universi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant; quoniam si contingeret eos sic suspensos divina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient juxta Canonicas sanctiones, super qua non nisi per summum Pontificem poterit dispensari.* Canones autem, ad quos se Pontifex refert, videntur esse Canones Apostolici, in quibus *C. si quis presbyter* de Clerico excommun. refertur & hic: *Si quis Episcopus, presbyter vel Diaconus depositus juste ausus fuerit attrectare ministerium* (divinum) *ab Ecclesia abscindatur.*

QUÆRITUR 19. An ignorantia suspensionis incursæ, vel irregularitatis incurrendæ excusar ab hac censura?

RESPONDEO. Ignorantia facti probabilis excusat; ignorantia juris, aut ignorantia facti crassa & supina non excusat. Ita colligitur ex C. *Apostolicæ.* de Clerico excommunicato, deposito &c. ubi sic habetur: *Quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina; vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia crassa & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis indulgemus.*

QUÆRITUR 20. Quid requiritur ad incurrendam irregularitatem, si quis tempore interdicti vel excommunicationis celebret?

RESPONDEO. Requiritur 1. Certitudo de interdicto vel excommunicatione. 2. Monitio, nisi interdictum vel excommunicatio fuerit generale pro integra communitate. 3. Non tamen requiritur denuntiatio personalis. 4. Neque iterata celebratio. 5. Nec solennis. 6. Sed sufficit publica, & præsumptuosa. Hæc desumuntur ex *C. Clerici. C. Latores. C. Illud.* & C. *Fraternitati.* De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. In *C. Clerici* sic dicitur: *Clerici, si interdicti vel excommunicati divina celebraverint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.* Et in C. *Latores*, habetur: *Latores præsentium nobis intimarunt, quod tam ipsi quam multi alii, postquam interdicti vel excommunicati fuerant, divina præsumpserint Officia celebrare. Mandamus, quatenus si sexaginta solummodo, vel pauciores in his deliquisse constiteris, omnes in perpetuum ab Officio sacerdotali deponas. Si vero multitudinem magnam in hoc peccasse cognoveris, eos quos magis causam delicti esse constiterit, perpetua depositione condemnes, & alios qui non tantum deliquerint, ab officio ad tempus suspendas. C. Illud.* Pontifex dicit, eum *non esse culpabilem*, qui celebravit divina tempore suæ excommunicationis, de qua tamen ei tantum *per famam* constitit.

QUÆRITUR 21. Quinam incurrunt irregularitatem ex homicidio illicito, vel mutilatione?

RESPONDEO. Eam incurrunt 1. Qui facto vel verbo ad injustam occisionem vel mutilationem directe & ex intentione concurrunt. 2. Qui dantes operam rei illicitæ fortuito hominem occidunt vel mutilant. 3. Qui ex defectu debitæ diligentiæ vel scientiæ hominem interficiunt vel mutilant. 4. Qui occidunt injustum aggressorem non servato moderamine inculpatæ tutelæ. 5. Qui procurant abortum fœtus animati.

QUÆRITUR 22. Unde probatur irregularitas ex homicidio injusto?

RESPONDEO. Ex C. miror. dist. 50. ubi Joannes VIII. cuidam Episcopo scribens ait: *Miror minus doctam scientiam tuam, sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare. Quis enim tam demens, tamque perversi sensus tale quid æstimaret vel post quantamcunque pœnitentiam concedendum, cum omnino sit Canonicæ disciplinæ contrarium?* Idem colligitur ex pluribus aliis capitulis, ac ex sequentibus.

QUÆRITUR 23. An incurratur irregularitas ex homicidio fortuito in dantibus operam rei illicitæ?

RESPONDEO. Id probatur ex C. *continebatur*, ubi Diaconus declaratur irregularis præcise ex eo, quod in ludo jactus bacillorum laicus quidam in falcem Diaconi fortuito incurrerit, & ex vulnere obierit. Item ex C. *Tua nos.* ubi Monachus declaratur irregularis, si exercendo passim artem chyrurgicam sibi illicitam fuit occasio cujusquam mortis.

QUÆRITUR 24. An incurratur irregularitas ex homicidio occasionato præcise per negligentiam?

RESPONDEO. Probatur ex *C. Hi qui arbores.* & Can. *sæpe* dist. 50. ubi declarantur irregulares, qui cædentes arborem *sua culpa* vel *negligentia* fuerunt causa, quod cadens arbor quemquam contriverit. Sic & C. *presbiterum.* de homicidio, declaratur irregularis presbiter, qui percussit puerum suo cingulo, ex quo cultellus casu excidens lethaliter vulneravit puerum.

QUÆRITUR 25. Unde probatur irregularitas ex occisione injusti aggressoris non servato moderamine inculpatæ tutelæ?

RESPONDEO. Ex C. *Significasti.* de homicidio, ubi declaratur irregularis, qui percussus à fure, ex Ecclesia ornamenta & vasa sacra auferente, arrepto ligone eundem furem in capite lethaliter percussit.

QUÆRITUR 26. Unde probatur irregularitas ex procuratione abortus?

RESPONDEO. Ex C. *Sicut*, ubi declaratur irregularis, qui in muliere, cum qua pravam consuetudinem habuit, quasi ludendo cum illa fuit causa abortus.

QUÆRITUR 27. Quid Tridentinum circa homicidium casuale aut defensorium statuat?

RESPONDEO. Statuit, ut consulatur Episcopus. Sess. 14. c. 7. sic habet: „ Cum etiam, „ qui per industriam occiderit proximum suum, „ & per insidias, ab altari avelli debeat; (&) „ qui

„ qui sua voluntate homicidium perpetraverit; „ etiamsi crimen nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum „ fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum, „ conferri liceat; sed omni Ordine ac Beneficio „ Ecclesiastico perpetuo careat; si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim „ vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, „ fuisse commissum narretur, quam ob causam „ etiam ad Sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, „ committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non „ nisi causa cognita, & probatis precibus, ac „ narratis, nec aliter dispensare possit.

Quæritur 28. Quinam incurrunt irregularitatem ex infamia?

Respondeo. Hanc irregularitatem incurrunt, qui ob delictum aliquod grave notorium sunt infames *infamia facti*, aut *infamia juris*.

Quæritur 29. Quid est infamia *facti*?

Respondeo. Est publica jactura boni nominis orta ex delicto gravi notorio habente annexam vilipensionem ac detestationem communem proborum omnium.

Quæritur 30. Quid est infamia *juris*?

Respondeo. Est publica jactura boni nominis ex delicto judicialiter declarato, & habente annexam detestationem specialem communem ac dispositionem legum.

Quæritur 31. Quinam incurrunt irregularitatem ex infamia facti?

Respondeo. Eam incurrunt 1. Homicidæ. 2. Perjuri testes in judicio. 3. Sodomitæ. 4. Simoniæ rei. 5. Omne aliud delictum notorium, quod meretur degradationem, aut repulsam ab admissione ad superiores Ordines. Id colligitur ex C. *ex tenore.* de temp. ordinat. Ubi sic habetur: *Accepimus, quod Clericus N. adeo deliquit, ut si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab ordine, quem suscepit; & amplius non posset ad superiores ordines promoveri.*

Quæritur 32. Estne hæc irregularitas perpetua?

Respondeo. Ubi infamia est perpetua, etiam ipsa est perpetua. Si vero infamia tollitur per veram, stabilem emendationem, de quo judicare pertinet ad Episcopum, etiam tollitur sine dispensatione irregularitas. Id colligunt Doctores ex eo, quia Novatiani hæretici olim post conversionem admittebantur ad sacros ordines; alius enim textus juris de hac cessatione irregularitatis non extat; sed magnum est discrimen inter crimina, quorum aliqua etiam post emendationem relinquunt maculam indelebilem in æstimatione populi, de qua causa antiquitus universim excludebantur à sacris ordinibus adstricti ad pœnitentiam publicam.

Quæritur 33. Quinam incurrunt irregularitatem ex infamia *juris*?

Respondeo. Hanc irregularitatem incurrunt rei criminis habentis annexam infamiam à jure civili vel canonico. Talia crimina sunt 1. crimen læsæ majestatis divinæ vel humanæ. 2. Adulterium. 3. Proditio. 4. Rapina. 5. Homicidium. 6. Lenocinium. 7. Locatio sui ad pugnandum cum bestiis. 8. Usuraria pravitas. 9. Perjurium promissoriorum. 10. Duellantes. 11. Invasores sui Episcopi. 12. Se armantes contra parentes proprios. 13. Filii reorum læsæ majestatis. 14. Filii meretricis, quamvis conjugatæ. 15. Histriones repræsentantes turpia. 16. Damnati ob notorietatem criminis ad pœnas infames, triremes, carceres perpetuos, &c. Hæc omnia & plura alia in jure civili vel canonico habent inustam notam infamiæ.

Quæritur 34. Quid requiritur ad incurrendam hanc irregularitatem ex infamia juris?

Respondeo. Requiritur sententia condemnatoria rei; aut saltem declaratoria criminis; hæc enim si desit, ad summum obstare poterit irregularitas *ex infamia facti* notorii.

Quæritur 35. Quis possit in his irregularitatibus dispensare?

Respondeo. Tridentinum Sess. 23. c. 6. Episcopis concedit facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio. *Liceat*, inquit, *Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.*

§. XIII.

De Subdiaconatu.

Quæritur 1. Quid est Subdiaconatus?

Respondeo. Est ordo sacer, quo Clericus ordinatur ad inferiora quædam Diaconorum munia, in ministerio divino obeunda.

Quæritur 2. Cur iste ordo vocatur *sacer*?

Respondeo. Quia *perpetuo* hominem *consecrat* Deo ad ejus ministerium, ita ut nulla ad statum laicalem relinquatur redeundi copia; tum etiam, quia habet obligationem servandæ perpetuæ castitatis, qua homo perpetuo sacratur quoad corpus & animam Deo.

Quæritur 3. Qualis est materia Subdiaconatus?

Respondeo. Materia Subdiaconatus est traditio calicis vacui cum patena vacua, & libri Epistolarum. Liber tamen Epistolarum, ut infra dicetur, est tantum materia accidentalis; vel si quis velit tueri, eam esse essentialem, solum est essentialis ex determinatione Ecclesiæ.

Quæritur 4. Quæ est forma Subdiaconatus?

Respondeo. Forma Subdiaconatus sunt illa verba, quibus illi confertur potestas exercendi suum Officium.

Quæritur 4. Qualia sunt illa verba?

Respondeo. In traditione calicis vacui cum patena vacua calici superimposita Pontifex dicit: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos*

vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. In porrectione vero libri Epistolarum dicit: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Sensus est, quod habeant potestatem legendi Epistolam in Missa, quæ offertur pro vivis & defunctis.

QUÆRITUR 6. Quale est Officium Subdiaconi?

RESPONDEO. Illud exprimitur in exhortatione Pontificis ad ordinandos, in qua sic eos alloquitur: „Adepturi, Filii charissimi, Officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale „ministerium vobis traditur. Subdiaconum „enim oportet aquam ad ministerium altaris præ„parare; Diacono ministrare; pallas Altaris & „corporalia abluere; Calicem & patenam in u„sum sacrificii eidem offerre; Oblationes, quæ „veniunt in Altare, panes propositionis vo„cantur; de ipsis Oblationibus tantum debet „in Altare poni, quantum populo possit suffi„cere, ne aliquid putridum in Sacrario rema„neat; Pallæ quæ sunt in Substratorio Altaris, „in alio vase debent lavari, & in alio corpora„les Pallæ. Ubi autem corporales Pallæ lotæ „fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, „ipsaque lotionis aqua in baptisterium (*antiqui„tus enim erat fons in pavimento Ecclesiæ, in quem „descendebant baptizandi*) debet mergi. Studete „itaque, ut ista visibilia ministeria, quæ dixi„mus, nitide & diligentissime complentes invi„sibilia horum exemplo perficiatis.

QUÆRITUR 7. Cur inter munia Subdiaconi non numeratur Lectio solennis Epistolæ?

RESPONDEO. Quia antiquitus Lectio Epistolæ fiebat à Lectore; ut proin videatur, traditionem libri Epistolarum tantum esse materiam accidentalem. Id colligitur etiam ex eo, quia liber Epistolarum primum traditur Subdiacono in fine totius Ordinationis sine nova oratione invocatoria divinæ gratiæ, quod tamen fit in omnibus aliis traditionibus materiæ essentialis. Itaque traditio libri Epistolarum tantum est additamentum quoddam ad Ordinationem Subdiaconatus.

QUÆRITUR 8. Quales adhibentur cæremoniæ in collatione Subdiaconatus?

RESPONDEO. Subdiaconandi debent esse induti Amictu, Alba, Cingulo. Manipulum habent in manu sinistra; Tunicellam super brachium sinistrum, & candelam in manu dextra. Ordinatis Acolythis & absoluta Lectione quinta vocantur subdiaconandi ab Archidiacono, & Notarius unumquemque illorum vocat nominatim dicens: N. ad titulum Ecclesiæ N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus Ordinis N. ad titulum paupertatis.

Dein admonet Pontifex Ordinandos de obligatione ad perpetuum cœlibatum & perpetuum servitium Ecclesiæ dicens: „Filii dilectissimi, „ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoven„di, iterum atque iterum considerare debetis „attente, quod onus hodie ultro appetitis. „Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro „arbitrio ad sæcularia vota transire. Quod si „hunc Ordinem susceperitis, amplius non lice„bit à proposito resilire, sed Deo perpetuo fa„mulari, & castitatem illo adjuvante servare „oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio sem„per esse mancipatos. Proinde, dum tempus „est, cogitate; & si in sancto proposito perse„verare placet, in nomine Domini huc acce„dite." Post hanc adhortationem advocantur etiam Diaconi; & presbiterandi: quibus omnibus coram Pontifice & Altari genuflexis recitantur Litaniæ de omnibus Sanctis, dein recedentibus diaconandis & presbiterandis Pontifex sub, diaconandis coram se flexis explicat munus Subdiaconi dicens: *Adepturi: filii charissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite &c.* Dein tradit Pontifex omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente; *Videte, cujus ministerium &c.* Dein Archidiaconus tradit eis urceolos cum vino & aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent. Postea Pontifex surgit, & dicit aliquam orationem, dicens: *Oremus Deum &c.* Domine sancte Pater &c. In hac Oratione invocat septem dona Spiritus Sancti in eos, quos ad Officium Subdiaconatus Deus vocare dignatus est. Tum Pontifex Amictum, qui in collo ordinandorum jacet, imponit super caput singulis dicens: *Accipe amictum, per quem significatur castigatio vocis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tum immittit Manipulum in sinistrum brachium cuilibet dicens: *Accipe Manipulum, per quem designantur fructus bonorum Operum. In nomine Patris &c.* Post hæc induit quemlibet Tunica; & si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens postremum totaliter induit, dicens cuilibet: *Tunica jucunditatis & indumento lætitiæ induat te Dominus; In nomine Patris &c.* Postea tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens: *Accipite librum Epistolarum &c.* Omnibus expeditis Ordinati redeunt ad loca sua, unus tamen de noviter Ordinatis Tunica indutus dicit sub Officio Epistolam.

QUÆRITUR 9. Quæ requiratur ætas ad Subdiaconatum?

RESPONDEO. Requiritur annus vigesimus primus completus. Ita Tridentinum Sess. 23. C. 12. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum ætatis suæ annum promoveatur.*

QUÆRITUR 10. Qualia requiruntur Interstitia inter Minores Ordines & Subdiaconatum?

RESPONDEO. Requiritur Interstitium unius anni. Tridentinum Sess. 23. C. 11. sic disponit. *Hi* (Minoribus Ordinibus initiati) *non nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.*

QUÆRITUR 11. Qualis requiritur scientia, & dispositio ad recipiendum Subdiaconatum?

RESPONDEO. Requiruntur tria. 1. Testimonium authenticum de probitate vitæ. 2. In Litteris, præsertim sacris, & iis, quæ ad Or- dinem

dinem & ad obligationes sui status v. g. ad recitationem Breviarii, & ad observantism voti castitatis pertinent, eruditio. 3. In Minoribus Ordinibus probatio tam de probitate vitæ, quam de scientia. Ita Tridentinum l. c. C. 13. *Subdiaconi ordinentur ut babentes bonum testimonium, & in Minoribus Ordinibus probati, ac litteris; & iis, qua ad Ordinem exercendum obtinent, instructi.*

Quæritur 12. Quis est Minister Subdiaconatus?

Respondeo. Ordinarius Minister est Episcopus; Eatraordinarius vero potest esse etiam Presbiter. Quoad secundam Responsionis partem id probatur ex eo, qnia antiquitus Subdiaconatum conferebant etism Chorepiscopi, qui tamen, saltem in Latina Ecclesia, à potiori erant tantum presbiteri. Illis sæculo decimo sbrogatis idem privilegium indultum est variis Abbatibus, præsertim Cistertiensibus. De Chorepiscopis Concilium Antiochenum celebratum anno 341. Can. 10. dicit: *De illis, qui in vicis & pagis sunt, sic dictis Chorepiscopis, etiamsi manuum impositionem Episcoporum accepissent, visum est sacræ Synodo, ut suam mensuram sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura & solicitudine contenti sint; constituant autem Lectores, Hipodiaconos, & Exorcistas, & eorum promotione contenti sint; nec manum imponere audeant diacono seorsim ab Episcopo, cui ipse & regio subjicitur. Fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis; cui subjicitur.* Idem repetit Isidorus l. 2. de Off. C 6. & Concilium Aquisgrsnense sub Carolo M. & Concilium Meldense sub Carolo calvo. Eandem gratiam constituendi Subdiaconos teste Aivifeto l. 3. n. 20. novissime concessit Innocentius X. RR. D. Ofolisti, Abbsti Copriunensi in Polonia. Quod autem Chorepiscopi, saltem in Latina Ecclesia, & à potiori non fuerint veri Episcopi, sed tantum presbiteri, patet ex sensu universali doctorum sæculo octavo & nono, qui universim credebant, Chorepiscopos non esse veros, sed tantum nominales Episcopos, licet obtinuerint impositionem manuum ab Episcopo, benedictionalem videlicet ab uno Episcopo qualem nunc accipiunt Abbates; non *consecratoriam*, qualem à tribus Episcopis accipiunt Episcopi. Certe in Concilio Ratisbonensi celebrato circa annum 803. definitum fuit, eos nec fuisse unquam Episcopos, nec ab eis confirmationis Sacramentum, aut ordinationem ad presbiteratum vel diaconatum conferri potuisse. Et in Concilio Metensi celebrato anno 888. dicitur: *Quod ipsi* (Chorepiscopi) *iidem sint, qui & presbiteri, sufficienter inventur.* Hic autem unanimis sensus Doctorum sæculo octavo & nono non potuisset invalescere præcise ex suppositiliis Damsfi, & Innocentii Epistolis, si fuissent veri Episcopi; extitissent enim de eorum Ordinatione Episcopali, & de usu Ordinis Episcopalis innumera authentica exempla. Quia autem inter eos erant impostores, omnia eorum acta, etiam Ordinationes Subdiaconorum, & sacrationes Ecclesiarum; ac Virginum, & Confirmationes à Leone III. & à Concilio Ratisbonensi præfato cassata sunt. Authores oppositæ sententiæ potissimum decepti sunt ex versione erronea Concilii Antiocheni, in qua dicitur: Chorepiscopos fuisse *sacratos* in Episcopos, quod tamen in Græco textu non habetur, sed tantum quod acceperint manuum impositionem, qualis confertur utique etiam Abbatibus in eorum benedictione quando fit athoritate Apostolica, ut patet ex Pontificali.

Quæritur 13. An Subdiaconatus sit Sacramentum?

Respondeo. De hac re dissentiunt inter se Theologi. Pro negativa sententia stant Magister Sententiarum, Durandus, Cajetanus, Estius, Victoria, Ayala, Morinus, ac cum aliis novissime D. Canali in opere dogmatico de Sacramentis. Horum rationes sunt

Primo; quia D. Ambrosius, Amalarius, Urbanus II. & alii Scriptores antiqui dicunt, Subdiaconatum tantum ab Ecclesia fuisse institutum. D. Ambrosius in Epist. ad Tim. dicit: *Non convenit demirari, si* (Apostolus) *neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam fecit, è videatur. Illis enim gradibus* (presbiteratus & diaconatus) *qui in Ecclesia necessario babentur, isti postea magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii. Unde nec Ordinationem ante Altare consequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur, sed alii quidem eorum Lectionum Officium implent, alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent ministeria.* &c. Idem docet Amalarius l. 2. C. 6.

Secundo. Subdiaconatus primis decem sæculis non fuit relatus inter Ordines Sacros, sed veniebat in classe inferiorum Minorum Ordinum. Urbanus II. Papa in Synodo Beneventana, celebrata anno 1091. dicit: *Nullus in Episcopatum eligatur; nisi in sacris Ordinibus fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbiteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur babuisse Ecclesia.*

Tertio. In collatione Subdiaconatus non dicitur conferri Spiritus Sanctus.

Quarto. Nulla est functio Subdiaconi in Sacrificio Missæ quæ absolute non possit committi etiam laico.

Quinto. Subdiaconatus potest conferri à simplici presbitero; ergo non videtur pertinere ad sacramentum Ordinis conferendum à solo Episcopo.

Sed hæ Rationes non sunt convincentes.

Ad 1. Responderi potest, Ecclesiam solum divisisse Diaconale ministerium in plura munia, prout supra de Minoribus Ordinibus ex D. Thoma dictum. Sicut autem promissio gratiæ congruit Diaconatui, tanquam uni totali composito, sic & divisiones gratiæ ad singulas illius divisi totius Compositi partes referri possunt.

Ad 2. Responderi potest, quod Urbanus secundus Subdiaconatum primum in Concilio Claromontano anno 1095. & in Concilio Romano anno 1099. in Classem sacrorum Ordinum retulerit per hoc, quod illi generali Decreto obliganti totam Ecclesiam obligationem servandæ castitatis non solum respectu non conjugatorum, qui jam ab initio Ecclesiæ ad cœlibatum obligabantur, sed etiam respectu conjugatorum annexuerit. Prout enim supra dictum est, *Ordines* ex eo dicuntur *sacri*, quod per castitatem perpatuam, & per ministerium perpetuum homi-
hem

nem consecrent Deo. Hinc recte adhuc anno 1091. quo hoc decretum nondum erat universale, solos Presbyteratum & Diaconatum inter Sacros retulit. Hinc Innocentius III. C. *à multis.* de ætate &c. quoad hoc non errat, dum Urbano II. tanquam primo authori adscribit, quod Subdiaconatus inter Ordines sacros relatus sit. Ex eo autem, quod Subdiaconatus prius non habuerit annexum votum castitatis etiam respectu conjugatorum, non sequitur, illum non esse Sacramentum.

Ad 3. Etiamsi Subdiaconatus non habeat pro se specialem promissionem gratiæ, sufficit, quod habeat promissionem gratiæ pro Diaconatu, cujus ipse est portio, prout supra de Minoribus Ordinibus dictum est.

Ad 4. Dicitur, solennem Lectionem Epistolæ, & alia solennia ministeria Subdiaconi non posse fieri licite à Laico.

Ad 5. Dici potest, solum presbyteratum & Episcopatum exigere in Ordinante essentialiter, & absolute Ordinem Episcopalem. Collationem autem diaconatus tantum reservatum esse Episcopis ex præcepto Ecclesiæ, quod circa ministeria inferiora quædam illius Diaconatus per Epikiam patitur aliquando exceptionem, qualis facta est in Chorepiscopis.

His non obstantibus libera cuivis in hac re relinquitur facultas sentiendi ac loquendi, quod duxerit esse verius. Forte dici posset, collatum ab Episcopo esse Sacramentum, collatum ab Abbate non esse Sacramentum.

QUÆRITUR 13. An in Subdiaconatu imprimatur character?

RESPONDEO. Si est Sacramentum, imprimitur etiam in applicatione materiæ & formæ essentialis character; si vero non est Sacramentum, nullus imprimitur.

QUÆRITUR 14. An attactus physicus Instrumentorum sit institutionis divinæ?

RESPONDEO. Non est institutionis divinæ; quia in Ecclesia Græca non requiritur ad valorem actus, quin propterea unquam fuerit insimulata erroris: ut enim Petrus Arcudius testatur, Ordinatio Subdiaconatus apud Græcos fit per impositionem manuum; Instrumenta autem Ordinato primum porriguntur absoluta Ordinatione. Author Constitutionum Apostolicarum, qui vixit sæculo secundo ad minimum, l. 8. c. ordinationem Subdiaconi describit sine ulla mentione attactus physici. *Cum Hypodiaconum ordinas Episcope, imponas ei manus & dicas; Domine Deus, respice super hunc famulum, & tribue ei Spiritum sanctum, ut vasa ad ministrandum tibi facta digne attrectet.* Videtur tamen, quod in Ecclesia Latina semper fuerit in usu attactus physicus Instrumentorum. In Concilio Carthaginensi, quod celebratum est anno 398. Can. 5. dicitur: *Subdiaconus, cum ordinatur, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile & manutergium.* Eadem omnino verba continentur in Codice Gelasii Papæ, & in Pontificalibus variarum Diœcesium antiquissimis Manuscriptis ex sæculo 7. 8. & 9. Verum utrum Ecclesia Latina voluerit huic cæremoniæ alligare suam intentionem & valorem actus, disputant Theologi.

QUÆRITUR 14. Possetne Ecclesia ob gravem rationem dispensare ad ministrandum in Subdiaconatu, vel ad suscipiendum Diaconatum in casu quo ex incuria fuisset omissus attactus physicus?

RESPONDEO. Ecclesia posset dispensare.

RATIO est, quia Ecclesia potest dispensare, ut etiam omisso Ordine Subdiaconatus ascendatur ad Diaconatum: multo ergo magis poterit dispensare, si valor ordinationis sit dubius. S. Epiphanius Epist. 60. inter Ep. Hier. testatur, se ordinasse Paulinianum Hieronymi fratrem in diaconum & Presbiterum valde renitentam, nullo comparente ullius præcedentis Ordinis vestigio. In vita etiam S. Epiphanii, à Petavio latine reddita, utut in aliis adulterata, c. 34. dicitur, quod in Diaconum & presbyterum fuerit Ordinatus, etsi iterato contestaretur, se nondum esse clericum. Et quamvis Ecclesia non soleat dispensare circa omissionem totalem Ordinationis, non tamen etiam occurrunt in Historia Ecclesiastica exempla, quod in casu valoris dubii circa Subdiaconatum & inferiores Ordines exegerit eorundem absolutam vel conditionatam iterationem.

QUÆRITUR 16. Quam pœnam incurreret ordinatus *per saltum*, v. g. ad Subdiaconatum non prius receptis Ordinibus Minoribus, vel ad Diaconatum non recepto Subdiaconatu?

RESPONDEO. Incurreret suspensionem ab exercitio suscepti Ordinis, donec à suspensione Episcopus dispenset. Tridentinum Sess. 23. c. 14. ait: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Eandem suspensionem incurrunt ordinati ante legitimam ætatem per Constitutiones Pii II. Pii V. & Clementis VIII. Et si quis durante suspensione exerceret actum Ordinis, eo ipso fieret irregularis.

QUÆRITUR 17. Quid & quotuplex sit titulus ad Ordines?

RESPONDEO. Titulus est assignatio sustentationis congruæ. Dividitur in titulum *beneficii, Patrimonii, & Paupertatis.*

QUÆRITUR 18. Quid sit *titulus beneficii?*

RESPONDEO. Per titulum beneficii intelligitur actualis ac pacifica possessio beneficii. Beneficium autem est jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Deo dicatis seu Ecclesiasticis ratione spiritualis officii, Summi Pontificis vel Episcopi authoritate constitutum.

QUÆRITUR 19. Quid est *Titulus Patrimonii?*

RESPONDEO. Est actualis possessio pacifica bonorum patrimonialium, vel quasipatrimonialium; vel Castrensium, aut quasi Castrensium ad congruam sustentationem sufficientium, testimoniis idoneis comprobata.

QUÆRITUR 20. Quid est *Titulus Paupertatis?*

RESPONDEO. Est status religiosi professi testimonio fide digno comprobatus. Cum enim in statu Religioso sustentatio cuivis statui congrua supponatur, allegatio alterius Tituli non requiritur.

QUÆ-

Quæritur 21. Quandonam necessitas Tituli fuit introducta in Ecclesia?

Responeo. Fuit introducta ab Alexandro III. In Cocilio Lateranensi anno 1180. Cum enim antiquitus nullus ordinaretur clericus, nisi adscriptus certæ Ecclesiæ, ex cujus bonis viveret, ea lege infim relaxata sæculo undecimo & duodecimo, opus fuit pro sustentatione clerici novis remedis, sæpius per Concilia innovatis.

Quæritur 22. Quid decernit Concilium Tridentinum ratione Tituli?

Responeo. Constitutio Tridentini Sess. 21. c. 2. est sequentis Tenoris. „ Cum non decet, eos, qui divino ministerio adscripti sunt, „ cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordi- „ dum aliquem quæstum exercere; compertum- „ que sit, complures plerisque in locis ad Sacros „ Ordines nullo fere delectu admitti, qui variis „ artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium „ Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates „ obtinere; statuit Sancta Synodus, ne quis dein- „ ceps clericus sæcularis, quamvis sit alias ido- „ neus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros „ Ordines promoveatur, nisi prius legitime con- „ stet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod „ sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possi- „ dere. Id vero beneficium resignare non pos- „ sit, nisi facta mentione, quod ad illius Bene- „ ficii Titulum sit promotus; neque ea resigna- „ tio admittatur, nisi constet, quod aliunde vi- „ vere commode possit; & aliter facta resignatio „ nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem „ obtinentes ordinari posthac non possint, nisi „ illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro „ necessitate vel commoditate Ecclesiarum sua- „ rum; eo quoque prius perspecto; patrimo- „ nium illud, vel pensionem vere ab eis obtine- „ ri, taliaque esse, quæ eis ad vitam susten- „ tandam satis sint; atque illa deinceps si- „ ne licentia Episcopi alienari, aut extinqui, „ vel remitti nullatenus possint, donec Be- „ neficium Ecclesiasticum sufficiens sint ade- „ pti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; „ antiquorum Canonum pœnas super his inno- „ vando.

Quæritur 23. An ordinati ex ficto Patrimonii Titulo incurrant aliquam pœnam?

Respondeo. Incurrunt suspensionem perpetuam. Ita habetur in Bulla Urbani VIII. *Secretis æternæ providentiæ*, edita 11. Dec. 1624. Idem habetur in Constitutione Innocentii III. *C. per tuas.* de Simonia, & *C. cum secundum* de Præbendis, & Gregorii IX. *C. Si quis.* de Simonia, & Pii V. in Bulla, *Romanus.* Idem declarasse S. Congregationem Concilii testatur Fagnanus præfatæ S. Congregationis Secretarius in *C. cum secundum* bis verbis: *Die 27. Novembris 1610. S. Congregatio Concilii omnium sententiis censuit, Clericum, qui adhibito dolo, confictoque Titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione.*

Quæritur 24. An etiam illi incurrant hanc suspensionem, qui promittunt, se post Ordinationem illud Patrimonium, aut obligationem Pensionis restituturos?

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

Respondeo. Incurrunt suspensionem. Ita Gregorius IX. in *C. Si quis.* de Simonia, ubi ait: *Si quis ordinaverit vel ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem seu juramentum ab eo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eundem; Ordinator à collatione, Præsentator vero ab executione Ordinum per triennium; & Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.*

Quæritur 25. An etiam incurritur suspensio ab eo, qui promisit, se non petiturum portionem ab Ecclesia, ad cujus Titulum est ordinatus?

Responoeo Affirmative. Ita respondet Innocentius III. in *C. per tuas*, ad hunc ipsum casum, dum ait: *Lator præsentium cum vellet ordinari in Subdiaconum, exoravit quendam Presbyterum, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ Titulum ordinaret; quod cum ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quod nunquam, si præsentaret eundem in Ecclesia sua, aliquam peteret portionem; & sic ad præsentationem ejus extitit ordinatus; nec se in hoc egisse aliquid illicitum intellexit. Nos respondemus, quod nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum; nec ad Superiores Ordines, nec in suscepto debet Ordine ministrare.*

§. XIV.

De Obligatione Subdiaconorum ad Cœlibatum.

Quæritur 1. An lex Cœlibatus semper fuerit annexa Subdiaconatui?

Respondeo. Lex Cœlibatus semper jam ab initio Ecclesiæ fuit annexa Subdiaconatui in Ecclesia Latina imo etiam in Græca, ut primum invehi cœpit.

De Ecclesia Græca probatur 1. ex Canone Apostolico 25. ubi dicitur: *Præcipimus, ut ex iis, qui ad Clericatum nondum ducta uxore promoti sunt, Lectores & Cantores, si velint, accipere uxorem possint.* 2. Concilium in Trullo celebratum anno 692. Can 6. ait: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui nondum ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere, & nos hoc servantes decernimus, ut deincept nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur.* 3. Justinianus Imperator circa annum 550. eandem legem & ejus observantiam agnoscens tantum aliquos prævaricatores observat. l. 45. C. de Episcopis & Clericis ait: *Sacris Canonibus neque Presbyteris, neque Diaconis, aut Subdiaconis nuptias controhere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis Psaltis & Lectoribus id concedentibus, animadvertimus quosdam despicientes conjungi mulieribus, quibus non possunt. Quoniam autem Sacros Canones non minus quam leges etiam nostræ volunt leges; sancimus, obtinere in illis & quæ sacris visa sunt Canonibus, ac si Civilibus inscriptum esset legibus, & ne legitimos quidem & proprios esse eos, qui ex hujusmodi constupratione nascuntur.* Idem asserit Novella 22. c. 42.

De Latina Ecclesia idem probatur. 1. D. Leo non condens novam legem, sed eam tanquam jam antiquam & omnibus notam renovans Epist. 84. ad Anastasium ait: *Cum extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum Societati & filiorum pro-* *crea-*

F

creationi ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent, tanquam non habentes ſint, & qui non habent, permaneant ſingulares. 2. In pluribus Conciliis provincialibus Sub-Diaconis conjugatis non permittitur uſus conjugii; ergo multo minus concedebatur contractus novi conjugii. In Concilio Eliberitano celebrato circa annum 300. Can. 33. dicitur: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus.* Et in Concilio Carthaginenſi II. celebrato anno 390. Can. 2. *Ita placuit, & condecet, Antiſtites, Sacerdotes, nec non & Levitas, & qui Sacramentis divinis inſerviunt, continentes eſſe, ut quod Apoſtoli docuerunt & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtineant.* 3. Concilium Aurelianenſe III. celebratum anno 538. ſupponit legem cœlibatus notoriam, dum Can. 2. ait: *Nullus Clericorum à Subdiacono & ſupra, qui uxores in propoſito ſuo uccipere inhibentur, propriæ, ſi forte jam habeat, miſceatur uxori.*

Adverſæ ſententiæ Theologi objiciunt quidem varios textus v. g. Siricii Papæ in Ep. ad Ilmerium & Innocentii I. ad Victricium Ep. 2. C. 9. in quibus continentia tantum reſtringitur ad Presbyteros & Diaconos. Sed Reſpondetur, ibi tantum ſermonem eſſe de continentia à propriis uxoribus, quam Pontifex & alia quædam Concilia noluerunt extendere ad Subdiaconos in Hiſpania & aliis quibusdam Provinciis, utpote in quibus ſat difficultatis reperiebatur ad continendos ipſos Diaconos & Presbyteros, utpatet legenti præfatam Siricii Epiſtolam. Idem oſtendunt verba S. Epiphanii Hæreſi 59. c. 4. ubi ſic ſcribit: *Quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi Ordinem Eccleſia admittit, ſed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accurrate ſervantur. At vero* (objicies.) *Nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos ſuſcipiunt. Reſpondeo; non illud ex Canonis autboritate fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere ſolet.* Hucusque S. Epiphanius; eandem veritatem ſtrenue propugnant BOLLANDIANI in Actis Sanctorum ad diem ſeptimam Septembris in Diſſertatione Præliminari de nativitatis anno S. Gregorii Nazianzeni, & ad diem undecimam Septembris in vita S. Paphnutii Diſſert. §. 4.

QUÆRITUR 2. Eſtne verum, quod D. Udalricus ſcripſerit Romano Pontifici Nicolao pro tollendo cœlibatu Clericorum?

RESPONDEO. Hæc fabula, quam etiam LUNIGIUS non erubuit inſerere ſuo *Archivio Imperii* Spicilegii Eccleſiaſtici continuatione II. Tit. Augſpurg, eſt valde imperita. Nollus enim tempore D. Udalrici ſedit Nicolaus Pontifex. D. Udalricus ex oppoſito fuit acerrimus defenſor Cœlibatus, prout patet ex Synodo Auguſtana ab ipſo celebrata anno 952. in qua Can. 11. ſic habetur: *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Sub Diaconus, ut in multis Conciliis ſtatutum eſt, quia miniſteria divina contrectant, ab uxoribus abſtineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem venerint, licet nolentes, ad continentiam cogantr.* Fabula autem ex eo ortum habuit, quia Nicolaus II. qui centum annis poſt D. Udalricum, nempe anno 1060. Pontificatum tenuit, acerrime Clericos concubinarios exagitavit; horum proin aliqui Baſileæ collegerunt anno 1061. Conciliabulum, & ſecum convenerunt, Nicolaum non eſſe agnoſcendum Romanorum Pontificem ex horum ergo officina prodire potuit illa Epiſtola cujusdam Udalrici, quo nomine plures tunc gaudebant Epiſcopi, prout ex ſubſcriptionbus Conciliorum liquet. Congruit nomen *Proviſoris Romanæ Eccleſiæ*, quem author illius Epiſtolæ Nicolao tribuit; ſic enim vocabantur Adminiſtratores Romanæ Eccleſiæ tempore interregni; qualem etiam illi Concubinarii Nicolaum agnoſcebant. Et obſervari meretur, quod illa Epiſtola *Udalrici* cujusdam *ad Nicolaum Proviſoren Romanæ Eccleſiæ* primitus edita fuerit Baſileæ in libro Acatholico, cui titulus: *Orthodoxia*, ſeu verius *Kacodoxia*.

QUÆRITUR 3. An conſtitut in Sacris Ordinibus obligentur ad caſtitatem ex præcepto Eccleſiæ, an vero ex voto?

RESPONDEO. Quod Sub-Diaconi, Diaconi, Presbyteri obligentur ad caſtitatem non tantum ex præcepto Eccleſiæ, ſed re vera ex voto, habentur ex traditione Eccleſiæ argumenta fortiſſima; ſunt autem ſequentia.

PRIMO. Si hæc obligatio tantum fundaretur in præcepto Eccleſiæ, ea ſe non extenderet ad actus internos, ſed tantum ad cœlibalem ſtatum, vel ad actus quosdam alios continentiæ externos; neque clericus per deſideria laſciva peccaret contra obligationem ſui ſtatus, ſed tantum contra legem naturalem & divinam inſtar Laici: neque in Confeſſione teneretur exprimere ſpeciem ſacrilegii. Sed hoc eſt contra ſenſum & traditionem veteris Eccleſiæ, in qua ſemper fuit creditum, clericos ejusmodi obligari vi ſtatus etiam ad actus internos, & ad puritatem cordis. Siricius Papa in Epiſtola ad Himerium n. 7. ſcribit: *Jeſus Eccleſiam ſuam caſtitatis voluit ſplendore radiare; -- quarum ſanctionum Sacerdotes omnes atque Levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut à die ordinationis noſtræ pudicitiæ & corda noſtra mancipemus & corpora.* Conſimiliter loquitur D. Hieronymus & alii.

SECUNDO. Origenes Hom. 23. in Num. c. 28. ait: *Illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.*

TERTIO. Votum eſt *promiſſio*, tacita vel expreſſa, *facta Deo.* Sed talis promiſſio fit in ſuſceptione Sacrorum Ordinum circa caſtitatem. Sic D. Gregorius relatus C. *nullum.* diſt. 32. dicit: *Nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſte victurum promiſerit*, utique Deo, cui ſoli promitti poſſunt actus interni, aut occulti.

QUARTO. Qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, peccando contra caſtitatem committunt

tunt crimen sacrilegii. Hoc antem non fieret, si non forent specialiter sacrati Deo per votum. Neque enim Minoristæ committunt Sacrilegium, prout teste Suarezio l. 3. de Relig. c. 4. n. 7. docent omnes Doctores. Concilium Toletanum II. anno 531. c. 1. sic definit: *De his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, statuimus, ut ubi octavum decimum ætatis annum compleverint, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur; quibus si gratia castitatis placuit, & professionem castimoniæ suæ se spoponderint servaturos, Subdiaconatus ministerium habita probatione professionis suæ à vicesimo anno suscipiant. Cavendum tamen est bis, ne quando ad furtivos concubitus recurrant; quod si fecerint; ut sacrilegii rei damnentur.* In hoc textu & illud notari meretur, quod in illa Provincia Toletana votum castitatis biennio debuerit præcedere susceptionem Subdiaconatus.

Quinto. S. Ephrem quendam Clericum ad castitatem exhortans ostendit, transgressionem castitatis opponi voto emisso in susceptione Clericatus *Considera*, inquit, *in quo ordine sis constitutus; quæ pacta, quæve vota cum Deo feceris, constituerisque. Cave spreveris illum, qui hanc tibi impertitus est gratiam; oscitanterque audias cum te per Apostolum compellantem; Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii, ne te forte prævaricatorem constituas, sed redde Domino vota tua; quoniam scriptum est; Melius erat, te non vovere, quam cum voveris non reddere.* Hoc loco S. Ephrem obligationem voti castitatis non refert in professionem monasticam, cui ille clericus se addixerat, sed in susceptionem Ordinis sacri.

Sexto. In Ordinatione sacra se homo vere *consecrat* Deo in perpetuum, semetipsum constituendo in templum castum ac purum Deo. Sed talis consecratio est tacite vera promissio irrevocabilis facta Deo; ergo etiam est votum. Certe omnes personæ, de quibus constat, eas habuisse verum votum castitatis, dicebantur *consecratæ Deo.* D. Basilius Epist. 199. Can. 44. dicit: *Diaconissæ corpus, utpote consecratum, non amplius permittimus in usu esse carnali.* Si igitur etiam clerici dicuntur consecrati Deo; habendi sunt pro re voto oblata. Justinianus Imperator *C. de Episcopali audientia* l. 34. §. 3. ait: *In eorum* (Episcoporum, Presbyterorum) *ordinationibus eorum capitibus vel manibus imponuntur sanctissima eorum, quæ apud nos, mysteriorum, ut scilicet ipsis sensoria omnia instrumenta pura fiant & consecrentur Deo.* Eusebius in Demonstratione Evangelica l. 1. c. 8. De clericis loquens ait: *Horum status soli divino cultui addictus est. Qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita sejuncti sunt, quippe qui Deo sacrati sunt.* Sic & Gregorius Nyssenus l. de Virginit. c. 24. quendam clericum ad castimoniam exhortans ait: *Te purum Sacerdotem Deo exhibeas, qui omni integritate sacrificium purum factus castitatis te ad adventum Domini pares.*

Septimo. Regulares, etiamsi antiquitus fere ubique expresse tantum promiserint abdicationem Proprii, aut solam obedientiam, tamen censebantur tacite vovere castitatem ex eo solum, quia eorum statui est annexa obligatio & professio castitatis. Sed etiam Ordinibus Sacris est annexa obligatio & professio castitatis; ergo idem dicendum est. D. Basilius Epist. 199. de professione solenni virginitatis virginum in sæculo viventium loquens ait: *Virorum* (Laicorum) autem *professiones non novimus, præterquam si qui se monachorum Ordini adscripserint; qui quidem tacite vitam cœlibem videntur suscepisse.* De clericis autem in Concilio Ancyrano, celebrato sub Sylvestro I. Can. 10. juxta versionem Dionysii exigui dicitur: *Diaconi, quicunque in ordinatione tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, postea autem ad matrimonium venerint, ii à Diaconatu cessent.* Itaque exeunte sæculo quinto, quo vixit Dionysius, pro Synonimis habebantur, *profiteri continentiam, & recipi ad sic manendum*, prout in græco habetur.

Octavo. D. Hieronymus semper pro eodem habet obligationem ad continentiam in clericis, in Deo sacratis virginibus, & in monachis; ergo sicut posteriorum obligatio est ex voto tacito vel expresso, ita & illa. Epist. 1. ad Nepotianum c. 6. scribit: *Inuptias amatorum in sæculi hominibus detestamur, quanto magis in monachis & clericis, quorum & Sacerdotium proposito* (id est, voto, ut proxime explicabitur) *& propositum ornatur Sacerdotio.* Idem Epist. 22. ad Eustoch. de clericia cum sacratis Deo Virginibus in eodem habitaculo commorantibus ait: *Cum ex eodem proposito esse se simulent, quærunt spirituale consortium, ut domi habeant carnale commercium.*

Nono. SS. Patres, quando loquuntur de obligatione clericorum ad castitatem, dicunt eos habere *propositum* castitatis; sed in usu illorum temporum pro eodem sumebatur *propositum*, & *status debitus per votum castitatis*; quod probari potest plurimis textibus. Negari enim nequit, quod Virgines Deo sacratæ, & Monachi habuerint votum castitatis & tamen illarum *status* communiter exprimitur nomine *propositi*. S. Augustinus l. de virginibus c. 36. ait: *Multas virgines revocat à nubendo non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor.* Idem serm. 49. de Diversis c. 4. loquens de suis Clericis Hipponensibus dicit: *Malum est cadere à proposito; sed pejus est simulare propositum. Ecce dico; qui societatem communis vitæ jam susceptam deserit, à voto suo cadit. Ego scio, quantum mali sit, profiteri aliquid sanctum, nec implere. Vovete*, inquit (Scriptura) *& reddite.* Idem l. de bono viduitatis c. 9 scribit: *In viduali & virginali continentia voti debito oblata non solum nubere, sed & nubere velle damnabile est; non quia nuptiæ damnabiles judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides. Quod ut insinuaret Apostolus, noluit dicere, quæ post amplioris sanctitatis propositum nubunt, sed quæ nubere volunt, ut appareat, voluntatem, quæ à proposito cecidit, esse damnatam, sive subsequantur nuptiæ, sive non.* Idem l. de octo Dulcitii quæst. q. 7. de Vidua Deo consecrata loquens ait: *Viduam in proposito continentiæ quidam rapit. &c.* Idem Epist. 45. ad Armamentarium scribit: *Possem propositi, quod Deo vovistis, laudare fructum.* Consimiliter Siricius Papa in Epist. 1. ad Himerium n. 6. scribit: *Monachorum quosdam atque Monacharum abjecto proposito sanctitatis in tantum protestaris demersos lasciviam.* Similia habentur in Epi-

Epiſtola Innocentii I. ad Victricium c. 10. & 13. Ex his ergo manifeſtum eſt, per *propoſitum* illis temporibus ſignificari *ſtatum votivum*, ſeu voto debitum. Supereſt ergo oſtendendum, quod ſtatus Clericalis antiquitus uſitatiſſime venerit nomine *propoſiti*. Sic in Concilio Aurelianenſi III. ſupra relato dicitur: *Nullus Clericorum à Subdiacono & ſupra, qui uxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, &c.* D. Hieronymus ſupra relatus dicit: *Clericus, quorum ſacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio.* Et rurſus: *Cum Clerici & Virgines ſacratæ in eodem propoſito eſſe ſe ſimulent.* Epiphanius Hæreſi 25. de Nicolao Diacono, prius divinitus electo, prout in Actis Apoſtolorum c. 6. legitur, ſed poſtmodum hæreſiarcha loquens ait: *Nicolaus, cum uxorem haberet formoſam, ab ea ſibi aliquamdiu temperavit, ut eos imitaretur, quos Deo penitus addictos cerneret. Sed incontinentiam ſuam non uſque in finem continuit. Itaque propoſito excidens ſine verecundia conſuetudinem habuit.*

Decimo. Matrimonium poſt ſuſceptionem ſacrorum Ordinum contractum ſemper fuit agnitum tanquam nullum; talis autem nullitas non fuiſſet tam univerſaliter agnita nulla comparente Eccleſiaſtica lege irritante, ſi obligatio ad caſtitatem ſolum proveniret ex præcepto Eccleſiaſtico, quia ſtatus matrimonialis poteſt conſiſtere cum ſacris Ordinibus. D. Baſilius Epiſt. 217. can. 6. dicit: *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio omnino divellatur.* Et Juſtinianus l. 45. c. de Epiſcopis, dicit: *Sacris Canonibus neque presbyteris, neque Diaconis, neque Subdiaconis nuptias poſt hujuſmodi Ordinationem permittentibus, ſancimus, obtinere in iis, & quæ viſa ſunt ſacris Canonibus, & ne legitimos quidem & proprios eſſe eos, qui ex hujuſmodi conſtupratione naſcuntur.*

Undecimo. Obligatio ad caſtitatem in Clericis conſideratur à Patribus tanquam obligatio directe ac ſponte volita, tanquam electio & profeſſio ultronea, in quam voluntas fertur per ſe, & non præciſe concomitanter, aut cum repugnantia; ergo ſignum eſt, quod non ſit præciſe ex præcepto; quo modo ſe continere coguntur etiam mariti abſentes ab uxoribus ex mandato principis. D. Auguſtinus hoc diſcrimen advertens, l. 2. de adulterinis conjugiis c. 19. ait: *Maritos* (ab uxoribus abſentes) *non frangat, quod videtur eorum continentia neceſſitatis eſſe, non voluntatis; quia & illi* (Clerici) *qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam neceſſitatis. -- Illis* (Clericis) *ſalus cogitanda eſt, ut ab eo, quod voluntas arripuit, cadere timeant; & in iſtis* (maritis) *gloria deſperanda non eſt, ſi in eo, quod neceſſitas intulit, perſiſtere deligant.* Si etiam Clericis invitis annexa foret lex Eccleſiaſtica caſtitatis ad Ordinem directe volitum, potuiſſet D. Auguſtinus maritis in ſolatium neceſſariæ continentiæ proponere exemplum in Clericis, utpote qui & ipſi ab initio inviti fuiſſent adſtricti ad continentiam. Quod autem ea obligationis ſuſceptio vocetur *Profeſſio* continentiæ in ſenſu proprio, probatur ex variis Conciliorum Canonibus, in quibus non ſolent adhiberi verba in ſenſu metaphorico, ſed expreſſiones propriiſſimæ. In codice Canonum Eccleſiæ Africanæ can. 16. dicitur: *Placuit, ut Lectores, ubi ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Ubi iterum notari meretur, quod iſta profeſſio continentiæ diu præceſſerit ſuſceptionem Subdiaconatus. Similiter in Concilio Toletano II. ſuperius adducto dicitur: *Si poſt annum decimum octavum ætatis profeſſionem caſtimoniæ ſe ſpoponderint ſervaturos, Subdiaconatus miniſterium habita probatione profeſſionis ſuæ à viceſimo anno ſuſcipiant.*

Duodecimo. Fuit communis ſenſus Doctorum, & ordinatorum, & totius Eccleſiæ per quatuor ſæcula, ut Clerici in Sacris conſtituti teneantur ad continentiam immediate ex voto, nempe à ſæculo 13. uſque ad ſæculum 17. ita ut intra hæc quatuor ſæcula vix unus Doctorum aſſignari poſſit, qui negaverit, Clericos ad continentiam obligari ex voto. Certe D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 1. art. 1. eam ſententiam tanquam certam ſupponit; quamvis non neget, id provenire ex lege Eccleſiæ, quod hoc votum ſacro Ordini annexum ſit, ſic ut ſaltem mediate deſcendat ex præcepto Eccleſiæ. Hæc igitur argumenta ſunt pro obligatione Clericorum ex voto; quæ cum ratione & authoritate tanta ſint, merito ſunt commendanda.

Quæritur 4. Si Clerici in ſacris ordinibus obligantur ad continentiam ex voto, qualis præmittenda animi præparatio ad tam ſublime votum?

Respondeo. Decet, ut Clericus Subdiaconatum ſuſcepturus perpendat obligationem voti annexam ſacro Ordini. 2. Perpendat ſuas vires; an conſiderata præſenti ſua habitudine prudenter ſperet perpetuam obſervantiam voti; imprudenter enim vovetur, quod quis non ſperat ſe obſervaturum. Et hinc recte diſſuadetur ſtatus Clericalis illis, qui dediti ſunt voluntariis pollutionibus frequentibus, præſertim conjunctis cum voluntaria repræſentatione ſexus alterius. 3. Si quis ſperat, ſe redditurum Deo fideliter, quod promittit, ſuadetur, ut ſe paret ſacris Exercitiis ad hoc grande ſui ſacrificium, quo fiat cum majore merito. 4. Poterit ſibi repræſentare difficultates orituras, & remedia neceſſario adhibenda, in quæ omnia generoſo feratur propoſito. 5. Invitet ad hoc ſui grande Sacrificium SS. Angelos, B. Virginem, & SS. Patronos. 6. Tandem ſemetipſum conſecret Deo ſcripta quadam formula ex motivo primariarum virtutum, puta Latriæ, gratitudinis, ſatisfactionis, impetrationis, amoris Dei, Zeli animarum, imitationis, &c. Utile enim eſt, hanc ſui oblationem ac conſecrationem aſſervare ſcripto, ut ſæpius poſſit relegi ad accendendum fervorem.

Quæritur 5. Qualia ſunt præcipua media conſervandæ caſtitatis?

Respondeo. Media ſunt ſequentia. 1. *Gratia Dei*, quæ ſola poteſt inhibere poteſtatem dæmonis tentantis, ſanare concupiſcentiam æſtuantem, inſerere cogitationes ſalubres; incutere horrorem peccati; & diſponere curſum cauſarum ad præſcindendos fatales ſcopulos, puta occaſiones peccandi. Certiſſimum enim eſt, quod Salomon fatetur, continentem poſſe eſſe neminem, niſi cui Deus dederit. Ad impetrandam

dam autem illam extraordinariam gratiam Dei opus est *oratione fervida & continua*, *patrocinio Sanctorum*, præsertim *B. Virginis*; *operibus misericordiæ* erga egenos, *oblationibus bonorum operum* in eum finem, v. g. mortificationum, abstinentiæ, *promotione hujus virtutis* in aliis; *humilitate*, & *obedientia*, & *applicatione mediorum*; sine quibus non facile cuiquam solet Deus conferre illam selectam perpetuæ castitatis gratiam; denique frequenti usu Sacramenti pœnitentiæ, in quo humilis ac dolorosa accusatio sui vehementer provocat divinam misericordiam ad auxiliandum contrito. 2. *Mortificatio.* Sicut enim Christus dicit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio.*

Ratio est, quia affectus carnales sunt brutales, qui non corriguntur ratione, sed timore, castigatione, oneratione, & pabuli moderatione. Ad morificationem autem pertinent *jejunia* stata omnibus septimanis; quotidianæ *abstinentiæ*; *superflui* potus aut alimenti ad puram necessitatem *restrictio*; *conviviorum*, *ciborum* & *potuum* concupiscentiam *inflammantium* devitatio; ciliciorum aliquoties per hebdomadam usus; flagellationes in tempore fortioris tentationis aut lapsus; cubatio in sacco stramineo, vel alsere; somni ad sex aut septem horas limitatio; extensis brachiis oratio; recreationum alias acceptarum v. g. lusus, epulationis, confabulationis &c. devitatio; ceræ liquefactæ in partem aliquam corporis affusio gustata; candelæ ardentis approximatio dolorifica; in hyeme palmarum ad gelida corpora, v. g. murum, ferrum, marmora, nives, aquas frigidas diuturna applicatio: præsertim in actuali effervescentia carnis; pedibus itineratio molesta; frigoris vel æstus molesta perpessio; per labores fatigatio v. g. per scriptionem, instructionem, opera manualia &c. hæc omnia tandem hebetant sensim indomitam carnem, ut non insolescat, sed facile pareat rationi. 3. *Cautela.* Ad cautelam autem pertinet 1. Fuga pravæ societatis. 2. Fuga periculorum peccandi, seu occasionum; quantum permittit conditio status, & honestatis necessitas. 3. Familiaritatis non necessariæ cum altero sexu vitatio, v. g. non confabulando inutiliter, non jocando nugaciter, non corridendo dissolute, non ludendo, non compotando aut obsonando, non cohabitando, aut diu commorando seorsim in cubiculo, præsertim noctu, non instituendo cum illis itinera; non recipiendo aut mittendo profana munuscula; oculos nunquam in fœminas defigendo; cogitationes & memoriam circa objecta periculosa non detinendo; primas statim affectiones, & amorem etiam honestum, si sensibilis sit, in corde supprimendo; verba & facta æquivoca in materia castitatis aversando; non recipiendo ministeria corporalia à fœminis. 4. *Mentis obarmatio* Maditatione frequenti mortis, inferni, passionis Dominicæ &c. lectione sacra, studiis seriis, otii fuga, firmis sæpius renovatis propositis, oblatione matutina manuum, cordis, vel corporis coram imagine Crucifixi, vel B. Virginis; sententiis piis rememorativis v. g. *momentaneum quod delectat æternum quod cruciat*, *mors certa*, *hora incerta*. *Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* ruminando frequenter preces jaculatorias in hanc materiem specialiter sibi conscriptas; rememorando sæpe præsentiam Dei & S. Angeli Custodis; assuefaciendo mentem ad neglectum omnis curiositatis etiam circa alia objecta licita oculorum, vel aurium; evacuando mentem à voluptate omni ac mollitie sensuum v. g. circa tactum mollium, aut delectationem ciborum; cavendo sensualitatem etiam circa animalia, canes, feles. &c. amando pudicitiam morum & verborum &c. Sic obarmatus animus accedente cautela, mortificatione, & gratia vincet, & triumphabit feliciter. Ingruente tentatione illa præsertim exercitia renovanda; societas bonorum adeunda; & corde novo in purum habitaculum Deo offerendum; Deus, aut B. Virgo invocandus; Sanctissimum nomen Jesu vel signum crucis hosti objiciendum; aversio in corde à peccato concipienda; exempla bonorum repræsentanda; publicatio omnium peccatorum in extremo judicio cogitanda; præsentiæ divinæ memoria renovanda; molesti aliquid corpori ingerendum; prout supra n. 2. dictum est; & solitudo aut deserenda, aut precibus sacranda est. Qui hæc media aliquot saltem annis in juventa, & ætate florida continuaverit, sentiet, cœlibatum facilius, quam statum conjugalem sine peccato servari posse.

§. XV.

De Horis Canonicis?

Quæritur 1. Daturne in Subdiacono obligatio recitandi Breviarium.

Respondeo. Datur. Ita eruitur ex Concilio Lateranensi Generali sub Innocentio III. Can. 17. & ex *C. dolentes.* de Celeb. Miss. ex actis illius Concilii desumpto, ubi Pontifex sic loquitur: „ Dolentes referimus, quod non solum „ quidam Minores Clerici, verum etiam & alii, „ qui Ecclesiarum Prælati circa comessationes „ & confabulationes fere medietatem noctis ex„ pendunt, & somno residuum relinquentes vix „ ad diurnum concentum avium excitantur, „ transcurrendo undique continuata Syncopa „ Matutinum. Hæc & similia sub pœna suspen„ sionis inhibemus; districte præcipientes in vir„ tute obedientiæ, ut divinum Officium diur„ num, quantum eis Deus dederit, studiose ce„ lebrent & devote.

Quæritur 2. Quomodo probatur, quod Subdiaconi etiam privatim teneantur recitare Breviarium?

Respondeo. Obligatio recitandi Breviarium privatim non fundatur in aliqua lege Generali Ecclesiæ, sed in relaxatione legis generalis per conniventiam, ac consuetudinem tacite approbata. Antiquitus enim omnes universim Clerici, cum essent adscripti servitio alicujus Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ vel Parochialis, obligabantur ad recitandum divinum Officium in Ecclesia, cui erant adscripti; cum autem sensim ab ea recitatione publica deflecterent, retinuerunt saltem *substantiam præcepti* veteris, ut Officium recitarent privatim. Hinc ad istam recitationem privatam non reperitur

lex positiva, sed tantum indulgentia ac dispensatio quædam tacita, legis priora *quoad modum* relaxativa.

QUÆRITUR 3. Unde probatur, quod antiquitus Clerici omnes fuerint obligati ad recitationem Breviarii publicam?

RESPONDEO. Reperiuntur textua Conciliorum plurimi, in quibus hæc obligatio generaliter respectu omnium Clericorum exprimitur. Concilium Carthaginense IV. editum pro tota Africa anno 398. Can. 49. dicit: *Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privetur.* Concilium Veneticum celebratum anno 465. Can. 14. sic habet: *Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privetur.* Concilium Veneticum celebratum anno 465. Can. 14. sic habet: *Clericus quem intro muros civitatis suæ manere constiterit, & à Matutinis Hymnis sine probabili excusatione ægritudinis inventus fuerit defuisse, septem diebus à communione habeatur extraneus. Quia Ministrum Ecclesiæ, quando eum non potest ob Officio suo ulla honesta necessitas excusare, fas non est à salubri devotione cessare.* Inter Puncta Visitationis in Diœcesi Augustana, scripta sæculo decimo, n. 9. habetur: *Quicumque presbyter mane matutinali officio expleto pensum servitutis suæ canendo* (id est, vocaliter recitando) *Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque persolvat, ita tamen, ut postea bonis competentibus juxta possibilitatem aut à se aut Scholasticis publice compleatur.* Quæ Constitutio desumpta est ex Concilio Nannetensi Can. 19. In Sermone Synodali ad omnes Parochos Diœcesis Augustanæ, habito sæculo pariter decimo dicitur: *Omnis presbyter Clericum habeat, aut Scholarem, qui Epistolam vel Lectionem legat, & ad Missam respondeat, & cum quo Psalmos cantet.* Hujus autem observantiæ antiquæ ad hæc usque tempora in variis Ecclesiis parochialibus non solum in urbibus sed in pagis extant vestigia. In Oppido Wellhemensi in hunc usque diem mane hora quarta compulsantur Campanæ ad Matutinum, nullo hominum comparente. Idem adhuc ante paucos annos fiebat in pago Peissenberg. In Walletshausen pago in annuam computationem Ecclesiæ etiamnum referuntur Candelæ ad Matutinum. Die Metten-Kerzen.

QUÆRITUR 4. Estne antiqua consuetudo, quod impediti vel dispensati à recitatione Breviarii publica recitaverint privatim Horas Canonicas?

RESPONDEO. Est antiquissima, & jam usitata primis sæculis. Nam 1. D. Gregorius Nyssenus iter suum in Arabiam commemorans ait: *Vehiculum nobis pro Ecclesia & Monasterio erat, omnibus per totam viam psallentibus.* 2. Palladius in vita S. Chrysostomi de quadraginta Episcopis expulsis loquens ait: *Vigilias intra sua diversoria celebrarunt.* Fortunatus in vita S. Germani Parisiensis Episcopi C. 76. dicit; eum etiam in itinere nudo capite suum Breviarium dixisse. *Equitans in itinere*, inquit, *semper de Deo aliquid contulit, aut cantavit, cursum nudo capite dicens, etsi nix aut imber urgeret.* Sic etiam legitur in vita S. Udalrici C. 4. quod in visitatione Diœcesis suæ in itinere Psalmos, Horas nempe Canonicas, recitaverit. *Sedebat*, inquit Scriptor, *in solio super carpentum composito, & cum eo unus Clericus de Capellanis ejus, qui cum eo totos dies Psalmos decantasset,* Non ideo, (sic vehebatur) *quod non adhuc caballicare potuisset, sed ut à populis sequestraretur, nec à cantatione Psalmorum eorum ineptis colloquiis impediretur.*

QUÆRITUR 5. An hæc piorum Clericorum consuetudo recitandi privatim Horas Canonicas, alicui saltem in Conciliis particularibus in legem evecta est?

RESPONDEO. Ea consuetudo recitandi privatim Horas Canonicas, quando ex justa causa Clerici non poterant interesse Officio publico, adeo fuit universalis, ut dubitare liceat, an non fuerit obligatoria ex traditione quadam Apostolica. Quidquid autem de ea traditione sit, constat, eam consuetudinem jam sæculo octavo in variis Diœcesibus obligatoriam factam aut declaratam esse. Chrodegangus Metensis Episcopus suis Canonicis Cathedralibus præscribens legem C. 27. ait: „Si longe ab Ecclesia aliquis fuerit, „ut ad Opus Dei per Horas Canonicas occurrere non possit, agat Opus Dei cum tremore „divino, ubi tunc fuerit. Et infra. Quicunque ex Clero in itinere cum Episcopo vel alio „proficiscuntur, ordinem suum, in quantum „ratio vel iter permiserit, non negligant; & „non eos debent præterire horæ constitutæ „tam de Officiis divinis, quam aliunde.“ 2. B. Petrus Damianus, qui vixit sæculo undecimo, in Libro, cui titulus, *Dominus Vobiscum*, ostendit, etiam in privata recitatione Breviarii plurali numero utendum esse. *Si Doctores Ecclesiæ*, inquit, *id expedire decernerent*, (ut non sumatur numerus pluralis) *in Ecclesiasticis Officiis alium singulis, alium multis ordinem* (divini officii) *tradidissent. At neque Apostolicæ Sedis Antistes, cum privata Deo reddit obsequia, neque quisquam omnino Pontificum vel Catholicorum Sacerdotum bis verbis ad alterum singulariter utitur.* 3. In antiquis variis Pœnitentialibus sæculi octavi v. g. Alcuini, Eadgari jam continetur, quod Clerici se accusent de omissis Horis Canonicis. 4. Jacobus de Vitriaco, qui vixit anno 1240. in Hist. Occid. C. 34. dicit: „Licet Sacerdos privatas orationes variis circa „curas animarum occupationibus intentus possit „aliquando omittere, Horas tamen Canonicas „non debet omittere. Aliæ enim orationes sunt „voluntatis, hæ autem necessitas.“ 5. D. Thomas eandem obligationem agnoscit Quodlib. 6. q. 5. a. 2. ubi ait: *Clericus ex hoc ipso, quod est Clericus, & præcipue in Sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas.* Ex hoc tempore varia Concilia particularia, & doctores in eandem abiere sententiam, v. g. Marcianense 1326. Rotomagense, 1581. Remense 1583. Burdigalense 1583. Tolosanum 1590. Aquileiense 1596. & Mediolanense sub S. Carolo Borromæo 1. 2. & 4tum. Imo Concilium Basileense Sess. 21. Can. 5. eam ut certam supponit dicens: *Quoscunque Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati diurnum, nocturnumque Officium reverenter peragant.* Ex his omnibus patet, consuetudinem recitandi Horas Canonicas privatim re vera esse obligatoriam in conscientia.

QUÆ-

Quæritur 6. Quando incipit hæc obligatio?

Respondeo. A momento susceptæ ordinationis; sic ut ab ea Hora recitanda initium sumendum sit, quæ ipsa hora ordinationis in Ecclesia Cathedrali recitari consuevit. Ita communis doctorum, quæ in materia dependente à lege consuetudinis plurimum valet, quia repræsentat potiorem partem communitatis Ecclesiæ, ut proin aut inveniat, aut faciat legem.

Quæritur 7. An lea recitandi Breviarium etiam privatum obligat sub gravi?

Respondeo. Obligat sub gravi. Ita 1. Concilium Mediolanense I. sub D. Carolo Borromæo, quod part. 2. C. 21. sic habet: „ Qui „ Sacris initiati Beneficium Ecclesiasticum non „ habent; si divinum prætermiserint Officium, „ præter grave peccatum quod committunt, gra„ viter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur. „ 2. *Concilium Aquileiense* C. 11. *dicit*: Qui ad Subdia„ conatus Ordinem profecti sunt, si beneficio Ec„ clesiastico careant: non existiment, Horis „ Canonicis ex Breviario Romano recitandis „ obstrictos non esse. Omnino vero intelligant, „ quemadmodum, qui Beneficium Ecclesiasticum „ habent, Horas Canonicas non recitantes ultra „ peccati mortalis reatum amissione fructuum „ plectuntur; ita illos omittendo Horas Cano„ nicas mortaliter peccare, nec se prætextu be„ neficii non adepti excusare posse.

Quæritur 8. Tenenturne ad Horas Canonicas etiam illi Clerici, qui habent beneficium Ecclesiasticum, etiamsi in Sacris Ordinibus nondum constituti sint?

Respondeo. Tenentur. De Beneficiatis curam animarum habentibus Leo X. in Concilio Lateranensi V. Sess. 9. sic statuit: „ Quilibet „ habens beneficium cum cura, si post sex men„ ses ab obtento beneficio divinum Officium non „ dixerit, legitimo impedimento cessante, Be„ neficiorum suorum fructus suos non faciat pro „ rata omissione recitationis Officii, sed eos tan„ quam injuste perceptos in fabricas hujusmodi „ Beneficiorum, vel in pauperum Eleemosinas „ erogare teneatur. Si vero ultra dictum tem„ pus in simili negligentia contumaciter perman„ serit, legitima monitione præcedente, Bene„ ficio ipso privetur, cum propter Officium de„ tur Beneficium. Intelligatur autem Officium „ omittere quoad hoc, ut Beneficio privari pos„ sit, qui per quindecim dies illud bis saltem „ non diaerit." Idem statuit Pius V. Constitut. 135. *Ex proximo.*

Quæritur 9. An ad recitationem Breviarii obligentur etiam Beneficiati nondum Sacris Ordinibus initiati, si eorundem Beneficium non habeat annexam curam animarum?

Respondeo. Obligantur etiam isti. Patet ex communi sensu Ecclesiæ & doctorum, fundato vel in traditione vel in ipsa natura Beneficii. Concilium Detrusanum anno 1429. Can. 4. dicit: „ Ne divinæ servitutis pensus, „ quem de fructu labiorum suorum offerre te„ netur quilibet Clericus Ecclesiasticum Benefi„ cium possidens, vel in Sacris Ordinibus con„ stitutus, dum per occupationes alias Conven„ tui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu „ Breviarii omittatur, duximus statuendum, ut „ per locorum Ordinarios Beneficiarii prædicti, „ & in Sacris Ordinibus constituti ad habendum „ propria Breviaria cogantur. 2. In Concillo Basileensi congregato ea natione Germanica, Gallica, Anglicana, Polonica, & Hungarica eadem obligatio declaratur Sess. 21. C. 5. 3. Eadem declaratio fit in variis Conciliis Provincialibus supra relatis. 4. Idem indirecte definivit Alexander VII. damnando varias propositiones proxime referendas.

Quæritur 10. An ad recitationem Breviarii etiam tenentur Beneficiati nondum Sacris initiati, quo tempore vacant studiis?

Respondeo. Tenentur. Patet ex propositione 21. damnata ab Aleaandro VII. quæ sic sonat: *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis beneficium Ecclesiasticum, si studio Litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.*

Quæritur 11. Si Beneficiatus non recitet Breviarium, an tenetur restituere fructus ante sententiam Judicis?

Respondeo. Tenetur eos restituere ante sententiam Judicis. Patet ex Propositione 20. damnata ab Aleaandro VII. quæ ita sonat: *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.*

Quæritur 12. An Beneficiatus non recitans Breviarium loco restitutionis computare possit eleemosinas antecedenter à se factas?

Respondeo Negative. Patet ex Propositione 33. damnata ab Aleaandro VII. quæ sic habet: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.*

Quæritur 13. Si Beneficium sit adeo tenue, ut non sufficat ad congruam sustentationem, an Beneficiatus nihilominus tenetur ad recitationem Breviarii?

Respondeo. Tenetur. Colligitur ex præfatis legibus generalibus, quæ nullum genus Beneficii vel Beneficiatorum excipiunt. Patet 2. ex potiore sensu Doctorum, qui in ejusmodi materia dependente à legibus humanis vel à consuetudine, authoritate sua potiore præsupponunt, vel interpretantur, vel formant legem. S. Antoninus Part. 3. Tit. 13. C. 4. §. 1. *Ad Horas Canonicas tenentur ex præcepto quilibet Clerici Beneficiati, etsi non existentes in Sacris. Nec excusare se possunt ratione exiguitatis Beneficii, si ex eo non percipiant necessaria, sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari.*

Quæritur 14. Si quis differat recitare Matutinum in tempus vespertinum, an satisfaciet simul pro sequente die?

Respondeo Negative. Patet ex Propositione 35. damnata ab Alexandro VII. ubi dicitur: *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.*

Quæ-

Quæritur 15. An satisfaceret præcepto quoad substantiam, qui in Festo de Duplici vel de Dominica recitaret Officium de Paschate?

Respondeo Negative. Patet ex Propositione 34. damnata ab Alexandro VII. ubi dicitur: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

Quæritur 16. Impeditus à recitando toto Breviario an tenetur saltem ad recitandam partem?

Respondeo. Si quis non possit recitare omnes Horas, tenetur saltem ad recitandas tot Horas, quot poterit recitare. Desumitur ex Propositione 54. damnata ab Innocentio XI. quæ sic sonat: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem recitare reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

Quæritur 17. Ad quid obligantur Clerici fruentes pensione, vel Stipendio Ecclesiastico?

Respondeo. Obligantur ad recitandum Officium B. Virginis. Ita statuit S. Pius V. in Constitutione 135. *Ex proximo*, ubi sic habet: *Quicunque pensionum fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, eum ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

Quæritur 18. Si Religiosi nondum sint in Sacris constituti, an nihilominus obligantur ad recitationem Breviarii privatam?

Respondeo Affirmative.

Ratio est 1. quia licet nulla extet lex Ecclesiastica generalis specialiter obligans Religiosos ad recitationem Breviarii extra Chorum; reperitur tamen consuetudo generalis, tacite acceptata per modum legis; quod desumitur ex sensu Doctorum eminenter potiorum authoritate & numero; si ergo consuetudo semel acceptata per modum legis facit legem, idem de hac consuetudine asserendum est, quam plerique authores exceptis respective paucis asserunt esse obligationem sub peccato mortali. De ipsa autem consuetudine antiquissima constat ex variis Constitutionibus Monasticis v. g. Basilii C. 107. Pachomii C. 142. S. Benedicti C. 50. & Constitutione Benedicti XII. 2. Quia saltem in Ordinibus essentialiter Clericalibus ipsa susceptio Status religiosi reipsa est susceptio alicujus Beneficii Ecclesiastici; cum ergo constet, ab Ecclesia Beneficiis Ecclesiasticis annexam esse obligationem recitandi Breviarium, intentio Legis haud dubie ferebatur à fortiori ad Religiosos essentialiter Clericales; aut certe ipsa paritas rationis ab ipsis religiosis ordinibus recte ad paritatem obligationis extensa & acceptata est. Obligantur itaque omnes Regulares exceptis iis, qui habent speciale privilegium à Summo Pontifice, aut quibus ex gravi sufficiente causa quoad hoc dispensatur à Superioribus.

Quæritur 19. Quanta pars Breviarii sufficit ad constituendum peccatum mortalè, si omittatur?

Respondeo. Omissio unius Horæ juxta potiorem Doctorum sufficit ad constituendum peccatum mortale. Cum ergo hæc lex quoad obligationes in specie dependeat à consuetudine, seu sensu potioris partis in communitate Ecclesiæ, ea definitio retinenda est. Ob eandem rationem etiam omissio talis partis, quæ æquiparetur uni Horæ, erit peccatum mortale.

Quæritur 20. Qualis infirmitas excusat à recitatione Breviarii?

Respondeo. Excusat quælibet infirmitas gravis, quæ, si Breviarium recitaretur, timeretur aggravari, aut à curatione retardari. Gravis autem dici potest vel *ratione molestiæ & doloris*, gravis comparative ad ordinarias infirmitates humanas; vel *ratione periculi* vitæ notabiliter abbreviandæ. Ita quoad rem communis Doctorum. In hac re autem æger, ut securus sit in conscientia, tuto stabit Medici, vel alterius viri boni & prudentis judicio.

Quæritur 21. Si quis culpabiliter abjiceret Breviarium, aut se inebriaret, an subsequentes omissiones Breviarii reputarentur in peccatum?

Respondeo. Juxta D. Thomam omnes omissiones subsequentes erunt vere peccatum, quamdiu non retractatur voluntarietas præcedens, quæ tanquam forma moralis afficit subsequentes omissiones vel actus, & sic cum illia constituit unum totum morale, in quo actus subsequentes habent se per modum materiæ, voluntarietas autem præcedens per modum formæ, utpote à qua omnes subsequentes actus moraliter dependent tanquam à causa, eo quod debuerint & potuerint non tantum prævideri, sed etiam impediri. D. Thomas 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. sic habet: *Si aliquis de sero se inebriaverit, & non potest surgere ad Matutinas, ut debet, dicunt quidam, quod tunc incepit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum, & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur, quia dato, quod excitaretur per violentiam, & iret ad Matutinas, non omitteret. Unde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Similia habet 1. 2. q. 76. art. 2. ad 3.

Quæritur 22. An peccat graviter, qui absolvit Horas Canonicas cum voluntaria distractione?

Respondeo. D. Thomas ad incurrendam culpam mortalem duo requirit. *Primo*, ut distractio fiat *ex proposito*. *Secundo*, ut evagatio fiat *ad contraria* orationi, quæ videlicet sunt illicita, ita ut ad cultum Dei referri non possint. in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. qq. 4. ad 2. sic scribit: *Dicendum, quod quando aliquis ex propositio mentem ad alia distrahit in orando (tunc enim sine culpa non est, præcipue si in aliis sponte se occupat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera) & si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit.* Idem 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3. dicit: *Si quis ex proposito in oratione mente evagatur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum.*

Quæritur 23. Qualia requiritur attentio ad recitandas Horas Canonicas?

Re-

Respondeo. D. Thomas, quem in hoc sequuntur reliqui Doctores, distinquit triplicem attentionem. Prima est *ad pronuntiationem* religiosam *verborum*; Secunda est *ad sensum verborum*. Tertia est generalis *ad Deum & ad motiva orandi*. Quamlibet harum attentionum asserit sufficere. 2. 2. q. 83. art. 13. C. sic habet: *Sciendum, quod triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi. Una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret. Secunda, qua attenditur ad sensum verborum. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur.* De iisdem tribus attentionibus loquens in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. qq. 4. C. ait: *Dicendum, quod attentio in oratione potest esse duplex* (id est, varia.) *Primo enim est attentio ad verba, quibus petimus*; (alia) *ad petitionem ipsam*; & (alia) *ad ea quæ petitionem ipsam circumstant, sicut est necessitas, pro qua petitur Deus, & alia hujusmodi. Et quæcunque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio. Unde etiam illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt. Sed tamen ultima attentio est laudabilior quam secunda, & secunda quam prima.* Authores solent primam *attentionem* vocare *materialem* vel *superficialem*, secundam vocant *spiritualem*; tertiam *generalem*.

Quæritur 24. An alterutra ex his tribus attentionibus debet esse actualis?

Respondeo. D. Thomas docet, quod in principio Breviarii requiratur attentio *actualis*, saltem generica, & in actu exercito saltem ad hoc, quod velimus reddere Deo, quæ debemus. In decursu autem docet sufficere *virtualem*. In 4. l. cc. sic scribit: „Attentio in oratione semper manere debet secundum virtutem (*id est, aliquem sui effectum*;) sed non requiritur quod maneat per essentiam actus (*id est actualiter.*) „Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi; etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio, quod omnino deperеat vis primæ intentionis. In operibus virtutis non oportet, quod semper actualis electio adsit, sicut non oportet, quod ille, qui eleemosinam dat, semper de eleemosina cogitet; sed sufficit, semel cogitasse, dum eleemosinam dare disposuit, nisi contraria cogitatione præcedens intentio interrumpatur. *Idem* 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *C. ait:* „Est triplex effectus orationis. Primus est communis omnibus actibus charitate informatis; quod est mereri; & ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddidit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus effectus est ei proprius, quod est impetrare. Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec est meritoria, nec impetrativa. Tertius effectus est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio." Ex his omnibus sequitur, quod in principio Breviarii requiratur attentio seu intentio actualis saltem generica, per hoc honorandi Deum; vel præstandi Deo id, quod debemus. Et hæc ipsa attentio seu intentio actualis non necessario debet esse reflexa, sed sufficit *directa*, seu in *actu exercito*. Sic enim dum *loquimur*, *scribimus*, *ambulamus* habemus utique intentionem seu voluntatem actualem loquendi, scribendi, ambulandi, quamvis reflexe non cogitemus, nec reflexe advertamus nos habere hanc voluntatem *directam & in actu exercito* loquendi, scribendi, vel ambulandi. Quamvis autem sufficiat hæc prima *attentio seu intentio*; videtur tamen valde indecens, si mentem quis velit relinquere sine ulla refectione spirituali; & si ista negligentia fiat habitualis, eaque continuetur v. g. per integrum annum, timendum ne accrescat in negligentiam gravem.

Quæritur 25. An tenetur reiterare Breviarium, qui per totum Breviarium est voluntarie distractus?

Respondeo. Si Clericus ita sit distractus voluntarie, ut ne quidem voluerit, aut, si voluit, non potuerit attendere ad religiosam ac reverentem pronuntiationem verborum, tenetur omnino repetere Breviarium. Hoc autem sit, si ponat actionem incompossibilem cum attentione illa ad reverentem pronuntiationem verborum & cum animo exhibendi per hoc cultum Deo. S. Antoninus part. 3. Interrog. C. 11. de Clericis ait: *Si dicendo Horas aliis exercitiis se occupavit manualibus, ut faciendo coquinam & hujusmodi, videtur mortale, & non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Et si mens circa alia vagatur voluntarie, non curans, & sic quasi per totum officium, videtur mortale. Secus, si proponit velle attendere, & distrahitur.* Idem *confirmatur* ex paritate cum eo, qui voluntarie deponit annuam Confessionem vel Communionem sacrilegam. Damnata enim est ab Alexandro VII. Propositio 14. *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto.* Et alia damnata ab Innocentio XI. nempe 55. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Quæritur 26. Daturne obligatio sic recitandi Breviarium, ut recitans seipsum audiat?

Respondeo. Non datur. Sylvius Resol. var. V. *Horæ Canonicæ*, id sic probat 1. Quia nullo jure probatur, recitantem Horas teneri ad se audiendum. Potest enim Breviarium vere *dici ac recitari*, etiamsi non audiatur à recitante. 2. quia alias surdastri, & alii in tumultu hominum, vel tempore Musicæ, &c. tenerentur fortius efferre vocem cum aliorum molestia. Hinc & Navarrus in Manuali. C. 20. de Orat. n. 14. disjunctive loquitur dicens: *Dico sufficere formare verba intra labia ita ut ipse illa* AUDIRE VEL INTELLIGERE *nequeat.*

Quæritur 27. An in recitatione Horarum Canonicarum liceat invertere ordinem tempore?

Respondeo. Si id fiat causa alicujus impedimenti vel motivi honesti, ut melius obeantur officia alioquin debita, id licet. Si vero id fiat præcise, ut facilius indulgeatur conviviis, lusi-

lusibus, aut recreationibus pro honestate status aut resociliatione naturæ non necessariis, id non licet. D. Thomas Quodl. 5. Q. 14. art. 1. sic respondet: *Consideranda est intentio ejus, qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscunque Horis Canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ & voluptati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum; puta, si Clericus vel Magister debet videre Lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud hujusmodi; licite potest sero dicere Matutinas, & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire. Quia melius est, Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & honesta Officia, quam quod per unum aliud impediatur.*

QUÆRITUR 28. Quandonam introductus est in Diœcesin Augustanam usus Breviarii Romani?

RESPONDEO. Introductus est ab Henrico V. Episcopo Augustano anno 1610. prius enim Diœcesis hæc, sicut aliæ Diœceses Germaniæ, habebat Breviarium & Missale proprium, quorum adhuc in Bibliothecis partim impressa, partim Manuscripta asservantur Exemplaria.

QUÆRITUR 29. Daturne obligatio, recitandi Breviarium etiam devote?

RESPONDEO. Datur. Patet ex Constitutione Innocentii III. adducta Quæst. 1. ubi *præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum Officium celebretur devote.* Hinc patet, fieri contra legem Ecclesiæ dum Horæ Canonicæ sive publice in Ecclesia, sive privatim recitantur cum depoperatione moraliter incompossibili cum devotione interna.

QUÆRITUR 30. Quibus mediis devotio sub Horis Canonicis excitari aut conservari poterit?

RESPONDEO. Ad devotionem internam multum conferunt 1. Situs corporis reverens, v. g. genuflexio, aut sessio detecto capite coram Sanctissimo in Templo, vel coram devota imagine. 2. Præparatio animi per rememorationem divinæ præsentiæ, & propriæ Indigentiæ. 3. Invocatio divini auxilii ad orandum devote, præmittendo saltem mentaliter orationem illam devotam: *Aperi Domine os*, &c. 4. Excitatio prævia bonæ intentionis. 5. Intentionis iterata sub recitatione Breviarii renovatio, quod determinatis in locis rememorativis fieri potest. 6. Devotæ imaginis, quæ pro varietate temporum variari potest, iterata subinde inspectio. 7. Piorum quorundam actuum internorum, v. g. adorationis, &c. ad determinatos versus, v. g. *Gloria Patri*, alligatio. 8. Psalmorum ad statum proprium, vel ad aliud objectum idoneum, quod attentionem facile movet, accommodatio. 9. Frequens Psalmorum, aut Hymnorum, aut aliarum Breviarii partium per diem ruminatio, vel meditatio. 10. Frequens spiritualis lectio de orationis necessitate, utilitate, & praxi; aut Expositorum de Psalmis lectio.

QUÆRITUR 31. Qualia sunt præcipua bonarum Intentionum genera?

RESPONDEO. Quatuor sunt potissima, quæ in Scripturis commendantur, bonarum intentionum genera. *Primum* est, ut oratio referatur in cultum, laudem, & amorem Dei, & eorum, quæ divina sunt. *Secundum* genus est, ut referatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. *Tertium*, ut offeratur pro commissis peccatis, propriis vel alienis. *Quartum*, ut dirigatur ad Deum pro obtinendis beneficiis pro se, vel aliis, pro vivis, vel defunctis. In his omnibus reperiuntur variationes innumeræ. Sic enim in primo & secundo, & tertio, ac quarto genere potest fieri respectus ad diversas perfectiones divinas, ad diversa mysteria Passionis, vel fidei, ad diversos Patronos, ad diversas personas & conditiones hominum, ut facillime quovis die elici possit nova intentio, si ad devotionem prior movere desinat.

QUÆRITUR 32. Ad quas Horas obligantur Subdiaconi primo die suscepti ordinis?

RESPONDEO 1. Tenentur illo die recitare eas Horas, quæ solent recitari in cathedrali post horam finitæ ordinationis ad Subdiaconatum.

RATIO est, quia in quovis Statu eo momento incipit urgere obligatio annexa statui, quo momento primo contrahitur status.

RESPONDEO 2. Si taliter ordinandus mane anticiparet Vesperas, teneretur eas repetere post ordinationem.

RATIO est, quia in æstimatione morali non censeretur taliter recitans satisfacere mane præcepto, sed suæ devotioni. Ergo, nisi reiteraret Horas anticipatas, nunquam eo die posset dici satisfecisse præcepto. Accedit, quod facultas anticipandi sit privilegium. Privilegium tale autem non datur nisi obligato; & merenti privilegium; quorum neutrum reperitur ex suo genere in ista tepida classe primo sui fervoris & ordinis die anticipantium.

QUÆRITUR 33. An teneatur ad Horas Canonicas Beneficiatus adhuc in Minoribus constitutus, si privetur perceptione fructuum?

RESPONDEO 1. Si talis injuste privetur perceptione fructuum beneficii, non tenetur recitare Horas Canonicas, nisi adhuc retineat civilem possessionem beneficii cum spe brevi obtinendæ restitutionis.

RATIO est, quia sicut beneficium datur propter officium, ita æquitas contractus reciproci inter Ecclesiam & beneficiatum exigit, ut cessante fructu beneficii cesset obligatio officii.

RESPONDEO 2. Si talis privetur juste fructibus beneficii, deobligatur à recitandis Horis Canonicis, si interea hæc obligatio recitandi fuerit translata in alium possessorem vel usufructuarium beneficii. Si autem hæc obligatio necdum fuerit translata in alium, tenetur adhuc recitare Horas Canonicas, donec transferatur in alium.

RATIO est, quia talis privatio fructuum est pœna. Per solutionem autem pœnæ non tollitur contractus & annexa obligatio, ob cujus violationem infertur pœna.

QUÆRITUR 34. An etiam habentes præstimonia, vel præstimoniales portiones teneantur recitare Breviarium?

RESPONDEO Affirmative. Ita declaratum est à S. Pio V. in Bulla: *Ex proximo Lateranensi.*

Quæ-

Quæritur 35. An peccaret mortaliter, qui interruptim per omnes Horas tantum omitteret, quantum sufficit ad constituendam integram Horam?

Respondeo. Si quis ita faciat ex mera petulantia, peccat mortaliter; quia irrisioni & lusui exponit leges Ecclesiæ, quod sapit contemptum. Si autem sic faciat ex impotentia absolvendi totum Breviarium, vel evitandi onus restitutionis fructuum, stultus est. Eliciat enim contritionem, & recitet quantum potest, sicque evitabit onus restitutionis. Quod si hoc recuset, eoipso non satisfacit præcepto Ecclesiæ per recitationem mutilam, utpote eluſurus stulto modo legem Ecclesiæ, ac proin tenetur ad restitutionem correspondentem fructuum?

Quæritur 36. An peccet mortaliter, qui in Sabbato Sancto omittit Vesperas?

Respondeo. Si hoc faciat ex petulentia, peccat mortaliter, quia exponit contemptui legem Ecclesiæ. Si id fiat ex negligentia, non peccat mortaliter.

Ratio est, quia communior Doctorum hoc non apprehendit, nec declarat tanquam aliquid grave.

Quæritur 37. An Matutinum & Laudes constituant unam Horam, & eorum omissio unum peccatum grave?

Respondeo. Constituunt duas Horas. Ita S. Antoninus & Navarrus.

Ratio est, quia antiquitus separabantur tempore, dum Matutinum dicebatur in Nocte, Laudes in Aurora.

Nec obstat quod tantum numerentur septem Horæ; ea enim divisio pertinet ad *Horas Diurnas*, non ad *Horas Nocturnas*.

Quæritur 38. An teneatur ad restitutionem fructuum correspondentium, qui non recitat Horas ob infirmitatem contractam ex ebrietate.

Respondeo. Tenetur, nisi prius per confessionem vel contritionem perfectam destruat malitiam causæ, ex qua dimanavit impotentia.

Ratio est, quia sic impotentia recitandi & omissio Breviarii foret voluntaria in causa, & imputabilis ad pœnam æternam. Ergo etiam foret imputabilis ad pœnam Ecclesiasticam.

Quæritur 39. An teneatur ad restitutionem fructuum, qui recitavit Breviarium cum voluntaria distractione?

Respondeo. Non tenetur ad restitutionem. Ita communior Doctorum.

Ratio est, quia Ecclesia non obligaret prudenter ad talem restitutionem ob actus mere internos innumeris scrupulis obnoxios.

Quæritur 40. An teneatur ad restitutionem partis fructuum, si solum omisit exiguam partem unius Horæ?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia Ecclesia non prudenter obligaret ad ejusmodi minutas calculationes. Si autem ex petulantia vel gravi negligentia omitteret in pluribus Horis quantitates parvas completivas unius Summæ gravis, teneretur ad restitutionem correspondentem Horæ.

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

Quæritur 41. Quantum debeat restituere Canonicus vel alius Beneficiatus, qui omisit unam vel tres Horas?

Respondeo. Tenetur pro singulis, quas omisit, Horis restituere decimam portionis diurnæ ex fructibus grossis partem. Cum enim solum Matutinum æquivaleat tribus Horis, conficiuntur cum reliquis septem Horis decem æquivalenter Horæ, atque decupla correspondens obligatio. Hinc si annui redditus Beneficii sunt 365. floreni, per omissionem unius Horæ teneretur restituere decimam unius floreni partem, hoc est, sex crucigeros.

Quæritur 42. An ægrotus, si non possit recitare totum Breviarium teneatur ad partem?

Respondeo. Si etiam recitatio partis non possit fieri sine incommodo vel sine aliquali periculo incommodi, non tenetur.

Ratio est, quia Ecclesia tenetur habere compassionem cum infirmo, & potius alleviare quam aggravare incommodum.

Quæritur 43. An excusetur à recitatione Breviarii, qui alioquin non potest commode vacare studiis?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia hæc excusatio foret nimis generalis ac frequens, quæ consequenter nimium præjudicaret finibus per hanc legem ab Ecclesia intentis. Idem colligitur ex Propositione 21. ab Alexandro VII. damnata: *Habens Capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

Quæritur 44. An excusetur à recitatione Breviarii, si alioquin recitans impediretur à debita præparatione ad concionem, à confessionibus pro opportunitate in magno numero pœnitentium excipiendis, à catechesi tempore pomeridiano debite habenda, à curanda sua valetudine & dispositione virium ad habendam altero die concionem, &c.

Respondeo. Talis excusatur.

Ratio est, quia plus interest gloriæ divinæ ut in concursu inconpossibilium evitetur periculum indispositionis ad opera necessaria charitatis, quam ut his periclitantibus vocaliter, ut per attentionem solum materialem seu exteriorem ordinarie fieri solet, ex ore unius celebretur Deus.

Quæritur 45. An carens Breviario, vel cœcus, si sciat memoriter magnam officii partem, teneatur recitare eam partem?

Respondeo. Tenetur ad recitandam eam partem, quam scit memoriter. Ita communior Doctorum, quæ in hujusmodi legibus humanis, prout format praxin, sensum, ac consuetudinem fidelium, ita explicat aut ponit mediate legem.

Quæritur 46. An teneatur recitare Breviarium cum socio, qui illud recitare nequit sine socio?

Respondeo. Tenetur recitare cum socio, si talem facile inveniat sine illius magno incommodo. Ita communior Doctorum.

RESPONDEO 2. Si hæc impotentia recitandi sine socio sit perpetua vel diuturna, & socius sine magno illius incommodo inveniri nequeat, vel sine expensis, non tenetur recitare cum socio. Et taliter contingit circa obliviosos, vel scrupulosos.

RATIO est, quia Ecclesia non præsumitur velle obligare ad actiones personales privatas, nec Deo, nec Ecclesiæ, nec saluti animarum necessarias cum aliorum magno incommodo.

QUÆRITUR 47. Qualis requiritur causa ad petendam vel concedendam dispensationem à recitatione Breviarii?

RESPONDEO. Sufficit pro causa dispensationis quævis notabilis incommoditas.

RATIO est, quia obligatio hæc versatur circa actionem personalem privatam, non necessariam ad alios fines publicos valde magnoa ab Ecclesia intentos. Ad tales autem dispensationea requiritur facilior causa.

QUÆRITUR 48. An Parochi habentes mane concionem Summum Officium, tempore pomeridiano Catechesin, Vesperas in Ecclesia vel alias publicas preces, mererentur dispensari à Matutino, & Horis matutinis?

RESPONDEO. Mererentur dispensari ab habente facultatem dispensandi, si personaliter petant dispensationem ob difficultatem.

RATIO est, quia dispensans sic promoveret magis gloriam Dei, ut ejusmodi functiones parochiales & actus religionis publici majori promptitudine, fervore, & exactitudine peragantur. Posset autem dispensans apponere clausulam, vel commutationem in aliud opus pium, alio intra hebdomadam die peragendum.

QUÆRITUR 49. Quid agendum, si quis dubitet, an jam recitaverit aliquam Horam?

RESPONDEO. Qui habet aliquam rationem vi cujus probabilius sit, quod hanc vel illam Horam jam dixerit, non tenetur repetere illam Horam. Si autem frequenter redeant talia dubia, ita ut merito judicare possit, se esse obliviosum, concurrente levi aliqua ratione dubitandi, an non jam recitaverit, non solum non tenetur recitare, sed etiam male facit repetendo talem Horam.

RATIO est, quia si Horas soleat dicere stato tempore, atque advertat, tempus jam esse sufficiens elapsum alioquin consuetum, vel se jam versari in Hora subsequente, formare potest judicium ex ordinarie contingentibus, quod probabilius jam recitaverit, licet simul fieri possit, & ex aliis indiciis probabile sit, eum non recitasse. Ecclesia enim ad urgendas suas leges non requirit moralem certitudinem de promulgatione legis, sed sufficit, ut probabilius constet de lege. Ergo etiam æquum est, ut ad deobligationem à lege non plus à subdito requirat, quam ut probabilius illi constet, se satisfecisse legi. Ita quoad rem communior Doctorum apud *La Croix* l. 4. n. 1235. & 1236.

QUÆRITUR 50. An, qua ex causa, & quomodo liceat interrumpere Horas?

RESPONDEO 1. Interrumpere Horas Canonicas in parte per se completa in genere orationis vel lectionis licet ex quavis rationabili causa.

RATIO est, quia sic exigit prudentia legislativa Ecclesiæ circa ejusmodi actiones privatas nulla concurrente inconvenientia intrinseca.

RESPONDEO 2. Hinc etiam ex causa rationabili interrumpere licet Matutinum, v. g. Anticipando unum Nocturnum sine altero, vel interrumpere Horas in Capitulo, &c.

RESPONDEO 3. Imo, si interruptio brevis sit, & rationabiles, licita erit interruptio finito quovis Psalmo.

RATIO est eadem, quia circa ejusmodi actiones privatas, in quibus nulla concurrit inconvenientia intrinseca, Ecclesia prudenter agit admittendo pro interruptione quamvis causam rationabilem.

QUÆRITUR 51. An detur obligatio, extra Chorum recitandi Officium Defunctorum in die animarum, Litanias omnium Sanctorum cum subsequentibus precibus in tribus diebus rogationum, & Psalmos Pœnitentiales, ac graduales, vel officium parvum B. Virginis saltem in Quadragesima?

RESPONDEO 1. Etiam illi, qui sunt extra Chorum, tenentur recitare officium defunctorum in die commemorationis omnium animarum, & in diebus Rogationum tenentur recitare Litanias. Ita P. MERATI in Commentario ad Gavantum Sect. 7. C. 13. fol. 548. Rom. edit. ubi sic scribit: *Officium defunctorum omitti non debet, cum sit pars officii divini eo die præscripti, ut notat Suarez l. 4. de Horis Can. & cum sit pars notabilis, ad restitutionem fructuum tenetur Beneficiarius ad ratam Vesperarum vel Matutini, vel utriusque, prout in Bulla Pii V. habetur.* Idem *P. Merati* Sect. 6. C. 16. fol. 472. n. 3. scribit: *Qui non intersunt Processionibus, dicant privatim Litanias, quo verbo præcipitur omnibus, qui tenentur recitare Horas Canonicas, sub mortali ex Suarez.*

RESPONDEO 2. Extra Chorum nemo tenetur recitare Psalmos Graduales, vel Pœnitentiales, vel Officium parvum B. Virginis.

RATIO est, quia nec praxis communior, nec Rubrica id petit. Rubrica enim in Breviario in die cinerum solum dicit: Hodie in Choro dicuntur Psalmi Graduales, & P. Merati l. c. Sect. 6. observat, S. Pium V. solum *hortari*, ut dicantur *Psalmi Pœnitentiales*.

QUÆRITUR 52. An detur obligatio, Matutinum & Laudes recitandi ante celebrationem Missæ?

RESPONDEO 1. Non est peccatum mortale, si celebretur Missa ante recitationem Matutini. Ita docent fere omnes.

RESPONDEO 2. *Sotus*, *Suarez*, *Tamburinus* & alii *apud Gobat*. t. 3. n. 667. docent, per se loquendo; id nullum esse peccatum, quia nullibi reperitur præceptum. Hinc etiam *Marchantius* & *Quartur*, p. 2. t. 1. d. 1. dicunt, esse *consilium* & *convenientiam*. His & ego assentior.

NEC OBSTAT Rubrica Missalis §. 10. quia juxta Regulas infra tradendas §. 25. ea Rubrica est solum directiva.

DICI-

Dicitur autem *per se*; per accidens enim; si quis ageret contra illam Rubricam directivam passim sine ulla causa rationabili ex mera pigritia, peccaret venialiter.

§. XVI.

De Titulo Mensæ.

De Titulo Mensæ vide superius dicta §. 13. *quæstiuncula* 17. 18. 19. 21. 22. 23. 24. 25.

§. XVII.

De Diaconatu.

Quæritur 1. Quid est Diaconatus? Respondeo. Est Ordo sacer, quo confertur potestas, agendi immediatum ministrum Presbyteri in functionibus divinis.

Quæritur 2. Quæ est materia Diaconatus?

Respondeo. Assignari solet duplex; nimirum *impositio manuum*, & *traditio libri Evangeliorum*. Sed quia hæc *traditio* nuspiam compareret in Pontificalibus per duodecim prima sæcula non tantum in Ecclesia Græca, sed etiam in Ecclesia Latina, merito dubitatur, an ista materia posterior sit essentialis.

Quæritur 3. Quæ est forma Diaconatus?

Respondeo. Forma Diaconatus sunt illa verba, quibus confertur potestas agendi immediatum ministrum presbyteri in functionibus divinis. Sicut autem assignari solet duplex materia, ita assignatur etiam duplex forma. In *manuum impositione* Pontifex pronuntiat hæc verba: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus. In nomine Domini.* Post hæc verba absoluta, quæ Pontifex dicit singulis, adhuc manum extensam retinens, ulterius cantando pergit: *Emitte in eos, quæsumus Domine Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur; abundet in eis totius forma virtutis, authoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat, & bonum conscientiæ testimonium præferentes in Christo firmi & stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.* In traditione libri Evangeliorum Pontifex dicit: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

Quæritur 4. An utraque hæc forma est essentialis?

Respondeo. Si traditio libri Evangeliorum non est materia essentialis, etiam forma correspondens non erit essentialis, sed accidentalis. In priori autem forma, quamvis prioribus duodecim sæculis in Pontificalibus non comparerent illa verba absoluta, sed tantum posteriora deprecatoria, videtur nunc Ecclesia intentionem conferendi actu potestatem Diaconalem tantum alligare verbis absolutis; quæ proferuntur in singulos; dum econtra subsequentia, & illa in traditione Evangeliorum libri dicuntur in omnes.

Si quis dicat: in Concilio Florentino Eugenium IV. in Instructione Armenorum solum facere mentionem de traditione libri Evangeliorum tanquam materia Diaconatus, respondent patroni prioris sententiæ, Pontificem solum loqui de materia accidentali, consueta apud Latinos, cum quibus se volebant unire Græci & Armeni, quia de materia essentiali nulla erat controversia aut differentia, sed tantum de accidentali.

Quæritur 5. Quales sunt functiones Diaconi?

Respondeo. Functiones illæ in Pontificali exprimuntur tres. 1. Ministerium ad Altare, ad quod etiam pertinet Evangelii lectio, & Eucharistiæ distributio. 2. Collatio baptismi. 3. Prædicatio Verbi divini. Varii Canonistæ censent, Diaconum etiam valide posse assistere matrimonio ex commissione Parochi, quod communior, adeoque & consuetudo negat. Ita habetur in Exhortatione Pontificis ad Ordinandos, ubi sic loquitur: *Provehendi, Filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Quia comministri estis Corporis & Sanguinis Domini, estote ab omni illecebrâ carnis alieni, curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis.*

Dixi, *ex commissione Parochi.* Si enim ipsemet Diaconus sit parochus, certum est, cum valide assistere matrimonio.

Quæritur 6. Quales adhibentur Cæremoniæ in collatione Diaconatus?

Respondeo. In Pontificali describuntur sequentes. 1. Post lectam in Missa Epistolam vocat Archidiaconus nominetenus Ordinandos. 2. Ordinandi induti Amictu, Alba, cingulo, & Manipulo, nec non gestantes in manu dextra candelam, in sinistra Stolam ac super brachium sinistrum Dalmaticam comparent coram Pontifice in modum coronæ genuflexi. 3. Archidiaconus præsentat Ordinandos Pontifici, qui interrogat: *Scis illos dignos esse?* Respondente Archidiacono, proclamat Pontifex ad populum: *Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.* 4. Facta aliquali mora sequitur adhortatio Pontificis ad Ordinandos. *Provehendi* &c. In hac exhortatione continetur & istud; ut sicut in Veteri Lege Levitæ electi sunt ut *deservirent Tabernaculo Dei ejusque Sacrificiis*, sic nunc eliguntur Diaconi *in ministerium Tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiæ Dei*; quæ, cum semper *in procinctu stet ad dimicandum*, ab ipsis, *veluti Tabernaculum, portanda & munienda est ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto.* 5. Post exhortationem Ordinandi se prosternunt in terram, & dicuntur Litaniæ, nisi jam prius adfuerint ordinandi pro Subdiaconatu, in quorum ordinatione dictæ sunt. 6. Finitis Litaniis Ordinandi surgunt è terra, & manent genuflexi. Pontifex vero varias partim dicit, partim per modum Præfationis cantat Orationes. 7. In medio Præfationis illius Pontifex imponit manum dexteram super

super caput cujuslibet Ordinandi, singulis dicens: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* 8. Posthæc Pontifex cuilibet Ordinando ante se genuflexo stolam, quam singuli in manu habent, imponit super humerum sinistrum dicens: *Accipe Stolam candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit & regnat &c.* Simul autem super quemlibet facit signum crucis. Ministri autem reflectunt capita Stolæ & alligant sub brachio dextero. 9. Post hæc Pontifex accipiens Dalmaticam induit ea quemlibet usque ad humeros, & sic facit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; dicens singulis: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & Dalmatica justitiæ circumdet te semper. In nomine Domini.* 10. Postremo tradit Pontifex omnibus Librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens: *Accipite potestatem &c.* Subjunguntur à Pontifice duæ Orationes, quibus bene precatur Ordinatis, & sic clauditur ordinatio.

QUÆRITUR 7. An Diaconatus est Sacramentum?

RESPONDEO. Diaconatus est Sacramentum. Diaconi ex primæva institutione ordinantur per impositionem manuum, prout patet ex Actis Apostolorum C. 6. & ex perpetua traditione Ecclesiæ. Quod autem per impositionem manuum conferatur gratia Spiritus Sancti, desumitur ex sensu Ecclesiæ, quæ veteri formulæ deprecatoriæ adjunxit formam absolutam, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum. Confirmatur* ex Tridentino Sess. 23. Can. 6. ubi dicitur: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbiteris, & ministris, anathema sit.* Si ergo ministrorum, quo nomine Diaconi necessario comprehenduntur, institutio est divina, prudenter dubitari nequit, quin & horum ordinatio habeat promissionem vel peculiarem, vel saltem generalem gratiæ eorum officio congruæ. *Nec obstat*, quod D. Cyprianus Epist. 65. ad Rogatianum, & alii observant; quod nempe Episcopi & Presbyteri sint electi à Domino; econtra Diaconi sint tantum constituti ab Apostolis, prout patet ex Actorum C. 6. *Respondetur* enim, illam Diaconorum constitutionem aut non fuisse novam institutionem, sed tantum gratiæ sacerdotalis sese ad omnes functiones divinas extendentis divisionem, quæ divisiò tunc facta est ex inspiratione divina; vel Apostolos habuisse à Christo generalem potestatem constituendi idoneos Ecclesiæ Ministros, & eis communicandi de plenitudine gratiæ collatæ Apostolatui & Episcopatui; vel denique Apostolos & Ecclesiam habuisse potestatem determinandi materiam & formam in specie signi promissæ ministris divinitus institutis gratiæ, saltem infima.

QUÆRITUR 8. Quæ requiritur ætas ad recipiendum Diaconatum? & qui mores?

RESPONDEO. Jure recentiore Concilii Tridentini requiritur annus vigesimus tertius inchoatus, seu vigesimus secundus completus. Sess. 23. C. 12. sic habet: *Nullus in posterum ad Ordinem Diaconatus ante vigesimum tertium ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos duntaxat; & quorum probata vita senectus sit.*

QUÆRITUR 9. An ad hanc legem etiam adstringuntur Regulares?

RESPONDEO. Adstringuntur. Ita habetur l. c. in Tridentino: *Regulares quoque nec in minori ætate; nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.*

QUÆRITUR 10. Qualia requiruntur Interstitia à Subdiaconatu ad Diaconatum? aut aliæ conditiones?

RESPONDEO. Requiritur Interstitium unius anni, quo tempore Concilium optat sumi communionem singulis Dominicis & Festis. Sess. 23. C. 13. sic statuit: *Diaconi ordinentur, ut habentes conum testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi. Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque, maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem Ordinem, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.*

QUÆRITUR 11. An requiritur status gratiæ in recipiente Diaconatum?

RESPONDEO. Requiritur. Cum enim in Diaconatu per illa verba formæ: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* conferatur gratia sanctificans, opus est, ut non ponatur, aut removeatur obex gratiæ?

QUÆRITUR 12. Quis est effectus Diaconatus?

RESPONDEO. Effectus sunt 1. gratia sanctificans, formaliter aut efficienter talis, consistens saltem in jure quodam reali ad actuales gratias, pro recta administratione muneris Diaconalis necessarias. 2. character indelebilis, quia hoc Sacramentum iterari non potest. Probatur ex Tridentino Sess. 23. Can. 4. ubi definiendo ait: *Si quis dixerit; per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere; accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; anathema sit.* Idem probari potest l. cc. ex Capite 8.

QUÆRITUR 13. Quis est Minister Diaconatus?

RESPONDEO. Solus proprius Episcopus, aut ex ejus permissu alienus. Ita habetur in Tridentino Sess. 23, de reform. C. 8. ubi generaliter de omnibus sacris Ordinibus dicitur: *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti, vel Privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, Ordinans à Collatione Ordinum per annum & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

QUÆRITUR 14. Quale erat in primitiva Ecclesia Officium Diaconorum?

RESPONDEO. Eorum officium erat 1. Administrare bona Ecclesiæ. 2. gerere curam pro sustentatione viduarum, & virginum adscripta-

rum

rum servitio Ecclesiæ. 3. Gerere curam pauperum, qui alebantur ex bonis Ecclesiæ. 4. Esse manum & oculum Episcopi in delictis diœcesanorum inquirendis ac emendandis, & in omnibus negotiis publicis. 5. Gerere curam Christianorum incarceratorum, vel exiliatorum causa fidei. 6. Baptizare. 7. Prædicare. 8. In Sacrificio Missæ fidelibus Eucharistiam dispensare. 9. In Sacrificio Missæ Episcopo immediate ministrare; quæ omnia patent ex plurimus documentis primitivæ Ecclesiæ, v. g. Scriptura Act. 6. Authore Constitut. Apost. Ignatio M. Cypriano, Hieronymo, Eusebio, Socrate, Sozomeno, & conciliis illorum temporum.

Quæritur 15. Quænam sint observanda à Diacono circa administrationem baptismi?

Respondeo. De recta administratione baptismi videri possunt ea, quæ dicta sunt in Tractatu de Sacramento Baptismi?

Quæritur 16. An Diaconus possit etiam assistere matrimonio ex commissione Parochi?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia in Tridentino Concilio dicitur, quod matrimonio debeat assistere Parochus vel alius Sacerdos.

§. XVIII.

De Prædicatione Verbi divini?

Quæritur 1. An detur obligatio, singulis Dominicis & Festis prædicandi Verbum Dei?

Respondeo. Parochi tenentur, diebus Dominicis & festis solennibus singulis prædicare Verbum Dei, ita ut peccent mortaliter, si notabiliter hanc obligationem negligant. Id patet ex Tridentino, quod binis repetitis vicibus hanc obligationem sub gravibus pœnis inculcat. Sessione 5. celebrata sub Paulo III. C. 2. sic habet: „ Quia Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio, „ & hoc est præcipuum Episcoporum munus, „ statuit & decernit sancta Synodus, omnes Episcopos, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos „ teneri per seipsos, si legitime impediti non „ fuerint ad prædicandum Jesu Christi Evangelium. Si vero contigerit, Episcopos & alios „ prædictos legitimo detineri impedimento viros „ idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si „ quis autem hoc adimplere contempserit, di- „ strictæ subjaceat ultioni. Archipresbyteri „ quoque, Plebani, & quicunque parochiales „ vel alias curam animarum habentes Ecclesias „ quocunque modo obtinent, per se vel alios „ idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus „ saltem Dominicis & festis solennibus plebes si- „ bi commissas pro sua & earum capacite pascant „ salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando que eis cum brevitate & facilitate sermonis „ vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas „ sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Id „ vero, si quis eorum præstare negligat, pro- „ vida pastoralis Episcoporum sollicitudo non „ desit. — Itaque ubi ab Episcopo moniti trium „ mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam, si ei sic „ expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri; qui id præstet, honesta aliqua „ merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens Officium suum impleat." Idem confirmatur ab eodem Concilio Sess. 24. celebrata sub Pio IV. anno 1563. ubi C. 4. sic habet: „ Prædicationis munus cupiens S. Synodus, quo „ frequentius possit ad fidelium salutem, exerceri, Canones alias super hoc editos Sedente „ Paulo III. aptius præsentium temporum usui „ accommodando mandat, ut in Ecclesia sua ipsi „ (*Episcopi*) per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus „ assument, in aliis autem Ecclesiis per parochos, „ sive iis impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare tenentur vel solent, deputandos in civitate, aut in quacunque parte Diœcesis, censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus „ festis; tempore autem Jejuniorum Quadragesimæ, & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque „ legem annuntient, & alias, quotiescunque „ id opportune fieri posse judicaverint.

Quæritur 2. An non satisfit huic obligationi, si loco concionis alternis vicibus habetur Catechesis?

Respondeo. Generaliter loquendo non satisfit intentioni Patrum Concilii per Catechesin alternis vicibus.

Ratio est, quia Concilium simul cum Concione iisdem diebus Dominicis requirit Catechesin. Post præfata enim verba sic pergit: *Idem,* (Parochi) *etiam saltem Dominicis & aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus fit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent, non obstantibus, privilegiis & consuetudinibus.* Ita Concilium. Vana autem est quorundam excusatio, quod putent, utilius pro plebe rusticana tempore matutino haberi Catecheses, præsertim, quando multi parochianorum ex villis dissitis non possunt commode accedere ad Catecheses pomeridianas. Vanus planè est hic prætextus; nam inprimis possunt haberi conciones doctrinales, in quibus explicatur Catechismus Romanus, sicut utilissime fit à multis Parochis. Dein vero parochiani ex villis dissitis possunt iisdem diebus alternare, ita ut una pars, quæ fuit domi relicta ad custodiam domorum, tempore pomeridiano accedat ad Catechesin. Itaque sola Parochorum tepiditas plerumque in causa esse potest hujus alternationis Catechesium & Concionum. Aliud dicendum, si ob alias varias circumstantias Episcopus in Ecclesia particulari eam alternationem utiliorem duxerit.

Quæritur 3. An ulli Clericorum Regularium in Ecclesiis propriis vel alienis liceat prædicare sine consensu Episcopi?

Re-

RESPONDEO. Nulli etiam Regularium id licet sine consensu saltem tacito Episcopi. Id patet ex Tridentino, quod Sess. 24. C. 4. sic præcipit: *Nullus autem sæcularis sive regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat.* Idem statutum jam prius fuerat Sess. 5. C. 4. his verbis: „ Regulares cujuscun„ que Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, „ moribus, & scientia examinati & approbati, „ fuerint, ac de eorum licentia etiam in Eccle„ siis suorum Ordinum prædicare non possint. „ In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non „ sunt, ultra licentiam suorum Superiorum etiam „ Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua „ in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo „ modo prædicare possint. " Itaque hoc decretum ab initio latius in Sess. 24. restrictum est.

QUÆRITUR 4. An laicis aut Fœminis possit aliquando permitti facultas concionandi?

RESPONDEO. Id nunquam licite permitti potest.

RATIO est, quia Apostolus de mulieribus expresse scribit: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. - - Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* De laicis vero utriusque sexus indiscriminatim Gregorius IX. C. *Sicut in uno.* de Hæreticis, sic præcipit: „ Cum „ nonnulli Laici prædicare præsumant, & ve„ rendum nimis existat, ne vitia sub specie pie„ tatis subintrent; nos attendentes, quod Do„ ctorum Ordo est in Ecclesia Dei quasi præci„ puus, mandamus, cum alios Dominus Apo„ stolos dederit, alios Prophetas, alios vero „ Doctores, interdicas laicis universis cujuscun„ que ordinis censeantur, usurpare Officium „ prædicandi. " Hinc & Martinus V. inter interrogatoria ad probandam Bohemorum fidem etiam istud posuit: *Utrum credat, quod liceat laicis utriusque sexus, viris scilicet & mulieribus, libere prædicare verbum Dei?* Ratione vero deformitatem hujusmodi prædicationis optime demonstrat Gaspar Villalpandeus, Doctor Segoviensis in Oratione habita in Tridentino his verbis: „ Sa„ cerdotium (*fautores Protestantium*) maritis pe„ tunt, & concionandi facultatem efflagitant il„ lis viris, qui nullis sacris Ordinibus sunt ini„ tiati, contra Christianam œconomiam, con„ tra morem Ecclesiæ, contra summorum Pon„ tificum Decreta, contra sanctissimas leges in „ Conciliis generalibus latas, denique contra „ jus omne atque fas. Ita fiet ut laxatis semel „ solutisque institutis legibusque Christianis ma„ gna ad contemptum cæterorum omnium fene„ stra patefiat & universa disciplina Christiana „ sensim remittat vires.

QUÆRITUR 5. Quid potissimum Concionatori inculcatur à Tridentino cavendum aut observandum?

RESPONDEO. Inculcantur quinque. 1. Ut pro materia sumant *necessaria* dogmata ad salutem, tum *vitia & virtutes*, quibus infernus evitatur, & beatitudo obtinetur. 2. Ut sermo ejus sit *facilis*, id est, non sublimis ac captu difficilis. 3. Ut sermo ejus sit *brevis*, ne prolixitate fastidium creet. 4. Ne verbis Scripturæ abutatur ad *vana*, & *adulatoria*. Hæc tria puncta reperiuntur in textu supra relato q 1. Sess. 4. de quarto autem sic habet: „ S. Synodus teme„ ritatem illam reprimere volens, qua ad pro„ fana quæque convertuntur & torquentur ver„ ba & sententiæ sacræ Scripturæ, ad fabulosa „ scilicet, vana, adulationes, &c. mandat & „ præcipit, ad tollendam hujusmodi irreveren„ tiam & contemptum, ne de cætero quisquam „ quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc „ & similia audeat usurpare, ut omnes hujus ge„ neris homines, temeratores & violatores Ver„ bi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos „ coerceantur. " 5. Ne in concionibus proponantur quæstiones subtiles, aut historiæ, revelationes, vel miraculorum patrationes incertæ; ac universim reprædicentur ea, quæ speciem quæstus, superstitionis aut falsitatis habere possunt. Sess. 25. de Purgatorio & cultu Sanctorum sic statuit. „ Præcipit sancta Synodus Epi„ scopis, ut sanam de purgatorio doctrinam præ„ dicari diligenter studeant. Apud rudem vero „ plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, „ quæque ad ædificationem non faciunt, & ex „ quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à „ popularibus concionibus secludantur. Incer„ ta item, vel quæ specie falsi laborant, evul„ gari ac tractari non permittant. Ea vero quæ „ ad curiositatem quandam, aut superstitionem „ spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam „ scandala & fidelium offendicula prohibeant. - „ Statuit S. Synodus, nemini licere ullo in lo„ co vel Ecclesia ullam insolidam ponere, vel „ ponendam curare imaginem, nisi ab Episco„ po approbata fuerit; nulla etiam admittenda „ esse nova miracula, nec novas Reliquias reci„ piendas, nisi eodem recognoscente & appro„ bante Episcopo. " Dum hoc loco de non prædicandis novis miraculis sermo est, id intelligendum de iis miraculis, imaginibus, vel Reliquiis, inquantum ordinantur ad novum cultum, ex suo genere non consuetum in Ecclesia, aut circa cultum personæ nondum habentis cultum ex permissione positiva Ecclesiæ.

QUÆRITUR 6. Quænam requiruntur qualitates in Concionatore?

RESPONDEO. D. Franciscus Salesius in Epistola instructoria Concionatoris, quæ reperitur idiomate Italico edita inter varia Opuscula Benedicti XIII. §. 1. requirit tres qualitates. „ Nullus, inquit, assumat munus prædicandi, „ nisi in eo concurrant tres qualitates; nimirum, „ vita irreprehensibilis, scientia solida, & Mis„ sio legitima. - Quod attinet scientiam, re„ quiritur, ut sit sufficiens, non tamen requiri„ tur, ut sit excellens. S. Franciscus non erat „ doctus, erat tamen Concionator insignis. Et „ nostris temporibus S. Carolus Borromæus ha„ bebat scientiam valde mediocrem; nihilomi„ nus operabatur (concionando) mirabilia. Bo„ ni Concionatores concionando fiunt. Con„ cionator universim satis scit, si non velit vi„ deri scire plus, quam reipsa sciat. Si nescia„ mus loqui de mysterio Trinitatis, & de prin„ cipio Evangelii S. Joannis, reliquamus ista; „ non deerunt materiæ utiliores. Morum inte„ gritas tanta requiritur in Concionatore, quan„ tam

„ tam requirit S. Paulus in Episcopo: *Oportet* „ *Episcopum irreprehensibilem esse*. Hic vero ob- „ servo, non solum requiri, ut Episcopus & „ Concionator abstineant à peccato mortali, sed „ ut etiam caveant certa venialia, & certas „ actiones indifferentes. S. Bernardus dicit: „ *Nugæ sæcularium sunt blasphemiæ Clericorum*. Sæ- „ cularis poterit ludere, venari, noctu exire „ ad conversationem, & hoc non est reprehen- „ sibile, quia si hæc omnia fiant causa recrea- „ tionis, non sunt peccata. Sed in Episcopo, „ in Concionatore, nisi hæ actiones sint vestitæ „ centum millibus circumstantiarum, quæ diffi- „ culter possunt concurrere, sunt scandala, & „ quidem magna scandala. Exinde enim solent „ homines dicere: ducunt dies bonos; vivunt „ delitiose, quantum possunt. Si contingat, „ ejusmodi Episcopum (Concionatorem) exhor- „ tari ad mortificationem, irridebitur. Non „ velim hoc dicere, illicitum esse, una vel al- „ tera vice per mensem recreationis causa inire „ ludum valde honestum; sed fieri oportet cum „ magna circumspectione. Venatio autem to- „ taliter illicita, uti etiam superfluæ expensæ in „ convivia, vestes, libros. In sæcularibus ista „ vocari possunt superfluitates; in Episcopis „ (& concionatoribus) sunt ingentia peccata. -- „ Quomodo enim in sæcularibus poterimus cor- „ rigere superfluitates, si consimiles conspiciant „ in nobis? Ita D. Salesius.

QUÆRITUR 7. Quem finem Concionator sibi constituere debeat?

RESPONDEO. Præter intentionem generalem promovendi gloriam divinam per traductionem animarum in vitam beatam, observat D. Salesius l. c. communiter tres assignari fines particulares, ac immediatos, quos Orator perpetuo præ oculis habere debet, nimirum *ut doceat, ut moveat, ut delectet*. Ipse vero priores duos fines, ut *intellectus illustretur*, & *voluntas accendatur*, sic admittit, ut tertium penitus rejiciat, nisi inquantum delectatio in ipsa illustratione intellectus, & inflammatione voluntatis involvitur. „ Scio, inquit, juxta multos tertium Concio- „ natoris munus esse, *ut delectet*. Ego vero di- „ stinquo: Est enim delectatio per se consequens „ ad instructionem intellectus, & motionem vo- „ luntatis. Quis enim non delectetur discendo „ viam in paradisum? Et quis non sentiat con- „ solationem ex amore Dei? Ut hoc modo Con- „ cionator delectet, omni diligentia incumben- „ dum est. Sed hæc delectatio non est distincta „ ab ea, quæ per se consequitur ex *instructione*, „ & *motione*. Est autem aliud genus delectatio- „ nis, quod non dependet ab instructione, & „ motione, sed eam potius impedit. Illa enim „ consistit in certa quadam titillatione aurium, „ quæ provenit ex elegantiis profanis ac mun- „ danis, ex pabulo curiositatis, ex concinnita- „ te, ac lepore argutiarum, ex selectu verbo- „ rum & phrasium, quæ omnia consistunt in ar- „ tificio. De hac oblectatione auditorum ro- „ tunde dico, eam à Concionatore sectandam „ aut adhibendam non esse; est enim propria „ Oratorum sæcularium, Mimorum, & Histrio-

„ num. Qui hoc modo prædicant, non prædi- „ cant Christum sed seipsos. *Non sectamur lenoci-* „ *nia Rhetorum, sed veritates piscatorum*. S. Paulus „ detestatur auditores *prurientes auribus*, conse- „ quenter etiam Concionatores mancipia pru- „ rientium. Hæc omnia sunt puerilia. Nolim, „ ut exeuntes ex Ecclesia dicant: O quantus est „ iste Concionator! quam doctus est! quam elo- „ quenter dixit! velim potius audire, quam „ necessaria est pœnitentia! quam bonus est „ Deus! quàm justus &c.

QUÆRITUR 8. An pro Concione adhiberi etiam possint historiæ profanæ, fabulæ poetarum & historia naturalis?

RESPONDEO. D. Salesius l. c. §. 3. loquens de materia concionis dicit: „ Historiæ profanæ „ sunt bonæ; sed non aliter adhibendæ, quam „ fungi, hoc est, *raro*, præcise quantum ne- „ cesse est *ad excitandum appetitum*, & non nisi bene „ *præparatæ*. Separanda enim sunt reprehensibi- „ lia actionum gentilium ab iis, quæ ad virtu- „ tes Evangelicas accommodari possunt. Sic „ loquendo de fortitudine Cæsaris separanda est „ ambitio; & ubi sermo est de valore Alexan- „ dri, resecanda est vanitas, temeritas, super- „ bia: & à castitate Lucretiæ proscribenda de- „ speratio. De Fabulis Poetarum nihil omnino „ usurpandum est, nisi apposite, & ea brevita- „ tate ac circumspectione, ut serviat pro anti- „ doto, & palam fiat, non fieri ejusmodi rerum „ professionem. Testimoniis Poetarum aliquan- „ do Sancti Doctores usi sunt; sed de fabulis „ Poetarum nunquam in Sermonibus Sanctorum „ Patrum me quidpiam legisse memini, nisi se- „ mel. Hinc repeto; fabulæ poetarum aut om- „ nino nunquam adhibendæ sunt, aut tam raro, „ ut quasi pro nunquam adhibitis haberi possint. „ Historia naturalis optime immiscetur, quia „ totus mundus liber est, continens verbum „ Dei.

QUÆRITUR 9. Quid observandum Concionatori circa Historias, miracula & revelationes, quæ reperiuntur in variis libris?

RESPONDEO. Hoc observandum est Concionatori, ne referat historias, & revelationes, aliunde non verosimiles, ex authoribus obscuri nominis, quorum nulla apud doctos reperitur magna æstimatio. Ita S. Salesius monet l. c. *Præ omnibus*, inquit, *utatur Concionator magna cautela, ut referat miracula non vera, historias ridiculas, uti certas visiones desumptas ex authoribus exigui nominis; caveat etiam à referendis rebus indecentibus, quæ vile reddere possunt ministerium nostrum*.

QUÆRITUR 10. Quid à Concionatore observandum circa sensum textuum Scripturæ Litteralem?

RESPONDEO. Debent observari tres Regulæ. Primam tradit Concilium Tridentinum, ne videlicet proferat expositionem contra unanimem explicationem veterum. Sess. 4. de Scripturis sic decernit: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum contra unanimem consensum Patrum Scripturam Sacram interpretari audeat*. Secundam & tertiam Regulam tradit D. Salesius l. c. „ Quando, in- „ quit, reperitur diversitas opinionum inter SS.

„ Patres, & Doctores, silentio prætereundæ „ sunt illæ, quæ possunt trahi in controversiam; quia Cathedra non conscenditur, ut „ disputetur contra Patres & Doctores Catholicos. Possunt quidem referri multæ expositiones laudando singulas, sed non referendæ „ illæ, quæ non sunt probabiles. Si præterita „ Quadragesima feci sex expositiones Patrum „ circa illa verba: *Dicite, quia servi inutiles sumus*; „ ubi ex qualibet expositione eduxi bonas illationes; sed, quantum recordor, tacui de expositione S. Hilarii. Quod si de ea non tacui, „ erravi, quia non erat probabilis.

Quæritur 11. Quomodo à Concionatore tractandus Sensus Scripturæ Allegoricus?

Respondeo. D. Salesius l. c. tradit quinque regulas Concionatoribus summopere inculcandas. Postquam enim explicaverat, quid sit sensus Allegoricus, qui nihil aliud est, quam *præfigurativus*, sic scribit: „ Circa sensum Allegoricum Concionator observet quinque regulas. 1. Allegoria non sit coacta, sicut faciunt illi, qui ex omni re, in textibus Scripturæ reperibili, faciunt Allegoriam. Requiritur enim, ut sit valde naturalis, atque ut „ ultro sequatur ex sensu litterali; sicut fecit D. „ Paulus, qui per Esau & Jacob præfiguratum „ dicit populum Judaicum & Gentilem; & per „ Sion ac Jerusalem præfiguratam testatur Ecclesiam. 2. Ubi non clare apparet, quod una „ res sit figura alterius, non debet admitti pro „ figura; sed est præcise adducenda per modum „ comparationis. Exempli causa, Juniperus, „ sub qua indormiit Elias, à multis explicatur „ allegorice de Cruce; sed mihi videretur melius dici sic: Sicut Elias indormiit sub Junipero, sic nos debemus quiescere sub Cruce „ Domini mediante somno sanctæ meditationis: „ Non autem dicatur, quod Elias fuerit Symbolum Christiani, & Juniperus Crucis. Nolim spondere, unum fuisse figuram alterius; „ possum autem comparare unum cum altero; „ & sic discursus erit magis solidus ac securus. 3. „ Requiritur, ut allegoria sit congrua & accommodata dispositioni audientium, ne exinde „ sumant scandalum, aut periculum. In hoc „ errant multi. Sic aliqui eruunt sensum allegoricum ex illo textu: *Si habuerint inter se jurgium „ viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volens uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manus, & apprehenderit verenda ejus, „ abscindes manum illius.* Dicunt, quod hoc significet imprudentiam Synagogæ, dum Gentilibus exprobat eorum originem. Hæc interpretatio potest aliquo modo habere apparentiam; sed non est conveniens, quia potest „ excitare periculosam imaginationem in animo „ Auditorum. 4. Allegoria non debet esse nimis „ longa; quia prolixitas tollit elegantiam, & „ inducit quandam speciem affectationis. 5. Proponenda est Allegoria clare, & cum judicio, „ assimilando unam partem cum altera. Ita D. „ Salesius, qui addit, easdem ferme regulas observandas esse circa sensum *Anagogicum*, quo „ præfigurantur futuræ vitæ gaudia, & circa sensum *Tropologicum*, quo præfigurantur honestas „ vel inhonestas morum. In omnibus enim istis „ tribus sensibus intercedit locutio *muta*, *figuralis*, seu *præfiguralis*, quatenus *non per verba*, sed „ *per res & per actiones* seu *facta* significantur aut „ mysteria Ecclesiæ, aut futuræ vitæ beatitudo, „ aut directiones morum.

Quæritur 12. Quæ norma Concionatori tenenda circa textus Patrum, & Conciliorum?

Respondeo. D. Salesius l. c. in his textibus tres conditiones requirit: 1. Ut sint breves. 2. Ut contineant aliquid acuminis & ingenii. 3. Ut convenienter probent intentum. „ Sententiæ Patrum & Conciliorum, inquit; rarissime „ adhibendæ sunt: nisi fuerint *breves*, *acutæ*, & „ *concludentes*. Concionatores, qui allegant textus valde longos, languidum reddunt fervorem orationis, & minus attentos reddunt auditores, seque ipsos exponunt periculo lapsus „ memoriæ. Sententiæ breves, & acutæ v. g. „ sunt illæ D. Augustini: *Qui fecit te sine te, non „ salvabit te sine te.* Et altera: *Qui pœnitentibus veniam promisit, tempus pœnitendi non promisit.* Sed „ postquam allegatæ fuerunt in latino, declarandæ sunt idiomate vulgari, & monstranda „ emphasis faciendo desuper paraphrasin, easque diducendo cum vivacitate & spiritu. " Ita D. Salesius. Addi posset & quarta conditio. *Ne allegentur ejusmodi textus in probationem, ubi nulla opus est probatione.* Si enim propositio Concionatoris per se est evidens, aut certa, ut à nullo auditorum revocetur in dubium, v. g. quod omnes moriamur, quod virtus sit colenda, &c. frustraneæ sunt probationes ex authoritate. In hujusmodi non sunt afferenda argumenta; sed tantum motiva directiva ad illationes practicas, eaque sic comparata, ut vel contineant novam rationem ad persuadendam praxin, aut specialem directionem circa modum practicum, aut acumen elegans ad figendam circa objecta agnita memoriam; prout præstare solet D. Chrysostomus.

Quæritur 13. Quæ regulæ sunt observandæ in adducendis exemplis?

Respondeo. D. Salesius l. c. requirit sequentes, 1. „ Non sint nimis generalia, quæ „ diversis materiis applicari possint, seu, ut dici solet, *de communi plurium*; sed sint *propria* illi, „ quæ tractatur, materiæ. 2. Proponantur in „ loco orationis opportuno, ubi exigitur aliqua „ intensionis remissio. 3. Applicentur bene ad „ particularia. 4. Seligantur elegantia, quæ in „ attentionem trahant phantasiam, & jam alias „ celebria apud authores in Ecclesia famosos, „ probatos, ac circumspectos in discernendis fabulosis à veris. 5. Narrentur clare ac distincte. 6. Applicentur cum vivacitate, sicut „ faciunt Patres, ubi in exemplum proponunt „ obedientiam ac Sacrificium Abrahami. 7. Non „ immisceantur descriptiones inutiles ad scopum, „ ad motum videlicet, vel instructionem. Sic „ enim facere solent quidam Tyrones, qui, ubi „ proponere deberent historiam connaturali ordine, idonee ad eliciendum fructum, se in „ præfato exemplo detinent per descriptionem „ pulchritudinis Isaac, gladii acuti Abrahami, „ cir-

„ circultus loci, & hujusmodi ineptiarum. 8. „ Nec fint nimis brevia, quin fufficiant ad penetrandum, nec nimis longa, ut creent tædium. 9. Non introducantur colloquia, nifi, „ ubi exemplum eft ex Scriptura, fumantur ex „ ipfa Scriptura; aut fi aliunde fumuntur, fint „ *probabiliffima*, *nec longa*. Sic in præfato exemplo non convenienter introduceretur Ifaac lamentans fupra altare, & paternam pietatem „ implorans ad effugiendam mortem; nec bene „ exhiberetur Abramus titubans, & querulans. „ 10. Præ aliis majorem vim habent exempla „ Sanctorum, præfertim qui vixerunt in Provincia, in qua prædicatur.

Quæritur 14. Quid notandum circa Similitudines?

Respondeo. D. Salefius l. c. requirit 1. ut proponantur decenter & decore, non per imitationem mimicam aut hiftrionicam. 2. Ne objecta, unde fumantur fimilitudinis, fint nimis abjecta & vilia. 3. Ne contineant objecta incongrua modeftiæ. Idem fummopere commendat fimilitudines deductas ex textibus Scripturæ; & obfervat omnes textus, in quibus continetur verbum metaphoricum, aut alludens ad aliquam actionem humanam vel naturalem, ad eruendam fimilitudinem fervire poffe. Exempla adducit in tribus textibus. 1. *Periit memoria eorum cum fonitu*, ficut perit memoria vitri cum ftrepitu, dum frangitur, aut ficut evanefcit memoria divitum cum pulfu campanarum ad eorum fepulturam. 2. *Factus eft velut æs fonans, & cymbalum tinniens*, ficut faciunt alios vocantes ad Ecclefiam, vel pietatem, inftar campanarum, ipfi vero non accedentes aut operantes. 3. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatafti cor meum*, ubi verbum *currere*, & *dilatare* fumitur metaphorice. In his ergo refpiciendum eft ad varias res, quæ velociter currunt, aut dilatantur v. g. ad vela à fecundo vento dilatata, quæ promovent curfum navis.

Quæritur 15. Quid notandum circa divifionem materiæ?

Respondeo. D. Salefius l. c. §. 4. circa divifionem materiæ tradit tria fequentia documenta. 1. Divifio materiæ appareat auditoribus aperte. 2. In doctrinalibus primo compareat Scriptura; fecundo loco confiftant rationes; tertio fimilitudines, quarta in ftatione collocentur exempla. 3. Prima Concionis pars inftruat; fecunda moveat. Circa primum fic fcribit: *In Concione nihil magis neceffarium, quam Methodus, feu tractandorum Ordo. Hic juvat Concionatorem; reddit concionem utiliorem, imo & gratiorem audienti. Ego vero judico, apertum illum effe debere, non occultum; prout multi faciunt, qui fummæ artis æftimant, fi nemo eorum affequatur Ordinem. Ad quid enim fervit Ordo, fi non appareat, & non agnofcatur?* Idem l. c. tradit varias divifionum formulas in hiftoricis & doctrinalibus, quarum tamen exempla facile haberi poffunt in authoribus impreffis. *In hiftoriis* facris dicit confiderari poffe perfonas intervenientes, & cuivis jungi reflectionem moralem. 2. Poffe confiderari circumftantias comprehenfas illo verficulo; Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? quarum trium formularum fingulæ ferviunt pro divifione totius Concionis. 4. Poft brevem enarrationem hiftoriæ poffe elici tres aut quatuor confiderationes, quid exinde credendum? quid fperandum? quid amandum? quid imitandum? In doctrinalibus poffe. 1. Ex aliquo textu erui illam virtutem, de qua agendum. 2. Confiderandum, in quo illa virtus confiftat: 3. Quæ illius figna? 4. Qui effectus? 5. Quomodo aquiratur. 6. Quo modo exerceatur? Aliam divifionis formam præbet, fi confideratur 1. Virtutis honeftas. 2. Utilitas. 3. Delectabilitas. Tertia divifionis forma eft; fi 1. tractetur de bono virtutis. 2. De malo vitii oppofiti. Quando fumitur textus ex Evangelio placet illi & ifta methodus, ut paraphrafi brevi ab initio exponantur reliquæ fententiæ Evangelii, ac dein uni infiftatur.

Quæritur 16. Qualis debeat effe forma Concionis?

Respondeo. D. Salefius l. c. §. 5. quinque utiliffima tradit documenta. Nam. 1. vitari jubet longas periodos, quas vocat *juveniles*, & *fcholares* ineptias. 2. Vult refecari proemia feu præambula concionum, & vana ornamenta. 3. Cenfet, nunquam adulandum effe auditoribus, etiamfi forent Reges, Principes, aut Papæ. Admittit tamen, in principio Prædicaturæ adhiberi poffe prima vice quosdam terminos idoneos ad captandam benevolentiam, quibus exprimitur defiderium promovendi falutem auditorum, aut quibus faufta benedictione bene precatur auditoribus. Illæ autem expreffiones debent effe breves, cordiales, & non affectatæ. 4. Finia concioni imponendus eft expreffionibus emphaticis & fervidis. Confulit autem, ejusmodi recapitulationem fervidam non folum fieri in fine concionis, fed etiam fub ipfo difcurfu fæpius, ubi per modum claufulæ paucis verbis ferventiffimis, ac plenis fpiritu finiendæ partes orationis fingulæ, ac notabiles. 5. Arceat à Cathedris oftentationem ex verbis græcis, Hebraicis, novis, aut alias affectatis.

Quæritur 17. Quid commendandum Concionatori circa actionem?

Respondeo. D. Salefius l. c. docet, quod Actio debeat effe 1. *libera*, 2. *nobilis*. 3. *generofa*. 4. *naturalis*. 5. *fortis & intrepida*. 5. *fancta*. 6. *gravis*. 7. *non feftina*. „ Actio, inquit, debet „ effe *libera*, quatenus opponitur coactæ & af„ fectatæ, quæ eft propria juvenum in Scholis. „ Debet effe *nobilis* ad excludendam quorundam „ actionem rufticam, qui ex profeffo complo„ dunt manibus; terunt pede, incumbunt pe„ ctore cathedræ, clamant, & gladiantur incon„ dite, etiam in propofitionibus quibus via nul„ lam continentibus emphafin, nec pofcenti„ bus affectum extraordinarium aut vehemen„ tiam. Dixi etiam, quod debeat effe *generofa*, „ ut evitetur timida quorundam actio, qui lo„ quuntur non aliter, ac folent loqui filii paren„ tibus, non vero tanquam filiis, & difcipulis. „ *Naturalis* effe debet ad excludendam omnem „ affectationem. *Fortis & intrepida* ad infinuan-

 „ dum

„ dum, ne sit nimis languida, & imbellis. *San-*
„ *cta* esse debet, ut excludatur omnis forma &
„ adulatio aulica & sæcularis. *Gravis* sit, ut ex-
„ cludatur actio histrionica exhibendo miras re-
„ verentias, tenendo fixos oculos, extenden-
„ do brachia, convolvendo supercilia, & hujus-
„ modi. Denique *nec* sit *festina*, ut declinetur
„ certus quidam modus actionis concitatæ, ac
„ velocis, quæ magis ferit oculos, quam men-
„ tem. "

QUÆRITUR 18. Quid inculcandum Concionatori circa pronuntiationem?

RESPONDEO. D. Salesius l. c. docet; eadem ferme observanda esse circa pronuntiationem, quæ fuerunt dicta circa actionem; debet enim esse *clara*, *elegans*, *naturalis*, & *sine affectatione*. Ea vero omnia tunc obtinenda affirmat, si Concionator loquatur confidenter, & intelligenter, & ex animi sinceri sententia, non more puerorum, qui orationem discunt memoriter, quam deproperant tono & stylo recitativo. *Optimum*, inquit, in hoc genere *artificium est*, *nullo uti artificio. Verba non tumultuent exclamationibus & actionibus inconditis*, *sed ardeant amore interno*, *exeant potius ex corde*, *quam ex ore. Dicam paucis: Cor loquitur cordi*, *lingua auribus.* Ita Salesius.

QUÆRITUR 19. An præferendæ sint conciones longæ brevibus?

RESPONDEO. Loquendo de Ordinariis D. Salesius præfert breves. *Semper*, inquit l. c. *est melius*, *concionem esse brevem*, *quam longam*; *in quo ego quidem hactenus erravi*, *sed volo me emendare*, *dummodo duret saltem per mediam horam*, *non est nimis brevis.* Hæc regula D. Salesii sapientissima est, ubi vel nimius æstus cruciat auditores, sicut in Italia, vel nimium frigus, sicut hyeme in Germania, præsertim in Ecclesiis ruralibus, ubi intersunt omnes parochiani senes, pueri, infantes, pauperes &c. quandoque miserrime vestiti. Præterea Parochi id exinde consequentur commodi, ut omnibus Dominicis & festis facilius concione fervida mane excitent torporem ac oblivionem parochianorum, & tempore pomeridiano omnibus Dominicis insistant Catechesibus.

QUÆRITUR 20. Qualis Concioni præmittenda præparatio?

RESPONDEO. D. Carolus Borromæus in *Instructione Concionatorum*, quæ habetur Actorum Mediolanensium part. 2. commendat sequentes præparationes. 1. *Renovet in se memoriam de gravissima obligatione Concionatoris*, cui Christus pascendas utili salutis verbo commisit suas oviculas; & cogitet, ab hujus concionis fervore vel torpore dependere posse multorum peccatorum commissionem vel omissionem; imo & plurium animarum salvationem vel perditionem. 2. Petat à Deo has duas gratias; *primo*, ne moveatur ullo laudis vel gloriæ studio, sed intentionis oculum in solius Dei gloriam, & majorem animarum utilitatem immotum defigat. *secundo*, ut in hos fines ardeat. 3. Antequam se componendæ, vel præparandæ concioni accingat, expurget, si necesse fuerit, conscientiam; ne & illi contingat, quod Psal. 49. legitur: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* 4. Imitetur D. Thomam, & alios Sanctos, qui, antequam se darent studiis, religiosa aliqua precatioe usi sunt. 5. Quod concionaturus est, postquam singulas concionis partes ordinate jam disposuit, coram devota imagine crucifixi vel SSmi. affectuose meditetur, ut concipiat ipsemet affectum in se & pro se, quem ingenerare cupit auditoribus. 6. Die præcedente prece fervida, vel actu mortificationis, abstinentiæ, pœnitentiæ pro obtinendo fructu concionem Deo commendet. 7. Quoniam ad commovendos affectus plerumque parum valet concio alieno labore conscripta, nunquam ad affectionum excogitationem aliena industria utetur; affectus ipsemet suo ingenio concipiet ac gignet, quo vehementius prius se, dein alios afficiat.

QUÆRITUR 21. Quid vitandum vel observandum circa vitiorum aut personarum reprehensionem?

RESPONDEO. D. Carolus Borromæus l. c. tradit sequentia documenta. 1. Concionator ne quemquam nominatim insectetur, vel ita verbis depingat, ut, de quo loquatur, facile possit auditor intelligere. 2. Ne in Ordinem ullum, aut Statum, aut vitæ genus ab Ecclesia receptum invehatur. 3. Ne Episcopos, aliosve Prælatos, nec civiles Magistratus in concione asperius objurget; sed si quando occasio tulerit, pie potius admoneat. 4. Ne cum reprehendit, id hominum, sed peccatorum odio, imo pietatis & charitatis studio ductus faciat. 5. Ne vitiis exagitandis quasi furenter iratus excandescat nimis. 6. Ne injuriosa verba proferat, neve ignominiosa. 7. Ne obtrectationibus, & querimoniis, quæ aliquando fiunt, de suggestu respondeat. 8. Ne de suggestu unquam conqueratur, sibi non adesse coronam frequentium auditorum. Reprehendat tamen, licet, præsertim Parochus, negligentiam populi, si quando non frequens ad concionem convenit. 9. Ne aures facile præbeat laicis Clericorum vitæ detrahentibus, aut civitatis Rectorum Præsidumque culpam calumniantibus; sed omnia diligenter, diuque perpendat, quam ad reprehensionem defcendat. 10. Ne statim cum concionari aggressus est, sed postquam aliquod concionibus habitis, prudentis, docti, & religiosi concionatoris nomen adeptus est, ad vitia acrius insectanda se conferat. D. Salesius l. supra c. §. 5. etiam erga hæreticos vult exhiberi mansuetudinem. *Mihi*, inquit, *magis placet concio*, *quæ potius monstrat amorem*, *quam indignationem erga populum*, *etiam tunc*, *quando prædicatio fit Hugonotis* (Calvinistis), *erga quos gerere oportet immensam compassionem*, *non iis adulando*, *sed eorundem statum deplorando.*

QUÆRITUR 22. A quibus rebus in concione commemorandis potissimum abstinendum?

RESPONDEO. D. Carolus Borromæus l.c. ponit sequentia. 1. Ne Indulgentias populo promulget, nisi ut per Episcopum jussus erit. 2. Ne pauperem eleemosinæ commendet, nisi Episcopi ejusve Ministrorum authoritate. 3. Subtiliores quæstiones apud imperitam multitudinem ne attingat. 4. Hæreticorum ne quidem nomina in vulgus proferat, nisi ubi in finitimis locis

locis nota, & refutanda fuerint. 5. Ne facetias, ridiculeve dicta afferat. 6. Ne quidquam cum perpetuo Ecclesiæ usu & probatis doctoribus non consentiens proferat. 7. Ne historias ex Apocryphis Scriptoribus narret. 8. Ne vulgaria ac minus comprobata, cum de Sancto concionatur, in medium afferat; sed quæ vera, graviumque virorum litteris prodita fidem augent, & mentes ad pietatis studium intendunt. 9. Ne miracula narret, quæ certi authoris testimonio non commendentur. 10. Ne incerta, quæve speciem falsi præseferunt, commemoret. 11. Ne futurorum prædicationem sibi sumat. 12. Ne Patrum sententiam temere unquam refutet. 13. Ne singulares opiniones, quamvis in Scholis afferantur, ad concionem adhibeat. 14. Ne Doctores & Authores Neotericos in medium afferat; ea est enim Suggesti authoritas, ut S. Scripturam in primis, & Sanctorum veterum Patrum doctrinam requirat. 15. Ne profanum quidquam vel Edicta laicalia è Suggestu enuntiet. 16. Ne res supervacaneas vel parum fructuosas afferat. Hucusque D. Carolus, ad cujus hoc postremum monitum haud dubie pertinent ingeniosi conceptus, encomia Ordinum, monasteriorum Origines, Personarum viventium profanæ laudes, &c. ex quibus omnibus nil eruitur fructus in populum, aut certe exiguum. Hinc merito se prius indulsisse ejusmodi vanis Conceptibus dolet & lamentatur Barzias, concionator eximius, in Præfat. Excitatorii.

§. XIX.

De Presbyteratus natura.

QUÆRITUR 1. Quid est Presbyterátus?

RESPONDEO. Est Ordo sacer, quo confertur potestas in corpus Christi physicum per ejus oblationem, & in corpus illius mysticum per delictorum remissionem.

QUÆRITUR 2. Quænam est materia Presbyteratus?

RESPONDEO. Assignari solet à Theologis duplex; nimirum *Impositio manuum*, & *traditio Instrumentorum*, calicis videlicet cum vino & aqua, & Patenæ cum Hostia, nondum consecratis.

QUÆRITUR 3. Quænam sit forma Presbyteratus? & quæ essentialis?

RESPONDEO. Forma Presbyteratus sunt illa verba, quibus traditur potestas offerendi Sacrificium Dominici corporis & sanguinis, nec non remittendi peccata. Ad primam impositionem manuum nulla à Pontifice proferuntur verba absoluta sed tantum *deprecatoria*, ac invocatoria, quibus Pontifex petit adventum Spiritus sancti in suscipientes Presbyteratum. In traditione vero Instrumentorum Pontifex dicit: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis; In nomine Domini.* Tandem in impositione manuum postrema, quando confertur potestas remittendi peccata, Pontifex dicit: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Utrum vero prima impositio manuum cum formula deprecatoria, an vero traditio Instrumentorum cum correspondente forma sit materia & forma essentialis Presbyteratus, in dubium revocant cum P. Canali quidam alii Theologi. Illud saltem pro certo videtur tenendum, tam impositionem primam manuum, quam traditionem Instrumentorum cum correspondentibus formulis requiri ad valorem Sacramenti, quia Ecclesia latina nunc alligat suam intentionem conferendi actu Spiritum sanctum etiam traditioni Instrumentorum. Hinc posset dici, impositionem manuum cum traditione Instrumentorum, non obstante, quod interrumpantur cæremoniis quibusdam intermediis dispositivis ad traditionem congruam Instrumentorum, in æstimatione morali coordinari ad invicem, & constituere materiam adæquatam; & consimiliter formam deprecativam ordinari ad absolutam.

QUÆRITUR 4. An requiritur attactus physicus Instrumentorum ad valorem Ordinationis?

RESPONDEO. Juxta communiorem Theologorum requiritur attactus physicus. Hinc, si per incuriam fuisset omissus, deberet sub conditione suppleri essentialis materia & forma Presbyteratus, ne tot consecrationes, & absolutiones exponantur periculo nullitatis cum grandi periculo animarum.

QUÆRITUR 5. An potestas dimittendi peccata potest ab Ecclesia conferri sine potestate consecrandi, & vicissim.

RESPONDEO. Censuerunt quidem antiquitus aliqui, Ecclesiam actu contulisse Diaconis potestatem absolvendi in casu necessitatis; sed communis doctrina tenet, Ecclesiam nunquam divisim contulisse potestatem absolvendi à potestate consecrandi; & quod nunc Ecclesia nolit conferre potestatem absolvendi separatim à potestate consecrandi, certum videtur ex universali praxi ac sensu Ecclesiæ.

QUÆRITUR 6. Quales adhibentur cæremoniæ in collatione Presbyteratus?

RESPONDEO. In Pontificali Romano exprimuntur sequentes.

1. Post *Tractum* Missæ ante Evangelium vocantur nominetenus Presbyterandi.

2. Ordinandi comparent in modum coronæ coram Pontifice induti Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Manipulo, tenentes super brachium sinistrum Planetas complicatas, & in manu dextera candelas.

3. Præsentantur ab Archidiacono Pontifici, qui interrogat: *Scis, illos esse dignos?*

4. Responsione accepta ab Archidiacono, Pontifex facit proclamationem ad populum his verbis: „ Quoniam Rectori navis, & navigio „ deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel „ communis timoris, par eorum debet esse sen„ tentia, quorum causa communis existit. Ne„ que enim frustra fuit à Patribus institutum, „ ut de electione illorum, qui ad regimen Al„ taris adhibendi sunt, consulatur etiam popu„ lus, quia de vita & conversatione præsentan„ di, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, „ scitur à paucis, & necesse est, ut facilius ei „ quis obedientiam exhibeat Ordinato, cui as„ sensum

„ sensum præbuerit ordinando. -- Si quia igitur „ habet aliquid contra illos (ordinandos), pro „ Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & „ dicat &c.

„ 5. Dein admonet Pontifex Ordinandos de „ sublimitate status suscipiendi, dicens: Consecrandi, filii dilectissimi in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum „ laudabiliter exequi studestis: Sacerdotem etenim oportet *offerre*, *benedicere*, *præesse*, *prædicare*, & *baptizare*. Cum magno quippe timore „ ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut *cœlestis sapientia*, *probi mores*, & „ *diuturna justitiæ observatio* ad id electos comendent. -- Tales esse studeatis, ut (sicut Moyses septuaginta senes in adjutorium elegit) in „ adjutorium Episcoporum digne eligi valeatis -- „ Itaque quos *ad nostrum adjutorium* fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris *castæ & Sanctæ vitæ* integritatem. *Agnoscite, quod agitis. Imitamini* „ quod tractatis; quatenus mortis Dominicæ „ mysterium celebrantes mortificare membra vestra à vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis. Sit *doctrina* vestra *spiritualis medicina* populo Dei. Sit *odor vitæ* vestræ *delectamentum* „ *Ecclesiæ* Christi, ut prædicatione atque exemplo *ædificetis Domum*, id est, familiam Dei &c.

6. Si non adfuerunt Subdiaconi, vel Diaconi, dicuntur Litaniæ. Si vero jam dictæ sunt, statim post exhortationem genuflectunt bini & bini coram Pontifice, qui imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi, nihil dicens. Idemque faciunt post eum Sacerdotes, qui adsunt. Quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos, & Pontifex dicit: Oremus, fratres chariſſimi, Deum, ut super hos famulos cœlestia dona multiplicet &c. *Exaudi nos quæsumus Domine Deus noster, & super hos famulos tuos bene ✠ dictionem sancti Spiritus & gratiæ sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum.*

7. Tum Pontifex extensis manibus ante pectus per modum Præfationis invocat divinam gratiam in Ordinandos. Inter alia dicit: „ *Da* „ *quæsumus* omnipotens Pater in hos famulos „ tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum *Spiritum sanctitatis*, ut acceptum à „ te, Deus, *secundi meriti munus* obtineant, *censuramque morum* exemplo suæ conversationis „ *insinuent*. Sint *providi cooperatores Ordinis nostri*; „ eluceat in eis *totius forma justitiæ*, ut bonam *rationem dispensationis* sibi creditæ redditturi, æternæ beatitudinis præmia consequantur.

8. Post hanc Præfationem cantatam Pontifex sumit Stolam Ordinandi, eamque collocat ante pectus in formam crucis, dicens; *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.*

9. Postea imponit Pontifex cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet super humeros teneat complicatam, à parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens: „ *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem & opus perfectum.*

10. Pontifex denuo recitat orationem invocatoriam gratiæ pro Ordinandis, ubi dicit: „ Deus, cujus vera consecratio est, super hos „ famulos tuos munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum, & *censura vivendi* probent se *seniores* his instituti disciplinis, quas „ Tito & Timotheo Paulus exposuit; ut in lege „ tua *die ac nocte meditantes*, quod legerint, credant; *quod crediderint, doceant*; quod docuerint, imitentur; justitiam constantiam, misericordiam, fortitudinem, cæterasque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, & purum & immaculatum ministerii sui donum custodiant, & *per* „ *obsequium plebis tuæ* panem & vinum in corpus & „ sanguinem Filii tui immaculata benedictione „ *transforment*, & inviolabili charitate *in virum* „ *perfectum*, in mensuram ætatis plenitudinis „ Christi in die justi & æterni judicii Dei conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eundem Dominum &c.

11. Tunc Pontifex incipit Hymnum: *Veni Creator Spiritus, &c.*

12. Tunc finito Hymno singuli Ordinandi successive coram Pontifice genua flectunt, & Pontifex cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas in modum crucis, ungendo mox totaliter palmas; dicens, dum quemlibet inungit: *Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem, & nostram bene ✠ dictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque consecraverint, consecrentur & sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi*, & quilibet Ordinandus respondet. *Amen.* Tum Pontifex claudit & jungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis Ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram alligat, & mox unusquisque ad ordinem suum redit, & sic clausas & alligatas manus tenet.

13. Tunc Pontifex tradit cuilibet successive Calicem cum vino & aqua, & patenam superpositam cum Hostia, & ipsi illam accipiunt inter Indices & medios digitos, & cupam Calicis & Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente: *Accipe potestatem offerre &c.*

14. Dein pergitur à Pontifice in Missa. Unus ex Diaconis noviter ordinatis cantat Evangelium. Tempore Offertorii Ordinati possunt cum mica panis & aqua bene mundare manus, & extergere mappulis, quibus ligatæ erant. Dein bini & bini offerunt Pontifici in Faldistorio candelas accensas, & osculantur ejus manum; quod etiam post Presbiteros faciunt Diaconi & alii suo Ordine.

15. Oblato Offertorio Ordinati post Pontificem hinc inde genuflexi ex Missali una cum Pontifice recitant totam Missam incipientes à *Suscipe sancte Pater &c.* Post *Agnus Dei*, & orationem, *Domine Jesu*, Pontifex primo ex Ordinatis dat osculum pacis, dicens: *Pax tecum.* Ordinatus autem ante osculum deosculatur altare ad dexteram Pontificis, & dicenti: *Pax tecum*, respondet: *Et cum Spiritu tuo.* Tunc accipiens osculum

lum à Pontifice idem præbet sequenti in suo ordine, & ille alteri, & sic usque ad ultimum. Si Ordinatorum sit parvus numerus, Pontifex dare poterit pacem singulis.

16. Postquam Communionem sumpsit Pontifex, singuli ex Diaconis & Subdiaconis dicunt *Confiteor*, & accipiunt absolutionem à Pontifice dicente *Misereatur &c.* Presbiteri vero eam confessionem non dicunt, nec accipiunt absolutionem, quia concelebrant Pontifici. Tunc Pontifice communicante singulos, & dicente: *Corpus Domini &c.* Singuli respondent: *Amen*; priusquam autem quilibet communicat, osculatur manum Pontificis Hostiam tenentem.

17. Sumpta ablutione Pontifex in cornu Epistolæ inchoat Responsorium: *Jam non dicam vos servos &c.* Quo finito Presbiteri coram Pontifice ante Altare stantes recitant: *Credo in Deum Patrem &c.* Tunc Pontifex ante medium Altaris imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris &c.* Dein explicans Casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus.*

18. Tunc iterum accedit unusquisque ad Pontificem, & genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius: *Promittis mihi & successoribus meis reverentiam & obedientiam?* cui Ordinatus respondet: *Promitto.* Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, dicit singulis: *Promittis Pontifici* (vel *Prælato*) *Ordinario tuo, pro tempore existenti, reverentiam & obedientiam?* cui Ordinatus respondet: *Promitto.*

19. Tunc Pontifex adhortatur Ordinatos, ut ab aliis jam doctis Sacerdotibus discant ordinem celebrandi Missam.

20. Ante Evangelium Joannis alloquitur Ordinatos dicens: *Singuli ad Primam Tonsuram, vel ad quatuor Minores Ordines promoti dicite septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, versiculis, & orationibus; Ad subdiaconatum vel Diaconatum, Nocturnum talis diei; ad Presbiteratum vero Ordinati post primam vestram Missam tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu sancto; aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus Defunctis dicite, & omnipotentem Deum etiam pro me orate.* Dein Pontifex dicit Evangelium S. Joannis & clauditur actus Ordinationis.

QUÆRITUR 7. Estne illa obedientia, quam Presbiteri Episcopo promittunt in susceptione statua sacerdotalis, tantum generalis, ad qualem etiam adstringuntur Laici?

RESPONDEO. Illa obedientia, quam Presbiteri Episcopo promittunt, non est tantum generica ac generalis, ad qualem etiam obligantur in rebus divinis Laici, sed est specifica ac specialis.

RATIO est, quia cum exeant à jurisdictione tribunalium sæcularium per privilegium fori, à qua non exeunt Laici, iniquum foret, nisi speciali quodam modo subjicerentur Jurisdictioni, ac Imperio Ecclesiæ, seu Episcopo, quo modo subjiciuntur Laici.

PROBATUR I. Quia Laici tantum subjiciuntur Episcopo quoad directionem internam animæ; Econtra Clericus, præsertim Presbiter, subjicitur etiam Episcopo quoad directionem externam in omnibus, quæ ad regimen Ecclesiasticum servata capacitate cujusvis gradus & conditionis pertinent.

PROBATUR 2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ longe majorem subjectionem ac obedientiam requisivit ac etiamnum requirit à Clericis, quam à Laicis, prout patebit ex textibus infra subjiciendis.

QUÆRITUR 8. An Clerici tenentur sub peccato mortali obedire Episcopo, rem non excedentem limites suæ potestatis, in materia gravi serio præcipienti?

RESPONDEO. Tenentur obedire sub peccato mortali.

PROBATUR ex perpetuo sensu Ecclesiæ, quæ semper Excommunicatione Clericos justis Episcoporum legibus renitentes ad obedientiam compulit; prout patebit ex textibus proxime subjiciendis. Excommunicatio autem non infligitur nisi pro peccato gravi.

QUÆRITUR 9. Ad quos usque limites se extendat obligatio obediendi Episcopo?

RESPONDEO. Clerici tenentur Episcopo obedire in omnibus, quæcunque præcipit conformiter ad sacros Ecclesiæ Canones, & ad honestatem cujusvis gradus Clericalis.

PROBATUR denuo ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper censuit, ab Episcopis præcipi posse conformia ad sacros Ecclesiæ Canones, nulla lege recentiori antiquatos, & honestati clericali accommoda, nulla apparente arduitate moraliter insuperabili in contrarium, prout ex adducendis textibus liquet.

QUÆRITUR 10. Quomodo probatur ex traditione obligatio tam strictæ obedientiæ clericalis erga Episcopum?

RESPONDEO. Ea probatur ex variis actionibus particularibus, ad quas antiquitus suscipiendas aut vitandas obligabantur Clerici.

Primo. Non licebat Clericis ex sua Diœcesi commigrare in aliam sine speciali facultate proprii Episcopi, & qui commigrabant absque facultate excommunicabantur, aut deponebantur. Ita habetur in Concilio Antiocheno anno 341. Can. 3. ubi dicitur: *Si quis Presbiter, vel Diaconus, vel alius ex clericali ordine relicta sua Diœcesi in aliam abierit, & omnino commigrans in aliena Diœcesi longo tempore versari conatur, non amplius celebret; maxime si proprio vocanti Episcopo, ut in suam Diœcesin redeat, non obediat. Si autem in ea inobedientia perseveret, omnino à sacro ministerio deponatur.* Idem statutum reperitur Canone Apostolico 14. à Concilio Arelatensi primo anno 317. Canone 2. & 21. à Concilio Nicæno anno 315. Canone 15. & 16. à Concilio Carthaginensi III. anno 398. Can. 21. & 27. in Epistola Decretali S. Leonis Papæ 86. ad Nicetam Cap. 6.

Secundo. Clericis ne quidem licebat longum iter ingredi sine facultate Episcopi. In Concilio Laodicensi sub Sylvestro I. Canone 41. dicitur: *Non oportet eum, qui est sacratus vel Clericus sine jussu Episcopi iter ingredi.*

Tertio. Presbiteri in Ecclesiasticis nil poterant disponere sine consensu Episcopi. Concilium

lium Laodicense Can. 57. dicit: *Oportet Presbiteros nihil agere fine mente Episcopi.*

Quarto. Clerici fubjiciuntur Epifcopo etiam quoad familiam & habitationem domefticam. In multis namque Conciliis ftatutum reperitur, ne Epifcopus patiatur Clericos cohabitare cum fœminis, nifi quas ab omni fufpicione alienas judicaverit. Siricius Papa in Epiftola ad Himerlum c. 12. ait: *Fœminas non alias effe patimur in domibus Clericorum nifi eas tantum, quas propter folas neceffitudinum caufas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permifit.* Nicœnum autem Concilium Can. 3. fic habet: *Non liceat Epifcopo, nec Presbitero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum, qui funt in Clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel fororem, vel amitam, vel eas folas perfonas, quæ omnem fufpicionem effugiunt.*

Quinto. In Codice Canonum Ecclefiæ Africanæ Can. 31. dicitur: *Placuit, ut quicunque Clerici vel Diaconi pro neceffitatibus Ecclefiarum non obtemperaverint Epifcopis fuis, volentibus eos ad honorem ampliorem in fua Ecclefia promovere, nec illic miniftrent in gradu fuo, unde recedere noluerunt.*

Sexto. Ibidem Can. 30. dicitur: *Clerici ad viduas vel virgines nifi ex juffu vel permiffu Epifcoporum aut Presbiterorum non accedant; & hoc non foli faciant, fed cum Conclericis, vel cum his, quibus Epifcopus aut Presbiter jufferit.*

Septimo. In Concilio Antiocheno Can. 11. dicitur: *Si quis Presbiter, vel quiscunque ex Canone citra fententiam & litteras Epifcoporum Provinciæ ad Imperatorem proficifci aggreffus fuerit, is ejiciatur non folum à communione, fed etiam à dignitate.*

Octavo. Ibidem Can. 4. *Si quis Presbiter vel Diaconus proprio contempto Epifcopo ab Ecclefia feipfum fegregaverit, & privatim conventum fecerit, & altare erexerit, & Epifcopo accerfente non obedierit, nec velit ei parere, nec morem gerere primo & fecundo vocanti, is omnino deponatur.*

Nono. Circa negotia temporalia in Canone Apoft. 6. dicitur: *Presbiter vel Diaconus fæculares curas non fufcipiat; alioqui deponatur.* Et Can. 19. *Clericus fidejubens deponatur.* Et Can. 43. *Presbiter vel Diaconus pecunias mutuo datas cum fœnore exigens vel ceffet vel deponatur.* Quod ipfum ftatuitur in Concilio Nicœno C. 17. Arelatenfi l. c. 12. Laodiceno C. 4. Et Concilium Eliberitanum Can. 18. dicit: *Presbyteri, & Diaconus de locis fuis negotiandi caufa non difcedant.*

Decimo. In Concilio Arvernenfi anno 535. habetur: *Si quis ex Presbiteris aut Diaconis, qui neque in civitate neque in parochiis Canonicus effe dignofcitur, fed in villulis in Oratoriis Officio fancto defferviens celebrat divina myfteria, feftivitates præcipuas nullatenus alibi nifi cum Epifcopo fuo in civitate teneat.*

Undecimo. In conftitutionibus Apoftolicis l. 2. C. 26. dicitur: *Epifcopus præfideat, ut dignitate Dei cohoneftatus, qua Clerum fub poteftate fua tenet.* Et l. 3. C. 19. *Oportet, ut Diaconi fint per omnia obedientes Epifcopo.*

Duodecimo. S. Ignatius M. ad Ephefios fcribit, *Veftrum Presbiterium ita cooptatum eft Epifcopo ut chordæ citharæ. Studeamus ergo Epifcopo non refiftere, ut fimus fubjecti Deo.* Ex his, & centum hujusmodi conftitutionibus Ecclefiæ circa honeftatem vitæ clericalis patet, deberi Epifcopo ftrictam obedientiam in omnibus, quæ funt conformia decretis Ecclefiæ nondum revocatis, & conditioni ac capacitati cujusvis gradus Clericalis.

§. XX.

De Sacrificio Miffæ.

QUÆRITUR 1. Quid fit Sacrificium. Et in quo confiftat?

RESPONDEO 1. Sacrificium eft actus Latriæ, quo Deo immolatur aliqua creatura in conteftationem fupremi ejus dominii.

RESPONDEO 2. Sacrificium Miffæ effentialiter confiftit in fola confecratione feu transfubftantiatione panis & vini, in quantum fub fpeciebus panis & vini modo incruento ponitur ipfiffimum Sacrificium oblatum in cruce. Itaque quod immolatur Chriftus eft, fed immolatio, quæ in cruce erat *phyfica*, hic eft *myftica*, hoc eft, myfteriofo quodam modo, qui, prout in Tractatu de Euchariftia explicavi, confiftit in actione reproductiva rei ejusdem, quæ ante annos 1722. extitit, ita ut ficut datur explicatio ejusdem rei in diverfis locis fub diverfo modo exiftendi, ita detur, ut ita dicam, replicatio ejusdem rei in diverfo tempore fub diverfo modo exiftendi, nempe cruento & incruento.

QUÆRITUR 2. Quotuplex eft Sacrificium?

RESPONDEO. Eft quadruplex. 1. *Latreuticum*, quo offertur creatura præcipue in laudem, cultum, honorem, & amorem Dei ad conteftandam ejus fupremam excellentiam fupra omnes alias creaturas. 2. *Euchariſticum*, feu gratiarum actorium, quo offertur res creata Deo in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. *Propitiatorium*, quo immolatur creatura Deo pro deprecandis peccatis commiffis, ad ejus divinam mifericordiam placandam. 4. *Impetratorium*, quo immolatur Deo creatura pro obtinendis beneficiis & gratiis.

QUÆRITUR 3. An Sacrificium pertinet ad effentiam Religionis?

RESPONDEO. Sacrificium pertinet ad effentiam Religionis. Quia Religio requirit modum quemdam decentem externum colendi Deum. Modum vero decentem colendi Deum externe confiftere in Sacrificio, patet ex confenfu omnium gentium ab origine mundi, qui confenfus non haberetur fine uniformi dictamine rationis, aut fine uniformi traditione inftitutionis divinæ. Hinc in nulla unquam integra natione Sacrificiorum ufus penitus defiit.

QUÆRITUR 4. Quodnam genus Sacrificii eft perfectiffimum?

RESPONDEO. Haud dubie illud, quo immolatur Deo res perfectiffima, in quam homo obtinet dominium. Cum ergo nihil fit perfectius creatura, quæ fimul eft Deus, nempe Chrifto, impoffibile eft, reperire aliud genus Sacrificii perfecti, quam illud Sacrificium, quo immolatur Deo ipfe Chriftus. Quamvis enim olim Deo gratum fuerit facrificium ovium, arietum, vitulorum, taurorum &c. ac etiamnum pergat gratum effe facrificium laudis, contriti cordis, juftitiæ, mortificationis, ac bonorum operum; hæc

hæc tamen infinities exceduntur in valore à Sacrificio Christi, sine cujus applicatione nequidem sunt meritoria & accepta Deo.

Quæritur 5. Ubinam ergo immolatus est Christus per modum Sacrificii?

Respondeo. Immolatus est primum cruento modo per modum sacrificii in cruce; exinde vero pergit offerri Deo Patri incruento modo per manus Sacerdotum usque ad finem mundi.

Quæritur 12. Unde probatur illa perpetuitas Sacrificii post immolationem Christi in cruce?

Respondeo. Probatur ex perpetua traditione Ecclesiæ, & ex Prophetarum Oraculis, & ex præfigurationibus divinitus institutis. Justinus Martyr Scriptor secundi sæculi in dialogo cum Tryphone ait: *Omnia Sacrificio, quæ suo nomine Christus facienda tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, quæ in omni loco à Christianis fiunt, præoccupatione usus Deus*: (jam in Malachia Propheta) *sibi grata esse testatur*. Alludit videlicet S. Justinus ad illum textum Malachiæ C. 1. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Sic & Irenæus, consimiliter scriptor secundi sæculi, l. 4. C. 32. scribit: *Christus panem accipiens & gratias agens dixit: Hoc est corpus meum; & calicem similiter suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.*

Quæritur 7. An Sacrificium Missæ est tantum rememorativum illius, quod Christus in cruce obtulit?

Respondeo. Non est tantum rememorativum, sed est ipsissimum Sacrificium, quod Christus in cruce obtulit, & quod Christus perpetuo offert usque ad finem mundi. Hinc in Psalmo 109. Christo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ita docet Concilium Tridentinum Sess. 22. C. 2. his verbis: *Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium esse; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus oblationis fructus per hanc uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Idem ibi definitur Canone 1. 3. & 4. Canon. 1. sic habet: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Et Can 3. *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Idem satis clare ostendit Apostolus ad Hebræos C. 7. v. 24. *Christus eo, quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et C. 9. v. 25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum; alioquin oportebat eum frequenter pati; nunc autem in consummationem sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam semel apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori; sic & Christus oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et C. 10. v. 12. *Hic unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Quæritur 8. An jam in primis sæculis fuit usus Missæ privatæ?

Respondeo. Usus Missæ privatæ jam fuit in primis sæculis. Id probatur ex eo, quia jam primis sæculis fuit ingens Sacerdotum numerus in eadem urbe. Cornelius Papa anno 253. in Epistola apud Eusebium l. 6. C. 42. scribit: Romæ esse *Presbyteros quadraginta sex.* Nazianzenus Orat. 1. scribit de Presbiteris & aliis Clericis: *Qui etiam eos, quibus præsunt, numero jam fere superant.* Et tamen Innocentius I. qui ad Pontificatum venit anno 402. testatur, omnes Presbyteros quotidie celebrasse; necesse proin est, quod celebraverint privatim, cum in una urbe tot Missæ solennes non fuerint. In Epistola ad Exuperium C. 1. sic scribit: *Sacerdotes & Levitæ pudicitiam ex die Ordinationis suæ servare debent, quibus nec præterit dies, quo vel à Sacrificiis divinis vel à baptismatis officio* (quod Levitis tunc conveniebat) *vacant. Sacerdotes, quibus juge officium & orandi & sacrificandi est, semper debebunt ab ejusmodi consortio* (mulierum) *abstinere.* Habentur etiam multa talia Missarum privatarum exempla. Tertullianus l. de Monogam. testatur c. 10. annua sacra fieri pro Defunctis particularibus, utique privata. S. Ambrosius l. Exhort. ad virgines testatur, se in domo cujusdam virginis Oratorium dedicasse, in quo offertur Sacrificium quotidie. Nazianzenus Orat. 19. testatur, suum patrem, qui factus est Episcopus, tempore infirmitatis celebrasse in cubiculo, imo in ultima infirmitate etiam in lecto.

Quæritur 9. Potestne etiam Sanctis offerri Sacrificium Missæ?

Respondeo. Sacrificium Missæ non potest offerri Sanctis, sed soli Deo. Ita docet Concilium Tridentinum Sess. 22. Cap. 3. his verbis: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet; Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Quæritur 10. Quis est offerens in Sacrificio Missæ?

Respondeo. In Sacrificio Missæ concurrunt tres, qui vere ac proprie offerunt Sacrificium Missæ. *Primus* ac *principalis* offerens est ipse Christus, de quo Apostolus ad Hebr. C. 7. dicit: *Sempiternum habet sacerdotium semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Hinc & in Concilio Lateranensi C. *firmiter.* de summa Trinit. dicitur; Christum in hoc mysterio simul esse sacerdotem & vi-

& victimam. Idem docet Tridentinum l. cc. C. 2. ubi dicit: *Idem nunc est offerens, qui se in cruce obtulit. Secundus offerens est Sacerdos*, qui offert hoc Sacrificium nomine Christi, & populi, quos ambos repræsentat, tanquam eorum Minister publicus. Sic loquitur & D. Thomas p. 3. q. 82. art. 7. ad 3. *Sacerdos in Missa in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiæ, in cujus unitate consistit; sed in consecratione Sacramenti loquitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis potestatem.* Et D. Cyprianus Epist. 63. ait: *Sacerdos in Altari vice Christi fungitur. Tertius offerens est populus*, qui & ipse vere offert Sacrificium suo nomine per ministerium & manus Sacerdotis. Id patet ex precibus Ecclesiæ in Missa, ubi Sacerdos post Offertorium ait: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat.* Et post *Sanctus* in Canone dicit: *Memento Domine famulorum tuorum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium. - Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Idem confirmatur à pari, quia etiam in veteri Testamento dicebatur populus proprie sacrificare licet sacrificaverit tantum per Sacerdotes. Sic Exodi 5. dicit Dominus: *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Sic & Saul, David, Salomon, &c. dicuntur obtulisse victimas, licet id egerint tantum ministerio Sacerdotum. Hinc & S. Augustinus l quæstionum V. T. q. 46. dicit: *Quamvis proprio Sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos. Ipsi enim imputatur, cujus munera offeruntur.*

§. XXI.

De materia, forma, intentione, & aliis requisitis ad validam Consecrationem.

QUÆRITUR 1. Quænam est materia validæ Consecrationis?

RESPONDEO. Solus panis triticeus usualis, & vinum usuale de vite.

PROBATUR inprimis ex eo, quia Christus Luc. 22. jussit, ut Apostoli idem faciant, quod fecit ipse: *Hoc facite in meam commemorationem*, cum ergo ille sumpserit vinum usuale, & panem usualem, consimilia adhibenda sunt. Secundo idem probatur ex perpetua praxi ac observantia Ecclesiæ, quæ ab Apostolis edocta optime noverit mentem Christi instituentis. Ecclesia enim semper adhibuit vinum usuale, & panem triticeum. Hinc & Ischirion in Concilio Chalcedonensi act. 3. testatur, in Libia aliquantulo tempore Sacrificium omissum fuisse, eo quod triticum commode haberi non posset.

QUÆRITUR 2. An ad valorem Consecrationis requiritur panis Azymus?

RESPONDEO. Ad valorem consecrationis non requiritur panis Azymus, sed sufficit quivis panis triticeus usualis fermentatus. Requiritur tamen panis Azymus ad licitam Consecrationem in Ecclesia Latina, ubi à sæculo nono solius panis Azymi usus invaluit.

QUÆRITUR 3. Si non posset haberi panis triticeus azymus, an posset adhiberi panis fermentatus?

RESPONDEO. Deberet potius omitti Sacrum, quam adhiberi panis fermentatus.

PROBATUR ex communi sensu Doctorum. Et ratio est, quia si semel aperiretur janua hujusmodi licentiæ, facile introduceretur negligentia in conquirendo azymo pane, & daretur ansa vilipensioni. Aliud præsumendum foret de intentione Ecclesiæ, si quis versaretur in Ecclesia Græca, aut inter gentiles, vel hæreticos, ubi longo tempore, aut sine magna difficultate panis Azymus haberi non posset.

QUÆRITUR 4. An potest adhiberi panis, de quo dubitatur, an sit vere triticeus? aut usualis?

RESPONDEO. Non licet adhibere materiam dubiam, quæ communi æstimatione incolarum regionis, aut communi judicio prudentum habetur pro materia dubia.

RATIO est, quia ex una parte ex omissione Sacri in tali casu non incurritur salutis periculum; ex altera vero parte datur periculum non solum invalidæ consecrationis, sed etiam materialis idololatriæ.

QUÆRITUR 5. Quænam verba pertinent ad formam essentialem consecrationis in pane?

RESPONDEO. Communiter in Ecclesia Latina pro forma essentiali in consecratione panis habentur ista: *Hoc est corpus meum.*

RATIO est, quia Concilia & Patres constanter illis solum verbis adscripserunt vim consecratoriam, quibus usus est Christus ad significandam consecrationem, seu conversionem panis in corpus suum, & quibus in persona Christi etiamnum utuntur presbyteri. Christus autem prædictis solum verbis usus est.

QUÆRITUR 6. Quænam verba pertinent ad formam essentialem consecrationis in Calice?

RESPONDEO. In consecratione vini pro forma essentiali communiter habentur ista: *Hic est calix sanguinis mei*, aut æquivalentia, quæ exprimuntur in D. Luca: *Hic est sanguis meus.*

RATIO horum Theologorum est; quia hæc sola verba, cum pronuntientur in persona & nomine Christi, ad sui verificationem requirunt positionem sanguinis Christi. Non desunt tamen Theologi, qui ad formam essentialem consecrationis etiam requirunt verba immediate antecedentia & consequentia, pronuntiata à Christo.

QUÆRITUR 7. Pronuntianturne hæc verba *recitative* seu narrative, an vero *authoritative* in persona & potestate Christi?

RESPONDEO. Pronuntiantur simul recitative & simul authoritative; quia Presbyter, ut supra dictum est C. præcedente, gerit duplicem personam, nempe personam populi, & personam Christi, quam potissimum repræsentat in illis verbis, quibus alligatur potestas consecrativa soli Christo propria. Itaque ut minister populi loquitur *rememorative* ac *recitative*; ut minister ordinatus Christi agit *authoritative* ac potestative.

QUÆRITUR 8. An peccaret mortaliter, qui deliberate omitteret reliqua verba in Missali immediate antecedentia vel consequentia, nempe

pe ab illis verbis: *Qui pridie*, usque ad ista: *remissionem peccatorum?*

Respondeo. Peccaret graviter.

Ratio est, qua communi judicio doctorum ageret vel contra institutionem divinam, vel contra præceptum Ecclesiæ in re gravi.

Quæritur 9. Si quis post consecrationem, vel in ipsa primum communione deprehenderet, commissum esse errorem essentialem in consecratione vel ratione materiæ, vel ratione formæ, vel ratione intentionis, quid agendum?

Respondeo. Deberet de novo repetere illam consecrationem, in qua erratum est; incipiendo consecrationem Hostiæ ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur* &c. In consecratione vero vini deberet incipere ab illis verbis: *Simili modo* &c. Sic enim præscribitur in Missali Romano.

Quæritur 10. Qualis requiritur præsentia materiæ consecrandæ?

Respondeo. Requiritur præsentia physica, & in ea distantia, ut verba consecrationis in æstimatione prudenti congruenter censeantur dirigi ad objectum demonstrationis. Hinc recte & congrue intentio Sacerdotis restringitur ad ea solum, quæ in Corporali proximo, aut contiguo ponuntur præsentia.

Quæritur 11. An ad valorem Sacrificii requiritur consecratio utriusque speciei?

Respondeo. Requiritur consecratio utriusque Speciei ad valorem ac essentiam Sacrificii. Licet enim in consecratione unius speciei ponatur præsentia totius Christi simul cum corpore & sanguine; non tamen per unam speciem sufficienter repræsentaretur mors Christi in cruce cum circumstantiis illis notabili, ad quam Christus vult trahere attentionem humanam, ubi corpus & sanguis fuerunt divisa; quam repræsentationem Christus voluit requirere tanquam partem essentialem hujus Sacrificii, juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Idem habetur in Tridentino Sess. 22. C. 1. ubi ait: *Christus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis tradidit, & eisdem, eorumque successoribus, ut offerrent, præcepit.*

Quæritur 12. Quid ergo agendum, si Sacerdos post primam consecrationem moreretur, vel tangeretur apoplexia, aut alio casu impediretur à consecratione secundæ Speciei?

Respondeo. Si posset haberi alius Sacerdos jejunus, deberet ab illo compleri; si vero haberi non posset alius Sacerdos jejunus, distinguendum est, an urgeat aliqua necessitas ad explendum totum Sacrificium, vel non? Si concurrat motivum necessitatis, quale esset in casu maximæ solennitatis v. g. coronatione Regis vel nuptiis Imperatoris, deceret sacrificium expleri etiam per non jejunum. Si autem non concurrat casus necessitatis, non datur obligatio explendi sacrificium per non jejunum, prætertim, quando id fieri nequit sine inconvenientia vel incommodo, vel irreverentia, vel aliquali scandalo, prout fieret, si alius sacerdos advocandus esset à mensa, convivio, vel loco dissito. Hanc responsionem insinuat Rubrica Missalis *de defectibus* Tit. X. ubi dicitur: *Si post consecrationem corporis tantum ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit*, (ut Sacerdos graviter infirmetur, vel in Syncopen incidat, vel moriatur) *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Idem docet Azor l. 10. Institut. Moral C. 33. ubi sic scribit: „ Quæritur, quid faciendum sit, „ quando Sacerdos antequam Sacrificium absol- „ vat, morte corripitur, aut morbo gravi ali- „ quo, vel alio casu præpeditur? Respondet „ S. Thomas, quod tunc debeat sacrificium per „ alium Sacerdotem ad finem usque perduci. „ Sic olim Concilium Toletanum statuit, quod „ citatum est à Gratiano in C. *nihil*. 7. q. 1. Quæ- „ rat aliquis, an tunc temporis sit sacrificium „ consummandum necessitate præcepti? Si „ quidem in eo C. *nihil*, solum habetur; liberum „ esse Episcopo vel Presbytero, tunc Missam „ perficere. S. Thomas, cui omnes adhæserunt, „ videtur insinuare, juris esse divini, ut tunc „ Sacrificium per alium Sacerdotem expleatur. „ Quibusdam tamen aliis visum est, complen- „ dum esse Sacrificium per alium, ubi populus „ adesset, alioqui causam offensionis accepturus, „ secus non item. Probabilius est, quod S. Tho- „ mas docet. Sed nunquid necessario jejunus „ erit Sacerdos ille, qui Missam ejusmodi obla- „ tam absolvet? Convenit inter omnes, jeju- „ num esse oportere. Illud majorem dubitatio- „ nem habet, quid erit tunc consilii capiendum, „ quando jejunus sacerdos nullus adest? Ait „ Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 6. fas esse Sacerdoti „ non jejuno sacrificium absolvere. Verumta- „ men, si in C. *nihil*, præceptum non datur de „ perficienda Missa, tunc si nullus adsit Sacer- „ dos jejunus, sacrificium non est finiendum, „ cum in eo capite liberum relinquatur, ut pos- „ sit absolvi. Hucusque Azor.

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

Quæritur 13. An etiam prævia infusio aquæ in vinum requiritur ad valorem Sacrificii?

Respondeo. Infusio aquæ non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti; validum proin est Sacrificium sine aqua, sed illicitum. Ita docet Catechismus Tridentini part. 2. n. 17. & habetur ex perpetuo sensu Ecclesiæ.

Quæritur 14. An ad validam Consecrationem etiam requiritur intentio Ministri?

Respondeo. Sicut in omnibus aliis Sacramentis ad valorem Sacramenti requiritur intentio Ministri, ita etiam requiritur in Consecratione, cum sit confectio Sacramenti. Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 11. sic definit: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Quæritur 15. Quotuplex datur intentio?

Respondeo. Triplex; *actualis*, *virtualis*, & *habitualis*. Actualis vocatur ipsa volitio præsens & actu existens, qua quis vult consecrare eo modo, quo Christus instituit, vel quo modo

Ecclesia solet consecrare, vel quo modo facere solent alii ministri Ecclesiæ. Intentio *virtualis* vocatur intentio actualis præterita, in quantum perseverat in aliquo sui effectu, connexo ac dependente ab illa tanquam à sua causa mediata. Sic v. g. dum quis proficiscitur Romam, intentio virtualis eundi Romam reperitur in singulis passibus & actibus tendentibus Romam, quamvis itinerans actu neque de Romana urbe, neque de sua peregrinatione cogitet; præterita enim intentio eundi Romam causavit quandam specierum intellectualium & impressionum in potentiis receptarum catenam, quæ omnes gressus homine non amplius advertente dirigit. Intentio *habitualis* vocatur intentio actualis præterita non retractata, non tamen perseverans in aliquo continuo sui effectu. Talis intentio est v. g. in dormiente, aut in eo, qui dudum proposuit ire Romam, mutare mores, amare Deum, restituere, attente orare &c. illud tamen actu oblata prima occasione nondum exequitur, quamvis priorem voluntatem non retractaverit.

Quæritur 16. Qualis ex istis tribus intentionibus requiritur ad validam consecrationem?

Respondeo. Requiritur & sufficit virtualis.

Ratio est, quia requiritur & sufficit, ut hoc suum ministerium Sacerdos obeat modo humano; eo videlicet, quo perfici solent alia negotia humana ardua, v. g. actus Legati, mandatarii &c. qui in suis functionibus satisfaciunt, dummodo gerant intentionem virtualem agendi in hoc vel illo actu nomine sui principalis vel mandantis.

Quæritur 17. An ad hoc, ut dicatur perseverare intentio virtualis, debuit præcessisse intentio actualis, quæ sit explicita, formalis, expressa, aut reflexa, qua quis dicat signate & advertenter hujusmodi: Ego nunc volo celebrare: volo consecrare? &c.

Respondeo. Talis reflexa, ac explicita intentio actualis neque requiritur in ipso actu consecrationis, neque ante celebrationem; sed sufficit intentio præcedens actualis, quæ sit *directa* ac *implicita* in terminis connexis, æquivalentibus, ac convertibilibus, qualis reperitur in omnibus nostris actionibus quotidianis deliberatis. Sic enim, dum ambulamus, scribimus, loquimur, disputamus &c. habemus quidem *directe* & *exercite* voluntatem seu intentionem ambulandi, scribendi, loquendi, comedendi, emendi, vendendi &c. non tamen *reflexe*, aut *expresse* dicimus; volo ambulare, volo scribere, volo comedere, volo emere. Sic ergo etiam ad consecrationem, & alias actiones sacramentales requiritur quidem volitio *directa* in terminis saltem connexis ac convertibilibus celebrandi, consecrandi &c. non tamen requiritur *advertentia* seu *reflexio* ad voluntatem directam; neque requiritur, ut *advertat* aut *sciat se velle*. Itaque dum quis libere accedit ad celebrandum, quam actionem novit esse peragendam cum cæremoniis & reverentia juxta præscriptum Ecclesiæ, eo ipso libere tendit in objectum sic apprehensum; & vult objectum sic cognitum; nec fieri potest, quin adsit intentio actualis in actu exercito sufficiens, dum pergit ad Sacristiam animo se induendi, & legendi Missam, præscriptam, vel liberam; ut proin hac in re omnis fatua scrupulositas excludenda sit. Quamvis optime faciant, qui se sine scrupulo ad actualem devotionem excitant, per varias reflexiones actuales circa hoc mysterium.

Quæritur 18. An adlicite celebrandum requiritur status gratiæ?

Respondeo. Requiritur sine dubio, si enim sacrilegium committitur à laico communicante in statu peccati mortalis, multo magis sacrilegium committitur à Sacerdote celebrante ac communicante in statu peccati mortalis.

Quæritur 19. Quomodo probatur gravitas peccati in communicante vel celebrante in statu peccati mortalis?

Respondeo. Probatur ex variis textibus Scripturæ & Patrum. 1. Exodi C. 19. dicitur: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos.* 2. l. 2. Reg. C. 7. legitur, quod cum Oza profana manu sustentaret arcam Dei, repentina morte punitus sit. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* 3. Apostolus 1. Cor. 11. scribit: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* 4. D. Augustinus, qui supponit, Judam in ultima Cœna communicasse, tract. 10. in Joa. dicit: *Buccella Dominica venenum fuit Judæ, quam cum accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum erat, quod accepit, sed quia bonum malus male accepit.* 5. D. Chrysostomus in Ep. 1. ad Cor. ait: *Sicut cibus corporalis, cum corpus invenit malis humoribus occupatum, amplius lædit & nocet, nec ullum præstat auxilium; sic spiritualis hic cibus, si aliquem invenit malitia inquinatum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. Tales enim sunt socii Judæ proditoris, in quem post bucellam introivit Sathanas.* 6. S. Thomas de Villanova Conc. 1. dicit: Illo exemplo Ozæ *instruimur quanti piaculi sit, indigne tractare aut sumere sacrosanctum Christi corpus in Hostia salutari, cujus typum sic Deus magnificavit, sublimavit, vindicavit. Væ sacrilegis manibus, vel immundis pectoribus impiorum Sacerdotum, à quibus tam insolenter quotidie tangitur, & suscipitur! Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate? Jure optimo clamat Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei viventis! Audito hoc tonitru quis non contremiscat? Quis de cætero his cognitis impurus & immundus audeat accedere?*

Quæritur 20. Quid ergo Sacerdoti constituto in statu peccati mortalis agendum, si urgeat obligatio celebrandi?

Respondeo. Si non possit abstinere à Celebratione Missæ sine gravi scandalo, tenetur prius confiteri; si vero non habeat copiam Confessarii, tenetur elicere contritionem perfectam, & statim prima habita occasione confiteri. Id probatur ex Tridentino, & ex Propositionibus damnatis ab Alexandro VII. Concilium

lium Tridentinum Sess. 13. C. 7. sic habet: „Si „non decet ad sacras ullas functiones quempiam „accedere, nisi sancte; certe quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro „Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & „sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud „Apostolum legamus; Qui manducat & bibit „indigne, judicium sibi manducat & bibit, non „dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam „ejus præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus, „etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex Officio „incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus „perpetuo servandum esse decrevit, modo non „desit illis Copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.“ Cum vero hoc Concilii Decretum laxiores quidam Theologi sinistre interpretarentur, Alexander VII. damnavit sequentes Propositiones, ordine 38. & 39. *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Et 39. *Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

§. XXII.

De fructu Sacrificii Missæ.

QUÆRITUR 1. Estne Sacrificium Missæ infiniti valoris?

RESPONDEO. Sacrificium Missæ *in actu primo*, quoad substantiam rei oblatæ, est infiniti valoris; sed *in actu secundo*, quoad actualem applicationem, est valoris finiti.

RATIO est, quia hoc Sacrificium idem prorsus est cum eo Sacrificio, quod in cruce oblatum est; illud vero tantum fuit infiniti valoris in actu primo, non autem in actu secundo, quia in actu secundo non applicatur infinitis hominibus, nec omnibus; puta, infantibus in utero materno, vel ante usum rationis sine baptismo decedentibus. Quamvis pro omnibus à Christo oblatum, & Christus *pro omnibus* mortuus sit. Illis vero quibus applicatur in actu secundo, non applicatur infinito modo, sed modo finito.

QUÆRITUR 2. An Sacrificium Missæ confert fructum *ex opere operato?*

RESPONDEO. Sacrificium Missæ operatur suum effectum *ex opere operato*, hoc est, intuitu ipsius rei oblatæ, non intuitu ullius meriti reperibilis ex parte eorum, qui offerunt, vel eorum, pro quibus offertur.

RATIO est, quia hoc Sacrificium est idem cum eo, quod fuit oblatum in cruce; illud autem habuit suum effectum *ex opere operato*, Idem probatur ex Tridentino, quod Sess. 22. C. 1. sic habet: *Hæc illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.*

QUÆRITUR 3. Quales sunt illi fructus, qui ex Sacrificio Missæ *ex opere operato* obtineri possunt?

RESPONDEO. Sacrificium Missæ *ex opere operato* non tantum confert *dona spiritualia* pertinentia ad salutem animæ, sed etiam *dona temporalia* pertinentia ad salutem corporis. Probatur ex Tridentino Sess. 22. C. 2. ubi ait: *Hujus* (Sacrificii) *oblatione placatus Dominus gratiam & donum pænitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim, eademque est hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc* (ingruentam) *uberrime percipiuntur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & NB. aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis offertur.* Ex hac doctrina Concilii simul eruitur ratio Responsionis. Cur enim Christus per illam suam oblationem in Cruce promeruerit potestatem Excellentiæ in omnes fideles, sicque obtinuerit gloriam suam, qua omnes gratias diffundit in subditos, eoipso etiam plenitudo gratiarum circa dona temporalia in actu secundo pependit, ac etiamnum dependet à Sacrificio sui in cruce.

RATIO secunda est, quia, ut docet Tridentinum l. c. C. 1. Sacrificium Missæ ex institutione Christi successit Sacrificiis Veteris Legis. Sicut ergo ibi per Sacrificia obtineri poterant omnis generis dona, etiam temporalia, ita nunc, ubi subordinantur ad spiritualia, decet ea obtineri à Capite Christo intuitu magni ejus Sacrificii in cruce, in Sacrificio Missæ perpetuati.

QUÆRITUR 4. An cuilibet Sacrificio Missæ correspondent determinati quidam fructus in determinata mensura sine commensuratione ad dispositionem offerentium?

RESPONDEO. Credibilius est, Sacrificio Missæ regulariter non correspondere determinatos fructus in determinata mensura sine commensuratione ad dispositionem offerentium.

RATIO sumitur 1. ex Tridentino, quod nullum prorsus fructum nec generalem, nec specialem, nec specialissimum, promittit, sine commensuratione ad dispositionem offerentium. Sess. 22. C. 2. sic habet: *Quoniam in divino hoc Sacrificio idem Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti ac pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* His verbis non solum insinuatur dispositio qualiscunque, præcise removens prohibens, seu obicem gratiæ; ad hanc enim non requireretur metus, & tales expressiones *cordis veri*, & *fidei* seu fiduciæ *rectæ*, & *reverentiæ* specialis, sed significatur quædam commensuratio gratiæ ad *dispositionem* offerentium,

tanquam ad *conditionem*, non tanquam ad meritnm.

RATIO 2. eſt, quia, ſi Sacrificio Miſſæ correſponderet quidam determinatus fructus in determinata menſura ſine commenſuratione ad diſpoſitionem offerentium, ſequeretnr, quod applicatio *fructus ſpecialis* pro dante eleemoſinam eſſet vera Simonia & venditio alicujus rei ſpiritualis, ſaltem in anthorum illorum ſententis, qui docent, aut ſupponunt, quod illum fructum ſpecialem, Sacerdos potuiſſet ſibi retinere, ſi noluiſſet hunc fructum ſpecialem pro modica pecunia applicare alteri; & profecto ſtultum ac impium eſſet, pro aliis legere Miſſam, ſi quis aliunde haberet ſuſtentationem congruam, cum ſemper abundent Sacerdotes pauperes, qui poſſent ſatisfacere deſiderio fidelium.

RATIO 3. eſt, qnia etiam verior Sententia tenet, quod ne quidem in Sacra Communione ullns obtineatur fructus ſine devotione recipientis proportionata ad gratiam; ergo id multo magis locum habet in Sacrificio.

RATIO 4. eſt, quia in omnibus operibus divinis ſimul concurrit ſapientia & juſtitia diſtribntiva, quæ exigunt, commenſurari regulariter gratias diſpoſitioni recipientium.

RATIO 5. eſt, quia ſic docet D. Thomas, qui eſt vere electus à Deo in Doctorem Eccleſiæ, & cujus doctrinam multi Romani Pontifices, ac noviſſime Benedictus XIII. & Clemens XII. toti Eccleſiæ tanquam tutiſſimam commendarunt. Hic in Summa parte 3. quæſt. 79. art. 5. ſic ſcribit: *Dicendum, quod hoc ſacramentum ſimul eſt Sacrificium & Sacramentum. Sed rationem Sacrificii habet; in quantum offertur; & ideo effectum ſacrificii habet in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Vi Sacramenti directe habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum; non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum. In quantum vero eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactivam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna; tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur; vel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Ita D. Thomas, quem ſequuntur Thomiſtæ. Sic v. g. Gonetus diſput. 11. art. 5. n. 98. dicit: *S. Doctor reducit determinationem effectus Sacrificii Euchariſtici in diſpoſitionem ejus, pro quo offertur, non vero in intentionem Miniſtri offerentis. --- In ſacrificio Miſſæ Sacerdos offerens Miſſam pro aliquo non determinat quantitatem pœnæ, quæ per hoc Sacrificium remittenda eſt, neque hoc ejus arbitrio relinquitur; ſed talis determinatio provenit ex diſpoſitione & devotione illius, pro quo celebratur Sacrificium, illique commenſuratur.* Et eſt notabile, quod D. Thomas huic tractatni de Euchariſtia & Sacrificio Miſſæ fuerit immortuus, nec ſequentem *de Pœnitentia* morte præventus compleverit.

RATIO 6. eſt, quia huic doctrinæ favet mens Eccleſiæ, ſufficienter expreſſa in Canone Miſſæ, ubi Sacerdos ſic orat: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, qui tibi reddunt vota ſua.* Quibus verbis continetur tota *intentio*, ſeu nt vocatur, *Applicatio Miſſæ*, & patet, eam conſiſtere in invocatione Dei, ut dignetur reſpicere ad deſiderium ac diſpoſitionem offerentium.

QUÆRITUR 5. An hoc Sacrificium oblatum pro pluribus æque de ſe proſit cuilibet, ac ſi pro nno tantum offeratur?

RESPONDEO. Sacrificium oblatum pro pluribus de ſe æque prodeſt cuilibet, ac ſi pro nno tantnm offeratur. Reſponſio ſequitur ex præcedentibus. Si enim valor Sacrificii eſt infinitus, nihil tollitur de fructu debito devotioni illius, pro qno offertur, per hoc, quod pro aliis offeratur, cum infinitus valor nunquam exhauriri poſſit. Ita Cajetanus Cardinalis, Sylveſter & Angelus V. Miſſa, Soto, Gonet. l. c. & alii. Cajetanus tom. 3. Opuſcnl. tract. 3. q. 2. ſic ſcribit: *Quoniam ex parte rei oblatæ eſt infinitas in hoc Sacrificio, & per unicam devotionem non exhauritur, nec minuitur, conſequens eſt, ut non ſolum pluribus, ſed infinitis devotionibus unicum ſacrificium ſufficienter reſpondeat; cuilibet certam pariendo devotionem. Nihil igitur adimitur alicui, facienti pro ſe offerre hoc ſacrificium ex quantitate effectus hujus Sacrificii ſecundum ſe, & applicati ad ipſum, ex hoc, quod alter procuret eandem pro ſe dici* (Miſſam) *nec econverſo; ſed unicuique reſpondet tantundem, quantum ſi pro ſe ſolo diceretur, quia unicuique ſufficienter & efficienter juxta quantitatem devotionis ſuæ.* Idem in parte 3 q. 79. art. 5. ſcribit: *Una Miſſa non perdit vim ſatisfactionis ſuæ pro primo offerente, ex hoc, quod pro ſecundo, tertio, quarto, quinto. &c. offeratur. Sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, inſtruendique ſimul ſunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro ſua eleemoſina totam ſibi Miſſam dari, aut ſuo defuncto; nihil enim ipſe minus habebit, ſi mille alii petant eandem Miſſam pro ſe ipſis & aliis defunctis quam ſi pro ipſo ſolo celebrari dicitur.* Dicitur tamen, *de ſe*, id eſt, abſtrahendo ab ipſa diſpoſitione offerentium, vel conſerentium ſtipendium, quia cæteris paribus, ut infra dicetur C. 5. magis applicatur Sacrificium illi, qui ſuo ſolius nomine curat celebrari Sacrificium, utpote magis diſpoſitus cæteris paribus per collationem ad cultum divinum & per modum affectionis confidentioris.

QUÆRITUR 6. Si Sacrificinm eſt infiniti valoris, nec habet alium fructum, niſi correſpondentem cujuslibet offerentis, aut ejus, pro quo offertur, devotioni, cur ergo non licet, à mille perſonis accipere ſtipendium Miſſæ, & pro omnibus applicare unam Miſſam?

RESPONDEO. Id non propterea eſſe prohibitum, quod fructus Sacrificii ſit finitus, qui pluribus promitti non poſſit. Neque enim ſtipendia dantur tanquam pretium, aut conditio pro relinquendo alteri fructu ſpeciali Miſſæ in ratione Sacrificii conſideratæ, ſed præciſe dantur tanquam ſtipendium miniſterii ſacerdotalis pro ſuſtentatione diurna, lege vel conſuetudine taxatum.

QUÆRITUR 7. Quandonam orta eſt illa vulgaris diviſio fructus Sacrificii in ſpecialiſſimum, ſpecialem, & generalem, vel generaliſſimum?

RE-

Respondeo. Orta eſt ſæculo decimo quarto paulo poſt annum 1300. in Conciliis enim, Patribus, & in authoribus antiquioribus illo ſæculo nulla occurrit hujus diviſionis mentio. Orta vere eſt illo ſæculo decimo quarto ex quorundam perſuaſione, quod fructus Sacrificii non correſpondeat ipſi oblationi factæ à Chriſto in cruce, ſeu offerentis principalis, quæ eſt valoris infiniti, ſed quod correſpondeat ipſi oblationi factæ ab Eccleſia vel à ſacerdote; quæ oblatio, cum ſit valoris finiti, etiam habet correſpondentem effectum, ſeu fructum finitum, prout explicat Scotus Quodl. 20. §. de Tertio, num. 21. & 22. ubi docet, quod oblatio Eccleſiæ in recto ſumpta, ut connotans in obliquo oblationem Chriſti in cruce, per quam obſecrat Deum, moveat Deum, & acceptetur à Deo in ordine ad conferendum fructum Sacrificii.

Quæritur 8. In quo ſenſu ſuſtineri poſſit illa vulgaris diviſio fructus triplicis, etiam in eorum ſententia, qui admittunt, valorem Sacrificii Miſſæ eſſe infinitum?

Respondeo. Illa vulgaris diviſio etiam peraccommoda eſt in eorum ſententia, qui docent, fructum Sacrificii immediate correſpondere non oblationi Eccleſiæ, ſed oblationi ipſius Chriſti, quæ eſt eadem cum oblatione Chriſti in cruce, adeoque valoris infiniti in actu primo. Poteſt enim dici, illam diviſionem correſpondere devotioni ac diſpoſitioni triplicis offerentis, nempe ipſius Sacerdotis, ipſius perſonæ, vel perſonarum, quarum nomine Sacerdos ſacrificat, & ipſius Eccleſiæ, quæ & ipſa in quovis Sacrificio offert. Itaque *fructus ſpecialiſſimus* correſpondet devotioni Sacerdotis offerentis, qui ſi nullam habeat devotionem, etiam nullum recipit fructum ſpecialiſſimum ex opere operato Sacrificii. *Fructus ſpecialis* correſpondebit devotioni eorum, qui dant eleemoſinam, utpote quorum nomine Sacerdos quaſi conductus ad miniſterium adſtat in altari coram Deo, & eorum nomine ſacrificat. *Fructus generalis* correſpondebit devotioni totius Eccleſiæ, vel eorum membrorum Eccleſiæ, qui reverenti præſentia aut intentione, vel commemoratione Sacerdotis referuntur ſpecialiter ad participandum de fructu hujus ſacrificii. Ita deſumitur tum ex ipſo Canone Miſſæ, ubi horum trium offerentium fit mentio expreſſa, tum ex Amalario, qui l.3. 23. ſic ſcribit: *Sacrificium pro tribus offertur, id eſt, pro Eccleſia ſancta univerſali, pro ſpecialibus fratribus, quorum elemoſinas ſuſcepimus, aut munus; pro nobis ipſis Sacerdotibus.*

Quæritur 9. Si fructus Sacrificii commenſuratur devotioni offerentium, quomodo ſalvatur, quod obtineatur ex *opere operato*, & non potius ex *opere operantis*?

Respondeo. Id facile ſalvatur, quia devotio offerentium *non ſe habet per modum meriti*, condigni ac proportionati ad illas gratias, quæ obtinentur per Sacrificium; ſed tantum *per modum diſpoſitionis* congruæ; nec ſunt *motivum*, ratione ſui ſufficiens ad movendum Deum pro concedendis illis donis; ſed ſunt *conditio*, qua non poſita Deus non ſinit ſe moveri à Sacrificio Chriſti in cruce ad conferendas in actu ſecundo poſtulatas gratias. Explicari id ſolet variis exemplis. Sic anima inæqualiter movet membra inæqualiter affecta, ſana, & ægra, clauda, & recta; non quod ipſa diſpoſitio membrorum moveat, ſed quod anima præſuppoſita inæquali membrorum diſpoſitione inæqualiter influat. Idem contingit in virtute motrice alicujus gigantis, quæ inæquali celeritate aut impetu movet diverſa projectilia pro diverſa eorum diſpoſitione aut ineptitudine ad motum. Idem videre licet in omni arte, v. g. Muſica, quæ diverſimode influit pro diverſa diſpoſitione Inſtrumentorum v. g. Organi, citharæ. Aliud exemplum habetur in luce candelæ, vel in ſono, quæ ſe intra ſphæram ſuæ activitatis diffundunt *uniformiter difformiter* pro diverſa diſtantia, quamvis ea diſtantia ſit pura conditio. Itaque etiam oblatio Chriſti in cruce perpetuata in Sacrificio Miſſæ poteſt vi ſua diffundere gratias *uniformiter difformiter* pro diverſa diſpoſitione offerentium, & pro diverſo acceſſu, propiore vel remotiore cordium ad Deum.

Quæritur 10. Si Sacerdos tantum obtinet fructum Sacrificii commenſuratum ſuæ devotioni, non videtur eatenus melioris conditionis, quam laicus; quomodo ergo verum erit, quod ejus fructus ſit *ſpecialiſſimus*?

Respondeo. Stat firma Regula Doctoris Angelici, quam ponit p. 3. q. 22. art. 4. ad 1. *Sacerdotes effectum Sacerdotii ſui* (in Sacrificio Miſſæ) *participant, non in quantum Sacerdotes; ſed in quantum peccatores.* Itaque, ſi judicantur obtinere fructum *ſpecialiſſimum*, ea ſpecialitas non ſignificat diverſitatem juris, aut tituli, aut fructus, ſed tantum diverſitatem perſonæ individualis à ſacrificio inſeparabilis.

Quæritur 11. Si fructus Sacrificii commenſuratur devotioni offerentium, cur tam ſollicite procuretur per ſtipendium Lectio Miſſæ, cum audiendo, & offerendo cum celebrante Sacrificium poſſit haberi æqualis devotio?

Respondeo. Ille communis ſenſus fidelium non errat.

Ratio eſt duplex. Nam *primo*, qui facit ſuo nomine offerri Deo hoc Sacrificium, ob majorem devotionem erga Deum eſt magis diſpoſitus ad recipiendas Sacrificii incruenti gratias; eo quod partem bonorum impendat in cultum Dei; & contribuat ad ſuſtentationem Sacerdotum Dei, & peculiari ſuo nomine faciat interpellari Deum. *Secundo*, quia certum eſt, quod oratio peculiaris pro alio ſit majoris efficaciæ, quam oratio generalis pro omnibus. Cum ergo Sacerdos pro eo ſpecialiter oret, & Deo ſpeciali memoria offerat hoc ſacrificium pro offerente ſtipendium, merito ex hac oblatione particulari cæteris paribus ſperatur major gratia.

Quæritur 12. An veri ſint illi fructus Sacrificii, quos enumerat Bernardinus de Buſtis, ex quo & alii plures Concionatores eos ſuis impreſſis concionibus inſeruerunt? In parte 2. ſui Roſarii ſermone 13. part. 3. ſic ſcribit:

Prima *utilitas* Miſſæ dicitur *receptionis*; ſecundum enim quod colligitur ex dicto S. Auguſtini in C. quia paſſus de Conſecr. diſt. 2. ille, qui

qui devote intereſt Miſſæ, ſi illa die moriatur contritus de peccatis ſuis, licet actualiter accipere non potuerit Eccleſiaſtica Sacramenta, tamen illa cenſetur obtinuiſſe & recepiſſe.

Secunda utilitas dicitur *impetrationis*. De qua inquit Hieronymus; Abſque dubio dabit nobis Dominus, quod in Miſſa petimus. Qui ergo devote intereſt Miſſæ, quodcunque juſtum petierit, obtinebit.

Tertia utilitas dicitur *meritationis*. Magis enim meretur audiens unam Miſſam devote, & ſine peccato mortali, & multo magis eam celebrans, quam ſi peregrinando tranſiret totum ſpatium terræ, & omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogaret, ſecundum Bernardum. Unde dixit Auguſtinus, quod omnes paſſus, quos facit homo eundo ad Miſſam, ab Angelo ſcribuntur, & pro quolibet paſſu dabit ei Dominus bonum præmium.

Quarta utilitas dicitur *converſionis*. Secundum enim Ambroſium illud, quod homo comedit poſt auditionem Miſſæ, in melius nutrimentum convertitur & magis proficit, & convenit naturæ.

Quinta utilitas vocatur *ſuperationis*. Secundum enim Anſelmum plus valet una Miſſa audita in vita, quam mille dictæ poſt mortem pro eadem perſona.

Sexta utilitas ſecundum Bedam dicitur *parturitionis*. Ait enim, quod, ſi mulier gravida devote audiat Miſſam, ſi eodem die pepererit, non ſentiet in partu magnum dolorem.

Septima utilitas dicitur *Salvationis*. Secundum enim Gregorium pro qualibet Miſſa unus peccator convertitur, & una anima abſolvitur à pœna ſibi debita, & unus juſtus in via rectitudinis conſervatur.

Octava utilitas dicitur *mitigationis* ſive *relaxationis*. Secundum enim Hieronymum animæ quæ ſunt in purgatorio, pro quibus ſolet Sacerdos in Miſſa orare, interim nullum tormentum ſuſtinent, dum Miſſa celebratur. Dicit quoque Gregorius, quod pœna vivorum & mortuorum interim, dum cantatur Miſſa relaxatur, & præcipue illorum, pro quibus oratur ſpecialiter. Unde ait Hieronymus, quod pro qualibet Miſſa devote celebrata plures animæ exeunt de purgatorio vel ſaltem diminuuntur earum pœnæ C. *cum Marthæ* de celeb. Miſſ. & C. *defunctorum* & C. *tempus*. 13. q. 2.

Nona utilitas dicitur *remiſſionis*. Remittuntur enim peccata venialia in auditione Miſſæ. Unde Auguſtinus dicit: Si quis devote audierit Miſſam, non incidet in peccatum mortale; & venialia remittuntur ei, & etiam perjuria ignorata. Septies autem fit remiſſio venialium in Miſſa. 1. In confeſſione generali. 2. Quando nominatur nomen D. N. J. C. & fit ei reverentia. 3. In elevatione Corporis Domini. 4. In 4. In elevatione calicis. 5. Quando dicitur Pater noſter. 6. Quando percutitur pectus cum contritione. 7. Quando accipitur benedictio Sacerdotis in fine Miſſæ.

Decima utilitas poteſt appellari *conſervationis*, quam ponit Auguſtinus in l. de Corpore Chriſti, dicens, quod illo die, quo quis videt Corpus Chriſti, lumen oculorum conſervatur ei; & quod pro illo tempore, quo quis audit Miſſam, non ſeneſcit, ſed ſervatur in eodem vigore, quo erat, quando incepit audire Miſſam.

Undecima utilitas dicitur *augmentationis*, de qua inquit Innocentius in l. 3. de Officio Miſſæ C. fin. dicens: Per hujus Sacramenti virtutem univerſæ in nobis virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant.

Duodecima utilitas dicitur *præſervationis*. Præſervat enim Deus audientem Miſſam à multis periculis, ut aſſerit Auguſtinus dicens, quod illo die quo quis Miſſam devote audierit, morte ſubitanea non morietur, & ſi abſque communione deceſſerit, pro communicato habebitur. Et iterum ait: In illa hora viſionis Chriſti diabolus exit de corpore cujuslibet peccatoris devote illud aſpicientis. Et qui Miſſam integre & devote audierit, non deficiet ſibi de illo die cibus corpori neceſſarius.

Respondeo, hæc omnia eſſe impoſturas populi, quas nec prædicare, nec approbare, nec typis commendare licet ſine graviſſimo peccato mortali. Legi de verbo ad verbum totum Hieronymum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, & Gregorium, & teſtor, nihil plane eorum in iis reperiri, quæ hic ex iis referuntur. Puduiſſet referre has ineptias, niſi à pluribus Concionatoribus impreſſis tanquam veræ publice prædicarentur. Exempla particularia, in quibus ob particulares circumſtantias Deo operari placuit unum vel ulterum ex enumeratis effectibus, peſſime transmutantur in regulam generalem.

Dices 1: In C. cum Marthæ. §. ult. Innocentius III. ſcribit; *quod ſuffragia fidelium pro defunctis, & mediocriter bonis proſint ad expiationem, & mediocriter malis ad propitiationem*. Pro hac doctrina ſe refert tacite ad C. *tempus* 13. q. 2. ubi S. Augustinus in Enchiridio C. 109. & 110. ſic ſcribit: *Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſinæ in Eccleſia fiunt*. Et §. 2. *Cum Sacrificia altaris, ſive quarumcunque eleemoſinarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis, gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis, propitiationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior fiat ipſa damnatio.* In codicibus quatuor Manuſcriptis Saxonicis & Brandeburgicis ſæculi 13. & 14. quibus Bœmerus uſus eſt, & in editione Cardinalis Turrecremata ultima verba textus ſic habentur, *ut tolerabilior fiat in officiis mortuorum ipſa damnatio*. Similiter in C. *animæ defunctorum quatuor modis ſolvuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemoſinis, aut jejunio cognatorum*. Ergo Bernardinus de buſtis non male ſcripſit, quod pro qualibet Miſſa diminuantur pœnæ animarum Purgatorii.

Respondeo. A me non fuiſſe negatum, quod *pro Sacrificio Miſſæ diminuantur pœnæ Purgatorii*, ſed tantum fuiſſe negatum, primo, quod juxta Hieronymum animæ, pro quibus Sacerdos in Miſſa orat, interim, dum celebratur, nullum

nullum sentiant tormentum. Secundum, quod juxta S. Gregorium interim, dum cantatur Missa, pœna vivorum & mortuorum relaxetur præcipue illorum, pro quibus oratur specialiter. Tertio, quod juxta Hieronymum pro qualibet Missa devote celebrata plures animæ exeunt ex purgatorio vel saltem diminuantur earum pœnæ. Quarto, quod *pro qualibet Missa* devote celebrata, diminuantur pœnæ animarum purgatorii omnium. Falsitas primi, secundi, & tertii, patet ex Capitulis citatis, ubi nulla horum effectuum mentio. Falsitas autem quarti asserti ex eo patet, quia D. Augustinus, dum Sacrificia altaris *pro omnibus defunctis* oblata mediocriter malis ad diminutionem pœnarum prodesse scribit, non asserit id fieri *infallibiliter*, ita ut hic effectus possit adscribi cuilibet Missæ. Nam in primis adscribit hunc effectum etiam *orationi*, *eleemosinæ*, & *jejunio*, de quibus constat, quod dependeant ab acceptatione Dei incerta. Dein D. Augustinus l. c. & in l. de cura pro mortuis agenda C. ult. suam Doctrinam limitat ad eos, qui in vita hoc meruerunt, ut eis ista prosint post mortem. Non est autem certum, quod omnes animæ purgatorii in vita hoc meruerint, ut eis ista suffragia juxta ordinem divinæ sapientiæ & justitiæ in qualibet missa, eleemosina, jejunio, oratione prudenter possent prodesse statim. Falsa ergo est ista Bernardini de Bustis promissio generalis. Textus S. Augustini sic habet: *Hæc* (suffragia) *eis prosint, qui cum vixerint, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. -- Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari.* Et in l. de cura pro mortuis, relato in C. non æstimemus. 13, q. 2, *Non æstimemus, ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosinarum sacrificiis solenniter supplicamus. Quamvis non, pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantum, quibus, dum vivunt, comparatur, ut prosint.* Hæc verba CAJETANUS in Tract. de Indulg. explicat non de illis, qui in vita per merita generalia meruerunt præmium essentiale vitæ æternæ, sed qui per merita particularia meruerunt hoc subsidium accidentale, puta, qui fuerunt ferventiores cultores clavium Ecclesiæ, Sacrificii Missæ, devotionum pro defunctis &c. In hoc sensu videtur etiam recepisse verba Augustini S. THOMAS 3. q. 52. art. 8. ubi docet, Christum in suo descensu ad inferos non liberasse omnes animas purgatorii, sed illas tantum, qui vel *satis jam purgati erant, vel qui dum viverent, meruerunt per fidem & devotionem ad mortem Christi seu Messiæ venturi.*

DICES 2. In C. quia passus 36. de Consecrat. dist. 2. dicitur ex Augustino: *Nulli est ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, & sanguinis Dominici fieri participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, invenit.* In C. nulli 131. de Consecrat. dist 4. legitur: *quod illud sacramentum est.* Ergo Bernardinus de Bustis ex hoc textu recte colligit, eos, qui intersunt Missæ, & moriuntur eo die sine Sacramentis, sacramentorum participes fieri.

RESPONDEO. Authorem hujus textus, sive sit Augustinus, sive Chrysostomus, sive Chromatius Aquilejensis, in hoc textu supponere, quod corpus & sanguis Christi sit semen immortalitatis, præbeat jus ad gloriosam resurrectionem corporum, prout in Tractatu de Eucharistia fuse ostendi. Consolatur proin author eos, qui baptizati quidem sunt, sed nondum ad Eucharistiam admissi sunt, quod nihilominus resurrectionem gloriosam corporum, effectum Eucharistiæ, consecuturi sint, quia jam sunt uniti corpori mystico Christi, nempe Ecclesiæ. Non ergo est hic sermo de gratia sacramentali, quæ confertur communicantibus in anima; hanc enim non consequuntur baptizati sine actuali susceptione sacramenti. Itaque Bernardinus ineptissime & falsissime ex hoc textu colligit, etiam eos, qui intersunt Missæ, si eo die moriantur, participaturos fructum Sacramentorum, quæ non acceperunt, præsertim si hoc intelligat etiam de Pœnitentia, & Extrema Unctione, prout verba indefinita sonant.

DICES 3. In C. non mediocriter 24. de consecrat. dist, 5. ex Hieronymo dicitur: Dum pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Ergo Bernardinus de Bustis recte adscribit omnibus Missis, quod cuivis in particulari convenit.

RESPONDEO 1. Hæc verba non reperiri in Hieronymo, prout Correctores Romani observant. Vestigium solum invenitur in Regula supposititia D. Hieronymi, ut Fontaninus annotat. 2. Sensus verborum, prout ex contextu patet, solum est, quod talium suffragiorum in actu primo sit eadem vis, & in actu secundo idem effectus, si ex parte suffragantis sit par devotio, & ex parte animarum par dispositio seu condignitas. Hæc autem doctrina, sicut tollit infallibilitatem effectus, ita destruit fiduciam promissionis, quam facit Bernardinus de Bustis. *Melior est*, inquit textus, *quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate & serenitate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis & tristitia. Dum igitur pro cunctis &c.*

QUÆRITUR 13. An per Missam celebratam in Altari privilegiato infallibiliter liberetur una anima ex purgatorio?

RESPONDEO. Non liberatur infallibiliter. A modernis enim Theologis dogmaticis tam ex Bulla Sixti quarti, quæ legi potest in meo Opere dogmatico de Indulgentiis Augustæ, & Venetiis edito apud Veithium & Ricurtium, quam ex aliis rationibus demonstratum est, Indulgentias Ecclesiæ pro defunctis tantum valere per modum deprecationis, quæ non exauditur infallibiliter in ordine ad effectum à deprecante intentum. Quodsi quælibet Missa, etiam non privilegiata dicatur liberare unam animam ex purgatorio, sequeretur, nullam ibi relinqui animam, imo ne quidem venturam ad pavimentum lacus, quia ex descriptione Orbis, & ex Catalo-

gos morientium evidens est, plures quotidie celebrari Missas in orbe, quam moriuntur adulti Catholici in tota Ecclesia; prout in eo libro c. ex computatione videri potest. Verba Bullæ præfatæ, quæ incipit: „ Romani Pontificis, „ sic habent: Per Brevia nostra ad diversos „ (Episcopos) scripsimus, ut Christi fidelibus „ declarent, plenam indulgentiam pro animabus existentibus in purgatorio per modum suffragii concessam perinde prodesse, ac si devotæ orationes piæque eleemosinæ pro earundem animarum salute dicerentur, & offerrentur ... non quod intenderemus, prout nec intendimus, indulgentiam non plus proficere „ aut valere, quam eleemosinæ & orationes; „ cum sciamus, orationes & eleemosinas, atque indulgentiam per modum suffragii longe „ distare; sed eam perinde valere diximus, id „ est, per, ac si, id est, per quem orationes & „ eleemosinæ valent. Quamobrem plenariam „ indulgentiam pro animabus in purgatorio existentibus per modum suffragii concessam sic „ valere & suffragari, & ita ab omnibus accipi, „ intelligi & interpretari debuisse & debere volumus & mandamus.

QUÆRITUR 14. An sint deterioris conditionis presbyteri, qui Sacrificium semper applicant pro aliis, nunquam pro se?

RESPONDEO. Si presbyter semper applicat pro aliis ex necessitate, vel charitate, nil perdit de fructu Sacrificii; si vero id faciat ex avaritia, ut ex stipendio Missæ possit sibi procurare vana solatia terrena; haud dubie perdit multum gratiæ alioquin obtinendæ, si offerret suo peculiari nomine, & stipendium cederet aliis pauperibus ac devotis presbyteris. Quamvis enim fructua Sacrificii, quatenus est oblatio Christi in cruce, distribuatur uniformiter difformiter pro cujuslibet offerentis dispositione; non tamen eodem modo se habet fructus Sacrificii, quatenus supponit oblationem Sacerdotis. Hæc enim *oblatio Sacerdotis*, seu ut vocari solet *applicatio*, babet se per modum orationis peculiaris pro determinata persona, qualificatæ ex objecto vel motivo, quod præsentatur Deo. Sicut ergo minus obtineret gratiæ, qui ex motivo avaritiæ semper oraret pro aliis, nunquam pro se; sic foret deordinatio, si Minister Ecclesiæ publicus, nulla ductus indigentia, aut motivo charitatis seu necessitatis, semper hoc genus orationis peculiaris vellet offerre pro aliis. Patebit etiam ex dicendis, *applicationem Missæ*, se habere instar *applicationis* causæ agentia ad passum, quæ nullum habet effectum proprium, sed tantum propius applicat causam ad efficacius agendum. Sic ergo & Saeerdos, dum tanquam Minister pubblicus Ecclesiæ deprecatorie offerendo pro aliis *applicat* quasi propius causam gratiarum ad supplices, nil deperdit, si per hanc ipsam charitatem suo ministerio aliis exhibitam, & alio applicationis genere per fervorem devotionis sese quam proxime applicet ad gratiarum fontem in boc Sacrificio apertum omnibus. Paritas habetur in persona paupere, quæ pro eleemosina se obligat ad specialiter orandum pro aliis; quia & illa persona, si vult, potest fervore charitatis ordinatæ tantum mereri pro se, & obtinere, quam si unice vel primario oraret semper pro se. Hinc & optime Ecclesia in Tridentino stipendium Missæ non vocat *pretium* pro cessione fructus specialis, sed *eleemosinam*. *Illiberales eleemosinarum exactiones* Episcopi prohibeant, Sess. 22. de Celeb. Miss.

§. XXIII.

De Applicatione Missæ.

QUÆRITUR 1. Quid est applicatio Missæ?

RESPONDEO. Applicatio Missæ est *Oblatio deprecatoria incruenta Hostiæ facta à Sacrificante nomine illius, cujus se in boc actu profitetur Ministrum publicum, specialiter constitutum ad Deum.* Dicitur 1. *deprecatoria*, non vero *dispensatoria*; quia, cum fructus Sacrificii sit infinitus, nec detur aliquis *fructus specialis* in eo sensu, quasi jam foret constituta determinata mensura gratiarum, cujus *dispensatio* ac *distributio* dependeret à libero arbitrio Sacerdotis, prout in C. 4. ostensum est, applicatio Missæ non potest habere vim *dispensatoriam*, sed tantum *deprecatoriam*. Dicitur 2. *nomine illius, cujus se profitetur Ministrum* &c. ut applicatio Missæ distinquatur à nuda *memoria*, seu ut vocari solet, à *Memento*; quia Sacerdos non profitetur se Ministrum specialiter ad hunc actum Sacrificandi constitutum ab iis, quorum præcise ex privata devotione facit memoriam. Quoad banc enim privatam memoriam babet se instar alterius offerentis etiam laici, specialiter incruentam Hostiam pro alio commendantis Deo.

QUÆRITUR 2. An non est probabilis opinio, quod applicatio Missæ sit authoritativa *dispensatio fructus specialis*, cui determinata gratiarum mensura annexi à Deo?

RESPONDEO. Si quis velit defendere, Sacerdotem habere potestatem, pro suo arbitrio applicandi illum *fructum specialem* cui voluerit, ita ut etiam eundem possit applicare ac retinere pro seipso, sequitur, committi veram Simoniam juris divini, ac impium mercimonium, dum pro modico stipendio cedit alteri illum *fructum specialem*. Si vero dicatur, Sacerdotem, tanquam Ministrum publicum, & Oeconomum seu dispensatorem in domo Dei, necessario debere illum *fructum specialem* applicare aliis, eo quod à Deo sit intentus ac promissus non Sacrificanti, sed personia distinctis à Sacrificante, hæc limitatio nec habet pro se authoritatem Theologorum, nec SS. Patrum, nec sensum Ecclesiæ. Itaque non relinquitur alius modus explicandi applicationem Missæ, nisi quod dicatur, fructum sacrificii esse de se infinitum; & à Sacerdote per applicationem Missæ nil aliud fieri, quam *oblationem deprecatoriam* factam primario nomine illius, vel illorum, quorum se in eo Sacrificandi actu profitetur Ministrum publicum specialiter conductum ac constitutum. Videri de hoc meretur Berlendis in præclaro opere *de oblationibus ad altare* editionis latinæ, quæ prodiit Venetiis 1743. à fol. 312. & à fol. 405.

QUÆRITUR 3. An illa *oblatio deprecatoria* Sacerdotis, seu *applicatio*, habeat fructum distinctum à fructu Sacrificii?

RE-

Respondeo. Potest quidem habere specialem effectum sub ratione *orationis ministerialis* qua rogat Deum, ut intuitu hujus sacrificii danti eleemosinam copiosiores conferat gratias, sed non sub ratione sacrificii: Illa autem oratio spectari potest partim tanquam *publica*, utpote facta nomine Ecclesiæ, partim tanquam privata. Sed si attendatur fructus sacrificii *qua talis*, seu in ratione sacrificii, unice attenditur ad ipsum Sacrificium oblatum in cruce, cujus tamen fructus infinitus distribuitur finito modo *uniformiter difformiter*, sicut calor & lux candelæ, juxta diversam dispositionem subjactorum recipientium effectum, & juxta diversam *applicationem* seu approximationem causæ agentis ad passum, quæ *applicatio* seu *approximatio* in Missa habetur partialiter per oblationem deprecatoriam Sacerdotis. Sicut ergo *applicatio* seu *approximatio* ignis ad passum est nuda conditio, nec babet effectum physicum; sic etiam *applicatio* Sacrificii incruenti facta à Sacerdote tanquam Ministro specialiter conducto non babet effectum specialiter distinctum ab effectu ipsius Sacrificii.

Quæritur 4. An Sacerdos possit sibi ipsi appicare Missam?

Respondeo. Cum Sacerdos sit Minister publicus Ecclesiæ, rectus ordo exigit, ut offerat eorum nomine, à quibus ad hoc conducitur stipendio sustentationis congruæ. Si vero nemo sit, qui eum conducat, aut charitas petat, cedi stipendium aliis, recte utique sistet se ad aram, ac offeret *deprecatorie* sui primario nomine.

Quæritur 5. An Ordinandi Missam, quam in ipso actu Ordinationis cum Episcopo celebrant, possint applicare pro aliis?

Respondeo. Id non possunt; quia Solus Episcopus est celebrans principalis, cujus est applicare Missam.

Quæritur 6. An Neomysta teneatur tres illas Missas, quæ in Ordinatione præscribuntur, applicare ad intentionem Episcopi?

Respondeo. Non datur obligatio applicandi, quia hæc obligatio nullibi exprimitur.

Quæritur 7. An liceat Sacrificium offerre pro excommunicato, vel pro hæretico, saltem tolerato?

Respondeo. Id non licet. Quorum enim antiquitus non licuit recitare publice nomina in Missa, pro bis neque nunc licet applicare Missam; quia moderna applicatio Missæ idem est, qnod antiquitus erat illa solemnis memoria eorum, pro quibus offerebatur. Cum ergo nunquam licuerit, in Sacrificio recitare nomina hæreticorum etiam toleratorum in foro politico, aut excommunicatorum, idem ne quidem nunc erit licitum. Licet tamen in Sacrificio Missæ privata devotione orare pro eorum conversione.

Quæritur 8. Si Sacerdos pluribus personis ultro promisit, se pro illis lecturum Missam, an satisfacit, pro omnibus legendo unam?

Respondeo. Si illa promissio ex intentione promittentis & promissarii consideratis circumstantiis est obligatoria, non satisfit promissionibus per unam Missam; sicut qui pluribus promittit certas preces, non satisfacit omnibus una eademque recitatione illarum precum. Applicatio enim Missæ, prout dictum est, quæst. 1. nihil aliud est, quam incruentæ hostiæ obiatio deprecatoria solennis & ministerialis.

Quæritur 9. An licet à duobus accipere stipendium Missæ, & ambobus satisfacere una Missa, cum sit valoris infiniti?

Respondeo. Non licet. Id patet ex propositione 8. damnata ab Alexandro VII. quæ sic babet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.*

Ratio autem est, quia accipiens stipendium se non obligat pro dispensatione alicujus fructus Sacrificii secundum se, utpote qui commensuratur cujuslibet offerentia devotioni, sive pro illo fiat memoria specialis in Missa, sive non; prout dictum est; adeoque talis fructus promissio aut dispensatio fieri non potest. Sed obligat se tantum pro *speciali oblatione* illius Sacrificii facienda pro conferente stipendium, cui oblationi correspondet specialis effectus, distinctus ab effectu *Sacrificii* proveniente *ex opere operantis*, prout supra explicatum est. Cum ergo oblatio deprecatoria facta à Sacerdote tanquam à Ministro publico habeat effectum alium, si fiat pro pluribus, & alium si fiat pro unico, sicut alia oratio privata, non satisfit *unica Missa*, id est, *unica oblatione* ministeriali, ubi duobus promissa est peculiaris *Missa*, id est, *oblatio* propria.

Quæritur 10. An Sacerdos in casu, quo acciperet à duobus stipendium, legendo unam Missam peccaret contra justitiam, sic ut etiam teneatur ad restitutionem?

Respondeo. Peccat contra justitiam, sic nt etiam teneatur ad restitutionem, legendo aut procurando aliam Missam. Id patet ex propositione 10. damnata ab Alexandro VII. quæ sic habet. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere - & Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione per juramentum firmata danti stipendium, quod pro nullo alio afferam.*

Quæritur 11. Si quis pro stipendio accepit v. g. medium florenum, an licet reservare partem, & procurare Missam ab alio Sacerdote pro minore stipendio?

Respondeo. Id non licet. Id patet ex propositione 9. damnata ab Alexandro VII. quæ sic babet: *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Neque id tantum est illicitum, sed est etiam contra justitiam, quia intentio conferentis stipendium ad transferendum dominium pecuniæ fertur in celebrantem, & non in mandatarium, aut in procuratorem. Eadem praxis damnata est à SS. D.N. Benedicto XIV. per Bullam: *Quanta cura*, ad omnes Episcopos totius Orbis datam 30. Jun. 1741. ubi in laicos tale mercimonium exercentes statuit Excommunicationem, in Clericos veto suspensionem ipso facto incurrendam.

Quæritur 12. Quale est justum stipendium Missæ?

Respondeo. Illud est justum stipendium Missæ, quod Lex Diocœsana aut consuetudo particularis locorum determinat. Pro consuetudine autem juxta Theologiam sanam, & secundum Jura non habetur praxis paucorum, sed praxis majoris alicujus provinciæ vel Diœcesis publica & notoria. Itaque quod plerique Sacerdotes notorie ac publice in quavis Diœcesi accipiunt, illud haberi potest pro licito ac justo stipendio Missæ; non vero illud, quod tantum paucorum praxi hinc inde usurpatum est.

Quæritur 13. An liceat pacisci de Missæ stipendio?

Respondeo. Non licet: sed siquis ultro offert consuetum stipendium, huic Sacerdos spondeat, se ad ejus intentionem oblaturum DEO Sacrificium; si vero non ultro offerat, sed velit dare minus consueto, non est recipiendum. Si sit persona pauper, consolanda est, quod offerendo in die Dominico ad altare plus pro sua devotione obtinere possit ex Sacrificio communi omnibus, quam alii divites ex speciali oblatione Sacerdotis. Cæterum pactiones omnes prohibitas esse, patet ex Tridentino, quod Sess. 22. in Decreto *de observandis in celebratione Missæ* sic statuit: „ Decernit Sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia „ prohibere atque è medio tollere sedulo curent „ ac teneantur, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit. Inprimis quod ad avaritiam „ pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis „ (Primitiis) datur, nec non importunas atque „ illiberales eleemosinarum exactiones potius, „ quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ „ à Simoniaca labe vel certe à turpi quæstu non „ longe absunt, omnino prohibeant.

Quæritur 14. An liceat anticipato offerre Sacrificium pro eo, qui primus est daturus stipendium?

Respondeo. Non licet. Contraria enim sententia probibita fuit à Clementente VIII. & Paulo V. prout refertur à P. Berlendis, P. Merati, & Ss. D. N. Benedicto XIV. in Annotat. de Sacrificio Missæ. P. Berlendis in editione latina *de oblationibus* §. 12. fol. 450. sic scribit. „ Cum ad aures Clementis VIII. noxia illa opi„ nio pervenisset, posse in anteceffum genera„ lem Sacrificii fructum pro illis applicari, qui „ primi oblatione usitati stipendii essent petituri, „ hanc doctrinam S. Congregationi Concilii stu„ diose expendendam tradidit, à quo post accu„ ratum districtumque examen, *tanquam pluribus* „ *nominibus periculosa, fidelium scandalis & offensioni*„ *bus obnoxia, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium* „ *abhorrens* interdicta est. Quapropter suo apud „ Regem Catholicum Nuntio solicite jussit, om„ nibus Archi-Episcopis & Episcopis, in quo„ rum Diœceses bæc pessima consuetudo se insi„ nuaverat, continuo edicere, ut penitus eam „ exstirparent, & pertinaces excommunicatio„ ni, ac aliis pœnis subjicerent. Quod pariter „ Religionum Superioribus sub iisdem Censuris „ fuit interdictum. Hoc Decretum conditum „ sub ejusdem Clementis Pontificatus finem, „ qui obiit die 3. Martii 1605. suam non obti„ nuit publicationem, nisi die 15. Novembris „ ejusdem anni regnante Paulo V. Non defue„ runt tamen, qui etiam post hanc apertam le„ gem in contrariam sententiam abierunt; quæ „ profecto nequit licite persici, præscriptum „ enim legitur *in Expurgatorio* Sanctæ Inquisitio„ nis, ut illa à libris Scriptorum eam docen„ tium integre deleatur." Hucusque Berlendis.

Quæritur 15. An Parochi, qui habent pingues redditus, tenentur applicare pro suis parochianis singulis diebus?

Respondeo. Nisi Parochus simul ex alio concurrente titulo pinguis beneficii teneatur celebrare singulis diebus, non tenetur applicare singulis diebus pro parochianis. Id patet ex Declaratione S. Congregationis Concilii, emanata 8. Februarii 1716. quæ refertur Quæstione proxime sequente. Neque obstat alia Declaratio ejusdem S. Congregationis, 10. Martii 1681. edita in una *Lucana*, ubi dicitur; *Sæpe alias S. Congregatio censuit, Parochos teneri pro Parochianis sacrificium applicare; atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis & Diœcesis* (Lucanæ). Hæc, inquam, declaratio non obstat, quia intelligenda solum est de illis diebus, in quibus Parochi ex ipsa institutione sui beneficii curati tenentur celebrare; quo casu considerandi sunt in diebus ferialibus potius tanquam beneficiati, quam tanquam Parochi.

Quæritur 16. An Parochi diebus Dominicis & Festis tenentur applicare pro Parochianis, etiamsi tantum habeant tenues redditus, non sufficientes ad sustentationem congruam?

Respondeo. Tales Parochi, etiamsi non habeant ex suo beneficio curato sufficientes redditus pro sustentatione congrua, nihilominus tenentur diebus Dominicis & Festis applicare pro Parochianis. Per hoc enim, quod vir pauperem sponsam sine sufficiente dote duxerit, non deobligatur ab oneribus per se statui conjugali annexis erga conjugem. Id probatur ex declaratione generali S. Congregationis Concilii, quam exhibet P. Berlendi l. c. §. 23. n. 2. his verbis: *De 8. Februarii 1716. Sacra Congregatio Concilii propositis infrascriptis dubiis: Primo, an Parochi non habentes congruum teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi in casu &c. Secundo, an Parochi habentes pingues redditus teneantur quotidie Missam applicare pro populo in casu &c. Respondit ad primum; Affirmative, censuitque danda esse Decreta alias hac de re edita. Ad secundum, Negative, & hujusmodi dubia non amplius proponi mandavit.* Illud tamen S. Congregatio indulsit, ut, si ejusmodi Parocho pauperi in die Dominica pro applicatione offeratur eleemosina, possit eam recipere, & Sacrum Parochianis debitum supplere per hebdomadam. Nam, ut refert idem P. Berlendis, cum anno 1724. 29. Januarii instante Cardinali Tanara Decano & Episcopo Ostiensi

ensi S. Congregatio denuo interrogaretur; an Parochi Castelli Romani Porcigliani &c. sub Episcopo Ostiensi, qui ab illorum locorum Optimatibus non nisi admodum tenues redditus recipiebant, neque ullam quantulamcunque incertam utilitatem à suis miserrimis Parochianis percipere poterant, adhuc tenerentur diebus festis pro illis Sacrificium applicare? Sacra Congregatio respondit: *Teneri ad mentem*. Hoc est, quod si fortasse die festo illis inopibus Parochis aliqua eleemosina pro Missa celebranda erogaretur, possent illam recipere, Missam pro populi commodo peragere, & ipsam pro illo offerente applicare; dummodo tamen aliquo die feriali ejusdem Hebdomadæ loco illius die festo applicatæ, aliam pro populo offerrent. Ita Berlendis. Idem sic refert & explicat SS. D. N. Benedictus XIV. in Notificatione 10. T. 1. ante suum Pontificatum anno 1732. edita. Illa concessio fuit ad triennium communicata Cassinensibus, PP. Theatinis, & aliis Cœnobiis Italiæ à Benedicto XIII. per aliud Decretum sub die 15. Julii 1724. confirmatum in Concilio Provinciali Romano tit. 13. C. 8. ac denique extensum ad Episcopos præsentes Synodo. Ex quo limitato Privilegio colligitur, eam translationem Applicationis non habere ubivis locum, ubi vel est major Parochianorum, vel eleemosinarum frequentiorum copia.

Quæritur 17. Estne adhuc probabilis sententia, quod Parochi non teneantur applicare Missam parochialem pro parochianis diebus Dominicis & festis de præcepto?

Respondeo. Hæc sententia non est amplius probabilis. Nam semper caruit ratione, nunc vero post tot Declarationes Cardinalium Tridentini Interpretum, & Summorum Pontificum etiam caret authoritate, quæ sufficiat ad constituendam authoritatem comparative probabilem; prout patet ex testimonio P. Merati, & moderni SS. D. N. Benedicti XIV. qui collegerunt omnes præfatas Declarationes; ille part. 3. C. 21. sui commentarii in Gavantum, iste *Notificatione* 10. Tom. 1. P. Meratus l. c. sic scribit: „ Communis sententia, quod Parochi teneantur applicare pro parochianis Sacrificium Dominicis saltem diebus, aliisque festis de præcepto *procul dubio* tenenda est, & contraria à paucis propugnata *omni caret probabilitate*, quia prima præfata sententia plurimis S. Congregationis Concilii Decretis remanet fulcita & confirmata. Habentur autem talia Decreta in una civitatis Castellanæ 20. Augusti 1628. & 8. Augusti 1648. In Hidruntina 13. Febr. 1639. *In Vercellensi* 21. *Martii* 1643. *In Romana* 27. *Julii* 1649. *In Melitensi* 7. *Jun.* 1692. *In Cremonensi* 20. *Decembris* 1692. *In Nonantulana* 31. *Augusti* 1698. *In Pistoriensi* 14. *Febr.* 1699. *In Theanensi* 5. *Junii* 1700. *In Pampelonensi* 18. *Novembris* 1702. & 31. *Martii* 1704. *In Camerinensi* 28. *Junii* 1704. *In Viterbiensi* 21. *Martii* 1708. *In Forosempronienst* 8. *Februarii* 1716. ubi constanter firmatur, quod Parochus sive habeat congruam, sive non, in festis tamen de præcepto ac diebus Dominicis, teneatur omnino pro ovibus suæ curæ commissis Missam applicare, quia Parochus non ratione sustentationis, sed ratione officii tenetur Sacrificium pro populo offerre, & excusatio tenuitatis congruæ Parochorum nunquam à S. Congregatione admissa fuit. Præfata autem S. Congregationis Decreta maximæ profecto sunt authoritatis, ita ut *destruant omnem probabilitatem* oppositæ sententiæ, & tanquam *decisivæ declarationes & interpretationes* S. Tridentini Concilii sunt observandæ, adeoque *vim Legis* habent, & ut leges recipiendæ sunt, utpote latæ ex Commissione Summorum Pontificum, & à personis vigore Constitutionum Apostolicarum habentibus à Summis Pontificibus plenam facultatem interpretandi præfati Concilii mentem. Præfatis allegatarum Decisionum authoritatibus maximum præsidium accedit ex Decreto S. Congregationis Concilii ab Innocentio XII. confirmato per Apostolicum suum Diploma datum 24. Aprilis 1699. cujus copiam hic exhibemus. *Innocentius XII.* &c. *Nuper à Congregatione Cardinalium C. T. interpretum emanavit pro parte Episcopi Pistoriensis & Pratensis Decretum tenoris, qui sequitur. Cum Parochi Ecclesiarum Pistoriensium & Pratensium inter varias opiniones Doctorum involuti negligant applicationem Sacrificii pro populo; Episcopus nedum ad consulendum propriæ, verum etiam dictorum Parochorum conscientiæ supplicat declarari; an dicti Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo, sive habeant congruam sive non? Die* 24. *Februarii* 1699. *S. Congregatio Cardinalium C. T. interpretum censuit, dandas esse Resolutiones alias hac de re editas, & signanter in unius Nonantulanæ* 30. *Augusti* 1698. *tenoris, ut infra.* (*Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit, pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias S. Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respective resoluto* 10. *Maji* 1692. *his præcisis verbis concepto. An Parochus Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis & Festis, sive habeant congruam sive non? Sacra Congregatio juxta alias declarationes censuit, nec posse eisdem diebus aliam eleemosinam recipere, ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres, addentes insuper, quod Eminentia vestra detrectantes Parochos compellere non gravetur.* Card. Sacripantes Præfectus. *Cum autem Episcopus* (Pistoriensis) *Decretum ejusmodi Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communicari desideret, Nos Decretum præinsertum authoritate Apostolica approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus*, &c.) Liquido igitur constat certitudo primæ sententiæ tot Decretis Sacræ Congregationis & S. Sedis Authoritate comprobatæ, unde in dubium verti non potest Parochorum obligatio applicandi Dominicis ac Festis diebus Missæ Sacrificium pro ovibus suæ Curæ concreditis." Hucusque P. Merati. Eodem modo loquitur SS. D. N. Benedictus XIV. in Annotationibus de Sacrificio Missæ ante Pontificatum Scriptis, ubi n. 57. dicit: *Rem certam esse, quod Resolutiones S. Congregationis Concilii, quando sunt generales, faciant*

ciant legem universalem, cum ad ipsam pertineat statuere regulam circa disciplinam, prout à nobis, inquit, sæpius est demonstratum. Consimiliter P. Berlendis l. c. §. 12. n. 16. dicit, ex adductis Decisionibus S. C. evinci, huic inevitabili oneri omnes Parochos subjici. Si quis ergo indifferenti animo consideret hæc omnia, non poterit intrepide asserere, probabilitatem oppositæ sententiæ esse certam. Quodsi certa non est, quomodo eam sequendo non incidet in fulmen vibratum in eos, qui docent, licitum esse sequi *tenuem probabilitatem?* aut licitum esse sequi probabilitatem in materia justitiæ, ubi agitur de gravissimo præjudicio tertii, sicut hic agitur de præjudicio communitatis Parochialis?

QUÆRITUR 18. Estne hæc obligatio Parochorum applicandi pro Parochianis diebus Dominicis & festis juris divini?

RESPONDEO. Est juris divini. Id colligitur ex sequentibus Indiciis. 1. Si hæc obligatio esset juris humani Ecclesiastici, S. Congregatio Concilii intra centum annos à tot variis Diœcesibus interrogata ab variantes circumstantias aliquando etiam in suis resolutionibus variasset, prout variare solet ob diversas circumstantias vel ob diversas Cardinalium sententias in aliis materiis disciplinæ. Ex qua ipsa resolutionum per integrum sæculum invariata uniformitate sequitur, has declarationes habendas esse pro interpretatione legis divinæ. 2. Perpetua traditio Patrum juncta cum perpetua observantia Ecclesiæ tam in Oriente quam in Occidente est signum certum institutionis saltem Apostolicæ, quæ circa ejusmodi obligationes internorum actuum præsupponit jus divinum. In præsenti autem materia obligatio applicandi fundatur in traditione Patrum & in perpetua observantia Ecclesiæ, prout ostendit P. Berlendis l. c. Eam certe obligationem supponit D. Nazianzenus Orat. 21. n. 8. ubi de pravis Sacerdotibus loquens ait: *Qui plura pro suis, quam populi peccatis Sacrificia debent.* Idem supponit D. Ambrosius, dum in Psal. 38. ad illa verba: *Verumtamen universa*, scribit, *Vidimus principem Sacerdotum offerentem pro nobis sanguinem suum; Sequamur, ut possumus, & nos Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium. Imo ipse manifestatur offerre in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* Ad eandem obligationem respicit S. Chrysostomus, dum exhortans divites, ut in pagis & villis exstruant Ecclesiam hoc motivo utitur; quod Sacerdos in Sacrificio Missæ perpetuam Patroni & incolarum sit memoriam habiturus. *Quantum est bonum*, inquit, *cum multa quiete Sacerdotem in Ecclesiam venire, ut accedat ad Deum; & pro pago aut villa quotidie Missam dicat? An censes, hoc rem exiguam esse, quod in sanctis oblationibus semper nomen tuum offeratur, & quotidie pro villa vel pago ad Deum preces fiant?* Ita scribit in acta Apostolorum C. 7. Hom. 18. Idem in Epist. ad Timotheum C. 1. Hom. 2. dicit: *Reverere*, inquit, (Parochum tuum) *quod tibi diebus singulis divina ministrat, tui gratia exornat domum, propter te vota persolvit, pro te Deum precaturus adstat, tui causa preces exsolvit, pro te apud illum Sacrificium, Religionis cultus, & obsequium est, pro te ista omnia.* Hæc D. Chrysostomus non potuisset nomine omnium Parochorum promittere populo, nisi omnes supposuissent obligationem offerendi Sacrificium pro populo. Idem in Missa, ubi apud nos fit oblatio, intentionem & applicationem aliam non ponit, nisi Imperatoris, Episcopi, Communitatis, & eorum, qui obtulerunt. *Memento*, inquit, *Domine Imperatorum nostrorum, memento spiritualis Patris nostri, & totius in Christo fraternitatis nostræ, & omnium, qui præmigraverunt è vita Patrum & Fratrum nostrorum. Memento eorum, qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt.* Hæc est forma illius applicationis veteris in Sacrificiis publicis, prout patet ex omnibus Liturgiis antiquis.

QUÆRITUR 19. An Beneficiati teneantur applicare Missam fundatam, si in litteris fundationis non exprimitur applicationis particularis obligatio?

RESPONDEO. Tenentur applicare pro fundatore, nisi ex aliis indiciis habeatur positiva præsumptio de opposita intentione fundatoris. Talis præsumptio haberetur, si fundator in aliis fundationibus expressisset obligationem applicandi, in alia autem fundatione eam non expressisset. Prior responsionis pars patet ex declaratione S. Congregationis Concilii, quæ in una *Tinenensi* anno 1668. 18. Augusti respondit, *applicandum esse Sacrificium pro anima testatoris.* Eodem modo fuit responsum in una *Vintimigliensi* 27. Aprilis 1729. ubi in fundatione continebatur, ut Sacerdos *oret pro anima testatoris.* Altera vero pars sumitur ex Responso ejusdem S. Congregationis dato in una *Ferrariensi* 11. Junii 1729. Sic & respondet SS. D. N. Benedictus XIV. in suis Annotationibus de Sacrificio Missæ ante Pontificatum scriptis n. 63. quia, inquit, licet præsumptio sit pro fundatore, quod obligationem applicandi pro sua anima voluerit annectere suo beneficio, ea tamen præsumptio potest vinci præsumptione contraria fortiore.

QUÆRITUR 20. An in Nativitate Domini datur obligatio applicandi omnes tres Missas pro fundatore requirente applicationem quotidianam?

RESPONDEO Tantum datur obligatio applicandi unam Missam. Ita respondet SS. D. N. Benedictus XIV. l. cc. ex sensu Doctorum.

QUÆRITUR 21. An in Ecclesiis Collegiatis detur obligatio, quotidie applicandi Missam Collegialem pro Benefactoribus?

RESPONDEO. Datur illa obligatio. Quodsi Ecclesia Collegialis simul sit Parochialis, debet illa pro Benefactoribus, vel altera Parochianis suppleri per aliam Missam, eodem vel alio die celebrandam. P. Merati part. 3. tit. 12. n. 2. dicit: „Canonici tam Cathedralium quam Collegiatarum præsertim insignium, tenentur quotidie Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus, consuetudine quacunque in contrarium minime refragrante, ut sæpe declaravit & decrevit S. Congregatio Concilii, nimirum in una Elnensi 5. Martii 1646. in Tusculana 16. Novembris & 24. Maji 1661. In Cæsenatensi 24. Maji 1661. In Alexandrina 26. Aprilis 1663. In Castellanæ civitatis 4. Mart. 1690.

„ 1690. In Hidruntina 1. Martii 1692. In Ferे„ trana 23. Septembris 1694. In Lanceonensi „ 13. Nov. 1694. In Cathaeensi 29. Nov. 1698. „ In Camerinensi 2. Julii 1704. & 1705. In Ri„ pana 2. Julii 1707. In Fulginat. 24. Jan. 1720. „ Illud tamen concessum est à S. Congregatione, „ quod Canonici habentes valde tenues præben„ das, quarum valor annuatim decem, triginta, „ vel quadraginta scuta (seu florenos 90) non „ exceedit, solum teneantur applicare diebus Do„ minicis & Festis de præcepto. „ SS. D. N. Benedictus L. c. n. 61. testatur, hanc moderationem à S. Congregatione Concilii factam esse 22. Julii anno 1729. Similem moderationem testatur factam esse anno 1722. 14. Martii pro Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Ferrariensis attenta eorum paupertate. Idem tamen part 3. tit. 11. num. 111. ex Pignatello & Scorsantono observat, tolerari posse consuetudinem, ut Missa Conventualis solum cantetur diebus festis, si numerus Canonicorum sit tantum exiguus, & redditus exigui; quia ad Missam cantandam requiruntur undecim personæ, septem videlicet ad altare, & saltem quatuor in choro.

Quæritur 22. An ad applicationem pro Parochianis in Dominicis & Festis obligentur etiam Vicarii perpetui?

Respondeo. Obligantur. Ita declaravit teste P. Merati l. c. S. Congregatio Concilii in *Camerinensi* 6. Jun. 1705.

Quæritur 23. An eandem obligationem contrahunt Parochi Regulares, nec non Curati amovibiles?

Respondeo. Affirmative, ob paria motiva obligationis, & *confirmatur* ex Praxi Romana Visitationis Apostolicæ parochiarum, in qua Parochi sive Regulares, sive sæculares, sive Vicarii perpetui, sive amovibiles, tenentur in libro seu Registro Missarum exhibere annotationem Missarum Dominicalium & Festivalium applicatarum pro populo.

Hæc de applicatione Missarum ex decretis sufficiant ad regulanda alia dubia, in quibus, si nulla reperiatur lex scripta, attendendum est ad sensum potiorem Doctorum, consuetudinem proborum, & æquitatem rationi indifferenti consonam.

Quæritur 24. An Regulares teneantur applicare Missam Conventualem?

Respondeo. De hac obligatione P. Meratus part. 3. tit. 11. n. IV. sic scribit: Cum in Collegiatis Ecclesiis certum sit, debere quotidie cantari Missam Conventualem, ut colligitur ex C. *cum Creatura* de celebrat. & aliis supra dictis, nunc in dubium vertitur, utrum etiam Regularium Ecclesiæ censeri debeant Ecclesiæ Collegiatæ. Gavantus tenet, quod Ecclesiæ Regularium minus proprie Collegiatæ dicantur; ex quo sequitur, non teneri ad multa, ad quæ tenentur Collegiatæ. Quoad applicationem Missæ Conventualis relate ad Regulares, optime advertit Rotarius, quod licet Bonacina & Fraxinellus sustineant, Missam Conventualem celebrari & applicari debere pro benefactoribus, nihilominus, ubi non est talis consuetudo, neque aliunde contracta sit hæc onerosa obligatio, secundum se Regulares Missam Conventualem libere applicare posse. Et ita tenet Pellizarius ex Diana, Peyrino, Cordoba, Trimarchio, Nigro, Leone ab eodem cit. Et re vera, ait Rotarius, rigorosa obligatio quotidiana & perpetua non sine gravi fundamento admitti debet; atqui neque ex ulla lege divina, aut humana expresse hæc obligatio habetur, neque ex alia implicita conventione cum Benefactoribus, qui, si eleemosinas faciunt Religiosis, censentur eas libere facere; & quando pinguem aliquam eleemosinam faciunt, explicare solent onus, quod imponunt; ubi ergo nullum onus expressum fuerit, censentur libere elargiri eleemosinas pro solo merito acquirendo, & pro participatione communium precum, quæ à Religiosis pro Benefactoribus fiunt, nec ulterius exigunt satisfieri per applicationem Missarum. Ita P. Merati. Sed alia videtur ratio circa Canonicos Regulares D. Augustini, D. Norberti. &c. utpote quorum Ecclesiæ proprie sunt Collegiatæ; & quorum fundationes primævæ plerumque factæ sunt pro Sacerdotibus essentialiter adscriptis divino officio in Sacrificio Missæ & choro. Si ergo Beneficiati tenentur applicare pro suis fundatoribus etiamsi obligatio applicandi non sit expressa in fundatione, ejusmodi Clericalia Collegia, tanquam titulo Beneficii, obligabuntur ad quotidianam applicationem Missæ.

§. XXIV.

De Cæremonialibus Missæ.

Quæritur 1. In quo loco possint dici Missæ?

Respondeo. Possunt dici 1. in Ecclesia consecrata, vel saltem benedicta à Sacerdote ad hoc habente commissionem ab Episcopo. 2. In oratoriis privatis pro ejusmodi celebratione privilegiatis. 3. Possunt dici etiam extra Ecclesiam vel oratorium, ubi excusat privilegium vel necessitas.

Quæritur 2. Quid statuit Concilium Tridentinum de oratoriis privatis?

Respondeo. Tridentinum prohibet, ne extra oratoria ab Episcopis visitanda dicantur Missæ. Sess. 22. de celebratione Missæ sic habet: *Ut irreverentia vitetur, singuli* (Episcopi) *in suis Diœcesibus interdicant, ne vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat, neve patiantur, privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus aut Regularibus quibuscunque peragi.*

Quæritur 3. An Concilium Tridentinum derogavit privilegiis Regularium, celebrandi in portatili etiam extra Oratoria in quovis loco honesto?

Respondeo. Derogavit. Ita testatur SS. D. N. Benedictus XIV. l. c. n. 46. ubi ait: *Sicut sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, Concilium Tridentinum derogavit privilegio Altaris portatilis, quod habebant Regulares, prout videri potest apud Pasqualigo;*

ge; & deducitur ex Resolutione S. Congregationis Concilii in una Toletana 4. Junii 1672. 2. Idem patet ex decreto edito à Clemente XI. emanato 15. Decembris 1703. & relato à SS. D. N. Benedicto XIV. l. c. in quo sic legitur: *Quod vero ad Altare portatile* (pertinet) *iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus* in C in his. de privilegiis. *Et per aliquos summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt*, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendo, ne iis utantur. 3. Idem probatur ex Concilio Provinciali Romano sub Benedicto XIII. ubi Tit. 15. C. 2. sic habetur: *Quod à f. r. Clemente XI. suo lato Decreto sub die* 13. *Decembris* 1703. *mandatum fuit circa usum Altaris portatilis, & Missarum celebrationem in oratoriis domesticis, volumus, Ecclesiarum omnium Episcopi in suis Diœcesibus publicent, & executioni demandent; cuivis insuper in privatis, ubi dormiri solet, cubiculis celebrandi facultate sublata. Hæc ut ab omnibus Regularibus præsertim, serventur, invigilent, adversusque contravenientes, speciali adhuc privilegio exemptos, Episcopi ipsi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati censuris etiam Ecclesiasticis procedant; indultis aut consuetudinibus quibuscumque non obstantibus.*

Quæritur 4. Si alicubi reperiatur Oratorium privatum, an in eo liceat celebrare cuicunque Sacerdoti, quocunque die, & sine ulla limitatione ad personas audientes?

Respondeo. Quando conceditur licentia celebrandi in Oratoriis privatis, solet apponi limitatio varia ac restrictio circa personas celebrantes, dies, personas, &c. Itaque tenor concessionis, qui deberet appendi in Oratorio, prius est inspiciendus.

Quæritur 5. An liceat celebrare in Ecclesia polluta, exsecrata, vel interdicta?

Respondeo. Non licet. Desumitur ex variis textibus juris Canonici l. 3. Tit. 40. de consecratione Ecclef. & l. 5. tit. 39.

Quæritur 6. Quandonam censetur Ecclesia polluta?

Respondeo. Polluitur Ecclesia 1. Per humani sanguinis copiosam effusionem graviter peccaminosam, eamque notoriam. 2. Per humani seminis effusionem voluntariam, ac notoriam, etiam conjugalem. 3. Per sepulturam hominis excommunicati v. g. hæretici, quamvis in foro externo politico tolerati; nam & isti non possunt sepeliri in loco sacro, nisi ubi ob necessitatem & tranquillitatem publicam censetur dispensare Ecclesia. Idem dicendum de sepultura infidelis, seu nondum baptizati. Sunt tamen authores, qui hoc solum admittunt de excommunicatis non toleratis, & de solis infidelibus adultis. 4. Per homicidium voluntarium. Ita communis.

Quæritur 7. Quandonam censeatur Ecclesia execrata?

Respondeo. Ecclesia exsecrari dicitur, quando perdit suam consecrationem. Hanc autem perdere censetur, si destruatur simul majore sui parte. Si vero non destruatur simul majore sui parte, sed successive intervallo longo temporum, ita ut non fit actio destructiva vel reparativa moraliter continua, non censetur execrata Ecclesia, etsi successive hoc modo destruatur tota. Ita communis. Ex quo colligitur, in hujusmodi rebus non attendi ad identitatem physicam, sed ad moralem consecrationis.

Quæritur 8. An polluto cœmeterio etiam censeatur polluta Ecclesia?

Respondeo Negative. Ita communis. Idem colligunt Doctores, si pollutio fiat in campanili, vel in Sacristia.

Quæritur 9. Quandonam censetur exsecratum esse Altare, sic ut in illo non liceat celebrare?

Respondeo. Exsecratur Altare tam portatile, quam fixum, si in eo fiat notabilis fractio, sic, ut in nulla ejus parte integra Calix cum patena reponi debeat. Altare antem fixum exsecratur etiam in casu, quo movetur è suo loco. Ita dicitur C. *Quod in dubiis*. h. t. *Tabula si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari.*

Quæritur 10. An censetur exsecrata vel polluta Ecclesia, si in ea excommunicatus denuntiatus celebret?

Respondeo Negative. Ita censet Sylvius cum Suarezio.

Quæritur 11. Si tempore belli Ecclesia convertatur in domum militarem, Hospitale, vel stabulum, an censetur polluta vel exsecrata?

Respondeo. Habenda est pro execrata, quia perdidit in æstimatione morali honorem suum; & ob hoc est reconciiianda, non tamen de novo consecranda. Colligitur ex identitate motivi.

Quæritur 12. An liceat celebrare Missam coram Excommunicato?

Respondeo. Si excommunicatus fuerit toleratus, & ille assistere velit sine irreverentia, & non ex contemptu in opprobrium Ecclesiæ, id licet. Si vero sit excommunicatus non toleratus, non licet; & coram eo celebrans incurreret excommunicationem minorem. Patet ex C. *is, qui*, de sent. Excomm. Itaque talis excommunicatus esset vi ejiciendus ex Ecclesia; & si non posset expelli, celebrans, si nondum pervenerit ad consecrationem, deberet desistere à celebratione. Si tamen jam venit ad consecrationem, prosequenda est usque ad sumptionem: desumitur ex variis CC. de sent. Excommun.

Quæritur 13. Quo tempore est celebranda Missa?

Respondeo. Regulariter dicenda est à tempore diluculi usque ad horam duodecimam. Ita præscribitur in rubrica 15. Missalis Romani, ubi dicitur: *Missa privata, saltem post Matutinum & laudes; quacunque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* In casu vero specialis motivi *consuetudo* timoratorum, id est, praxis *non unius* vel alterius sed *plerorumque* in ejusmodi circumstantiis servanda est.

Quæ-

QUÆRITUR 14. Estne peccatum, celebrare ante recitatum matutinum & laudes?

RESPONDEO. Si id fiat ex causa rationabili, non est peccatum. Ita communis. Imo nisi fiat ex mera negligentia passim, non est peccatum.

QUÆRITUR 15. Qualia requiritur præparatio Altaris ad licite celebrandum.

RESPONDEO. Rubricæ Missalis præscribunt sequentem. 1. Altare operiatur tribus mappis mundis benedictis. 2. Super Altare collocetur crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis. Si vero Icon Altaris est tabula picta, vel statua Crucifixi, quæ sit in conspectu Sacerdotis, non requiritur alia crux in Altari, prout decisum est à S. Congregatione Concilii 5. August. 1663. teste P. Merati. Idem sentit, sufficere solam crucem, etsi in ea non reperiatur imago Crucifixi.

QUÆRITUR 16. Qualia requiruntur vestimenta ad licite celebrandum?

RESPONDEO. Requiruntur sequentia: 1. Amictus. 2. Alba. 3. Cingulum. 4. Manipulus. 5. Stola. 6. Casula seu Planeta. Requiritur 2. ut sint benedicta, antequam prima vice ad usum sacrum adhibita fuerint. Requiritur 3. ut non sint lacera vel rupta. Requiritur 4. color eorundem congruus festo.

QUÆRITUR 17. An in casu necessitatis liceat uti uno colore pro alio, aut colore mixto?

RESPONDEO. Id licet. P. Merati in suo Commentario in Rubricas p. 1. tit. 18. dicit: Extra casum necessitatis non debent adhiberi Planetæ mixti coloris, quamvis sit hic usus communis multarum Ecclesiarum; nam in casu necessitatis non improbamus hunc usum; quia sicut in hoc casu possumus uti veste alba pro nigra, cum Rubrica de coloribus paramentorum non sit tam rigorosa, ita multo magis possumus uti Planeta mixti coloris.

QUÆRITUR 18. An in Ecclesiis Regularium liceat se accommodare quoad colorem illi Ecclesiæ?

RESPONDEO. Id licet, & decet fieri. Ita decisum est à S. Congregatione Rituum duobus sequentibus Decretis, quæ refert P. Merati l. c. 1. *Exteri celebrantes Missam in Ecclesiis Regularium debent adhibere eundem colorem, quo utuntur prædicti Regulares.* 11. Junii 1701. 2. *Tam Fratres celebrantes in aliqua Ecclesia aliena, quam propria, debent uti eodem colore, qui in illa Ecclesia adhibetur.* 11. Junii 1701.

QUÆRITUR 19. An in casu necessitatis liceat celebrare sine amictu, vel Manipulo, vel stola, aut Cingulo?

RESPONDEO. Cum Ecclesia non sit superstitiosa, præsumendum est, eam non præcipere omissionem majoris boni ad obtinendum minus bonum, quale est decentia vestium; præsertim si non sit notabilis ad causandum scandalum in populo.

D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

QUÆRITUR 20. Qualia requiruntur vasa sacra, & integumenta ad licite celebrandum?

RESPONDEO. In Rubricia Missalia requiruntur sequentia. 1. Calix, cujus saltem cuppa est argentea intus deaurata, ab Episcopo vel habente Privilegium consecratus. 2. Patena pariter inaurata & consecrata. 3. Purificatorium mundum. 4. Palla parva linea. 5. Velum sericum. 6. Bursa colore correspondens Paramentis. 7. Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.

QUÆRITUR 21. An & qualis requiritur Minister?

RESPONDEO. Requiritur masculus; & si talia haberi non possit, melius est præsertim in casu necessitatis, celebrare sine Ministro, ac sibimet ipsi respondere, quam adhibere fœminam, dummodo adsit, qui ampullas ministret. In C. *prohibendum* l. 3. Tit. 2. dicitur: *Prohibendum est, ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere.* Idem prohibetur expresse in part. 2. Rubricarum Missalis. Tit. 10. *de defectibus.*

QUÆRITUR 22. Quale ad licite celebrandum requiritur jejunium?

RESPONDEO. Requiritur jejunium naturale à medio noctis. Si Sacerdos tamen ex oblivione vel incuria comedisset aliquid, & dein urgeret necessitas celebrandi, ita ut omisso sacro oriretur in populo murmur vel scandalum, posset tuto celebrare; quia leges Ecclesiasticæ non sunt superstitiosæ, ita ut nudam honestatem cæremonialem juris Ecclesiastici præponant bono meliori Sacramenti & Charitatis. Rubrica 9. Missalis sic habet: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare vel celebrare. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat. Sed ob devotionem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.* Censent quidem aliqui Authores, etiam reliquias illas ciborum, si ex industria deglutiantur, frangere jejunium naturale; Sed Quartus, & alii censent oppositam, esse probabiliorem, quia non se habent per modum novæ comestionis.

QUÆRITUR 23. An impedit licitam celebrationem nocturna pollutio?

RESPONDEO. Rubrica 9. Missalis sic docet: *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione & celebratione, nisi aliud* L *conses-*

confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, & ex diabolica illusione, potest communicare & celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

Quæritur 24. Cur Ecclesia utatur aliis vestibus in Sacrificio Missæ, quam in usu vulgari?

Respondeo. Variæ hujus observantiæ possunt reddi rationes. 1. Quia etiam in veteri Testamento Sacerdotibus oblaturis Sacrificium erant præscriptæ vestes aliæ, quam in usu vulgari. 2. Quia major conciliatur Sacramento reverentia. Quia sic major in Ecclesia servatur uniformitas; tum quod rationes in vestitu vulgari differant, tum quod eædem nationes in vestitu perpetuo varient. 4. Quia sic major conservatur vestium sacrarum decor & mundities. 5. Quia & Reges in cæremoniis solennibus utuntur alio vestitus genere.

Quæritur 25. Estne antiquus hic mos Ecclesiæ, in Sacrificio utendi aliis vestibus, quam vulgaribus.

Responneo. Hic mos jam viguit ubique sæculo quarto; adeoque referendus est ad prima tempora. D. Hieronymus in C. 44 Ezech. dicit: *Religio divina alterum habitum habet in ministerio; alterum in usu, vitaque communi.* Idem l. 1. contra Pelagianos testatur, Episcopos, Presbyteros, & omnem Clerum in Sacrificii administratione candidis vestibus uti. Theodoretus l. 2. Hist. C. 27. testatur, Constantinum Macario Episcopo Jerosolymitano donasse *sacram vestem aureis filis contextam, ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret.*

Quæritur 26. An vestibus sacris conveniat aliqua significatio ex institutione Ecclesiæ?

Respondeo. Qnamvis vestes sacræ ab initio habuerint suum usum & finem proprium, ob qnem fuerunt adhibitæ, successive tamen ex devotione Antistitum obtinuerunt varias significationes accommodatitias, quarum nonnullæ acceptatione plurium redditæ sunt solenniores ac celebriores. Quamvis ergo per legem universalem Ecclesiæ nulla habeatur significationis fixæ ac uniformis institutio, ille tamen semper viguit Ecclesiæ spiritus, ut vestibus sacris tribuatur aliqua significatio accommodatitia congrua, præsertim recepta à Conciliis particularibus, Rubricis, & Doctoribus Ecclesiæ, ut in veritate dici possit, omnem illam significationem accommodatitiam vestibus sacris à Doctoribus Ecclesiæ, Rubricis, & Conciliis alligatam, quantumvis variam, esse conformem menti Ecclesiæ, ac ab illa approbatam, ratam, ac intentam. Idem sentiendum de aliis Cæremoniis Missæ; ob quod Tridentinum Sess. 22. C. 5. sic docet: „Cum natura hominum ea sit, ut non facile „queat sine adminicnlis exterioribus ad rerum „divinarum meditationem sustolli; propterea „pia mater Ecclesia ritus quosdam instituit. Cæ„remonias item adhibuit, ut mysticas bene-„dictiones, lumina, thymiamata, vestes, alia„que id genus multa ex Apostolica disciplina & „traditione, quo & majestas tanti sacrificii com„mendaretur, & mentes fidelium per hæc vi„sibilia Religionis & pietatis signa ad rerum al„tissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, con„templationem excitarentur.

§. XXV.

De Rubricis Missæ.

Quæritur 1. Quid sunt Rubricæ Missæ?
Respondeo. Sunt directiones, quibus præscribitur modus uniformis in toto orbe celebrandi Missam juxta Ritum Romanum.

Quæritur 2. Quis præscripsit has Rubricas?

Respondeo. Eas pro toto orbe præscripsit S. Pius V. in Bulla *Quo primum* anno 1570. In ista Bulla præcipit, ut in omnibus Episcopatibus, in quibus ultra ducentos annos non viguit alius Ritus, observetur Ritus Ecclesiæ Romanæ in eo Missali Romano, quod ex antiquis exemplaribus edidit, præscriptis, in præfata Bulla S. Pontifex sic habet: „Cum in Ecclesia Dei „unum esse Missæ celebrandæ ritum maxime „deceat, necesse videbatur, ut de Missali eden„do cogitaremus. Quare eruditis viris hoc „onus mandandum duximus, qui diligenter col„latis omnibus cum vetustissimis nostræ Vati„canæ Bibliothecæ, aliisque conquisitis emen„datis, atque incorruptis codicibus, nec non „veterum Patrum normam ac ritum restitue„runt, quod Romæ imprimi mandavimus, ut „Sacerdotes intelligant; quibus precibus uti, „quos ritus, quasve cæremonias in Missarum „celebratione retinere postbac debeant. Ut „autem à sacrosancta Romana Ecclesia, cæte„rarumque Matre & Magistra tradita ubique am„plectantur omnes & observent, ne in Eccle„siis, in quibus Missa Conventualis juxta Ro„manæ Ecclesiæ ritum dici consuevit, vel de„bet, alias quam juxta Missalis à nobis editi for„mulam decantetur, vel recitetur, nisi ab ipsa „prima institutione vel consuetudine, quæ su„per ducentos annos assidue in eisdem Eccle„siis observata sit, à quibus præfatam consue„tudinem nequaquam auferimus, ex omnibus „aliis Ecclesiis Missalium *(aliorum)* usum tollen„do, illaque penitus & omnino rejiciendo sta„tuimus, mandantes, & in virtute sanctæ obe„dientiæ præcipientes, ut *(omnes Patriarchæ, „Episcopi, &c.)* cæteris omnibus ritibus ex aliis „Missalibus quantumvis vetustis hactenus ob„servari consuetis in posterum penitus omissis „Missam juxta ritum ac normam, quæ per Mis„sale hoc nunc traditur, decantent, ac legant, „neque in Missæ celebratione alias Cæremonias „vel preces, quam quæ hoc Missali continen„tur,

„ tur, addere vel recitare præsumant; non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec „ non Ecclesiarum prædictarum immemorabili „ præscriptione, non tamen supra ducentos an„ nos roborata, &c.„ Clemens VIII. per Bullam 108. *cum sanctissimum* anno 1604. Missale, à Pio V. editum, cum fuisset à nonnullis Typographis corruptum, pristinæ integritati restituit. Corruptio autem, de qua conqueritur Pontifex, consistebat in hoc, quod Introitus, Gradualia, & Offertoria, quæ in Missali Romano sumpta sunt ex Versione Bibliorum antiquiore D. Hieronymo, juxta versionem D. Hieronymi seu vulgatam posita fuerint.

Quæritur 3. An in Diœcesi Augustana Missale Romanum à S. Pio V. editum statim receptum fuerit?

Respondeo. Non fuit receptum ante annum 1610. haud dubie ob eam rationem, quia ultra ducentos annos ante editionem illam S. Pii in Diœcesi Augustana, sicut in aliis Diœcesibus Germaniæ, viguit Missale proprium. Tale Missale proprium prodiit typis anno 1489. sub titulo: *Ordo Missalis secundum Breviarium Chori Ecclesiæ Augustensis*, cura Friderici Episcopi. Secunda editio in minori forma est 1491. Tertiam editionem fieri curavit Henricus Episcopus anno 1510. Quarta demum editio comparuit 1555. sub titulo: *Missale secundum ritum Augustensis Ecclesiæ emendatum & locupletatum Mandato & impensis* RR. Othonis Episcopi Augustani. Quoad substantiam tamen ista Missalia propria non differunt ab antiquo Romano. Differunt autem quoad Rubricas.

Quæritur 4. Quomodo dividuntur Rubricæ?

Respondeo. Dividuntur in *Præceptivas* & *Directivas*. Præceptivæ vocantur, quæ obligant in conscientia. Directivæ vocantur, quæ ponuntur tantum consilii causa.

Quæritur 5. An Rubricæ *præceptivæ* omnes ex suo genere obligant sub peccato mortali?

Respondeo. Aliqui Authores dicunt, omnes Rubricas *præceptivas* esse ex suo genere sub mortali, quamvis ratione parvitatis materiæ transgressio possit esse tantum peccatum veniale. Hujus sententiæ est Gavantus & P. Meratus, qui pro se citat *Suarezium*, *Aversam*, *Coninck*, *Bonacinam*, &c. Quidquid de hoc sit, conveniunt tamen authores in hoc, quod ob parvitatem materiæ, ac multo magis ob inadvertentiam, incuriam, negligentiam, præcipitantiam, aut ignorantiam tantum leviter culpabilem transgressio Rubricæ etiam præceptivæ tantum sit peccatum veniale. Aliud foret, si quis per transgressionem alicujus Rubricæ præceptivæ intenderet introducere novum ritum contrarium Rubricis & observantiæ universali in Diœcesi vel Germania; aut certe scienter talem Rubricam certo præceptivam non obstante generali aliorum proborum observantia transgrederetur constanter, adeoque *ex contemptu*.
D. Amort Tract. de Extr. Unct. & Ord.

Quæritur 6. An illæ preces ante & post Missam, quæ vocantur *Accessus* & *Recessus* pertinent ad Rubricas præceptivas vel directivas?

Respondeo. Quartus in Quæstion. Proem. Sect. 2. punct. 2. tradit hanc regulam, quod Rubricæ continentes ea, quæ recitari vel fieri debent à Sacerdote ante Missæ celebrationem, vel immediate post Missam, non sint præceptivæ, sed directivæ.

Ratio est, quia S. Pius loquitur de ritibus servandis in ipso actu celebrationis, non vero de actibus præviis vel subsequentibus. Quoad substantiam tamen aliquis *Accessus & Recessus*, id est, præparatio, & gratiarum actio requiritur jure naturæ & divino; ut proin, nisi excuset necessitas, aut aliud opus pietatis, nunquam omitti possit aliqualis recollectio saltem mentalis & protestatio præparationis antecedentis vel conversationis cum Deo subsequentis etiam externa sine peccato irreverentiæ, quæ si continuetur per integrum v. g. annum, sicque transeat in consuetudinem, videatur coalescere in negligentiam gravem, ac contemptum interpretativum tam tremendi Officii, quod non potest fieri sine peccato mortali.

Quæritur 7. Quibus Regulis dignosci potest, an Rubricæ sint præceptivæ vel directivæ? aut quandonam pertineant ad materiam gravem, vel levem?

Respondeo. Gavantus part. 3. Tit. 10. tradit sequentes Regulas.

Regula 1. Quando in Rubricis habetur hæc vox, *gravissime* vel *graviter* peccat, certissimum est, significari peccatum mortale. Septies autem habetur, ubi de defectibus Missæ agitur. 1. Si non in Azymo conficiatur Sacramentum in Ecclesia Latina. 2. Si vinum cœperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre; vel mustum de uvis tunc expressum; vel sine aqua fiat Sacrificium, vel cum aqua non naturali. 3. Si celebrans in forma aliquid adderet, quod significationem mutaret. 4. Si celebret suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel canonice impeditus. 5. Si celebret in peccato mortali habens copiam confessoris. 6. Si non habens copiam confessoris sine contritione in peccato mortali celebret. 7. Si integra Sacramenta extra casus necessitatis non sumpserit. Hæc omnia habentur Tit. 3. 4. 5. 8. 10.

Regula 2. Quando Rubricæ materia pertinet ad integritatem Sacramenti seu Sacrificii, ea ita gravis censenda est, ut omissio sit peccatum mortale. Ejusmodi sunt, quæ de pane, vino, aqua miscenda vino, intentione, forma, sumptione utriusque speciei sunt præscripta, quæ omnia sub mortali sunt juxta Rubricas observanda. Circa has tamen duas Gavanti regulas observari meretur, eas versari circa objecta aliunde jure naturali vel divino præcepta, ut proin Rubricæ non imponant obligationem novam, sed eam præcise urgeant, quæ præsupponitur jure naturali vel divino.

Regula 3. Illæ Rubricæ ſunt præceptivæ ſub peccato gravi, in quibus concordant Doctores, eſſe de re gravi & ſub mortali obſervandas eſſe. Tales Rubricæ ſunt de addenda particula *enim* in forma; de loco celebrandi non prohibito, de Ara conſecrata; de lumine, de diſpoſitione corporis, jejunio videlicet naturali, de Canone integre & ſecrete recitando, de prima purificatione cum vino, de numero & benedictione veſtium &c. Cum vero moleſtum ſit, ſemper exquirere judicia Doctorum, præſertim authoritate valde inæqualium & raro conſentientium, hujus regulæ loco ſubſtitui poſſet iſta; *Transgreſſionem illarum Rubricarum eſſe peccatum mortale, quæ graviter repugnat fini à Legislatore intenta*, nempe Uniformitati Eccleſiæ, ſeu, *quæ inducit notabilem difformitatem Ritus Liturgici in Eccleſiam*, quod cujuslibet proprio judicio ac conſcientiæ ſine fuco & palpo æſtimandum relinquitur. Hæc autem difformitas gravis aliquando habetur in unicæ Rubricæ transgreſſione, aliquando ex collectione transgreſſionum plurium.

Regula 4. Aliquæ Rubricæ ſunt ſtrictioris juris, v. g. circa Miſſas conventuales, & Cathedrales vel Collegiales. *Ratio* eſt, quia in transgreſſione ejusmodi Eccleſiarum naſcitur major difformitas.

Regula 5. Dubie obligant illæ Rubricæ, de quarum obligatione Doctores diſputant. Tales ſunt de principio auroræ, de fine meridiei, de orationibus ad veſtes, & poſt Miſſam, &c.

Regula 6. Reliquæ Rubricæ ſunt directivæ; niſi accedat contemptus, aut aliorum ex omiſſione ſcandalum, quale plerumque intercedit in actionibus publicis omnium obſervationi expoſitis.

Quæritur 8. Quid agendum circa illas Rubricas, quarum obligatio juxta Doctores eſt dubia?

Respondeo. Sequendum cuivis illud eſt, quod credit eſſe verius ac rationabilius, ut enim docet D. Paulus: *Quilibet in ſuo ſenſu abundet.* Rom. 14. Servit etiam in hujusmodi cæremonialibus dubiis, quæ non influunt in meliorationem aut depravationem morum, illa regula, quam ponit D. Barnabas Apoſtolus in ſua Epiſtola n. 21. his verbis: *Etiam atque etiam rogo, eſtote vobis boni legislatores.* Si igitur non liquet, an in hac vel illa Rubrica fuerit intentio præceptiva, vel directiva, vel permiſſiva, ſtatuat quilibet, eam fuiſſe Intentionem Eccleſiæ, quam credit fuiſſe prudentiorem, aut quam ipſemet haberet juxta leges prudentiæ legislativæ reſpicientis ad bonum publicum, & decorem Eccleſiæ, ſi ipſemet foret Legislator.

Quæritur 9. An Decreta S. Congregationis Rituum obligent in conſcientia?

Respondeo. Quando Decreta S. Congregationis Rituum tantum ſunt Reſponſa ac reſolutiones ad interrogationem perſonæ, vel communitatis, vel Diœceſis particularis, non faciunt legem pro univerſali Eccleſia, nec obligant omnes in conſcientia; quamvis in iisdem, vel conſimilibus caſibus deccat, ejusmodi S. Congregationis Reſponſa ſeu Decreta particularia præferre ſententiæ & authoritati aliorum Doctorum oppoſitæ ſententiæ. Si vero Decreta S. Congregationis Rituum edita fuerunt pro tota Eccleſia, vel ſaltem contineant clauſulam aut formam alicujus Decreti generalis pro univerſa Eccleſia, eo ipſo obligant in tota Eccleſia, ſi fuerint debite promulgata per Epiſcopos, vel eorum Miniſtros pro inſinuatione Decreti conſtitutos. Ita P. Merati part. 3. tit. 11. cujus verba, quia frequentiſſime dirigunt circa ejusmodi Decreta multiplicia, annecto. „*Præter Rubricas Miſſalis* inquit, quæ conſiderantur tanquam regula prima & immediata Sacrorum Rituum Miſſæ, adſunt etiam S. R. C. Decreta, quæ cenſeri debent pariter tanquam regula proxima eorundem Rituum, quia hæc S. Congregatio facultatem habet declarandi & interpretandi quæcunque dubia, quæ inſurgunt circa ritus Eccleſiaſticos, ut colligi poteſt ex conſtitutione 74. Sixti V. *Immenſa bonitas.* Oritur autem quæſtio, utrum prædicta Decreta S. R. C debeant reputari tanquam regulæ præceptivæ, vel ſolum tanquam regulæ directivæ? Sed, antequam hoc dubium reſolvatur, prænotare debemus, quod non omnes præmemoratæ S. Congregationis declarationes ſint aut dici debeant *Decreta rigoroſe ſumpta*, etiamſi de illis authentice conſtet. Hæ igitur reſolutiones duntaxat Decreta rigoroſa cenſenda ſunt, quæ à dicta Congregatione emanant in forma rigoroſa Decreti, vel ſaltem in fine habent aliquam Decreti clauſulam. Ita Decretum rigoroſum & præceptivum certe cenſeri debet illud editum 21. Jan. 1681. in quo ſequentia leguntur: *Sacra Rituum Congregatio ad relationem Em. & RR. D. Cardinalis Columnæ, inſtantibus cæremoniarum Magiſtris Baſilicæ Principis Apoſtolorum, declaravit & decrevit, occurrente Feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ vel aliis ſimilibus privilegiatis, ita ut illius Officium contingat transferri, non eſſe ob id protrabendam etiam recitationem Antiph.* Alma Redemptoris. -- *ſublata quolibet alio quarumcunque Eccleſiarum uſu ſive conſuetudine. Ita ab omnibus, qui Breviario Romano utuntur, ſervari mandavit.* Rurſus ejusdem generis eſt aliud Decretum editum 24. Jan. 1682. in quo decernit de translatione Feſtorum ad libitum, addendo in fine; *Et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſervari mandavit.* Præfatæ duæ S. Congregationis Reſolutiones, & aliæ iis ſimiles habent conditiones profecto requiſitas ad rigoroſum Decretum. Hujusmodi autem Reſolutiones & Declarationes vere obligant in utroque foro, ſi alias authentice de ipſis conſtet; aliasque habeant conditiones requiſitas à Theologis & Canoniſtis ad vim obligandi inducendam.

„Si vero Declarationes S. R. C. ſunt ſolum Reſponſiones ſeu Reſolutiones dubiorum, eidem propoſitorum ab aliquo Eccleſiaſtico, vel ab aliquibus Cæremoniarum Magiſtris,

ſive

„ sive ab aliquo Regularium Ordine vel ab aliquibus Episcopis, ut frequenter contingit, „ & tales responsiones ab ipsa Congregatione „ emanent, nulla adjecta clausula rigorosi De„ creti aliquid prohibentis vel præcipientis, „ tunc juxta nonnullorum opinionem prædictæ „ Declarationes censentur Regulæ tantum dire„ ctivæ, non vero præceptivæ. Reputantur „ siquidem tanquam sapientissimorum virorum „ responsa, quæ oppositæ sententiæ probabili„ tatem non tollunt. Verum quando adsunt „ hujusmodi Resolutiones, & habentur autho„ res contrarium sentientes, in tali conflictu de„ bent præferri Congregationis decisiones aliis „ quibuscunque Doctoribus contrarium asseren„ tibus, ut tradit Ursaya hujus almæ urbis ce„ lebris Advocatus. Cæterum quando hujus„ modi decisiones referuntur ab aliquo authore, „ non censentur sufficienter propositæ, neque „ habentur pro canonice publicatis, sed tunc „ semiplenam tantum habent fidem; nec major „ eis adhibenda fides est, quam illis Doctoribus, „ qui eas referunt, ut de iis, quæ à Gratiano „ referuntur in suo Decreto, docet Bonacina „ de legibus disp. 1. q. 1. p. 3." Hucusque P. Merati.

Ex quibus omnibus sequitur, S. Congregationis Rituum Decreta particularia, quæ tantum ad particulares personas, Communitates, Ecclesias, vel Diœceses edita sunt, non facere legem universalem, nec obligare in conscientia. Alia vero decreta universalia, quæ certe paucissima sunt, nec ipsa pariunt obligationem, antequam promulgentur authentice, id est, per Episcopos, ad quos genuinæ leges universales Summi Pontificis solent dirigi. Aliud dicendum, si Declarationes S. Congregationis Rituum non contineant novam legem, sed tantum explicationem prioris legis universalis; tunc enim non est opus, ut de ea declaratione fiat promulgatio per Episcopos, sed sufficit notitia certa, undecunque demum hausta, ad obligationem inducendam, quia illa declaratio non ponit legem, sed tantum declaratione authentica applicat legem, pro tota Ecclesia quondam constitutam.

Quæritur 10. Quid agendum, si in aliqua Diœcesi, vel ordine religioso vigeat consuetudo contraria Rubricis?

Respondeo. S. Congregatio Rituum constanter tolerat consuetudinem saltem immemorialem, contrariam Rubricis. Itaque tuta conscientia licet se conformare consuetudini Diœcesanæ, præsertim in rebus levioris momenti, quæ non vergunt in abusus, nec cedunt in deformitatem cultus publici. P. Merati in recensione Decretorum S. Congregationis Rituum affert plura ejusmodi Decreta, in quibus S. Congregatio positive respondit pro observantia consuetudinis, etsi contrariæ Rubricis: dummodo cæteroquin fuerit rationabilis, nec positive dedecens. Decreta v. g. sequentia. „ *Secundum.* „ Monachi Congregationis Cassinensis non sunt „ ullo modo cogendi accedere, nisi ad Processionem SS. Sacramenti juxta eorum antiquam „ consuetudinem, quam eis ubique conservandam esse censuit, & declaravit S. C. R. 10. Jun. „ 1602. *Quartum.* Consuetudo immemorialis „ ut præter Diaconum, & Subdiaconum Canonico celebranti assistat unus Capellanus Pluvia„ li servanda est. S. R. C. 19. Jun. 1602. in *Mantuana. Quintum.* Usus semel introductus jux„ ta regulas libri Cæremonialis (particularis) „ servandus est, & Pax cum osculo omnibus vi„ ris Ecclesiasticis in Choro *sedentibus* danda est. „ S. R. C. 8. Jul. 1601. *in Messanensi. Vigesimum secundum.* Ubi adest consuetudo, quod Cano„ nici & Dignitates ministrent Episcopo Mitram, „ Gremiale, Thuribulum, & id genus alia, de„ bet servari. Sicut etiam, si adsit consuetu„ do, quod Dignitas seu Canonicatus gestet ba„ culum ante Episcopum in quibusdam solenni„ tatibus. 5. Jul. 1603. *in Lamecen.* & 14. Nov. „ 1676. *in Bituntina. Vigesimum sextum.* Con„ suetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cru„ ci Feria IV. in Parasceve, dentur Magistris „ Cæremoniarum, servanda est. 29. Nov. 1603. „ in *Beneventana.* Consimili modo jubetur serva„ ri consuetudo, ut Capellani capite detecto „ ministrent Canonicis Cappas vel Pluvialia, ut „ Canonico solenniter celebranti detur assistens, „ ut Cereus Paschalis etiam accendatur ad Ma„ tutinum, ut Missæ Conventuales intra octa„ vam Corporis Christi possint cantari sine Dia„ cono & Subdiacono, ut servetur liber cære„ monialis contra Decretum in visitatione fa„ ctum, ut Passio Domini in die Palmarum, & „ in Parasceve cantetur à Canonicis, ut Epis„ copus, quando in Processione defertur imago „ vel Reliquia, possit incedere ante imaginem „ vel Reliquiam, &c." Ex his decretis, quæ P. Merati in sua collectione Decretorum exhibet Num. 33. 35. 68. 80. 110. 130. 239. apparet, à S. Congregatione Rituum non rejici consuetudines, nisi contineant positivam indecentiam, quæ tolerari decenter nequeat.

§. XXVI.

De Censuris in genere & specie.

Cum facultas ferendi Censuras annexa sit Jurisdictioni Spirituali; vita autem in subjecto Clericatum supponat, congrue hoc loco de Censuris agendum censui.

I.

De Censuris in genere.

Quæritur 1. Quid est Censura?

Respondeo. Est pœna Ecclesiastica medicinalis, per quam homo baptizatus delinquens & contumax privatur usu quorundam bonorum spiritualium.

Quæritur 2. Quomodo dividitur Censura?

Respondeo. Dividitur in Interdictum, suspensionem, & excommunicationem. Ita dividit innocentius III. C. *Quærenti.* De V. S. ubi ait:

ait: *Quærenti, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, respondemus, quod per eam non solum Interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.*

QUÆRITUR 3. Quomodo differt Censura ab irregularitate, depositione, degradatione, cessatione à divinis?

RESPONDEO. Censura est *pœna*; irregularitas vero & cessatio à divinis non semper est pœna. Dein Censura est pœna *medicinalis*, quæ proin ordinatur ad emendationem, qua secuta tollitur & censura. Econtra depositio & degradatio non sunt pœnæ medicinales, sed vindicativæ, quæ non tantum durant usque *ad tempus* emendationis, sed sunt de se perpetuæ.

QUÆRITUR 4. Quid est Censura *ferendæ*, & Censura *latæ* sententiæ?

RESPONDEO. Censura *latæ* sententiæ est, qoæ incurritur *ipso facto*, seu ipsa perpetratione criminis, quin requiratur ejus denuntiatio, convictio, aut sententia *condemnatoria* Judicis; quamvis nonnunquam requiratur sententia *declaratoria* criminis. Econtra Censura *ferendæ* sententiæ est, quam primum infligit Judex sua sententia condemnatoria, examinata prius causa.

QUÆRITUR 5. Quibus indiciis agnoscitur, an Censura sit *latæ*, an *ferendæ* sententiæ?

RESPONDEO. In Censuris *latæ* sententiæ solent adhiberi termini *præsentis* temporis v. g. *sit ipso facto excommunicatus*, suspensus, interdictus, hoc modo, *excommunicamus*, *excommunicavimus*, *noverit* se excommunicatum, *incurrat* excommunicationis sententiam, *subjacet* excommunicationi. Econtra in Censuris *ferendæ* sententiæ solent adhiberi termini *futuri* temporis, vel *imperativi*, v. g. excommunicabitur, *excommunicetur* &c.

QUÆRITUR 6. Quid est Censura *à Jure*, & Censura *ab homine?*

RESPONDEO. Censura *à Jure* vocatur, quæ taxatur à lege generaliter in omnes transgressores legis. Econtra Censura *ab homine* vocatur, quæ per sententiam Judicis in casu particulari fertur in personas particulares.

QUÆRITUR 7. Quale est discrimen inter Censuram *à Jure*, & Censuram *ab homine?*

RESPONDEO. Est triplex discrimen. 1. Censura *ab homine* fertur ordinarie in personas determinatas, vel ex causa particulari, verb. g. Petrus excommunicationi subjaceat, ut restituat intra mensem. Vel sic: excommunicatus esto, qui in incendio ablata non restituerit, vel incendiarium non indicaverit. 2. Censura *à Jure* est perpetua, & tamdiu durat, quamdiu lex non est abrogata. Censura vero *ab Homine* cessat per mortem, vel amotionem illius, qui eam tulit, ita ut de novo à nullo amplius incurratur, quamvis permaneat semel incursa. 3. Censura *à Jure*, vel *ab homine per sententiam generalem* non est est reservata, nisi expresse habeatur in Canone vel Statuto. Censura vero *ab homine per sententiam specialem* est reservata, nec tolli potest, nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, vel Successore, vel Delegato. Hæc omnia desumuntur ex variis textibus Juris.

QUÆRITUR 8. Qualia sunt illa bona, quorum usu privat Censura?

RESPONDEO. Censura tantum privat usu bonorum exteriorum non interiorum, privat enim vel exercitio jurisdictionis in subditos, & perceptione fructuum beneficii, ut *suspensio*, vel auditione Sacri, & perceptione quorundam Sacramentorum, ut *Interdictum*; vel privat publicis precibus Ecclesiæ, sepultura, perceptione Sacramentorum, conversatione familiari cum aliis fidelibus, ut *excommunicatio*.

QUÆRITUR 9. Habetorne fundamentum hujusmodi Censurarum in Scriptura & Traditione primorum temporum?

RESPONDEO, Habetur fundamentum. Christus Matth. 18. dicit; eum, qui *Ecclesiam non audierit*, contumaciter resistendo ejus jussioni, habendum esse *tanquam Ethnicum & Publicanum*, qui apud Judæos habebantur pro excommunicatis, cum quibus nec licebat manducare. Apostolus 1. Cor. 5. incæstuosum Corinthium *tradit Satanæ in interitum*, id est, tribulationem *carnis*, *ut spiritus salvus* fiat per emendationem, quæ & per eam sequestrationem ab aliis fidelibus quoad divina officia subsecuta est. Idem 1. Tim. 1. testatur, se tradidisse Hymenæum & Alexandrum Sathanæ, utpote perturbatores Ecclesiæ. Sic & Tertullianus, qui scripsit circa annum 200. à Nativitate Christi, in Apologetico C. 39. dicit: *Idem* (in Ecclesia) *etiam exhortationes* (sunt) *castigationes*, *& censura divina*. *Nam & judicatur cum magno pondere*, *summumque futuri judicii præjudicium est*, *siquis ita deliquerit*, *ut à communicatione orationis*, *& conventus*, *& omnis sancti commercii relegetur*.

QUÆRITUR 10. Quis potest ferre Censuram?

RESPONDEO. Omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus jurisdictionem ordinariam vel delegatam habens in foro externo. Tales Prælati Ecclesiastici sunt 1. Summus Pontifex in tota Ecclesia. 2. Episcopus in Diœcesi. 3. Capitulum Cathedrale Sede vacante. 4. Prælati Regulares respectu suorum subditorum.

QUÆRITUR 11. Quid requiritur ad inferendam vel incurrendam Censuram?

RESPONDEO. Requiritur 1. Peccatum externum, ex genere suo completum, cum inobedientia & contumacis junctum. Imo ad incurrendam excommunicationem, quæ est pœna gravissima, requiritur etiam peccatum mortale. Requiritur 3. prævia monitio Canonica, si censura fuerit *ab homine*. In censuris enim, quæ dicuntur *à jure*, non prærequitur *monitio Canonica*, cum lex universalis per seipsam sufficienter moneat. Habetur in variis textibus Juris.

QUÆRITUR 12. Qualis debet esse prævia monitio Canonica?

RE-

Respondeo. Regulariter debet esse trina interposito aliquot dierum saltem trium intervallo; si vero in casu extraordinario, ubi trina monitio urgente necessitate fieri nequit, sufficit monitio unica. Ita statuit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi his verbis: *Judices, sive monitionibus tribus utantur, sive una, pro omnibus observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas ea aliter suaserit moderanda.*

Quæritur 13. An Censura in integras Communitates ferri possit.

Respondeo. Interdictum, & Suspensio in integras communitates ferri potest, ut habetur *de Sent. Excom.* in 6. Sententia autem Excommunicationis in integra Collegia vel communitates ferri non debet, sed tantum in personas, quæ deliquerunt. *Innocentius IV.* l. c. ait: *In universitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus inhibemus; volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum non nunquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de Collegio vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

Quæritur 14. Si causa, ob quam statuitur Excommunicatio, vel alia censura gravis, non videatur continere malitiam sufficientem ad constituendum peccatum mortale, an valet Censura?

Respondeo. Causa vel actio aliqua potest esse de se indifferens, comparate tamen ad bonum commune, quod ejus generalis licentia vel conniventia impedit, aut comparate ad malum commune, quod ex ejus conniventia vel laxiori castigatione sequitur, potest continere malitiam gravem; aut certe sic comparatâ potest substare legi prohibenti sub obligatione gravi. In utroque casu ejusmodi causa vel actio est motivum sufficiens pro ferenda excommunicationis sententia; in priori quidem, quia, licet non contineat malitiam gravem absolutam, continet tamen malitiam gravem respectivam. In altero casu non infligitur excommunicatio propter actionem secundum se sumptam, sed propter transgressionem præcepti gravis actionem prohibentis. Eodem modo discurrendum est de pœna Suspensionis vel Interdicti. Multa enim dantur, secundum se indifferentia, quæ tamen ob bonum commune, ob decentiam status Clericalis, vel ob evitanda animarum pericula, damna, vel scandala sub gravi censura præcipi aut prohiberi possunt. Cum ergo Superioris Ecclesiastici sit, considerare & certius agnoscere habitudinem actionum in ordine ad bonum commune, quod à privatis ob defectum plurimarum informationum particularium certitudinaliter æstimari non potest, semper stat præsumptio pro Superiore, & valore legis.

Quæritur 15. Quænam excusent ab incurrenda censura?

Respondeo. *Excusat* 1. Nullitas sententiæ ob defectum illius essentialem. Si enim tantum interveniat defectus accidentalis, Censura poterit quidem ex parte inferentis Censuram esse illicita, ac injusta, sed non invalida. Et in hoc sensu verum est, quod *sententia Pastoris etiam injusta timenda sit.* *Excusat* 2. *Innocentia* censurati; quæ si notoria sit ob evidentiam facti vel juris, non datur obligatio se conformandi Censuræ. Si vero Innocentia dubia sit, vel non notoria, censuratus ratione scandali debet se conformare Sententiæ. *Excusat* 3. defectus promulgationis. 4. Impotentia obsequendi. 5. Ignorantia invincibilis tam juris quam facti. Bonifacius enim VIII. indiscriminatim de ignorantia loquitur, dum tit. *De Constitutionibus* in 6. ait: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* *Excusat* 6. Metus cadens in constantem virum, v. g. dum quis metu mortis vel mutilationis adactus est ad actionem, cui est annexa Censura. Colligitur ex C. *Excellentissimus* Causa 11. q. 8. ubi dicitur: *Qui ex necessitate vel ignorantia delinquunt, authoritate nostra per te absolvantur*, id est, absoluti judicentur, ut Glossa ibidem exponit.

Quæritur 16. An non etiam à Censura excusat Appellatio?

Respondeo. Non excusat. Quamvis servato juris ordine à tribunali inferiori possit appellari ad tribunal superius, ea tamen appellatio, ubi agitur de Disciplina & Correctione morum, non habet *effectum suspensivum*, sed tantum *effectum devolutivum*; neque enim sententia lata à sua executione suspenditur, sed tantum cognitioni superioris Judicis pro ejus confirmatione committitur: licebit proin Judici inferiori ad executionem contra reum procedere, nisi executio inferret damnum irreparabile, vel per executionem tolleretur potestas appellandi. Ita quoad rem statuit *Concilium Tridentinum* Sess. 13. C. 1.

Quæritur 17. Quis possit absolvere à Censuris?

Respondeo. Distinguendum esse, nam 1. à Censuris *ab homine* per sententiam particularem latis absolvere potest, qui eas tulit, vel ejus delegatus, Successor, Superior. 2. à Censura *juris*, quam author sibi reservavit, nemo potest absolvere, nisi ipse, vel ejus delegatus, Successor, Superior. 3. à Censuris non reservatis potest absolvere quilibet Confessarius.

Quæritur 18. Quid sit absolutio *ad cautelam*, vel cum *reincidentia*?

Respondeo. Absolutio *ad cautelam* fit quando in casu necessitatis fit provisionaliter cum onere se sistendi vel purgandi coram legitimo Judice vel superiore. Absolutio *cum reincidentia* fit, quando absolvens absolutioni apponit certas conditiones, v. g. satisfaciendi parti læsæ, quibus non impletis in Censuram reincidat: vel quando tantum suspendit effectum Censuræ ad

ad certum tempus, quo termino elapso iterum currat effectus Censuræ.

II.

De Excommunicatione.

Quæritur 1. Quid est Excommunicatio? Respondeo. Est pœna Ecclesiastica medicinalis, privans externa participatione bonorum communium Ecclesiæ, ab ejus dispensatione dependentium.

Quæritur 2. Qualia sunt illa bona, quorum participatione Excommunicatio privat?

Respondeo. Excommunicatio *in primis* non privat donis gratiæ divinæ, nec habitibus virtutum infusis, nec meritis personalibus; quia horum dispensatio immediate non dependet ab Ecclesia. *Secundo* nec privat participatione precum, & bonorum operum personalium, quæ unus offert pro alio. Neque enim prohibetur, ne fideles offerant privata devotione suas preces, jejunia, eleemosinas, & alia bona opera pro excommunicatis, etiam non toleratis, ut Deus illis concedat ad eorum salutem congrua auxilia. Itaque *Tertio* excommunicatio solum privat externa participatione bonorum communium omnibus fidelibus, quæ sunt triplicis generis; nimirum 1. usu Sacramentorum. 2. Publicis ac communibus suffragiis Ecclesiæ. 3. Conversatione fidelium, idque tam in rebus sacris, v. g. divinis officiis, sepultura, jurisdictione, &c. quam in rebus civilibus & politicis, v. g. contractibus, testimoniis.

Quæritur 3. Quotuplex est Excommunicatio?

Respondeo. Excommunicatio dividitur in *Majorem* & *Minorem*. Excommunicatio *Major est*, quæ privat *participatione* bonorum communium Ecclesiæ *tam activa quam passiva*, ita ut excommunicatus nec possit administrare aliis, nec recipere Sacramenta.

Quæritur 4. Quando Leges intentant *Excommunicationem* sine addito, estne intelligenda *Major* vel *Minor*?

Respondeo. Est intelligenda *Major*. Ita habetur C. *Si quem*. De *Sent. Excomm.*

Quæritur 5. Quænam sunt notabiliores Excommunicationes *Majores*, quæ ipso facto incurruntur, & summo Pontifici reservantur?

Respondeo. Excommunicationem Majorem incurrunt Papæ reservatam

1. Qui pertinaciter defendunt doctrinam à Conciliis generalibus sub anathemate prohibitam, utpote hæreticam.

2. Qui pertinaciter defendunt Propositionem ab aliquo summo Pontifice sub excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata prohibitam, quales sunt Propositiones Baii, Jansenii, Molinosii, Quesnelli, & aliorum laxiorum Casistarum ab Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. prohibitæ.

3. Simoniaci. Extrav. *Cum detestabile.*

4. Falsarii Litterarum Apostolicarum. C. *dura* de crimine falsi.

5. Percussores Clericorum. C. *si quis suadente.* Plures ejusmodi Excommunicationes legi possunt in Tractatu *de Pœnitentia* Disput. IX. De Excommunicatione vero ob percussionem Clerici habentur plura superius *de privilegio Canonis.*

Quæritur 6. Quinam excommunicati sunt vitandi, & quinam non?

Respondeo. Illi tantum excommunicati sunt vitandi, qui in specie, vel personaliter & in individuo sunt denuntiati ac declarati: alii vero, qui per sententiam Judicis non sunt personaliter denuntiati ac declarati, non sunt necessario vitandi ex obligatione Legis Ecclesiasticæ, excepta solis *percussoribus Clericorum* notoriis, quorum factum notorium nulla saltem dubia ratione à censuræ incursione excusari potest; in tali enim casu, quo dubium est, an fuerit incursa excommunicatio, etiam percussor Clerici non esset necessario vitandus ante sententiam declaratoriam criminis. Ita definitum fuit in Concilio Constantiensi Sess. 20. & per Constitutionem Martini V. ubi sic habetur. *Nemo deinceps à communicatione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiæ* A JURE *vel* AB HOMINE *generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Interdictum Ecclesiasticum observare, nisi censura vel sententia hujusmodi fuerit lata contra personas, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem vel locum certum, aut certam à Judice publicata & denuntiata specialiter & expresse; Salvo*, (id est, excepto) *si quem pro sacrilega manuum injectiona in Clericum per sententiam à Canone adeo notorie constiterit incidisse, ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio juris excusari, Nos à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas Sanctiones.*

Quæritur 7. Quinam sunt effectus Excommunicationis?

Respondeo. Effectus sunt sequentes.

Primo. Excommunicatio privat participatione Sacramentorum tam activa quam passiva, excommunicatus enim neque potest recipere, neque administrare Sacramenta, nisi causa justa excuset.

Secundo privat communibus Ecclesiæ suffragiis, sacrificio, publicis precibus, Indulgentiis, & aliis actionibus sacris, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt.

Tertio privat usu divinorum Officiorum, Missæ, & Horarum Canonicarum. Quamvis enim Lai-

Laicus excommunicatus possit interesse Concioni, ut habetur C. *Responso* h. t. non tamen potest interesse Missæ post concionem. Consimiliter, etsi Clericus in Sacris Constitutus teneatur etiam in excommunicatione recitare Horas Canonicas, non tamen potest eas recitare cum aliis, nec interesse Officis, quæ publice fiunt. Imo etiam in privata recitatione Breviarii Sacerdos & Diaconus, loco *Dominus vobiscum*, debet dicere: *Domine exaudi orationem meam*, quia priora verba dicuntur in persona publica Ecclesiæ.

Quarta. Excommunicatio inducit inhabilitatem ad Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas aquirendas & possidendas. Quare præsentatio vel collatio in favorem excommunicati, & institutio ac confirmatio ipso jure nulla ac irrita est. Ita statuitur C. *postulatis*, *de Clerico excommunicato.*

Quinto. Privat usu & exercitio licito omnia jurisdictionia spiritualis seu Ecclesiasticæ. Quod si excommunicatus fuerit *vitandus*, etiam privatur exercitio juriadictionis valido, prout desumitur ex C. *ad probandum*. *De sent. & re judicata.*

Sexto. Reddit irrita Rescripta Apostolica; nisi in iis contineatur simul absolutio ab omnibus Censuris. C. *ipso jure*. *De Rescriptis.*

Septimo, privat communione fidelium etiam in rebus civilibus & conversatione.

Octavo, privat sepultura Ecclesiastica.

QUÆRITUR 8. An Beneficiatus per excommunicationem privatur possessione & fructibus sui beneficii?

RESPONDEO. Nec privatur possessione, nec titulo, nec fructibus beneficii. Si tamen per annum in Excommunicatione insordesceret, nec ad procurandam absolutionem allaboraret, posset etiam beneficio spoliari, ut colligitur ex Tridentino Sess. 25. C. 3.

QUÆRITUR 9. Quomodo se debent gerere fideles erga excommunicatos?

RESPONDEO. *Primo*, fideles non possunt petere vel recipere Sacramenta ab Excommunicato vitando, nisi sit gravissima necessitas v. g. periculum mortis.

Secundo, tenentur non assistere divinis Officiis coram excommunicato vitando.

Tertio. Tenentur talium excommunicatorum consortium fugere etiam in conversatione civili. Sic enim & D. Paulus jubet circa eos, qui ob gravia crimina v. g. fornicationis, usuræ, Idololatriæ &c. excommunicabantur in primitiva Ecclesia. *Scripsi vobis*, inquit, *non commisceri*, *si is*, *qui frater nominatur inter vos*, *est fornicator*, *aut avarus &c. cum ejusmodi nec cibum sumere*. 1. Cor. 5.

QUÆRITUR 10. Quales causæ excusant, ut liceat communicare cum excommunicato in rebus profanis?

RESPONDEO. Causæ excusantes enumerantur quinque, & enumerantur sequenti versiculo.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima causa excusans est *utilitas* notabilis vel spiritualis vel temporalis tum nostra, tum excommunicati. C. *cum voluntate* h. t. Itaque licitum est, excommunicato auxilium ferre, tam corporale, quam spirituale, & ab eo recipere, ubi summa aliqua utilitas id exigit.

Secunda est *Lex*, matrimonialis videlicet, qua tenentur conjuges cohabitare invicem, prolium educationi invigilare, rei familiaris curam gerere. &c. etsi unus, vel ambo essent excommunicati.

Tertia causa est *subjectio*, qua tenentur ad obedientiam ac reverentiam liberi erga parentes, famuli erga Dominos, licet excommunicatos. Ita habetur C. *inter alia*. h. t. & C. *quoniam multis*, causa 11. q. 3. ubi Gregorius VII. dicit: *Ab anathematis vinculo hos subtrahimus*, *videlicet uxores*, *liberos*, *servos*, *ancillas seu mancipia*, *nec non rusticos servientes*, *& omnes alios*, *qui non adeo curiales sunt*, *ut eorum consilio scelera perpetrentur.*

Quarta est *ignorantia tam juris*, *quam facti*, modo non sit crassa & affectata, sed invincibilis. In dubio enim facti, an in alterum sit pronuntiata excommunicationis sententia, non datur obligatio, eum vitandi.

Quinta causa excusans est *necessitas* vitandi aliquod grave incommodum animæ vel corporis, famæ & bonorum temporalium. v.g. si quis metu mortis adigatur communicare cum excommunicato non tolerato, non peccabit, dummodo non participet in crimine, id est, dummodo non communicet, hoc est, cooperetur quoad peccatum, propter quod alter excommunicatus est, quo casu incurreretur excommunicatio major.

QUÆRITUR 11. Qualis culpa aut pœna incurritur, si quis sine legitima causa excusante communicet cum excommunicato?

RESPONDEO. Si quis cum excommunicato communicat in divinis, peccat graviter, ac insuper incurrit Excommunicationem minorem. Si quis vero cum excommunicato tantum communicat in rebus civilibus & temporalibus, censet *Tournelius*, eum tantum peccare venialiter ob parvitatem materiæ. Quod tamen regulariter non est verum, quia excommunicatio Minor, quæ huic delicto infligitur, est pœna gravis, adeoque & correspondens delicto gravi. Id solum admitti potest, eam communicationem quandoque ob parvitatem materiæ vel insufficientiam causæ posse esse peccatum veniale. Sepelientes autem excommunicatum in loco sacro, & Clerici admittentes excommunicatum ad divi-

divina officia, insuper incurrunt excommunicationem majorem.

Quæritur 12. Quid est excommunicatio *Minor*?

Respondeo. Est pœna Ecclesiastica, quæ privat usu passivo Sacramentorum & voce passiva ad Beneficia vel Dignitates Ecclesiasticas. Talis enim excommunicatus nec licite recipit Sacramenta, nec valide potest eligi vel nominari ad Beneficia Ecclesiastica. Ita habetur C. *qui communicaverit*, & C. *cum sanctis*. Causa 11. q. 3. & C. *cum desideres*. h. t.

Quæritur 13. Ob quam causam incurritur excommunicatio Minor?

Respondeo. Incurritur ob solam communicationem illicitam, id est, nulla interveniente causa excusante, cum excommunicato vitando, seu non tolerato. Colligitur ex Capitulis citatis.

III.

De Suspensione & Interdicto.

Quæritur 1. Quid est Suspensio? Respondeo. Est pœna, qua Clerico prohibetur exercitium Ordinis, vel officii, vel beneficii?

Quæritur 2. Estne omnis Suspensio Censura, seu pœna Medicinalis?

Respondeo. Non omnis suspensio est pœna medicinalis, sed aliqua est vindicativa, stricte dicta. Discrimen inter Suspensionem medicinalem, & vindicativam est triplex: nam 1. Suspensio vindicativa habet definitum tempus; non autem medicinalis, quæ exspectat emendationem. 2. Suspensio vindicativa non prærequirit monitionem præviam, prout requirit medicinalis. 3. Suspensio vindicativa exspirat elapso termino; non vero Medicinalis, utpote quæ non habet determinatum tempus.

Quæritur 3. Quotuplex est Suspensio?

Respondeo. Dividitur in *totalem*, & *partialem*. *Totalis* est, quæ privat omni usu potestatis Ecclesiæ, sive Ordinis sit, sive jurisdictionis, sive Officii, sive beneficii. *Partialis* vero est, quæ privat tantum aliqua parte potestatis Ecclesiasticæ, nimirum vel Ordinis vel Officii, vel beneficii. Suspensus *ab Ordine* nec potest Missam celebrare, nec Sacramenta ministrare, nec alia exercere, quæ à potestate Ordinis dependent. Suspensus *ab Officio* nec potest exercere actum jurisdictionis in subditos, nec Censuras ferre, nec eligere ad beneficia, nec delegare ad munia Sacerdotalia obeunda, nec Indulgentias conferre &c. Suspensio *à beneficio* privat Clericum fructibus sui beneficii, quos administrare non valet.

Quæritur 4. Quando à jure vel per sententiam infligitur pœna suspensionis indeterminate, estne intelligenda totalis vel partialis?

Respondeo. Intelligenda est *totalis*.

Ratio est, quia ille est stylus Juris, ut si intendatur tantum suspensio partialis, soleat exprimi, v. g. C. *cum æterni*, de Sent. & re judicata in 6. Aliud tamen dicendum, si vel ex intentione suspendentis aliunde nota, vel ex subjecta materia, vel ex consuetudine particulari aliud posset colligi.

Quæritur 5. Quinam possunt, aut solent comprehendi in suspensione?

Respondeo. Non possunt comprehendi Laici, qui non sunt capaces Ordinis, Beneficii, aut Officii Ecclesiastici. 2. Episcopi sub generali sententia suspensionis non comprehenduntur, nisi de ipsis fiat expressa mentio. Ita statuitur C. *quia periculosum*, de *Sent. Excommun.* 3. Potest tamen suspensio ferri etiam in integras communitates v. g. Ecclesias Collegiatas, Monasteria, Conventus. Ita constat ex C. *quia sæpe* de electione in 6. & C. *Si ad Episcopum. Ne sede vacante aliquid innovetur*.

Quæritur 6. Potestne incurri suspensio etiam sine culpa propria?

Respondeo. Suspensio improprie dicta potest incurri etiam ob solam culpam alienam. Ita D. *Thomas* in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. qq. 2. ubi ait: *Etiam sine peccato proprio aliquis suspenditur*. Exemplum habetur in juvene anno ætatis decimo tertio in Diaconum ordinato, qui à Honorio III. jussus est manere suspensus usque ad ætatem legitimam. Sed hæc suspensio non est Censura.

Quæritur 7. Quinam sunt effectus suspensionis?

Respondeo. Effectus enumerantur sequentes. 1. Exercens actum ordinis, officii, vel beneficii durante suspensione peccat mortaliter; quia agit contra præceptum superioris in re gravi. 2. Exercens actum Ordinis, Officii, vel Beneficii durante suspensione incurrit irregularitatem. C. 1. de Sent. & re judicata, & C. *cum medicinalis*. h. t. in 6. 3. Suspensus ab officio inhabilis est ad aquirenda beneficia. C. ult. *de Clerico excommun.*

Quæritur 8. Quæ licent vel non licent in Suspensione partiali?

Respondeo. 1. Episcopus tantum suspensus à Jurisdictione potest nihilominus solenniter in Pontificalibus celebrare, Ordines conferre, Ecclesias & Altaria consecrare; quia hæc non pertinent ad potestatem jurisdictionis sed Ordinis. Econtra non potest conferre Beneficia, nec Censuras ferre, nec Confessarios ad audiendas

das Confeſſiones approbare; quia hi actus ſunt Jurisdictionis.

2. Presbyter ſuſpenſus à celebratione Miſſæ poteſt nihilominus miniſtrare alia Sacramenta, Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Prædicare, Epiſtolam vel Evangelium ſolenniter cantare.

3. Qui ab uno ſolum jurisdictionis actu ſuſpenſus eſt, v. g. ab audiendis confeſſionibus, poteſt exercere alios actus jurisdictionis, baptizare ſolenniter, Euchariſtiam miniſtrare, Prædicare.

4. Parochus ſuſpenſus ab Officio Parochiali debet quidem abſtinere à cantanda Miſſa parochiali, audiendis confeſſionibus ſuorum parochianorum, adminiſtranda ex Officio Euchariſtia; poteſt tamen legere Miſſam.

Quæritur 9. An Suſpenſus poſſit recipere Sacramenta?

Respondeo. Licite ea recipit, quia nullo jure prohibetur.

Quæritur 10. An licet audire Miſſam ſuſpenſi ab Ordine, vel recipere Sacramenta à ſuſpenſo ab eorundem adminiſtratione?

Respondeo. Id non licet; quia prohibetur in Conſtitutione Martini V. *ad evitanda ſcandala.*

Quæritur 11. Quid eſt Interdictum?

Respondeo. Eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis privans participatione aliquorum Sacramentorum, publica divinarum officiorum celebratione, ſepultura ſacra.

Quæritur 12. Quotuplex eſt Interdictum?

Respondeo. Eſt triplex, videlicet *locale*, *perſonale*, & mixtum.

Quæritur 13. Quid eſt Interdictum locale?

Respondeo. Eſt prohibitio Eccleſiaſtica, ne quis in determinato loco donetur ſepultura ſacra, & ne in eo loco divina officia publice celebrentur. Si id prohibeatur in integro regno, provincia, vel civitate, vocatur *Interdictum generale.* Si vero prohibitio tantum fiat pro Eccleſia determinata, vocatur *Interdictum ſpeciale*, ſeu *particulare.*

Quæritur 14. Quid eſt Interdictum perſonale & mixtum?

Respondeo. Interdictum *perſonale* ſic fertur in perſonam particularem, ut in nullo loco divina Officia audire, aut Eccleſiaſtica ſepultura donari poſſit. Interdictum ex locali & perſonali mixtum ſimul afficit locum & perſonam; ac conſequenter habet omnes effectus tam Interdicti localis quam perſonalis.

Quæritur 15. Quorumnam Sacramentorum uſu privat interdictum?

Respondeo. Privat 1. Collatione Ordinum in loco interdicto. 2. Privat collatione Euchariſtiæ in loco interdicto, niſi diebus in Interdicto exceptis. 3. Privat etiam extra periculum mortis Sacramento pœnitentiæ eos, qui fuerunt cauſa, cur Interdictum fuerit latum, vel conſilio, favore, aut auxilio juverunt, ut habetur C. *alma mater* in 6. 4. Alios tamen, qui non præbuerunt cauſam Interdicto, non privat ſacramento pœnitentiæ; nec ejusmodi interdicti non denuntiati prohibentur in aliis Eccleſiis non interdictis recipere Euchariſtiam. 5. Privat benedictione nuptiali, non contractu matrimoniali.

Quæritur 14. Quorumnam divinorum Officiorum celebratione privat interdictum?

Respondeo. Per divina Officia intelligitur omne Exercitium Ordinum, recitatio publica Horarum Canonicarum, Celebratio Miſſæ, Sacramentorum, & Sacramentalium adminiſtratio, adeoque interdicti interdicto locali vel perſonali non poſſunt divina Officia celebrare, nec interceſſe Sacrificio; niſi in diebus ſolennibus, in quibus Bonifacius VIII. id admittit C. *alma mater* de *ſent. excommun.* & ſemel in hebdomada poteſt celebrari Miſſa ad conficiendam Euchariſtiam.

Quæritur 17. An Interdictis neganda ſit omnis Sepultura ſacra?

Respondeo. Interdictis nominatim deneganda eſt omnis Sepultura ſacra. C. *quod in te.* de pœnit. & remiſſ. & C. *is cui.* de Sent. *Excom.* in 6. 2. Quamdiu durat Interdictum locale, nullus laicus in cœmeteriis loci Interdicti ſepeliri poteſt; quamvis ſepeliri poſſit in alio loco ſacro, niſi Interdicto cauſam dederit. 3. Clerici tamen, niſi nominatim interdicti ſint, nec Interdicto generali cauſam dederint, poſſunt ſepeliri in locis ſacris etiam ſpecialiter Interdictis; attamen ſine pulſatione campanarum & ſine aliis ſolennitatibus. Si vero interdictum non fuerit generale, deferendi ſunt ad aliam Eccleſiam non interdictam. C. *quod in te.* de *pœnit. & remiſſ.*

Quæritur 18. Qualis requiritur cauſa ad ferendum Interdictum?

Respondeo. Requiritur ſemper culpa gravis, cum Interdictum ſemper ſit pœna gravis. Si Interdictum ſit generale, requiritur culpa graviſſima, cum in illo etiam innocentes involvantur, ut communi luctu & querimonia eo facilius frangatur reorum contumacia. Bonifacius VIII. C. *providentia* h. t. vetat, ne feratur Interdictum generale ob debitum pecuniarium.

Quæritur 19. Quænam loca vel perſonæ involvantur Interdicto generali?

Respondeo. Possunt servire sequentes regulæ.

1. Interdictis Clericis non eoipso interdicuntur laici.

2. Interdicta familia non etiam interdicto subjacent Clerici illius familiæ, quia deberent exprimi.

3. Interdicta Ecclesia ob delictum Domini non comprehenduntur incolæ loci.

4. Interdictis incolis non interdictæ censentur Ecclesiæ loci.

5. Interdicta civitate, vel alia communitate, pro interdictis habentur omnes loci Ecclesiæ.

6. Interdicto suburbio, castro, pago, etiam domus adjacentes interdicuntur.

7. Interdicta Ecclesia principali, v. g. Cathedrali, omnes loci Ecclesiæ interdictum servare tenentur.

8. Interdicta Ecclesia etiam interdicitur cœmeterium contiguum; non vero si fuerit distans, aut non contiguum.

9. Interdictum generale, quod observat Ecclesia principalis seu Cathedralis, tenentur etiam observare Regulares tam exempti quam non exempti; qui tamen ex concessione Bonifacii VIII. possunt divina celebrare januis clausis, non pulsatis campanis, & voce submissa.

Verum de his plura videri possunt in Canonistis l. 5. tit. 39.

F I N I S.



Tractatus
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.

In hoc Tractatu agitur
1. De Sponsalibus.
2. De Matrimonio in genere.
3. De Impedimentis *impedientibus* matrimonii.
4. De Impedimentis *dirimentibus* matrimonii.
5. De dissolutione matrimonii & divortio.
6. De usu matrimonii.

§. I.
De Sponsalibus.

QUÆRITUR 1. Quid sint sponsalia?

RESPONDEO: Sponsalia sunt *Promissio mutua futuri matrimonii inter personas jure habiles.*

DICITUR 1. *promissio*, haud dubiè vera, voluntaria, ac deliberata; libertas enim, & verus consensus internus sunt omnibus contractibus intrinseci.

DICITUR 2. MUTUA. Contractus enim sponsalitius, prout *in Jure* sumitur, ac *in esse perfecto*, est utrinque obligatorius; quamvis Jure naturali non repugnet promissio sponsalitia unilateralis, qua una pars absolutè alteri promittit, se illi nupturam, quandocunque alteri placuerit. Ex hoc ipso autem sequitur; quod promissio sponsalitia debeat esse signo externo expressa.

DICITUR 3. *Inter personas jure habiles*, nempe inter marem & fœminam, nullo laborantes impedimento ad contrahendum suo tempore matrimonium licitum ac validum.

QUÆRITUR 2. Qualia verba aut signa sufficiant ad exprimendam promissionem sponsalitiam?

RESPONDEO: Illa verba aut signa sufficiunt ad exprimendam promissionem sponsalitiam, quæ ex communi usu hominum solent tantùm adhiberi ad significandam promissionem matrimonii. Talia verba aut signa sunt sequentia. Si una pars alteri reciprocè dicat: *Promitto tibi matrimonium. Obligo me ad tecum contrahendum matrimonium. Accipiam te in meum virum, uxorem. Tu eris mea uxor, vir.* Si post tractationem præviam de futuro matrimonio una pars alteri dicat: *Igitur in fidem perennem tibi trado annulum, effigiem, &c.* ejusmodi verba aut signa erunt sufficientia ad exprimendam promissionem sponsalitiam.

QUÆRITUR 3. An detur obligatio sponsalitia ex verbis aut signis dubiis?

RESPONDEO 1. Pro foro interno inspicitur solus animus loquentis, qui proin in casu verbi aut signi dubii, si revera non habuit animum se obligandi, non obligatur coram Deo ad contrahendum matrimonium. RATIO est, quia nec obligatur *ex promisso*, utpote cui deest consensus internus; nec *ex dolo*; cum altera pars sibi imputare debeat, quod verba aut signa dubia in sinistram partem acceperit. EXCIPIENDUM tamen, si altera pars sciatur esse adeo simplex, ut non advertat ambiguitatem verbi aut signi, & ejusmodi ambiguitas non adhibeatur ex rationabili causa, sed tantùm animo fallendi & damnificandi sub spe subterfugiendi ligamen in foro externo. Talis enim etiam in foro externo obligaretur *ex dolo* ad compensanda damna secuta.

RESPONDEO 2. In foro externo ex verbis aut signis dubiis nemo obligandus est ad ducendam compartem, nisi ex circumstantiis appareat, actum esse dolo ad seducendam compartem simplicem. RATIO est, quia etiam in aliis contractibus nemo obligatur ex verbo aut facto dubio. Ergo multò minus obligandus est ex verbo aut signo dubio ad matrimonialem contractum, cum matrimonia coacta frequenter habeant tam tristes ac funestos exitus.

QUÆRITUR 4. Quam obligationem pariat promissio matrimonii futuri ficta?

RESPONDEO 1. In foro interno promissio sponsalitia ficta nullam parit obligationem, nisi exinde sequatur damnificatio compartis; quæ haud dubiè juxta prudentis arbitri vel judicis æstimationem compensanda est. RATIO est, quia extra casum damnificationis præcise intervenit mendacium, quod, licet sit graviter peccaminosum, cum versetur in negotio gravi, non tamen parit obligationem seu titulum restitutionis.

RESPONDEO 2. Si cum fictione concurrat damnificatio compartis, ad eam juxta prudens arbitrium Judicis compensandam obligandus est fingens etiam in foro externo, etiamsi se offerat ad juramentum purgatorium. RATIO est, quia juramentum purgatorium, si admitteretur, ad summum probaret animum se non obligandi, non verò probaret animum non decipiendi seu non damnificandi. Revera enim is, qui fingit animum contrahendi matrimonium, habet animum decipiendi deceptione tali, quæ in casu poterat & debebat prævideri facile posse conjungi cum gravi damnificatione. Itaque sic fingens, sicut *ex dolo* tenetur ad restitutionem in foro interno, ita etiam obligandus est in foro externo ad compensationem, & repellendus à juramento purgatorio.

QUÆRITUR 5. Quam obligationem pariat promissio sponsalitia ex joco facta?

RESPONDEO 1. Si ex communi usu hominum satis manifestè appareat, vel saltem prudenter dubitari possit, modum loquendi vel agendi in promittente esse solùm jocularem, nulla nascitur obligatio ex tali promissione. RATIO est, quia in tali casu aut deest animus se seriò obligandi, aut certè dubium est, utrum adsit animus se obligandi. In Contractibus autem universim ex dubio consensu nulla nascitur obligatio. Aliter tamen dicendum in casu, quo promittens haberet quidem animum & modum jocandi, attamen considerata simplicitate alterius partis simul intenderet eam fallere atque inducere in persuasionem, rem seriò agi. In tali enim casu, si sequeretur damnificatio partis deceptæ, teneretur in foro interno ad restitutionem aut compensationem damni illati, puta, si pars decepta interea amisit occasionem honestarum nuptiarum, aut si promissione inducta admisit copulam secuta impraegnatione.

RESPONDEO 2. Si animus jocandi non potuit saltem dubiè colligi ex circumstantiis, jocalariter promittens, etiamsi verè habuerit animum solùm jocandi, tenetur tamen tam in foro interno quàm externo ad compensationem totius damni secuti ex tali joco. RATIO est; quia licet non teneatur *ex promisso*, utpote cui deest animus se obligandi, tenetur tamen *ex dolo*, quo compartem decepit atque illi causavit damnum injustum.

QUÆRITUR 6. Ad quid obliget ficta promissio matrimonii sine reciproca repromissione alterius partis in casu, quo ficta promissio induxit puellam ad concedendum usum sui corporis?

RESPONDEO 1. Sic fictè decipiens ad nihil tenetur, si puellæ ex ea copula nullum sequitur damnum, aut præjudicium, quin possit invenire æquè honestas ac bonas nuptias. RATIO est, quia non potest assignari titulus restitutionis vel compensationis. Nam posito etiam, quod fuerit virgo, amissio virginitatis non est pretio æstimabilis.

RESPONDEO 2. Si tamen deceptæ causetur magna verecundia, confusio, exprobratio, contristatio, & diffidentia mariti, plurium malorum ferax, si à marito alio non reperiatur virgo, ita ut consideratis circumstantiis hæc mala verosimiliter secutura prævideantur, & puella aliam compensationem *rationabiliter* recuset, sic decipiens tenetur determinatè ducere deceptam. RATIO est, quia Jure naturæ quilibet tenetur compensare damna dolo illata modo meliore, quo potest.

DIXI, si puella aliam compensationem RATIONABILITER recuset. Si enim prævideatur; ex tali connubio longè majora esse secutura mala vel integris familiis, vel parentibus habentibus jus anterius erga filium aut filiam, ne se vel alios obligent in sui præjudicium, non tenetur decipiens determinatè ducere deceptam. RATIO est, quia anterius vinculum amicitiæ naturalis, obedientiæ, ac reverentiæ erga parentes, & familiam non versatur solùm in genere charitatis, sed etiam justitiæ, justitia commutativa sublimioris. Cum ergo illud vinculum sit anterius, fortius, & dignius, non poterat deceptor se obligare ex delicto puellæ deceptæ in præjudicium parentum aut familiæ ad ducendam deceptam. Quod autem *explicitè* non poterat licitè fieri; nec censetur *tacitè* deduci in pactum. Ita quoad rem cum S. Thoma communior Doctorum.

QUÆRITUR 7. An deflorator teneatur ducere virginem, quam corrupit absque ulla promissione matrimonii?

RESPONDEO 1. Si virginem corrupit absque vi, metu, aut dolo, ita ut illa sponte consenserit, *ex justitia* in foro interno ad nihil tenetur, sive secutum exinde fuerit puellæ damnum, sive nullum fuerit secutum. RATIO est; quia non potest assignari titulus compensationis.

RESPONDEO 2. Tenetur tamen illam ducere vel dotare juxta puellæ arbitrium, si potu inebriante quoad usum rationis semisopitam, vel nimiis ac diuturnis blanditiis inebriatam corrupit. RATIO est, quia in delictis socialibus v. g. furti, homicidii, causa *primariò impulsiva, suasiva*, ac *determinativa*, Jure naturæ non solùm tenetur ad compensandum damnum illatum tertio, sed etiam ad compensandum damnum socio criminis, si quod illi ex ea societate criminis causatum est. Ergo idem dicendum circa virginem, criminis sociam, si extraordinariis blanditiis, amatoriis artibus, & sollicitationibus nimiis in societatem criminis pertracta est. Ita quoad rem docet *Gonzalez & Guttierez*.

IDEM PROBATUR ex C. 22. Exodi, ubi dicitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Hæc lex, cum non sit cæremonialis, sed judicialis in materia justitiæ, meritò præsumenda est fundari in lege naturali.

RESPONDEO 3. In dubio, an corrupta fuerit virgo, vel non, præsumptio stat pro virginitate, donec deflorator ex positivis aliis præsumptionibus reddat meritò valde suspectam; & tunc in foro externo, si præsumptiones contra virginitatem corruptæ fuerint violentæ, absolvendus est à compensatione titulo virginitatis amissæ facienda, non autem à compensatione titulo secutæ impraegnationis ac infamationis, quamvis præter intentionem directam causatæ, Jure naturali debita. Qui enim ex gravi peccato theologico alium exponit probabili periculo gravis damnificationis, tenetur ad restitutionem seu compensationem, si quod fuerit secutum, prout in Tract. *de Justitia*, ostensum est.

QUÆRITUR 8. An valeant sponsalia gravi metu injustè extorta?

RESPONDEO: Non valent.

ID PROBATUR. Judici, etiam abstrahendo à lege positiva, non licet, talia sponsalia confirmare aut declarare pro validis. Ergo supponendum est, dari exigentiam intrinsecam naturalem ad eorundem dissolutionem, ac proin erunt Jure naturali invalida.

Ant. prob. ex eo, quia talia sponsalia, si aliquando in foro externo confirmarentur, tenderent ad matrimonium metu extortum, Jure naturali invalidum.

IDEM

Idem Probatur 2. ex C. 11. de Desponſ. impub. ubi Urbanus III. ſcribit: *Accepimus, quod puella quædam anno XI. fuit deſponſata cuidam puero IX. vel X. annorum, & tempore procedente de voluntate parentum potius, quàm de ſua, ſicut aſſerit, ad domum patris pueri adducta, ubi dolens & invita minis parentum impulſa moram fecit per annum & amplius, & tandem inde recedens ad domum propriam eſt regreſſa. Cum autem dictus puer nondum ad XIV. annum pervenerit, reſpondemus, quod ſi puella commonita, ut donec idem compleat annum XIV., exſpectet, non duxerit exſpectandum, ei accipiendi alium virum tribuas poteſtatem.* In hoc Reſcripto Pontifex non condit novam legem, ſed reſpondet juxta exigentiam legis naturalis. Cæterùm reſponſio eſt valde communis, imo communior Doctorum.

Quæritur 9. An & quomodo valeant ſponſalia ſub conditione?

Respondeo 1. Valent ſponſalia ſub quavis conditione honeſta & poſſibili, ita tamen, ut actualis eorundem obligatio ſuſpendatur uſque ad eventum conditionis, talia ſponſalia ſunt, ſi quis dicat: *Sumam te in uxorem, ſi tuus pater conſenſerit.* Ita communis ac certa.

Respondeo 2. Hinc etiam valent inita ſub hac conditione: *Si Papa vel Epiſcopus diſpenſaverit.* Ratio eſt, quia non apparet, cur hæc conditio ſit inhoneſta; imo cum aliquando pro diſpenſatione expendi debeat magna pecuniæ ſumma, nemo diſpenſationem peteret, niſi præceſſiſſet contractus ſponſalitius conditionatus.

Respondeo 3. Sponſalia ſub conditione impoſſibili ſunt invalida. Ratio eſt, quia deeſt animus ſe obligandi.

Nec obstat, quod matrimonium ſub conditione impoſſibili ſit validum; quia in matrimonio *præſumptione juris* talis conditio habetur pro non adjecta, quæ præſumptio juris non reperitur circa ſponſalia.

Respondeo 4. Sponſalia ſub conditioue turpi ſunt ipſo jure invalida, & hinc in conſcientia neutram contrahentium partem ligant ante ſententiam Judicis. Ratio eſt, quia omnes contractus turpes, hoc eſt, celebrati ſub conditione turpi, v. g. ſi patrem occideris, ſi præbueris uſum tui corporis, ſunt Jure naturali invalidi, prout in Tract. *de Juſtit.* oſtenſum eſt.

Nec obstat, quod in foro externo ejuſmodi contrahentes compellantur ſe invicem ducere. Id enim aliquando fit in pœnam criminis ex motivo boni publici; & ſæpe fit titulo compenſationis pro ablata virginitate aut imprægnatione per dolum, aut extraordinarias blanditias, artes, ſollicitationes, ita ut ſollicitans fuerit *primaria cauſa impulſiva, ſuaſiva, ac determinativa* ad damnificationem abſtrahendo à conditione turpi, prout ſuperius qq. 7. dictum eſt.

Quæritur 10. An & quomodo valeant ſponſalia inita *ſub modo?* vel *ad diem?*

Respondeo 1. Valent ſponſalia inita *ſub modo;* eorum tamen obligatio non ſuſpenditur uſque ad eventum modi appoſiti. Talia ſponſalia ſunt, ſi quis dicat: *Promitto tibi matrimonium, ſed ea ratione, ut non amplius frequentes hanc vel illam converſationem.*

Respondeo 2. Valent etiam ſponſalia *ad diem*, v. g. ſi quis dicat: *Promitto tibi matrimonium, ſed obligatio hujus meæ promiſſionis primùm incipiat ultimo die ſequentis anni.* Hæc ſponſalia obligant quidem ſtatim, ſed obligatio ligatur uſque ad præfixum diem, quo poſito quælibet contrahentium pars poterit poſtulare executionem ſponſalium, quam ante præfixum diem necdum poterat efficaciter exigere.

Quæritur 11. An hic modus loquendi: *Nullam ducam, niſi te*, habeant vim ſponſalium?

Respondeo: Hic modus tendendi æquivalet ſponſalibus conditionatis, ita ut ſenſus ſit: *Si ducam uxorem, nullam aliam ducam niſi te.* Requiritur tamen in ſic promittente animus verè deliberativus aliquo tempore ſufficiente ad finiendam deliberationem, niſi enim haberetur animus, intra aliquod tempus, quo poſſit prudenter durare deliberatio, finiendi deliberationem, aut ſi promittens non haberet animum verè deliberativum, ſed jam ſtatuiſſet, manere perpetuò in cœlibatu, deciperet alteram partem in re gravi, utpote præbendo ipſi anſam negligendi occaſiones alias nubendi; imo obligaretur ad reſtitutionem ſeu compenſationem, ſi vana ſpe lactando perſonam fuiſſet cauſa damnificationis. Si autem altera perſona acceptando promiſſum non obligaret ſe viciſſim ad exſpectandum aliquanto tempore finem deliberationis, contractus eſſet tantùm unilateralis, & ſic non haberet propriè naturam ac vim ſponſalium, quæ ſunt promiſſio reciproca, utrinque obligatoria.

Quæritur 12. Quid ſit *Arrha* appoſita ſponſalibus? Et quæ ejus obligatio?

Respondeo 1. Arrha eſt res, quam contrahentes ſponſalia conparti contrahenti dant in pignus promiſſionis ſponſalitiæ.

Dicitur, *in pignus*. Si enim contrahens ſponſalia conparti ſolùm det rem quandam exigui valoris, v. g. cultrum, pyxidem, &c. *in teſtimonium* promiſſionis ſponſalitiæ, ejuſmodi reculæ non habent rationem *Arrhæ*, aut pignoris ſtrictè dicti, ſed tantùm *indicii probatorii*.

Respondeo 2. Obligationes *Arrhis* annexæ ſunt ſequentes: 1. Arrha ſecuto matrimonio de Jure communi revertitur ad dantem, niſi aliter fuerit conventum tacitè vel expreſſe ex intentione contrahentium. In Germania de conſuetudine ſecuto matrimonio manet penes accipientem. 2. Non ſecuto matrimonio abſque dantis culpa Arrha revertitur ad dantem. 3. Si dans Arrham à ſponſalibus culpabiliter ſine cauſa ſufficiente reſilit, perdit Arrham. Ea enim eſt lex pignorum & intentio contrahentium ſponſalia, ut injuſtè reſiliens perdat Arrham, illudque locretur innocens. 4. Si injuſtè reſilit accipiens Arrham, de Jure communi in foro externo tenetur reſtituere duplum: & ſi ita fuerit conventum, tenetur reſtituere Arrham etiam in quadruplo. Si tamen expreſſe vel tacite de duplo, triplo, vel quadruplo Arrhæ non fuerit conventum, injuſtè reſiliens tenetur reſtituere Arrham *in ſimplo* tantùm; attamen tenetur conparti reſarcire omnia damna, ſecuta ex injuſta reſilitione. De duplicatione, & licita quadruplicatione Arrhæ

Arrhæ habentur leges l. 3. & 5. C. h. Tit. Hæ leges, ubi vigent, ibi stringunt.

QUÆRITUR 13. Quid sit sponsalitia largitas? Et quæ sint illi annexæ obligationes?

RESPONDEO 1. Sponsalitia largitas est donatio inter sponsum ac sponsam in signum amoris, facta ex spe matrimonii. Differt ab Arrha per hoc, quod non detur *in pignus* promissionis sponsalitiæ, qua etiam adimpleta redeat ad dantem, sed *in signum amoris* per modum donationis absolutæ, licet revocabilis ob ingratitudinem vel ob non secutum matrimonium. Sub nomine autem largitatis sponsalitiæ veniunt etiam *Jocalia*, *dotalitium*, *donum sponsalitium*, *donatio ante nuptias*, *Mundus muliebris*, quæ diversa nomina rem ferme eandem significant.

RESPONDEO 2. Obligationes annexæ largitati sponsaliæ ex Jure Civili in foro externo sunt sequentes: 1. Dona illa, si sequatur matrimonium, manent accipienti irrevocabiliter. 2. Si non sequatur matrimonium absque alterius culpa, restitui debent donanti, nisi sponsus ante nuptias dedit osculum sponsæ; tunc enim sponsus dimidiam partem amittit, eamque lucratur sponsa. 3. Si matrimonium non sequitur ex culpa donantis, res donata manet accipienti. 4. Si autem matrimonium non sequitur ex culpa accipientis, res donata redit ad donantem. Verùm hæc ita se habent *de Jure Civili*: sed spectato Jure naturali donationes ejusmodi habendæ sunt pro absolutis, quæ ad dantem non redeunt, nisi eas revocet ob magnam ingratitudinem, ac manifestam.

QUÆRITUR 14. An & quomodo Sponsalibus possit adjici pœna?

RESPONDEO 1. Pœna conventionalis à contrahentibus licitè & validè apponitur in resilientem injustè, dummodo tamen sit moderata, ne matrimonium videatur metu pœnæ extortum. RATIO est, quia nec Jure naturali, nec positivo ea conventio reperitur prohibita.

RESPONDEO 2. Pœna illa in resilientem justè à sponsalibus nec licitè apponitur nec validè. RATIO est, quia talis appositio pœnæ tendit ad contrahendum matrimonium ex metu injustè incusso. Ita scribit GREGORIUS IX. C. *Gemma*. h. tit., ubi de puero, & puella septenni contrahentibus sponsalia sub pœna incurrenda à quomodocunque resiliente ait: *Cum libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio ob pœnæ interpositionem sit meritò improbanda, mandamus, eundem, ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.*

QUÆRITUR 15. An Sponsalia clandestina, sine testibus & Parocho contracta, sint valida & licita?

RESPONDEO 1. Certum est, esse valida. RATIO est, quia nec Jure naturali, nec positivo reperiuntur prohibita.

RESPONDEO 2. Eadem tamen non sunt licita, nisi reperiatur prudens motivum clam contrahendi sponsalia. RATIO est, quia sponsalia clandestina ex suo genere sunt ordinariè conjuncta cum multis deordinationibus, eaque ex suo genere sunt inductiva gravium malorum.

QUÆRITUR 16. An sponsalia personæ Catholicæ cum hæretica sint licita in locis, ubi hæretici sunt permixti cum Catholicis?

RESPONDEO: Ea non sunt licita sine dispensatione Papæ, aut Episcopi. RATIO est, quia Lege Ecclesiastica sæpius prohibetur, miscere connubia cum hæreticis. Cum ergo in tali Lege pro casu particulari nemo possit dispensare, nisi Papa, aut ubi est difficilis recursus ad Papam, Episcopus, horum dispensatio ad ejusmodi contractum sponsalitium requirenda est. Iis enim incumbit examinare, utrum & quantum versetur periculum perversionis in persona Catholica? vel utrum causa motiva ad contrahendum sit tanti ponderis, ut stante aliquo perversionis periculo sit sufficiens ad dispensandum? Certè rarò abest omne perversionis periculum; & hinc rarò reperietur sufficiens causa dispensandi, nisi pro motivo allegetur bonum publicum. Hinc Confessarii peccant, nisi sic contrahere volentem obligent ad petendam dispensationem à Papa vel Episcopo. Hæc argumentatio & responsio fuse ac erudite deducitur à SS. D. N. BENEDICTO XIV. l. 6. c. 5. ubi sic scribit: „In „divinis, cum hæreticis communicant Catholici, „qui cum iisdem sese matrimonio jungere non „dubitant: Etenim cùm matrimonium unum sit „ex septem Ecclesiæ Sacramentis, à Christo Do„mino institutis, idem est, matrimonium cum „Hæretico contrahere, ac unum, idemque Sa„cramentum, una cum eodem, vel conficere, si „nimirum ipsimet contrahentes sint talis Sacra„menti Ministri, quod magis communiter opi„nantur Scholastici, vel saltem percipere, si sci„licet, quod alii, præsertim ex recentioribus „Theologis autumant, illius Minister sit solus „Sacerdos: utrumque autem, & illicitum, & Sa„crilegum esse, nemo dubitat: Quare Ecclesia „iisdem ferè legibus, quibus Christianis interdi„xit, ne connubia inirent cum Infidelibus, Ca„tholicos pariter à Sacrilegis nuptiis cum Hære„ticis contrahendis, deterruit: CONCILIUM „LAODICENUM *Can.* 10. (*tom.* 1. *Collect. Hard.* „*col.* 784.) ait: *Quod non oporteat indifferenter Ec*„*clesiastico fœdere nuptiarum hæreticis suos filios filias*„*que conjungere*; AGATHENSE *Can.* 67. relato à „Gratiano XXVIII. *q.* 1. *Can.* 16. *Non oportet cum* „*Hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias da*„*re, sed potius accipere, si tamen profiteantur Christia*„*nos futuros esse se, & Catholicos*; CONCILIUM „CHALCEDONENSE Can. 14. Lectoribus & „Cantoribus, inter inferiores Clericos interdicit: „*Hæretico, vel Pagano, vel Judæo se conjungere, nisi* „*forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodo*„*xa copulanda transferre*; hasce verò sanctiones „roboravit BONIFACIUS VIII. *in cap. Decre*„*vit*, *de Hæreticis in* 6. ubi dote privandam sta„tuit mulierem, quæ scienter viro hæretico nu„pserit. Iis igitur in Provinciis, in quibus ejus„modi conjugia, non sine sacrorum Canonum „contemptu, passim celebrantur, debet Episco„pus in sua præsertim Synodo, ab illis, in pro„priarum animarum perniciem contrahendis Ca„tholicos absterrere, quod Nos faciendum edi„ximus *in nostra Constitutione* 34. §. 3. *nostri Bullar.* „*tom.* 1. præcipuæ quinque Episcopalis muneris „par-

„ partes erunt, maxima Catholicis denuntiare pe-
„ ricula, quæ tam ipsis, quàm nasciture soboli,
„ ex præfatis imminent nuptiis, quæ propterea co-
„ honestari nequeunt, obtentu solius consuetu-
„ dinis (verius corruptelam dicerent) nisi ea a-
„ moveantur pericula, quod tamen vix evenire
„ posse, rectè notant LAYMAN *Theol. Mor. lib.* 5.
„ *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *n.* 2. PIRINGH. *ad tit.*
„ *de sponsal. & matr. n.* 166. REIFFENSTUEL *i-*
„ *bid. n.* 360. ENGEL *ad tit. de matr. contract. con-*
„ *tra interdict. Eccles.* §. 2. *n.* 2. GOBAT *Theol. ex-*
„ *periment. tr.* 9. *cap.* 11 *n.* 216. NICOL. SERRAR.
„ *in opusc. de Catholicorum cum Hæreticis matrimoniis.*
„ VAN ESPEN I. E. *p.* 2. *tit.* 12. *cap.* 9. aliique
„ passim.

QUÆRITUR 17. An Sponsalia personæ Catholicæ cum bæretica sint valida?

RESPONDEO: Talia sponsalia non sunt invalida & per se irrita; sunt tamen invalidationi ac irritationi obnoxia. RATIO est, quia talis promissio sponsalitia non versatur circa objectum absolutè indispensabile. Ergo, cum intentio contrahentis sit, ut actus valeat modo meliori, quo potest, ejusmodi promissio sponsalitia vel erit tacitè *conditionata* sub hac conditione: *si obtinuero dispensationem* à Papa, aut Episcopo, vel ea promissio erit *modalis* sub hoc modo: Promitto tibi matrimonium, *quatenus hæc promissio non irritabitur seu invalidabitur* à Superiore legitimo. Itaque sic contrahens, si jam actu contraxit sponsalia, tenetur adire Episcopum eidemque exposito fideliter statu supplicare, ut vel promissio irritetur, vel dispensatio conferatur.

QUÆRITUR 18. An sponsalia possint contrahi per proxenetam, procuratorem, vel per Litteras? Et quid in ejusmodi contractu observandum?

RESPONDEO Affirmativè. RATIO est, quia hoc nullibi reperitur prohibitum, sed potius approbatum. C. fin. *de Procuratoribus.* in 6. Circa ejusmodi verò modum contrahendi observandæ sunt sequentes conditiones: 1. Ut Procurator habeat speciale mandatum, & quidem cum determinata persona in individuo. 2. Ut Procurator exequatur mandatum per seipsum, & non per alium Substitutum; quia censetur in tam gravi negotio electa esse industria ac prudentia personæ. 3. Ut mandatum interea non sit expresse vel tacite revocatum à Delegante. Ita habeatur quoad omnia in C. fin. cc. 4. Expedit, ut in Procuratorem eligatur persona prudens, ac idonea ad testificandum in judicio. Hinc non facile admittendæ sunt pro internuntiis fœminæ, utpote quæ in arduis negotiis non semper præbent fidem semiplenam in judicio.

QUÆRITUR 19. An valeant sponsalia contracta à patre vel matre nomine filii aut filiæ præsentis ac tacentis? vel à tutore nomine pupilli?

RESPONDEO 1. Spectato præcisè *Jure naturali* sola taciturnitas non potest haberi pro sufficiente consensu in filio aut filia jam adultæ ætatis. RATIO est, quia in tam gravi negotio hominis adulti non solùm requiritur libertas à coactione, sed etiam libertas à respectu humano ac *spontaneitas*, cui repugnat taciturnitas. Qui enim motu proprio sponte fertur in objectum, non silet, ubi offertur eligendi occasio. Idem videtur insinuari ab HONORIO Papa C. 1. h. Tit. ubi dicitur: *Tua nos requisivit fraternitas de filio adulto, quem pater matrimonium vult contrahere, si sine voluntate adulti filii potest hoc facere? Ad quod dicimus, si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse.* Atqui *aliquo modo* non consentit, qui tacet.

RESPONDEO 2. Spectato *Jure positivo* talis taciturnitas habetur pro consensu. Ita respondet BONIFACIUS VIII. h. Tit. in 6. *Ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Ex eis oritur justitia publicæ honestatis.*

RESPONDEO 3. Si tamen filius aut filia re vera non habuisset verum consensum, sed tacuissent solùm ex verecundia aut reverentia, eamque interiorem *retinentiam* seu *suspensionem* consensus probarent aliquo verosimili indicio, vel falsem juramento, ad quod deberent admitti, etiam in foro externo absolvendi essent à sponsalibus. RATIO est, quia in tali casu præsumptio Juris Bonifaciana deberet cedere veritati, & insistendum foret dispositioni HONORII Papæ superius relatæ, ubi negatur valor sponsalium, in quibus aliquo modo una pars *non consentit*, hoc est, non ponit *verum consensum* positivum. Sic etiam NICOLAUS Papa ad Bulgaros scribit: *Consensus si in nuptiis forte defuerit, cætera omnia frustrantur* C. 2. causa 27. q. 2. Ita etiam quoad rem sentit P. PICHLER pro se referens SANCHEZIUM l. 1. disp. 23. n. 3. 4.

RESPONDEO 4. Non tamen valent sponsalia celebrata à tutore nomine pupilli, vel celebrata à fratre nomine sororis, præsentis ac tacentis. RATIO est, quia hæc *præsumptio juris* de taciturnitate pupilli vel sororis nullibi reperitur in jure; & præsumptio hominis vel paritas rationis non habet locum; cum res sit odiosa, ac repugnans libertati naturali, vi cujus requiritur *positivus consensus* ac *spontaneus* ad sponsalitium contractum.

RESPONDEO 5. Neque etiam valent sponsalia contracta à parentibus nomine filii aut filiæ absentis, nec contradicentis per litteras. RATIO est, quia BONIFACIUS VIII. l. c. in 6., ubi agit de taciturnitate liberorum absentium, requirit, ut sponsalia expresse vel tacite ratificent. Ratificatio autem, prout *P. Pichler* & *Sanchez* l. c. observant, dicit actum positivum, nempe verbum vel factum, v. g. missionem annuli vel munerum ad sponsam designatam à parentibus. Neque habet locum paritas rationis, quia versamur in *lege odiosa* restrictiva libertatis naturalis, & jus ipsum casum à casu, *taciturnitatem* à *ratificatione* distinguit.

DIXI, nos versari circa *legem odiosam*, non tamen iniquam; quia non est iniquum, ut simul illa dispositione *Bonifaciana* & veteri more providеatur incontinentiæ liberorum necdum pollentium maturo judicio quoad delectum conjugis, & simul illa dispositio restringatur ad solum casum præsentiæ liberorum, in quo datur occasio opportunior modestè insinuandi animum adhuc maturiùs deliberandi.

Quæritur 20. An valida & licita sint sponsalia inita sine consensu parentum?

Respondeo 1. Sponsalia sine consensu parentum inita sunt valida.

Id Probatur ex constanti praxi ac sensu Ecclesiæ, quæ non solùm nunquam irritavit sponsalia liberorum sine consensu parentum inita, sed ea etiam sæpe confirmat & observari jubet in foro externo.

Respondeo 2. Sponsalia à liberis inita cum positivo dissensu parentum expresso vel tacito causâ præjudicii notabilis, exinde inferendi parentibus, sunt Jure naturali invalida. Ratio est, quia omnes contractus tendentes in præjudicium Juris anterioris ex parte tertii sunt contractus turpes, quos in Tract. *de Justit.* ostendi esse Jure naturali invalidos. Et manifestum est, neminem se posse valide obligare ad furandum, occidendum, vel inferendum præjudicium tertio.

Nec obstat, quod matrimonium sit validum dissentientibus parentibus ex motivo gravis secuturi illis præjudicii. Ratio est, quia valor matrimoniorum talium exigitur à bono publico, quod prævalet bono privato parentum.

Respondeo 3. Sponsalia liberorum sine consensu parentum, si fiat in foro externo oppositio à parentibus, obnoxia sunt rescissioni in casu, quo dubium sit, an parentibus exinde secuturum sit grave præjudicium. Ratio est, quia in dubio, an talia sponsalia sint Jure naturæ invalida ratione gravis præjudicii secuturi parentibus, definitio pertinet ad Judicem legitimum. Præjudicia autem gravia censentur, si sequatur *gravis tractatio* parentum, *gravis indigentia*, *gravis macula* familiæ.

Respondeo 4. Sponsalia liberorum sine consensu parentum inita sunt illicita, quoties ex neglectu consensus meritò timetur justa ac gravis contristatio parentum. Quodsi ea contristatio speretur transitura ac finienda post contractum matrimonium, talia sponsalia erunt quidem illicita, sed non invalida: si autem foret perpetua causa gravis præjudicii perpetui, etiam essent invalida, prout in responsione præcedente dictum est. Ratio autem est, quia contristatio gravis ac justa non potest à liberis causari parentibus sine peccato mortali.

Nec obstat, quod etiam in hoc casu videantur sponsalia esse Jure naturali invalida, eò quod obligare videantur ad aliquid illicitum. Non enim obligant ad matrimunium graviter illicitum, cum contristatio contracto semel matrimonio speretur brevi finienda.

Respondeo 5. Sponsalia liberorum sine consensu parentum inita non sunt illicita, aut solùm venialiter peccaminosa, quando nullam rationabilem contristationem parentibus causant, vel solùm contristationem levem. Ratio est, quia in tali casu non apparet fundamentum peccati. Ex hoc autem sequitur; liberos non peccare, si contrahant sponsalia sine consensu parentum, quando prævidetur, eos irrationabiliter se oppositruros sponsalibus, v. g. ex inordinata passione avaritiæ, vel injusti odii erga personam desponsandam, vel superbiæ, ambitionis, aut majoris commodi proprii.

Quæritur 21. An sponsalia necessariò prærequirantur ad matrimonium?

Respondeo 1. Sponsalia non prærequiruntur ad valorem matrimonii. Ratio est, quia nullibi reperitur lex irritans matrimonium sine præviis sponsalibus. Imo valor talis matrimonii manifestè supponitur C. 9. 22. & 31. h. T. Hinc etiam ratum habetur matrimonium, quod in articulo mortis concubinarius contrahit cum concubina ad legitimandam prolem, vel magis assecurandam salutem propriam.

Respondeo 2. Requiruntur tamen prævia sponsalia ad licentiam matrimonii. Ratio est, quia Concilium Tridentinum, ut infra dicetur, prærequirit ante matrimonium *denuntiationes*, quæ nihil aliud sunt, quàm publicatio sponsalium.

Quæritur 22. An sponsalia contrahi debeant coram Parocho & testibus?

Respondeo 1. De Jure communi non reperitur lex contrahendi sponsalia coram Parocho & testibus. Neque enim potest ostendi ejusmodi lex universalis.

Respondeo 2. De jure vel consuetudine particulari Diœcesium lex est varia pro diversa congruentia locorum & temporum. In Synodo Augustana postrema, quæ celebrata est anno 1610. part. 2. C. 10. dicitur: *Sponsalia non clandestinè & in angulis, sed in domo aliqua honesta coram testibus fiant. Nec Parochi, nec alterius Sacerdotis ejus loco substituti præsentia necessaria est, ut legitimè & validè contrahantur. Quin expedit magis non interesse, ne imperitiores verum matrimonium contractum credant. Ultro nullus Parochus se sponsalibus ingerat; & ubi hactenus vocari non consueverunt, non facile etiam vocati ad ea posthac accedant.* Ita Synodus. Sed extant Decreta recentiora Augustana, quibus inculcatur præsentia Parochi. SS. D. N. Benedictus XIV. in suis *Notificationibus*, quas adhuc Bononiæ edidit, *Notific.* 46. sic scribit: *Liberè præcipimus, ut sponsalia adhibitis verbis* de futuro, *matrimonia verò adhibitis verbis* de præsenti, *coram Parocho ac duobus testibus agantur.*

Quæritur 23. Qualem obligationem Sponsus & Sponsa contrahant per Sponsalia?

Respondeo: Sponsus & Sponsa contrahunt per sponsalia sequentes obligationes: 1. Tenentur sub mortali peccato suo tempore contrahere matrimonium cum altera parte contrahente sponsalia, si compars impletionem exigat. Ratio est, quia gravitas objecti & negotii petit competentem obligationem gravem, objecto congruam, ne in re tam seria ludatur, & tractatio gravissima per obligationes leves, & consequentes multiplices transgressiones exponatur publico contemptui. 2. Tenentur sub peccato mortali vitare omnia, quibus violetur graviter promissa fides. Violatur autem graviter data fides, si sponsus suscipiat Sacros Ordines; si alterutra pars contrahat sponsalia nova cum alia persona tertia, vel si contrahat matrimonium cum alia persona. 3. Tenentur contrahere matrimonium tempore expresse vel tacite per contractum sponsalitium constituto, nisi justa causa seu impedimentum excuset, sed hæc obligatio denuo non urget, nisi compars impletionem exigat.

gat. 4. Quando tempus pro contrahendo matrimonio non est præfixum, tenetur quælibet pars tunc primùm contrahere, quamprimum id altera pars exigit. Ratio est, quia hæc, & non alia solet esse intentio contrahentium, prout patet ex praxi.

Nec obstat, quod juxta l. 14. ff de R.I. *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Ea enim Regula solùm procedit de omnibus obligationibus pecuniariis; quia ea est intentio contrahentium, ut statim solvatur, quod debetur. In obligatione autem sponsalitia alia est intentio contrahentium.

Respondeo 5. Censetur tamen alterutra pars id petere, quando signis aut verbis saltem implicitè manifestat suam feriam voluntatem contrahendi statim primo opportuno tempore. Hinc si sponsa velit, sed præ metu reverentiali aut verecundia non audeat petere impletionem contractus, idque sponsus manifestè advertat, tenetur prima opportunitate, qua potest, implere contractum.

Quæritur 24. An persona desponsata, si contumaciter renuat implere promissa, possit compelli per excommunicationem ad contrahendum matrimonium?

Respondeo: Si persona renuens nullam suæ renitentiæ excusationem afferre possit, nisi solam *contumaciam voluntatis*, poterit compelli per excommunicationem. Si verò aliam suæ renitentiæ causam afferat, cujus positio vel destructio non dependeat à liberrimo imperio voluntatis, v. g. vehementem passionem vel aversionem animi ab altera persona desponsata, aliquando ortam ex dissensione, calumnia, vel operatione Dæmonis; non poterit persona renuens compelli per excommunicationem. Ita colligitur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 25. C. 3. sic habet: *Si executio realis vel personalis adversus reos fieri non poterit, sitque erga Judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo præter alias pœnas ferire poterit.*

Quæritur 25. Quid sit impedimentum *publicæ honestatis*? Et quomodo oriatur ex Sponsalibus?

Respondeo 1. Impedimentum *publicæ honestatis* est inhabilitas, quam persona desponsata per sponsalia contrahit ad contrahendum validum matrimonium cum personis in primo consanguinitatis gradu conjunctis cum suo sponso vel sponsa?

Respondeo 2. Hinc sequitur, istud impedimentum tantùm contrahi cum sorore, fratre, matre, patre, filia, ac filio sui sponsi vel sponsæ.

Respondeo 3. Hoc impedimentum solùm oritur ex sponsalibus validis. Ita statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 3. ubi ait: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Verùm de hoc impedimento plura recurrunt Inferius §. 3. ubi agitur *de Impedimentis dirimentibus.*

Quæritur 26. Quibus modis dissolvantur sponsalia?

Respondeo: Dissolvuntur quinque modis. Primo, *mutuo consensu.* Secundo, *superveniente impedimento*, ob quod matrimonium non possit amplius contrahi licitè aut validè, v. g. si altera pars interea susceperit Sacros Ordines, vel emiserit professionem religiosam, vel contraxerit matrimonium cum alia persona. Tertio, *superveniente sufficiente causa resiliendi à Sponsalibus.* v. g. Si compars interea commiserit fornicationem. Quarto *lapsu temporis pro finienda obligatione sponsalitia præfixi.* Quinto *mutatione voluntatis post adeptam pubertatem in eo, qui contraxit sponsalia adhuc impubes.*

Quæritur 27. An mutuo consensu dissolvi possint sponsalia etiam jurata?

Respondeo: Esse distinguendum. Si juramentum adjicitur in favorem compartis, possunt dissolvi mutuo consensu. Ratio est, quia obligatio promissionis juratæ in favorem alterius cessat, si promissarius remittat obligationem. Si autem jurans se tantùm obligavit Deo ex motivo virtutis, v. g ex motivo conservandæ propriæ castitatis, non possunt licitè dissolvi consensu mutuo. Ratio est, quia obligatio sponsalitia in tali casu dependet etiam à consensu Dei. Eadem distinctio adhibenda est, si sponsalia fuerint confirmata voto. Si enim votum emissum fuerit in favorem compartis ex motivo pio, ea sponsalia poterunt dissolvi mutuo consensu, sicut si quis vovit, se suis sumptibus constructurum novum altare in Ecclesia, vel erecturum novam confraternitatem, non obligatur vovens hoc suo voto, quando promissio votiva non acceptatur à Curatoribus Ecclesiæ. Econtra quàndo votum emissum est intuitu solius Dei, non possunt ejusmodi sponsalia votiva dissolvi mutuo consensu; quia ex parte voventis voluntas se desponsandi est obligata soli Deo.

Quæritur 28. An mutuo consensu possint dissolvi sponsalia confirmata per subsecutam copulam?

Respondeo Affirmativè. Ratio est, quia hæc confirmatio sponsalium est ipso Jure naturali invalida, prout ostensum est in Tract. *de Justitia.* Imo etiamsi contractus turpes essent Jure naturæ validi, nihilominus ejusmodi sponsalia essent mutuo consensu dissolubilia; quia ipsa confirmatio foret secuta in favorem compartis, cui favori compars renuntiare potest.

Quæritur 29. An peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem, qui à comparte per minas extorquent consensum mutuum ad dissolutionem sponsalium?

Respondeo 1. Persona desponsata, quæ à comparte graviter invita extorquet per minas mutuum consensum ad dissolutionem sponsalium, peccat mortaliter. Ratio est, quia talis injustè extorquet cessionem juris ad rem, quod repugnat Juri naturali in materia gravi. Hinc peccaret sponsus mortaliter, si ea intentione sponsæ diceret: *Si te ducere debebo, & tu me non dimittis, instar mancipii te habebo, dirè te tractabo, &c.*

Respondeo 2. Eadem persona tenetur etiam ad restitutionem juxta æquum & bonum, quantum interesset comparti, ne dissolverentur sponsalia. Ratio est, quia tale *jus ad rem*, licet

cet ſit in ſe aliquid ſpirituale, continet tamen aliquid pretio æſtimabile, nempe alimentationem & communionem quandam bonorum & laborum reciprocam.

QUÆRITUR 30. An perſona deſponſata teneatur petere diſpenſationem, ſi per copulam carnalem cum conſanguinea perſona compartis in ſecundo gradu contraxerit impedimentum affinitatis?

RESPONDEO: Si hoc impedimentum fuerit occultum, & compars urgeat executionem ſponſalium, tenetur petere diſpenſationem. Si verò compars vel ob ſuſpicionem delicti, vel ob aliam rationabilem cauſam non urgeat executionem ſponſalium, non tenetur, imo nec poteſt petere diſpenſationem, niſi expreſſa circumſtantia de renitentia compartis. RATIO prioris partis eſt, quia non decet, ut quis ex ſuo delicto in alterius præjudicium referat commodum. RATIO autem poſterioris partis eſt, quia diſpenſans non cenſetur velle diſpenſare delinquenti in gravamen juſtum innocentis.

QUÆRITUR 31. An Sponſo liceat poſt contracta ſponſalia ſuſcipere ſacros Ordines?

RESPONDEO: Invita ſponſa id non licet. RATIO eſt, quia nemo poteſt privari jure ſuo, niſi cauſa neceſſitatis publicæ *evidentis* aut *declaratæ* ob bonum commune. Hinc, ſi aliquando foret tanta penuria Sacerdotum in aliquo regno, v. g. Sinarum aut Japoniæ, ut alii non poſſent inveniri, niſi deſponſati, licitè poſſent ordinari etiam invita ſponſa.

NEC OBSTAT, quod Sponſalibus videatur ineſſe hæc tacita conditio: *niſi ſtatum perfectiorem elegero.* Falſum enim eſt, ejusmodi conditiones tacitas contractibus ineſſe, niſi has illis jus, aut conſuetudo manifeſtè innexuerit.

QUÆRITUR 32. An perſonæ deſponſatæ liceat ingredi Religionem & emittere profeſſionem religioſam invita comparte?

RESPONDEO: Id Jure moderno licet. RATIO eſt, quia jus modernum, ſaltem conſuetudinarium, contractui ſponſalitio innexuit hanc tacitam conditionem: *Niſi ſtatum religioſum elegero.*

DIXI: *Saltem conſuetudinarium.* Utrum enim Jus Canonicum, nempe ALEXANDER III. C. 7. *ex publico*, de *converſione conjugatorum*; & JOANNES XXII. *Extrav. antiquæ*, ſponſalibus generatim nulla interveniente alia cauſa dubietatis de valore ſponſalium vel matrimonii rati hanc conditionem apponat, dubito. Ibi enim Alexander Papa eam conditionem mulieri præciſe offert in cauſa dubia de valore matrimonii, ita ut liberetur in dubio valoris à conſummatione matrimonii, *ſi ad Religionem tranſire voluerit*; in poſteriori verò caſu Joannes XXII. eum tranſitum ad Religionem præciſe permittit in caſu, quo ſacris Ordinibus quis initiatus eſt poſt contractum matrimonium. Dicit enim, ſic ordinatum ab exercitio ſacrorum Ordinum debere manere ſuſpenſum, niſi ſtatum religioſum elegerit.

QUÆRITUR 33. Quomodo diſſolvantur ſponſalia ſuperveniente impedimento dirimente?

RESPONDEO: Id contingit ſuperveniente, v. g. impotentia ad actum conjugalem; vel ſuperveniente affinitate ex copula carnali cum conſanguinea perſona in ſecundo gradu cum comparte, &c.

QUÆRITUR 34. Quænam ſint juſtæ cauſæ reſiliendi à ſponſalibus?

RESPONDEO: Cauſæ reſiliendi à ſponſalibus enumerantur ſequentes: 1. Dolus in contractu ſponſalitio à comparte commiſſus. 2. Diuturna compartis poſt contractum ſponſalitium abſentia; vel diuturna dilatio executionis. 3. Simplex votum nunquam petendi debitum, cedens in gravamen compartis. 4. Sponſalia à comparte contracta cum alia perſona, etiamſi illa ſponſalia ſint invalida. 5. Fornicatio compartis commiſſa poſt contractum ſponſalitium. 6. Fornicatio ſpiritualis, ſeu lapſus in hæreſin poſt contracta ſponſalia. 7. Quævis notabilis mutatio ſponſalibus ſuperveniens, aut noviter retecta, qua ab initio cognita vel poſita veroſimiliter non fuiſſent contracta ſponſalia.

QUÆRITUR 35. An perſona deſponſata habeat jus reſiliendi, ſi poſt poſitionem & cognitionem ejusmodi cauſæ adhuc admittat copulam carnalem?

RESPONDEO Negativè. RATIO eſt, quia per ejusmodi copulam cenſetur renuntiare juri ſuo ad reſiliendum. Idem dicendum, ſi aliis factis aut verbis de novo ratificentur priora ſponſalia.

QUÆRITUR 36. Qualis dolus in contractu ſponſalitio commiſſus præbeat jus reſiliendi à ſponſalibus?

RESPONDEO: Cauſam juſtam reſiliendi à contractibus præbet dolus *accidentalis*, & *antecedens*, ſeu talis, *qui dat cauſam contractui*, ita ut hac cauſa non poſita veroſimiliter non fuiſſet poſitus contractus ſponſalitius. Ita fieret, ſi ſponſa ſe mentiendo *virginem*, *nobilem*, ac *divitem*, induceret ſponſum ad ſecum contrahenda ſponſalia.

QUÆRITUR 37. An contrahens ſponſalia teneatur comparti manifeſtare ſuum occultum defectum, quo cognito poſſet meritò abſterreri à contrahendis ſponſalibus?

RESPONDEO 1. Non tenetur manifeſtare defectus leves, qui ſtatum conjugalem non reddunt comparti notabiliter oneroſum vel moleſtum. RATIO eſt, quia contractus ſponſalitius eſt inchoatus contractus amicitiæ perfectæ. Amicus autem non obligat amicum rationabiliter ad tam grave onus manifeſtandi ultro defectus leves, quos ferre præcipit in amico lex amicitiæ.

RESPONDEO 2. Contrahens ſponſalia tenetur ſub peccato mortali manifeſtare comparti defectus occultos graves, qui ſtatum conjugalem redderent notabiliter oneroſum vel moleſtum. Hinc tenetur comparti manifeſtare defectum occultum, v. g. rupturæ notabilis, morbi ſcorbutici, lepræ, morbi gallici, paralyſis, ſterilitatis, imprægnationis factæ ab alio, putrefactionis inteſtinorum, & graveolentiæ ex ore certis temporibus, infamiæ vel gravis maculæ redundantis in familiam, debitorum notabilium, paupertatis notabilis, defectum natalium vel exiſtimatæ nobilitatis reſpectu compartis nobilis, &c. Hæc & ſimilia tenetur contrahens ſponſalia manifeſtare comparti, quia occultatio repugnat graviter legibus

gibus amicitiæ specialis, quam contrahens se inire simulat. Econtra non tenetur comparti manifestare commissas fornicationes, vel defectum virginitatis, quia hi defectus non reddunt statum conjugalem notabiliter onerosum, vel graviter molestum.

QUÆRITUR 38. An discessus sponsi vel sponsæ in terras remotas sine spe brevis reditus sit causa sufficiens resiliendi à sponsalibus? etiam juratis?

RESPONDEO I. Si causa discessus & diuturnitas moræ consideratis circumstantiis ita fuerint comparatæ, ut compars initio contractus sponsalitii verosimiliter non fuisset graviter invita ac dissensura, si de hac mora fuisset expresse cogitatum, illa discessio & mora non præbent sufficientem causam resiliendi à sponsalibus.

RATIO est, quia contractus sponsalitius, cum sit inchoatio amicitiæ, est contractus bonæ fidei, ubi magis respiciendum est ad intentionem præsumptam, si de hac vel illa circumstantia fuisset expresse tractatum, quàm ad strictum tenorem verborum.

RESPONDEO 2. In dubio, an ejusmodi causa & diuturnitas moræ sufficiant ad hoc, ut compars verosimiliter initio contractus fuisset graviter invita, pronuntiandum potius est pro libertate compartis.

RATIO est, quia non potest affirmari, eum se *tacitè* pro ejusmodi circumstantia obligasse, de quo adhuc dubium est, an fuisset se obligaturus, si de ejusmodi circumstantia fuisset cogitatum.

Idem CONFIRMATUR ex C. 5. h. tit., ubi dicitur: *De illis, qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non amplius in facto est processum, ad alia se vota transferre, recepta de perjurio pœnitentia, si per eas stetit, quo minus fuerit matrimonium consummatum.* Si ergo hoc licet in sponsalibus juratis, multo magis illud licitum erit in sponsalibus non juratis, saltem in casu, quo compars remanens non distulit culpabiliter executionem sponsalium ante alterius discessum.

RESPONDEO 3. Advertendum tamen est, quod compars remanens teneatur adhibere omnia media moraliter possibilla ad capiendam certam notitiam de voluntate compartis discedentis, an, & quo tempore velit redire; idque, si fieri potest, ab eo per litteras vel nuntium exquirere, ne forte privetur sine causa sufficiente jure suo. Hanc enim diligentiam & præviam monitionem lex amicitiæ petit per sponsalia inchoatæ. Quod si compars per litteras requisita respondere neglexerit, aut justas conditiones contempserit, ea recusatio pro renuntiatione juris haberi poterit. PALAUS & GUTTIEREZ cum nonnullis aliis suadent; in dubio de sufficientia causæ ad resiliendum adiri Judicem. Verùm cum Judex respondere nequeat in favorem unius partis non audita parte altera, & non examinatis omnibus circumstantiis, nemo non videt, ejusmodi examina indigere longiori tempore, & majoribus sumptibus, quàm opportunitas admittat. Itaque ex cujusque propria conscientia ac testimonio quævis persona in foro interno liganda vel solvenda est.

NEC OBSTAT, quod in Jure Civili l. 2. C. h. tit. & l. 2. C. *de repud.* sponsa jubeatur exspectare sponsi reditum per biennium, si degat intra provinciam; & triennium, si versetur extra provinciam; imo adhuc diutius juxta l. 17. ff. h. tit., si absentia sponsi sit necessaria, v. g. ob valetudinem, vel legationem; hæ enim leges solùm ligant pro foro externo in ordine ad effectus civiles, v. g. in ordine ad lucrandam arrham, vel donationem propter nuptias post lapsum talis termini.

QUÆRITUR 39. An solvantur sponsalia per ingressum unius in Novitiatum Ordinis Religiosi?

RESPONDEO: Non solvuntur, sed manet obligatio tam ex parte Novitii, si egrediatur ex Novitiatu, quàm ex parte remanentis in sæculo, ita ut non possit contrahere sponsalia cum alia persona, donec Novitius emittat professionem. Ita *D. Thomas* in 4. dist. 27. q. 2. a. 3. ad 1. *Covarruv.* & *P. Schmier.*

RATIO est, quia Novitiatus, cum sit status deliberativus, neque dicit renuntiationem juris sponsalitii ex natura status; neque etiam ea renuntiatio rectè annectitur Novitiatui, annecteretur Novitiatui per jus positivum vel consuetudinem, eò quod minueret Novitio, ut patet variabili in sua resolutione, libertatem redeundi ad sæculum; quod non expedit pro bono status religiosi.

QUÆRITUR 40. An fornicatio compartis sponsalibus superveniens, vel noviter retecta præbeat causam resiliendi à sponsalibus?

RESPONDEO I. Fornicatio sponsalibus superveniens, sive committatur à sponso sive à sponsa, præbet innocenti justam causam resiliendi. Ita fere omnes, & PROBATUR ex C. 25. *de Jurejurando*, ubi INNOCENTIUS III. dicit: *Si quis juraverit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem; quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* Cum ergo hæc conditio & regula desponsationis sit reciproca, idem dicendum est de fornicatione sponsi, quod præbeat sponsæ causam resiliendi.

RESPONDEO 2. Fornicatio tamen præcedens nec ex parte sponsi, nec ex parte sponsæ, si primùm fuerit detecta post contractum sponsalitium, præbet innocenti jus resiliendi. Id patet ex textu adducto. Neque habetur ratio fingendi gratis, quod in hoc textu sit sermo de prævia fornicatione sponsæ jam prius cognita à sponso.

Et RATIO est, quia præcedens fornicatio sponsi vel sponsæ, nisi secuta fuerit impprægnatio, non reddunt statum conjugalem notabiliter onerosum, vel molestum.

RESPONDEO 3. Neque etiam præbet sponso justam resiliendi causam fornicatio sponsæ sponsalia consequens vi extorta.

RATIO est, quia nec ista fornicatio, nisi secuta fuerit impprægnatio, reddit statum conjugalem notabiliter onerosum, & lex amicitiæ per spon-

sponsalia inchoatæ exigit in tali casu potius compassionem, quàm novam contristationem.

Quæritur 41. An habeatur jus resiliendi, si post sponsalia utraque pars committit fornicationem?

Respondeo: In hoc casu datur utrique parti jus resiliendi. Ita *Palao*, *Tannerus*, *Wiestner*, *P. Kugler*, & *P. Schmalzgrueber*.

Ratio est, quia juxta Innocentium III. sponsalibus inest hæc conditio: *Si altera pars contra regulam desponsationis non venerit.* Cum ergo illa pars, quæ prior peccavit, contra hanc regulam venerit, eo momento altera pars habebit jus resiliendi. Vel ergo resilit, vel non resilit? Si resilit; eoipso pars peccans deobligatur à vinculo sponsalitio. Si non resilit, sed adhuc insistit obligationi reciprocæ desponsationis, eoipso etiam de novo se obligat ad observandam in posterum regulam desponsationis. Ergo si hanc non servat, deobligatur pars innocens ab hoc novo contractu sponsalitio.

Nec obstat, quod juxta C. 6. de adult. *paria delicta mutua compensatione tollantur;* id enim verum est, quando inter unius & alterius delictum non intermediat *novus contractus* vel *nova renovatio contractus prioris jam ex parte extincti*, prout fit in posito casu.

Quæritur 42. An tactus impudici vel oscula præbeant justam causam resiliendi à sponsalibus, si à sponso vel sponsa exerceantur cum persona tertia?

Respondeo 1. Si ejusmodi tactus vel oscula exerceantur à sponso vel sponsa frequenter cum persona tertia, præbent æqualiter tam sponsæ quàm sponso jus resiliendi à sponsalibus.

Ratio est, quia non solùm sponso, sed etiam sponsæ creant prudentem metum violandæ fidei conjugalis, sicque perpetuo justo metu reddunt statum conjugalem valde molestum. Ita etiam sentit *Palao*, & *P. Schmier*.

Respondeo 2. Si tamen ejusmodi tactus vel oscula exerceantur tantùm semel, nec habeatur prudens metus frequentationis etiam in statu conjugii, non præbent justam causam resiliendi à sponsalibus.

Ratio est, quia in tali casu non reddunt notabiliter onerosum vel molestum statum conjugalem.

Quæritur 43. An quælibet mutatio notabilis superveniens sponso vel sponsæ præbeat jus resiliendi à sponsalibus?

Respondeo: Omnis mutatio sponsalibus superveniens, quæ statum conjugalem reddit notabiliter onerosum, præbet jus resiliendi à sponsalibus. Ita communis.

Ratio est, quia contractus sponsalitius est contractus bonæ fidei in genere promissionis amicabilis, tendentis ad statum amicitiæ perfectæ; huic autem generi promissionis & amicitiæ inchoatæ repugnat, obligare ad conditionem nimis difficilem, quæ verosimiliter statum ineundum reddit notabiliter onerosum vel molestum. Hinc jus resiliendi à sponsalibus præbetur, si sponso vel sponsæ post contracta sponsalia superveniat lepra, gravis ruptura, paralysis, lues gallica, epilepsia, phrenesis, phtysis, perpetuus oris graveolentia, vel alius morbus difficulter curabilis aut contagiosus, si amittat oculum, nasum, manum, pedem, vel aliam partem notabilem in ordine ad honestatem conjugii; si persona fiat notabiliter deformis, ita ut conversatio quotidiana fiat molesta; si fiat clauda, surda; si fiat aut deprehendatur moribus aspera, cruda, dura, ebriosa, prodiga, lusui dedita, vagabunda; si committat grave crimen, ex quo contrahitur infamia juris aut facti, v. g. veneficium, latrocinium, furtum, rapinam, homicidium, crimen falsi, &c. si prævideantur orituræ graves ac diuturnæ dissensiones inter sponsum, sponsam, eorumque parentes, ita ut non appareat prudens spes reconciliationis vel pacificationis; si ex matrimonio prævideantur oritura magna incommoda ab initio contractus non prævisa, v. g. si prævideatur, non posse solvi promissam dotem, si detegatur nimis grave onus debitorum quàm ut sine maxima difficultate solvi queant; si alterutra contrahentium pars interea incidat in gravem paupertatem, vel amittat magnam bonorum partem, qua amissâ conjugium reddatur valde onerosum.

Quæritur 44. An liceat resilire à sponsalibus alterutri parti, quæ post contracta sponsalia fit notabiliter ditior?

Respondeo Negativè. Hæc enim mutatio nec reddit conjugium notabiliter onerosum; nec prudenter exciperetur in contractu sponsalitio, qui est contractus amicitiæ. Turpe enim foret, si amicus amico diceret: *inibo tecum pactum amicitiæ, nisi evadam ditior.* Ita etiam sentit communis Doctorum.

Quæritur 45. An sponsi, si velint mutuo consensu dissolvere sponsalia, indigeant authoritate Judicis?

Respondeo 1. Ad dissolvenda mutuo consensu sponsalia *occulta*, ac *clandestina* non est opus authoritate Judicis, nisi id requiratur speciali Decreto proprii cujusque Episcopi. Ita communis.

Ratio est, quia authoritas Judicis nulla lege generali requiritur. Censentur autem sponsalia occulta, quæ solùm paucis personis in communitate nota sunt.

Respondeo 2. Sponsalia contracta coram Parocho & testibus, saltem pro foro externa, dissolvenda sunt mutuo consensu authoritate Judicia.

Ratio est, quia, si forte alterutra pars postmodum negaret, se consensisse in dissolutionem sponsalium, Judex in foro externo teneretur potius insistere testimonio negantis, & Parochi ac testium; sicque pronuntiare pro valore sponsalium. Hinc in pluribus Diœcesibus statutum est, ut ejusmodi sponsalia publica ac solennia non dissolvantur sine authoritate Judicis. Statuta Synodalia Diœcesis Augustanæ p. 2. C. 10. sic habent: *Sponsalium quæ publica fuerint, dissolutionem à Nobis, vel Curiæ nostræ Augustanæ Judicibus petant.* Ita Synodalia; quamvis etiam istud Statutum, si exactè inspiciatur, non videatur loqui de Sponsalibus mutuo consensu dissolven-

solvendis, sed de Sponsalibus dissolvendis ad nnius partis instantiam.

QUÆRITUR 46. Qualis requiratur certitudo de existentia causæ sufficientis ad resiliendum à sponsalibus?

RESPONDEO 1. Ad hoc, ut sponsus vel sponsa habeat jus resiliendi à sponsalibus, in foro externo requiritur de causæ existentia certitudo moralis, seu probatio plena saltem per duos testes omni exceptione majores.

RATIO est, quia jus alterius partis certum non potest tolli per jus incertum; nec licitum est, uti probabilissimo vel etiam probabiliorisimo, ubi agitur de gravi præjudicio tertii.

RESPONDEO 2. Eadem certitudo moralis de existentia causæ etiam requiritur in foro interno.

RATIO est eadem; quia etiam in foro interno non licet uti probabiliorismo, seu sententia probabiliori, in præjudicium tertii, ad tollendum jus certum per jus incertum.

RESPONDEO 3. Si tamen pro causa resiliendi allegetur causa anterior sponsalibus, v. g. impedimentum dirimens matrimonium ex copula cum consanguinea in secundo gradu, vel votum castitatis perpetuæ, antecedens sponsalia, ad ejus existentiam sufficit major probabilitas.

RATIO est, quia in tali casu ipse valor sponsalium est dubius; adeoque etiam ipsum jus compartis non est certum, sed dubium. Jus autem dubium æquali jure dubio, ubi agitur ad contrahendam obligationem perpetuam ab eo, qui est in possessione suæ libertatis, vincitur.

RESPONDEO 4. Quando habetur moralis certitudo *de existentia causæ*, habetur tamen præcise major probabilitas *de sufficientia causæ* ad resiliendum, vel etiam æqualis probabilitas de causæ sufficientia, licitum est in foro interno resilire à sponsalibus.

RATIO est, quia in tali casu affirmari nequit, quod contrahens se obligarit, vel obligasset pro tali casu vel circumstantia, si de ejusmodi casu aut circumstantia ab initio explicitè fuisset cogitatum vel tractatum. Itaque ipsum jus sponsalitium compartis relatè ad talem casum seu circumstantiam est dubium, ac consequenter altera pars manet in possessione suæ libertatis à subeundo onere conjugali.

QUÆRITUR 47. Quomodo dissolvantur sponsalia per lapsum temporis, præfixi pro finienda obligatione?

RESPONDEO 1. Quando sponsalibus præfixum est certum tempus implendæ & finiendæ obligationis, elapso illo tempore absque impletione sponsalium *sine alterius culpa*, vel *cum utriusque culpa*, eòipso dissolvuntur sponsalia. Sic si sponsus sponsæ dicat, contraham tecum matrimonium intra triennium; illo autem triennio elapso nolim amplius esse obligatus; exspirat obligatio lapsu triennii, etiamsi intra triennium nulla fuerit opportunitas contrahendi matrimonium.

RATIO est, quia contractus ex conventione legem accipiunt. C. 85. R. l. in 6.

RESPONDEO 2. Si in ejusmodi casu una contrahentium pars fuerit in culpabili mora, quo minus intra præfixum tempus impleretur contractus sponsalitius, obligatio sponsalitia tantùm solvitur ex parte innocentis, non verò ex parte injicientis moram culpabilem.

Id PROBATUR ex C. 22. h. Tit. ubi INNOCENTIUS III. dicit: *Si tibi constiterit, quod* Laurentius Evam *per verba de futuro sibi desponsaverit, postea verò* Elisabetham *sibi desponsaverit per verba de præsenti, imposita ei pœnitentia, quia primam fidem irritam fecit, nisi forsan certum terminum, intra quem dictam* Evam *duceret in uxorem, præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit, matrimonium secundum legitimum judices.* Ex hoc ergo patet, non existentem in culpabili mora absolvi ab obligatione sponsalitia; existentem verò in culpabili mora non absolvi ab ea obligatione, utpote cui debeatur pœnitentia pro fractione datæ fidei.

QUÆRITUR 48. Quomodo dissolvantur sponsalia contracta inter impuberes adepta pubertate?

RESPONDEO 1. Quando impubes contrahit sponsalia, sive id fiat per se, sive per parentes, sive per tutorem, ejusmodi sponsalia dissolvuntur solo ejus dissensu post adeptam pubertatem.

RESPONDEO 2. Excipitur tamen, nisi intervenerit copula carnalis.

RESPONDEO 3. Dissolutis ejusmodi sponsalibus si impubes fuerit minor septennio licitè contrahuntur sponsalia cum sorore vel matre prioris sponsæ; quia per sponsalia impuberum non contrahitur impedimentum publicæ honestatis. Hæc omnia habentur ex C. 40. & 8. *de Desponsatione impuberum.* ALEXANDER III. C. 8 cc. sic scribit: *Qui ante annos nubiles matrimonii nomine conjunguntur, pro eo, quod ante annos nubiles conjugalem consensum non habent, usque ad legitimam ætatem exspectare tenentur & tunc aut confirmetur matrimonium, aut, si simul esse noluerint, separentur, nisi carnalis commixtio ante intervenerit.* TERTIA RESPONSIO ibidem habetur C. 4.

Et RATIO est, quia in impubere ante septennium necdum datur animi conjunctio, utpote necdum vigente usu rationis.

§. II.

De Matrimonio in genere.

QUÆRITUR 1. Quid sit matrimonium?

RESPONDEO: Matrimonium est *contractus inter marem & fœminam, per se & ex suo genere ad individuam vitæ societatem, actusque ad generationem prolis idoneos obligans.*

DIXI, *per se, & ex suo genere.* Prout enim ex infra dicendis patebit, potest huic contractui *in individuo* adjici pactum de servanda virginitate ex motivo altioris boni ac ordinis.

DIXI 2. *Obligans*, si nempe compars id postulet.

QUÆRITUR 2. Quotuplex sit matrimonium?

RESPONDEO: Matrimonium dividitur 1. in *ratum* & *consummatum*. 2. In *Civile*, & *Sacramentale*. 3. In matrimonium *publicum*, & matrimonium *conscientiæ*. 4. In matrimonium *solenne* &

& *non solenne.* MATRIMONIUM RATUM dicitur, quod pro valido ratihabetur à Republica, vel Ecclesia, etiamsi necdum fuerit carnali copula consummatum. MATRIMONIUM CONSUMMATUM dicitur, quod carnali copula consummatum est. MATRIMONIUM CIVILE vocatur, quod contractum est præcise per modum contractus civilis, quin sit Sacramentum: Et tale est Matrimonium Gentilium, Turcarum, Judæorum, & multorum Hæreticorum. MATRIMONIUM SACRAMENTALE vocatur, quod servat omnes conditiones à Christo requisitas, & contrahentibus confert gratiam, ad statum conjugalem rectè observandum idoneam. MATRIMONIUM PUBLICUM est, quod contrahitur notoriè in ordine ad omnes effectus civiles legitimi conjugii, puta, successionis jura, pacta dotalia reciproca &c. MATRIMONIUM CONSCIENTIÆ nominatur, quod contrahitur præcise ad evitandam fornicationem, quin uxori tribuat jus ad effectus civiles legitimi conjugii. Hujusmodi matrimonia solent contrahere interdum principes, aut nobiles eum fœminis plebeis, aut aliàs longè inferioris status, ut omnia bona immobilia & hæreditas relinquantur liberis ex priori conjugio. Hoc matrimonium etiam vocari solet MORGANATICUM, quia tali uxori ae ejus liberis solùm conceditur respectivè exigua bonorum portio. MATRIMONIUM SOLENNE est, quod fit cum solennitatibus juris per pacta conjugalia consueta coram legitimo Judice; & eum solenni traductione sponsæ in domum sponsi, aut vicissim. NON SOLENNE est, quod fit sine illis solennitatibus juris.

QUÆRITUR 3. An Matrimonium sit Sacramentum?

RESPONDEO Affirmativè. Ita definitum est à Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit; matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Idem PROBATUR ex Apostolo ad Ephes. 5. v. 32. ubi de matrimonio loquens ait: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Quibus verbis significat; matrimonium esse quoddam mysterium, seu symbolicum signum, figurativum unionis inter Christum & Ecclesiam. Quod autem hoe signum non sit sterile, sicut erant signa veteris Testamenti, sed operativum interioris gratiæ, colligitur partim ex assistentia externa Christi ad nuptias in Cana, significativa assistentiæ interioris, partim ex traditione Ecelesiæ, adhibentis speciales preces conciliativas gratiæ nomine & authoritate Christi, prout dicetur in sequentibus.

QUÆRITUR 4. Quænam sit materia hujus Sacramenti?

RESPONDEO: Materia hujus Sacramenti est contractus civilis inter marem & fœminam, ad individuam vitæ societatem ae per se ex genere suo etiam ad generationem prolis ordinatus.

QUÆRITUR 5. Quænam sit forma hujus Sacramenti?

RESPONDEO: Forma hujus Sacramenti sunt illa verba, quibus Minister Ecclesiæ nomine seu authoritate Christi contractum civilem contrahentium confirmat, sieque ipso facto eos subjicit unioni Christi ad Ecclesiam, operativæ gratiæ. Hanc formam Concilium Tridentinum insinuat Sess. 24. C. 1. ubi ait: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.*

QUÆRITUR 6. Quisnam sit Minister hujus Sacramenti?

RESPONDEO: Minister hujus Sacramenti est Parochus contrahentium, vel alius ab eodem constitutus Sacerdos, qui contrahentes authoritate Christi nexu post consummationem subsequentem indissolubili conjungit matrimonio. Verum quidem est, juxta communiorem sententiam ipsos contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, rationes tamen prioris sententiæ prout in Tract. de Sacramentis ostensum est, videntur validiores ex Traditione primitivæ Ecclesiæ. Patres enim constanter docent, Sacramentum matrimonii fieri, effici, ac sanctificari per benedictionem Ecclesiæ. Sic 1. TERTULLIANUS l. de pudicit. C. 4. scribit: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Nec inde consertæ matrimonii obtentu crimen eludant.* Et l. 2. ad Uxorem: *Unde sufficiam ad felicitatem ejus matrimonii enarrandam, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli* (Diaconi) *renuntiant, & Pater ratum habet?* Et in l. de Monogamia C. 11. probat absurditatem secundarum nuptiarum, quas ibi damnat, utpote jam infectus hæresi, quia matrimonium debet conjungi à Sacerdotibus, quibus non licet habere secundam uxorem. *Ut in Domino nubas*, inquit, *qualis* (hoc est, quàm absurdus) *es, id matrimonium postulans, quod eis, à quibus petis, non licet habere, ab Episcopo monogamo, à Presbyteris & Diaconis hujus Sacramenti? Et illi vos conjungent* (ad secundas nuptias) *in Ecclesia virgine unius Christi unica Sponsa?* 2. SIRICIUS Papa Epist. ad Himerium C. 4. *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Non autem foret locus sacrilegio, nisi illa benedictio esset quædam sanctificatio Sacramentalis. 3. S. AMBROSIUS l. 3. Epist. 23. ad Vigilium, ubi docet, non esse in uxorem accipiendam uxorem gentilem, ait: *Cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium* (cum uxore ethnica contractum) *dici, ubi non est fidei concordia?* 4. CONCILIUM CARTHAGINENSE IV. Can. 3. *Sponsus & Sponsa cum benedicendi sunt à Sacerdotibus, cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Hane verò reverentiam tam difficilem Concilium non exegisset, nisi existimasset, benedictionem illam esse Sacramentalem. 5. INNOCENTIUS I. Epist. 2. ad Victricium C. 6. *Absurdum est, aliquem credere, uxorem ante Baptismum acceptam post Baptismum non computari; cum benedictio, quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi*

quendi (per separationem) *dedisse*, *sed formam temuisse legis antiquitus à Deo institutæ* (de inseparabilitate conjugum) *docetur*. Ex hoc colligitur, per benedictionem nuptialem dari *formam* contractui civili *ad esse contractus* per se *insolubilis*. 6. S. EPIPHANIUS hæresi 67. *contra Hieracitas* videtur agnoscere, quod benedictio nuptialis per suum exemplum sit instituta à Christo. *Honorabile esse connubium*, inquit, *& ab eo obtineri regnum cœlorum in Deo*, *quis non cognoscat*, *cum Salvator propterea ad nuptias vocatus sit*, *ut benediceret connubium?* Ista honorabilitas, & idoneitas ad assequendum regnum cœlorum non ita fidenter adscriberetur benedictioni, nisi ipsa benedictio foret Sacramentalis. 7. D. CHRYSOSTOMUS Hom. 48. in Genesin dicit: *Oportebat* (pro ineundo conjugio) *Sacerdotes vocare*, *& precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringere*, *ut amor sponsi augeatur*, *& puellæ continentia crescat*, *& omnia*, *quæ fiunt*, *eo spectent*, *ut virtutis opera ingrediantur in domum*, *tollanturque è medio Diaboli insidiæ*. In hoc textu S. Chrysostomus gratiam pro statu conjugali rectè observando necessariam satis clarè adscribit & alligat benedictioni nuptiali. 8. S. BASILIUS in Regulis fus. Interrog. 5. *Apostolus*, *etsi permissum sit conjugium*, *habitumque fuerit benedictione dignum*, *tamen illud* (statui religioso) *postposuit*. Dum conjugium dicitur *dignum benedictione*, major per benedictionem insinuatur gratia, quàm esset nuda cæremonia. Ex his ergo textibus colligitur, Benedictione nuptiali conferri gratiam Sacramentalem.

NEC OBSTAT 1. Quod Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 1. dicat; matrimonia clandestina priori tempore fuisse *rata & vera matrimonia*, quo termino videtur ex communi usu loquendi intelligere verum Sacramentum.

RESPONDEO enim, à Concilio Tridentino per *ratum & verum* matrimonium non intelligi Sacramentum *perfectum*, sed *imperfectum*, in quantum continet quidem rationem *signi symbolici*, significativi unius inter Christum & Ecclesiam, quæ significatio non congruit contractui civili conjugali Gentilium vel Hæreticorum dissolubili; sed non continet rationem causæ collativæ gratiæ; sicut etiam Baptismus collatus sub debita materia, sed non sub debita forma potest vocari Sacramentum imperfectum, licet sit vera ablutio *speculativè* significativa ablutionis internæ. Pari ergo ratione matrimonium clandestinum Catholicorum in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum, plus dicit, quàm solus contractus civilis Gentilium vel Hæreticorum dissolubilis. Superaddit enim rationem mysterii, seu signi speculativi, quo speculativè significatur unio inter Christum & Ecclesiam; sed sine benedictione nuptiali non habet rationem signi practici, collativi gratiæ. Quod autem Concilium Tridentinum sub termino *rati & veri matrimonii* noluerit intelligere *verum & perfectum* Sacramentum, colligitur ex eo; quia cautè abstinuit à termino Sacramenti; & quia noluit damnare sententias Doctorum Catholicorum, v. g. *Cani*, qui interfuit Concilio Tridentino, & *Coloniensis Concilii*, celebrati novem annis ante Tridentinum.

NEC OBSTAT 2. Quod ista forma: *Ego vos conjungo &c.* non reperiatur in variis Ritualibus. Constat enim ex dictis in Tractatu *de Sacramentis*, quod Ecclesia habeat potestatem determinandi materiam & formam Sacramentorum quoad speciem infimam, prout etiam observare licet in forma Extremæ Unctionis.

NEC OBSTAT 3. Quod secundæ nuptiæ non benedicantur solenniter per specialem Missam. Nam etiam in istis reperitur totum, quod requiritur ad essentiam benedictionis nuptialis, dum sponsus & sponsa etiam in secundis nuptiis à Parocho conjunguntur & benedicuntur per preces imprecatorias gratiæ.

NEC OBSTAT 4. Quod Ecclesia non jubeat renovari matrimonia clandestina, contracta in locis, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum, vel contractum quidem coram Parocho & testibus, sed invito & sine benedictione nuptiali.

RESPONDEO enim, talia matrimonia excludi à benedictione nuptiali, quia contrahentes ex sua malitia semetipsos excluserunt ab hac gratia; aut quia Ecclesia non vult conferre hoc Sacramentum, nisi *simul* ponantur omnes partes. Sola enim confirmatio prioris consensus, non est positio consensus, utpote dudum prius positi, & irretractabilis. Hæc salvo meliori dicta sunto. Fusius & eruditè de hac quæstione in utramque partem disserit, & Episcopis prohibet, ne alterutram partem in Synodis definiant vel præscribant, SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in l. de Synodo. Quodsi quis hæc acceptare noluerit; dicat mea pace; ipsos contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, in quantum se per contractum conjugalem indissolubilem semetipsos offerunt Deo ad repræsentandam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, ita ut hæc illorum tacita vel expressa oblatio sui contractus reciproci sit *forma* hujus Sacramenti, ipse verò contractus reciprocus sit *materia* ejusdem Sacramenti.

QUÆRITUR 7. An à Fidelibus possit celebrari validum matrimonium in ratione contractus, quin celebretur in ratione Sacramenti?

RESPONDEO: Si matrimonium celebrent absque dolo in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum, & ubi non potest haberi Parochus pro benedictione nuptiali, licitè & validè contrahunt matrimonium in ratione contractus civilis. Sed in locis, ubi Tridentinum fuit promulgatum, ac etiamnum est in observantia, aut ubi potest haberi benedictio nuptialis, licitè non potest celebrari matrimonium in ratione contractus civilis, quin contrahatur in ratione Sacramenti.

RATIO est, quia Ecclesia pro ejusmodi circumstantia reddit ipsum contractum civilem illicitum, nisi celebretur simul in ratione Sacramenti, prout patet ex Concilio Tridentino.

DIXI, *licitè*. Nam validè etiam contrahitur in ratione contractus, si celebretur absque benedictione nuptiali coram Parocho invito, & testibus.

QUÆRITUR 8. An valeat matrimonium sub modo servandæ perpetuæ castitatis?

RESPONDEO Affirmativè.

Ratio est, quia per individuam vitæ societatem adhuc sufficienter salvatur significatio unius inter Christum & Ecclesiam. Ergo etiam sufficienter salvatur ratio Sacramenti collativi gratiæ.

Confirmatur ab exemplo B. Virginis cum S. Josepho, cui Matth. 1. v. 20. dicitur: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, etiam habuerit pactum virginitatis, juxta illud ejus ad Angelum responsum Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Simile legitur matrimonium Mathildis Comitissæ cum Wulfone Duce, & Pulcheriæ Augustæ cum Marciano.

Nec obstat 1. quod per tale conjugium non significetur perfecta unio physica Verbi cum natura humana; quia Sacramentum matrimonii non significat unionem physicam Verbi cum natura humana, sed unionem moralem Christi cum Ecclesia, prout patet ex Apostolo ad Ephes. 5.

Nec obstat 2. quod D. Thomas in Supplem. q. 48. a. 1. ad 3. *Sanchez*, *Gutierez*, *Filliutius*, *Layman*, *Pirrhing*, & plures alii doceant, tale matrimonium esse illicitum, & invalidum. Ex hoc enim præcise sequitur; quod non sit certum, ejusmodi pactionem habere rationem *conjugii sacramentalis*; non verò sequitur, quod non contineat rationem *contractus civilis* liciti in genere conjugii latè dicti.

Nec obstat 3. quod ex hac sententia videatur consequi, voto solenni castitatis adstrictos, v. g. Presbyteros, posse licitè inire tale conjugium. Ecclesia enim non solùm irritat matrimonia talium personarum Sacramentalia, sed etiam matrimonia inita per modum contractus civilis, prout colligitur ex sensu & praxi Ecclesiæ.

Quæritur 9. An valeat matrimonium à parentibus loco liberorum præsentium & tacentium contractum?

Respondeo Negativè.

Ratio est, quia taciturnitas non habetur pro consensu, ubi agitur de contrahendo gravissimo onere personali, sed potius habetur pro animo vel inito, vel adhuc deliberativo. In ea enim, quæ sunt juxta inclinationem, facile animus in linguam erumpit. Cæterùm hic casus locum non habet, ubi matrimonium contrahitur coram Parocho, utpote qui juxta Tridentinum tenetur contrahentes expressè interrogare de assensu, prout patet ex textu Concilii superius §. 2. qq. 5. adducto.

Nec obstat Regula 43. Juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur.* Id enim in *mere favorabilibus*, quibus nil odiosi permixtum est, vel in accusationibus de crimine, ubi defensionis speratur fructus, intelligendum est, non in odiosis, aut mixtis ex favore & odio. Hinc Regula 44. l. c. statim subjungit: *Qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur.*

Quæritur 10. An requiratur consensus parentum ad valorem matrimonii?

Respondeo: Ad valorem matrimonii non requiritur consensus parentum. Ita declaratum est à Concilio Tridentino Sess. 24. C. 1. his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

Nec obstat, quod talia matrimonia sine consensu parentum inita videantur referenda ad contractus turpes, seu illicitos, qui juxta dicta in Tract. *de Justitia* sunt jure naturæ invalidi.

Respondeo enim, quod non omnia matrimonia sine consensu parentum inita sint illicita, quando nempe parentes sunt irrationabiliter inviti. Dein, etiam tunc quando ob rationabilem dissensum parentum sunt illicita, non eoipso referenda sunt in classem contractuum turpium. Contractus enim turpes sunt, qui obligant ad illicitum, quod non fit in isto contractu matrimoniali, licet cum concomitetur turpitudo, nempe transgressio reverentiæ & obedientiæ parentibus debitæ consistens in actu transeunte, non in malitia permanente, utpote irretractabili.

Quæritur 11. An parentes graviter peccent, si absque justa causa per suum dissensum matrimonia liberorum impediant? vel nimis diu differant?

Respondeo: Parentes graviter peccant, si absque justa causa liberos ab honestis nuptiis impediant, vel nimis diu differant.

Ratio est, quia sic impediendo vel differendo eos constituunt in gravi periculo variorum excessuum contra castitatem. Justa verò causa impediendi vel differendi matrimonium est. 1. Si exinde parentibus prudenter timetur grave præjudicium vel damnum. 2. Si exinde liberis prudenter timetur grave præjudicium vel damnum. 3. Si liberi non sunt graviter inviti.

Quæritur 12. An Principes vel Magistratus Civilis possit irritare matrimonia liberorum sine consensu parentum, vel matrimonia Nobilium cum plebejis inita?

Respondeo 1. Princeps vel Magistratus non potest talia matrimonia irritare pro foro interno.

Ratio est, quia Princeps sæcularis non potest irritare contractum positivè approbatum à Deo Gen. 2. v. 24. ubi dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Nec obstat, quod materia hujus Sacramenti sit *contractus civilis*, qui substat legibus Principum instar aliorum Contractuum Civilium.

Respondeo enim, contractum matrimonialem, quatenus apud Christianos habet innexam *indissolubilitatem*, & significationem unius indissolubilis Christi cum Ecclesia, non esse merum contractum civilem, sed eum substare Legi Divinæ, cujus explicandæ ac ordinandæ in praxi jus Deus soli contulit Ecclesiæ, cui proin soli competit jus statuendi impedimenta honestati hujus Sacramenti congruentia.

Respondeo 2. Potest tamen Princeps in ejusmodi contrahentes statuere graves pœnas, etiam exhæredationis, & privationis omnium effectuum

fectuum civilium ex contractu conjugali alioquin consequentium. Sic potest statuere 1. ut sic contrahentibus non debeatur dos ante mortem parentum. 2. Ut omnino exhæredentur. 3. Ut relegentur ex patria. 4. Ut liberi ex tali matrimonio nati careant nobilitate & aliis privilegiis.

Si quis objiciat, quod multi Juristæ in Gallia talia matrimonia Nobilium cum plebejis sine consensu parentum habeant pro invalidis.

Respondeo: Longe communiorem sententiam Canonistarum in ipsa Gallia esse, quod talia matrimonia non sint invalida *Sacramentaliter, pro foro interno*, sed tantum *Civiliter*, hoc est, in ordine ad præfatos effectus civiles, prout in Pontasio videri potest. Videatur Dissertatio SS. D. N. Benedicti XIV. de ejusmodi matrimoniis l. 7. de Synodo C. 37., in fine hujus Tractatus annectenda.

Quæritur 13. An matrimonium ab infidelibus vel Judæis contractum dissolvatur per unius conversionem ad Catholicam Fidem?

Respondeo 1. Hoc matrimonium potest & debet rescindi, si altera pars in Judaismo vel infidelitate remanens nolit conversæ cohabitare sine contumelia Creatoris, hoc est, sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel sine despicientia Christianæ Religionis.

Ratio est, quia tale matrimonium solùm habet rationem contractus civilis, ex sua natura dissolubilis, si non serventur conditiones per se inexistentes Jure naturæ, seu tacitè imbibitæ, inter quas haud dubiè continetur, ut cuivis liceat liberè servire Deo in vera Religione.

Respondeo 2. Si tamen pars in Judaismo vel infidelitate remanens velit cohabitare sine contumelia Creatoris, tenetur pars conversa remanere in priore conjugio.

Ratio est, quia etiam contractus civiles, ad quos tale matrimonium referendum est, servandi sunt, quousque non occurrat rescissionis causa sufficiens.

Respondeo 3. Si pars in Judaismo vel infidelitate remanens nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, pars conversa licitè contrahit aliud matrimonium.

Ratio est, quia prior contractus civilis absolutè fuit dissolutus; adeoque nullum relinquit vinculum.

Respondeo 4. Si pars in Judaismo vel infidelitate remanens noluerit cohabitare sine contumelia Creatoris, atque interea contrahat aliud matrimonium, sed successu temporis pœnitens convertatur ad fidem, tenetur dimisso secundo conjuge redire ad priorem conjugem, si nondum aliud contraxit matrimonium.

Ratio est, quia dans injustam causam ad rescissionem contractus, v. g. sponsalitii, ex parte sua non solvitur ab obligatione contractus, quamdiu pars innocens vult huic contractui seu obligationi insistere prout fit in præsenti casu. Aliud dicendum, si pars conversa tacite vel expresse remisisset hanc obligationem. Vide Dissertationem II. & III. inferiùs in fine §. VII. SS. D. N. Benedicti XIV. de hac re inferiùs ex l. *de Synodo* in fine hujus Tractatus annectendam.

Quæritur 14. An idem dicendum de matrimoniis Hæreticorum vel Schismaticorum, qui contrahunt matrimonium dissolubile?

Respondeo: Idem dicendum esse de Hæreticis vel Schismaticis toleratis, *in hæresi vel schismate natis & educatis*, ac propterea in foro externo præsumptivè materialibus.

Ratio est, quia tales, sicut Gentiles & Judæi, reipsa non contraxerunt matrimonium in ratione Sacramenti, neque etiam eorum matrimonium cum in foro externo præsumantur laborare ignorantia invincibili, potest vocari perpetua fornicatio. Itaque valet eorum matrimonium præcise in ratione contractus civilis dissolubilis, sicut matrimonium Gentilium & Judæorum; ac consequenter in foro externo eodem modo tractandum est.

Dixi, *in hæresi natis, & educatis, ac toleratis.* De Apostatis enim, vel non toleratis, non potest præsumi, quod laborent ignorantia invincibili, ac consequenter eorum matrimonia ne quidem valent per modum contractus civilis, sed sunt nil aliud, quàm perpetuæ fornicationes vel adulteria.

Quæritur 15. An valeat matrimonium contractum per Procuratorem?

Respondeo Affirmativè. Tria tamen circa ejusmodi matrimonia notanda sunt. 1. Requiritur, ut talis Procurator habeat speciale mandatum. 2. Requiritur, ut Procurator in propria persona, & non per alium Subdelegatum, suum munus adimpleat. 3. Requiritur, ut mandatum interea non sit revocatum. Ita habetur C. fin. de Procurat. in 6. his verbis: *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis aliàs is, qui constituitur ad negotia Procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu, propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere, non potest deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Sanè, si Procurator, antequam contraxerit, à Domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quàm ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, quo firmitatem habere nequivit.*

Si quis dicat, ex hoc consequi, quod sic per Procuratorem contrahens possit gratiam Sacramentalem accipere dormiendo, si videlicet eo tempore dormiat, quo ejus Procurator coram Parocho & testibus contrahit nomine sui principalis. Hoc autem videri absurdum.

Respondeo, id non esse absurdum. Sic enim etiam potest baptizari & absolvi dormiens vel impos rationis propter intentionem virtualem, quæ perseverat etiam respectu dormientis, imo & ebrii, in ipso mandato procuratorio non revocato, quod denominatur voluntarium ex actu præcedente.

Quæritur 16. Qualis requiratur consensus ad validum matrimonium?

Respondeo: Requiritur consensus *verus, mutuus*, & *saltem moraliter simultaneus.*

Dixi

Dixi 1. *verus*, quatenus opponitur *ficto*, qui non ſufficit ad validum matrimonium.

Dixi 2. *mutuus*, quia conſenſus unius non ſufficit ad conſtituendum verum contractum.

Dixi 3. *moraliter ſimultaneus.* Si enim una pars conſentiat primo anno, & altera pars ſecundo anno, non datur ſufficiens ſimultas, niſi prior conſenſus ſaltem virtualiter perſeveret in aliquo ſui effectu. Hinc, ſi prior conſenſus jam fuerit retractatus, non valet matrimonium, etiamſi alterius conſenſus intra aliquot minuta ſubſequatur. Id patet ex natura aliorum contractuum, v. g. emptionis, locationis.

Quæritur 17. Ad quid obligetur, qui ficté contraxit matrimonium?

Respondeo 1. Tenetur determinatè ad ponendum conſenſum, ſi matrimonium jam fuerit conſummatum, & alia ſatisfactio rationabiliter non acceptetur à decepta.

Ratio eſt; quia in tali caſu, ubi agitur de reſtitutione circa bona famæ, & corporis, optio quoad modum reſtitutionis Jure naturali eſt penes damnificatum, cui ſe obligavit damnificans.

Respondeo 2. Si matrimonium necdum eſt conſummatum, fictè contrahens non tenetur Jure naturali ponere novum conſenſum, ſed tantùm ad compenſandum damnum, quod exinde ſequitur deceptæ.

Ratio eſt, quia decepta necdum fuit damnificata in bonis famæ vel corporis, ſed tantùm in bonis fortunæ, circa quæ proin compenſatio facienda eſt. Quodſi etiam in honore aliquantulum læſa eſt, is honor eſt reparabilis in æſtimatione prudentum per aliud honeſtum conjugium, à decipiente ope vel opibus procurandum deceptæ.

Respondeo 3. Fictè contrahens poteſt ſub excommunicatione compelli ad cohabitandum conjugaliter, niſi ſaltem tenuiter probabili indicio probet ſuam fictionem. Si enim afferat probabile indicium ſuæ fictionis, non poteſt excommunicari excommunicatione ſtrictè dicta, ſed tantùm interdici à ſuſceptione Euchariſtiæ.

Ratio eſt, quia excommunicatio eſt pœna omnium graviſſima, quæ non eſt infligenda, niſi in plenè convictos.

Respondeo 4. Fictè contrahens, qui ne quidem probabili indicio probare poteſt ſuam fictionem, ſi per excommunicationem compellatur ad conjugaliter cohabitandum, tenetur ad ponendum conſenſum, aut ſi matrimonium necdum eſt conſummatum, & datur ratio ſufficiens adhuc recuſandi conſenſum, ad ſe gerendum pro excommunicato, quin tamen poſſit petere vel reddere debitum.

Ratio eſt, quia excommunicatio ſolùm nititur præſumptione violenta conſenſus præſtiti, quo deficiente ſola excommunicatio non ponit matrimonium.

Quæritur 18. Quales poſſint eſſe cauſæ recuſandi conſenſum etiam poſt ſententiam Judicis in eo, qui fictè contraxit matrimonium ratum?

Respondeo: Cauſæ ſunt ſequentes: 1. Si interea contraxit & conſummavit aliud matrimonium. Si enim ſecundum matrimonium necdum conſummavit, deberet potiùs conſulere Papam & ſcribere ad Pœnitentiariam Romanam, ut diſpenſetur juxta exigentiam circumſtantiarum. 2. Si decepta ex indiciis ſatis claris potuit deprehendere fictionem, & decipiens ſe offerat ad juramentum ſuppletorium probationum. 3. Si gravia ſcandala & infelices exitus timerentur ex tali matrimonio, & matrimonium necdum ſit conſummatum, & decipiens deceptæ offerat rationabilem compenſationem.

Quæritur 19. An *fictè*, vel *invalidè* ex metu contrahens ſufficienter ceſſante fictione aut metu ponat conſenſum, altera parte nec monita nec renovante conſenſum?

Respondeo: Talis licitè & validè ponit conſenſum, etiamſi altera pars nec moneatur, nec renovet ſuum conſenſum. Ita communis.

Ratio eſt, quia conſenſus alterius partis ſemel poſitus, licet non perſeveret in actu aut ſolùm *invitè*, perſeverat tamen virtualiter quoad ſubſtantiam in ipſo habitu conjugali, qui per actum tranſeuntem iræ vel diſcordiæ non ſufficienter retractatur. Itaque datur adhuc ſufficiens *moralis ſimultaneitas* inter conſenſum præſentem fictè contrahentis, & conſenſum præteritum deceptæ, utpote virtualiter in habitu conjugali permanentis.

Confirmatur à pari; quia etiam Religioſus fictè Profeſſus ſufficienter ſanat nullitatem profeſſionis, ſi ponat noviter conſenſum, etiamſi Religio non ponat novum conſenſum, utut forte libenter dimitteret talem Religioſum.

Quæritur 20. Utrum conſenſus novus in ſupplente defectum prioris conſenſus debeat ſigno externo exprimi?

Respondeo Affirmativè. Sufficit tamen pro ſigno externo quivis actus proprius conjugii, v. g. ſigna ſpecialia amoris conjugalis peoſcula & amplexus, vel copula conjugalis, cohabitatio diuturna.

Quæritur 21. An matrimonium ratum ſit diſſolubile authoritate Eccleſiæ?

Respondeo 1. Matrimonium *ratum præciſe in ratione Contractus Civilis* eſt diſſolubile authoritate Eccleſiæ.

Ratio eſt, quia tale matrimonium non habet rationem Sacramenti, prout ex ſuperiùs dictis ſuppono; adeoque nec habet ſignificationem unionis indiſſolubilis inter Chriſtum & Eccleſiam. Hinc antiquitùs ante Conſtitutionem Concilii Tridentini de nullitate matrimonii clandeſtini, editam anno 1563. paſſim diſſolvebantur matrimonia clandeſtina rata authoritate Summorum Pontificum, prout patebit ex infra dicendis.

Respondeo 2. Matrimonium ratum, cujus valor eſt dubius, diſſolubile eſt authoritate Eccleſiæ.

Ratio eſt, quia in dubio de valore matrimonii, ſive ſit dubium juris, ſive facti, non eſt certa obligatio contrahentium. Ergo accedente alio motivo valde gravi, v. g. ob metum triſtis exitus, bonum commune generis humani & gloria Dei petunt, pronuntiari ſententiam potius in favorem libertatis, quàm vinculi. Ex hoc titulo Summi Pontifices & S. Congregatio Concilii

Concilii sæpe pronuntiarunt sententiam pro dissolutione matrimonii rati, v. g. in dubio de perpetuitate impotentiæ, in dubio, an matrimonium sit contractum ex gravi metu, in dubio, an error interveniens sit substantialis vel accidentalis, in dubio, an defectus animi vel corporis graviter obstans cohabitationi aut fidei conjugali fuerit antecedens, & moraliter incorrigibilis, &c. quæ omnia reddunt dubium valorem matrimonii.

Respondeo 3. Matrimonium ratum est dissolubile authoritate Ecclesiæ, quando habet conditionem de futuro imbibitam *ex dispositione Ecclesiæ* in sensu inferius explicando, quamvis verosimile sit, necdum ab Ecclesia ejusmodi conditionem unquam fuisse annexam vel permissam, nisi conditionem intrandi Religionem.

Ratio est, quia ante Concilium Tridentinum non repugnabat, valorem matrimonii clandestini nondum consummati pependisse ex conditione de futuro. Ergo etiam non repugnat post Tridentinum, valorem matrimonii nondum consummati dependere in conservari quoad esse contractus civilis à conditione de futuro, annexa matrimonio rato ex dispositione Ecclesiæ. Talis conditio annexa matrimonio rato ex dispositione Ecclesiæ est: *Nisi intra bimestre statum religiosum elegero.*

Nec obstat, quod ex hoc sequeretur; matrimonia rata vel non esse Sacramentum actu, aut hoc Sacramentum non conferre effectum statim. Non enim repugnat, effectum Sacramenti hujus suspendi usque ad positionem conditionis requisitæ, cum in Sacramentis vivorum gratia Sacramentalia solùm consistat *in jure ad gratias actuales* suo tempore consequendas & in habilitatione potentiarum ad statum novum in Sacramento susceptum, ut in Tr. *de Sacram.* dictum est.

Quæritur 22. Ex quibus causis possit dissolvi matrimonium ratum?

Respondeo: Ex sequentibus. Prima causa est, si alter conjugum intra primum bimestre suscepti solemniter conjugii ante ejus consummationem statuat ingredi Religionem. Ita definitum est in Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 6. his verbis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Idem Probatur ex C. 7. de Convers. Conjug., ubi Alexander III. sic scribit: *Ex publico Instrumento nobis innotuit, quod cum Veronensis Episcopus causam matrimonii, quæ inter A virum, & M mulierem vertebatur, suscepisset terminandam, judiciali sententia matrimonium approbavit, & eidem mulieri præcepit, ut ad virum rediens exhiberet eidem conjugalem affectum, quod cum renueret, fuit vinculo excommunicationis adstricta. Cæterum, quia, licet à præfato viro desponsata fuit, adhuc tamen ab ipso, sicut asserit, fuit incognita, mandamus, quatenus, si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententia, qua tenetur, absolvas, ita, ut si ad Religionem transierit, uterque restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse,* (& vir ipse ea Religionis habitum assumente ad alia vota licentiam habeat transeundi).

Sane quod Dominus dicit: Non licet viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potuit. Parenthesis additur à Glossa, ut videtur, ex ipsa Epistola Papæ.

Altera causa dissolvendi matrimonium ratum *à Doctoribus* habetur, si alioquin timeantur tristes exitus; præsertim vergentes in grave damnum boni publici. Id colligunt ex variis dispensationibus Romanorum Pontificum *allegatis* in Pignatello tomo primo Consultatione 148, & in Clericato de Matrimonio Decisione 15. n. 27. & in *Resolutionibus S. Congr. Tridentini Concilii* à SS. D. N. Benedicto XIV. editis allegatis. Verùm hanc causam sic indefinitam non approbo.

Observo enim; in casibus insignioribus, qui allegantur, vel intervenisse solùm *matrimonium clandestinum*, quod valet solùm in ratione Contractus Civilis, ex sua natura dissolubilis; vel intervenisse *dubium de valore* matrimonii, in quo casu pronuntiandum est pro libertate contrahentis, vel ex parte contrahentium intervenisse *consensum ex intentione contrahentium vel ex dispositione legum tacitè conditionatum.* Sic Navarrus, qui stat pro generali dissolubilitate matrimonii rati, in *Summa* C. 22. num. 21. ait: *Dividitur matrimonium ante consummationem per dispensationem Papæ (juxta Canonistas & Theologos), quorum opinio adeo servatur, quod etiam ter vel quater Paulus III. & Pius IV. per suas dispensationes dissolverunt quædam matrimonia NB. NB.* omnino clandestine contracta *nondum consummata, antequam in urbem venissem;* nempe anno 1530. & 1560, quo tempore nondum fuerunt invalida matrimonia clandestina in ratione contractus civilis. Sic etiam in Resolutione S. Congregationis Concilii de anno 1734. 23. Januarii non fuit concessa dispensatio circa matrimonium ratum, etiamsi Minister cujusdam Electoria Imperii contraxerit matrimonium cum ignobili fœmina acatholica. Et anno 1732. 12. Januarii in iisdem Resolutionibus dicitur: *Regula, quæ à Sacrorum Canonum præscripto deprompta servatur in hujusmodi quæstionibus, est, ut, si impedimentum impotentiæ esse perpetuum certum est atque evidens, statim declaretur irritum matrimonium; si verò impotentiæ signa non physicè, sed moraliter tantùm certa sint, hoc casu dissolvatur matrimonium. Aliquando, quando de matrimonii non consummatione constat, sed tamen non satis probatum fuisset, impedimentum esse perpetuum, atque incurabile, alia breviori via prospectum fuit. Quamvis enim judicium institutum fuisset de nullitate matrimonii ob eam impotentiæ causam, nihilominus dissidio impositus fuit finis per dispensationem à Pontifice maximo impertitam super matrimonio rato, & non consummato. Ita ex consilio Congregationis particularis coram Clemente VIII. habitæ olim actum fuit in causa, quæ vertebatur inter Sysmundum Transylvaniæ Principem, & Mariam Archiducissam Austriæ. Sic quoque recentius servatum fuit in causa Januensi dispensationis in hac S. Congregatione inter Annam Pallavicinam, & Joannem Jacobum Imperialem die 20. Maji, & 9. Septembris 1719, & 27. Januarii 1720.* Neque S. Congregationi placere sententiam, quod matrimonium ratum dissolvi

solvi possit ex quavis causa, ubi timentur tristes exitus, exinde colligitur, quia semper se in hac re difficilem præbuit, & priusquam permitteret proponi quæstionem, an esset dispensandum in matrimonio rato, semper voluit prius examinari, an constaret de sufficienti motivo dissolutionis matrimonii? eo nempe fine, ut tunc primùm procederetur ad dispensationem, quando reperiebantur saltem dubia motiva pro nullitate seu dissolutione matrimonii. Imo etiam tunc, quando Alexander III. in textu superius adducto dispensavit circa matrimonium ratum sub conditione, ut una pars ingrederetur Religionem, videtur prius intercessisse lis de valore matrimonii, ita ut ingressus in Religionem non tribuerit generale jus ad dissolutionem matrimonii rati, sed tantùm in dubio de valore matrimonii tribuerit motivum ad facilius credenda allegata ex parte ingredientis Religionem, adeoque ad facilius concedendam dissolutionem matrimonii, seu dispensationem concurrente dubio de valore matrimonii. Ac plane sic contigisse sentio. Itaque consequitur, ne quidem ingressum in Religionem sufficere ad dissolvendum matrimonium ratum, nisi aut fuerit contractus mere civilis, aut nisi valor fuerit dubius matrimunii, aut nisi contractus ex intentione contrahentium vel *dispositione legum*, v. g. Concilii Generalis Tridentini, fuerit ad breve tempus conditionatus, ita ut ejusmodi matrimonium ratum participet potius rationem *sponsalium solemnium* de præsenti, quam actualis *Conjugii Sacramentalis*, licet benedictio nuptialis actu detur, & referatur in tempus impletæ conditionis seu consensus in societatem vitæ individuam. Et hinc plana fit generalis regula ac verissima doctrina, quod *Omne Sacramentale Matrimonium certò validum significans unionem Christi cum Ecclesia, sit absolutè & in omni casu Jure Divino indissolubile.* Cæterùm quòd post Concilium Tridentinum *omne matrimonium ratum* habeat talem conditionem ex dispositione legum sibi annexam, videtur colligi ex Concilio Tridentino, ubi Sess. 24. Can. 6. dicitur: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Quamvis posset responderi; Concilium solùm damnare eam propositionem hæreticam, quòd matrimonium ratum *nunquam* dirimatur per professionem religiosam. Sic enim etiam Sess. 23. Can. 8. dicitur: *Si quis dixerit: Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit;* quamvis utique non sit certum, in omnibus Episcopis, etiam Simoniacè promotis, aut alia inhabilitate Juris Divini laborantibus, id verificari.

§. III.

De Impedimentis impedientibus matrimonii.

Quæritur 1. Quid sit *Impedimentum impediens?*

Respondeo: Impedimentum impediens est obstaculum, quo stante contractus matrimonialis redditur illicitus, licet non reddatur invalidus.

Quæritur 2. Quot nunc post Concilium Tridentinum dantur Impedimenta impedientia?

Respondeo: Post Concilium Tridentinum reperiuntur solùm quatuor impedimenta impedientia, quæ sequenti versu continentur:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

Quæritur 3. Quomodo impediatur contractus matrimonialis *per sacratum tempus?*

Respondeo 1. Vi hujus impedimenti impedientis non licet celebrare solenniter nuptias à die Cinerum usque ad Octavam Paschæ, & ab Adventu usque ad Festum Epiphaniæ.

Respondeo 2. Vi hujus impedimenti prohibentur præfato tempore solennis benedictio nuptiarum, solennis traductio sponsæ in domum sponsi, externa pompa, choreæ, & convivia, aliaque publica vanæ lætitiæ signa.

Respondeo 3 Si urgeat necessitas, & accedat licentia Ordinarii, ubi *actualis* haberi nequit, saltem *præsumpta*, non prohibetur hoc tempore *benedictio nuptialis privata* absque solennitate, v. g. in Oratorio privato, vel in domo parochiali, vel etiam in Ecclesia absque concursu populi & absque Missa solenni. Talis necessitas foret, si militi, mercatori, exulanti &c. instet iter, & alioquin timerentur dissolvi sponsalia cum magno præjudicio sponsæ. Hæc omnia probantur partim ex tenore verborum Concilii Tridentini, quod restaurat præcise veterem in hac re Ecclesiæ legem, partim ex consuetudine interprete legum. Concilium Sess. 24. C. 10. sic habet: *Ab Adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit.* Antiquæ autem prohibitiones indefinitè prohibent celebrationem nuptiarum licet non prohibeant contrahi matrimonia de præsenti; ex qua oppositione videtur colligi, per nuptiarum celebrationem intelligi solennitatem, sic C. 4. de Feriis Clemens III. scribit: *Licet ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocunque tempore matrimonium contrahatur, consensu legitimo interveniente de præsenti; quia tamen à Septuagesima usque ad septimum diem post Pentecosten celebrari nuptiæ non sinuntur,* (eo tempore) *nuptiæ suspendantur.*

Dixi, *si urgeat necessitas.* Mos enim laudabilis populi Christiani, sicut ex devotione à contrahendo matrimonio abstinet *Feria sexta*, & *Sabbato*, ita etiam ab eodem abstinet in Quadragesima & Adventu; qui mos, cum ejus transgressio in communi æstimatione hominum imputaretur pro magna inhonestate, pro lege servandus est, nisi accedente motivo necessitatis simul accedat licentia saltem præsumpta Ordinarii.

Quæritur 4. Quomodo impediatur contractus matrimonialis *per Ecclesiæ vetitum?* Et quid sit hoc *vetitum?*

Respondeo 1. Per Ecclesiæ *vetitum* intelligitur prohibitio, qua Episcopus, vel Parochus ejus nomine alicui personaliter prohibet contractionem matrimonii cum aliqua determinata

nata persona. Tales prohibitiones fieri solent 1. si contracturus matrimonium deprehendatur contraxisse anteriora sponsalia cum alia sponsa, quæ se opponit matrimonio, petitque, sibi servari datam fidem; aut si ejusmodi oppositionem faciat sponsus anterior. 2. Si in contracturo vel contractura matrimonium detegatur impedimentum dirimens, v. g. consanguinitatis vel affinitatis, cujus impedimenti prius probatio exacta requirenda, vel dispensatio exspectanda est. 3. Si ex matrimonio contrahendo timeantur gravia scandala, graves inimicitiæ, rixæ, &c. Nam etiam in hoc casu nuptiæ aliquamdiu prohibendæ ac suspendendæ sunt, donec componantur inimicitiæ, & præcludantur scandala. Quodsi quis hoc Ecclesiæ *vetitum* infringat, vel ad infringendum cooperetur, non est dubium, peccari graviter, cum in materia gravis momenti violetur gravis obligatio seu mandatum Ecclesiæ.

QUÆRITUR 5. Quomodo per *sponsalia* impediatur contractus matrimonii?

RESPONDEO: Sponsalia impediunt contractum matrimonialem in hoc sensu, quod persona primò desponsata uni non possit licitè desponsari aut matrimonialiter conjungi alteri, nisi priora sponsalia prius dissolvantur legitimè.

RATIO est, quia res promissa uni non potest licitè promitti vel dari alteri.

QUÆRITUR 6. An sponsalia priora solvantur per posteriora, si sponsalia posteriora sint jurata?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia juramentum ejusmodi non est validum, utpote emissum in præjudicium tertii. Sic INNOCENTIUS III. C. 28. de Jurejur. tunc solùm juramenta esse observanda docet; *cum in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis æternæ.* Hoc tamen consequitur ex secundis sponsalibus, quod sponsus vel sponsa priorum sponsalium habeat jus resiliendi à sponsalibus, eò quod contrahens sponsalia secunda censeatur prioribus tacitè renuntiasse.

QUÆRITUR 7. An priora sponsalia solvantur posterioribus, si secundis sponsalibus accessit copula carnalis vel imprægnatio?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia non est Legi naturali, hoc est, rectissimo Ordini in mente Dei, conforme, ut innocens privetur jure suo ex alieno scelere, nisi ita postulet in aliquo genere humanorum actuum lex altioris ordinis, seu bonum publicum, quod in hoc genere secundorum sponsalium non contingit. Neque enim Respublica exinde patitur damnum, sed potius commodum; si paucæ aliquæ puellæ imprægnatæ exemplo suæ infamiæ & miseriæ doceant sapere cæteras; dum econtra optatis nuptiis potius provocarent alias ad similia flagitia.

QUÆRITUR 8. An priora sponsalia solvantur posterioribus, si posterior sponsa fuit imprægnata, & damnum illi aliter resarciri nequeat, nisi per matrimonium? Etsi fuit ignara priorum sponsalium?

RESPONDEO Negativè. Ita sentiunt rectè *Gutierez*, *Reiffenstuel*, *Pichler*.

D. Amort Tract. de Sacram. Matrim.

RATIO est, quia etiam in hoc casu Legi naturali, hoc est, sapientissimo ordini in mente Dei, longè conformius, & bono communi longè conducibilius est, ut paucæ aliquæ puellæ imprægnatæ suo damno instruant puellas cæteras, quàm ut pravo suo exemplo & optatis nuptiis alliciant ad similia flagitia reliquas.

NEC OBSTAT, quod Reipublicæ adnascantur gravia onera ex ejusmodi imprægnatis puellis earumque prolibus, nisi jungantur matrimonio, & quod proles talium puellarum ordinariè malè instituantur. Reipublicæ enim semper alia suppetunt media, providendi pro educatione Christiana talium prolium, prout fit Romæ per *Hospitale in Saxia*, & per copiosissimas eleemosynas dotium, & alibi per *brebotrophia*.

QUÆRITUR 9. An in posito casu imprægnans secundam sponsam teneatur eam ducere, si prior sponsa ultro cedat jure suo? vel si moriatur? aut ingrediatur Religionem?

RESPONDEO 1. Si secunda sponsa scivit vel scire facile potuit priora sponsalia, imprægnans non tenetur eam ducere, etiamsi damnum illi subsecutum aliter resarciri nequeat, nisi per matrimonium. Ita *Perez*, *Wiestner*, *Pichler*.

RATIO est, quia secunda sponsalia fuerunt, & sciri debuerunt esse invalida. Itaque imprægnata totum damnum sibi imputet.

NEC OBSTAT, quod posteriora sponsalia videantur esse tacitè conditionata: *si prior sponsa cedat jure suo, vel si moriatur.* Animus enim imprægnantis & imprægnatæ ponitur non cogitasse de hac conditione, & si de hac cogitasset, dubium est, an eam apposuisset. Itaque in dubio non potest absolutè affirmari, quod sit conditionatus sic peccantium animus.

RESPONDEO 2. Si secunda sponsa nec scivit, nec facile scire potuit priora sponsalia, & damnum illi aliter resarciri nequeat, nisi per matrimonium, imprægnans tenetur eam ducere in casu, quo prior sponsa cedit jure suo, vel moritur, vel ingreditur Religionem.

RATIO est, quia, licet non obligetur titulo sponsalium, tenetur tamen *ex dolo*, & *injusta damnificatione*, eò quod dolose reticuerit priora sponsalia ante imprægnationem secundæ. Tenebatur enim ex justitia illi aperire hanc circumstantiam ad præcavenda damna subsequentia.

QUÆRITUR 10. An sponsalia dissoluta per matrimonium cum alia persona initum, dissolvantur absolutè, vel tantùm suspendantur usque ad obitum conjugis alterius?

RESPONDEO: Hæc sponsalia tantùm suspenduntur. Hinc, si moreretur sponsus vel sponsa secunda in matrimonium accepta, viduus vel vidua teneretur adhuc vi priorum sponsalium ducere priorem sponsum vel sponsam; si ita velit prior sponsus vel sponsa. Ita docent *Pontius*, *Mastrius*, *Conink*, *Perez*, *Palaus*, *Zoesius*, *Haunoldus*, *Sporer*, *Wex*, *Wiestner*, *Konig*, *Pichler*.

RATIO est, quia obligatus ex justitia, etiamsi ex suo facto vel crimine impediatur ab implenda obligatione per annos plurimos, tenetur tamen eam implere, quamprimùm potest remoto obice, quamdiu pars altera obligationem non remiserit. Neque etiam conforme est Legi natu-

 rali,

rali, seu rectissimo ordini in mente Dei, ut obligatus ex justitia possit semetipsum suo crimine absolvere absolutè ab omni obligatione.

Nec obstat, quod hoc modo priori sponso vel sponsæ daretur ansa optandæ vel captandæ mortis alienæ, nempe conjugis contra fidem priorum sponsalium accepti vel acceptæ.

Respondeo enim, hoc periculum esse tantùm remotum, eò quod prior sponsus vel sponsa habeat libertatem dissolvendi sponsalia, & contrahendi matrimonium cum alia persona, prout §. 1. dictum est.

Quæritur 11. Quænam *vota* impediant matrimonium? Et quomodo?

Respondeo 1. A matrimonio impediunt vota sequentia: 1. Votum simplex perpetuæ castitatis. 2. Votum non nubendi. 3. Votum ingrediendi Religionem. 4. Votum suscipiendi sacros Ordines.

Ratio est, quia horum votorum observantia stare non potest cum obligationibus consuetis matrimonii, saltem prout communiter contrahi solet ac petit sine reservatione servandæ castitatis.

Respondeo 2. Votum perpetuæ castitatis impedit matrimonium contrahendum, etiamsi quis contrahere vellet cum reservatione conservandæ perpetuæ castitatis.

Ratio est, quia contractus matrimonialis exponeret manifesto periculo violandi votum castitatis: fidi enim nequit alienis promissis, plerumque fallacibus, & propriæ voluntati, sensim flexibili.

Respondeo 3. Ligatus voto non nubendi peccat quidem contrahendo matrimonium, eo tamen contracto potest reddere & petere debitum, quia observantia voti est impossibilis in sensu consueto voventium.

Quæritur 12. Quid juris, si quis impeditus voto perpetuæ castitatis nihilominus contraxerit matrimonium?

Respondeo 1. Si ligatus voto simplici perpetuæ castitatis contraxit matrimonium, tenetur juxta communem Authorum primis duobus mensibus abstinere à petendo vel reddendo debito conjugali, & si appareat spes susceptionis in ordinem religiosum, tentare ac petere susceptionem.

Ratio est, quia per ingressum in Religionem solvitur matrimonium ratum; ac consequenter hoc medio, utut difficili, adhuc est observabile votum.

Respondeo 2. Si non appareat spes probabilis susceptionis in ordinem religiosum, aut status religiosus videatur nimis improportionatus talentis ac vocationi propriæ, nec datur opportunitas petendi interea dispensationem à Papa, & videatur, voventi esse moraliter impossibilis observantia voti, Confessarius habens potestatem commutandi vota, potest etiam primis duobus mensibus commutare illud votum in alia pia opera ad effectum saltem reddendi debitum.

Ratio est, quia vota reservata Sedi Apostolicæ interveniente morali impotentia observationis per Epikiam subjacent saltem commutationi illorum, qui habent potestatem commutandi vota non reservata. Nam vota reservata in casu, quo moraliter nequeunt observari, non manent reservata pro ea circumstantia, sed transeunt in naturam votorum non reservatorum.

Respondeo 3. Ligatus voto perpetuæ castitatis, si contraxit matrimonium, tenetur perpetuò abstinere à petendo debito, nisi obtineat dispensationem; potest tamen exacto primo bimestri, quod conceditur ad deliberandum pro ingressu in Religionem, reddere licitè debitum juxta dicta in Resp. 1. si concurrat moralis impotentia intrandi ordinem. In praxi tamen, quia difficile est, in omnibus custodire seipsum tam cautè, ut non videatur aliquando intervenire interpretativa petitio debiti, consulendum est, ut petatur dispensatio à voto. Cæterùm monitos velim Confessarios, ne facile puellas sinant emittere votum castitatis, nisi hæc tria concurrant; *primò* ætas valde natura, v. g. viginti ad minimum annorum, *secundò*, hactenus constans & exacta observantia castitatis, *tertiò*, sufficiens patrimonium, ut possint suis sumptibus honestè vivere sequestrati à consortio & conversatione virorum, præsertim juvenum. Qui huic meo monito noluerint credere, dolebunt, ut timeo, suo tempore, se sprevisse consilium.

Quæritur 13. Quid agendum, si quis ligatus voto non nubendi, vel suscipiendi sacros Ordines, vel ingredi Religionem, contraxit matrimonium?

Respondeo 1. Si ligatus voto non nubendi contraxit matrimonium, non tenetur primo bimestri ingredi in Religionem, etiamsi haberet occasionem ingrediendi Religionem.

Ratio est, quia in votis tota obligatio & modus obligationis dependet ab intentione voventis. Vovens autem non censetur se obligare voluisse pro casu contracti matrimonii rati ad tam difficile medium dissolvendi ratum, si de hac circumstantia vel casu cogitasset.

Respondeo 2. Si ligatus voto non nubendi contraxit matrimonium, peccavit quidem mortaliter, potest tamen licitè petere & reddere debitum.

Ratio est, quia, cum observatio voti jam sit impossibilis, cessat ejus obligatio, nec parit effectum stante conjugio.

Respondeo 3. Si ligatus voto non nubendi contraxit matrimonium, mortua vel mortuo conjuge tenetur abstinere à secundis nuptiis.

Ratio est, quia votum non nubendi videtur ex intentione voventis se extendere ad omnes nuptias, nisi aliunde constet, quod vovens sua intentione solùm respexerit ad primas nuptias.

Respondeo 4. Si ligatus voto ingrediendi Religionem, vel suscipiendi sacros Ordines contraxit matrimonium, tenetur primo bimestri tentare ingressum Religionis, si appareat spes probabilis susceptionis.

Ratio est, quia votum ingrediendi Religionem, aut in ordine religioso suscipiendi sacros Ordines est adhuc observabile; nec ingressus in Religionem moderati rigoris superaddit nimis difficilem arduitatem supra Statum Clericalem.

Respon-

Respondeo 5. Si ligatus voto ingrediendi Religiooem, vel fuſcipiendi ſacros Ordioes contraxit matrimonium, nec appareat probabilis ſpes ſuſceptionis in religioſo ordine, primo bimeſtri noo poteſt quidem juxta commuoem ſententiam ſine diſpenſatione, vel ubi non poteſt haberi, commutatione voti, petere aut reddere debitum.

Ratio eſt, quia obſervatio voti exacto bimeſtri jam eſt reddita impoſſibilis; adeoque ſtante conjugio oon relinquit effectum.

Respondeo 6. Si ligatus voto ingrediendi Religiooem, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines contraxit matrimoniom, mortua prima conjuge tenentur abſtinere à ſecundis nuptiis, atque ſi adhuc appareat probabilis ſpes ſuſceptionis io Ordinem, vel Ordinationis, adhuc implere votum, niſi intercedat diſpeoſatio vel commutatio voti per prædictos ea poteſtate.

Quæritur 14. An poſt cootracta ſponſalia emittens votum ingrediendi Religionem teneatur contrahere matrimooium, & dein primo bimeſtri noodum conſummato matrimonio ingredi Religionem?

Respondeo Negativè. Tale enim votum non acceptatur à Deo; & ſoppoſito, quod acceptaretur à Deo, non tamen obligareot ſponſalia ad decipieodam & eoormi confuſioni exponeodam compartem, quæ confuſio ſequeretur ex diſſoluti ooe matrimonii rati. Accedit, quod juxta dicta §. 2. qq. 20. & 21. forte nec ipſe ingreſſus in Religionem diſſolvat matrimonium ratum oon concurreote dubio de valore matrimonii.

§. IV.

De Impedimentis dirimentibus.

Quæritur 1. Quid ſit Impedimentum dirimens?

Respondeo: Impedimentum dirimeos eſt obſtaculum, quo ſtante matrimoninm redditur iovalidum.

Quæritur 2. Quot ſunt Impedimenta dirimentia?

Respondeo: Poſt Coocilium Tridentinum enumerantur ab Authoribus quatuordecim, nempe

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas, Affinitas, Clandeſtinitas, Impotentia, Raptus.

De Impedimento Erroris.

Quæritur 3. Quid ſit *error?*

Respondeo: Error, prout conſtituit impedimentum matrimonii, eſt *deceptio contrahentis quoad ſubſtantiam contractus matrimonialis.*

Quæritur 4. Quotuplex eſt error?

Respondeo: Error dividitur 1. in ſubſtantialem & accidentalem. 2. In antecedentem, & coocomitantem. Error substantialis eſt, *cui expreſſe vel tacite alligatur intentio contrahentis*, ita ut contrahens abſque tali requiſito nolit contrahere matrimonium cum perſona. Error accidentalis eſt, *cui nec tacite nec expreſſe alligatur intentio contrahentis*; ita ut non cenſeatur tale requiſitum requirere ad valorem contractus. *Exemplum erroris ſubſtantialis* eſt, ſi contracturo matrimonium cum determioato individuo, v. g. *Eva*, ſubſtituatur ejus loco aliud individuum, v. g. *Noema*. *Exemplum erroris accidentalis* eſt, ſi quis contrahat matrimonium cum *Bertha*, quam putat habere mille florenos, cum tameo habeat ſolùm nongentos florenos. Error antecedens eſt, *qui dat cauſam contractui principalem*, ita ut ea non exiſtente cootractus certò oon fieret. Hujusmodi cauſa vocari ſolet *cauſa motiva*. Error concomitans eſt, qui non dat cauſam cootractui, ſaltem principalem ac motivam, ſed tantum *impulſivam*, ita ut ea exiſtente promptius quidem ac libentius ioiretur cootractus, quin tameo abſente illa cauſa omitteretur. Exempla erroris *antecedentis* & *concomitantis* habentur ſupra, ubi actum eſt de errore ſubſtantiali & accidentali, cum quo error antecedens & concomitans ferme coincidit.

Quæritur 5. Ao error *circa perſonam* ſemper dirimat matrimonium?

Respondeo *Affirmativè.*

Ratio eſt, quia error circa perſooam in communi æſtimatione hominum eſt error circa ſubſtantiam contractus. In hoc eoim contractu, in quo agitur de individua vitæ ſocietate intentio contrahentia reſpicit has potius iodividuales proprietates perſonæ, quàm alias.

Nec obstat, quod Jacob Patriarcha, cum illi loco *Rachelis* ſubſtitueretur *Lia*, quam exiſtimabat eſſe Rachelem, cenſuerit, ſe obligari ad ducendam Liam. Hanc enim duxit non ex opinione obligationis, ſed cauſa vitandæ majoris perturbationis, ſi illi à *Labano* denegaretur *Rachel* ſibi deſpooſata.

Nec etiam obstat, quod noo vitietur Abſolutio Sacramentalia, ſive Confeſſarius pœniteotem credat eſſe Petrum, qui eſt Paulus, aut puerum, dum eſt puella. Quia intentio abſolventis non alligatur ad individualea proprietates pœoitentis, ſicut fit io hoc cootractu ob rationem ſuperiùs aſſignatam. Idem dicendum *ad Objectionem*; quod in contractu venditioois non vitietur contractus, ſi uni individuo v. g. equi, ovis, panoi, &c. ſubſtituatur aliud individuum æqualis bonitatis. Diſparitas enim eſt eadem; quia io hoc genere contractuum intentio cootrahentis non alligatur ad individuum, ſed ad bonitatem geoericam mercis reperibilem in pluribus individuis. Sed in matrimooio, in quo contrahitur perpetua amicitia cum perſona, eliguntur pro objecto amicitiæ perſcnalis proprietates individuales.

Quæritur 6. An error *circa qualitatem* accidentalem perſonæ, v. g. nobilitatem, divitias, probitatem, &c. aliquando dirimat matrimonium?

Respondeo 1. Error circa qualitatem accidentalem perſonæ noo dirimit matrimonium, niſi iotentio contrahentis expreſſe vel tacite alligetur tali qualitati.

Ratio eſt, quia error circa qualitatem non eſt error circa ſubſtantiam. Si autem qualitati de ſe accidentali alligetur iotentio contraheotis, ejus defectus vel *redundat in ipſam perſonam*, quæ eligi-

eligitur; vel certè tollit consensum contrahentis. Hinc, si quis expresse vel implicite dicat: *Contraho tecum, si es nobilis, si es virgo, si habes mille florenos, &c.* deficiente ejusmodi qualitate reipsa tollitur consensus contrahentis, ac consequenter matrimonium est invalidum.

RESPONDEO 2. Etiam error circa qualitatem personæ dirimit matrimonium, quando intentio contrahentis tacite vel expresse alligatur qualitati requisitæ.

RATIO patet ex dictis; quia defectus ejusmodi qualitatis tollit consensum contrahentis, qui consensus est essentialissimum requisitum ad valorem cujuscunque contractus.

RESPONDEO 3. Tunc intentio contrahentis censetur esse alligata tacitè ad qualitatem requisitam, quando ex circumstantiis vel tractatu prævio præter finem generalem conjugii in esse Sacramentali manifestabatur finis aliquis primarius specificus in esse contractus civilis, in ordine ad quem parum vel nihil servit conjugium sine qualitate requisita.

RATIO est, quia in tali casu datur objectum specificum ac qualificatum consensus *actualiter*, saltem implicitè in terminis æquipollentibus vel in terminis connexis, *expressum*, quo objecto sublato eoipso tollitur consensus ac consequenter valor matrimonii. Hinc, si vir, v. g. obæratus debitis mille florenorum publicè quærat sponsam sufficienter dotatam, ut possit commodè se exonerare ære alieno sine periculo *gravis indigentiæ seu miseriæ*, veniente sponsa, quæ jactet, se habere octingentos florenos, cum effectivè solùm habeat centum, contractum matrimonialem ex tali errore invincibili initum, censeo esse invalidum ob defectum consensus.

QUÆRITUR 7. Quid agendum, si consideratis omnibus circumstantiis dubium sit, utrum intentio contrahentis fuerit alligata ejusmodi qualitati?

RESPONDEO 1. In dubio præsumendum est, tunc intentionem contrahentis esse tacitè alligatam qualitati controversæ, quando deficiente illa qualitate contractus parum servit ad finem specificum contrahenti moraliter necessarium, & in tractatu prævio sufficienter expressum. Hinc, cum virginitas sponsæ non sit moraliter necessaria ad finem specificum conjugii, non præsumenda est unquam intentio contrahentis tacitè alligari huic qualitati. Idem dicendum de nobilitate sponsi relatè ad sponsam nobilem; non enim est sponsæ regulariter necessaria moraliter nobilitas suorum liberorum, tanquam finis specificus conjugii. Aliud quandoque dicendum de nobilitate sponsæ relatè ad sponsum nobilem, qui liberos suos non poterit congruè ad suum statum elocare, nisi admittantur ad Ecclesias Cathedrales, & Aulas Principum, ubi requiritur nobilitas.

RESPONDEO 2. Si ex circumstantiis particularibus non possit sufficienter dignosci, an finis specificus conjugii, ad quem controversa qualitas exigitur, sit moraliter necessarius contrahenti, & num in tractatu prævio fuerit saltem implicitè expressus, præsumptio dicenda est ex praxi Tribunalium, vel consuetudine communi contrahentium, ut censeatur intentio contrahentis illi qualitati esse alligata, vel non alligata, quam praxis tribunalis aut consuetudo contrahentium solet respicere pro qualitate substantiali vel accidentali.

RATIO est, quia intentio contrahentium regulariter solet conformari consuetudini communi aliorum, & praxi Tribunalium, nisi aliud particulatim intendere velint & significent.

RESPONDEO 3. Si etiam ex hoc capite nullum possit formari certum ac firmum judicium, standum est pro valore matrimonii, aut postulanda est dispensatio à matrimonio rato.

RATIO est, quia bonum generis humani exposcit, & praxis totius Ecclesiæ observat, ut præsumatur in tali casu potius consensus sufficiens, ne nimis facile & frequenter dissolvantur matrimonia etiam consummata cum perturbatione Reipublicæ, prout fieret, si primùm post consummationem detegerentur ejusmodi errores.

QUÆRITUR 8. An valeat matrimonium, si contrahens existimet, se laborare occulto impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, quod tamen reipsa non subest?

RESPONDEO 1. Si censeat, se laborare impedimento dispensabili, matrimonium habendum est pro valido.

RATIO est, quia in tali casu potest, & præsumendus est, habere intentionem petendi dispensationem, sicque se obligandi ad individuam vitæ societatem.

RESPONDEO 2. Si censeat, se laborare impedimento indispensabili, stante tali errore, non est validum matrimonium.

RATIO est, quia talis non habet intentionem contrahendi matrimonium. Neque enim in actuali intentione fornicandi vel lasciviendi *tacitè* includuntur intentiones bene agendi conditionatæ sub conditione, quam nemo suo sceleri *expressè* apponeret. Aliud dicendum, si contrahens tantum dubitaret, an non laboraret tali impedimento.

RESPONDEO 3. In tali casu existimati impedimenti indispensabilis aliud non superest medium, nisi ut contrahens nondum retecto errore abusu matrimonii abstineat, & retecto errore consensum renovet.

RATIO est, quia consensus compartis adhuc moraliter perseverat *in habitu conjugii*, prout §. 3. qq. 18. ostensum est.

De Impedimento Conditionis.

QUÆRITUR 9. Quid sit hoc loco *conditio?*

RESPONDEO: Sub hoc termino *conditionis*, prout constituit impedimentum matrimonii dirimens, intelligitur *conditio servilis*, seu *status mancipii* propriè ac strictè accepti. In Jure Canonico de hoc impedimento agitur sub titulo: *De conjugio servorum.*

QUÆRITUR 10. Utrum inter Christianos reperiantur *servi strictè dicti*, seu *mancipia propriè accepta?*

RESPON-

RESPONDEO: Inter Christianos non reperiuntur amplius *mancipia propriè talia*, seu *servi strictè dicti*, nisi Turcæ, vel Gentiles in bello justo à Christianis capti. Nam prout dicit Apostolus Gal. 3. v. 28. *Quicunque in Christo baptizati estis; non est servus, neque liber; omnes enim unum estis in Christo.*

QUÆRITUR 11. Quale sit discrimen inter servum seu *mancipium propriè dictum*, & inter servum *adscriptitium*, seu *originarium*?

RESPONDEO: Discrimen consistit in eo, quod *servus, mancipium, ancilla*, si strictè accipiantur, præter victum & vestitum absolutè ad sustentationem vitæ necessarium, nihil sibi, sed omnia Domino lucrentur. Econtra *servi, mancipia, ancillæ* latiùs accepta, non omnia Domino, sed etiam sibi lucrentur. Tales servi latius dicti, si illis relinquitur pars fructuum ex agris, quos colunt, vocantur *adscriptitii*, & qui ex iis nascuntur, vocantur *originarii*.

QUÆRITUR 12. Qualia matrimonia dirimantur vel non dirimantur per impedimentum conditionis servilis?

RESPONDEO 1. Per impedimentum conditionis servilis non dirimitur matrimonium *ab homine libero* initum cum servo *adscriptitio, originario* vel *communiter dicto*, qui pro salario servit, etiamsi conditio ejusmodi servilis à contrahente ignoretur, nisi intentio contrahentis tacite vel expresse alligetur libertati compartis.

RATIO est, quia tale matrimonium nec irritatur Jure naturæ, nec Jure positivo.

RESPONDEO 2. Per impedimentum conditionis servilis nec dirimitur matrimonium initum à servo seu mancipio strictè dicto cum ancilla strictè accepta, quantumvis ineatur invito Domino. Ita rescripsit HADRIANUS PAPA Salesburgensi Archiepiscopo C. dignum. h. Tit. his verbis: *Sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, etsi contradicentibus & invitis Dominis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen & consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhiberi.*

RESPONDEO 3. Per impedimentum conditionis servilis nec dirimitur matrimonium à libero initum cum ancilla propriè dicta, aut vicissim, si à libero sciatur alterius conditio servilis.

RATIO est, quia scienti conditionem servilem nec fit injuria, nec ab eo initur pactum repugnans Legi naturali.

RESPONDEO 4. Per impedimentum conditionis servilis solùm dirimitur matrimonium initum à persona libera cum persona conditionis servilis, si ignoretur ejus conditio servilis.

RATIO est, quia in tali matrimonio intercedit error quoad substantiam contractus, qui proin deficiente consensu contrahentis est Jure naturali invalidus. Hinc etiam sic declaravit ALEXANDER III. & INNOCENTIUS III. C. 2. & 4. h. Tit.

QUÆRITUR 13. An conditio servilis ignorata ab altero contrahente Jure Naturæ dirimat matrimonium?

RESPONDEO Affirmativè.

RATIO est, quia intentio contrahentis censetur tacitè alligari ad omnes qualitates per se requisitas ad rectam educationem & libertatem prolium; nisi expresse ac scienter ex causa extraordinaria altioris ordinis fiat oppositum. Cum ergo conditio servilis per se impediat rectam educationem prolium & libertatem Jure naturali cuivis homini debitam, intentio contrahentium generaliter censetur tacitè alligari ad prærequisitum libertatis ex parte compartis.

De Impedimento Voti.

QUÆRITUR 14. Quale *votum* dirimat matrimonium?

RESPONDEO: Matrimonium solùm dirimitur *voto solemni castitatis*, quod est annexum Professioni Religiosæ, & Ordinibus Sacris. Hinc, si Religiosus post emissum solenne votum castitatis, vel Subdiaconus, Diaconus, aut Presbyter, contrahat matrimonium, tale matrimonium est invalidum. Ita habetur decisum in Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit.* His verbis Concilium insinuat, matrimonium Clerici in sacris Ordinibus constituti dirimi, etiamsi obligatio servandi castitatem sacris Ordinibus tantum foret annexa ex Præcepto Ecclesiastico & non ex voto.

DIXI: *Voto solenni castitatis*; vota enim simplicia castitatis non dirimunt matrimonium contrahendum; nisi in Societate Jesu, ubi GREGORIUS XIII. etiam votis simplicibus annexuit impedimentum dirimens matrimonii contrahendi in Bulla: *Ascendente Domino.*

QUÆRITUR 15. An votum solenne castitatis dirimat matrimonium contrahendum in eo, qui Sacros Ordines suscepit coactus per metum, vel absolute invitus?

RESPONDEO 1. Votum solenne castitatis in eo, qui Sacros Ordines suscepit absolutè invitus sine consensu interno, non dirimit matrimonium contrahendum.

RATIO est, quia deficiente consensu interno deficit votum.

RESPONDEO 2. Votum solenne castitatis nec dirimit matrimonium contrahendum in eo, qui suscepit Sacros Ordines coactus per metum gravem injustè incussum. Citantur pro hac sententia *Sanchez, Suarez, Henriquez, Perez, Conink, Bonacina, Gobat, Barbosa, Zoesius, Pirbing.*

RATIO est, quia votum non acceptatur à Deo in ordine ad tam difficiles obligationes, nisi sit *voluntarium, spontaneum*, ac *liberum directè in se.*

QUÆRITUR 16. An votum solenne castitatis dirimat matrimonium contrahendum in eo, qui suscepit sacros Ordines in pueritia? vel cum ignorantia de annexo voto castitatis?

RESPONDEO Affirmativè.

RATIO est, quia liberè ac spontaneè suscipiens Sacros Ordines, vel Statum Religiosum, suscipit eum eo modo, quo solet suscipi, & cum omni-

omnibus iis obligationibus, cum quibus solet suscipi ab aliis, prout patet ex susceptione variorum aliorum Officiorum & Statuum. Ergo jam implicitè etiam suscipitur obligatio voti castitatis. Censeo tamen, cum puero ob imperfectionem deliberationis accedente dubio de valore voti facilè posse dispensari circa votum & exinde consequens impedimentum, præsertim in ea sententia, quam in Decalogo tenui, quod vota dubia non sint reservata Sedi Apostolicæ.

De Impedimento Cognationis ex Consanguinitate.

QUÆRITUR 17. Quid, & quotuplex sit cognatio?

RESPONDEO 1. Cognatio est propinquitas personarum ab uno conjunctionis principio descendentium. Sensus patebit ex proximè dicendis.

RESPONDEO 2. Cognatio est *triplex*, nempe *carnalis*, *spiritualis*, & *legalis*. COGNATIO CARNALIS est *propinquitas personarum ab uno communi stipite*, seu generationis principio, *descendentium*. Sic fratres, & sorores, & nepotes, &c. utique ab uno patre, vel matre, vel avo, vel avia, &c. descendunt. COGNATIO SPIRITUALIS est *conjunctio Christiana personarum circa idem Sacramentum Baptismi vel Confirmationis communicantium*. COGNATIO LEGALIS est *conjunctio personarum orta ex adoptione perfecta alicujus in familiam adoptantis*. Cognatio carnalis communiter vocari solet CONSANGUINITAS, quæ definitur pruin eadem definitione, qua definitur *cognatio*, quod sit propinquitas personarum ab eodem communi stipite descendentium; unde personæ tali propinquitatis vinculo conjunctæ *cognati* dicuntur. In Jure tamen Civili *cognati* dicuntur, qui ex eadem muliere descendunt; qui autem ex eodem viro descendunt, *agnati* vocantur.

QUÆRITUR 18. Ad quotum gradum se extendit impedimentum consanguinitatis?

RESPONDEO: Impedimentum consanguinitatis, sive oriatur ex copula licita, sive illicita, se extendit ad quartum gradum inclusivè. Ita habetur indiscriminatim in Generali Concilio Lateranensi sub INNOCENTIO, relato in C. non debet, h. Tit. ubi sic habetur: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat.*

QUÆRITUR 19. Quomodo sunt computandi gradus consanguinitatis?

RESPONDEO: Ut ordinatè investigentur gradus consanguinitatis, observandæ sunt sequentes quatuor Regulæ.

PRIMO: Si quæritur, an duæ personæ sint consanguineæ, inquiratur in earum Majores tam ex linea materna quàm ex linea paterna, donec deveniatur ad communem stipitem, seu parentem, à quo ambæ descendunt. Si non reperiatur communis stipes, signum est, eas non esse consanguineas.

SECUNDO: *In linea recta duæ personæ tot gradibus inter se distant, quot intercedunt generationes.* Sic filius distat uno gradu à patre, nepos distat duobus gradibus ab avo, pronepos à proavo tribus gradibus.

TERTIO: *In linea transversa in gradu æquali duæ personæ tot gradibus inter se distant, quot gradibus earum qualibet distat à stipite communi.* Sic duo fratres sunt consanguinei in primo gradu, filii duorum fratrum in secundo gradu.

QUARTO: In linea transversa *in gradu æquali duæ personæ tot gradibus inter se distant, quot gradibus earum remotior distat à communi stipite.* Sic filius, & ex ejus fratre nepos distant inter se duobus gradibus, quia nepos distat duobus gradibus à cummuni stipite. Quando duo inter se distant in gradu inæquali, ad exprimendos eorum gradus inæquales dicitur, eos esse consanguineos in gradu v. g. *tertio in secundum*, vel *tertio in primum*, vel *quarto in tertium*, *secundum*, &c. Hæc verò captu faciliora fient, si inspiciatur sequens arbor consanguinitatis.

QUÆRITUR 20. Quomodo computantur gradus consanguinitatis de Jure Civili?

RESPONDEO: De Jure Civili computantur gradus consanguinitatis tam in linea recta, quàm in linea transversa per sequentem regulam: *Tot gradibus duæ personæ inter se distant, quot usque ad communem stipitem numerantur personæ, stipite dempto.* Sic duo fratres in Jure Civili distant ab invicem duobus gradibus, ex duobus fratribus liberi distant ab invicem quatuor gradibus, frater à filia fratris distat tribus gradibus, &c. Hoc ordine computantur à Jure Civili gradus consanguinitatis quoad successionem ab intestato, & juxta *Sanchezium*, *Covarruviam*, & *Pichlerum* sic etiam computantur in foro Canonico in aliis causis non matrimonialibus, v. g. in successionibus ab intestato coram Judice Ecclesiastico, ubi in tali materia practicantur Leges Canonicæ.

QUÆRITUR 21. Utrum etiam in linea recta consanguinitas tantùm dirimat matrimonium usque ad quartum gradum?

RESPONDEO Affirmativè. Ita *Sanchez*, *Pontius*, *Palao*.

RATIO est, quia Leges non respiciunt ad casus valde extraordinarios, qualis foret, si Pater anno ætatis suo centesimo vellet ducere filiam sui abnepotis; aut si Noe resurgeret à mortuis, & iniret matrimonium.

QUÆRITUR 22. An consanguinitas in primo, secundo vel tertio gradu lineæ rectæ dirimat Jure naturali matrimonium?

RESPONDEO 1. Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimit Jure naturæ matrimonium.

RATIO est, quia omnes gentes horruerunt hæc matrimonia, ita ut intra quinque annorum millia vix habeatur unum vel alterum authenticum exemplum ejusmodi monstrosi conjugii.

RESPONDEO 2. Consanguinitas in linea recta dirimit Jure naturali matrimonium, quousque extat de Genealogia ascendente communis hominum memoria.

RATIO est, quia etiam barbaræ nationes horrent ejusmodi matrimonia, ita ut rara, instar astri, ac solùm hominum palam Leges naturales

Arbor Consanguinitatis.



les ac divinas calcantium, habeantur exempla talium conjugiorum.

Quæritur 23. Ad quotum gradum se extendat impedimentum consanguinitatis Jure naturali in linea transversa?

Respondeo: In linea transversa impedimentum consanguinitatis Jure naturali se extendit ad primum gradum, sed non ad secundum.

Ratio est, quia nullum habetur authenticum exemplum, quod Ecclesia in hoc primo gradu unquam dispensaverit, *saltem notorio*, vel quod inter gentes morigeratas unquam viguerint talia conjugia, nisi concurrente Lege naturali altioris Ordinis pertinentis ad necessariam conservationem Religionis Divinæ, ubi inter mala minus eligendum est.

Nec obstat, quod Martinus V. & alii Pontifices referente S. Antonino, & Gonzalezio dicantur in primo gradu dispensasse.

Respondeo enim verbis Luoonis l. 1. Responf. Moral. dub. 40. ubi n. 3. 29. 30. sic scribit: *Certum est* (juxta Authores) *requiri maximam & extraordinariam causam ad dispensandum* (circa matrimonium cum nunc), *& certum mihi est, etiam tunc non expedire ut dispensaret; cum omnes fateantur, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem nunquam in eo impedimento Pontifices dispensasse. — In Pœnitentiaria & Dataria nunquam dispensatum est in impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, contracto ex matrimonio, sed solùm quando oritur ex copula illicita* (utique non notoria palam). — *Exemplum, quod affertur ex S. Antonino dispensationis à Martino V. concessæ, ut frater duceret suam sororem, falsissimum est, nec S. Antoninus id dicit, sed quod post matrimonium contractum dispensavit, ut vir retineret uxorem illam, cujus sororem ante matrimonium fornicariè cognoverat.*

Quæritur 24. An, & quam pœnam incurrant, qui scienter attentant matrimonium contrahere in gradu consanguinitatis prohibito?

Respondeo 1. De Jure Canonico *Clem. un. b. Tit.* incurrunt ipso facto excommunicationem, qui scienter attentant contrahere matrimonium in aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum voto solenni castitatis. Excommunicatio tamen hæc non est reservata Papæ. Verba Papæ in Concilio Viennensi Generali sunt ista: *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis & affinitatis interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; necnon Religiosos & Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere, præcipientes Ecclesiarum Prælatis, ut illos, quos eis constiterit, taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiu nuntient, seu à subditis faciant nuntiari, donec suum recognoscentes errorem separentur ab invicem, & Absolutionis obtinere beneficium mereantur.* De Jure Civili Josephus I. Imperator pro Romano Imperio in Ordinatione Criminali art. 19. sanxit, ut incestus inter parentes & proles, inter cognatos in primo & secundo, & inter affines in primo gradu lineæ rectæ, puniatur gladio. Vi hujus Ordinationis proin pœnam capitis incurrunt frater & soror, privignus & noverca, privigna & vitricus, socer & nurus, si invicem incestum committunt.

Hæc serviunt Confessariis & Parochis ad absterrendum ab ejusmodi incestibus.

De Impedimento Cognationis Spiritualis.

Quæritur 25. Inter quas personas contrahatur impedimentum cognationis spiritualis?

Respondeo: Hoc impedimentum contrahitur tantùm *à baptizante vel confirmante, & à patrinis, cum baptizato vel confirmato, ejusque patre ac matre.* Ita statutum est à Concilio Tridentino Sess. 24. C. 2. ubi de cognatione spirituali, quæ *ex Baptismo* contrahitur, & *ex Confirmatione*, sic habetur: *S. Synodus statuit, ut unus tantùm sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una Baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos & Baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter Baptizantem & Baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittant, & in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quodsi alii ultra designatos Baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egredietur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Quæritur 26. An maritus, vel mater, si propriam prolem baptizet, vel levet, contrahat cognationem spiritualem cum sua uxore, vel cum patre infantis?

Respondeo 1. Si maritus vel uxor id faciant ex necessitate, vel ex probabili ignorantia juris vel facti, non incurrunt hoc impedimentum.

Ratio est, quia, si incurrerent hoc impedimentum, sequeretur, quod privarentur jure petendi & obligatione reddendi debitum. Sed non est verosimile, quod Ecclesia tam gravi pœna afficere intendat eos, qui bonum opus exercent, vel ex ignorantia delinquunt.

Idem Probatur ex C. 2. h. Tit. ubi Alexander III. sic scribit: *Nobis videtur, quodsi vir vel mulier sive ex ignorantia, sive ex malitia filium suum de sacro fonte susceperit, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci. Quia, si ex ignorantia factum est, eos ignorantia excusare videtur. Si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

Respondeo 2. Si tamen quis ultrò baptizaret prolem non ex propria uxore, sed ex persona soluta, vel ex sua concubina, vel ex alterius viri uxore natam, contraheret hoc impedimentum.

Ratio est, quia in tali casu non daretur ratio, ejusmodi Baptizantem excipiendi à generali lege Ecclesiæ.

Nec obstat, quod C. 5. h. Tit. Alexander III. declaret, quod fœmina quædam,

quæ filium concubinæ sui mariti in Baptismo tenuerat, non incurrerit impedimentum cognationis spiritualis, *sive hoc contigerit ante matrimonium sive postea*; quia in illo casu id fœmina fecisse videtur tantùm ministerii causa, non animo suscipiendi obligationem patrinæ.

QUÆRITUR 27. An hoc impedimentum oriatur etiam ex Baptismo non solenni, si Laicus vel Clericus in necessitate privatim baptizet?

RESPONDEO: Sub distinctione. In casu, quo impedimentum hoc Baptizanti afferret præjudicium, nec commodè potest haberi alius Baptizans, non incurritur hoc impedimentum.

RATIO est, quia prout allatis Resolutionibus ALEXANDRI III. liquet, Pontifex non vult, ut hoc impedimentum, quod causa honestatis introductum est, vergat in Baptizantium pœnam vel præjudicium, aut omnino in perniciem infantium, à quibus Baptizandis alioquin absterrerentur quædam personæ. Hinc, si puella imprægnata patiatur abortum, aut aliàs clam baptizet infantem ad vitandam gravem infamiam, non censeo, ab ea incurri impedimentum cum patre infantis. Si verò baptizet infantem, in necessitate quidem, attamen ubi potuisset inveniri alius Baptizans, aut, si non potuit commodè inveniri alius Baptizans, nullum ipsi ex contrahendo impedimento timetur præjudicium, in tali casu incurritur impedimentum.

RATIO est, quia pro tali casu non datur ratio limitandi statutum generale Concilii Tridentini.

QUÆRITUR 28. An etiam incurrat hoc impedimentum levans infantem in Baptismo non solenni?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia Concilium Tridentinum, ubi de Patrinis loquitur, requirit *designationem* Parochi, & *electionem* parentum, quæ in Baptismo privato, tumultuariè in necessitate facto, rectè fieri nequeunt. Et hinc etiam ALEXANDER III. C. 5. h. Tit. scribit, ne quidem in Baptismo solenni fœminam ad tenendam prolem concubinæ masculam, repente, ut videtur, adhibitam, contraxisse impedimentum. Objecerunt, inquit, *quod* uxor Publii *filium quondam concubinæ ipsius in primo sacrati salis pabulo tenuit, quæ res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, etsi constaret vera esse.* Ac certè munus Patrini ex primæva sua institutione dicit munus quoddam publicum Ecclesiasticum, dum Gentiles, quos sua suasione ad fidem converterant, Episcopo pro Baptismo præsentabant, & in fide postmodum conservabant. Non decet, hoc munus tam leviter imponi vel suscipi, præsertim cum suppleri possit per Patrinos Confirmationis. Authores hunc modum levandi infantem vocant *levationem materialem*.

De Impedimento Cognationis Legalis per Adoptionem.

QUÆRITUR 29. Quid, & quotuplex sit adoptio?

RESPONDEO 1. Adoptio est *actus legitimus, quo persona extranea in filium aut filiam, nepotem vel neptem assumitur*. Per extraneam personam intelligitur omnis illa persona, quæ nec est, nec fuit in patria potestate adoptantis, ne quidem mediatè.

RESPONDEO 2. Adoptio dividitur in *perfectam*, & *imperfectam*. ADOPTIO PERFECTA est actus legitimus, quo quis sui juris existens interveniente authoritate Principis ita assumitur in filium, vel nepotem, ut non solum transeat in potestatem ac familiam adoptantis, sed etiam efficiatur in Testamento instar aliorum liberorum hæres necessarius. ADOPTIO IMPERFECTA seu SIMPLEX est actus legitimus, quo quis adhuc in patria potestate existens authoritate inferioris Judicis ab alio assumitur quidem in filium vel nepotem cum jure successionis ab intestato, ita tamen, ut non transeat in potestatem ac familiam adoptantis. Hinc ad istud genus adoptionis, de quo hoc loco agitur, non pertinet illa vulgaris adoptio, qua nonnunquam infantes pauperes absque authoritate Principis vel Magistratus inferioris ex misericordia in ædes assumuntur, & liberorum instar educantur, elocantur, vel etiam ultro hæredes scribuntur.

QUÆRITUR 30. Quid requiratur ad hoc, ut quis habeat potestatem adoptandi?

RESPONDEO: Ad hoc per Jus commune Civile requiritur 1. ut adoptans sit sui juris, hoc est, ut non sit amplius in patria vel Curatorum potestate, ac consequenter majorennis. 2. Ut adoptatum ætate sic excedat, ut ejus pater esse possit. 3. Ut ex sua natura sit potens ad generandum, & non Evnuchus. 4. Ut sit mas. Fœminis enim non permittitur potestas adoptandi, nisi ex speciali privilegio Principis. 5. Ut persona adoptata sit præsens adoptanti, atque in adoptionem consentiat. Hoc enim adoptionis negotium per Procuratorem confici nequit. 6. Ut accedat authoritas Principis vel Magistratus, saltem inferioris, præcedatque cognitio causæ. Ita disponitur in variis Legibus.

QUÆRITUR 31. Inter quas personas contrahitur impedimentum cognationis legalis?

RESPONDEO: Contrahitur inter triplicis generis personas. 1. Inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes in adoptati potestate existentes. 2. Inter adoptatum, & adoptantis liberos tam naturales quàm legitimos, in adoptantis potestate existentes. 3. Inter adoptantem & uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum & uxorem adoptionis. PRIMUM genus hujus impedimenti vocatur *paternitas*, SECUNDUM *fraternitas*, TERTIUM *affinitas*. De primo ac secundo genere habetur apertus textus NICOLAI I. ad Bulgaros C. 1. 5. Cauf. 30. q. 3. De tertio autem genere id Authores colligunt ex Epistola ejusdem Nicolai ad Bulgaros relata C. un. h. Tit. *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt.* Fatendum tamen, in hoc textu tantùm esse sermonem de secundo genere, non de tertio genere hujus impedimenti. Majori jure hæc extensio sumitur ex C. 1. Cauf. 30. q. 3. ubi idem Pontifex videtur facere generalem paritatem inter impedimentum cognationis spiri-

ſpiritualis ex Baptiſmo, & cognationis legalis ex adoptione.

QUÆRITUR 32. An iſtud impedimentum contrahatur ſolùm ex adoptione *perfecta*, vel etiam ex adoptione *imperfecta?*

RESPONDEO I. In hoc dubio Authores valde diſſentiunt. Pro ſententia affirmativa, quod contrahatur ex ſola adoptione perfecta, citantur *Sanchez*, *Henriquez*, *Tannerus*, *Layman*, *Coninck*, *Perez*, *Pirhing*, *Wieſtner*, quibus accedit *Pichler*. Pro negativa citantur *Panormitanus*, *Pontius*, *Barboſa*, *Gutierez*, *Maſtrius*, & hoc teſte omnes Scotiſtæ. Directè inſpiciendo textus Juris Canonici cenſeo, hoc impedimentum incurri etiam per adoptionem imperfectam.

RATIO eſt, quia etiam adoptio imperfecta in Jure *ſimpliciter* venit nomine adoptionis; eaque connaturaliter parit reciprocam reverentiam inter perſonas in adoptione correlativas, etiamſi adoptatus non transeat in familiam adoptantis. Hæc autem reciproca reverentia, fundata in titulo paternitatis & filiationis, inducit impedimentum in cognatione ſpirituali. Ergo etiam inducit hoc impedimentum in cognatione legali, etiamſi non concurrat propiuquum periculum fornicationis.

RESPONDEO 2. In dubio hoc, cum ſit dubium Juris, inſiſtendum ſententiæ negativæ; quia non licet ſequi ſententiam *præciſe probabilem*, ubi agitur de valore Sacramentorum, etiamſi agatur tantùm de requiſito ſolùm Juris Eccleſiaſtici. Praxis oppoſita non ſufficienter probatur.

QUÆRITUR 33. Ad quotum gradum ſe extendat hoc impedimentum? & quamdiu?

RESPONDEO I. In linea recta titulo paternitatis hoc impedimentum ſe tantùm extendit ad gradum quartum.

RATIO eſt, quia, prout qq. 21. dictum eſt, nec impedimentum conſanguinitatis in linea recta ſe extendit ultra quartum gradum.

RESPONDEO 2. In linea transverſa titulo *fraternitatis* hoc impedimentum ſolùm tamdiu durat, quamdiu durat adoptio. Ita habetur C. un. h. Tit. Nec illud ſe extendit ultra liberos adoptantis & adoptatum.

RATIO eſt, quia plus non exprimitur in Legibus.

RESPONDEO 3. Titulo affinitatis ſe tantùm extendit ad ipſam uxorem adoptantis & adoptati, non verò ad earum conſanguineos uſque ad quartum gradum.

RATIO eſt, quia NICOLAUS I. C. I. Cauſ. 30. q. 3. inſtituit paritatem, vel certè analogiam, inter cognationem ſpiritualem ex Baptiſmo, & cognationem legalem ex adoptione. Ergo in non expreſſis per Leges valet argumentum ab una ad alteram; conſequenter ſicut in cognatione ex Baptiſmo non extenditur impedimentum ultra uxorem patris generantis, ita nec eſt extenſum ultra uxorem adoptantis, ac viciſſim.

De Impedimento Criminis.

QUÆRITUR 34. Quali crimine incurratur boc impedimentum?
D. Amort Tract. de Sacram. Matrim.

RESPONDEO: Hoc impedimentum incurritur *triplici* genere criminis. 1. *Per adulterium conjunctum cum promiſſione matrimonii* futuri poſt mortem conjugis cum complice ineundi. 2. Per adulterium & ſubſequens conjugicidium ab uno adulterii complice commiſſum ex intentione ducendi complicem, quantumvis non fuerit conjugicidium commiſſum communi complicum conſilio. 3. Per conjugicidium ſolum ſine præcedente adulterio, attamen commiſſum communi conſilio cum perſona, cui conjugicida promittit matrimonium poſt mortem conjugis. Ita ſtatuit ALEXANDER III. CLEMENS III. & INNOCENTIUS III. h. Tit.

QUÆRITUR 35. Quid requiratur ad hoc, ut per adulterium conjunctum cum promiſſione futuri matrimonii incurratur hoc impedimentum?

RESPONDEO: Requiritur 1. ut hoc adulterium & promiſſio futuri matrimonii cum complice fiant adhuc vivente conjuge. 2. Ut adulterium ſit perfectum, hoc eſt, commiſſum cum copula de ſe idonea ad generationem. 3. Ut adulterium ex parte utriuſque complicis ſit formale, hoc eſt, cum ſcientia de alterius ſtatu conjugali. 4. Ut promiſſio fuerit à complice acceptata. Si enim complex promiſſionem recuſaſſet, non induceretur impedimentum. 5. Nil tamen refert, utrum promiſſio matrimonii præceſſerit, vel ſubſecuta ſit adulterium. Nam in C. 8. h. Tit. dicitur: *Si quis uxore vivente fide data promiſit, aliam ſe ducturum, tolerari non debet matrimonium, ſi prius vel poſtea, dum vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet*. Neque etiam refert, utrum promiſſio ſit *ſeria vel non*; vel utrum *abſoluta aut conditionata*, dummodo ſit efficaciter inductiva ad adulterium, quod ſolum prudenter ſpectatur, & exhorretur à Legiſlatore.

QUÆRITUR 36. Quid requiritur ad hoc, ut conjugicidium inducat hoc impedimentum?

RESPONDEO: Ad hoc, ut per conjugicidium incurratur hoc impedimentum, requiritur 1. ut mors conjugis actu fuerit ſecuta ex machinatione mortis. 2. Ut occiſor habuerit pro motivo matrimonium ineundum cum complice adulterii, vel cum complice homicidii. 3. Quando conjugicidium concurrit cum adulterio & cum intentione contrahendi matrimonium cum complice adulterii, requiritur, ut intentio contrahendi matrimonium fuerit complici vel alteri manifeſtata.

RATIO eſt, quia Eccleſia nec Leges, nec impedimenta ſtatuit pro ſolis actibus internis, niſi *per ſe* connexis cum actu externo, quod in præſenti caſu non contingit. Idem colligitur ex C. 5. h. Tit.

QUÆRITUR 37. An hoc impedimentum incurratur ab ignorantibus annexionem impedimenti?

RESPONDEO: Hoc impedimentum incurritur etiam ab ignorantibus annexionem impedimenti ad ſuum crimen.

RATIO eſt, quia ALEXANDER III, CLEMENS III, & INNOCENTIUS III. reſcribendo Epiſcopis ad caſus particulares obligarunt reos hujusmodi criminum ad ſervandum hoc impedimen-

pedimentum, etiamsi ante has eorum Decretales Epistolas criminosi non potuerint scire eorum futura Decreta. Ergo etiam voluerunt in posterum ligare tales criminosos isto impedimento, sive sciverint istud impedimentum, vel non.

Confirmatur. Alexander III. C. 1. & Clemens III. C. 5. h. Tit. ubi agunt de hoc impedimento, se referunt ad antiquos Canones, in specie ad Canones Leonis Papæ, Gregorii Papæ, & Triburiensis Concilii. Sed horum Pontificum & Concilii Triburiensis Canones ad incurrendum hoc impedimentum non requirunt ejus scientiam. Concilium Triburiense anno 895. Can. 40. sic habet: *Audivimus rem execrabilem & Catholicis omnibus detestandam, quendam nefario fornicationis opere alicujus uxorem vivente eo commaculasse; & in argumentum iniquitatis juramento confirmasse, si ejus legitimum ambo supervixissent maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret thoro, & legitimo matrimonio, si hoc jure dici matrimonium potest, per quod oriuntur, quæ Apostolus enumerat mala, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria; ad ultimum verò veneficia & homicidia, quia pro tam illicito amore alii veneno, alii gladio, vel aliis diversis sunt perempti maleficiis. Idcirco acutissimo ferro & totius generis artificio resecanda, per quæ cœlestia regna sunt occludenda. Talia igitur connubia anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.* Ex hoc patet, intrinsecam inhonestatem talis conjugii fuisse Concilio motivum ad inducendam hanc *inhabilitatem*, non *malitiam* transgressionis legum ad statuendam præcise pœnam. Ibidem eadem Synodus, cui interfuerunt complures Episcopi Germaniæ, etiam Augustanus, Can. 51. dicit: *Communi Decreto secundùm Canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut, si quis cum uxore alterius vivente eo fornicatus fuerit, moriente marito Synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ Religioni oportet, ut ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium.* Hic iterum indecentia intrinseca in Religione Christiana allegatur pro motivo, quæ indecentia non tollitur sufficienter, si tantùm in transgressores statuatur pœna, & non etiam inhabilitas.

Confirmatur 2. Si hoc impedimento tantùm statueretur pœna, quæ non incurritur ab ignorante, sequeretur, quod nec incurretur pro foro interno ante sententiam declaratoriam criminis, nec deberet de hac inhabilitate moneri populus, vel pœnitens in Confessionali. Sed hoc modo non præcaverentur mala ex ejusmodi spe matrimoniorum pullulantia, nec inhonestas Religionis. Ergo Ecclesia etiam intendit statuere inhabilitatem necessariò omnibus prædicandam.

Confirmatur 3. Authores oppositæ sententiæ fatentur, quod eorum sententia sit præcise probabilis; nostra autem probabilior ac communior. Sed in materia Sacramentorum non licet sequi sententiam præcise probabilem, contra probabiliorem in dubio, ubi agitur de valore Sacramenti.

Confirmatur 4. Non est moris Ecclesiæ, in statuendis impedimentis etiam criminum, v. g. *raptus, clandestinitatis, infractionis voti solemnis, coactionis, ligaminis, affinitatis ex copula illicita, publicæ honestatis*, eximere ignorantes, vel ea impedimenta statuere per modum legis pœnalis, sed per modum inhabilitatis. Ergo id etiam supponendum non est circa crimen adulterii vel conjugicidii in casu qualificati.

Quæritur 38. Quis possit dispensare circa impedimentum criminis?

Respondeo: Si hoc crimen est occultum, dispensare solet Pœnitentiaria Romana, quamvis, si oriatur ex conjugicidio, non soleat dispensare, nisi ex urgentissimis causis, & cum impositione gravissimæ ac diuturnæ pœnitentiæ. Si verò sit publicum, dispensat solus Pontifex. Quod si hoc impedimentum sit occultum, & primùm detegatur in Confessione nuptiis præmitti solita, nec nuptiæ differri possint sine gravissimo scandalo, indicendum pœnitenti, ut ab usu matrimonii abstineat ante consummationem matrimonii; aut per Epikiam supponendum, quod Leges Ecclesiæ, *etiam irritantes*, solùm respiciant casus moraliter observabiles, seu objecta pro circumstantiis moraliter observabilibus, prout in Tract. *de Legibus* dictum est.

De Disparitate Cultus.

Quæritur 39. In quo consistat *cultus disparitas*?

Respondeo: *Cultus disparitas*, prout hoc loco sumitur, significat diversitatem Religionis Christianæ, & non Christianæ inter contrahentes matrimonium. *Ad Religionem Christianam* referuntur hoc loco omnes, qui baptizantur in Christo, & credunt in Christum tanquam Authorem suæ fidei. Tales sunt non solùm omnes Catholici, sed etiam Schismatici, & Hæretici. Ad Religionem *non Christianam*, seu *Religionem Infidelium* referuntur Judæi, Turcæ, Ethnici, &c.

Quæritur 40. An matrimonium à Fideli cum Infideli contractum sit invalidum? Et num idem dicendum de contracto à Catholico cum Hæretico?

Respondeo *quoad primum* affirmativè. Attamen de hoc impedimento non extat Lex Ecclesiastica, nisi per argumentum à pari, dum in Concilio Trullano anno 692. irritata fuerunt matrimonia Catholicorum cum Hæreticis inita; par enim est ratio de matrimonio Catholicorum inito cum Gentilibus. Imo illa paritas non obscurè supponitur & insinuatur in illo Canone 72. qui sic habet: *Non liceat virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque verò orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed & si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritæ nuptiæ existimentur, & nefarium conjugium dissolvatur. Neque enim ea, quæ non sunt miscenda, misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet. Si quis autem ea, quæ à nobis decreta sunt, transgressus fuerit, segregetur. Si autem aliqui, qui adhuc sunt Infideles, & in Orthodoxorum gregem nondum relati sunt, sunt inter se legitimo matrimonio conjuncti; ac dein unus eorum ad lucem veritatis accurrerit,*

curreit, alter verò erroris vinculo detentus remanserit, fideli verò cum infideli cohabitare placuerit, non separentur ab invicem. Ex hoc textu Concilii Trullani patet, etiam matrimonium à fideli cum infideli initum fuisse habitum pro irrito.

RESPONDEO 2. *quoad secundum* negativè.

RATIO est, quia Canon ille Trullanus quoad Hæreticos in Occidente vel nunquam fuit receptus, vel successu temporum in desuetudinem abiit. Neque enim in Jure Canonico reperitur textus irritans talia matrimonia.

QUÆRITUR 41. An etiam matrimonium Ethnici cum Ethnico contractum sit invalidum?

RESPONDEO: Est invalidum in ratione Sacramenti, sed non in ratione Contractus Civilis.

RATIO est, quia Ethnici contrahunt matrimonium dissolubiliter. Ergo in illo matrimonio deest ratio Sacramenti, seu significatio unionis indissolubilis Christi cum Ecclesia.

QUÆRITUR 42. Quid juris, si unus infidelium, v. g. Judæus vel Turca, convertitur ad Fidem Catholicam, altera parte remanente in Infidelitate?

RESPONDEO 1. Si infidelis vult pacificè cohabitare fideli sine contumelia Creatoris, fidelis tenetur cohabitare.

RATIO est, quia Contractus Civilis servandus est, quantum spectata æquitate naturali potest servari.

DIXI: *spectata æquitate naturali.* Si enim in tali casu pars infidelis vellet cohabitare *dissolubiliter*, ac more Judæorum vel Gentium sibi reservare jus faciendi ex quavis causa Rabbinis bene visa divortium, posset pars conversa exigere, ut vel cedat jure dissolubilitatis hujusmodi, vel discedat.

RESPONDEO 2. Si Infidelis non vult pacificè cohabitare sine contumelia Creatoris, licebit parti conversæ Infidelem dimittere, salvis pactis aliis de dote vel communione bonorum, & contrahere aliud matrimonium cum Fideli. Ista desumuntur ex Apostolo, qui 1. Cor. 7. sic scribit: *Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. In pace autem vocavit nos Deus.*

QUÆRITUR 43. Quid agendum, si infidelis ad fidem conversus habuerit prius plures uxores?

RESPONDEO: In hoc casu *per se* tenetur retinere illam, quam primò duxerat, si vult cohabitare pacificè.

RATIO est, quia prima uxor Jure naturali habet jus anterius, tacitè exclusivum omnis juris contrarii recentioris ex pacto conjugis vergentis in suum præjudicium.

DIXI: *per se*; quia si accederent alia motiva gravis nocumenti vel emolumenti conjugi converso secuturi, teneretur prima uxor admittere aliam satisfactionem sufficientem saltem authoritate Judicis, cujus prudenti arbitrio Jure naturali relinquuntur dubia Jura Juris naturalis.

QUÆRITUR 44. Quid agendum, si unus conjugum Catholicorum apostatet à fide.

RESPONDEO 1. In tali casu pars in fide perseverans licitè quidem poterit facere divortium cum Apostata; quia intercedit adulterium spirituale ex parte Apostatæ; Sed non tenetur facere divortium, si absit periculum seductionis, & Apostata velit pacificè cohabitare cum fideli.

RATIO est, quia non potest monstrari ratio obligationis ad faciendum divortium.

RESPONDEO 2. Si pars in fide perseverans faciat divortium cum Apostata; non potest contrahere aliud matrimonium.

RATIO est, quia matrimonium semel in ratione Sacramenti contractum est Jure Divino indissolubile, utpote significans unionem Christi indissolubilem cum Ecclesia.

RESPONDEO 3. Eadem, quæ hic in Resp. 1. & 2. dicta sunt, habent locum in casu, quo una pars conjugum Catholicorum apostatat ad Hæreticos. Est enim eadem ratio.

QUÆRITUR 45. An duo conjuges infideles, si ambo convertantur ad Fidem Catholicam, possint vel debeant coram Parocho renovare matrimonium?

RESPONDEO: Nec tenentur, nec licitè possunt coram Parocho renovare matrimonium.

RATIO est, quia hæc renovatio fit in actuali susceptione Baptismi, in qua inter alia promissa servandi Leges Christianas se obligant ad servandum indissolubiliter matrimonium, ac consequenter etiam in ordine ad hanc obligationem Christianam conjunguntur, & sub forma generica precum sanctificantur & benedicuntur ab Ecclesia. Pro hac sententia P. PICHLER l. 4. Tit. 1. n. 126. citat *Sanchez*, *Laymanum*, & *Bonacinam*.

De Impedimento vis ac metus.

QUÆRITUR 46. Quid sit vis, ac metus?

RESPONDEO: VIS vocatur *coactio externa* ad ponendum signum externum *de se* manifestativum consensus interni in contractum conjugalem, v. g. si puella violenter cogatur ad porrigendam manum in signum consensus conjugalis; etiamsi intus in animo non consentiat, sed potius dissentiat, & præcise exteriùs consensum internum simulet. METUS autem objectivè sumptus, prout hoc loco sumitur, vocatur *comminatio malorum* ad extorquendum consensum internum. Hinc cum vi seu violentia ordinariè conjungitur dissensus internus; cum metu autem ordinariè conjungitur consensus internus.

QUÆRITUR 47. Quotuplex sit metus?

RESPONDEO: Metus dividitur 1. in *gravem* & *levem*. 2. In *justè* incussum, & *injustè* incussum. 3. In incussum *directè* ad extorquendum consensum, & incussum ad *indirectè* extorquendum consensum. METUS GRAVIS est comminatio gravium malorum non facile declinabilium. LEVIS METUS est comminatio levium malorum, aut gravium facile declinabilium. Talia autem mala sunt duplicis generis. Alia enim dicuntur mala *absolutè gravia*, quæ possunt movere quemcunque virum etiam cordatum ad timorem gravem. Talia mala sunt mors, mutilatio, crucia-

tus corporis per acerba verbera, carcer perpetuus, gravis infamia, excommunicatio, amissio status, honoris, omnium vel majoris partis bonorum. Ejusmodi malorum absolutè gravium timor vocatur *metus cadens in constantem virum*. Alia mala dicuntur solùm *respectivè gravia*, hoc est, talia, quæ tantùm certo generi personarum timidioris naturæ vel ætatis solent incutere gravem timorem, quales personæ sunt juvenes, fœminæ, virgines, vel viri temperamenti formidolosioris. Ad talium malorum metum à multis Doctoribus refertur etiam *metus reverentialis* erga parentes & dominos, quod concedendum est in casu, quo consideratis circumstantiis meritò timetur gravis ac perpetua indignatio parentum, ac dominorum, prout timeri solet, si comminationi diuturno tempore accedant severi vultus, continuæ exprobrationes, &c. METUS JUSTE INCUSSUS dicitur, qui à Deo vel homine incutitur ad standum promissis sponsalibus, vel ad compensandam per matrimonium damnificationem virgini à stupratore illatam. v. g. Si quis à Deo videat se puniri morbo, aut infortunio ob fractam sponsalium fidem; vel si Judex Ecclesiasticus comminatione Excommunicationis compellat resilientem à sponsalibus ad servandam datam fidem. E contra *Metus injustè incussus* dicitur, qui infertur à non habente jus ad inferendum malum, quod minatur. v. g. Si pater stupratori suæ filiæ stricto gladio minetur mortem, nisi illam ducat. METUS DIRECTE INCUSSUS ad extorquendum matrimonium dicitur, quando incutiens metum manifestè ostendit, se non habere alium finem, nisi ut extorqueat matrimonium, prout fit in dato exemplo patris comminantis mortem stupratori suæ filiæ. METUS INDIRECTE INCUSSUS dicitur, quando incutiens metum simulat, se habere alium finem, quàm extorsionem matrimonii. v. g. Si Judex juvenem delinquentem nolit dimittere ex carcere, donec luat promeritas pœnas, quas tamen insinuat vitari posse, si ducat suam filiam. Vel si Medicus recuset invisere & sanare ægram, quod ut faciat, spondet ægra, se nupturam Medico.

QUÆRITUR 48. An matrimonium metu injusto directè ad illud extorquendum incusso sit etiam in foro interno invalidum? etiam juratum?

RESPONDEO: Tale matrimonium est in utroque foro invalidum. Ita habetur C. 2. *de eo, qui duxit*; ubi dicitur: *Si constiterit, quod eidem tanta vis illata fuerit, quod non sponte in primam (conjugem) consenserit, nec post præstitum juramentum ipsam carnaliter cognoverit, ad aliam, quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem.* In hoc textu, cum præstitus supponatur consensus, non est sermo *de vi absoluta*, sed de metu.

QUÆRITUR 49. An etiam invalidum sit matrimonium metu injusto indirectè ad illud extorquendum incusso?

RESPONDEO: Esse distinguendum. Si enim intentio metum incutientis ad extorquendum matrimonium fuerit verbo aut facto manifestata metum passo, tale matrimonium est invalidum. Si autem intentio metum incutientis non fuerit manifestata metum passo, matrimonium valet.

RATIO est, quia in priore casu incussio metus in æstimatione morali adscribitur metum incutienti, utpote qui verbo aut facto externo sensibili per se ordinato ad manifestandam intentionem suam ingenerat metum. Econtra in posteriore casu, cum intentio metum incutientis non fuerit manifestata verbo aut facto, per se ad manifestandam hanc suam intentionem ordinato, metum passus censetur moveri ad timendum motu proprio, vel suspicione propria, ita ut in æstimatione morali non censeatur metum incutere, qui ponit solum indirectè occasionem metus. Per hanc distinctionem concordari magna parte possunt diversæ in hac re Doctorum sententiæ.

QUÆRITUR 50. An matrimonium metu injusto directè extortum sit Jure naturali, vel tantùm Ecclesiastico invalidum?

RESPONDEO: Tale matrimonium, si à metum passo re vera præstitus est consensus internus, est tantùm Jure Ecclesiastico invalidum.

Id PROBATUR ex eo, quia ALEXANDER III. C. 14. & HONORIUS III. C. 28. h. Tit. tantum irritant talia matrimonia *ex præsumptione generali* de interni consensus defectu; Ergo, si constet de consensu interno, non est ipso Jure naturali irritum.

NEC OBSTAT, quod alii contractus metu gravi injusto directè incusso probabiliter sint Jure naturæ invalidi. Matrimonium enim præter rationem Contractus Civilis, saltem apud Catholicos, habet annexam significationem Sacramentalem, quam non decet falsificari per Legem reflexam Legis naturalis in bonum privatorum, nisi authoritate Ecclesiæ per denegationem benedictionis nuptialis seu intentionis tacitæ Ministri contractui subtrahatur ratio Sacramentalis.

QUÆRITUR 51. Quibus modis possit revalidari matrimonium ex metu gravi injusto contractum?

RESPONDEO: Revalidatur 1. *si cessante metu à metum passo ponitur novus consensus*, verbis aut factis expressus, supposito tamen, quod consensus alterius partis adhuc perseveret in habitu conjugii. Hinc revalidatur 2. *per copulam à metum passo sponte postulatam & habitam.*

RATIO est, quia hæc petitio debiti conjugalis, ne sit peccaminosa graviter seu fornicaria, necessariò supponit consensum spontaneum in contractum conjugalem. 3. Revalidatur per diuturnam spontaneam cohabitationem cessante metu. Diuturna autem tunc primò censetur, quando cessante metu primò redditur conjugale debitum. Ad hoc tamen, ut diuturna cohabitatio vel redditio debiti revalidet matrimonium, requiritur, ut metum passus sciat, propterea suum matrimonium esse invalidum. Alioquin sola cohabitatio diuturna, vel sola redditio debiti non erit signum sufficiens novi positivi consensus validi. Hæc desumuntur ex C. 21. h. Tit. ubi CLEMENS III. dicit: *Ad id, quod intimasti de quadam Paræciana tua, quam suus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit. Respondemus taliter. Quod quamvis undecim annos habens ab initio invita fuisset ei tradita & renitens, tamen, quia postmodum*

dum per annum & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, od ipsum cogenda est redire. Nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorato mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem, nominaverit producendos, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludit.

De Impedimento Ordinis.

QUÆRITUR 52. Quinam Ordines dirimant matrimonium?

RESPONDEO: Soli Ordines sacri; nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita habetur in Tridentino Sess. 24. Can. 9. ubi dicitur: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, &c. anathema sit.*

QUÆRITUR 53. An Ordo sacer dirimat matrimonium, etiam jam contractum, si præcise ratum fuerit?

RESPONDEO Negativè. Ita expresse respondet JOANNES XXII. in Extrav. de voto, ubi sic habet: *Declaramus, quod, licet solennizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum Statuta Canonum sit efficax reputandum; ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec Jure Divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum, invalidum est censendum.*

QUÆRITUR 54. An Sacri Ordines dirimant matrimonium etiam in Ecclesia Græca?

RESPONDEO Affirmativè. Id patet ex perpetua praxi Ecclesiæ Græcæ, & ex SYNODO VI. ubi Patres Canonem inter Apostolicoa, ut vocantur 25, etiam intelligunt de Ecclesia Orientali. Id tamen speciale habetur in Ecclesia Græca, quod constituti in Matrimonio ante susceptionem Sacrorum Ordinum, quando ad Sacros Ordines admittuntur, etiam in Presbyteratu possint uti matrimonio, & cohabitare conjugibus. Ita enim habetur C. 6. de Clericis conjugatis, ubi INNOCENTIUS III. scribit: *Attendentes, quod Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in Minoribus* (Ordinibus) *contrahunt, & in Superioribus utuntur matrimonio jam contracto, mandamus, quatenus* (à Patre Græco ex legitimo matrimonio in Sacerdotio genitum) *ad Confirmationem & Consecrationem* (ad munus Parochi) *admittas.*

NEC OBSTAT, quod in SYNODO VI. & in CONCILIO ANCYRANO Diaconis, & aliis in Sacro Ordine constitutis permittantur *nuptiæ*. Certum enim est; in antiquis Scriptoribus per *nuptias* usitatissimo more loquendi intelligi copulam carnalem. Itaque sensus est, ad munus Diaconatus perpetui facilius admitti posse conjugatos, etiamsi se non obligent ad abstinendum à suis uxoribus.

QUÆRITUR 55. An etiam contrahat hoc impedimentum infans, aut puer, si suscipiant Sacros Ordines?

RESPONDEO 1. Infans ante annos discretionis ordinatus non contrahit hoc impedimentum.

RATIO est, quia hoc impedimentum tantùm contrahitur ratione solennis voti continentiæ, annexi Sacris Ordinibus. Infans autem non est capax voti, utpote carens adhuc usu rationis.

RESPONDEO 2. Contrahunt tamen hanc obligationem pueri, si sponte suscipiant Sacros Ordines, & sufficienter intelligant obligationem voti continentiæ.

RATIO est, quia etiam pueri, si polleant sufficiente maturitate judicii, validè emittunt votum perpetuæ castitatis. Quia tamen de pueris plerumque dubitari potest, an polleant sufficiente maturitate judicii circa obligationem tam arduam, censeo; in dubio de valore voti dispensare circa hoc votum & impedimentum posse Episcopum, prout in *Decalogo* circa secundum Præceptum ostensum est.

QUÆRITUR 56. An hoc impedimentum incurrant etiam illi, qui fuerunt ordinati per vim, aut metum gravem injustè incussum?

RESPONDEO 1. Ordinati per vim absolutam non incurrunt hoc impedimentum.

RATIO est, quia, quod fit per vim absolutam, fit sine consensu interno. Ubi autem deficit consensus internus, non potest reperiri votum; adeoque nec impedimentum.

RESPONDEO 2. Neque incurrunt hoc impedimentum ordinati per metum gravem injustè ac directè incussum.

RATIO est, quia est de natura voti, ut sit spontaneum atque ultroneum, prout dictum est de votis; alioquin non acceptatur à Deo. Quodsi tamen dubitetur de valore hujus voti ob rationes sententiæ oppositæ, vel ob naturam metus, an sit gravis vel levis, poterit in hoc voto dispensare Episcopus ob rationem dictam qq. 55.

RESPONDEO 3. Si quis fuerit ordinatus ex metu gravi injustè quidem, sed tantùm indirectè incusso, incurritur quidem hoc impedimentum; circa hoc tamen dispensare poterit Episcopus.

RATIO est, quia circa metum tantùm indirectè incussum, sive intentio interna metum incutientis sit externo signo manifestata, sive non, meritò tamen dubitari potest, an fuerit acceptatum à Deo tale votum continentiæ sic emissum, itaque locus erit Dispensationi Episcopali juxta dicta in Decalogo de votis solennibus in casu, quo dubius est illorum valor.

De Impedimento Ligaminis.

QUÆRITUR 57. Quid sit impedimentum ligaminis?

RESPONDEO: Impedimentum ligaminis est *vinculum conjugale*, quo ligatus redditur inhabilis ad contrahendum aliud matrimonium stante priore conjugio.

QUÆRITUR 58. An Polygamia, aut Polyviria sit Jure naturali prohibita?

RESPONDEO 1. Polyviria est certè prohibita Jure naturali.

RATIO

Ratio est, quia ex suo genere nullum habet finem naturalem prudenter intendibilem; & quia ex suo genere est inductiva plurimorum malorum; quod colligitur etiam ex eo, quia est abominationi apud omnes nationes non omnino barbaras.

Respondeo 2. Etiam Polygamia prohibita est Jure naturali non solùm conditionato, sed etiam absoluto pro omni casu, quo ejus deordinatio intrinseca non corrigitur ex concursu legum & bonorum altioris ordinis. Hæc dicuntur conformiter ad ea, quæ docui in Tractatu *de Legibus* de natura Legum naturalium. Quando enim quædam actiones solùm sunt prohibitæ per Legem naturæ ob gravia mala, quæ ex ejusmodi actionibus in genere spectatis in genus humanum dimananti, potest contingere, ut Lex altioris Ordinis ex intentione impediendi graviora mala & promovendi majora bona, aliter convenienter inimpedibilia, & inpromovibilia, potius velit permittere minora mala in concursu majorum. Hoc principium non obscurè insinuatur à D. Thoma Quodlib. 9. art 15. ubi ait: *Sunt quædam actiones, quæ absolutè consideratæ deformitatem vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur. Sicut occidere hominem vel percutere in se deformitatem quandam importat; sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum.* Pari ergo modo Polygamia, seu pluralitas uxorum, deordinationem quandam continet, quæ tamen in casu, quo totus mundus conspirat contra veram Religionem, sicut in Veteri Testamento contigit, accedente speciali declaratione Numinis, quod lex & bonum altioris Ordinis, tolerantiam polygamiæ *exigat* vel *permittat* intra justos necessitatis limites, poterit polygamia *ex speciali permissione divina* fieri licita.

Nec obstat, quod etiam Summus Pontifex, Gregorius III, C. 18. Causa 32. q. 7. legatur dedisse alicui facultatem ducendi uxorem secundam vivente prima; & quod Innocentius III. C. 3. h. Tit. ubi declarat, matrimonium secundum vivente prima uxore initum esse invalidum, addat: *Quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.*

Respondeo enim, quod Gregorius III. loquatur de viro, cujus mulier nunquam potuit stante matrimonio ob infirmitatem perpetuam reddere debitum; hinc declarat, hoc matrimonium ob impotentiam esse invalidum. Innocentius III. in simili infirmitatis matrimonio rato supervenientis casu censuit, tale matrimonium non esse declarandum pro invalido, licet ejus antecessores aliter judicaverint, tacitè interveniente dispensatione circa matrimonium ratum.

Quæritur 59. Qualis debeat haberi certitudo de morte prioris conjugis ad hoc, ut licitè & validè possit contrahi secundum matrimonium?

Respondeo 1. Ad hoc requiritur *moralis certitudo*, hoc est, talis, quæ excludat omne prudens dubium in oppositum. Excludi autem solet prudens dubium, quando concurrunt tales circumstantiæ, quæ vix unquam ac non nisi rarissimè solent esse conjunctæ cum opposito. Itaque ad moralem certitudinem non requiritur, ut *non possit*, aut *prorsus nunquam soleat* contingere oppositum, sed ut inter centum ejusmodi casus consimiles vix semel comperiatur aut speretur fieri oppositum.

Respondeo 2. Talis moralis certitudo, bene expensa veracitate testium & qualitate circumstantiarum, potest haberi ex sequentibus testimoniis vel indiciis, aliquando seorsim sumptis, aliquando verò pluribus illorum simul sumptis. 1. Ex attestatione Magistratus Civilis aut Militaris, v. g. Capitanei turmæ, vel Colonelli. 2. Ex attestatione Magistratus Ecclesiastici, v. g. Parochi, qui defunctum sepelivit. 3. Ex attestatione Notarii publici, Præfecti Hospitalis, in quo defunctus obiit. 4. Ex testimonio duorum testium de visu, vel unius testis de visu concurrentibus aliis indiciis gravibus. 5. Ex communi fama concurrentibus aliis non levis momenti præsumptionibus. 6. Ex diuturna absentia conjugis nulla alia apparente verosimili tam diuturnæ absentiæ & silentii causa præter mortem. 7. Ex circumstantia conflictus, aut pestis, aut naufragii, in qua plerique aut maxima pars perierunt, concurrente indicio diuturnæ absentiæ ac silentii, &c. Si autem Parochus dubitet de indiciorum sufficientia ad fundandam moralem certitudinem, remittat existimatum viduum vel viduam ad Ordinarium, qui illi deferet juramentum de credulitate, *quo juret, se credere, quod conjux non amplius vivat*, seu, *quod jam obierit.*

Quæritur 60. Quid agendum, quando contracto secundo matrimonio supervenit dubium de morte prioris conjugis? aut quando supervenit certa notitia de vita prioris conjugis?

Respondeo 1. Quando supervenit præcise dubium matrimonio secundo bona fide contracto; datur quidem obligatio, melius indagandi in rei veritatem, sed quamdiu hæretur in dubio strictè dicto, sic dubitans licitè reddit & petit debitum conjugale.

Ratio est, quia est in possessione conjugii.

Respondeo 2. Quando matrimonio secundo bona fide contracto supervenit dubium latè dictum, seu opinio eminenter ac certò probabilior de vita prioris conjugis, sic dubitans potest quidem reddere, non tamen petere debitum conjugale.

Ratio est, quia non solùm agitur de præjudicio tertii, nempe prioris conjugis, contra quem excusaret titulus possessionis, sed etiam de continuatione irreverentiæ erga Sacramentum, contra quod non valet titulus possessionis.

Respondeo 3. Quando matrimonio supervenit notitia moraliter certa de vita prioris conjugis, nec licet petere, nec reddere debitum, sed debent separari conjuges, primò quidem, si maritus prior credatur non esse invitus expensis circumstantiis, etiam quoad cohabitationem, debent separari saltem quoad thorum, &, si maritus prior credatur esse graviter invitus etiam quoad cohabitationem; debent separari etiam quoad cohabitationem; quæ omnia rectiùs committuntur Ordinario quàm Parocho. Adveniente verò

verò priore conjuge, dispositis rebus temporalibus juxta æquum & bonum authoritate legitimi Judicis, secundum matrimonium cum honore dissolvendum, & prior maritus, vel conjux, resumendus est.

QUÆRITUR 61. Quid agendum, si matrimonium contractum fuerit mala fide, hoc est, stante notitia, vel dubio de vita prioris conjugis?

RESPONDEO 1. Si de vita prioris conjugis datur certa notitia, pars habens ejusmodi notitiam nec potest reddere, nec petere debitum, sed separari statim quoad thorum, & rem deferre ad Judicem Ecclesiasticum.

RESPONDEO 2. Si matrimonium contractum fuerit stante dubio de vita prioris conjugis, pars dubitans non potest petere debitum.

RATIO est, quia non est possessor bonæ fidei, ac consequenter non licet ei ponere actionem in præjudicium prioris conjugis.

RESPONDEO 3. In isto casu pars dubitans tenetur parti, quæ non contraxit mala fide matrimonium stante tali dubio reddere debitum.

RATIO est, quia saltem altera pars est in possessione, bona fide cœpta. Ita respondit LUCIUS III. C. 2. *de secundis Nuptiis*, ubi sic scribit: *Super matrimoniis, quæ quidam ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, respondemus; ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Si verò aliquis vel aliqua id hactenus non servavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur.*

De Impedimento publicæ Honestatis.

QUÆRITUR 62. Quid sit impedimentum *publicæ Honestatis?*

RESPONDEO: Impedimentum publicæ Honestatis est Lex Ecclesiastica, qua personæ invicem desponsatæ impediuntur contrahere matrimonium cum consanguineis sui sponsi vel sponsæ. Sic si Titius contraxit sponsalia cum Bertha, impeditur contrahere matrimonium cum sorore, matre, & filia Berthæ: Vicissim autem Bertha impeditur contrahere matrimonium cum fratre, patre, aut filio Titii.

QUÆRITUR 63. Ad quotum gradum se extendit hoc impedimentum?

RESPONDEO: Ex Sponsalibus de futuro se extendit tantùm ad primum gradum consanguinitatis; ex Sponsalibus verò de præsenti, seu ex matrimonio rato se extendit inclusivè usque ad quartum gradum. ID PATET ex textibus proximè referendis.

QUÆRITUR 64. An hoc impedimentum oriatur etiam ex Sponsalibus invalidis?

RESPONDEO: Hoc impedimentum non oritur ex Sponsalibus invalidis de futuro; oritur tamen ex invalidis Sponsalibus de præsenti, nisi sint invalida ex defectu consensus. Posterius declaratum fuit à BONIFACIO VIII. c. un. h. Tit. in 6. Prius verò statutum in Concilio Tridentino Sess. 24. C. 3. BONIFACIUS VIII. sic scribit: *Ex Sponsalibus puris & certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, impedimentum publicæ Honestatis.* TRIDENTINUM verò l. c. sic scribit: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.*

QUÆRITUR 65. An hoc impedimentum oriatur etiam ex Sponsalibus conditionatis?

RESPONDEO Negativè. Ita declaravit BONIFACIUS VIII. c. un. h. Tit. in 6. ubi ait: *Ille, qui Sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit. Cum ex Sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicuti consensum* (absolutum) *non habentibus, & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oriatur.*

NOTANDUM verò, illa sponsalia non posse haberi pro conditionatis, in quibus, licet ab initio conditionata fuerint, conditio jam fuit purificata. Eoipso enim transierunt in absoluta.

QUÆRITUR 66. An hoc impedimentum etiam oriatur ex Sponsalibus mutuo consensu dissolutis?

RESPONDEO Affirmativè. Ita declaravit teste FAGNANO, qui tunc scripsit Romæ, S. CONGREGATIO TRIDENTINI anno 1658. 6. Julii, quam declarationem die 10. ejusdem mensis approbavit ALEXANDER VII. FAGNANUS in 4. Decret. in C. *ad audientiam*, sic scribit: *S. Congregatio censuit, sponsalia hæc, licet mutuo consensu dissoluta, induxisse impedimentum publicæ honestatis; quia Concilium hoc solùm considerat, quod à principio valida sint; & quia, si à principio valida, deinde dirempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita & dissoluta consensu. Sanctitas Sua prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit deinceps in dubium non revocari.*

RATIO autem, quæ Ecclesiam movere potuit ad inducendum hoc impedimentum circa sponsalia etiam dissoluta, videtur esse, quia, sicut per copulam carnalem oritur quædam affinitas, ac exinde consequens reverentia erga consanguineos compartis, ita *per conjunctionem animorum*, quæ fit per sponsalia, nascitur quædam decentia reverentiæ erga consanguineos sponsi vel sponsæ in primo saltem gradu.

RESPONDEO 2. Non tamen oritur hoc impedimentum ex sponsalibus impuberum adepta pubertate dissolutis, prout ostensum est §. 1. de Sponsalibus q. 48.

De Impedimento Affinitatis.

QUÆRITUR 67. Quid sit affinitas?

RESPONDEO: Affinitas est *propinquitas personarum, ex copula carnali orta inter virum cum consanguineis fœminæ sibi copulatæ, vel inter fœminam cum consanguineis viri sibi copulati.*

Quæritur 68. Ad quotum gradum se extendit impedimentum affinitatis?

Respondeo: *Ex Copula licita*, seu conjugali, hoc impedimentum *se extendit usque ad quartum gradum inclusivè*; Sed *ex copula illicita*, hoc est, non conjugali, sed fornicaria vel adulterina &c. se tantùm extendit usque ad secundum gradum inclusivè. Ita definitum est in Concilio Tridentino Sess. 24. C. 4. his verbis: *S. Synodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.* Et Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi C. non debet h. Tit. *Prohibitio copulæ conjugalis quartum affinitatis gradum de cætero non excedat.* Ex hoc sequitur, quod consanguinei fœminæ copulatæ, v. g. *Berthæ*, fiant affines viro præfatæ fœminæ copulato, v. g. *Titio*; ac viciſſim, quod consanguinei viri copulati, v. g. *Titii*, fiant affines cum fœmina illi copulata, v. g. *Bertha*.

Quæritur 69. An etiam *affinitas pariat affinitatem*, ita ut consanguinei copulatæ fiant affines cum consanguineis copulati? ac viciſſim?

Respondeo Negativè. Nam soror, mater, aut filia copulati, v. g. *Titii*, non potest licitè contrahere matrimonium cum fratre, patre, aut filio copulatæ, v. g. *Berthæ*.

Ratio est, quia Sacri Canones tantum statuunt hoc impedimentum ex una parte inter virum cum consanguineis fœminæ sibi copulatæ; ex altera verò parte inter fœminam cum consanguineis viri sibi copulati: Nullibi enim reperitur, quod statuatur impedimentum inter ipsos consanguineos duarum personarum copulatarum.

Quæritur 70. An affinitas pariat affinitatem saltem in hoc sensu, quod consanguinei copulatæ, si hæc moriatur, & illi copulatus ducat novam uxorem, fiant affines huic noviter copulatæ? aut viciſſim?

Respondeo Negativè. Quia Sacri Canones tantùm statuunt impedimentum affinitatis ex una parte inter virum cum consanguineis sibi copulatæ; ex altera verò parte inter fœminam cum consanguineis viri copulati. Et quamvis antiquitùs hoc genus affinitatis fuerit receptum, ut consanguinei fœminæ copulatæ fierent non solùm affines viro illi fœminæ copulato, sed etiam secundæ uxori hujus viri, istud tamen genus affinitatis in Generali Concilio Lateranensi per Innocentium III. C. *non debet*, 8. h. Tit. sublatum est.

Quæritur 71. Quomodo sint computandi gradus affinitatis?

Respondeo: Gradus affinitatis cognoscuntur hac unica regula: *Illo gradu quis sit affinis uxori, quoto gradu est consanguineus ejus marito.* Et viciſſim: *Illo gradu quis sit affinis marito, quoto gradu est consanguineus uxori.* Si autem copula sit illicita: *Illo gradu quis sit affinis fœminæ fornicanti vel adulteranti, quoto gradu est consanguineus illius complici.* Ac viciſſim: *Illo gradu quis sit affinis viro fornicanti vel adulteranti, quoto gradu est consanguineus illius complici.* Hæc omnia melius intelliguntur ex adjecta duplici arbore seu *Tabula* affinitatum.

I.

Affines ad uxorem mariti.

In gradu I. Pater, fratres, & *filii mariti*, si ex alio conjugio, vel ex illicita copula filium habuit.

In gradu II. Avus mariti, fratres patris mariti, fratres matris mariti, nepotes mariti ex ejus fratre vel sorore, nepotes mariti ex ejus filio vel filia, si is ex alio conjugio, vel ex illicita copula filium aut filiam habuit.

In gradu III. Proavus mariti, fratres avi mariti, fratres aviæ mariti, pronepotes mariti ex ejus fratre vel sorore, pronepotes mariti ex ejus filio vel filia, si is ex alio conjugio, filium aut filiam habuit.

In gradu IV. Abavus mariti, fratres proavi mariti, fratres proaviæ mariti, abnepotes mariti ex ejus fratre vel sorore, abnepotes mariti ex ejus filio vel filia, si is ex alio conjugio filium aut filiam habuit.

Cum his *omnibus & solis* non potest post mortem mariti uxor valide contrahere matrimonium ob impedimentum affinitatis.

II.

Affines ad maritum uxoris.

In gradu I. Mater, sorores, & filiæ uxoris, si ea ex alio conjugio, vel ex illicita copula filiam habuit.

In gradu II. Avia, sorores matris uxoris, sorores patris uxoris, neptes uxoris ex ejus fratre vel sorore, neptes uxoris ex ejus filio vel filia, si ea ex aliquo conjugio, vel ex illicita copula filium aut filiam habuit.

In gradu III. Proavia uxoris, sorores aviæ uxoris, sorores avi uxoris, proneptes uxoris ex ejus fratre vel sorore, proneptes uxoris ex ejus filio vel filia, si ea ex alio conjugio filium aut filiam habuit.

In gradu IV. Abavia, sorores proaviæ, sorores proavi, abneptes ex fratre vel sorore uxoris, abneptes ex filio vel filia uxoris, si ea ex alio conjugio filium vel filiam habuit.

Cum his *omnibus & solis* non potest maritus post mortem suæ uxoris contrahere validè matrimonium ob impedimentum affinitatis. Ad computandos autem gradus affinitatis contractæ à viro vel fœmina ex copula illicita servit eadem arbor, dummodo in illius titulo pro *uxore* substituatur nomen genericum *fœminæ*, & pro *marito* nomen genericum *viri*.

Ex hac autem arbore affinitatis ac Regula sequitur particulatim, quod matrimonium inter se contrahere possint

1. Duo fratres cum duabus sororibus alterius familiæ seu cognationis.

2. Pater & filius cum matre & filia alterius cognationis.

3. Filius Titii ex prima uxore cum filia ejusdem Titii nata ex alio marito, & secunda uxore Titii.

4. Duo

4. Duo liberi conjugum ex alio utriusque conjugis conjugio suscepti, seu duo comprivigni.
5. Frater vitrici cum vitrici privigna.
6. Quivis cum vitrici sui matre.
7. Quivis cum relicta sui fratris vidua.
8. Quivis cum duabus successivè fœminis, quarum mariti erant duo fratres.
9. Viduus cum relicta vidua mariti, qui erat frater uxoris præfati vidui, hoc est, conjuges superstites fratris & sororis defunctorum.

In his omnibus, licet videatur intervenire quædam naturalis indecentia, par vel etiam major, quàm reperitur in nonnullis aliis impedimentis dirimentibus, ea tamen non erat tanta, ut necessariò deberet attendi à Legislatore. Quod autem potius hæc quàm illa indecentia attenta fuerit à Legislatore, pertinet ad causas contingentium imperscrutabiles.

QUÆRITUR 72. An affinitas in primo gradu lineæ rectæ orta ex copula conjugali Jure naturali impediat matrimonium?

RESPONDEO Affirmativè. Ita *Covarruvias, Sylvester, Bellarminus, Lessius, Layman, &c.*

RATIO est, quia hoc genus matrimonii non viget inter Gentes non omnino barbaras. Ergo id homines ex instinctu naturali, qui in plerisque hominibus prævalet, abhorrent.

CONFIRMATUR hoc ex Apostolo, qui 1. Cor. 5. scribit: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, hoc est, suam propriam matrem novercam. Hoc loco sermonem esse de uxore patris defuncti, non verò de uxore patris viventis, ex eo manifestum est, quia ille homo, qui duxerat uxorem patris sui, apud Corinthios Christianos alioquin ferventes erat in magna æstimatione, prout ex contextu patet. Non est autem verosimile, apud Corinthios, quorum plurimi erant ex Judæis, in tanta æstimatione esse potuisse, qui habet uxorem patris sui viventis.

NEC OBSTAT, quod Romani Pontifices aliquando dispensent in primo gradu affinitatis lineæ transversæ, prout CLEMENS VII. dispensavit cum HENRICO VIII, qui duxerat Catharinam Aragoniam, relictam sui fratris *Arturi* conjugem.

RESPONDEO enim, quod in primo gradu lineæ transversæ nec sit, nec apprehendatur tanta indecentia, prout reperitur in primo gradu lineæ rectæ. Hinc C. 25. Deuteronomii etiam ob legem, ac ob bonum altioris Ordinis præcipiebatur, ut frater duceret relictam sui fratris absque liberis defuncti conjugem. Sed de primo gradu lineæ rectæ in affinitate non habentur approbata exempla. LUGO l. 1. Mor. dub. 40. n. 29. scribit: *In Pœnitentiaria & Dataria nunquam dispensatum est in hoc impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ contracto ex matrimonio, sed solùm, quando oritur ex copula illicita, quod est impedimentum valde diversum, & de quo non est dubium, quod non irritet matrimonium de Jure Naturæ.*

De Impedimento Clandestinitatis.

QUÆRITUR 73. In quo consistat impedimentum clandestinitatis?
D. Amort Tract. de Sacram. Matrim.

RESPONDEO: Impedimentum clandestinitatia consistit *in defectu assistentiæ Parochi & aliorum duorum testium ad contractum matrimonialem de præsenti.* CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. 24. C. 1. hoc impedimentum istis verbis introduxit: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit; prout eos præsenti Decreto irritos facit & annullat.*

QUÆRITUR 74. An censeatur matrimonium clandestinè contractum, quod fuit contractum sine prævüs denuntiationibus? vel clam in privatis ædibus?

RESPONDEO: Si matrimonium contractum fuerit in præsentia Parochi & duorum testium, non est clandestinum, etiamsi contractum fuerit sine prævüs denuntiationibus, & clancularię in privatis ædibus, ita ut in tota communitate nullus hominum de illo occulto matrimonio quidquam sciat, excepto Parocho & duobus testibus, qui erant præsentes contractui.

QUÆRITUR 75. Quænam requiruntur conditiones ex parte Parochi, ut validè assistat matrimonio?

RESPONDEO: Ex parte Parochi, ad hoc ut validè assistat matrimonio, requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sit *proprius Parochus saltem unius* contrahentium, videlicet vel sponsi vel sponsæ. 2. Ut sit unius contrahentium Parochus *ratione domicilii* vel saltem *quasidomicilii*; non autem præcise ratione originis. Econtra ad valorem matrimonii ex parte Parochi non requiritur 1. ut assistat matrimonio intra fines suæ parochiæ. Validè enim assistit etiam extra fines suæ parochiæ.

RATIO est, quia assistentia hæc est actus jurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ, quæ ubique terrarum irrequisito Judice loci exerceri potest. 2. Nec requiritur, ut voluntariè ac sponte assistat; sed ad valorem matrimonii sufficit, etiamsi violenter compellatur assistere, vel dolo inductus assistat. 3. Nec requiritur, ut sit Sacerdos. Sufficit enim, quod sit Parochus. 4. Nec requiritur, ut sit verus Parochus; sed sufficit, dummodo concurrente titulo saltem colorato habeatur communi errore pro vero Parocho. 5. Nec obstat, si sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis: quia non obstante excommunicatione, suspensione, vel irregularitate ex delicto, manet tamen verus Parochus, nec ante actualem depositionem amittit beneficium Parochiale. 6. Nec obstat, si ipsi specialiter ab Episcopo sit interdictum, ne assistat matrimonio. Hæc enim omnia faciunt quidem, quod assistentia matrimonii fiat illicita, non tamen quod sit invalida in ratione testis.

QUÆRITUR 76. Quænam conditiones requirantur ex parte testium, ut validè celebretur matrimonium?

RESPONDEO: Requiritur ex parte testium 1. ut sint ad minimum *duo vel tres*; 2. ut sint testes *idonei*, hoc est, sufficienti discretione rationis præditi ad rectè testificandum de eo, quod agitur. 3. Ut sint *moraliter præsentes*, hoc est, cum

 adver-

advertentia ad contrahentium dicta ac facta. Nam prout habetur l. 209. ff. de V.S. *Coram Titio aliquid facere jussus non videtur eo præsente fecisse, nisi is intelligat* 4. Ad valorem tamen matrimonii non requiritur, ut testes sint specialiter rogati.

Ratio est, quia, prout l. 209. ff. de V. S. in textu proximè adducto additur: *Scire* (Titius, quid agatur), *non etiam velle is debet; nam & invito eo rectè fit, quod visum est.* Ergo, ubi requiritur præcise præsentia testium, non exigitur, ut sint *specialiter rogati*, nisi id leges expresse requirant, prout fit in Testamentis.

Respondeo 2. Peccant tamen graviter Parochi, nisi adhibeant testes specialiter rogatos.

Ratio est, quia intentio Tridentini, ubi exigit duos vel tres testes, non fertur ad confusam multitudinem hominum in Ecclesia præsentium, quorum plerique sunt duntaxat testes de visu, non verò de auditu; & quorum ii, qui sunt forte testes etiam de auditu, non possunt determinari atque inscribi à Parocho; neque citari ad testificandum. Unde enim Parochus sciet, an hic vel ille determinatè ex suis Parochianis fit in navi aut Choro Ecclesiæ præsens, aut quis cum sponso & sponsa in navi Ecclesiæ attenderit ad signa & verba contrahentium? De quo certus esse moraliter poterit, quod eo tempore, quo contrahentes signis & verbis suum expresserunt animum, hæc vel illa persona determinata in Ecclesia præsens ad singula attenderit? aut non garrierit? vel non fuerit distractus ad alia objecta? Dein, si primum oriatur lis post aliquot annos, an matrimonium contractum fuerit metu, & per signa aut verba æquivoca, an examinandum primùm erit, quinam indifferentes testes sub benedictione nuptiali fuerint præsentes præsentia morali, ita ut attenderint ad verba & signa contrahentium? Quis non videt, repugnare sapientiæ, ac consequenter etiam intentioni Patrum Oecumenici Concilii, ut relinquant testimonium in Concilio præscriptum incertæ ac confusæ hominum multitudini? Repugnare autem intentioni Concilii in re tam seria sine justa causa, & cum periculo frustrandi finem Concilii in casu moraliter possibili, atque in magnis Civitatibus ac Dicasteriis subin recurrente, videtur esse magna & obstinata temeritas.

Quæritur 77. Quinam veniant nomine Parochi? præsertim vagorum?

Respondeo 1. Nomine Parochi veniunt 1. Episcopus, Vicarius Generalis, & Capitulum Cathedrale Sede vacante in propria Diœcesi. 2. Abbates Jurisdictionem quasi - Episcopalem habentes in suo Territorio, & Legati Apostolici in sua Provincia. 3. Vicarii curam animarum loco Rectoris principalis vel Parochi curam animarum exercentes, sive sint temporales sive perpetui. Item Cooperatores per modum Vicarii *generaliter* curam animarum in aliqua Parochia exercentes; quia perinde est, sive habeant delegationem à suo Parocho expressam, sive implicitam.

Respondeo 2. Ad validè assistendum matrimonio respectu vagorum est quilibet Parochus, in cujus Parochia actu morantur.

Ratio est, quia prout dictum est in Tract. *de Legibus*, vagi subjiciuntur legibus locorum, in quibus morantur. Hinc sequitur; quod non possint matrimonio conjungi à Parocho unius loci in aliena Parochia alterius Parochi.

Respondeo 3. Ad licitè assistendum matrimoniis vagorum Parochi indigent etiam licentia Ordinarii. Ita fuit expresse mandatum in Concilio Tridentino Sess. 24. C. 7. his verbis: *Multi sunt, qui vagantur & incertas habent Sedes, &, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Respondeo 4. Tunc solùm Contrahentes pro vagis habendi sunt, quando ambo sunt vagi. Si enim tantùm una pars sit vaga, & altera pars habeat quasi-domicilium, necessarium est, ut ob individuam vitæ societatem una pars sequatur alteram. Si ergo pars vaga sequatur non vagam, à Parocho hujus posterioris conjungendi sunt. Si autem pars non vaga vagam proximè insecutura est, in æstimatione morali jam pro vagis ambæ partes habendæ sunt, cum illud pro accessorio jam actu considerandum, quod se obligat ad sequendum suum principale, quamprimum id principali placuerit.

Quæritur 78. Quis sit proprius Parochus militum?

Respondeo 1. Quando milites habent Curionem Castrensem proprium, in genere vel in specie deputatum ad exercendam curam & administranda Sacramenta pro militibus ejusmodi, proprius eorundem Parochus erit ille Curio Castrensis; & consequenter coram eo solo, si præsens fuerit, tenentur contrahere matrimonium.

Respondeo 2. Si Curio Castrensis abfuerit longo tempore, nec commodè exspectari possit ejus adveutus, possunt milites contrahere coram Parocho loci, ubi morantur vel in Præsidiis, vel in Hybernis, vel in Stationibus, vel in Castris per magnam anni partem.

Ratio est, quia in tali casu Ecclesia eos commendat loci Parocho, prout declaratum est à S. Congregatione Cardinalium Tridentini anno 1707. 29. Jan., quam declarationem affert P. Reiffenstuel.

Respondeo 3. Si verò milites non habeant præsentem Curionem Castrensem, aut omnino nullum habeant; sintque constituti in actuali transitu ab uno loco in alium, non possunt conjungi à loci Parocho, in quo transeunt.

Ratio est, quia milites sic transeuntes non possunt æquiparari vagis, qui nullibi habent quasidomicilium. Tendunt enim in quasidomicilium, quod in Castris, vel Hybernis, vel Præsidiis proximè habituri sunt. Possent tamen conjungi à loci Parocho, si miles transiens duceret Parochianam loci actualem, quæ actu habet quasidomicilium; quia, licet proximè suum maritum

ritum secutura sit, nondum tamen futurum sui mariti quasidomicilium attigit. Et hinc est disparitas inter hanc, & aliam, quæ proximè secutura est actualem vagum. Cæterùm his dubiis nunc optimè provisum est per consuetudinem Catholicorum Principum, ex Concessione Summi Pontificis Supremum quendam Curionem Castrensem jurisdictione quasi Episcopali in reliquos Curiones præditum providentium.

QUÆRITUR 79. An etiam Diaconus, vel alius Sacerdos possit loco Parochi assistere matrimonio ex illius licentia? Etiam præsumpta tantum?

RESPONDEO I. Diaconus, nisi ipsemet sit Parochus, non potest assistere matrimonio ex licentia vel commissione Parochi, quamvis expressa fuerit.

RATIO est, quia in allegato superiùs Decreto Concilii Tridentini dicitur: *Qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de Parochi vel Ordinarii licentia contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.*

RESPONDEO 2. Alius Sacerdos loco Parochi ex ejus vel Ordinarii licentia assistit quidem validè matrimonio, sed ad hoc non sufficit licentia *præsumpta*, sed requiritur licentia *actualis*, vel expressa vel tacita, vel generalis vel particularis ac implicita. Præsumpta dicitur, quam quis daturus foret, si conveniretur.

RATIO est, quia licentia vel ratihabitio primùm futura nondum potest dici existere, sicut crastina dies, vel proxima hora nondum dicitur existere.

Idem CONFIRMATUR ex eo, quia etiam in Sacramento pœnitentiæ non sufficit licentia præsumpta Parochi ad hoc, ut alius Sacerdos non privilegiatus excipiat Confessiones in ejus Parochia. Accedit; quod non liceat uti sententia probabili, ubi agitur de valore Sacramentorum.

NEC OBSTAT, quod aliqui Authores, v. g. *Bonacina*, & *Fagnanus*, etiam negent, sufficere licentiam Parochi *tacitam*. Intelligendi enim tantùm sunt pro casu, quo illa licentia tacita est *dubia*. Si enim certum est, eam signo aliquo aut facto, minimè indifferenti ad concessionem vel denegationem licentiæ, actuali voluntate concedentis indultam esse, non administratur hoc Sacramentum ex opinione probabili, sed ex judicio moraliter certo, de existentia omnium requisitorum ad validum Sacramentum.

ALIUD DICENDUM foret, si præsumptio moraliter certa non versatur *circa futuritionem licentiæ* primùm concedendæ, sed *circa actualem existentiam licentiæ* jam actu concessæ, prout fit in casu, quo Capellanus vel alius Sacerdos mittit ad Parochum absentem vel ad Ordinarium pro concedenda licentia conjungendi contrahentes. Si enim computato tempore & considerata dispositione Parochi vel Ordinarii moraliter certus sit, licentiam jam actu fuisse concessam, & reditus nuntii nequeat exspectari, licitè & validè assistit matrimonio ex licentia præsumptivè jam actu concessa.

QUÆRITUR 80. An pro testibus ad celebrandum matrimonium adhiberi possint etiam fœminæ, servi, pauperes, infames, criminosi, excommunicati, parentes, consanguinei, affines, perjuri?

RESPONDEO: Hi omnes possunt adhiberi in testes ad celebrandum validè matrimonium: ad evitandum tamen omne periculum confusionis nec est consultum, nec intentioni Concilii Tridentini conforme, ut à Parochis in testes admittantur parentes vel consanguinei, qui contractum matrimonialem *valde urgent*, ac propterea specialiter sunt suspecti de partialitate in ferendo, si forte suo tempore exigeretur, testimonio. Nam, quamvis Tridentinum non requirat specialem qualitatem vel eminentiam testis, nec tamen approbare intendit vel admittit specialem partialitatem testium saltem pro licito selectu testium.

QUÆRITUR 81. An matrimonium clandestinum sit invalidum etiam in locis, ubi Tridentinum non fuit promulgatum?

RESPONDEO: Matrimonium clandestinum tantùm est invalidum in locis, in quibus Tridentinum fuit promulgatum.

RATIO est, quia CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. 24. C. 1. dicit; quod hoc suum Decretum de annullatione matrimonii tantùm vim suam habeat à die promulgationis faciendæ in quavis Parochia. *Ne hæc tam salubria præcepta*, inquit, *quemquam lateant, S. Synodus omnibus Ordinariis præcipit, ut, cum primùm potuerint, curent, hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum Diœcesium Parochialibus Ecclesiis. Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Hinc consequitur, cum Concilium Tridentinum primùm conclusum ac confirmatum fuerit die 26. Januarii 1564, matrimonia clandestina in illis locis valida esse, quæ jam ante illum annum à Fide Catholica defecerant, & promulgationem Concilii excluserant. Talia loca sunt *Anglia*, *Suecia*, *Dania*, *Saxonia*, *Brandeburgia*, *Hassia*, *Hannoverania*, *Pomerania*. Econtra promulgatum fuit Concilium non solùm in *Italia*, *Hispania*, *Lusitania*, *Polonia*, *Austria*, *Bavaria*, & aliis locis Catholicis, sed teste CABASSUTIO etiam in *Gallia* 1602, & nunc per Em. Cardinalem COLONITSCH etiam in Hungaria. De Belgio, cum hoc à Fide Catholica primùm defecerit anno 1570, dubitabatur diu, an ibi Concilium Tridentinum unquam fuerit publicatum: sed SS. D. N. BENEDICTUS XIV. huic controversiæ per declarationem: *Matrimonia*, edita 4. Novembris 1741. finem imposuit, declarando, quod matrimonia ibi contracta valida sint. In ea Declaratione sic habetur: *Quod attinet ad matrimonia ab hæreticis inter se in locis fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata non servata forma per Tridentinum præscripta, Sanctitas Sua declaravit, statuitque, matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma à Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit Canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab iis non renovetur. Sin autem unus tantùm ex conjugi-*

conjugibus, sivè masculus, sive fœmina, convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire. Quod verò spectat ad ea conjugia, quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii Provinciis absque forma à Tridentino statuta contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, si contractum jam sit, aut imposterum, quod Deus avertat, contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, matrimonium hujusmodi, alio non concurrente Canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ novum matrimonium inire. Id verò sibi potissimum in animum inducere debere conjugem Catholicum, sive virum, sive fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat. Hucusque Declaratio.

QUÆRITUR 82. An valeat matrimonium, si Sponsus Catholicus & Sponsa Catholica, se in terras conferant, ubi Tridentinum non fuit promulgatum, aut si per tales terras transeant, ibique clandestinè contrahant?

RESPONDEO 1. Si tales personæ se in ejusmodi terras conferant animo ibi figendi domicilium vel quasidomicilium, ibi validè contrahunt matrimonium clandestinum.

RATIO est, quia non agunt in fraudem legis, imo sic est declaratum ab URBANO VIII. 1627. in una Coloniensi.

RESPONDEO 2. Si tales personæ se in ejusmodi terras conferant negotiorum vel mercimoniorum causâ tantùm ad *respectivè* breve tempus, v. g. ad aliquot menses, non contrahunt validè matrimonium clandestinum, sed tenentur vel excurrere ad locum, ubi reperitur Parochus Catholicus; vel tenentur exspectare reditum.

RATIO est, quia, dum peregrinis licet contrahere matrimonium in locis, ubi diu morantur, id fit præcise ex delegatione Ecclesiæ, prout in Tractatu *de Legibus* ostensum est. Non est autem præsumendum, quod Ecclesia facultatem sic contrahendi in hoc casu deleget vel tacitè indulgeat; ubi potest haberi vel exspectari Parochus Catholicus.

RESPONDEO 3. Si tales personæ in ejusmodi terras se conferant neque quasidomicilii figendi, neque negotiorum vel mercimoniorum causâ, sed præcise, ut ibi clandestinè contrahant, ac brevi denuo redeant, certum est, tale matrimonium esse invalidum, ut testatur SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in l. de Synodo c. 4. n. 10.

RATIO est, quia agunt in fraudem legis, à qua se subdolè subtrahunt. Ita declaratum est teste LUGONE l. 1. Respons. Mor. dub. 36. à Congregatione Cardinalium Tridentini Interpretum, eam declarationem approbante URBANO VIII. die 14. Aprilis 1627., eaque Declaratio inserta est Synodo Coloniensi anno 1662. Declaratio corrupta in Lugonis editione sic habet: *Urbanus VIII. Exponi nobis fecit Archiepiscopus Coloniensis super infra scriptis dubiis; Primò, an incolæ tam masculi quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, retinentes idem domicilium validè possint in isto loco matrimonium sine Parocho & testibus contrahere. Secundò, quid si eò præfati incolæ, tam masculi quàm fœminæ, solo animo sine Parocho & testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Cardinales responderunt ad primum & secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.* Ubi observo, hoc Decretum reperiri valde corruptum in editione Lugonis. Sed PIONATELLUS Tomo quinto Consultat. Septuagesima nona illud pariter corruptè sic refert: *In Coloniensi 5. Septembris 1626. dubitatum fuit, an, si incolæ, tam masculi quàm fœminæ, solo animo sine Parocho & testibus contrahendi, se transferant ad locum, ubi Concilium non est publicatum, habitationem non mutantes, vel eo solo animo habitationem transferentes, validè in dicto loco matrimonium sine Parocho & testibus contrahant? S. Congregatio respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes cum fraude, & nisi domicilium verè transferatur, matrimonium non esse validum.* Solus P. LA CROIX, qui scripsit Coloniæ, & LUNIOIUS in Spicilegio Ecclesiastico hoc Decretum sincere refert. Prior primum dubium in Decreto relatum, l. 6. p. 3. n. 712. bis verbis refert: *Primò, an incolæ, tam masculi quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem Concilium, validè possint in isto loco sine Parocho & testibus contrahere, &c.* Ex hoc ergo Decreto patet, quod matrimonium duarum personarum Catholicarum habentium domicilium in loco Catholico, sive transeant per locum, in quo Concilium non est promulgatum, sive in talem locum se transferant animo ibi contrahendi clandestinè, in neutro casu valide contrahant. Plures Declarationes Cardinalium dictis conformes affert SS. D. N. BENEDICTUS XIV. *Notificatione* seu *Institutione Ecclesiastica* 33.

QUÆRITUR 83. An valeat matrimonium clandestinè contractum ab incolis loci, ubi Concilium Tridentinum fuit quidem promulgatum, attamen usu contrario abrogatum?

RESPONDEO 1. Matrimonium hæreticorum in tali loco contractum clandestinè, si ab infantia in errore educati, & tolerati sint, valet quidem in ratione Contractus Civilis, sed non in ratione Sacramenti.

RATIO est, quia non jubentur contrahere de novo, nec permittitur ipsis separatio, si ambæ personæ redeant ad Ecclesiam.

RESPONDEO 2. Si in tali loco contrahant duæ personæ Catholicæ, non contrahunt validè matrimonium clandestinum, sed tenentur vel petere dispensationem, vel excurrere ad Parochum Catholicum.

RATIO est, quia Acatholicorum renitentia non cogit Ecclesiam ad apponendum suum consensum legalem tali consuetudini legibus contrariæ, *saltem illimitatum sine clausula* faciendi, quod est in se pro observantia Decreti, quantum moraliter & convenienter observari potest.

QUÆRITUR 84. An valeat matrimonium clandestinum à persona Catholica contractum in loco, ubi Tridentinum quidem fuit promulgatum, sed ubi ejus observantia sine periculo gravis damni est impossibilis, v. g. si locus caret Parocho, & difficilis est accessus ad alium?

RESPONDEO: Tale matrimonium est validum in loco, ubi observantia Concilii haberi nequit

quit sine periculo gravis damni temporalis vel spiritualis.

RATIO est, quia nec aliæ Leges Ecclesiasticæ obligant cum periculo gravis damni, nisi detur specialis ratio urgendi legem etiam cum tali periculo ob bonum publicum. Authores apud *Kugler* & *Wex* testantur, sic declarasse GREGORIUM XIII. & CLEMENTEM VIII. Item CONGREGATIONEM CARDINALIUM anno 1603.

QUÆRITUR 85. Quid agendum, si Contrahentes Catholici jubeantur contrahere coram Judice Acatholico, vel Turcico? vel coram Præcone hæretico?

RESPONDEO: Possunt coram Judice sæculari confirmare matrimonium in ratione Contractus Civilis, tanquam coram teste politico, ita tamen, ut in ratione Sacramenti prius contrahant coram Parocho proprio & coram duobus testibus. Sic docet SS. D. N. BENEDICTUS XIV. l. 6. de Synodo C. 5. ubi n. 4. & 5. sic scribit: „Curam subibit Episcopus ritus nuptiarum, quæ „à Catholicis celebrantur, in locis Hæretico Principi subjectis; ut enim legibus pareant, ab eodem Principe latis, pœnasque evadant transgressoribus inflictas, coguntur alicubi Catholici, matrimonium inter se contracturi, Acatholicum Ministellum adire, suumque in conjugium consensum, coram eo præstare; dubitatur autem, an id, sine piaculo fieri queat? Certum utique est, ita initum matrimonium, viribus carere, si inibi publicatum fuerit Tridentini Decretum *cap.* I. *Seß.* 24. *de Reform. matrim.*, nec consentientes, veros conjuges fieri, nisi, sive antea, sive postea juxta præscriptam à Tridentino normam, matrimonium celebraverint, coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote, Parochi vices gerente, & duobus testibus: Sed difficultas tantùm est, an, postquam Tridentini Sanctioni sunt obsequuti, & ad eidem postea obsequendum sunt parati, licite possint etiam legibus Patriæ obtemperare, & coram Heterodoxo Ministello se sistere. Negat LESSIUS in *Auct. Cas.* 24. *V. Hæreticorum conversatio*, ejusque opinio verissima esset, si hæreticus Ministellus adhiberetur, tanquam persona sacra, quæ sacram Cæremoniam intenderet exercere, ac per eam sanctitatem tribuere contractui matrimoniali; tum siquidem viderentur Catholici eum agnoscere tanquam legitimum Christi Ministrum, ritumque hæreticum approbare, & profiteri: Verùm, cùm plerumque res aliter se habeat, illeque Catholicorum matrimoniis solùm assistat, tanquam Minister merè politicus, neque virtute verborum, quibus conjugibus bene apprecatur, ullam credat sanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum esse, nostri temporis Hæretici communiter inficiantur, rectius idcirco eidem se sistentes Catholicos, ut patriæ legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quæ secus sibi imminerent, à culpa excusant JOANNES VERJUYS *in suo Pastorali tract.* 13. *art.* 7. ARSDEKIN *Theolog. Tripartitæ Tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 4. *de matrim. cap.* 8. §. 2. *num.* 17. LA CROIX *lib.* 6. *p.* 3. *de matrim. num.* 775. PIETTE *Quæstion. Theologicar. p.* 6. *pag.* 441. In hac quoque Sententia fuit SACRA CONGREGATIO Sancti Officii, quæ hanc quæstionem diligenter, uti solet, examinavit, & die 29. Novembris anni 1672. in eum, qui sequitur modum, definivit: „*Catholici, qui matrimonio juncti sunt coram Parocho, & testibus Catholicis in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram Ministro Hæretico, seu Protestante rursus conjungi; ad evitanda gravia damna, neque potest consuetudo hæc à Clero corrigi. Peccantne? Et quo peccato? Catholici, sic denuo conjuncti, coram Ministro Hæretico? Et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius loci? Sacra Congregatio respondit: Quatenus Minister assistat matrimoniis Catholicorum, uti Minister politicus, non peccare contrahentes. Si vero assistat, ut Minister addictus Sacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.*

„Huic Sententiæ S. Congregationis nostram Nos auctoritatem adjecimus, in *nostra Constit.* 89. §. 10. *nostri Bullar. tom.* 1. ubi Fidelibus degentibus in regno Sueviæ, finitimisque regionibus, interdiximus, ne, matrimonio inter se, Catholico ritu, celebrato, illud renovare præsumant coram *Caddi*; nostram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum cæremonia explenda coram *Caddi*, actus sit merè civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat.

QUÆRITUR 86. An matrimonium clandestinè atque invalidè contractum habeat saltem vim sponsalium?

RESPONDEO: Hoc matrimonium non valet quidem in vim sponsalium, sed nullitas matrimonii neque tollit obligationem sponsalium præcedentium ad sponsalia de præsenti.

RATIO est, quia matrimonium, seu sponsalia de præsenti exuuntur ab Ecclesia omni robore novo, non autem exuuntur valore promissionis præcedentis, & de se tendentis & obligantis ad matrimonium validum, contrahendum prima occasione remoto obice.

QUÆRITUR 87. Quænam sint pœnæ contrahentium clandestinè? vel matrimonio clandestino assistentium?

RESPONDEO I. Contrahentes clandestinè gravi pœna arbitraria ab Episcopo puniendi sunt.

RESPONDEO 2. Parochus alienos Parochianos sine licentia eorum Parochi conjungens ipso jure tamdiu suspensus est, donec absolvatur ab Ordinario illius Parochi, à quo contrahentes conjungi debuerant. Ita habetur in TRIDENTINO Sess. 24. C. I. hia verbis: *Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. — Quod si Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis sive Sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, pro jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.*

QUÆ-

Quæritur 88. Quidnam intelligatur per Denuntiationes matrimonio præmittendas?

Respondeo: Per Denuntiationes intelligitur publica proclamatio Parochi in Ecclesia coram frequentia Parochianorum, qua promulget inita à duabus personis sponsalia in ordine ad contrahendum proximè matrimonium; monetque omnes, si sciant inter sponsos impedimentum, illud sibi insinuent.

Quæritur 89. Quomodo faciendæ sunt hæ Denuntiationes?

Respondeo: Faciendæ sunt à Parocho ex Cathedra vel coram Altari tribus diebus Festis continuis, hoc est, non interpolatis per alium diem festivum, quamvis haud dubiè interpolati sint per Ferias hebdomadis consuetas. Sub diebus Festis autem intelliguntur etiam Dominicæ. Ita statuitur in Tridentino Sess. 24. C. 1. his verbis: *Cùm S. Synodus gravia mala perpendat, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, idcirco S. Lateranensis Concilii sub INNOCENTIO III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum interponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* Rituale Romanum Tit. 41. tria monita à Parochis bene notanda circa Denuntiationes innectit, §. X. *Denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.* §. XI. *Si verò infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.* §. XIV. *Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consummnent, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis præsentibus, quæ benedictio à nullo alio, nisi ab ipso, seu ab alio Sacerdote, de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia fieri debet.*

Quæritur 90. An denuntiationes aliquandò fieri possint primùm post contractum matrimonium?

Respondeo 1. Denuntiationes nunquam differendæ sunt post contractum matrimonii sine expressa dispensatione Ordinarii, ubi haberi potest, aut extra casum necessitatis, ubi dispensatio Ordinarii haberi nequit, v. g. in casu irruptionis hostilis Turcicæ, vel persecutorum Ecclesiæ, ubi Clerus cum populo diffugit. Ita communis.

Ratio est, quia lex Concilii Oecumenici mutari nequit, sed tantùm dispensari pro casu particulari extraordinario ob motivum grave urgentis necessitatis.

Respondeo 2. In tali casu, quo Denuntiationes differuntur post contractum & benedictionem nuptialem, conjuges toties, quoties utuntur matrimonio per copulam conjugalem, peccant mortaliter, nisi absit moraliter omne periculum detegendi ullius impedimenti, & accedat *tacita saltem Dispensatio Ordinarii circa Denuntiationes ad effectum* pro usu conjugii in foro interno, quod dijudicandum relinquitur Confessario vel Parocho. Prima pars responsionis & Secunda pars Conclusionis insinuatur à Palso tract. 28. disp. 2. punct. 12. §. 5. n. 6. his verbis: *Si dispensatio facta est ab Ordinario non integrè, sed solùm pro matrimonii contractu, obligatos esse contrahentes sub peccato mortali denuntiationes ante consummationem matrimonii præmittere, nisi forte aliqua gravi & urgenti causa excusentur, uti docuit Navarrus, Sanchez, Gutierez. Verùm, etsi prædicta sententia omnino tenenda & consulenda sit, oppositam tamen, scilicet non esse peccatum mortale, matrimonium consummare, quando contrahentes certi sunt, nullum impedimentum subesse, ut probabilem defendit Man. Rodriquez in Summa C. 222. n. 1. & pluribus relatis Sanch. Disp. 11. n. 2.* Ita Palao. Horum doctrina admittenda est, si hæc duo concurrant, *primò* moralis certitudo de absentia impedimenti. *Secundò*, gravis & urgens causa.

Quæritur 91. An peccet Parochus, si omittat unam vel alteram ex tribus denuntiationibus?

Respondeo 1. Parochus peccat mortaliter, si omittat unam ex tribus denuntiationibus sine omni causa.

Ratio est, quia transgreditur legem Concilii in materia, quam securitas boni publici ex tribus denuntiationibus intenti petit præcipi sub gravi, ne ejusmodi neglectus à pluribus Parochis commissus vergat in perniciem boni publici.

Respondeo 2. Si Parochus unam denuntiationem omittat ex levi aliqua, seu non sufficienti causa, peccat venialiter, etiamsi moraliter certus sit, nullum intervenire impedimentum.

Ratio est, quia motivum Concilii requirendi trinam denuntiationem non fuit periculum particulare in quovis casu individuo, sed periculum generale, quod semper manet, si nimis laxe observetur modus præscriptus.

Respondeo 3. Si in casu particulari non concurrat moralis certitudo de absentia impedimenti, & nulla interveniat gravis causa necessitatis, omittendi unam ex tribus denuntiationibus, Parochus peccat mortaliter omittendo unam ex tribus denuntiationibus.

Ratio est, quia exponendo Sacramentum periculo nullitatis contra expressum præceptum Ecclesiæ agit Legislatore graviter invito.

Quæritur 92. An peccet Parochus, si tres denuntiationes faciat tribus diebus non festivis? aut non interpolatis?

Respondeo 1. Si Parochus absque causa gravi tres denuntiationes faciat tribus diebus non festivis, in quibus populus ex præcepto Missæ Parochiali interest, peccat mortaliter.

Ratio est, quia contraria praxis repugnat graviter intentioni Ecclesiæ; & fini generali ab Ecclesia intento, nempe morali diligentiæ quoad investiganda impedimenta ab Ecclesia præscriptæ. Hinc, si contraria praxis alicubi vigeat, Parochus moneat populum, se, sponsos absque aliqua gravi necessitate non conjuncturum, nisi maturè sponsalia insinuent, ut trinæ denuntiationes diebus festivis præmitti valeant. Talis autem gravis causa necessitatis, etiam uno vel altero die non festivo convocandi populum ad Missam vel Conventum, ibique supplendi secundam vel tertiam

tiam denuntiationem foret, si v. g. per totam Quadragesimam familia cum liberis orphanis relinqui deberet sine idoneo Rectore, & bona remanerent inculta.

Respondeo 2. Satisfit tamen intentioni Concilii, si denuntiationes fiant tribus diebus festivis non interpolatis, v. g. in Dominica, Feria secunda & tertia Paschæ vel Pentecostes.

Ratio est, quia, licet finis Concilii *melius* obtineatur per tres dies festivos interpolatos, *sufficienter* tamen obtinetur per non interpolatos.

Quæritur 93. An peccet Parochus, si tres denuntiationes non faciat in Ecclesia inter Missarum solennia, sed in alio Conventu frequentis populi, v. g. post Vesperas? vel in Processione?

Respondeo: Parochus peccat mortaliter, si absque gravi causa immutet ritum à Concilio præscriptum faciendi denuntiationes in Ecclesia inter Missarum solennia.

Ratio est, quia contraria praxis graviter repugnat intentioni ac fini Ecclesiæ volentis adhibere moralem diligentiam ad detegenda impedimenta determinato modo, generaliter demonstrativo *moralis diligentiæ*, qui non obtineretur, nisi fiat inter Missarum solennia, ubi omnes ex præcepto Ecclesiæ tenentur comparere, hinc Legislator ad contrariam praxin eft rationabiliter graviter invitus, nisi excuset gravis causa necessitatis.

Neque verum est, Doctores universim docere oppositum. Insigniores enim ex his solùm docent; non contraveniri contra mentem Concilii, si in die festivo habeatur concio extra Ecclesiam, ibique fiant denuntiationes. Nam Guttierez l. 3. C. 56. n. 8. expresse scribit: *Sanchez infert, idem dicendum esse* (quod Denuntiationes in magno concursu populi extra Ecclesiam fieri possint) *quando non esset dies festiva. Sed nec video, nec scio, eam opinionem practicari, cum excedat literam & verba Concilii Tridentini, & sit præter ea.* Hinc Synodus Coloniensis de anno 1662. de Matrim. C. 2. §. 3. vetat sub pœna trigința aureorum proclamationes ejusmodi fieri in die non Festo, etiamsi in Choro sit solennitas, & frequens adsit conventio populi. Imo *Zerola* & *Barbosa* dicunt; ne quidem Episcopum posse dispensare, ut fiat die feriali. Hæc vera sunt, nisi interveniat *gravis causa*.

Quæritur 94. An Denuntiationes fieri debeant in utriusque contrahentis Parochia?

Respondeo Affirmativè. Ita declaratum fuit à Gregorio XIII. teste Navarro in Manuali C. 25. n. 144. Idem præscribitur in Synodo Coloniensi 1662, & in plerisque Ritualibus. In præfata Synodo de Matrim. C. 2. §. 5. sic habetur: *Si matrimonium contracturi sint diversarum Parochiarum, in utraque fiant proclamationes; nec ante Parochus unius ad matrimonii solennis actum, nisi habito ab alterius Parocho testimonio, quod præscriptæ proclamationes in sua Parochia legitimè factæ fuerint, & de nullo constet impedimento, procedat.*

Quæritur 95. An Denuntiationes etiam fieri debeant in Parochia originis? vel in Parochia, ubi contrahens tempore proximo transegit magnam vitæ partem?

Respondeo: Cum ista non fuerint determinata à Concilio Tridentino, relinquuntur determinationi Episcoporum, & deficiente hac relinquuntur determinationi Parochorum, qui, nisi obstet manifesta & universalis praxis locorum, rectè interdum à contrahente exigent, ut curent fieri proclamationes in loco originis, & in loco, ubi tempore ultimo transegerunt vitam pluribus annis. Hæc potestas Parochis tacitè conceditur in Synodalibus Augustanis part. 2. C. 10. n. 13. ubi dicitur: *Parochi diligenter examinent, an inter* (contrahentes) *ullum impedimentum intercedat.* Ad hanc autem diligentem examinationem pertinere interdum consideratis circumstantiis potest, ut etiam ex loco originis, vel ultimæ longioris conversationis obtineatur per proclamationes notitia.

Idem Confirmatur ex sensu Doctorum, qui docent, denuntiationes faciendas esse etiam in Parochia, in qua contrahens diutius habitavit, pro qua sententia referuntur *Conink, Sanchez, Barbosa, Diana.* Sic etiam Buffaldus in suo Commentario ad Rituale Romanum Tit. 41. n. 118. scribit: *Si contrahentes habuerint plura domicilia, seu Parochias, faciendæ sunt denuntiationes in ea, in qua diutius morati sunt, & principaliorem habuerunt larem; vel potius in ea, in qua verosimilius impedimenta detegi possunt. Regula tamen tutior est, ut petatur in Parochia antiqua, non ea, in qua de recenti habitant.* Ita Buffaldus. Ego censeo, hoc totum prudenti discretioni & arbitrio illius Parochi relinquendum esse, in cujus Parochia celebrantur nuptiæ, quas & unde requisitas notitias exigere velit, dummodo non negligat fieri proclamationes in ea Parochia, in qua contrahentes actu morantur.

Quæritur 96. An denuntiationes etiam præmittendæ sint ante nuptias vagorum?

Respondeo Affirmativè. Id desumitur ex Tridentino, quod Parochis circa vagos specialem diligentiam inculcat pro detegendis impedimentis. Hæc autem diligentia adhiberi nequit sine denuntiationibus in loco, ubi Parocho magis necessarium videbitur, faciendis. Verba Tridentini Sess. 24. C. 7. sunt: *S. Synodus omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum* (vagabundorum) *ad matrimonium facile recipiant; Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Quæritur 97. Quis possit dispensare circa Denuntiationes?

Respondeo 1. Accedente justa causa potest dispensare Episcopus, & Vicarius Generalis. Id colligitur ex Concilio Tridentino Sess. 24. C. 1. ubi dicitur: *Ante consummationem* (matrimonii, si jam fuerit contractum) *denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio S. Synodus relinquit.* Et, quamvis hoc loco tantùm sermo sit de proclamationibus post contractum matrimonium faciendis, eadem tamen

men potestas recognoscenda est Episcopis circa proclamationes prævias ad Tridentinum; cum circa ejusmodi casus particulares nunquam fuerit limitata ordinaria potestas Episcoporum vel reservata.

RESPONDEO 2. Parochi non habent potestatem circa denuntiationes dispensandi, sed tantùm legem generalem pro casu necessitatis extraordinario, ubi dispensatio exspectari nequit, *per Epikiam* explicandi, utrum pro tali casu extraordinario ejus intentio se extendat ac obliget, vel non? Id patet ex Tractatu *de Legibus*, & ex communi sensu Doctorum. Ita docet *P. Pichler* l. 4. tit. 3. n. 7. & insinuat *Palao* Tract. 28. Disp. 2. p. 13. n. 3. & *Navarrus*, & *Sanchez*, & *Gutierez*, ab iis relati.

RESPONDEO 3. Episcopus, in cujus Diœcesi contrahitur matrimonium, potest dispensare circa denuntiationes etiam cum altero contrahente, etiamsi sit ex alia Diœcesi.

RATIO est, quia ratione contractus cum Diœcesano contrahente individui ipsi subjicitur. Ita etiam sentit *Sanchez* l. 3. disp. 7. & *Gutierez* l. 3. C. 56. n. 10.

QUÆRITUR 98. Quales requiruntur & sufficiunt causæ ad licitam dispensationem circa denuntiationes?

RESPONDEO: Causæ ad dispensandum licitè omnes reducuntur ad causam unam generalem; hanc videlicet, si apparet probabile periculum gravis damni vel præjudicii ex denuntiationibus secuturi sponso vel sponsæ, nisi omittantur ex toto, vel ex parte. Ad grave autem præjudicium referri potest etiam *ignominia gravis*, timenda ob apprehensionem plebis, prout sequeretur, si Denuntiationes fierent coram plebe circa matrimonium Principis, vel Magistratus, vel eminentis familiæ, cui à subditis potius debetur reverentia, quàm inquisitio in vitam, mores, ac impedimenta Superioris. Ob hanc ergo generalem causam ab Authoribus in particulari enumerari solent causæ sequentes: 1. *Erubescentia*, v. g. si senex octogenarius contrahat cum juvencula; nobilis cum ancilla &c. 2. Metus probabilis, ne matrimonium malitiose à quoquam impediatur, vel turbetur. 3 Metus probabilis, ne alterutra pars, si matrimonium differatur, injustè resiliat, vel ne defloratorem sui consensus in conjugium iterum pœniteat. 4. Periculum continuandæ habitualis incontinentiæ, si nuptiæ differantur ultra Quadragesimam, 5. Periculum infamiæ & scandali, si existimati publicè conjuges denuntiarentur de novo ad revalidandum vel ineundum matrimonium, prius nullum vel invalidum. 6. Articulus mortis concubinarii, si vult ducere suam concubinam. 7. Moralis impossibilitas convocandi plebem, vel exspectandi diutius, v. g. tempore pestis, vel invasionis hostilis. 8. Aliqui addunt casum; quo alioquin puniretur concubinarius & imprægnata per Judicem, nisi prævertatur pœna per matrimonium. Verùm in tali casu considerandum est; an imprægnatio jam sit notoria, vel non? Si jam est notoria, Disciplinæ etiam Ecclesiasticæ magis congruit, ut, dum post introductas bonas Leges Civiles sensim desierunt antiquæ Pœnitentiæ Canonicæ, subeatur pœna Legum Civilium ad evertenda scandala. Si autem imprægnatio necdum est notoria, eaque per matrimonium speratur pallianda, dispensationi quidem locus est, sed expedit, ut non concedatur nisi *per modum commutationis* in alia opera satisfactoria, occulta quidem, sed diuturna, v. g. annua.

QUÆRITUR 99. Quænam sint pœnæ omittentium Denuntiationes?

RESPONDEO: Pœnæ sunt sequentes: 1. Parochus vel alius Sacerdos loco Parochi omittens Denuntiationes incurrit suspensionem triennalem ferendæ sententiæ; quæ tamen suspensio neque ex natura rei, neque ex dispositione Juris, prout rectè advertit P. ENGEL, est reservata Pontifici. 2. Proles ex tali matrimonio natæ, si detegatur aliquod impedimentum dirimens, sunt illegitimæ, non obstante, quod parentes existimaverint, suum matrimonium esse validum. 3. Tam Parochus, quàm Contrahentes possunt insuper puniri ab Episcopo pœna arbitraria. Hæc omnia statuit INNOCENTIUS III. in Concilio Generali C. fin. h. Tit. *Statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si quis verò hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Sanè si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ gravitas postulaverit.* Aliam pœnam in taliter contrahentes statuit TRIDENTINUM Sess. 24. C. 5. his verbis: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Quodsi ignoranter id fecerit, si solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salutaria præcepta temere contempsit.*

QUÆRITUR 100. An Episcopi faciles esse debeant ad dispensandum circa denuntiationes? præsertim in ordine ad occulta matrimonia conscientiæ?

RESPONDEO Negativè. Ita declarat SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in Bulla: *Satis vobis*, edita 17. Nov. 1741. ubi sic scribit: *Periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, à quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. --- Licet Episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, hæc tamen facilitas non à sola dispensantis voluntate pendet, sed à Tridentino coërcetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus. Parem, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est à vobis adhiberi, ne post remissas denuntiationes celebretur matrimonium*

coram

coram Parocho vel alio Sacerdote, ab ipso Parocho, vel à vobis deputato, præsentibus duobus vel tribus testibus, confidentibus, ne ulla celebrationis notitia oriatur. Id enim, ut ad præscriptum Canonum licitè fieri possit, non satis est obvia quævis & vulgaris causa, sed gravis, urgens, & urgentissima requiritur, &c. Ex hoc colligitur; non approbari morem etiam Parochorum, nimis facile unam eandemque denuntiationem *pro bina* vel *trina* taxantium.

De Impedimento Impotentiæ.

QUÆRITUR 101. Quid sit impotentia?

RESPONDEO: Impotentia est habilitas corporalis ad copulam carnalem, de se ad generationem prolis idoneam.

DICITUR: *de se;* potest enim contingere *per accidens*, v. g. ob debilitatem spirituum seminalium in viro aut fœmina, vel ob indispositionem *matricis* in muliere, quod copula carnalis etiam perfecta, hoc est, per effusionem seminis *in vagina mulieris* completa, non sit idonea ad generationem prolis.

QUÆRITUR 102. Quotuplex sit impotentia?

RESPONDEO: Impotentia dividitur 1. in *absolutam*, & *respectivam*. 2. In *perpetuam*, & *temporalem*. 3. In *antecedentem*, & *supervenientem*. IMPOTENTIA ABSOLUTA est inhabilitas ad copulam de se pro generatione prolis idoneam respectu cujuscunque mulieris aut viri. Talis est in viris, si careant utroque testiculo, prout sunt Evnuchi. IMPOTENTIA RESPECTIVA est inhabilitas ad copulam generationi idoneam tantùm respectu unius fœminæ aut viri, non respectu alterius. Talis impotentia respectiva est, si vagina mulieris sit nimis *arcta*, & membrum viri nimis magnum seu grossum, ita ut vas mulieris hujus penetrare nequeat, licet id fieri possit respectu alterius mulieris. Similis solet esse impotentia ex maleficio causata. Dæmon enim ex permissione divina solet tantùm efficere, ut spiritus genitales langueant, & membrum virile excitari ac firmari nequeat respectu unius fœminæ, non respectu alterius, aut vicissim. IMPOTENTIA PERPETUA est, quæ nec medicina, nec ætatis profectu, nec ullo alio medio naturali corrigi potest. Talis impotentia est, si testiculi ambo, aut ipsum membrum fuerit exsectum. IMPOTENTIA TEMPORALIS, quæ aut medicina, aut profectu ætatis, vel alio medio naturali corrigi potest. IMPOTENTIA ANTECEDENS dicitur, quæ præcessit contractum matrimonialem. SUPERVENIENS autem est, quæ primum consequitur contractum matrimonialem.

QUÆRITUR 103. Qualis impotentia dirimat matrimonium?

RESPONDEO: *Sola* illa impotentia dirimit matrimonium, quæ simul est *perpetua & antecedens*. Nam impotentia superveniens matrimonio jam contracto non dirimit matrimoninm, sed tantùm reddit usum matrimonii illicitum.

Id PROBATUR ex C. 1. & 6. h. Tit., ubi reperta impotentia de se, ut credebatur, perpetua, jubentur quidem conjuges separari, data facultate comparti non impotenti, ut contraheret matrimonium cum alio; sed, cum postmodum deprehenderetur, impotentiam non fuisse perpetuam, pars, quæ credebatur impotens, jussa est redire ad priorem conjugem.

RATIO autem est, quia impotentia perpetua dirimit matrimonium Jure naturali, nisi contrahentes intendissent vel per novum contractum solùm intenderent individuam vitæ societatem cum promisso exactè servandi castitatem. Non enim repugnat matrimonio votum perpetuæ castitatis, prout §. 2. ostensum est. Consequenter nec repugnaret tale matrimoninm stante impotentia perpetua.

QUÆRITUR 104. Quid agendum, si fuerit dubium, an impotentia sit perpetua?

RESPONDEO 1. In dubio de perpetuitate impotentiæ, si una pars petat dissolutionem matrimonii, conceditur parti neganti triennium ad probationem, computando hoc triennium à die attentatæ primæ copulæ. Ita habetur C. 5. & fin. h. Tit.

RESPONDEO 2. In dubio de perpetuitate impotentiæ, si neutra pars petat dissolutionem matrimonii, licebit illis, tamdiu experiri, quamdiu omnis prorsus spes evanuerit, tollendæ per medicinam vel ætatem impotentiæ.

RATIO est, quia hoc neque reperitur prohibitum Lege naturali, neque divina, neque positiva. Imo in Jure habentur exempla, ubi hoc experimentum fuit à conjugibus per octo & amplius annos institutum, quin propterea reprehendantur vel imponatur pœnitentia. Sic C. 6. h. Tit. nec reprehenditur vir, nec mulier, licet *per multos annos* attentaverint copulam. Et C. 7. h. Tit. similiter neuter conjugum, licet per octo annos frustra attentaverint copulam, culpatur.

QUÆRITUR 105. Quid agendum, si jam evanuerit omnis spes, per medicinam vel ætatis profectum obtinendi potentiam ad complendam copulam?

RESPONDEO 1. In tali casu, si ambo consentiant in dissolutionem matrimonii, & perpetuitatem impotentiæ sufficienter probent, potest matrimonium dissolvi etiam necdum expleto probationis triennio. Ita habetur C. 1. h. Tit. ubi dicitur: *Accepisti mulierem, & per aliquod tempus habuisti, per mensem, aut per tres, aut per annum, & nunc primum dixisti, te esse frigidæ naturæ, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua alia. Si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat, quæ tu dicis, & probari potest per verum judicium, ita esse, ut dicitis, separari potestis.*

RESPONDEO 2. Si nulla amplius supersit spes tollendæ sine miraculo impotentiæ, & conjuges nolint separari ab invicem, tenentur cohabitare instar fratris & sororis. Ita declarat COELESTINUS III. C. 5. h. Tit. ubi dicit: *Requisivisti, quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. Nos sentimus, ut à tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non posset, cohabitent per triennium, quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, & juxta Decretum Gregorii mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium. Si autem ille alium acceperit, separentur. Quodsi ambo consentiant si-*

mul esse, vir eam, etsi non uxorem, saltem habeat ut sororem.

QUÆRITUR 106. Quomodo possit vel debeat impotentia in ordine ad dissolutionem matrimonii probari?

REAPONDEO 1. Probatio illa, si uterque conjugum fateatur impotentiam se tenentem ex parte unius, supplenda est per juramentum utriusque conjugia de veritate dictorum, & per juramentum septem propinquorum, vel, si propinqui defuerint, vicinorum, qui manu extensa ad Evangelium vel erecta in cœlum jurent, se credere, quod conjuges vera jurent. Hic est sensus verborum COELEATINI III, dum C. 5. h. Tit. in textu proximè relato addit: *Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare.*

REAPONDEO 2. Si alteruter conjugum neget impotentiam, aliquando probatio sumitur ex testimonio honestarum matronarum, quibus demandatur inquisitio de signis violatæ virginitatis, utrum videlicet in vagina mulieris etiamnum reperiatur *Hymen*, vel arcta corrugatio interna vaginæ. Ita habetur C. 6. h. Tit. ubi INNOCENTIUA III. scribit Episcopo Altisiodorensi: *Fraternitatis tuæ litteras recepimus, continentes, quod mulier cuidam viro matrimonialiter nupsit, cum quo per multos annos morata non potuit carnaliter ab ipso cognosci. Tu volens habere certitudinem pleniorem quasdam matronas suæ parœciæ providas & honestas ad tuam præsentiam evocasti, districtè illis injungens sub periculo animarum, ut mulierem illam prudenter inspicerent, & perquirerent diligenter, utrum idonea esset ad viriles amplexus, quæ tandem in fide sua tibi asseruere constanter, quod eadem nunquam poterat esse mater, aut conjux, tanquam cui naturale deerat instrumentum. Unde viro licentiam tribuisti, ut aliam uxorem duceret. Contigit autem postea, quod mulier invenit, qui seras hujusmodi reseravit, & latori præsentium supernupsit. —— Nos attendentes, quod hujusmodi impedimentum, quod præter divinum miraculum per opus humanum potuit absque periculo corporali removeri, sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam, unde eam &* (posteriorem maritum) *præcipimus ab invicem separari, & nisi se voto mulier illa* (in Religione) *obstrinxerit ad continentiam servandam, primus vir, nisi prætextu fornicationis* (à muliere per alterum conjugium commissæ) *ejus consortium velit declinare, cum ea remaneat.* Ex hoc textu ipsemet Pontifex colligit, quantum ex adjectis videtur, quod mulier ob arctitudinem pro impotente declarata, si alteri nubat, *cui arcta non sit & per frequentem usum secundi reddatur etiam apta primo*, debeat redire ad primum virum. Credo tamen, hanc responsionem esse Juris Ecclesiastici, non Divini, vel Naturalis, ita ut Jure Naturali ac Divino non teneretur redire ad primum.

QUÆRITUR 107. An mulier ob arctitudinem impotena teneatur pati sectionem, vel aliud remedium conjunctum cum periculo mortis?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia hoc innuit INNOCENTIUA III. l. c. ubi ait: *Per hæc quæstionem illam noveris esse solutam, qua quæritur, utrum ea, quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio modo sibi violentia inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi.* Cum Pontifex in principali casu approbaverit judicium Episcopi, permittentis dissolutionem matrimonii ratione impotentiæ ob arctitudinem mulieria, quin ea fuerit obligata ad incisionem vel aliud violentum remedium, sed illatio Pontificis de soluta quæstione non haberet locum, si daretur ea obligatio.

QUÆRITUR 108. An matrimonium ratum dissolvatur per impotentiam supervenientem?

REAPONDEO Affirmativè.

Id PROBATUR ex C. 3. h. Tit. ubi ALEXANDER III. hunc ipsissimum casum proponit, & affirmativè respondet. *Accepimus*, inquit, *quod quidam sedecim annorum quandam tredecim annorum duxit uxorem; qui, cum debitum* (impotentia utique temporali ob imperfectionem ætatis) *reddere non posset, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro sit facta inutilis, & instrumentum ejus impeditum, ita, ut vir ei commisceri non possit. Respondemus igitur, quod, si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope Medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ita Pontifex.

NEC OBSTAT, quod matrimonium ratum sacramentale juxta prius §. 2. & 3. dictum sit Jure Divino indissolubile. Ea enim indissolubilitas est objectivè conditionata, nisi ante consummationem vel bonum altioris Ordinis, vel interveniens substantialis mutatio objecti aliud postulet.

QUÆRITUR 109. An matrimonium validè contrahere possiut Castrati tantùm uno testiculo?

RESPONOEO Affirmativè.

RATIO est, quia adhuc apti sunt ad generationem. Ita teste SANCHEZ l. 7. disp. 92. n. 14. indubitatum est in Authoribus.

QUÆRITUR 110. An matrimonium validè contrahant castrati utroque testiculo?

REBPONDEO Negativè.

RATIO est, quia non possunt emittere verum semen. Idem declaravit anno 1587. SIXTUS V. ad Nuntium Apostolicum hia verbis à SANCHEZIO l. c. relatis: *Committimus Fraternitati tuæ, & mandamus, ut conjugia per quoscunque Eunuchos & Spadones, utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas; eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares; & tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas: quàm eos etiam, qui sic de facto contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Ita Sixtus V.

NEC OBSTAT, quod tales Eunuchi virgam erigere, coire, & aquosam quandam materiam effundere, sicque ad obtinendum saltem finem secundarium, nempe in remedium concupiscentiæ, sibi & mulieri servire valeant. Nam infra ostendam, non permitti à Deo finem secundarium,

rium, nisi per subordinationem ad finem primarium.

QUÆRITUR 111. An impotentia orta ex maleficio dirimat matrimonium?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia non est perpetua, sed potest tolli per auxilia gratiæ ordinaria, concedi solita dignè petentibus. Hæc enim impotentia non consistit in aliqua destructione vel corruptione organorum generationi inservientium, sed in perpetua operatione Dæmonis in animum, vel in spiritus seminales, quæ operatio cessat, quamprimum cessat permissio specialis divina Dæmoni concessa ad operandum in homine. Permissio autem illa divina tollitur ad preces constantes armatas sacrificio bonorum operum.

NEC OBSTAT, quod quædam maleficia se habeant per modum *infessionis Dæmonum*, prout contingit in Energumenis, quæ infessio est habitualis, ac proin perpetua.

RESPONDETUR enim, disparitatem esse hanc; quia *obsessio Dæmonis* tendit in bonum obsessi sæpissime, cum etiam viri Sancti nonnunquam similia passi sint. Econtra maleficia hujusmodi, cum tendant ad concitandam discordiam inter conjuges, semper tendunt in malum maleficiati; & incitant semper ad peccata; quia nunquam immittuntur à Deo *motu proprio*, sicut obsessiones, sed *motu proprio* Dæmonis, & solùm *permissione divina*. Itaque fide & precibus possunt semper tolli.

QUÆRITUR 112. An Hermaphroditi, hoc est, habentes duplicem sexum, validè ac licitè possint contrahere matrimonium?

RESPONDEO 1. Hermaphroditus licitè & validè contrahit matrimonium juxta illum sensum, qui judicio Medici vel honestarum matronarum, accedente juramento proprio de majore in uno sexu stimulo notabiliter prævalet. Ita cum *Sylvestro*, *Tabiena*, *Armilla*, *Sanchez* l. 7. disp. 106. communis Doctorum.

RESPONDEO 2. Si uterque sexus ita æqualis apparet, ut judicio Medicorum, vel aliorum peritorum, neuter sexus notabiliter prævaleat, vel strictè dubium sit, quis sexus prævaleat, poterit quidem Hermaphroditus contrahere matrimonium, tenetur tamen sub peccato mortali eligere sexum virilem.

RATIO est, quia de virtute generativa hujus sexus potest esse longe certior, quàm de virtute generativa sexus fœminei, seu de existentia veræ matricis & ovariorum, deque earum recta dispositione, deque virtute receptiva ac retentiva seminis, quæ, cum magis lateant in corpore, quàm appareant extra, sunt longè magis incognita, quàm virtus erigendi virgam, & feminandi. Cum ergo, ubi agitur de valore Sacramentorum, eligendum sit tutius, etiam in isto casu potius sexus virilis, quam muliebris eligendus est.

QUÆRITUR 113. An validè & licitè contrahant matrimonium valde senes?

RESPONDEO 1. Senes cujuscunque ætatis validè ac licitè contrahunt matrimonium, si nullo alio impedimento præter senectutem laborant. Ita teste *Sanchez* l. 7. disp. 92. n. 21. habet praxis & sensus Ecclesiæ.

RATIO est, quia, prout hic Author l. c. n. 19. ex Glossa, & *Tiraquelo* observat, *nullus est adeo senex, quin saltem aliquando natura, vel arte Medicinæ adjutus possit ad coitum calere*, ita ut ex cerebro, corde, & jecore spiritus seminales ad testes vel matricem & ovaria transmitti, matrix, sicut fit in experimentis Electricitatis, attrahi & ipsa cum *ovariis* inosculari valeat per ramenta aperta. Quodsi vera esset sententia, quam *Guttierez* l. 1. Canonic quæst. C. 16. n. 11. veriorem & probabiliorem Medicorum opinionem vocat, quod nempe verum semen sit *stilla, calidum spiritum in se continens, à cerebro excreta, & per medullam spinæ dorsi in renes per duo paria nervorum, atque exinde in membra genitalia defluens*, nulla apparet impossibilitas, cur idem non possit fieri in senibus saltem in casu raro.

RESPONDEO 2. Si senex sit adeo exhaustus viribus, ut sit omnino impotens ad copulam habendam, hoc est, ad erigendam virgam & seminandum, nec judicio Medicorum arte juvari possit, non potest validè contrahere matrimonium. Ita *Sanchez* l. c. n. 24. citans pro se *Hostiensem*, *Rosellam*, *Pisanum*, *Angelum*, *Sylvestrum*, *Scotum* in 4. dist. 32. ad 2. & multos alios. Idem dicendum, inquit, *si senex ille posset quidem coire, non tamen seminare intra vas.*

QUÆRITUR 114. An validè & licitè contrahant matrimonium steriles?

RESPONDEO: Si sterilitas sit naturalis, affirmativè.

RATIO est, quia non potest sciri, an sterilitas sit perpetua, prout patet ex multis, qui primùm serò genuerunt; neque ea est talis defectus, qui sine miraculo strictè dicto curari non possit. Dependet enim à motione phantasiæ & spirituum, quæ motio causari potest ministerio ordinario causarum secundarum, puta Angelorum, vel ex concursu variarum dispositionum. Ista autem postulantur & obtinentur per preces à Deo non *tanquam miracula*, sed *tanquam beneficia*.

DIXI: *si sterilitas sit naturalis.* Si enim causata fuerit *artificialiter* per potum seu venenum sterilitatis, constituit verum impedimentum dirimens matrimonii titulo impotentiæ; quia hoc venenum destruit seu corrumpit ipsa organa generationis, nempe ipsam matricem, ovaria, vel testiculos, qui constant innumeris filamentis tenuissimis, per quæ, tanquam canaliculos, transeunt, concentrantur, & ejaculantur spiritus seminales.

QUÆRITUR 115. An Hernia, seu ruptura sit impedimentum matrimonii?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia non reddit impossibilem, sed tantùm difficilem coitum. Tenetur tamen pars hoc defectu laborans monere sponsum; quia alioquin deciperetur gravissimè in contractu bonæ fidei. Quodsi mulier rupturæ descendentis in vaginam uteri globo ceraceo intromisso descensum impediat, ipseque globus diuturnitate temporis cum parietibus vaginæ ita concrescat, ut sine periculo tempore coitus eximi nequeat, censent Medici à me consulti, ne sic quidem impediri generationem prolis, dummodo semen ejiciatur in vagina uteri; quia, etsi semen non possit

possit deferri ad matricem, possunt tamen eò vel in ovaria ob apertionem pororum deferri spiritus seminales, sufficientes ad actuactionem ovuli & generationem. Ego tamen, licet ob probabilitatem hujus senteotiæ posset continuari usus matrimonii jam contracti, si hoc impedimentum superveniat, censeo hoc impedimeotum esse dirimens ad contrahendum; quia eatenus non attenditur sola probabilitas de absentia impedimeoti, sed eminenter major probabilitas & præsumptio de insufficientia ad generandum perpetua.

QUÆRITUR 116. Quid liceat conjugibus superveniente certo impedimento impotentiæ post contractum matrimonium quoad usum matrimonii?

RESPONDEO 1. Si impedimentum impotentiæ fuerit certum, non licent amplius ea omnia, quæ vel ex natura actus vel ex dispositione personali conjugum causant periculum propinquum pollutioois.

RATIO est, quia, ubi finis redditur illicitus, nempe copula carnalis, redduntur etiam illicita media intrinsece ordinata ad finem, nempe excitatio spirituum seminalium, ex qua pronum est sequi pollutionem.

RESPONDEO 2. Licent tamen signa amoris, v. g. oscula, si careant illo periculo; quod si adsit, nec illa erunt licita. In praxi videtur necessarium, ut separentur thoro, vivantque de cætero instar fratrum & sororum separati cubiculo.

NEC OBSTAT, quod nemo teneatur abstinere ab actu aliàs sibi licito, etsi prævideat, secuturam ex illo pollutiooem, dummodo absit periculum consensus in illam, vel in ejus delectationem, prout *Sanchez l.* 9. Disp. 45. n. 4. & oonnulli Authores existimant. Hoc enim dici poterit, si ex ejusmodi osculis, vel aliis signis amoris rarò sequatur pollutio, neque natura jam aliunde in casu particulari sit ad pollutionem disposita. Sic enim periculum erit taotùm remotum. Si autem ex ejusmodi signis frequenter sequatur pollutio, aut pronum sit, eam consequi, sic jam erit periculum propinquum, quod, ubi actio non est necessaria saltem ex honestate, io omni statu fugiendum est ad aliquid intriosece malum indirectè volitum. Hinc etiam negatur, quod, ubi actio, per se causativa pollutionis ex natura actus aut indispositione operantis, non est oecessaria, non detur consensus ioterpretativus in pollutionem. Accedit, quod practicè loquendo, si frequenter ex tali actione non oecessaria sequatur pollutio, adsit probabile periculum consensus in delectationem sensualem pollutionis.

De Impedimento Raptus.

QUÆRITUR 117. Quid sit raptus?

RESPONDEO: Raptus est violenta abductio fœminæ aut maris de loco in locum matrimonii contrahendi causa.

DICITUR 1. *de loco in locum*, saltem in æstimatione morali in ordine ad plenam coosensus matrimonialis voluntarietatem diminuendam diversum.

DICITUR 2. *violenta abductio*, cui perinde est, sive sit *physica* per iojectiooem manuum; sive *moralis* per ioeussionem metus, & gravissimas respectivè minas; sive *mediata* per mandatum, alteri datum de abducenda persooa; sive immediata.

QUÆRITUR 118. Unde probetur hoc impedimentum?

RESPONDEO: Probatur ex CONCILIO TRIDENTINO, quod Sess. 24. C. 6. sic habet: *Decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta à raptore separata & in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat.*

QUÆRITUR 119. Quænam sint pœnæ statutæ io Raptores?

RESPONDEO 1. De Jure Canonico statutæ sunt sequentes pœnæ. 1. Excommunicatio. 2. Perpetua infamia. 3. Iocapacitas ad omnes dignitates. 4. Dotatio raptæ. 5. Si Raptor fuerit Clericus, amissio beneficii, seu depositio. Ita habetur in CONCILIO TRIDENTINO l. c. dum prioribus verbis immediatè subjungitur: *Et nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

RESPONDEO 2. De Jure Civili receotiore ex Constitutiooe pœnali CAROLI V. art. 119. statuitur in Raptorem pœna capitis, si raptui accessit stuprum & violeota oppressio. Et ex Ordinatione Crimioali JOSEPHI I. art. 19. §. 23. Raptor jubetur capite plecti ac rotæ imponi.

QUÆRITUR 120. Quænam requiruntur ad incurreodas has pœnas?

RESPONDEO: Requiritur 1. ut fiat abductio in locum moraliter diversum in ordioe ad diu continuandam incussionem metus vel violentiam. Talis moralis locorum diversitas non est, si fœmina abducatur è domo in domum ejusdem pagi, vel ex urbe in vicinam sylvam ad committendam securius libidinem. 2. Ut fœmina, quæ rapitur, sit honestæ aliàs vitæ. Nec interest, sive sit virgo, sive puella, sive conjugata. 3. Ut inferatur aliqua violentia positiva, ita ut saltem invita abstrahatur à parentibus, vel tutoribus. In ordine tamen ad incurrendum impedimentum dirimens non requiritur hæc violentia, sed sufficit, dummodo suasiooibus inducta abducatur invitis parentibus vel tutoribus.

RATIO est, quia impedimentum hoc non est strictè pœna, sed inhabilitas. Idem patet ex C. 6. de Raptoribus, ubi LUCIUS III. expresse dicit: eum oon esse raptorem, qui puellam consentientem invitis pareotibus abducit. 4. Ut abducatur exereendæ libidinis causa intra sive extra prætensum matrimonium, licet postea consentiet io sui violationem.

QUÆRITUR 121. An hoc impedimentum etiam incurratur, si fœmina potens rapiat virum?

RESPONDEO: Noo ioeurritur.

RATIO est, quia io Jure Canonico C. 6. & 7. de

de Raptoribus, & in Tridentino solùm fit mentio de raptore, non de raptrice.

Nec obstat, quod alia impedimenta matrimonii, uti criminis, publicæ honestatis, metus, sint reciproca inter virum & fœminam; aut quod in correlativis, ubi eadem est ratio, sub sexu masculino etiam comprehendatur sexus fœmineus, ut habetur l. 1. 122. & 195. ff. de V. S.

Respondeo enim, illa, quæ in Objectione enumerantur, crimina non solùm frequenter committi à viris, sed etiam à fœminis. Imo ea crimina, vel impedimenta plerumque sunt reciproca. Et quod attinet metum, expresse fit in Jure mentio de casu, quo viro incutitur metus à parentibus vel cognatis puellæ in fornicatione deprehenso. Econtra circa raptum constanter fit solius viri mentio. Ad secundum dico: non esse candem rationem legis; cum casus rarissimus, qui intra centum annos vix semel contingit nec exposcat legem, nec respiciatur à lege, nisi comprehendatur sub proprietate verborum legis.

§. V.

De Divortio & secundis Nuptiis.

Quæritur 1. Quid sit divortium? Respondeo: Divortium est legitima separatio mariti ab uxore vel *quoad vinculum*, vel *quoad thorum*, vel *quoad cohabitationem*.

Quæritur 2. Quotuplex sit divortium? Respondeo: Divortium dividitur 1. in separationem quoad vinculum. 2. In separationem quoad thorum. 3. In separationem quoad cobabitationem. Divortium seu separatio quoad vinculum fit, quando matrimonium contractum declaratur esse invalidum, ita ut utrique parti tribuatur facultas contrahendi aliud cum alia persona matrimonium. Divortium seu separatio quoad thorum fit, quando conjuges deobligantur à redditione debiti conjugalis, & propterea accipiunt facultatem se separandi ab invicem quoad lectum. Divortium seu separatio quoad cohabitationem fit, quando conjuges non solùm accipiunt facultatem deneganti comparti debitum conjugale, seque ab invicem separandi quoad lectum, sed etiam se separandi quoad cohabitationem in eadem domo, vel urbe. Dividitur 2. divortium quoad thorum, vel cohabitationem in perpetuum & temporale. Illud durat de se ex parte unius irrevocabiliter usque ad mortem. Istud verò durat solùm usque ad revocationem partis innocentis vel Judicis.

Quæritur 3. An matrimonium consummatum quoad vinculum possit dissolvi causa adulterii, vel hæresis?

Respondeo Negativè. Ita definitum est à Concilio Tridentino Sess. 24. Can. 5. ubi dicitur: *Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit.* Cæterum hæc veritas fuse à me fuit probata contra Sectarios in *Demonstratione Critica Religionis Catholicæ* ex Scriptura, explicata per constantem observantiam Ecclesiæ Romanæ à D. Petro fundatæ.

Quæritur 4. An matrimonium ratum sit dissolubile quoad vinculum?

Respondeo Affirmativè. Saltem si valor matrimonii rati vel sit dubius, vel si matrimonium sit conditionatum, prout §. 2. ostensum est.

Id Probatur ex eo, quia actu dissolvitur per professionem religiosam unius conjugum, cum in ejusmodi contractu involvatur conditio seu reservatio libertatis de eligendo vel admittendo bono altioris ordinis. Videantur dicta §. 2.

Quæritur 5. Quænam causa sufficit ad faciendum divortium quoad thorum?

Respondeo: Ad faciendum hoc divortium sufficit adulterium unius conjugum.

Id Probatur ex verbis Christi Matth. 5. v. 31. ubi dicit: *Dictum est* (antiquis): *Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Idem repetit Christus Matth. 19. ubi Pharisæi ex instituto interrogabant: *an liceat homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?*

Quæritur 6. Quænam requirantur conditiones ad hoc, ut ratione adulterii liceat instituere divortium?

Respondeo: Requiruntur sequentes conditiones: 1. Ut sit adulterium *consummatum*, hoc est, per actualem copulam carnalem perfectum. 2. Ut sit *convincenter probatum*, ita ut de illo saltem morali certitudine constet. 3. Ut sit adulterium *formale*, hoc est, liberè & scienter commissum. Si enim maritus ebrius invaderet aliam fœminam, existimans, illam esse suam; non esset sufficiens causa ad divortium. Idem dicendum, si mulier ab alio viro violenter opprimatur, aut metu mortis ad hoc compellatur. Neque enim tale adulterium meretur tam gravem pœnam, ac est divortium. 4. *Ut necdum sit tacitè remissum.* Talis remissio seu condonatio delicti daretur, si pars innocens, conscia de alterius adulterio, peteret vel redderet debitum conjugale.

Quæritur 7. An etiam bestialitas à viro commissa præbeat uxori causam instituendi divortium?

Respondeo Affirmativè. Ita *Abulensis* in C. 19. Matth. *Vera-Crux*, *Sanchez* l. 10. disp. 4. n. 14.

Ratio est, quia datur major ratio ex bestialitate, quàm fornicatione; & genus delicti per infractionem fidei conjugalis in unitatem carnis datæ idem est.

Quæritur 8. An etiam Sodomia, præsertim, si violenter aut fraudulenter cum ipsa uxore committatur, sit sufficiens causa divortii?

Respondeo Affirmativè. Ita *Sanchez* l. c. n. 3. referens *D. Thomam*, *D. Bonaventuram*, *Durandum*, *Richardum*, *Paludanum*, *D. Antoninum*, & plurimos alios Doctores.

Ratio

Ratio est, quia conjuges ex ipsa natura contractus matrimonialis se invicem obligant ad servandam unitatem carnis, quæ tollitur per copulam Sodomiticam.

Nec interest; sive Sodomita sit pars agens sive patiens, quia peccatur contra unitatem carnis cum conjuge. Sanchez tamen l. c. n. 6. 7. 8. censet; Sodomiam viri cum propria uxore non esse causam divortii, nisi corrigi nolit; & si corrigi nolit, eam non esse causam divortii perpetui, sed tantùm ad tempus. Sed insistendum priori responsioni, quia antiquiores Doctores non distinguunt inter has species Sodomiæ.

Quæritur 9. An etiam pollutiones, vel alii tactus lascivi ad pollutionem proximè disponentes sint causa divortii, v. g. si maritus sub prætextu exercendæ copulæ retrabat suum membrum, sicque seminet extra vas uxoris?

Respondeo cum Sanchezio l. c., ejusmodi pollutiones vel tactus cum propria uxore non esse causam divortii perpetui, sed tantùm divortii ad tempus quoad thorum, donec in marito appareat spes emendationis. Quodsi maritus post iteratas emendationis promissiones constanter per unum vel alterum annum datam fidem frangat, censeo, dari causam ad perpetuum divortium quoad thorum.

Ratio est, quia licet non committatur adulterium vel fornicatio, datur tamen solicitatio ad connivendum & cooperandum peccato occasione thori conjugalis. Omnis autem solicitatio continuata ad peccata contra naturam præbet justam causam divortii ad tempus, prout *D. Antoninus*, *Astensis*, & *Joannes de Friburgo* à *Sanchezio* l. c. n. 8. relati docent. Ex hoc autem sequitur, fore causam divortii perpetui, si omnis spes emendationis post iteratas monitiones evanescat.

Quæritur 10. An tactus lascivi cum aliis personis exerciti præbeant causam divortii?

Respondeo 1. Per se non præbent causam divortii. Ita *Sanchez* l. c. n. 9.

Ratio est, quia per ejusmodi actus non dividitur una caro in aliam carnem; adeoque nec violatur conjugalis fides quoad substantiam.

Respondeo 2. Præbent tamen ejusmodi lascivi actus causam divortii ad tempus, seu denegandi ad aliquod tempus debitum.

Ratio est, quia, licet non committatur adulterium, nec violatur fides conjugalis quoad substantiam, violatur tamen quoad modum, contra quam violationem compars, nisi appareat aliud efficax remedium in futurum, rectè se præmunit denegatione ad aliquod tempus debiti vel thori conjugalis. Ita quoad rem *Sanchez* l. c. n. 7. allegans *Paludanum*, *Petrum de Soto*, *D. Antoninum*, & alios, qui docent, omne vitium à conjuge contra naturam commissum sufficere ad divortium. Eam tamen doctrinam *Sanchez* l. c. rectè explicat aut temperat, ut intelligatur de divortio temporali, in quantum hoc servit ad emendandam aut in posterum absterrendam compartem ab ejusmodi vitio.

Respondeo 3. Quando tactus lascivi complent violentam præsumptionem de commisso actuali adulterio, etiam sufficiunt ad divortium perpetuum. Id patet, quia in tali casu non spectantur seorsim tanquam motivum divortii, sed tanquam signum & argumentum adulterii adminiculativum cum aliis indiciis. Ipsum autem adulterium per violentas præsumptiones probatum est causa ac motivum sufficiens divortii, utpote moraliter certum.

Quæritur 11. An marito & uxori competat reciprocè jus æquale in ordine ad instituendum divortium?

Respondeo Affirmativè. Ita omnes Authores teste *Sanchezio* l. c. Disp. 3. n. 6. excepto *Cajetano*. Idem docet in pluribus locis D. Augustinus relatus Causa 32. q. 7.

Probatur autem ex Innocentio I., qui, licet videatur facere discrimen inter maritum & uxorem, reipsa tamen nullum facit, nisi in certitudine probationum seu præsumptionum, quæ non tam facile convincunt in marito, quàm in uxore. In Epistola 3. ad Exuperinm n. 4. sic scribit: *Desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana Religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres de adulterio non facile accusant; & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt; & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur; virorum autem latente commisso non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur: qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo par sit causa, interdum probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.* Hic textus agit quidem de sola æqualitate mariti & uxoris in ordine ad denegandam communionem Evcharistiæ; eoipso tamen rectè infertur æqualitas quoad communionem thori, licet hæc illis temporibus forte tantùm fuerit negatio communionis temporalis, sicut illa negatio communionis Evcharistiæ solum fuerat temporalis. Explicatius tamen hæc doctrina sub eodem Innocentio I. anno 416. fuit definita à Concilio Milevitano, quod Can. 17. sic habet: *Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quodsi contempserint, ad pænitentiam redigantur.*

Quæritur 12. An ad instituendum divortium ratione adulterii requiratur prius monitio delinquentis prævia?

Respondeo: Per se spectato Jure Civili vel Canonico non requiritur monitio prævia; quia hanc monitionem præviam nec lex, nec praxis Ecclesiæ requirit. Si tamen maritus vel uxor advertat, compartem ejusmodi periculis se exponere, & speretur fructus sufficiens, tenetur amicè præmonere de periculo peccati, & secuturi divortii ex lege charitatis.

Quæritur 13. An jus ad instituendum divortium extinguatur lapsu temporis, v. g. quinquennii, vel septennii?

Respondeo: Nisi à tempore obtentæ de adulterio conjugis notitiæ crimen ab altero conjuge fuerit tacitè per actus conjugales remissum, non extinguitur lapsu temporis brevis; extinguitur tamen lapsu temporis longi.

Ratio

Ratio est, quia etiam actiones criminales sic extinguuntur.

Nec obstat, admonere, 33. q. 2. ubi Stephanus V. sic scribit marito, qui uxorem adulterii falso insimulatam occiderat: *Si verum fuisset* (adulterium) *post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses.* Nam ex hoc textu videtur colligi, quod maritus illis temporibus non habuerit potestatem *statim* dimittendi uxorem adulteram, sed quod debuerit expectare tempus expletæ septennalis pœnitentiæ. Hinc potius inferendum, quod ab eo tempore, quo adultera pars potest dimitti, & non dimittitur, incipiat extingui jus seu actio ad divortium.

Quæritur 14. An pars innocens teneatur aliquando instituere divortium?

Respondeo: Pars innocens tenetur instituere divortium temporale in duplici casu. *Primò*, si divortium temporale prævideatur fore medium cæteris certius ac efficacius ad obtinendam constantiorem delinquentis compartis emendationem. *Secundò*, si ex ulteriore communicatione thori cum comparte adultera nascatur grave scandalum, dum plebs ejusmodi communicationem interpretatur tanquam conniventiam peccaminosam ad flagitium. Pro hac sententia, quam amplectitur *Sanchez* l. c. Disp. 13. n. 6., ab eo allegantur *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Hostiensis*, *Henricus*, *Angelus*, *Armilla*, *Sylvester*, *Rosella*, *Covarruvias*, *Cajetanus*, & multi alii.

Probatur autem Responsio 1. ex Prov. 18. v. 22. *Qui tenet adulteram, stultus est & impius.* 2. Ex Concilio Arelatensi, relato in C. si vir. *de adulteriis*, ubi dicitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus criminis particeps.* 3. Ex D. Augustino, qui l. de adulterinis Conjugiis l. 2., prout refertur. C. non solùm 28. q. 1. scribit: *Si uxor in his factis* (adulterino commercio) *perseverat, recede ab illa, & noli vivere cum illa. Sin autem, & tu particeps peccati illius eris.* 4. Ex D. Hieronymo in C. 19. Matth. & relato in C. dixit. 32. q. 1. ubi sic scribit: *Cum uxor se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Ubicunque ergo est fornicatio vel fornicationis suspicio* (violenta præsumptio), *liberè uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.* 5. Ex D. Chrysostomo seu Authore Operis imperf. in Matth. Hom. 32. *Sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est & injustus, qui retinet meretricem.* Nam (scriptum est in Levit. 18.) *Patronus turpitudinis ejus est, qui crimen* (habituale) *celat uxoris.* Ita isti.

Dixi autem, *si divortium prævideatur medium certius ac efficacius ad constantem emendationem delinquentis.* Si enim delinquens seriò pœniteat, nec perseveret in peccato, non tenetur pars innocens dimittere ream, nisi appareat ex iteratis promissionibus, vanam esse promissionem. Similiter non tenetur pars innocens dimittere ream, si

speratur, profuturam denuntiationem delinquentis ad Superiorem Ecclesiasticum. Id docet Innocentius III. C. quemadmodum. de Jurejurando, ubi sic scribit: *Si maritus uxori expresse jurasset, quod eam super adulterio non impeteret, esset ne servandum hoc juramentum? Cum Scriptura testetur, quod patronus est turpitudinis, qui celat crimen uxoris; & secundum regulam Evangelii, si primò & secundò correpta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, ut tanquam Ethnica & Publicana deinde vitaretur; ne per hoc ei libera tribueretur peccandi facultas propter impunitatem peccati. Sed nunquid vir non potest dimittere uxori peccanti non solùm septies, sed etiam usque septuagies septies secundùm Evangelicam veritatem? Tutius ergo in hoc casu videretur, ut propter jurisjurandi religionem vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quanquam denuntiare eam posset ad pœnitentiam peragendam.*

Quæritur 15. An pars innocens teneatur nocenti reconciliari & condonare delictum, si pœniteat?

Respondeo 1. In hac re esse distinguendum. Nam *primò*, spectato Jure Civili aut Canonico in foro externo pars innocens non tenetur partem nocentem, semel adulterii causa dimissam, de novo recipere, etiamsi pœniteat serio. Id patet ex textu Stephani V. superius adducto in qq. 13.

Respondeo 2. Spectato foro interno tenetur pars innocens nocenti reconciliari, eamque denuo post sufficientia signa constantis pœnitentiæ recipere, nisi ex receptione parti nocenti timenda sint gravia damna, præjudia, vel incommoda. Hæc responsio probatur ex sensu Patrum, & veteris Ecclesiæ, quæ agnovit hanc obligationem saltem ex lege charitatis. Nam 1. ex textu Stephani V. superius adducto apparet, quod antiquitùs non licuerit viro instituere divortium cum adultera quoad cohabitationem ante expletam ejus septennalem pœnitentiam, quo tempore neutri parti erat permissus usus conjugii ratione status pœnitentialis. Hujus autem rigoris in foro externo adhibiti non videtur posse reddi ratio congruentior, nisi quod Ecclesia optaret ac speraret, diuturna cohabitatione & probatione pœnitentiæ tandem inflecti animum mariti ad clementiam. 2. In Concilio Arelatensi relato C. si vir. de adult. dicitur: *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps. Quod si mulier divissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe recipere peccatricem.* 3. S. Augustinus l. 2. de adulterinis conjugiis C. 5., relatus C. *quod autem* 32. q. 1. scribit: *Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos de baptismate vel pœnitentia credimus esse sanatos? Postquam Christus ait adulteræ: nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare; quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum? nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum.*

Quæritur 16. An pars innocens, si facto

ĉto cum adultera divortio, etiam ipsa commisit adulterium, teneatur recipere dimissam?

Respondeo 1. In foro externo potest obligari ad recipiendam dimissam saltem in pœnam delicti, & in præservativum de futuro.

Ratio est, quia parti innocenti non fuit à Christo tributum jus absolutum ac non subordinatum ad jurisdictionem Ecclesiæ in ordine ad instituendum divortium perpetuum, prout patet ex praxi veteris Ecclesiæ, v. g. ex textu Stephani V, annectentis varias limitationes ejusmodi divortiis.

Respondeo 2. In foro interno tenetur sic peccans reconciliari comparti adulteræ ex lege charitatis. Patet ex dictis qq. præced. & ex illo Matth. 18. v. 33. ubi Christus servo immisericordi dicit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus.*

Quæritur 17. An pars adultera non obstante, quod intercesserit divortium perpetuum, teneatur redire ad conjugem innocentem, quandocunque reditum petierit?

Respondeo: In hac re esse distinguendum. Si enim pars innocens petiit divortium solum temporale usque ad suam revocationem, manet illi jus salvum ad revocationem. Econtra si petiit ac impetravit divortium *perpetuum sine clausula* ac reservatione limitante *ad revocandum pro libitu*, attendendum est ad communem praxin, an ejusmodi divortia perpetua ac indefinita censeantur haberi pro cessione juris ad revocandum, vel non? Ubi praxis seu consuetudo interpretatur divortia perpetua pro cessione juris absoluta ad revocandum; huic expositioni moribus utentium comprobatæ insistendum est; quia non prohibetur pars innocens Jure naturali vel divino ad faciendam hanc cessionem. Ubi verò consuetudo interpretatur divortia perpetua indefinita tanquam cessionem Juris tacitè clausulatam, vel ubi de consuetudine in alterutram partem non constat, censendum est *hoc tempore*, divortio perpetuo indefinito inesse tacitam clausulam *de jure revocandi ad libitum*.

Ratio est, quia prout Sanchez l. c. disp. 10. n. 3. testatur, pro isto jure revocandi stat eminenter major pars Doctorum, quorum potior sensus communiter format mentem Fidelium & praxin.

Dixi, *hoc tempore*, donec videlicet per Constitutionem Pontificiam, vel per Legem Diœcesanam statuatur oppositum, ut nempe Instituentes divortium eligant alterutrum, nempe vel solùm divortium temporale, vel cessionem juris perpetuam, quò pars dimissa possit certiùs consulere suæ sustentationi, ac fortunis.

Quæritur 18. An facto divortio parti innocenti aut dimissæ liberum sit, emittere votum castitatis simplex, vel solenne ingrediendi Religionem?

Respondeo 1. Facto divortio perpetuo cum cessione tacita vel expressa juris ad revocandum, licet tam parti nocenti quàm innocenti non solùm emittere votum castitatis simplex, sed etiam solenne castitatis.

Ratio est, quia per hoc nulli infertur præjudicium.

Respondeo 2. Facto divortio solùm temporali, aut perpetuo quidem, sed cum reservatione tacita vel expressa juris ad revocandum in sensu superiùs explicato, nec innocenti nec nocenti licet ingredi Religionem.

Ratio est, quia innocens ageret contra pacta tacite vel expresse conventa, utpote extinguendo jus conjugale vi contractus in divortio temporali tantum suspensum & sanabile; pars rea autem ageret contra naturam contractus conjugalis, relinquentis utrique conjugi jus sanabile per pœnitentiam ad actus conjugales.

Respondeo 3. Votum tamen simplex castitatis soli uxori licitum est, sive sit rea sive innocens; sed marito nec nocenti nec innocenti licitum est.

Ratio est, quia votum simplex castitatis importat obligationem nunquam exigendi debitum conjugale. Hoc autem præjudicat verecundiæ uxorum, rarò audentium exigere signis manifestis exactionem debiti. Hoc autem repugnat contractibus bonæ fidei, ut reddatur difficilior conditio connaturalis contractuum.

Quæritur 19. An maritus conjugi ob adulterium dimissæ teneatur præstare alimenta?

Respondeo 1. Maritus facto divortio solùm temporali, vel divortio perpetuo quidem, sed cum reservatione tacita vel expressa juris ad revocandum, tenetur uxori adulteræ præstare alimenta, si ea aliunde commode habere nequeat arte, vel aliorum subsidio gratuito.

Ratio est, quia in tali casu non tollitur nec perpetuò suspenditur jus ad individuam vitæ societatem, in quo fundatur obligatio præstandi reciprocè alimenta.

Respondeo 2. In casu, quo intercessit divortium perpetuum cum cessione juris ad revocandum, non tenetur maritus uxori adulteræ, aut vicissim uxor marito adultero, præstare alimenta.

Ratio est, quia ejusmodi divortium perpetuum cum cessione juris ad revocandum non obtinet suam vim in actu secundo, nisi fuerit acceptata ab adultera; repugnaret enim Legi Christianæ, quæ præcipit, denuo recipi adulteram pœnitentem, prout supra qq. 14. ostensum est. Si autem ea cessio fuit acceptata à parte adultera, eoipso renuntiat suo juri ad individuam vitæ societatem, ac consequenter ad radicem alimentationis reciprocæ.

Quæritur 20. An pars innocens possit propria authoritate instituere divortium?

Respondeo 1. Pars innocens, si fuerit certa de alterius adulterio, potest licitè propria authoritate instituere divortium quoad separationem thori, seu denegationem debiti conjugalis.

Ratio est, quia si hoc non esset licitum, teneretur pars innocens redditione debiti condonare delictum; aut certè illud reddere difficilioris probationis. Quodsi alicui hæc ratio non placeat, dicendum, quod hoc jus reciprocum fundetur in tacito pacto contractui conjugali moribus contrahentium seu consuetudine innexo, vi cujus fides frangi permittitur frangenti fidem.

Pactum

Pactum autem illud tacitum gentium probatur, aut formatur sensu populorum, & sensu fere omnium Doctorum, quos longa serie recenset SANCHEZ l. 10. disp. 12. n. 5.

RESPONDEO 2. Si tamen pars innocens compellatur sub excommunicatione ad reddendum debitum, quando in probatione quoad forum externum deficit, tenetur reddere debitum. Ita teste *Sanchezio* l. c. n. 6. docent *D. Thomas*, *D. Bonaventura*, *Durandus*, *Richardus*, *Astensis*, *Joan. de Friburgo*, *D. Antoninus*, *Sylvester*, *Tabiena*, *Turrecremata*, *Nider*, *Armilla*, *&c.*

RATIO est, quia jus instituendi propria authoritate divortium quoad thorum fundatur in tacito pacto morihus gentium & sensu Doctorum introducto. Omne autem ejusmodi jus est ex sua natura subordinatum jurisdictioni Superioris legitimi, qui justè in ejusmodi casibus præcipit etiam pro foro interno juxta allegata & probata non solùm modo præcipiendi conditionato, si allegata veritate nitantur, qui modus præcipiendi dedecet Legislatorem, utpote repugnans tranquillitati publicæ; sed modo præcipiendi absoluto.

RESPONDEO 3. Ad instituendum tale divortium authoritate privata requiritur circa adulterium occultum certitudo physica; circa publicum autem seu notorium certitudo moralis.

RATIO est, quia, cum adulteria occulta relinquantur judicio privato conjugis, sæpissime Zelotypia excæcato, ita ut fingant sibi facile certitudines morales, ubi non sunt, non est conforme æquitati naturali, ut jus conjugale facile violetur per ejusmodi certitudines phantasticas. E contra adulteria notoria, vel ad forum externum deducta, relinquuntur judicio indifferenti Judicis legitimi; cujus sententiæ decisivæ jurium non debent restringi ad meras certitudines physicas. Id enim repugnaret bono communi.

RESPONDEO 4. Parti innocenti non licet propria authoritate instituere divortium quoad cohabitationem. Ita fere omnes Authores.

RATIO est, quia per ejusmodi separationes privatas perturbaretur tranquillitas reipublicæ, & violaretur reverentia Sacramento debita, cum conjuges conjungantur ab Ecclesia.

QUÆRITUR 21. An pars adultera licitè possit petere debitum, præsertim si para innocens illi objiciat probationes semiplenas?

RESPONDEO Affirmativè.

RATIO est, quia est in possessione sui juris, quamdiu non reperitur jus certum ex parte opposita. Non autem reperitur ex parte innocentis jus certum, donec illi applicetur per notitiam moraliter certam, sicut contingit in omni translatione jurium.

QUÆRITUR 22. Quænam sint aliæ causæ instituendi divortium?

RESPONDEO: Aliæ causæ instituendi quoad thorum & cohabitationem divortium sunt sequentes: 1. *Apostasia unius conjugis* à Fide Catholica vel Christiana, seu lapsus in hæresin vel Infidelitatem Ethnicam. 2. *Periculum animæ* ex sollicitatione alterius conjugis ad gravia peccata, v. g. ad Sodomiam, Magiam, Latrocinium, Furtum. 3. *Periculum corporis* ex contagioso morbo alterius conjugis, v. g. ex lepra, lue venerea. 4. *Sævitia alterius conjugis vel insidiæ*, v. g. dum maritus uxorem crudeliter tractat, vel dum uxor marito struit mortis insidias. 5. *Valde molesta cohabitatio* ex improbitate incorrigibili unius conjugis, v. g. ob perpetua jurgia, discordias, rixas, &c.

RATIO est, quia hæc omnia repugnant pactis tacitis contractui conjugali vel ex intentione contrahentium vel ex dispositione legum innexis. Nam quando conjuges per contractum matrimonialem se ad individuam vitæ societatem obligant, eoipso tacitè paciscuntur, ut liceat sibi pacificè vivere sine contumelia Creatoris, sine periculo animæ & corporis, sine gravi ac perpetua injuria.

NEC OBSTAT, quod CHRISTUS Matth. 5. & 19. solam fornicationem allegaverit pro causa sufficiente divortii. Christus enim solùm loquitur de causis ad divortium perpetuum sufficientibus ex dispositione Legia Divinæ; asseritque, ex dispositione Legis Divinæ positivæ nullam aliam causam ad perpetuum divortium sufficere, nisi adulterium unius conjugis; alias verò leviores causas ad instituendum divortium pacto matrimoniali solùm fuisse innexas ob specialem duritiam Gentis Judaicæ. Cæterùm de aliis causis, quæ pacto matrimoniali per se insunt ex Lege naturali, & ex ipsa natura seu æquitate contractuum bonæ fidei, Christus totaliter abstraxit.

QUÆRITUR 23. An lapsus in hæresin sit universim causa sufficiens ad divortium, etiam ubi hæretici sunt tolerati, & ubi talis Apostata vult cohabitare sine contumelia Creatoris?

RESPONDEO: In illis Regionibus, in quibus nonnullæ determinatæ hæreses ob tranquillitatem publicam per leges Principum Catholicorum tolerantur, & matrimonia Catholicorum cum hæreticis ab Episcopis per dispensationem aut tolerantiam passim impunè permittuntur, relinquitur discretioni Episcoporum, an divortium permittendum vel negandum sit. Si enim verè intercedat periculum animæ in conjuge aut illius educationi relictis liberis, divortium permittendum est. Si autem consideratis omnibus circumstantiis respectivè exiguum vel nullum sit periculum animæ, considerandum est, an hæretici reciprocè concedant divortium in casu, quo una Conjugum Acatholicorum transit ad Ecclesiam Catholicam, vel non? Si ipsimet suis concedunt divortium, censendum est, parem conditionem ex pacto tacito inesse matrimoniali contractui Catholicorum. Si verò ejusmodi divortia suis non concedunt, sed jubent cohabitare parti ad Fidem Catholicam conversæ, æquum est, ut Episcopus, Epikia aut dispensatione circa leges generales usus, cohabitationem in tali casu admittat absque divortio.

Hæc responsio PROBATUR ex C 6. h. Tit. ubi URBANUS III. Archiepiscopo Florentino sic scribit: *De illa, quæ viro suo labente in hæresin ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier, maxime si ea intentione secessit, ut lapsus in hæresin tædio pariter & confusione affectus se ab errore suo converteret, cum reversus fuerit, est* redd-

reddenda; quæ, etiam si reverti noluerit, compellatur. Si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, et recipiendum eam nullatenus dicimus compellendam. In hoc textu bene notandum, quod Pontifex jubeat viro suo Apostatæ uxorem restitui, etiamsi ille perseveret in hæresi. Ergo idem in nonnullis casibus imitandum relinquitur Episcopo.

QUÆRITUR 24. Qualis sævitia conjugis, aut molestia cohabitationis, sufficiat ad instituendum divortium quoad cohabitationem?

RESPONDEO: Talis *sævitia* aut *molestia cohabitationis* sufficit ad instituendum divortium, qua status matrimonialis redditur perpetuò miser. Quænam autem sit gravis miseria personæ maritatæ, consideratis circumstantiis statuum, personarum, conditionum, & consuetudinum circa consimiles conjuges, in dubio Judici Ecclesiastico librandum relinquitur.

DIXI, *perpetuò.* Miseria enim exigui temporis videtur esse insufficiens ad divortium, cum spectata corruptione humanæ naturæ videatur inhumanum, si quis in contractu matrimoniali se ad individuam vitæ societatem solùm ea conditione expressè obligaret, nisi compars una vel altera vice per decursum vitæ metas justæ moderationis graviter transilierit. Quod autem explicite nequit rationabiliter deduci in pactum, illud nec implicitè involvitur. In particulari verò ad gravamen ejusmodi sævitiam, aut cohabitationis molestiam referuntur 1. truculentia vel insidiæ, quibus alteri conjugi à thori consorte creatur periculum juge mortis, mutilationis, vulnerationis. 2. Frequentatio immoderatorum verberum, etiamsi occasionata ob oris petulantiam. 3. Frequentata oris petulantia, conjuncta cum indigna tractatione in victu, vestitu, & aliis conjugalibus obsequiis. Hæc enim simul sumpta, ubi *incorrigibilia* sunt, vitam conjugalem profectò miseram reddunt.

QUÆRITUR 25. Unde desumatur incorrigibilitas conjugis?

RESPONDEO: Desumitur ex eo, si pars rea jam ter aut sæpius fuerit Judici legitimo delata, correpta, & punita; redierit tamen brevi in antiquam viam. In Jure Civili disponitur, ut vir præbeat *cautionem fidejussoriam*, vel depositione pecuniæ *pignoratitiam*, aut *juratoriam* de emendatione.

QUÆRITUR 26. An liceat conjugi, stante tali periculo, aut sævitia, instituere propria authoritate divortium, capessendo fugam?

RESPONDEO: Si periculum sit in mora, id licet. Attamen Judex Ecclesiasticus si illi fiat debita insinuatio ab altero conjuge, vel à Parocho loci, tenetur citare partem fugitivam, eamque compellere vel ad redeundum vel ad edendas rationes divortii.

QUÆRITUR 27. An Parochi teneantur Judici Ecclesiastico denuntiare divortia privata authoritate facta?

RESPONDEO: Tenentur ea denuntiare sub peccato mortali.

RATIO est, quia ex istis divortiis privata authoritate factis frequenter sequuntur geminata ex parte utriusque conjugis adulteria, quorum scelerum ipsi Parochi suo silentio causa fierent.

QUÆRITUR 28. An ad instituendum divortium causa sævitiæ re vera requiratur quædam perpetuitas mali?

RESPONDEO Affirmativè. Id probo ex sensu & ratiune solida plurium Doctorum. SANCHEZ l. 10. disp. 18. n. 16. sic discurrit: *Existimo, non licere hoc divortium causa verberationis præteritæ, quantumvis atrocis, si casu ex insolito iræ ac perturbationis motu viri contigerit, nec probabilis timor ejusmodi punitionis exercendæ in posterum subsit. Nam causa hujus divortii ex solo damni futuri timore proficiscitur. Cujus signum est, teneri uxorem divertentem causa sævitiæ redire ad virum data sibi sufficiente incolumitatis futuræ cautione.* C. *Litteras.* & C. *Ex transmissa. de restit. spoliat. Ergo ubi attenta viri consuetudine, ejusque à natura indito ingenio excessus ille inopinatus fuit, non erit justa divortii, ac petendæ cautionis causa. Adde, ex unica verberatione minimè sævitiam concludi, ut bene docent ROLANDUS, & multis aliis relatis RIMINALUS JUNIOR. Præterea, quia ad prolandum, solitum quempiam esse minas exequi, quo minæ incutiant metum viri constantis, non satis est unicus executionis actus, ut probavi l. 4. d. 1. Unde merito HENRIQUEZ exegit molestam cohabitationem, rixas, & discordias, quæ omnia assiduitatem quandam important.* Ita SANCHEZ, qui tamen addit: *duos sævitiæ actus* sufficere ad probandam consuetudinem; imo etiam *unicum sævitiæ actum, si ex unica verberatione conjectura probabilis attenta mariti natura sumi possit, fore, ut in posterum similiter sæviat.*

De secundis Nuptiis.

QUÆRITUR 29. An secundæ Nuptiæ debeant benedici?

RESPONDEO 1. Si mulier secunda vice nubat, ejusmodi nuptiæ non sunt benedicendæ.

RESPONDEO 2. Si tantùm vir secundò nubat, ejusmodi nuptiæ debent benedici, ubi consuetudo sic tulerit.

RESPONDEO 3. Nisi consuetudo sic ferat, ne quidem nuptiæ viri secunda vice nubentis benedicendæ sunt. Ita præscribit RITUALE ROMANUM Tit. 41. §. XV. his verbis: *Caveat Parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi viget ea consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.*

QUÆRITUR 30. Quæ sit ratio prohibendi benedictionem in secundis nuptiis?

RESPONDEO: Ratio hujus prohibitionis juxta D. THOMAM in 4. dist. 42. q. 3. art. 2. ad 2. est, quia in hujusmodi nuptiis deficit perfecta ratio Sacramenti, hoc est, adæquata significatio seu repræsentatio symbolica unionis Christi cum una Ecclesia virgine incorrupta & nunquam desponsata alteri, nisi soli Christo. Cum tamen Christus fuerit desponsatus non solùm Ecclesiæ novæ Christianæ, sed etiam Ecclesiæ veteri, rectè toleratur consuetudo, ut benedicatur vir successivè ducens duas virgines; non verò, ut benedica-

nedicatur vidua, fucceffivè ducens duos maritos; nam prout D. PAULUS ad Hebr. 13. v. 8. *Jesus Christus heri* (in V. T.) *& hodie; ipse & in sæcula.*

QUÆRITUR 31. An licitè ad fecundas nuptias ante partum admittantur viduæ impraegnatæ à marito defuncto?

RESPONDEO Negativè. Rationem fequens Differtatio dabit.

MOTIVA

Viduas ex priori marito gravidas arcendi usque ad partum à fecundis nuptiis.

MOTIVUM PRIMUM.

Ex Confuetudine Romana.

Certum eft, in Urbe repelli ufque ad partum à fecundis nuptiis viduas ex priori marito gravidas. Ita enim expreffe anno præterito teftatus eft Reverendiffimus D. D. de Roffi, Vicegerens in Urbe, quem per amicum meum confulueram: *Praxin esse in Urbe de non copulando, nisi post partum Sponsæ ex priori matrimonio gravidæ.*

Hanc confuetudinem Romanam conftanti obfervantia viguiffe ab ipfis temporibus Apoftolicis prudenter dubitari nequit. Nam inprimis certum eft, ut infra monftrabitur, ejusmodi viduarum nuptias ante decimum ab obitu mariti menfem probibitas fuiffe à Legibus Romanis Civilibus jam ante Chriftum natum, eamque prohibitionem poft Evangelii promulgationem non folum perduraffe, fed etiam ab ipfis Chriftianis Imperatoribus Sæculo IV. ex VI. auctam ac feveris pœnis in fuo vigore ftabilitam fuiffe.

Cum ergo Chriftiani Legum Imperialium, honeftati & æquitati conformium, fuerint obfervantiffimi, indubium eft, confuetudinem arcendi à nuptiis ex priori marito gravidas Romæ à temporibus Apoftolicis ufque ad Sæculum VI. viguiffe.

Ex eo tempore nulla unquam illius honeftiffimæ Legis in Urbe fubiit aut oblivio, aut abolitio; abrogationem enim talium legum, habentium ufum continuum, fi quando per non obfervantiam paucorum in publico omnium confpectu incipit invehi; concomitantur plerumque plurium pro Lege zelantium querelæ ftrepidæ; refiftunt fubrepenti defuetudini vigilantium paftorum cohortationes aut comminationes feriæ; de quibus tamen nulla in Documentis Ecclefiafticis circa vacillationem hujus Legis in Urbe extant veftigia.

Denique, fi fupponeretur illa vetus obfervantia aliquando poft Sæculum VI. extincta fuiffe in Urbe, reductio ad vigorem priftinum non potuiffet facile introduci fine pofitiva Conftitutione Summi Pontificis aut Concilii. Cum ergo nulla ejufmodi extet Conftitutio, præfumendum, eam, quæ nunc viget Romæ, hac in re confuetudinem, nulla unquam novatione introductam, fed ab antiquo continua obfervatione confervatam effe. Hoc

CONFIRMATUR ex eo, quia Theodorus Archiepifcopus Cantuarienfis in Anglia, qui fcripfit Sæculo VI., in fuo Pœnitentiali c. 11. tantum poft annum luctus permittit mulieribus viduis novum conjugium. Cum ergo Angli Sæculo VI. exeunte fuas Leges cum fide à D. GREGORIO M. acceperint, fignum eft, etiam Romæ in Ecclefia Leges illas Imperiales de fervando annuo luctu viguiffe.

Textum Theodori reperies Motivo VII. Jam verò, quantum ad dirigendas reliquas Orbis Ecclefias valeant Romanæ Confuetudines, repetitæ à temporibus Apoftolicis, lucefcit ex authenticis Romanorum Pontificum Decretalibus, in quibus variantes quoad Difciplinam Ecclefias ad uniformitatem dirigunt ex obfervantia antiqua Romanæ Ecclefiæ. Ut unum è multis feligam, illuftre bujus Oeconomiæ directivæ exemplum habemus in Epiftola 1. INNOCENTII I. ad Decentium Eugubinum, ubi fic fcribit: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis Ordinibus & Consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas, humana præsumptione corruptas, putant, sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id, quod à Principe Apostolorum, Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde videatur habere exemplum? Præsertim, cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes, aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quodsi non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe Dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem, si Prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non, quod te aliqua ignorare credamus, sed ut majori authoritate vel tuos instituas, vel si qui à Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus, qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam.* Ita Innocentius I.

Tota hæc commonitio congruit præfenti quæftioni in Ecclefiis Germaniæ, quæ & ipfa fuos Ecclefiarum fundatores in Valentino Paffavienfi, Ruperto Salisburgenfi, Bonifacio Moguntino &c. &c. à Romana Sede accepit. Merito ergo revocandæ ad eas confuetudines antiquas, quas conftat Romæ à temporibus Apoftolicis jugiter fuif-

 fe

se custoditas, præsertim in iis materiis, in quibus periculum est, impingendi in Legea Naturæ, & in bonum prolium, familiarum & gentium, prout contingit in præsenti, sicut infra monstrabitur.

MOTIVUM II.

Ex consuetudine uniformi politiorum Urbium.

Eandem consuetudinem, quæ in hoc puncto viget Romæ, deprehendi etiam vigere in bene institutis urbibus, v. g. Venetiis in Italia, & Augustæ Vindelicorum in Germania.

Scripsi Venetias A. R. D. Danieli Concina, celebri Scriptori Ordinis Prædicatorum, rogans, ut me informaret de praxi Veneta. Rescripsit, se multos consuluisse suæ urbis Parochos; testabantur uniformiter, à se nullas ad contrahendum ante partum admitti viduas ex priori marito gravidas. Interrogavi Augustæ R. D. Pro-Vicarium Cathedralis Parochiæ, quid moris in hac materia? Respondit, stupidum esse, has copulationes concedere; se jam per triginta quatuor annos in Parochia Cathedrali obire Parochialia munia, nullam tamen à se unquam ad secundas nuptias ante partum admissam esse prægnantem viduam, extare etiam in sua urbe specialem inhibitionem Magistratus Civilis, quamvis ex Lutheranis & Catholicis compositi, ne ante partum ad secundas nuptias reciperentur ejusmodi viduæ. Adeo nempe vel ab ipsis hæreticis agnoscitur, praxim contrariam repugnare honestati naturali, & bono publico.

Jam ex hac uniformitate liberrimarum alioquin urbium infero, observantiam, de qua hic agitur, non pertinere ad disciplinam arbitrariam, ac mores cuivis genti aut Reipublicæ liberos, sed ad Legem naturalem aut divinam ab antiquo traditam. Ut enim rectè observat TERTULLIANUS: *de Præscriptionibus adversus hæreses* c. 28. *Ecquid verosimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus. Variasse debuerat error. Doctrina Ecclesiarum. Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Pari ergo ratione dicere licebit: Quod in tam diversis, alioquin liberrimis urbibus contrarium libertati civium naturali uniformiter, ac sine motivo commodi temporalis nullo apparente vestigio novæ Legis ab antiquo custoditur, *non est erratum, sed traditum*, vel per principia omnibus lumine naturali indita honestatis naturalis, vel per majorum institutionem.

MOTIVUM III.

Ex antiquis Romanis Legibus.

Constat ex variis veterum Scriptorum testimoniis, Romanos jam ante Christum interdixisse fœminis fecundas nuptias, priusquam complerentur decem menses ab obitu defuncti conjugis. Hæc Lex non solum in suo vigore usque ad tempora Christianorum Imperatorum perstitit, sed ab his etiam innovata, severis pœnis communita, & adjectione duorum mensium aucta est. Determinata decem mensium præfixio ostendit, Legislatores respexisse ad certitudinem & incolumitatem prolium; atque ad maritorum securitatem, ne adulteris uxoribus machinandi in maritorum mortem ex spe novorum festinatorum conjugiorum præberetur occasio. Verum quidem est, solam causam luctus, impendendi defuncto conjugi, pro cohonestanda ad populum Lege prætensam fuisse in publico, sed circumstantia ad decem menses protensi temporis, & insolita Legis severitas ostendit, ponderosius fuisse motivum, quam indifferentem pro bono Reipublicæ statu luctus cæremoniam; nec aliud dignum tanta severitate est assignabile motivum, nisi dicatur, secretiori motivo fuisse prospectum bono prolium, maritorum, familiarum, & Reipublicæ.

Jam ex his sic arguo: Lex, quam sic exigit bonum prolium, familiarum & conjugum, ut constanti judicio Legislatorum, etiam Gentilium, censeatur jugiter urgenda severis pœnis, nullo exinde redundante in Legislatores commodo luceri aut gloriæ, censenda est Reipublicæ ad magnum communis utilitatis eximiæ partem necessaria; adeoque, si damnum boni communis simul concurrit cum periculo animarum & delictorum, etiam urgenda à Pastoribus Ecclesiæ; sed talis est Lex arcendi usque ad partum à fecundis nuptiis viduas ex priori matrimonio gravidas, prout ex Legibus Romanis bene perpensis cuivis potest esse manifestum. Nam

Primo. Quod jam ante Christum ea Romanorum Lex viguerit, testatur Ovidius l. 1. *Fastorum* his versibus:

Tempora dirigeret cum conditor Urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Quod satis est utero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Secundo. Seneca l. *de Consolatione.* Num. 192. Helviam viduam consolaturus dicit: *Majores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt.*

Tertio. In *Codice* l. 5. tit. 8. *de secundis Nuptiis* extant sequentes leges: Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Augustorum.

„Si qua mulier nequaquam luctus Religionem „priori viro nuptiarum festinatione præstiterit, „ex Jure quidem notissimo fit infamis; præterea „secundo viro ultra tertiam partem bonorum in „dotem non det, neque ei ex Testamento plus „quam tertiam partem relinquat. Omnium præterea hæreditatum, Legatorum, Fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, mortis „causa donationum fit expers. Hæc namque omnia ab hæredibus vel cohæredibus, aut ab intestato succedentibus vindicari jubemus, ne in „his, in quibus (NB.) correctionem morum inducimus, Fisci videamur habere rationem. — „Eandem quoque mulierem infamem redditam „hæreditates ab intestato vel legitimas, honorarias, non ultra tertium gradum sinimus vindicare.

Iidem Augusti statim subsequente anno, nempe anno 381. scripserunt aliam legem hujus tenoris: *Si qua ex fœminis perdito marito intra anni spatium*

tium alteri festinaverit nubere (parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus; tametsi idipsum exiguum putemus) *probrosis insita notis honestioris nobilisque personæ decore ac jure privetur, atque omnia, quæ de prioris mariti bonis vel jure sponsalium vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat.*

Similiter Justinianus Imperator Collat. 4. Novella 22. c. 22. de secundis Nuptiis anno 536. sic decernit: *Si* (mariti post mortem uxorum) *sine liberis manserint ex prioribus, aut etiam ex ambabus nuptiis sine filiis manserint, nulla perscrutatio circa nuptias secundas est; sed viri quidem ibunt omnino omni observatione liberi. Mulieribus autem solummodo imminebit metus, ut non ante annale tempus ad secundum veniant matrimonium: aut sciant, si quid tale gesserint, & immaturas contraxerint nuptias, subibunt pœnas, alias quidem si sine filiis ex prioribus sint matrimoniis; majores autem si & filii sint, si enim non est soboles, infamia mox sequetur, & erit omnino mulier propter nuptiarum festinationem infamis, & neque percipiet aliquid borum, quæ à priore relicta sunt ei consortio; neque fruetur sponsalitia largitate; neque marito secundarum nuptiarum ultra tertiam suæ substantiæ offerat partem; sed neque extrinsecus sentiet largitatem; neque percipiet penitus ab ullo extraneorum, non hæreditatem, non fideicommissum, non legatum, non mortis causa donationem; sed hæc veniant, aut maneant apud hæredes defuncti. Non enim Fiscus hæc vindicabit, ne aliquo modo videamur talia corripientes Fisci providere utilitati. Si vero ei fuerint filii cujuscunque sexus, licebit quidem ei Imperatori pro infamia supplicare, non tamen utilitatem aliquam & refectionem habere. --- Igitur eminentes pœnæ ante luctus tempus nubentibus tales quodammodo sunt, & tres pro bis Constitutiones prius scriptas una quadam hac interpositione hæc nobis lex competenti protulit adjectione.* Hucusque Leges Romanæ.

Cum ergo pateat, Leges fuisse severissimas, nec verosimile sit Imperatores Christianos severitatem veterem Gentilium etiam exacuere voluisse præcise in gratiam alicujus cæremoniæ inutilis, consisteotis in profano luctu, præsumendum est, eos pro motivo ante oculos habuisse urgens bonum prolium, maritorum, familiarum, & Reipublicæ; quod motivum, cum semper urgeat, urgenda est lex, saltem quoad substantiam, ab omnibus, à quibus potest urgeri; quia tuitio honestatis naturalis & boni communis omnium fidei commissa est.

MOTIVUM IV.

Ex Alcorano Mahometis.

Turpe foret, majorem honestatem in Alcorano præcipi, quam urgeatur, aut curetur in Ecclesia Catholica. Jam vero constat, ab ipsomet Pseudo-Propheta in suo *Alcorano* viduis ex priori marito gravidis probiberi secundas nuptias, saltem ante lapsum quatuor mensium & decem dierum; quod voluptuarius ille non præciperet, nisi consideraret generale periculum prolium, aut earum incertitudinem. Juxta editionem P. Maraccil Alcoranus Sura 2. Num. 235. sic habet: *Qui defunguntur ex vobis, & relinquunt conjuges, expectabunt eadem conjuges in semetipsis sine novis nuptiis quatuor menses & decem dies, cumque pervenerint ad terminum suum, transacto hoc tempore, quo debent expectare, non erit piaculum super vos, o Curatores earum, ob id, quod facient in semetipsis cum noto* (id est, adornando se &, quærendo novas nuptias convenienter & honeste:) *Et non erit piaculum super vos pro eo, quod manifestaveritis animum vestrum de appetitione novi connubii mulierum, verum, ne promittatis eis, neque alloquamini eas occulte, nisi dicatis notum* (id est, nisi verbis honestis) *& ne decernatis nexum conjugii, donec perveniat Scriptura ad terminum suum* (id est, donec absolvatur quatuor menses præscripti.)

Quod Mahometes hac sua lege quatuor mensium & decem dierum intendat bonum prolium, & cavere velit periculum generale abortuum colligitur ex eo, quia ut testatur Albertus Magnus in 4. sent. dist. 31. art. 32. in Responsione ad object. 20. matrix, quamvis in conceptione claudatur, aperitur tamen quandoque ob motum ex delectatione provenientem, & *præcipue ante primos quatuor menses, antequam Embria radicentur.*

Si ergo nec Mahometes ausus est totaliter tollere Legem Romanorum de annuo viduarum, luctu, non decet, ut permittatur liberrime, sine ullo discrimine mensium, infringi privatorum audacia.

MOTIVUM V.

Ex consuetudine animalium.

D. Ambrosius lib. 5. & 6. *Hexameron* fuse & eleganter ab inductione ostendit, varia, quæ in animalibus apparent ingenia sic à sapientissimo Conditore esse ordinata, ut in iis, tanquam in obvio speculo habeamus viva exempla virtutum, quas imitemur, ac vitiorum, quæ detestemur; connaturale enim est humano genio, ut, ea, quæ in animalibus morum elegantia placent, ad imitationem commoveant atque incitent; ea vero, quæ ex excessu horridorum vitiorum horrorem insitum movent, ab ipsis etiam vitiis quam longissime quasi vi repellant. Ubi & illud observo, eos animalium mores, qui omnibus, aut fere omnibus communes sunt, in genere insitarum virtutum censendos; vitia autem, qua animalibus insunt, non omnibus communia, sed ad spectaculum horroris in individua divisim dispertita esse; ut proin ex hac ipsa regula, quid ex animalibus discendum ad imitationem aut detestationem, dignosci queat. Quod enim ab omnibus animalibus servatur, censendum est, pertinere ad constantes atque immutabiles honestatis à Deo inditæ leges; quod vero uni solum aut alteri inest, conspicuam quamdam eminentiam virtutis aut vitii monstrat: consequenter, ubi non aperte virtutem refert, ad defectum vitii referendum est; natura namque non in omnibus aut in plerisque, sed tantum in paucis deficit. Hinc & Ulpianus ff. lib. 1. tit. 1. num. 3. dicit: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune est.*

Ac certe id non incongrue observat Ulpianus; cum enim lex sit ordinatio rationis ad bonum

num commune; & ordo rationis necessario univoce aut analogice idem fit in Sapientia Dei incommutabili, & in intellectu humano, & in artefactis Divinæ sapientiæ, humanæ naturæ consimilibus, nempe in animalibus, clarum est, Legem naturalem congruentem naturæ animali in homine ex uniformi animalium consuetudine disci posse. Hoc ergo præstabilito principio, dicendum, nuptias fecundas fœminarum ex priori marito, aut alio viro gravidarum repugnare Legi naturali, quia omnium scriptorum testimonio nullum animal, in quo non est locus superfœtationi, post semel impletum uterum admittit coitum frustraneum cum alio masculo sui generis, prout ostendi ex inductione textuum in quæstione: *an liceat coitus cum prægnantibus?* Sola equa ab hac omnium reliquarum animalium observantia excipitur; sed eo ipso juxta superius datam regulam, hoc in vitio deputandum, quia uni soli animalium speciei inest, non ad apertam commendationem virtutis: ergo in spectaculum horroris; ob quod & Scriptura eo intendens dicit: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Psalm. 31. & Tobiæ c. 6.

De consuetudine autem animalium, ut unum vel alterum Scriptorum testimonium afferam, testantur 1. ORIGENES in Genesin Homil. 5. *Et pecora sciunt, cum conceperint, ultra non indulgere maribus copiam sui.*

2. LACTANTIUS lib. 6. Instit. c. 23. *Cum Deus cæteras animantes suscepto fœtu maribus repugnare voluisset, solam omnium mulierem patientem viri fecit.*

3. D. HIERONYMUS lib. 2. contra Jovin. cap. 30. *Imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos.* Et in Epist. ad Titum cap. 2. *Quod in animalibus & bestiis ipso naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant &c.*

4. D. AMBROSIUS in Luc. cap. 1. *Pecudes quoque, uti semel senserint genitali alvo semen receptum, jam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt.*

MOTIVUM VI.

Ex praxi veteris Ecclesiæ, prohibentis, & in Sacramento pœnitentiæ punientis coitum cum uxore gravida.

Si vetus Ecclesia ne quidem ipsis maritis permisit coitum cum uxoribus manifeste gravidis, multo minus indulserit nuptias de novo contrahendas cum viduis gravidis: difficilius namque est arceri à jure quæsito, quam repelli à jure noviter quærendo. Quod autem vetus Ecclesia, saltem sæculo VII. VIII IX. & X. in Sacro Tribunali pœnitentiæ castigaverit coitum cum uxoribus manifeste gravidis, saltem post motum infantis in utero, ac tribus ultimis ante partum mensibus, patet ex variis Pœnitentialibus, quorum textus retuli Quæstione, *de usu conjugii cum uxoribus gravidis* Probatione 1. §. 3. num. 11.

MOTIVUM VII.

Ex Decretis Ecclesiasticis.

Quod Leges Imperiales Juris Romani de non contrahendo intra annum luctus matrimonio receptæ, atque ad observantiam traductæ fuerint usu Ecclesiastico, probatur ex Pœnitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis sæculo VII. exeunte, ubi c. 11. *de Quæstionibus Conjugiorum* sic habetur: *Muliere mortua licet viro post mensem alteram accipere; mortuo viro post annum licet mulieri alterum tollere virum.*

MOTIVUM VIII.

Ex ratione.

Si Ecclesia conciliat matrimonium gravidarum viduarum cum novis maritis, sequuntur quinque inconvenientia, quorum complexum majus generi humano & Ecclesiæ invehit malum ex permissione, quam est bonum ex prohibitione earum nuptiarum; ergo hæ nuptiæ per leges prudentiæ legislativæ sunt prohibendæ; quia sine dubio prudentiæ est, eligere minus malum, si excessus mali majoris non compensetur eminenter majoribus bonis. *Antecedens probatur.* Nam sequitur

Primo. Incertitudo prolis, si contrahatur cum vidua primis quatuor post obitum mariti mensibus. Nam, prout Panormitanus in c. *Cum secundum Apostolum, De secundis Nuptiis*, cum aliis Doctoribus observat, si talis vidua contractis secundis nuptiis pariat undecimo mense post obitum prioris mariti, infans poterit adhuc esse prioris mariti; & vicissim, si pariat septimo mense post contractas novas nuptias, poterit infans adhuc esse secundi mariti; cum mulieres perfectum fœtum possint eniti septimo, nono, & etiam adhuc undecimo mense. Et hinc ipse Panormitanus fatetur, in praxi sic judicandum esse, ut talis vidua nubens intra annum luctus incurrat pœnas statutas in favorem liberorum (utique etiam incertorum) ex priore matrimonio.

Communiter, inquit, *Doctores sic distinguunt, quod pœnæ impositæ in odium secundi matrimonii propter festinationem, quia voluit contrahere intra annum luctus, sint sublatæ; sed bene appositæ favore filiorum non sunt hodie sublatæ. Et cum hac opinione videtur transire Bartolus & Glossa. Reperio Baldum referentem, quod Raînerius de Forlivio solemnis Legis Doctor, & Paulus de Leaza, Doctor Decretorum satis famosus consuluerunt, quod si oritur incertitudo prolis, habent locum omnes pœnæ legales, ut quia mulier peperit undecimo mense post mortem mariti, nam potest tribui primo & secundo, quia in nono & septimo potest mulier producere fœtum completum, & sic mulier volens evitare illas pœnas, debet saltem differre per tres menses. Eam opinionem sequitur Petrus de Anchario, & videtur prima fronte hæc opinio multum probabilis. Nam ex causa interdicitur ad tempus usus matrimonii contracti: fortius (ergo) ex causa potest matrimonium contrahendum impediri. Sed judicio meo ista litera multum obstat. — In judicando tamen vel consulendo grave esset recedere à communi opinione Doctorum, quam non reperio in* ...

pr

per aliquem violatam; & ideo non attentarem venire contra opinionem Doctorum tantorum.

Hucusque Panormitanus, qui scripsit sæculo XV. ex quo sequitur, saltem tribus post obitum mariti mensibus constanter usque ad sæculum XV. fuisse praxin, arcendi tales viduas à secundis nuptiis.

Secundo. Sequitur periculum abortuum multiplicium, nam, ut habet Albertus Magnus, in 4. dist. 31. art. 3. ex coitu etiam consueto maritorum cum conjuge prægnante oriuntur frequenter abortus. Quanto ergo facilius oriuntur ex novo coitu cum novo marito, ubi delectatio est major, & spirituum in matricem transpiratorum commixtio facilius movet novam affectionem aut sensationem peregrinam in Embrione. *Dicendum*, inquit, *videtur, sicut dixit Avicena in l. de naturalibus, quod motus matricis causatur ex delectatione in coitu; motus autem & delectatio simul faciunt matricis dilationem & apertionem; & tunc frequenter effunduntur semina & Embria concepta.*

Jam si ex centum matribus tantum una ob eam causam patiatur abortum, quod facile contingit, & non est alienum ab experientia, prodeunt singulis annis multa Embrionum millia, æternum exclusa à regno Dei.

Tertio. Licentia festinandi ad novas nuptias uxoribus lascivis addit incitamentum adulterandi, & machinandi in mortem maritorum. Eadem occasio redditur pronior adulteris viris spe contrahendi sine strepitu & rumore cum uxore imprægnata alterius mariti. Si enim viduæ gravidæ coguntur expectare usque ad partum ut admittantur ad novas nuptias, facilius utique reteguntur earum adulteria, aut machinationes in necem maritorum.

Quarto. In iis Regionibus, ubi pactis nuptialibus solet inseri, ut si maritus decedat sine hærede, dimidium dotis restituatur propinquis defuncti, prout moris est in Bavaria, viduæ relictæ facile eluderent onus restituendi dimidium dotis, contrahendo celeriter novas nuptias, & afferendo, se esse gravidas ex primo marito, cum tamen sint gravidæ ex secundo. Novi, ejusmodi casus non esse mere speculativos, sed practicos.

Quinto. Si licitæ forent tales nuptiæ, liceret, ex instituto quærere coitum cum uxore gravida non concurrente motivo necessitatis ex pruritu seminis non libero; imo ea sententia per hanc praxin notoriam approbaretur ab Ecclesia. Sed hoc dici nequit, ut patet ex quæstione: *De usu matrimonii cum uxore gravida.* Major autem probatur ex communi sensu taliter contrahentium & copulantium, nam hi non prohibent sic copulatis usum matrimonii usque ad partum, & illi eo animo contrahunt, quo putent sibi statim post contractum solemnem nuptialem esse licitum usum matrimonii.

Hæc igitur sunt mala, quæ facile sequuntur ex permissione ejusmodi conjugiorum. Econtra non possunt assignari bona gravis momenti, ex his nuptiis consequentia, ac Reipublicæ vel saluti animarum valde proficua, quibus compensentur illa mala, prout liquebit ex solutione objectionum.

DICES 1. Canonistæ jam à quinque sæculis passim permittunt secundas nuptias uxoribus viduis sine ulla distinctione mensium ab obitu mariti, aut gestationis uteri: Ergo, cum Canonistæ repræsentent praxin Ecclesiæ, secundæ nuptiæ mulieribus viduis sine ulla exceptione mensium aut status ex gestatione prolis admittendæ sunt.

Idem CONFIRMATUR ex simili indistincta indulgentia Summistarum, seu Theologorum moralium à quinque sæculis.

Item ex Concilio Beneventano Provinciali Sexto, celebrato anno 1374, ubi tit. 10. de Sacramento Matrimonii c. 70. dicitur: *Uxor non potest cum alio contrahere, donec sit certa de morte mariti, & post probationes nubere potest etiam infra tempus luctus, & absque nota infamiæ.*

RESPONDEO: Canonistas permittere ejusmodi nuptias, ut possint contrahi impune in foro externo; non autem, ut possint contrahi licitè in foro interno; de hoc enim foro agere non est eorum fori. Quod si aliquando respicerent ad forum internum, loquuntur de viduis non gravidis ex primo marito, aut si loquuntur etiam de his, non consentiunt inter se, prout patet ex Panormitano; aut ubi consentiunt etiam de gravidis, solum docent, ejusmodi matrimonia posse contrahi valide sine peccato mortali, scilicet per *indulgentiam Apostolicam*, quamvis non sine veniali: Et hic potissimum erat status Quæstionis ante Tridentinum.

Cæterum, quod permissio ejusmodi nuptiarum facta non fuerit tunc temporis cum intentione contrahentes eximendi à peccato veniali, colligitur ex ipso Concilio Beneventano, dum usum matrimonii cum gravida non eximit à peccato veniali: nam Tit. 10. cap. 31. de actu conjugali sic habet: *Aliquando commiscentur conjuges causa prolis suscipiendæ, aliquando causa reddendi debitum, aliquando causa incontinentiæ, sive vitandæ fornicationis, aliquando causa exsaturandæ libidinis. Imprimo & secundo casu nullum est peccatum; in tertio est veniale; in quarto mortale. Sed nec propter sanitatem corporalem cognoscenda est uxor; imo est peccatum, quia quæreretur sanitas per id, quod ad id non est ordinatum. Tempore imprægnationis, si sine periculo abortus fieri possit, & potest debitum à gravida reddi, & etiam exigi sine peccato mortali, alias non.* Ita Concilium, seu potius Liber Synodalis in Concilio præscriptus.

DICES 2. Obtinet universim praxis Ecclesiæ, ut defloratæ gestantes uterum permittantur contrahere cum deflorante, non expectato partu: ergo eadem licentia tribuenda est viduis gravidis ex priore marito; quia non minus matrimonium defloratæ gravidæ cum deflorante est occasio ad novos coitus venialiter illicitos, quam copulatio viduarum prægnantium; neque est ratio, cur Ecclesia minus censeatur per copulationem approbare ejusmodi connaturales sequelas in conjugio viduarum prægnantium, quam per copulationem defloratarum prægnantium.

RESPONDEO transmisso antecedente, quod tamen credo esse falsum, nullam exinde trahendam esse consequendam ad conjugia viduarum prægnantium, quia in conjugio defloratarum non concur-

concurrit complexum tot malorum, quod concurrit in conjugio viduarum. Neque enim concurrit in illo *incertitudo prolis*, neque *tantum periculum abortus* ex commixtione feminum & fpirituum habentium diverfas qualitates fpecificas, idoneas ad alterandam fobolem, & commovendam vel aperiendam matricem, neque *periculum machinandi in necem* prioris mariti, neque *periculum defraudandi propinquos* defuncti mariti reftitutione Dotis. Itaque, etiamfi in nonnullis locis ad cavenda majora mala conjungantur defloratæ gravidæ cum deflorantibus, relinquendo eorum confcientiæ, an & qua lege, aut moderatione cenfeant continentiam fervandam ufque ad partum; id tamen in vidnis prægnantibus admittendum non eft, in quibus, fi differantur ufque ad partum, non timentur illa majora mala defloratarum, *fuffocatio fœtus*, ex timore proftitutionis, *derelictio aut fuga* deflorantis, *fornicationum frequentatio*, *familiarum in domo paterna perturbatio perpetua* &c. Sed potius fi non differantur, timentur gravia mala, prout oftenfum eft.

DICES 3. Apoftolus 1. Cor. 7. & Rom. 7. permittit viduis nubere fine exceptione loci, temporis, ftatus, aut alterius circumftantiæ: Ergo ftatim poffunt nubere, etfi fuerint gravidæ.

RESPONDEO: Apoftolum dare licentiam fuppofitis fupponendis, id eft, nullo alio interveniente impedimento Juris naturalis vel pofitivi. Ejufmodi enim conditiones per fe inexiftentes in Lege rationabili cenfentur effe tacite imbibitæ in omni Lege. Sic & Apoftolus non exprimit conditionem temporis Jure pofitivo requifitam, cum utique non liceat contrahere tempore prohibito; neque excipit alia impedimenta, impedientia aut dirimentia, quia inferri queat, viduas per licentiam Apoftolicam volare poffe ad fecundas nuptias non attentis illis impedimentis.

DICES 4. Quod nullo jure reperitur prohibitum, licet: Sed nullus adduci poteft Canon: aut Conftitutio prohibens ejufmodi viduarum gravidarum nuptias.

RESPONDEO: In iis, quæ prohibentur Legibus Civilibus, ab Ecclefia ufu receptis, non effe Confuetudinis Ecclefiafticæ, fpeciali Canone eadem inculcare, nifi urgeat tranfgreffionum frequentia. In præfenti autem oftenfum eft, antiquas Leges Civiles, repellentes à fecundis nuptiis viduas intra annum luctus, fuiffe ab Ecclefia obfervatas primis fæculis, ac dein confuetudine cuftoditas in bene moratis urbibus; ea ergo ipfa confuetudo, præfertim Romana pro Lege fervire deberat parti minori & ignobiliori Ecclefiæ Catholicæ; cum utique confuetudinis robur à prædominante & majori parte Provinciæ aut communitatis defumendum fit.

DICES 5. Si viduis gravidis prohibetur liber tranfitus ad fecundas nuptias ufque ad partum, fequuntur magna mala.

RESPONDEO: Hæc mala tam magna non effe, ut attentione digna fint, demonftrat Confuetudo Romana, Veneta, Auguftana, &c. & totius veteris Ecclefiæ ufque ad Sæculum XIII., quo forte ex laxitate unius & alterius Canoniftæ, vel Summiftæ irrepfit in particularibus locis vel actibus contraria obfervantia.

Itaque de his malis ob evidentiam experientiæ nc quidem difputandum eft.

§. VI.

De Ufu Matrimonii.

De licito fine quoad ufum matrimonii.

QUÆRITUR 1. An licitus fit ufus matrimonii præcife ex caufa voluptatis?

RESPONDEO Negativè. Id PATET ex Propofitione 9. ab INNOCENTIO XI. damnata, quæ fic habet: *Opus conjugii ob folam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

QUÆRITUR 2. An licitus fit ufus matrimonii ex fine tuendæ vel reftaurandæ fanitatis corporalis?

RESPONDEO 1. Ufus matrimonii non eft licitus ex *folo*, aut *primario* fine tuendæ vel reftaurandæ fanitatis. Ita docent *D. Thomas*, *Paludanus*, *D. Antoninus*, *Reinerius*, *Joan. de Friburgo*, *Angelus*, *Sylvefter*, *Turrecremata*, *Abulenfis*, *Petrus de Soto*, & plures alii, inferius referendi.

RATIO eft, quia copula conjugalis neque ex natura rei à Deo tanquam Authore naturæ, neque ex natura Sacramenti à Deo tanquam Authore gratiæ fuit ordinata ad tuendam vel reftituendam fanitatem, fed ad generationem prolis. Ergo per ejufmodi ufum invertitur ordo rationis divinitùs inftitutus, quæ inverfio ordinis non eft fine peccato veniali.

RESPONDEO 2. Licitus tamen eft ufus matrimonii ex fine arcendi morbum periculofum proli in utero matris, vel morbum notabiliter corruptivum potentiæ generativæ in patre. Tales morbi in mulieribus funt *paffio hyfterica* feu *uterina*, quæ oritur ex vehementi concupifcentia coitus, feu commotione fpirituum genitalium, quantumvis involuntaria; item corruptio feminis in viris, quæ oritur ex frequenti ac violenta retentione feu fuppreffione jam emoti feu ebullientis feminis, quantumvis illa emotio feu ebullitio feminis exæftuaverit naturaliter absque culpa, fueritque involuntaria tam in fe, quàm in fua caufa, aut certè culpa per contritionem jam fit retractata.

RATIO eft, quia hic ufus matrimonii ordinatur ad finem matrimonii, nempe ad generationem prolis, faltem mediatè. Ita difcurrit, quamvis in fenfu nimis largo, SANCHEZ l. 9. difp. 10. n. 3. his verbis: *Ufus conjugalis nulla eft culpa, quando aliud medium aptum non invenitur ad inftaurandam, tuendamve falutem*, (corporalem). *Tunc enim nulla eft perverfio debiti ordinis, cum in eo fine bonum prolis ac fidei, quamvis remotè, includantur. Conjux enim bona utens valetudine aptior eft proli generandæ, ac debito reddendo. Ubi verò aliud medium conveniens occurrit, erit culpa venialis.* n. 5. *Ad argumenta prioris fententiæ, dum Sancti Patres folius prolis gratia aut debiti reddendi admittunt conjugalem ufum licere, dic, talem actum conjugalem reduci ad bonum prolis & fidei. Confert enim fanitas ad filiorum procreationem, reddendumque*

dumque debitum. ---- *Fateor tamen, hunc usum conjugalem non vacare culpa, ubi in sanitate sistitur, tanquam in fine principali.*

Quæritur 3. An usus matrimonii sit licitus ex solo fine incontinentiæ seu fornicationis vitandæ?

Respondeo 1. Usus matrimonii *per se* non est licitus ex solo motivo vitandæ incontinentiæ seu fornicationis.

Ratio est, quia SS. Patres, & Theologi veteres ferme universim docent, usum matrimonii tantùm esse licitum in ordine ad finem naturalem matrimonii, nempe ad generationem prolis. Ergo ubi hic deest, ita ut usus matrimonii nec immediatè nec mediatè ad hunc serviat, non potest esse licitus.

Respondeo 2. Potest tamen aliquando usus matrimonii ex motivo vitandæ incontinentiæ seu fornicationis reddi licitus *per accidens*, quando semen invito libero arbitrio exæstuans incurrit corruptionis periculum, nisi exoneretur per usum conjugii.

Ratio est, quia corruptio seminis inducit corruptionem vel notabilem deteriorationem virtutis generativæ. Ergo, cum motivum conservandi à corruptione vim generativam sufficiat ad usum licitum matrimonii, etiam motivum vitandæ incontinentiæ licitum erit aliquando per accidens, quando concurrit periculum, ex retentione seminis invito libero arbitrio exæstuantis corrumpendi vim generativam, prout in qq. præced. ostensum est. Hanc responsionem quoad rem adoptasse practicè videntur illi Authores, quos allegat & sequitur Sanchez l. 9. disp. 9. n. 4. his verbis: *Tertia sententia, cui adhæreo, affirmat; tunc culpa vacare petitionem debiti causa vitandæ fornicationis in ipsomet petente, quando adhibitis aliis mediis nequit carnis stimulos sedare; secus quando potest convenienter alio modo ab incontinentia abstinere. Tunc enim erit veniale; quia ubi alia media convenientia ad finem assequendum occurrunt, venialis perversio est debiti ordinis, medium de se ordinatum ad prolis generationem, & fidem servandam, in illum finem referre. Ideo hujus sententiæ sunt Paludanus, Gabriel, Capreolus, D. Antoninus p. 3. Tit. 1. C. 20. §. 11. Sylvester, Tabiena, Victoria, Sotus in 4. Gregorius Lopez, Ledesma, Margarita, Veracrux, Matienzo, Manuel, &c. Moderatur autem hanc sententiam* D. Antoninus *ibidem, & satis apparenter, ut* Tabiena *fatetur, quatenus ait, licitum esse, ubi moraliter aliud medium non occurrit, petere debitum gratia vitandæ fornicationis, ut intelligatur, quando non est spes prolis concipiendæ; ea enim extante semper esset venialis culpa, primariò intendere incontinentiam vitare; quia præposterus ordo est, secundarium finem præponere, ubi primarius est possibilis.* Hucusque Sanchez.

Quæritur 4. An usus matrimonii sit illicitus, quando generatio est quidem absolutè possibilis, ea tamen non intenditur, saltem primariò, sed sanitas, vel vitatio continentiæ?

Respondeo: Distinguendum esse inter *finem operis*, & *finem operantis*. Finis ipsius operis, quod agitur, est generatio prolis. Finis autem operantis est sanitas vel vitatio incontinentiæ. Solet autem in homine, se & omnia opera sua ordinante ad Deum, uterque finis intendi sine subordinatione horum finium ad invicem; licet utrumque finem, nempe generationem prolis, & sanitatem, & continentiam subordinet ex acquisito habitu *virtualiter* ad Deum. Hinc in praxi apud homines se & omnia sua ordinantes in Deum non est scrupulose urgenda talis subordinatio finium. Apud alios autem, qui non omnia sua unà secum ordinant in Deum vel alios fines à Deo actionibus præstitutos, ipse defectus hujus ordinationis operum in Deum aut fines à Deo præfixos est peccatum veniale. Exemplum habetur in statuario, sutore, sartore, &c. Nam hujusmodi homines sua opera, puta statuam, calceum, vestem, ex habitu artis ordinant virtualiter ad ornatum domus, calceationem, vestitionem; licet ex privata intentione operantis explicitè solùm moveantur ex lucro, & solùm intendant lucrum.

Quæritur 5. An usus matrimonii semper sit licitus ex parte reddentis debitum præcise ex motivo reddendi debitum?

Respondeo: Talis usus ex parte reddentis debitum non est semper licitus; si enim petens debitum illicitè petat, poterit aliquando etiam per cooperationem peccari reddendo debitum. Itaque in hac re observandæ sunt Regulæ sequentes.

Regula 1. Quando malitia actus conjugalis se tenet *ex parte ipsius actus*, ita ut sit ipsi actui moraliter intrinseca, non licet reddere debitum.

Ratio est, quia talis redditio debiti foret quædam cooperatio ad malum. Sic si maritus petat debitum in loco sacro, in loco publico, cum periculo abortus, cum periculo opprimendi infantem in utero, cum periculo profundendi semen extra vas debitum, &c. non licet conjugi reddere debitum; quia hæ circumstantiæ se tenent ex parte actus, vitiantque actum Jure naturali.

Regula 2. Quando malitia actus conjugalis se tantùm tenet *ex parte ipsius petentis*, ita ut malitia non sit ipsi actui moraliter intrinseca, sed tantùm interna ex parte petentis, usus conjugii est licitus ex parte reddentis debitum.

Ratio est, quia reddens debitum non potest esse physicè certa de prava intentione petentis; nec tenetur agere Judicem circa intentionem internam operantis. Hinc etiamsi petens debitum illud petat etiam ligatus voto, ex solo fine voluptatis, vel si repræsentet sibi aliam fœminam, etiamsi reddens debitum de hac prava intentione petentis sit moraliter certus, potest & tenetur reddere debitum.

Regula 3. Quando actus conjugalis malitia partim se tenet ex parte operantis, partim ex parte ipsius actus conjugalis, prout contingit, quando petens prohibetur ab usu conjugii per *notorium* impedimentum dirimens, non licet *sponte* reddere debitum.

Ratio est, quia non licet cooperari ad actum Lege Divina vel Ecclesiastica prohibitum. Hinc si debitum exigat impeditus impedimento dirimente certo, v. g. consanguinitatis, affinitatis, &c. non licet reddere debitum.

Regula 4. Quando malitia actus conjugalis non est omnino certa, sive se teneat ex parte actus, sive ex parte petentis, licitè & obligatoriè redditur debitum.

Ratio est, quia juri & obligationi certis non potest præjudicari per jus incertum. Hinc, si dubitari possit, utrum petens debitum oon fuerit interea dispeosatus circa suum impedimeotum; vel utrum non utatur Epikia, vel utrum re vera iocurrerit impedimentum, poterit & debebit reddi debitum.

Regula 5. Quando petens debitum solùm impeditur à licitè petendo, non verò à licitè reddcodo, compars tenetur petere debitum, nt non se habeat tantùm per modum reddentis, sed etiam peteotis.

Ratio est, quia natura contractus matrimonialis, qui est cootractus amicitiæ perfectæ, obligat *specialiter* contrahentes ad implendum illud Christi Matth. 7. v. 12. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & hoc facite illis.* Hinc, si conjux non audet præ verecundia, vel non potest præ voto petere debitum, comparte advertente ejus desiderium, tenetur petere debitum compars altera.

Regula 6. Si malitia actus conjugalis se tenet ex parte petentis, vel, si tenet se quidem etiam ex parte actus, ita tamen ut malitia non sit omnino certa, reddeos debitum tenetur ante redditiooem debiti monere, & hortari petentem, ut à petitione desistat, nec se peccato obstringat.

Ratio est, quia quilibet Christianus tenetur modo meliori, quo potest, impedire offensam Dei.

Regula 7. Quando malitia actus conjugalis se tenet adæquatè vel inadæquatè ex parte ipsius actus, reddens debitum peccat ex gravitate culpæ, quàm gravitatem continet ipsa malitia actus. Hinc si malitia illa actus conjugalis fuerit peccatum mortale aut veniale, etiam redditio debiti erit peccatum mortale aut veniale: & si malitia actus fuerit in genere aut specie incestus, &c. etiam redditio debiti erit in genere aut specie incestus.

Ratio est, quia cooperatio ad peccatum cootrahit genus & speciem & gravitatem peccati, ad quod fit cooperatio. Videri de hac re possunt Authores à *Sanchezio* l. 9. disp. 6. n. 7. relati.

Quæritur 6. Ao impeditus à licita petitione debiti, v. g. ligatus voto, interdicto, vel incestu, possit compartem signis aut verbis rogare, ut à se petat debitum?

Respondeo 1. Sic impeditus non potest licitè signis aut verbis compartem rogare, ut à se exigat debitum; si illa signa aut verba sint ita comparata, ut tacitè *obligent* compartem in conscientia ad petendum debitum.

Ratio est, quia taciti & expressi apud inspectorem cordium Deum eadem est vis, & ratio mereodi vel demereodi.

Respondeo 2. Impeditus voto ne quidem potest rogare, vel aliàs incitare non impeditum ad hoc, ut à se exigat debitum, etiamsi illum ad hoc non obliget.

Ratio est, quia vovens semetipsum obligat Deo ad servandam omni modo castitatem, quantum est ex se.

Respondeo 3. Impeditus præcise per legem extrinsecam à petendo debito, v. g. per interdictum Ecclesiæ, vel per impedimentum supperveniens incestus, potest manifestare comparti suam gravem tentationem, attamen absque verbis aut signis ad exigendum debitum obligatoriis.

Ratio est, qoia Lex non tam strictè obligat, ac votum; sed præsumitur præcise obligare, ne impeditus compartem obliget *ex justitia* ad reddendum vel petendum debitum, ad quod obligaretur etiam cum sua gravi molestia, si verba aut signa peteotis essent strictè obligatoria.

Quæritur 7. An impeditus à licita petitiooe debiti, v. g. voto, interdicto, aut incestu, possit illud exigere in gratiam compartis, si advertat, quod ea noo audeat vel noo possit petere debitum præ verecundia, aut voto, &c.?

Respondeo: Si advertat, comparti necessariam esse petitionem debiti ob vehementes stimulos carnis & periculum iocontinentiæ, licitè exigit debitum.

Ratio est, quia in tali casu tam Deus quàm Ecclesia censetur potius velle urgere legem charitatis, quæ est superioris ordinis, quàm obligationem Religionis, vel legis positivæ Ecclesiasticæ.

Quæritur 8. An licitus esse possit usus matrimonii cum prægnantibus?

Respondeo 1. Usus matrimonii *per se* non est licitus cum prægnantibus.

Ratio est, quia certum est ex traditione SS. Patrum & Theologorum veterum, usum matrimonii oon esse ex parte petentis licitum, nisi in ordine ad finem conjugii oaturalem, seu ad generationem prolis; Ergo cum in prægnantibus finis generationis deficiat, *per se* non erit licitum, petere à prægnante, vel ab ea exigi debitum.

Respondeo 2. Licitus tamen *aliquando* est usus matrimonii cum prægnantibus *per accidens*, quando exorti vehementes stimuli carnis neque io sua causa convenienter præcaveri, oeque in effectu per conveniens remedium impediri possunt, quin retentio violenta semiois timeatur perniciosa virtuti generativæ in parentibus, aut proli in utero.

Ratio est, quia in tali casu usus matrimonii ordinatur ad fioem suum oaturalem, oempe ad generationem prolis *saltem mediatè*, vel *etiam immediatè*.

Respondeo 3. Ex hoc tamen sequitur, quod parentibus tempore prægnatioois omnes illæ actiooes sint prohibitæ, quæ *directè* vel *indirectè* ad vehementes stimulos carnis incitant, nisi tales actiones aliunde causa honestatis, vel necessitatis, vel charitatis fuerint debitæ. Hinc sequitur; eos peccare, qui lascivis colloquiis, lascivis libris, lascivis aspectibus, lascivis comœdiis, lascivis tactibus, superfluis comessationibus & compotationibus, &c. in se vehementes stimulos carnis excitant, sicque se excusatos existimant,

ſtimant, ſi à prægnantibus debitum exigant. Niſi enim cauſam per intermedium actum pœnitentiæ retractent, ejusmodi uſus matrimonii erit ipſis liber in ſua cauſa ac volitus *per ſe*, & non *per accidens*. Quod valde notandum, atque à Confeſſariis, Concionatoribus, & Parochis in inſtructione pœnitentium conjugatorum, vel Sponſorum inculcandum eſt.

Quæritur 9. Uude probetur ex traditione, quod uſus matrimonii cum prægnantibus *per ſe* non ſit licitus?

Respondeo: Ea traditio SS. Patrum & Theologorum oſtenditur ex Quæſtione finali, nempe vigeſima quinta, inferiùs ſubnectenda.

Quæritur 10. Unde probetur, quod uſus matrimonii aliquando fiat *per accidens* licitus cum prægnantibus, quando vehementes ſtimuli carnis, invito libero arbitrio exorti, aliis remediis convenientibus ſedari nequeunt?

Respondeo: Id Probatur 1. quia, niſi in hoc ſaltem caſu uſus matrimonii cum prægnantibus foret licitus, Eccleſia non deberet tolerare conſociationem conjugatorum in eodem thoro tempore imprægnationis: eſt enim moraliter impoſſibile, ut in ſic aſſociatis floridæ ætatis non oriantur ſubin vehementes ſtimuli carnis, præſertim cum gravidæ dicantur eſſe appetentiores coitus, quàm non gravidæ. Itaque aut ſequentur frequenter pollutiones voluntariæ, vel ſequetur violenta retinentia ſeminis in viro & fœmina, pernicioſa virtuti generativæ ob corruptionem ſeminis, ac ipſis etiam prolibus in utero ob hyſtericas paſſiones in matre, quas violenta repreſſio ſeminis æſtuantis in fœminis excitat.

Probatur 2. Quia alioquin concordari nequeunt textus SS. Patrum & Theologorum inſignium, quorum aliqui omnem uſum matrimonii, niſi ordinetur ad generationem vel in bonum prolis, abſolute afferunt illicitum; alii verò eundem indefinitè ſine exceptione prægnantium concedunt ex motivo ſedandæ libidinis, hoc eſt, ſtimuli carnis vehementer emotæ. Ergo ad concordandos hos textus ſaltem concedendum eſt, uſum matrimonii cum prægnantibus ſaltem tunc licitum eſſe, quando retentio emoti ſeminis timeretur eſſe nociva virtuti generativæ, aut ipſi proli in utero ob hyſtericas ſeu uterinas paſſiones in matre.

Probatur 3. Omnes concedunt, quod etiam prægnantes licitè reddant debitum, ſi inſtanter petatur à marito; hoc autem non poſſet admitti, ſi uſus matrimonii cum prægnantibus foret actio intrinſecè mala, ſeu deordinata ex defectu naturalis finis in omni circumſtantia. Nunquam enim ullus contractus vel ullus titulus juſtitiæ poteſt obligare ad cooperandum ad actionem intrinſecè malam. Si autem hæc actio non eſt intrinſecè mala, eoipſo eſt permiſſibilis à Deo non ſolùm ad cooperandum, ſed etiam ad exigendum in aliqua circumſtantia præciſiva omnis deordinationis extrinſecæ. Si autem eſt permiſſibilis exactio talis actionis, præſumendum eſt, actu fuiſſe permiſſam, ne alioquin matrimonium potius eſſet in laqueum peccati, quàm remedium.

Dices 1. Hæc doctrina non habet pro ſe Theologos.

Respondeo. n. a. Doctrina enim hæc circa ejusmodi uſum matrimonii cum prægnantibus eſt inſignium Theologorum. Sic enim docet 1. Petrus de Palude Archiepiſcopus Jeroſolymitanus anno 1330. in 4. diſ. 31. q. 2. art. 1. *Tertia Concluſio eſt. Excuſatur* (conjunx) *ab omni peccato, quando aliquis pro nulla voluptate ſui reddit debitum petenti, malens continere, quando ſcit, inde prolem non poſſe ſequi propter ſterilitatem alterius, vel imprægnationem vel hujusmodi. Et in hoc caſu reddendo non peccat, ſed reddere tenetur. Et ad hoc reducitur, ſi quis cognoſcat uxorem cauſa vitandi in ea fornicationem, vel turpiorem actum. Sed dubium eſt, quando conjux petit debitum non propter prolis generationem, nec propter hoc, quod illum retrahat ab adulterio vel pejori actu, & ſic propter fornicationem vitandam in ſeipſo, non in altero. Circa hoc ſunt duæ opiniones. Una; quod ſic petere ſemper eſt peccatum. Alii dicunt oppoſitum. Propter quod ſic videtur diſtinguendum, ut ſint duæ Concluſiones. Quia aut ipſe cognoſcit uxorem cauſa vitandi in ſe fornicationem, quamvis poſſit aliter vitare; ſed magis vult iſto modo delectabili vitare, quam alio non delectabili, puta, quia domando carnem, vel fugiendo aliarum conſortia, vel non loquendo ſolus cum ſola, & ſic poſſet faciliter evitare, ſed magis vult cum voluptate, quàm ſine illa. Et tunc peccat venialiter. Et hæc eſt prima Concluſio, & in iſto ſenſu vera eſt prima opinio. Secunda Concluſio eſt, quod ſi ipſe adeo actum illum exercet ad vitandum in ſeipſo fornicationem, quia non poteſt pro tunc alio modo eam vitare; quia neceſſe habet diu loqui in ſecreto, & loco ſuſpecto alii mulieri, & expertus eſt, de ea ſe ſæpe tentatum; licet quando ſemel uſus eſt actu illo* (conjugali) *ad multos dies refrigeratus non tentatur, tunc nullum peccatum eſt, ſi proles non ſperatur. Et in hoc ſenſu vera eſt ſecunda opinio.* 2. S. Antoninus part. 3. Tit. 1. C. 20. §. 11. hanc doctrinam *Petri de Palude* recitat & approbat. 3. Eandem approbat Sylvester V. *Debitum* n. 13. 4. Et Sotus in 4. diſt. 31. art. 4. ubi ait: *Diſtinguendum eſt cum Paludano & Capreolo, quod quando homo alia via fugiendo occaſiones poteſt fornicationem propellere, non licet illa ſola de cauſa ad uxorem accedere. Sed dum moraliter loquendo non habet aliam viam, hæc eſt licita. Cui hæc opinio placuerit, poteſt ad Auguſtinum reſpondere, quod cum dicit, concubitum ad explendam concupiſcentiam eſſe venialem culpam, intelligit, quando ipſa concupiſcentia dominatur, ſcilicet, quando conjux alia via poſſet concupiſcentiam ſedare. Nam tunc, ſi hæc eligatur, id fit ob voluptatem.* Inter Recentiores eandem ſententiam ſequitur *Paulus à Lugduno.*

Dices 2. Non poteſt probari, retentionem efferveſcentis ſeminis nocere virtuti generativæ, & ipſi proli in utero.

Respondeo: n. a. Medici enim concorditer docent, retentionem ſeminis habere pravos effectus, qui nocent ſanitati, ac præſertim virtuti generativæ tam in patre, quàm in matre, quorum habituales morbi ordinariè tranſeunt in proles. Ut ex Medicis ſolùm unum ac alterum addu-

adducam, Galenus l. 6. de locis affectis C. 5. sic scribit: *Multas vidi mulieres hystericas, id est, uteri affectibus subjectas, alias quidem sine sensu immobiles jacentes, cum minimo vel omnino nullo pulsu, alias animo deficientes & vix respirantes, &c. Convenit inter omnes Medicos; hunc affectum magna ex parte viduis evenire, iisque maximè, quæ cum antea probè evacuarentur atque virorum concubitu gauderent, omnibus his fuerint privatæ. Quid igitur probabilius quis concludere possit, quàm quod ob retenta menstrua, vel semen cohibitum, hujusmodi uterinis affectibus mulieres crucientur? Et fortasse magis ob seminis retentionem, utpote quod magnam vim obtineat, & excretionem requirat in iis, quæ multo semine exuberant, sicuti etiam in viris. Sunt enim nonnulli, qui, nisi assiduè coeant, capitis gravitate molestantur, cibos fastidiunt, ac febribus obnoxii fiunt, atque, ut deterior ipsis appetentia, ita & concoctio minor. Novi quosdam, qui præ pudore à libidinis usu abstinentes torpidi pigrique facti sunt, nonnulli etiam Melancholicorum exemplo supra modum mæsti ac timidi, cibi etiam tum cupiditate, tum concoctione vitiata. Quidam uxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea creberrimè fuerat usus, abstinens cibi cupiditatem amisit, atque ne exiguum quidem cibum concoquere potuit; mæstus etiam apparebat, ut Melancholici solent, citra manifestam occasionem. Verùm hic quàm celerrimè liberatus est, ad pristinam consuetudinem reversus. Hæc ergo consideranti mihi apud me visa est longè major ex retento semine, quàm menstruis, corporis noxa evenire posse, præsertim in iis, in quibus ipsum suapte natura pravioris succi est, ac copiosius, quique, cum antea ad libidinem nihil reliqui fecissent, assatim continere cœperunt. Tale quoddam accidens apparuit in muliere jam à longo tempore vidua. Ac dicente obstetrice, uterum esse retractum, remediis ad hujusmodi affectus consuetis uti decrevit; quibus adhibitis partim ob calorem, partim etiam, quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore & voluptate, veluti per coitum usuvenire solet, excrevit crassum plurimumque semen; atque ita à molestia sua liberata est mulier. Proin manifesta conjectura assecutus sum, vitiato semini majorem, quam menstruis esse vim ad noxam universo corpori inferendam. --- Quod verò ad eos affectus excitandos retentum semen majorem, menstruum verò minorem vim obtineat, facile intelligitur ab iis mulieribus, quibus cum non sint viduæ, evacuationes supprimuntur. Cæterùm pro multitudinis qualitatisve ratione tum menstruorum tum seminis suppressorum aliàs aliæ accidentium species oriri solent.* Similiter Zacchias in Quæst. Medicoleg. l. 7. tit. 3. q. 6. n. 5. sic scribit: *Dubitari potest, an conjunx licitè pollutionem remorari possit, ut virum exspectet, quo simul semen effundat. Nam ex Rufo, & ex Rasi constat, seminis interceptiones, quæ in medio concubitu fiunt, renibus & vesicæ pessimas esse; sicut ex Avicenna 20. 3. tr. 1. C. 11. constat; spermatis retentionem, ejusque prætermissionem esse malum valde. Quamobrem cum ex remota* (hoc est, retenta ac suppressa) *pollutione notabile immineat periculum conjugibus propriæ salutis* (corporalis), *dicendum videtur, non posse absque culpa conjuges pollutionem retardare. His adde, quod hujusmodi seminis retardatio potest etiam impedire conceptionem; nam semen ad expulsionem motum, neque emissum, proprium vigorem amittit evanescentibus spiritibus* (sicut in vino exhalato). *Quando ergo semen jam motum est, & desistitur à coitu, tunc omnia inconvenientia sequuntur, quæ enumeravimus, & idcirco tunc, ut puto, non licet pollutionem retardare. At si semen adhuc non properat ad exitum, sed videtur tantùm de proximo properaturum, tunc licet magis lentè in copula procedere, aut ab ea tantisper desistere, ut alter conjunx opportunè semen emittat. Doctores autem loquuntur in priori casu, in quo ex seminis retardatione renum, vesicæ, & testium tumores, gonorrhœam, & meatuum obstructiones in viris, in mulieribus autem hystericas passiones facile succedere credendum est.* Ita Zacchias. His duobus testibus addo tertium, nempe Jacobum Primerosium, qui in l. *de morbis mulierum* l. 2. C. 14. sic scribit: *Causæ* (passionis uterinæ) *variæ esse possunt; humores tetri ex semine vel sanguine corrupto in testibus vel tuba uteri contenti, qui pravos vapores in varias partes exspirant. -- Coitus ab ascensu* (uteri) *liberat.* Et l. 3: C. 5. *Affectus Hysterici fiunt à variis excrementis in utero retentis, præcipuè à semine & sanguine menstruo, quando vel retinentur, vel alterantur, vel corrumpuntur, vel exuberante Mulieribus natura sanguinem ad uteri venas immittit, qui si ob obstructionem effluere non possit, vel remeat in viscera, vel in ipsis uteri venis corruptus vapores tetros reliquis partibus communicat. Idem etiam de semine dicendum est. Hæc autem, si tantummodo in qualitatibus primis permutentur, æstuationes faciunt, inquietudinem, sitim, dolores varios; sed si putrescant aut malignam qualitatem acquirant, etiam prædicta concitant symptomata, & alia multò graviora, sæpeque lethalia. Quò enim res quæque natura sua purior est atque subtilior, eò graviùs putrescit, quando corrumpitur, & in veneni naturam degenerat.* Et l. 3. C. 9. *de furore uterino* scribit: *Furor uterinus describi potest delirium circa intensum coeundi appetitum ob seminis acrioris & in utero retenti corruptelam, aut turgescentiam. Ex prædictis mali causæ patere possunt, seminis scilicet copia, putredo, & acrimonia, ad venerem potenter incitans, & in cerebrum tetram anthymiasin exspirans per spinalem medullam & vasa ad cerebrum pertinentia. Alii sufficere putant solam seminis acrimoniam & copiam; sic in viris ex semine turgente fiunt insomnia, & Veneris appetitus maximi absque vaporum ascensu. Quod si præterea semen putresceret, malignam conciperet qualitatem, & hysterica symptomata produceret; semen enim retentum & corruptum inducit affectus multò graviores, quàm menstrui sanguinis corruptio. Ad curationem seminis acrimonia mitiganda, ejus copia minuenda, & omnia Veneris irritamenta tollenda sunt. Vitentur igitur vita otiosa, deses, nec turpia legant, audiant, vel intueantur, cum juvenibus non conversentur; victu parco, precibus & jejuniis libidinem doment, objurgationibus, pudore, & etiam, si opus sit, verberibus ab impudicis cogitationibus divertantur, & demum viro jungantur; sic enim Veneris appetitus satiatur, semenque putrescens & titillans effunditur.* Ita hic Author. Ex his ergo patet; semen, cujus exæstuatio atque emotio in thoro conjugali inter conjuges floridæ ætatis evitari nequit, violenter retentum ac suppressum per sui corruptionem nocere sanitati parentum, & consequenter prolis latentis in utero.

De modo & aliis circumſtantiis requiſitis ad licitum uſum conjugii.

QUÆRITUR 11. An uſus matrimonii reddatur illicitus tempore ſacro, v. g. Feſto, jejunii, communionis, &c.?

RESPONDEO 1. Nullum eſt peccatum, reddere debitum conjugale tempore ſacro, *ſi inſtanter petatur*. Ita *D. Thomas*, *Paludanus*, *D. Antoninus*, *Gerſon*, *Cajetanus*, *Roſella*, *Sylveſter*, & alii relati à *Sanchez* l. 9. diſp. 12. n. 7.

RATIO eſt, quia, ſi inſtanter petatur, præſumenda eſt in petente cauſa neceſſitatis excuſans, aut periculum majoris mali. Si autem non petatur inſtanter, charitatis & Religionis eſt, ut conjux amicè, reverenter, & cum oblatione ad obſervantiam debiti, conjugem moneat de circumſtantia temporis, niſi hæc ipſa monitio timeatur plus mali effectura, quàm boni. Nolunt enim conjuges coarctari in eas anguſtias amicitiæ, ut, quod poſtulant, compellantur *inſtanter* poſtulare. Imo ipſa inſinuatio ſui deſiderii in hac materia verecunda *regulariter* pro inſtanti petitione habenda eſt.

RESPONDEO 2. Peccant venialiter, qui *ſine cauſa ſufficienter excuſante*, in diebus Feſtis de præcepto, in diebus jejunii, Supplicationis publicæ, pœnitentiæ, aut S. Communionis petunt debitum.

RATIO eſt, quia ſenſus ferè omnium Doctorum per quindecim priora ſæcula, imo etiam Gentilium, agnovit quandam deordinationem rationis ſeu indecentiam in hoc, ut indulgeatur voluptati carnis, quo tempore Religio omnes ordinat ad colendum, deprecandum, & placandum Deum. Authoritates Doctorum ſunt ſequentes. 1. APOSTOLUA 1. Cor. 7. juxta Textum originalem Græcum, juxta quem Latina Verſio in ambiguis vel obſcuris explicanda eſt, ſic ſcribit: *Nolite privare invicem* (uſu matrimonii) *niſi, quando id fit ex conſenſu* (alterius conjugis) *ad tempus, ut vacetis jejunio* (præſcripto) *& orationi* (ſolenni, præſertim in vigiliis) *μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ, καὶ τῇ προσευχῇ.* 2. INNOCENTIUS I. in Epiſtola 3. ad *Exuperium Epiſcopum Toloſanum* C. 1. ſcribit: *Si Apoſtolus ad Corinthios ſcribit dicens: Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & utiquè Laicis præcepit, multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujusmodi conſortio abſtinere.* 3. D. HIERONYMUS in Serm. de Eſu Agni in Vigilia Paſchæ: *Sciatis Fratres chariſſimi, quoniam quicunque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet. Si panes propoſitionis non poterant ab iis, qui uxores ſuas tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulo ante adhæſere complexibus violari atque contingi? non quo nuptias condemnemus; hoc enim non dicimus; ſed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debeamus.* 4. D. AUGUSTINUS Serm. 2. de Temp. id eſt, Dominica 2. Adventus: *Quotiescunque aut Dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates adveniunt, ſicut frequenter admonui, ante plures dies non ſolùm ab infidelium concubinarum conſortio, ſed etiam à propriis uxoribus abſtinere debemus.* IDEM in l. quæſt. V. & N. T. q. 127. *Chriſtiano cum uxore ſua convenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim Proceſſionis aliquando non licet convenire; quia etiam à licitis abſtinendum eſt, ut facilius impetrari poſſit, quod poſtulatur. Unde Apoſtolus ex conſenſu ait abſtinendum ad tempus, ut vacetur orationi. Nam ſecundum Legem* (veterem Iſaiæ 58.) *in jejunio cædere* (reoa) *& jurgari* (in judicio) *non licet; poſtea licet, quia major reverentia debetur Dei cauſis.* 5. S. AMBROSIUS Serm. in Adventu: *Nullus omnino uxori ſuæ jejuniorum diebus conjungatur.* Et in 1. Ep. ad Cor. C. 8. *Si cauſa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum; quia & dies feſti, & dies proceſſionis, & ipſa ratio conceptus & partus juxta legem ceſſari temporibus his debere demonſtrant.* 6. TIRAQUELLUS l. 15. Connub. n. 114. affert varia teſtimonia Gentilium, ex quibus conſtat, apud Ethnicos receptum fuiſſe, ut orationi vacaturi à concubitu etiam conjugali abſtinerent. 7. Hanc ſententiam fatente ipſo *Sanchezio* l. 9. diſp. 12. n. 3. tenent *Magiſter Sententiarum*, *D. Thomas*, *Albertus M.*, *Durandus*, *Paludanus*, *Supplem. Gabrielis*, *Joan. de Friburgo*, *Reinerius*, *Gerſon*, *D. Antoninus*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Adrianus*, *Sylveſter*, *Tabiena*, *Petrus Sotus*, *Turrecremata*, & alii.

DIXI TAMEN, *ſine cauſa ſufficienter excuſante.* Talis cauſa ſufficienter excuſans foret, ſi timeatur ſibi vel comparti periculum incontinentiæ, ſi in gravi tentatione retentio ſeminis æſtuantis timeatur nocitura, vel ſi ex pura intentione concipiendæ prolis ſentiatur major, quàm aliàs diſpoſitio. Hinc D. GREGORIUS in Reſponſione 10. ad Interrogationes *Auguſtini Anglicani*, moribus illius gentis adhuc ritus quoſdam ex Gentiliſmo adiaphoros, v. g. de lavatione corporum, retinentes, reſpondet: *Si quis legitima ſua uxore non libidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur, ipſe profectò de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo Corporis Dominici Sanguinisque Myſterio ſuo eſt relinquendus judicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere.* Ubi adverto; hunc titulum procreandi liberos ex eadem uxore utique non potuiſſe prætendi tota Quadrageſima, vel omni die feſto per annum. CÆTERUM VEROSIMILE eſt, veteres more Judaico in Oriente, & Italico in Occidente computaſſe dies feſtos ab occaſu ſolis die præcedente uſque ad occaſum ſolis in ipſo die feſto.

QUÆRITUR 12. An reddens debitum debeat abſtinere illo die à S. Communione?

RESPONDEO Negativè.

RATIO eſt, quia D. GREGORIUS ſuo judicio relinquendos eſſe dicit, qui ex ſolo fine procreandæ prolis petunt debitum, prout ex textu proximè relato conſtat. Ergo multo magis ſuo judicio relinquendus eſt, qui reddit debitum. Relinqui autem ſuo judicio nihil aliud eſt, quàm conſiderandum eſſe à quolibet, an perpenſo complexo omnium circumſtantiarum veroſimiliter Deo acceptius ſit, accedere ad S. Communionem, vel abſtinere? Quod enim Deo eſt acceptius, etiam majorem animæ fructum & gratiam ſpondet.

det. Porro in ea consideratione inspiciendum, an sit extraordinaria solennitas Festi, vel Indulgentia? an persona consueverit tali die communicare & alioquin abstinendo notaretur ab aliis? an non possit differri Confessio vel Communio ob aliud grave peccatum, &c. *Sanchez* l. c. disp. 13. pro hac sententia etiam allegat *D. Thomam*, *D. Bonaventuram*, *Paludanum*, *D. Antoninum*, *Albertum M. &c.*

QUÆRITUR 13. An conjuges, si alterutra pars sit excommunicata, possint reciprocè debitum petere & exigere?

RESPONDEO Affirmativè.

RATIO est, quia ita declaravit GREGORIUS VII. in Concilio Romano, relato C. 103. quoniam. 11. q. 3. ubi dicit: *Quoniam multos pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, devicti misericordia anathematis sententiam ad tempus opportunè temperamus. Itaque ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, nec non rusticos servientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, &c.* Et INNOCENTIUS III. C. *inter alia.* de Sent. Excomm. explicans præfatum textum Gregorii VII. dicit: *Cum quædam personæ in præmisso Capitulo* (Gregorii VII.) *denotatæ, illis, in quos lata fuerit Excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur, cum adhuc debitum duret, à priori non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium.* Si ergo in uxore manet prius debitum, sequitur, quod in excommunicato etiam maneat jus exigendi debitum.

QUÆRITUR 14. An usus matrimonii in Ecclesia sit peccatum mortale, faciatque pollui Ecclesiam, vel locum sacrum?

RESPONDEO 1. Actus conjugalis absque necessitate in Ecclesia vel alio loco sacro exercitus est peccatum mortale, polluitque Ecclesiam seu locum sacrum. Ita SANCHEZ l. 9. disp. 15. n. 7. 8. allegans pro se plurimos Authores paucis repugnantibus.

RATIO est, quia sic statuitur in CONCILIO NICÆNO, per sensum Doctorum & praxin Ecclesiæ ejusmodi Ecclesias reconciliantis explicato. CONCILIUM NICÆNUM, prout refertur à Gratiano ex Canonibus Concilio assutis, repræsentantibus tamen veterem sensum & praxin Ecclesiæ. C. *Ecclesiis.* de Consecr. dist. 1. sic habet: *Ecclesiis semel consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut igne exustæ aut sanguinis effusione, aut cujuscunque semine pollutæ fuerint.* Hic Canon, cujuscunque Concilii sit, in tantum confirmatur ab INNOCENTIO III, in quantum loco novæ *Consecrationis* prius vult adhiberi solam *reconciliationem.* Nam C. fin. de Consecr. Eccles. sic scribit: *Si Ecclesia non consecrata cujuscunque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur. Est tamen, quàm citius fieri poterit, consecranda.* Si ergo Ecclesia per actum conjugalem polluitur, sequitur, irreverentiam commissam per ejusmodi actum, esse peccatum grave.

RESPONDEO 2. Etiamsi actus conjugalis in Ecclesia fiat ex motivo gravissimæ tentationis, & sedandæ concupiscentiæ emotæ, nunquam tamen ejusmodi actus in Ecclesia fieri potest sine peccato ad minimum veniali.

RATIO est, quia plerique Doctores apprehendunt in tali usu conjugali irreverentiam erga locum sacrum, quidam mortaliter peccaminosam, alii venialiter peccaminosam. Ergo, cum natura reverentiæ vel irreverentiæ dependeat magna parte ex apprehensione hominum, juxta potiorem æstimationem Doctorum in hac re sentiendum est. Irreverentiam gravem teste *Sanchezio* l. c. n. 11. agnoscunt *Paludanus*, *D. Antoninus*, *Cajetanus*, *Pisanus*, *Armilla*, *Tabiena*, *Navarrus*, *Vivaldus*, & alii, ita ut doceant, per actum ejusmodi, etiamsi conjuges detineantur longo tempore in Ecclesia conclusi, etiam Ecclesiam pollui. Alii vero plerique Doctores præcise negant, talem irreverentiam esse graviter peccaminosam, quin negent, sed tacendo consentiant, esse saltem culpam venialem. Et hunc referuntur *Alensis*, *Albertus M.*, *Richardus*, *Scotus*, *Major*, *Gabriel*, *Astensis*, *Rosella*, *Sylvester*, *Suarez*, *&c.*

RESPONDEO 3. Nec licet conjugi in Ecclesia needum exsecrata reddere debitum.

RATIO est, quia hæc malitia, quæ fundatur in irreverentia erga locum, se tenet ex parte actus, non verò præcise ex parte personæ operantis. Ergo non licet cooperari ad ejusmodi actionem.

QUÆRITUR 15. An usus matrimonii sit licitus, quando uxor patitur fluxum menstruum?

RESPONDEO: Antequam de hac re feratur judicium, sciendum prius est, quid sit in fœminis sanguis seu fluxus menstruus? Ejus descriptionem tradit RODERIUS A CASTRO Lusitanus in l. *de morbis mulierum*, ubi l. 2. C. 9. & sequentibus de menstruo sanguine hæc tradit: „Sanguis menstruus in mulieribus est sanguis nutritioni superfluus, tenuis, ac floridus, instar sanguinis, qui ex cæsis victimis seu animalibus emittitur. Hic sanguis, quando redundat, se exonerat primò in venas matricis, & exinde per vaginam uteri foras emittitur. Incipit emitti in puellis anno ætatis decimo tertio; sed in Septentrionalibus non solet emitti ante annum ætatis decimum quartum vel decimum quintum; sistitur verò seu definit circa annum ætatis quinquagesimum. Interrumpitur etiam ac cessat fluere post conceptionem prolis usque ad partum; imo etiam tempore lactationis. Effluxus hujus superflui sanguinis, quando est *regularis*, contingit singulis mensibus; sed quando est *irregularis*, venit citius vel tardius. Regularis fluxus solet durare duobus, tribus, aut quatuor diebus. Finis illius est, ut si concepta fuerit proles in utero, illi serviat pro nutritione. Qualitas maligna nulla huic sanguini inest, nisi interdum ex commixtione malignarum partium, quas secum defert, aut si est corruptus. Quantitas hujus sanguinis, quamvis effluere soleat tantùm guttatim, ordinariè ascendit ad octodecim uncias. In virginibus interdum, ubi sanguis est morbidus, habet colorem album.„ His prænotatis,

RESPONDEO 1. Usus matrimonii tempore fluxus menstrui est *ex suo genere* peccatum mortale, nec excusatur à peccato mortali in individuo,

duo, nisi vel causa necessitatis ex parte parentis, vel ratione circumstantiarum attenuantium omne morale periculum ad nocumentum uxoris vel prolis.

Id PROBATUR ex eo, quia in V. T. statuta est pœna mortis in coeunte tempore menstrui; illudque delictum æquiparatur gravissimis peccatis. Sic Levit. 20. v. 18. dicitur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsa aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Et Ezech. 18. v. 6. dicitur: *Anima, quæ peccaverit ipsa morietur; si vir non levaverit oculos ad idola domus Israel; & uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, &c. vita vivet.* Hæc ostendunt, non meram legalem indecentiam, sed perversionem legis naturalis valde gravem, dum sanguis menstruus, quem naturæ Author exonerat in bonum matris, per coitum violenter retruditur in mortem, ubi moraliter certum est, corrumpendum, vel alterandum, ac pessimos causare posse effectus.

PROBATUR 2. ex sensu Patrum, eam legem non præcise pro cæremoniali, sed pro naturali agnoscentium. Nam S. AUGUSTINUS l. 3. super Levit. q. 64. scribit: „Hoc (quod est, „accedere ad menstruatam) cum (Moyses) superius sufficienter prohibuisset, quid sibi vult, „quod etiam hic hoc eisdem præceptis voluit „adjungere? An forte, ne in superioribus, quod „dictum est, figuratè accipiendum putaretur, „etiam hic positum est, ubi talia prohibita sunt, „quæ etiam tempore Novi Testamenti remota „umbrarum veterum observatione sine dubio „constituenda sunt; quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem significasse, qui inter illa „peccata, quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam, si quis accedat, qua in re „non natura damnatur, sed concipiendæ prolis „noxium prohibetur.„ Et l. 3. de peccat. meritis & remiss. C. 12. „Hoc præceptum (non accedendi ad menstruatam) Ezechiel inter illa „ponit, quæ non figuratè accipienda sunt.„ D. HIERONYMUS in C. 18. Ezech. „Per singulos „menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur, „quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita „ut leprosi & elephantiaci ex hac conceptione „nascantur, & fœda in utroque sexu corpora „pravitate vel enormitate membrorum sanies „corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris, ut „non solùm in alienis mulieribus, sed in suis „quoque certa concubitus tempora norint, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem & Apostolus & Ecclesiastes sonant; Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus. Caveat ergo & „uxor, ne forte victa desiderio coeundi illiciat „virum; & maritus ne vim faciat uxori, putans „omni tempore subjectam sibi esse debere voluptatem.

Idem PROBATUR 3. authoritate D. THOMÆ, qui in 4. dist. 32. art. 2. q. 2. C. sic scribit: „Accedere ad menstruatam in Lege (Moysaica) „prohibitum erat duplici ratione, tum propter „immunditiam, tum propter nocumentum, quod „in prole ex hujusmodi commixtione frequenter „sequebatur. Et quoad primum præceptum erat cæremoniale; sed quantum ad secundum erat morale; quia cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus „est omnis matrimonii usus, quo bonum prolis „intenditur. Et ideo hoc præceptum obligat „etiam in nova lege propter secundam rationem, etsi non propter primam.„ Ita D. Thomas. Quod autem agnoscat in hac re obligationem sub peccato mortali, desumitur ex solutione Objectionum.

OBJECTIONES erant sequentes: „1. Levit. 20. dicitur, quod si aliquis ad menstruatam „accesserit, uterque morte est puniendus. Ergo videtur, quod tam reddens, quam exigens „debitum mortaliter peccet. 2. Rom. 1. non „solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, „digni sunt morte. Sed exigens debitum scienter à menstruata mortaliter peccat; Ergo & „mulier consentiens ei in redditione debiti. 3. „Furioso non est gladius reddendus, ne se vel alium interficiat. Ergo eadem ratione nec uxor „tempore menstruorum debet viro corpus suum „exponere, ne spiritualiter occidat.„ Ad has Objectiones S. Doctor sic respondet:

AD 1. DICENDUM, *quod hoc intelligendum est, quando uterque voluntariè consentit; non autem si mulier involuntaria, & quasi coacta debitum reddat.*

AD 2. DICENDUM, *quod non intelligitur mulier consentire peccato viri, nisi voluntariè debitum reddat; quando enim est involuntaria, magis patitur, quàm consentiat.*

AD 3. DICENDUM, *quod gladius furioso etiam esset reddendus, quando majus periculum timeretur in non reddendo. Et similiter est in proposito.* Ex his patet, quod D. Thomas in petente debitum à menstruata agnoscat peccatum mortale.

Idem PROBATUR 4. authoritate SCOTI, qui in 4. dist. 32. n. 5. dicit: „Secundus casus, „quando conjux obligatur ad non reddendum „debitum, est tempus fluxus menstrui. --- Non „sine causa in Lege Moysaica accedens ad mulierem menstruatam, debuit mori, nec mors infligebatur ibi, nisi pro peccato mortali & gravi; „nec est probabile, quod in Lege Evangelica, „quæ est lex castitatis, sit minus prohibitus ad „menstruatam accedere.„ Ex hoc patet; Scotum consentire in hac re cum D. Thoma, quod tam petens quàm reddens debitum tempore menstrui peccet mortaliter, si voluntariè id fiat. Hinc D. THOMAS istam doctrinam *in exigente* debitum limitat in casu, quo fluxus esset præternaturalis ac nimia diuturnus, ita ut tamdiu non posset se continere; *in reddente* verò, si modestè sub prætextu alicujus infirmitatis occultæ deprecetur debitum. „Fluxus, inquit in C. q. 2., „menstruorum potest esse naturalis, & innaturalis. In fluxu menstruorum innaturali non est „prohibitum ad mulierem menstruatam accedere „in Lege nova, quia talis fluxus est perpetuus & „diuturnus, unde oporteret, quod vir perpetuò „abstineret.„ Et in C. ad q. 3. „Dixerunt quidam, quod mulier menstruata, sicut non debet „Pete-

„ petere debitum, ita nec reddere. Sicut enim „ non tenetur reddere, si haberet infirmitatem in „ propria persona, ex qua periculum ei immine- „ ret, ita non tenetur reddere ad vitandum peri- „ culum prolis. Sed ista opinio videtur deroga- „ re matrimonio. Nec est simile de infirmitate „ corporis prolis; quia si mulier infirmatur, cer- „ tissimum est, quod ex carnali actu periculum ei „ imminet; non autem ita certum est de prole, „ quæ forte nulla sequetur. Et ideo alii dicunt, „ quod mulieri menstruatæ nunquam licet petere „ debitum. Si tamen vir ejus petat, aut petit „ scienter, tunc debet eum avertere precibus & „ monitis, tamen non ita efficaciter, ut possit ei „ esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si „ ad id pronus credatur; aut ignoranter; & mu- „ lier potest aliquam occasionem prætendere, vel „ infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi „ periculum viro timeatur. Tamen finaliter, si „ vir non desistit à petitione, debet debitum red- „ dere poscenti. Passionem verò suam non est „ tutum indicare, ne forte vir ex hoc ad eam abo- „ minationem concipiat, nisi de viri prudentia „ præsumatur.„ Hucusque S. Thomas.

Idem Probatur ratione. Certum est, coitum fluxus menstrui tempore causare corruptos humores in fœmina, adeoque necesse est, ut etiam proles, quæ eo vel insequenti tempore concipiuntur in utero, facile ex corruptione humorum in matre contrahere dispositiones morbidas possint. Nam per coitum fluxus sanguinis introrsum repellitur ac sistitur; repulsus verò per corpus dispergitur ac corrumpitur. Si ergo ex suppressione menstruorum pessimi oriuntur effectus, necesse est, consimiles oriri ex coitu tempore menstruorum. Rodericus a Castro *de morbis mulierum* l. 3. C. 4. sic scribit: „In die „ purgationis à re venerea cavendum omnino „ est; non enim fert natura duplicem, vehemen- „ temque resolutionem. --- Qui in mensium flu- „ xu concubitus exercetur, exitialis omnino & „ pestifer est tum iis, qui committuntur, tum fœ- „ tui; & si forte in menstruis posita mulier con- „ ceperit, plerumque invalidus, impurus, mor- „ bosus, minimeque vitalis vel sordidus, tetraque „ lue madens fœtus, qui sic generatus est, pro- „ deat oportet. Fieri enim non potest, ut qui „ sanguine jam vitiato gignitur, non etiam vitio- „ sus aut ulceribus plenus pascatur, unde psoræ, „ lepræ, elephantiases, impetigines, alvi, cutis, „ & faciei decolorationes apparent. Quamobrem „ toto menstruationis tempore coitum in Lege „ interdictum fuisse credibile est.„ Hucusque *Rodericus à Castro.*

Dices: Experientia repugnat, quod ex coitu tempore menstruorum frequenter nascantur proles morbidæ, præsertim leprosæ. Cupetiolus enim. V. *Copula* in Notis testatur, se, cum tamen jam esset ætatis septuaginta octo annorum, unicum vidisse leprosum.

Respondeo: Ex mille ejusmodi commixtionibus tempore fluxus menstrui rarò sequi conceptionem prolis, quamvis exinde ordinariè sequatur alteratio seu aliqua corruptio humorum in matre, ita ut si etiam post consistentiam fluxus menstrui ex alio novo coitu sequatur conceptio, corruptio humorum in fœmina superstes ex priori coitu invehat quandam malignitatem in fœtum, feris primum annis per quandam fermentationem, prout in variolis contingit, proditurum. Certè Cupetiolus viderit multos infantes, juvenes & puellas impetigine, decoloratione, psora, & variis aliis morbis affectos, quorum non inquisierit causas. Imo quis affirmare ausit, in plurimis infantibus, qui decedunt vel in utero materno, vel in prima infantia, aliam esse causam, quàm contractas in ipsa conceptione qualitates morbidas? Crediderim potius, non parum contribuisse ad multiplicationem Gentis Judaicæ, & conservandam fœcunditatem matrum Hebræorum, quod exactè observaverint illam Moysaicam Legem, qua jubebantur uxores *septem diebus* omni mense sese separare à viris tempore fluxus menstrui juxta illud Levitici 15. v. 19. *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.*

Quæritur 16. An usus matrimonii sit licitus post partum ante purificationem? vel ante ablactationem?

Respondeo 1. Usus matrimonii non est illicitus ante purificationem, si jam cessaverit fluxus immunditiæ in utero parientis residuæ.

Ratio est, quia in nova Lege cessat Lex Moysa de prohibitione talium mulierum ab ingressu Ecclesiæ. Ergo, si cessaverit fluxus immunditiæ, nulla datur Lex prohibens usum matrimonii. Innocentius III. C. un. de Purific. post partum dicit: *Licet secundum Legem Moysaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu; postquam tamen umbra Legis evanuit, si mulieres post prolem emissam actutum gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus.*

Respondeo 2. Quamdiu adhuc durat fluxus immunditiæ ex utero, usus matrimonii non est licitus.

Ratio est, quia utero necdum ab immunditiis sufficienter emundato conceptio novæ prolis non potest fieri sine periculo aut contrahendæ malignæ qualitatis, aut secuturi abortus cum insequente adhuc effluvio humorum immundorum.

Respondeo 3. Necdum cessante effluxu immunditiæ ex utero post partum petere debitum est ex suo genere peccatum mortale; nec excusatur in individuo, nisi intercedat casus necessitatis ex parte petentis, vel concurrant circumstantiæ attenuantes periculum malignitatis contrahendæ in prole.

Ratio est, quia illo septiduo regulariter adhuc durat immunditia vel indispositio uteri, adeoque etiam periculum prolis. Exponere antem conceptum fœtum periculo abortus, vel prematuræ mortis, vel contrahendæ malignitatis causa libidinis est ex suo genere peccatum mortale.

Idem Confirmatur ex Responso 10. D. Gregorii ad Augustinum Anglicanum, ubi ex eo, quod non liceat accedere ad menstruatam, argumentatur ad mulierem post partum; quæ argumentatio non foret, nisi intelligeretur de tem-

tempore, quo utens necdum est emundatus. Sicut ergo ibi est mortale peccatum concubitus conjugalis, ita etiam hic.

Ratio autem, cur statuam septidunm, est, quia *præsumptivè* hoc tempore uterus necdum est perfectè expurgatus. Hinc Deus Levit. 12. v. 2. Lege non tam cæremoniali quàm morali, dicit: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus; sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadis.*

Respondeo 4. Durante adhuc effluxu immunditiæ ex utero idem conjugi quoad redditionem debiti observandum est, quod in quæstione præcedente dictum est circa fluxum menstruum, ut nempe conjux redditionem debiti deprecetur, vel sub prætextu infirmitatis deneget, nisi in casu, quo pars petena *non desistit à petitione*, ut D. Thomas ibi loquitur.

Respondeo 5. Usus matrimonii ante ablactationem, nisi causa necessitatis fiat, hoc est, ex motivo, ne semen jam exæstuans corrumpatur, si retineatur, semper est peccatum veniale.

Ratio est, quia semper creat molestiam & aliquale periculum infirmitatis vel mortis ipsi infanti lactenti. Ita testatur Galenus l. 1. *de sanitate tuenda*, his verbis: *A Venere omnino abstinendum esse, quæcunque lac præbebit, omnino moneo. Nam & menses viri consuetudine provocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat. Quin etiam aliquæ in utero concipiunt, quo alienius à puello nihil est.* Et Plinius l. 28. Natur. Hist. C. 9. ait: *Concipere nutrices exitiosum est.* Hinc etiam D. Gregorius Respons. 10. Ad Augustinum Anglicanum non solùm tempore menstruorum, sed etiam tempore lactationis abstinendum esse docet, prout refertur C. f. dist. 5. his verbis: *Ad ejus concubitum vir suus accedere non debet, quousque, qui gignitur, ablactetur.*

Dixi, *nisi causa necessitatis interveniat.* Plus enim damni infanti lactenti inferre potest semen matris retentum ac suppressum, quàm alteratio lactis ex coitu.

Respondeo 6. Matres lactentes non tenentur reddere debitum tempore lactationis, nisi jam *consolidata natura* infantia esset ejus ex alteratione lactis depravandæ periculum, aut nisi stante aliquali lactis depravandi periculo petatur instanter à viro.

Ratio est, quia malitia actus conjugalis in tali circumstantia non se tenet præcise ex parte personæ petentia, sed ex parte actus secundùm se inordinati, ad quem proin cooperari non decet, nec licet, nisi appositione alterius circumstantiæ tollatur deordinatio. Sanchez l. 9. disp. 22. n. 15. sic scribit: *Id tamen fateor cum Petra de Ledesma; excusari à reddendi debiti obligatione matrem lactantem prolem, ac ita pauperem, ut non sit, salvendo nutrici lactaturæ, expertamque, ubera exiccari, si concipiat, aut lac esse valde perniciosum proli.* Quibus verbis saltem hoc fatetur, excusari à reddendo debito uxorem lactantem, si jam semel experta est actus conjugalis pravos effectus in lactationem. Hoc concesserim circa infantes robustæ ac consolidatæ naturæ, pares ferendæ molestiæ; at verò circa tenellos adhuc duorum mensium infantes, cur opus sit experientia, cum à priori constet sæpissime nocere, vel considerata dispositione causarum facillimè nocere posse coitum conjugum? Rodericus a Castro expertissimus Medicus in l. 4. *de morbis mulierum*, non novam experientiam exspectat, sed ad veteranam respicit, dum C. 12. scribit: *Lactans abstineat à concubitu. Etenim coitus sanguinem & lac ipsum conturbat; lactis etiam copiam minuit, quia menses ciet; quæ verò menses habent, lac non habent. Præterea virosam quandam qualitatem coitus lacti conciliat. Adde, quod inde non rarò gravidæ fiunt, quod & alumno, & conceptui nocivum est: neuter enim alimenti satis habere potest; subinde purus sanguis circa uterum consistit, impurus ad mammas conscendit, ac demum quantum accedit fœtui, tantum decedit alumno.* Ita Rodericus à Castro. Addit tamen, in dubio, ut videtur, rem relinquens: *Quo in loco illud mirari subit, quod plurimi retulerunt, non corrumpi lac fœminæ, si ex eodem viro rursus conceperit.* Hoc ultimum forte concedendum in iis, qui alioquin ex corrupto semine retento paterentur alios pravos effectos. Sic Palmerous l. 5. *de mulierum morbis*, C. 7. de lacte lactantium scribit: *Quæ provocant menstrua, lac deficcant ex Galeno. -- Venus* (lacti) *nocet; coitum tamen concedit* Varandæus *admodum libidinosis, ne ex gravi hoc animi pathemate lac corrumpatur.* Et C. 11. scribit: *Certum est, lac earum, quæ gravidæ sunt, esse pejus.* Ex his omnibus sequitur, coitum cum lactantibus non carere deordinatione ac culpa veniali, nisi excuset vel necessitas exonerandi seminis, ne corrumpatur, vel liberorum pro bono communi multiplicandorum necessitas.

Quæritur 17. An detur obligatio reddendi debitum conjugi, quo tempore laborat amentia, vel furore?

Respondeo: Si amens aut furens adhuc est capax peccati mortalis, nec concurrit periculum reddenti, vel proli, vel alterius peccati, tenetur compars reddere debitum; aliàs verò non tenetur.

Ratio est, quia si amens aut furens est capax peccati mortalis, exponitur periculo peccandi mortaliter, si non reddatur debitum: Huic autem periculo præcavendo Deus opposuit obligationem conjugalem, quæ non suspenditur, nisi concurrente motivo strictioris alterius obligationis, vel altioris ordinis, quale non ponitur in Casu. V. *Sanchez* l. 9. Disp. 23.

Quæritur 18. An detur obligatio reddendi debitum conjugi laboranti lepra, lue gallica, vel alio morbo contagioso?

Respondeo 1. Non datur obligatio reddendi debitum, ubi judicio Medicorum notabilis infectionis periculum imminet sano ex redditione debiti. Ita *Sanchez* l. 9. Disp. 24. n. 17. pro se allegans *Durandum, Paludanum, D. Antoninum, Cajetanum*, & multos alios.

Ratio est, quia contractus conjugalis est contractus bonæ fidei & amicitiæ. Nemo autem aut se aut amicum ad tale onus obligaret, si expresse de eo fieret in contractu mentio.

Respondeo 2. In praxi tamen *ordinariè* non concurrit infectionis periculum ex lepra conjugis, præsertim si adhibeantur debitæ cautelæ judicio Medicorum adhibendæ.

D. Amort Tract. de Sacram. Matrim.

Id Probatur ex eo, quia redditio debiti non foret præscripta in tali casu, si judicio peritorum ordinariè concurreret periculum infectionis ex tali actu transitorio, præsertim si rarus fit. Quod autem redditio debiti in tali casu sit præscripta, patet ex C. 2. de Conjug. leprof. ubi Alexander III. scribit: *Quoniam nemini licet excepta fornicationis causa uxorem dimittere, constat, sive mulier lepra percussa fuerit, seu alia gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda vel etiam dimittenda. Leprosi autem, si continere nolunt, & aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad matrimonium convolare. Quod si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum; cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.* Hinc etiam D. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. a. 1. ad 4. ait: *Uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare*, (saltem quoad thorum, nisi judicio Medicorum etiam cohabitatio quoad domum censeatur contagiosa) *quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione; & quamvis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse, quàm penitus non esse.*

Dixi: *Ordinariè.* Si enim compars jam prius esset etiam disposita ad lepram, aut haberet specialem horrorem à tali coitu, ita ut judicio Medicorum propterea daretur infectionis periculum, non teneretur reddere debitum.

Quæritur 19. An detur obligatio reddendi debitum conjugi, si reddens laboret febri, dolore dentium, vel capitis? &c.

Respondeo 1. Si reddens ex redditione timeat notabile malum, vel incrementum mali, non tenetur. Hinc cum febricitans meritò possit timere incrementum vel difficiliorem curationem febris, nisi aliter in casu particulari judicet Medicus, non tenetur reddere debitum.

Ratio est, quia contractus conjugalis est contractus bonæ fidei, in quo ejusmodi difficiles obligationes explicitè non deducerentur in pactum, si de iis cogitaretur.

Respondeo 2. Aliud dicendum, si morbus foret diuturnus, & exigeretur instanter debitum concurrente verosimiliter ex parte petentis periculo æquali ex suppressione seu retentione feminis, prout superius explicatum est.

Ratio est eadem, quia contractus bonæ fidei & amicitiæ id petit.

Quæritur 20. An detur obligatio reddendi debitum, si compars illud petat immoderatè ac nimia frequenter? vel recenter à prandio vel balneo?

Respondeo 1. Si compars, à qua debitum petitur, sibi ex frequenti tali coitu timeat notabile detrimentum sanitatis, non tenetur semper reddere debitum, sed præcise toties, quoties fieri potest sine periculo notabilis detrimenti proprii.

Respondeo 2. Imo in tali casu nec licet reddere debitum, si fieri non potest sine periculo gravis detrimenti proprii vel alieni, nisi ex parte petentis concurrat æquale periculum gravis detrimenti ex suppressione emoti feminis.

Ratio est, quia sic petit contractus bonæ fidei & amicitiæ judicio Doctorum, v. g. *Paludani*, *D. Antonini*, *Soti*, & aliorum, quos Sanchez l. 9. Disp. 24. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. allegat.

Advertendum tamen, nec in petente, nec in reddente usum matrimonii in tali casu esse peccatum mortale, nisi grave malum, quod timetur, sit *diuturnum*, & *certò moraliter* eventurum.

Quæritur 21. An sit sufficiens ratio negandi debitum, si negetur ex metu nimis multiplicandi prolem, vel incurrendi gravem penuriam?

Respondeo Negativè quoad utrumque. Quoad primum consentiunt Doctores, censeoque cum *Angelo*, talem recusationem conjuge instanter petente debitum, nisi alia causa concurrat malitiam attenuans, esse peccatum mortale. Aliud dicendum, si petens non graviter ferat negationem debiti, nec timeantur alia gravia peccata.

Ratio est, quia contractus conjugalis ex sensu gentium tacitè obligat Contrahentes ad communionem bonorum & malorum ex individua societate vitæ & usus conjugalis sequentium. Infinitis enim dissidiis exponeretur hic status, si in usu matrimonii locum haberet exceptio ex respectu ad futurum statum temporalem, qui divinæ providentiæ, & pietati fidelium committendus est.

Quæritur 22. An & quomodo possit in usu matrimonii peccari ratione modi vel situs?

Respondeo: In hac re tenendæ sunt sequentes Regulæ.

Regula 1. In usu matrimonii omnis modus vel situs est peccatum mortale, per quem vel semen non defertur in vas debitum, nempe in vaginam uteri, vel per quem *non defertur* in vas debitum modo de se ad generationem prolis idoneo.

Regula 2. In usu matrimonii omnis modus vel situs est peccatum mortale, per quem sine necessitate incurritur *grave periculum*, *ne semen deferatur* in vas debitum, aut si eo deferatur, ne deferatur modo de se ad generationem prolis idoneo. Periculum autem *grave* voco, ubi æque probabile est, semen illo modo istuc non deferri, ac deferri, seu ubi istud manet strictè dubium.

Regula 3. In usu matrimonii omnis modus vel situs est peccatum veniale, per quem semen quidem probabiliùs defertur in vas debitum modo de se ad generationem idoneo, attamen *cum aliquali probabilitate seu periculo de opposito, idque nulla interveniente causa necessitatis.*

Regula 4. Interveniente aliqua necessitatis causa nullum est peccatum, si adhibeatur situs vel modus, in quo semen quidem probabilius defertur in vas debitum modo de se ad generationem prolis idoneo, attamen cum aliquali periculo seu probabilitate tenui de opposito.

Regula 5. In casu necessitatis absolutæ, quo nullus est possibilis alius modus vel situs, & usus matrimonii non possit omitti sine periculo gravis damni ex suppressione vel corruptione emoti feminis in alterutro conjugum, licitum est petere ac reddere debitum, etiamsi interveniat dubium

dubium strictè dubium, an semen sit deferendum in vas debitum modo de se ad generationem prolis idoneo.

RATIO horum omnium est, quia Deus usum matrimonii ordinavit primariò ad generationem prolis. Ergo agere cessante fine, aut fine causa necessitatis exponere actum gravi periculo frustrandi finem à Deo intentum, in æstimatione morali est contravenire ordinationi divinæ sub peccato mortali obligatoriæ ad finem seriò intendendum mediatè vel immediatè.

EX HIS SEQUITUR in particulari, quod sit PECCATUM MORTALE 1. si seminatio tantùm fiat in orificio vasis muliebris, quæ seminatio in antiquis Conciliis & Pœnitentialibus vocatur *pollutio in labris*. 2. Si seminatio quidem inchoetur in vagina uteri, sed retracto membro virili perficiatur extra vel in orificio vasis muliebris. 3. Si seminatio quidem fiat in vagina uteri, sed ab alterutro conjuge studiose retineatur reciproca seminatio simultanea, vel activitas spirituum seminalium per aversionem animi. Hæc tria genera sunt peccatum mortale. PECCATUM autem VENIALE erit, si absque causa necessitatis 1. vir sit succubus, fœmina incuba. 2. Si copula perficiatur per congressum more bestiarum, nempe si vir congrediatur à tergo fœminæ, seminando tamen in vas debitum. Nam si seminaret in podicem, unde egeruntur stercora, foret gravissimum scelus Sodomiæ. 3. Si copula perficiatur stando vel à latere sedendo aut jacendo.

RATIO autem horum est, quia licet in his modis concumbendi probabiliùs interveniat copula de se ad generationem prolis idonea, attamen hoc non est certum, sed semper concurrit aliquale periculum frustrandi generationem prolis non defectuosæ, eò quod non interveniat tanta concussio spirituum ex omnibus membris, neque tam collecta intrusio spirituum seminalium in ovaria mulieris per poros vaginæ vel uteri.

DIXI tamen, si hoc fiat *sine causa necessitatis*. Talis necessitas foret, si aliquem ex his modis exigit, v. g. pinguedo viri vel fœminæ, vel graveolentia oris in viro vel fœmina cum periculo nauseæ stomachi vel cerebri, vel intumescentia ventris in muliere gravida cum periculo suffocandi fœtum in utero, aut eidem nocendi, vel *honestas*, v. g. si in eodem cubiculo jaceant liberi, vel aliæ personæ, nec pro iis alius locus haberi possit, ne tam facile advertant coitum, aut si consideratis aliis circumstantiis ejusmodi modus videatur ad vitandum scandalum, aut finem generationis opportunior.

QUÆRITUR 23. An & quales tactus conjugibus liceant occasione usus conjugalis?

RESPONDEO 1. Ante actualem copulam & sub ipsa copula liciti sunt quivis tactus ad majorem activitatem spirituum genitalium conciliandam idonei, sive fiant in corpore proprio, sive in corpore alterius conjugis.

RATIO est, quia ubi finis licitus est, licita etiam sunt media cæteris opportuniora. Limitandam tamen hanc doctrinam censeo in usu matrimonii cum gravidis in casu licito, ubi *nimia commotio* spirituum genitalium non servit ad generationem novæ prolis, neque servit ad intentum finem, nempe ad exonerationem seminis alioquin corrumpendi in parentibus, sed potius videtur noxia matri, & proli latenti in utero.

RESPONDEO 2. Tactus disponentes ad novam commotionem spirituum genitalium post copulam fieri nequeunt sine peccato veniali, nisi fiant ex alia causa rationabili, quàm ex voluptatis motivo, vel in ordine ad novam copulam accedente causa rationabili. Nam ordinariè

RATIO est, commotio spirituum genitalium post copulam non est prudenter ordinabilis ad novam copulam, ne quidem tunc, quando prior est imperfecta ob defectum seminis simultaneæ; eò quod natura jam sit debilitata, nec idonea ad generandam prolem sine defectu.

QUÆRITUR 24. An conjugatis liceant incitamenta varia ad libidinem, quo tempore uxores sunt gravidæ?

RESPONDEO Negativè.

RATIO est, quia licet usus matrimonii cum gravidis sit licitus causa necessitatis, quando emotis semel spiritibus genitalibus, si ea ebullitio nec sit voluntaria in se, nec in sua causa, timerentur gravia damna sanitatis ex corruptione violenter retenti seminis, non tamen durante illo statu licitum est, liberè ponere causam illius necessitatis, seu emotionis spirituum genitalium, quia talis positio causæ non habet finem prudentem naturalem ac immediatum hujus actionis, qualis tamen naturalis ac immediatus finis in omni actione humana requiritur. Hinc sequitur, sæpissime peccari *saltem venialiter* à conjugatis per *colloquia obscœna*, *aspectus impudicos*, *spectationem Comœdiarum lascivarum*, *tactus inhonestos*, *lectionem librorum amatoriorum*, *commessationes*, *inebriationes*, *&c.* Nam quamvis se excusent, quod ista versentur inter conjugatos, sicque existiment, non præberi ansam ad peccata mortalia, quod ipsum sæpe falsissimum est, reperiuntur tamen inter ejusmodi conjugatos, quorum uxores sunt gravidæ, cum his verò ultrò coitum quærere, vel occasionare sine necessitate illicitum est.

QUÆSTIO XXV.

An licitus sit coitus conjugalis cum uxoribus gravidis.

NOTANDUM 1. Certum esse, quod non sit licitus usus matrimonii cum gravidis præcise causa voluptatis, prout qq. 1. ex propositione damnata ostensum est. Certum etiam est; per usum conjugalem cum gravidis non posse *prudenter* intendi generationem novæ prolis, seu *superfœtationem*; nam ea ad summum fieri potest primo trimestri vel quadrimestri à conceptione prioris prolis; & quando fit, quod rarissimè fit, nunquam fit sine periculo aut detrimento alterius vel utriusque prolis. Quæstio itaque tantùm superest; an coitus conjugalis cum gravidis licitè fieri possit *ex motivo vitandæ incontinentiæ*, puta pollutionis aut fornicationis? vel *ex motivo sanitatis*, conservandæ aut reparandæ per exonerationem seminis superflui, alioquin facile corrumpendi

cum periculo variorum morborum, si violenter retineatur, supprimatur, aut imperfectè per pollutiones ejiciatur?

NOTANDUM 2. Aliam esse incontinentiam *voluntariam*, aliam *involuntariam*. VOLUNTARIA est, quæ est libera *in se*, vel *in sua causa*. Sic enim pollutio vel emotio vehemens spirituum genitalium, ex qua pronum est sequi pollutionem, nisi violenter reprimatur, est aliquando *libera in se*, dum directè intenditur; aliquando verò est *libera in sua causa*, dum sine necessitate honestatis vel utilitatis ponuntur tales causæ, ex quibus connaturaliter sequitur vehemens emotio spirituum genitalium, v. g. longa immoratio in cogitationibus libidinosis, colloquia valde lasciva, attactus membrorum genitalium alterius sexus morosus &c.

NOTANDUM 3. Coitum conjugalem posse ordinari ad generationem prolis duplici modo; videlicet *immediatè* & *mediatè*. IMMEDIATE ordinatur ad generationem prolis, quando directè ordinatur ad conceptionem novæ prolis. MEDIATE dicitur ordinari ad generationem prolis, quando ordinatur ad liberandam vel præservandam matrem ab aliqua infirmitate, nociva etiam proli in utero; prout contingit, si mater sit vel timeatur fieri obnoxia passioni hystericæ seu uterinæ ex retentione, suppressione, ac corruptione seminis; vel quando ordinatur ad liberandum vel præservandum patrem à *notabili* deterioratione virtutis generativæ, prout contingeret, si maritus ardens concupiscentia involuntaria cogeretur frequenter ac diu retinere ac supprimere semen jam emotum ac ebulliens in corpore, ne sequatur voluntaria per cooperationem aliqualem pollutio. His prænotatis temperaturus eam, quam in *Disquisitionibus Moralibus* apud *Ricurtium* Venetum editis olim tenui, sententiam,

DICO 1. Coitus conjugalis cum gravidis nunquam est licitus propter incontinentiam voluntariam.

PROBATUR. Patres & Theologi veteres universim ac constanter condemnant talem coitum alicujus peccati venialis. Ergo talis coitus non est licitus. *Antecedens* patet ex eorum textibus proximè referendis.

DICO 2. Coitus conjugalis cum gravidis nunquam est licitus, nisi ordinetur saltem *mediatè* ad generationem prolis.

PROBATUR. Patres & Theologi veteres ferme universim docent, coitum conjugalem esse illicitum, nisi in ordine ad generationem prolis, ita ut vel ordinetur vel ordinabilis sit in hunc finem. Ergo etiam coitus conjugalis cum gravidis est illicitus, nisi saltem mediatè ordinetur vel ordinabilis sit ad generationem prolis. *Antecedens* patet ex eorum textibus proximè referendis.

DICO 3. Coitus conjugalis cum gravidis licitus est propter incontinentiam involuntariam.

PROBATUR. Talis coitus ex una parte non est intrinsecè malus, sed permissibilis conjugatis à Deo; ex altera verò parte longè probabilius est, eum fuisse actu permissum à Deo. Ergo dicendum est, quod sit licitus. *Antecedens quoad primum membrum* patet ex eo, quia si talis actus foret intrinsecè malus, non liceret uxori gravidæ reddere debitum. Ea enim redditio debiti esset cooperatio ad aliquid intrinsecè malum. Dein non videtur esse intrinsecè malum, si Deus talem exonerationem feminis in conjugatis ordinet saltem mediatè ad generationem, seu incolumitatem prolis in utero materno, vel ad præservationem virtutis generativæ in patre. Neque etiam læditur infans in utero tali coitu. Semen enim ipsum non penetrat in uterum, utpote clausum; & spiritus seminales, qui eò forte penetrant, potius actuant, quàm lædunt prolem. *Quoad secundum membrum* probatur idem *Antecedens* PRIMO ex praxi Ecclesiæ à temporibus Apostolicis recepta, qua conjugati cohabitant & sociantur in eodem thoro etiam post conceptionem usque ad partum, quæ tamen consociatio junioribus conjugibus esset in laqueum vel ad innumera peccata venialia, vel ad innumeras pollutiones, rarò carituras omni culpa, ita ut nec sint semivoluntariæ in causa. SECUNDO, quia reperiuntur etiam Patres, & veteres Theologi insignes, qui permittunt usum conjugii in remedium incontinentiæ seu concupiscentiæ, ubi aliis remediis convenienter stimuli carnis superari nequeunt. Horum autem Patrum & Theologorum mens aptius ac propius concordari nequit, quàm si dicatur; tunc licitum esse coitum conjugalem cum gravidis, quando propter incontinentiam *involuntariam* ordinatur & ordinabilis est saltem *mediatè* ad generationem seu incolumitatem prolis. Huic sententiæ expressè accedit *Paulus à Lugduno* in *Theol. Specul.*

Hæ tres Conclusiones, cum potissimùm innitantur traditioni Patrum, & veterum Theologorum, jam probantur ab inductione.

CLASSIS I.

Textus Patrum, qui omnem coitum ultroneum cum gravidis sine ulla distinctione, saltem explicita, condemnant.

I.

ATHENAGORAS.

Anno 150.

„ Athenagoras in Apologia Religionis Christianæ, quam obtulit Imperatoribus Aurelio „ Antonino, & Aurelio Commodo, sanctitatem „ Legis Christianæ sic describit: *Spe vitæ æternæ* „ *freti sensuum* (non puras) *voluptates contemnimus.* „ *Itaque uxorem, quam secundum approbatas nobis leges* „ *sibi quisque duxerit, reputat non in alium, quam in* „ *procreandæ sobolis finem. Quemadmodum enim Agri-* „ *cola, postquam semina terræ mandavit, messis tem-* „ *pus exspectat, nec alia superinjicit; sic nobis et-* „ *iam concupiscentiæ modus liberorum procreatione de-* „ *finitur.*

II.

II.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Anno 200.

Lib. 2. Pædagogi c. 10. titulus est: *Quæ de procreatione liberorum tractanda sint?* dein sic pergit: „Qui juncti sunt matrimonio, iis scopus est, „& institutum, liberorum susceptio; finis autem, ut boni sint liberi, quemadmodum in agricola causa jaciendi feminis est cura providendi pro sua sustentatione, finis autem est fructuum perceptio -- Moyses lepore vesci prohibet; omni enim tempore coit lepus; concipit autem singulis mensibus & superfœtat; init autem & parit; postquam autem peperit, statim à quovis initur lepore. -- A vehementibus ergo appetitionibus, mutuisque congressionibus, & cum prægnantibus fœminis conjunctionibus, alterisque initibus, puerorumque stupris, adulteriis & libidine abstinere hujus nos ænigmatis adhortata est prohibitio. -- Si ne digitum quidem temere movere permittit sapienti ratio, quomodo non multo magis iis, qui sapientiam persequuntur, in eam, qua coitur, particulam dominatus est obtinendus? Atque hæc quidem de causa videtur esse nominatum pudendum, quod hac corporis parte magis, quam qualibet alia cum pudore utendum sit: natura enim, sicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis, quantum convenit & quantum utile ac decens est, nobis uti permisit. Permisit autem appetere liberorum procreationem. Qui autem modum excedunt, labuntur in eo, quod est fecundum naturam, per congressus, qui sunt præter leges, seipsos lædentes. -- Ne femina, ubi non vis tibi nasci, quod feminatum est. Neque ullam unquam tange mulierem, præterquam tuam uxorem, ex qua sola tibi licet carnis voluptates percipere ad suscipiendam legitimam successionem. Hæc enim sola sunt ratioci legitima. Eis certe, qui divini opificii sunt participes, semen non est abjiciendum, neque injuria afficiendum, neque tanquam si cornibus semen mandes, feminandum est. Hic ipse ergo Moyses cum ipsis quoque prohibet uxoribus congredi, si forte eas detineant purgationes menstruæ. -- Semen generationis degenerat, ineptumque redditur, si matricis fulcis privetur. Neque vero ullum unquam induxit veterum Hebræorum coeuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea utatur in conjugio, est præter leges & injusta, & à ratione aliena. Rursus autem Moyses abducit viros à prægnantibus quousque pepererint. Revera enim matrix sub vesica quidem collocata; super intestinum autem, quod *rectum* vocatur, posita, extendit collum inter humeros in vesica, & os colli, in quod venit semen, impletum occluditur, rursusque inane redditur partu purgato; fructu autem deposito deinde semen suscipit. Matrix itaque sitiens filiorum procreationem semen suscipit, probrosumque, & vituperandum negat coitum post sationem ore clauso omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis versabantur complexibus, intro conversæ in procreatione sobolis occupatæ operantur una cum opifice. Nefas est ergo, operantem jam naturam adhuc molestia afficere, superflue ad petulantem prorumpendo libidinem. -- Quod si hoc ipsum veniat in considerationem, an ducenda sit uxor; quomodo libere permittetur, quemadmodum nutrimento, ita & coitu semper uti tanquam necessario? Ex eo videri possunt nervi tanquam stamina distrahi, & in vehementi congressus intentione dirumpi. Effundit etiam caliginem sensibus, & robur interrumpit. -- Homo enim ex homine enascitur & evellitur: totus homo per exinanitionem coitus abstrahitur. -- Aliquod tempus ad feminandum opportunum habent quoque rationis expertia animantia. Non coire autem ad liberorum procreationem est facere injuriam naturæ. -- Non vult homines semper dare operam matrimonio. Matrimonium autem est filiorum procreationis appetitio, non nullo ac incerto ordine seminis excretio, quæ est & præter leges, & à ratione aliena. -- Recte videtur dixisse quispiam: Nulli quidem profuit coitus, recte autem cum eo agitur, quem non læserit. Nam & qui legitimus, est periculosus, nisi quatenus in liberorum procreatione versatur. -- Ei soli, qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, ferere permissum est, quando tempus sementem admittit. -- Si comedere per se solum cogitetur, est argumentum necessitatis, & defectus repletio. Quod est autem amplius: est ex superfluo. Quod est autem ex superfluo, esse à Diabolo declaravit Scriptura.

Idem lib. 2. Stromatum. „Dominus ne quidem cum captiva vult libidinosam esse consuetudinem. *Cum ei*, inquit, (Deut. 21.) *permiseris triginta diebus lugere, cum ejus postea vestes mutaveris; tanquam cum uxore legitima cum ea congredere.* Sed nec mercenariam, tanquam meretricis, sed propter solam liberorum procreationem vult esse consuetudinem. -- Non est omnino necessaria affectio voluptatis, sed accessio quædam & consequentia quædam naturalium necessitatum, famis, sitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri posset, ut absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus. Neque enim operatio, neque affectio (διάθεσις) neque aliqua pars nostri est voluptas, sed vicarii ministerii gratia in vitam accessit.

Idem lib. 3. Strom. „Generaliter nobis procedat oratio de matrimonio, nutrimento, & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate; velimus autem ea sola, quæ sunt necessaria. Non sumus enim filii cupiditatis, sed voluntatis; & eum, qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam, ut ne suam quidem concupiscat uxorem, quam debet diligere, honesta & moderata voluntate operam dans liberis. Non enim carnis curam gerere ad concupiscentias didicimus. Verum tamen non oportet considerare concupiscentiam in uno solum genere, nempe in rebus venereis, sed etiam in quibuscunque aliis, quæ luxuriosa

„con-

„ concupiſcit anima non contenta neceſſariis, ſed „ ſolicita de deliciis.

Idem lib. 2. Strom. „ *Non procul à fine.* „ Eſt ergo matrimonium legitima viri & mulieris „ conjunctio ad liberorum procreationem. Me- „ nander itaque Comicus: *Ad ſeminandos liberos ti-* „ *bi*, inquit, *meam trado filiam.* -- Uxor ducenda „ liberorum gratis. „ Idem l. 3. Strom. „ Quod „ lex voluerit uti moderate uxoribus, & propter „ ſolam liberorum ſuſceptionem, ex eo clarum „ eſt, quod probibeat eum, qui non babet uxo- „ rem, ſtatim cum captivs habere conſuetudi- „ nem. Quod ſi ſemel concubuerit, ei cum ton- „ ſa fuerit, permittit, ut lugeat triginta diebus. „ Si autem ne ſic quidem emareſcat cupiditas „ tunc liberis operam dare concedit, cum quæ „ dominatur impulſio, probata ſit præfinito tem- „ pore conſentanca rationi appetitio. Unde nul- „ lum veterum ex Scriptura oſtenderis, qui cum „ prægnante rem habuerit; ſed poſtquam geſta- „ vit uterum, & poſtquam editum fœtum à lacte „ depulit, rurſus à viris cognitas fuiſſe uxores. „ Hoc inſtitutum invenies ſervatum à patre Moy- „ ſis, cum triennio poſt editum Aaronem inter- „ miſiſſet genuiſſe Moyſen. Et rurſus Levitica „ Tribus ſervans hanc naturæ legem à Deo tra- „ ditam aliis numero minor ingreſſa eſt in terram „ promiſſam; non enim facile multiplicatur ge- „ nus, cum viri exſpectant etiam à lacte depul- „ ſionem.

Lib. 3. Strom. „ In moderato matrimonio in- „ tercedit conſenſio, & ad precationem conti- „ nenter deducens, & ad procreandos liberos cum „ boneſtate concilians. -- Non enim totaliter „ propulſat naturæ appetitiones verecunda, quæ „ fit ad tempus, conſenſio, per quam rurſus in- „ troducit ad conjugationem matrimonii, non ad „ intemperantiam, ſed ne ſubjugetur intemperan- „ tiæ. -- Dominus non amplius concedit Poly- „ gamiam; tunc enim id exigebat Deus, quando „ oportebat augeri & multiplicari. Monogamiam „ autem introducit propter liberorum procrea- „ tionem, & domus curam gerendam, ad quam „ data eſt mulier adjutrix; etſi cui Apoſtolus „ propter intemperantiam & uſtionem ex venia „ (κατὰ συγγνώμην δευτέρω μεταδίδωσιν γάμω) fecun- „ dum concedit matrimonium. Nam bic quo- „ que non peccat quidem ex teſtamento; non eſt „ enim à lege prohibitus; non implet autem „ ſummam illam vitæ perfectionem, quæ agitur „ ex Evangelio. -- Sed nec eum, qui ex conju- „ gali ſurgit cubili, lavari nunc jubet divina pro- „ videntia; non enim neceſſario à liberorum ab- „ ducit procreatione.

Ibid. lib. 3. „ Propoſitum uniuscujusque tam „ ejus, qui ſeipſum caſtravit, hoc eſt, qui caſti- „ tatem elegit, & qui propter liberorum procrea- „ tionem ſeipſum conjunxit matrimonio, debet „ non cedere ei, quod eſt inferius. -- Cum dicit „ Apoſtolus: *Propter fornicationes unusquisque ſuam* „ *uxorem babeat;* id veluti exponens rurſus dicit: „ *Ne vos tentet Satanas.* Non enim lis, qui conti- „ nenter utuntur matrimonio propter ſolam libe- „ rorum procreationem dicit: *propter intemperan-* „ *tiam:* ſed iis, qui etiam finem liberorum pro- „ creationis cupiunt tranſilire, ne adverſarius „ excitet appetitionem ad alienas voluptates.

Lib. 6. Strom. deſcribens vitam veri Chriſtia- ni dicit: „ Uxor ei ſoror poſt liberorum ſuſce- „ ptionem judicatur, tanquam quæ ſit eodem pa- „ tre nata, tunc ſolum viri recordans, quando fi- „ lios aſpexerit.

III.

ORIGENES.

Anno 250.

In Geneſin Hom. 4. *de Circumciſione Abrahæ* lo- quens ait: „ Nunc qualiter etiam carnis cir- „ cumciſio ſuſcipi debeat, videamus. Membrum „ hoc, in quo videtur præputium eſſe, officiis na- „ turalibus coitus, & generationi deſervire nemo „ eſt, qui dubitet. Si quis igitur erga hujusce- „ modi motus non importunus exiſtat, nec ſtatu- „ tos legibus terminos ſuperet, nec aliam fœmi- „ nam quam conjugem legitimam noverit, & in „ ea quoque ipſa poſteritatis tantummodo cauſis „ certis & legitimis temporibus agat, iſte circum- „ ciſus præputio carnis ſuæ dicendus eſt. Qui „ vero in omnem laſciviam proruit, & per diver- „ ſos & illicitos paſſim pendet amplexus, atque „ in omnem libidinis gurgitem fertur infrœnis, „ iſte incircumciſus eſt præputio carnis ſuæ.

Idem in Gen. Hom. 5. agens *de inceſtu filiarum Loth*, dicit: „ Quamvis grande eis crimen vide- „ retur, furari concubitum patris, gravior tamen „ eis videbatur impietas, ſi humanæ, ut putabant, „ poſteritatis ſpem ſervata caſtitate delerent. „ Propter hoc ergo ſingulis ingreſſæ noctibus ſin- „ gulæ ab ignorante ſuſcipiunt conceptum. Ul- „ tra non repetunt, non requirunt. Ubi hic li- „ bidinis culpa? Quomodo dabitur vitio, quod „ non iteratur in facto? Vereor proloqui quod „ ſentio, vereor inquam, ne caſtior fuerit harum „ inceſtus, quam pudicitia multarum. Diſcu- „ tiant ſe, & requirant fœminæ in conjugiis poſi- „ tæ, ſi ob hoc ſolum adeant viros, ut ſuſcipiant „ liberos, ſi poſt conceptum deſiſtunt. Iltæ e- „ nim, quæ argui videntur inceſtus, ut adeptæ „ ſunt conceptum, ultra non accedunt ad concu- „ bitum viri. Nonnullæ vero mulieres, neque „ enim univerſas notamus, ſed ſunt quædam, quæ „ ſicut animalia abſque ulla diſcretione indeſi- „ nenter libidini ſerviunt, quas ego nec mutis „ pecoribus comparaverim. Pecora enim & ipſa „ ſciunt, cum conceperint, ultra non indulgere „ maribus copiam ſui. Notat tales Scriptura di- „ vina, cum dicit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus,* „ *quibus non eſt intellectus.* Et iterum: *Equi emiſſa-* „ *rii facti ſunt.* Sed vos, o populus Dei, qui „ Chriſtum amatis in incorruptione, intelligite A- „ poſtoli ſermonem quo ait: *Sive manducatis, ſive* „ *bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei* „ *facite.* Quod enim poſt manducare & bibere „ dicit: *Sive aliud quid facitis,* inverecunda conju- „ gii negotia verecundo ſermone ſignavit, oſten- „ dens, etiam iſta ad Dei gloriam geri, ſi poſte- „ ritatis ſolius contemplatione procurentur.

Idem in Epiſt. ad Rom. c. 3. „ Poteſt quis „ incircumciſus videri auribus, & incircumciſus „ labiis; cur non & ſimili forma incircumciſus „ præ-

„ præputio carnis suæ dicatur is, qui erga natura-„ lem coitus motum immoderatius & temperan-„ tius effluit? Circumcisus vero habeatur, si quis „ in hujuscemodi negotio legitimis, & quantum „ posteritati sufficit, utatur officiis.

Idem Hom. 6. in Lucam ad illud: *Quando concepit Elisabeth, abscondebat se mensibus quinque*, sic discurrit: „Quæro, quam ob causam, postquam „ intellexit se esse prægnantem, publicum decli-„ narit? Ni fallor, hoc est etiam, quod hi, qui „ nuptiis copulati sunt, non per omne tempus „ coitum liberum inter se habent, sed est tempus, „ quando recedunt ab opere nuptiarum. Si enim „ vir senex fuerit, & mulier anus, pudoris est ma-„ ximi, servire eos libidini, servire conjugio, quæ „ vel curæ corporis & senectæ esse Dei videntur „ voluntate sublata. Hoc loco *curam corporis* O-„ rigenes verosimiliter sumit pro tempore puer-„ perii, menstrui, aut ægritudinis alterius.

IV.

LACTANTIUS.

Anno 300.

Lib. 5. Institutionum cap. 8. „Non essent adul-„ teria, & mulierum prostitutiones, & stupra, „ si esset notum omnibus, damnari à Deo, quid-„ quid appetitur ultra generandi cupiditatem; nec „ fœminam necessitas cogeret pudorem suum „ profanare. Non essent igitur ut dixi hæc o-„ mnia in terris mala, si ab hominibus in Legem „ Dei conjuraretur; si ab universis fierent, quæ „ unus noster populus operatur.

Idem l. c. lib. 6. cap. 23. „Oportet sibi „ quemque proponere, duorum sexuum conjun-„ ctionem generandi causa datam esse viventibus; „ eamque legem his affectibus positam, ut succes-„ sionem præparent. Sicut autem dedit nobis „ oculos Deus, non ut spectemus, voluptatem-„ que capiamus, sed ut videamus propter eos a-„ ctus, qui pertinent ad vitæ necessitatem, ita „ genitalem corporis partem, quod nomen ipsum „ docet, nulla alia causa, nisi efficiendæ sobolis „ accepimus. Huic divinæ legi summa devotio-„ ne parendum est. -- Divina Lex ita duos in ma-„ trimonium, quod est in corpus unum, pari jure „ conjungit, ut adulter habeatur, quisquis com-„ pagem corporis in diversa distraxerit. Nec ob „ aliam causam Deus, cum cæteras animantes su-„ scepto fœtu maribus repugnare voluisset, solam „ omnium mulierem patientem viri fecit, scilicet „ ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros „ aliud appetere, eoque facto castitatis gloriam „ non tenerent. Sed neque mulier virtutem pu-„ dicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam „ quis mutum animal pudicum esse dixerit, quod „ suscepto fœtu mari repugnat? quod ideo facit, „ quia necesse est in dolorem atque in periculum „ veniat, si admiserit. Nulla igitur laus est, non „ facere, quod non possis facere. Ideo autem „ pudicitia in homine laudatur, quia non natura-„ lis est, sed voluntaria. Servanda igitur fides „ ab utroque alteri est; imo exemplo continen-„ tiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Ini-„ quum est enim ut id exigas, quod ipse præstare „ non possis.

V.

D. AMBROSIUS.

Anno 390.

In Psalmum 118. Octon. 19. ad illa verba: *Clamavi in toto corde meo; justitias tuas requiram*, dicit: „Non satis est clamare ad Dominum, sed et-„ iam justitias ejus exquirere. Exquirit autem „ justitias, qui id, quod in omnibus creaturis, & „ maxime in animantibus rationabilibus, vel et-„ iam irrationabilibus, observat, providentiæ ad-„ scribit divinæ. Unde turturi studium pudici-„ tiæ, quæ compare amisso concubitui indulgere „ non novit, quod homines servare non possunt? „ Unde plerisque animantibus tam sobria partus „ cura servandi, ut ubi conceptionis munus agno-„ verint, coitum non putent esse repetendum, ne „ receptorum seminum fiat adulterina commix-„ tio? -- Ex his igitur cognoscimus, quam divi-„ næ subsidia providentiæ hominibus non dees-„ sent, si Dei justitiam servare vellemus.

Idem in Evang. Lucæ cap. 1. ad illa verba: *Concepit Elisabeth.* „Sunt etiam ipsi conjugio præ-„ scripta tempora, quando dare operam liberis sit „ decorum, dum anni vigent, dum suscipiendo-„ rum liberorum spes est. -- Adolescentes ipsi ple-„ rumque filiorum vota prætendunt, & excusan-„ dum arbitrantur ætatis calore generationis affe-„ ctum. Quanto magis senibus agere turpe est, „ quod adolescentibus pudor est? Quin etiam „ ipsi juvenes, sobria divino timore corda, qui „ temperant, suscepta plerumque sobole renun-„ tiant operibus juventutis. Et quid mirum de „ hominibus, si pecudes quoque muto quodam „ opere loquuntur, generandi sibi studium, non „ desiderium esse coeundi? Siquidem ubi semel „ senserint genitali alvo semen receptum, jam nec „ concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, „ sed curam parentis assumunt. At vero homi-„ nes nec conceptis ipsis, nec Deo parcunt, illos „ contaminant; hunc exasperant. Prius quam „ te, inquit, formarem in utero novi te, & in „ vulva matris sanctificavi te. Ad cohibendam „ petulantiam tuam manus quasdam tui authoris „ in utero hominem formantis advertis. Ille o-„ peratur, & tu sacri uteri secretum incestas? vel „ pecudes imitare, vel Deum verere. Et quid „ de pecudibus loquor? Terra ipsa à generandi „ opere sæpe requiescit, & si impatienti hominum „ studio jactis frequenter seminibus occupetur, „ impudentiam mulctat agricolæ, & fœcundita-„ tem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis „ elementis, & pecudibus ab usu non cessare ge-„ nerandi, naturæ pudor est.

Idem lib. *de viduis.* „Quanta conjugii neces-„ sitas, quæ subjicit alteri etiam fortiorem? mu-„ tuis enim necessitatibus ab utroque servitur. „ Nec temperamenti licet jugo subducere caput, „ cum alterius intemperantiæ serviendum est.

VI.

D. HIERONYMUS.

Anno 400.

Lib. 2. adversus Jovinianum cap. 30. Xystus in Sententiis: „*Adulter est*, inquit, *in suam uxorem amator ardentior*. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius, quam uxorem amare ut adulteram. Certe qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdent filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos.

Idem in Epistolam ad Galatas cap. 5. ad illa verba: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c.* „Secundum opus carnis immunditia vocatur. Quomodo enim in veteri Lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, generaliter Scriptura complexa est, dicens: *Verecundos facite filios Israel ab omni immunditia*; sic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecunde & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum liberis serviatur, immunditiam & luxuriam nominavit.

Idem in Epistolam ad Titum cap. 2. ad illa verba: *Viri diligite uxores vestras*. „Liberorum ergo, ut diximus, opera in matrimonio concessa sunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ sunt. Hoc legens omnis vir & uxor intelligant sibi post conceptum magis orationi quam connubio serviendum. Et quod in animalibus & bestiis ipso naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc sciant in hominibus arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.

VII.

S. AUGUSTINUS.

Anno 420.

Lib. 2. Retract. c. 53. „Bonitatem defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis.

Lib. 2. Confess. c. 2. „Quis mihi (in juventute lasciviente) moderaretur ærumnam meam, ut usque ad conjugale littus exæstuarent fluctus ætatis meæ, si tranquillitas in eis non poterat esse sine procreandorum liberorum contenta, sicut præscribit lex tua Domine?

Lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 30. alloquens Ecclesiam Catholicam dicit: „Ecclesia Catholica non solum Deum purissime colendum prædicas, sed etiam proximi ita dilectionem amplecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueros, juvenes, senes doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem casta & fideli obedientia subjicis.

Lib. 2. *de moribus Manichæorum* c. 18. „Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore à concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem fœminamque conjungunt.

Epist. 121. ad Probam c. 16. „De matre Samuelis loquens ait: Non parvum malum videbatur, & nuptam esse, & fructu carere nuptiarum; cum sola excuset nuptias procreandorum causa liberorum.

Lib. 3. *de Doctrina Christiana* cap. 18. „Cavendum, ne quod in Scripturis veteribus pro illorum temporum conditione non est flagitium, ad ista etiam tempora putet posse transferri. -- Nam si multis uxoribus caste uti quispiam pro tempore potuit, potest alius una libidinose. Magis enim probo multarum fœcunditate utentem propter aliud: quam unius carne fruentem propter ipsam. Ibi enim quæritur utilitas temporum opportunitatibus congrua; hic satiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata. Inferiorisque gradus apud Deum sunt, quibus secundum veniam concedit Apostolus carnalem cum singulis conjugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum, quam illi, qui plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo & potu non nisi salutem corporis, sic in concubitu non nisi procreationem liberorum intuebantur. -- Noverant illi homines, etiam in ipsis conjugibus luxuriam esse abutendi intemperantiam, quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus uxori. *Domine tu scis, quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam.* Sed qui in ipsa una conjuge non solum excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam inhumanioris intemperantiæ sordes inverecunda omnino licentia servilis cujusdam libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse ut temperanter multis fœminis antiqui uterentur viri, nihil servantes in usu illo, nisi congruum temporibus propagandæ prolis officium.

In Enchiridio c. 78. „Quæ sint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa. Quale est illud, quod venerabilis Paulus conjugibus ait: Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum revertimini, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram; quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, si-

„ve

„ ve adulterii, five cujuscunque alterius immun„ditiæ mortiferum malum, quod turpe eft etiam „ dicere, quo poteft tentante Satana libido per„ trahere, incontinentium devitet infirmitas. „ Poffet ergo, ut dixi, hoc putari non effe pecca„ tum, nifi addidiffet: *Hoc autem dico fecundum ve„ niam, non fecundum imperium.* Quis autem jam „ effe peccatum neget, cum dari veniam facienti„ bus Apoftolica authoritas fateatur? Tale quid„ dam eft, ubi dicit: *Audet quifquam veftrum adver„ fus alterum negotium habens judicari apud iniquos, & „ non apud Sanctos?* Et paulo poft: *Sæcularia igi„ tur judicia fi habueritis*, inquit, *eos, qui contemptibi„ les funt in Ecclefia, hos collocate ad judicandum. Ad „ reverentiam vobis dico. Sic non eft inter vos quifquam „ fapiens; qui poffit inter fratrem & fratrem judicare, „ fed frater cum fratre in judicio contendit, & hoc apud „ infideles.* Nam & hic poffet putari, judicium „ habere adverfus alterum, non effe peccatum, „ fed tantummodo, id extra Ecclefiam velle ju„ dicari, nifi fecutus adjungeret: *Jam quidem o„ mnino delictum eft inter vos, quia judicia habetis vobif„ cum.* Et ne quis hoc ita excufaret, ut diceret, „ juftum fe habere negotium; fed iniquitatem fe „ pati, quam velit à fe judicum fententia remo„ veri, continuo talibus cogitationibus vel excu„ fationibus occurrit, atque ait: *Quare non magis „ iniquitatem patimini?* Prohibuit itaque fuos, de „ fæcularibus rebus cum aliis hominibus habere „ judicium. Tamen cum finit in Ecclefia talia „ judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, „ extra Ecclefiam vero terribiliter vetat, manife„ ftum eft, etiam hic quid fecundum veniam con„ cedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmo„ di peccata oportet ut quotidie dicamus: *Dimit„ te nobis debita noftra.*

Lib. 13. *de Trinit.* c. 18. „Quamvis carnali „ concupifcentia, quæ ineft genitalibus membris „ bene utatur caftitas conjugalis, habet tamen „ motus non voluntarios, quibus oftendit, vel „ nullam fe in Paradifo ante peccatum effe po„ tuiffe, vel non talem fuiffe, fi fuit, ut aliquan„ do refifteret voluntati. Nunc autem illam ta„ lem effe fentimus, ut repugnans legi mentis, „ etiam fi nulla eft caufa generandi, ftimulos in„ gerat coeundi, ubi fi ei creditur, peccando fa„ tietur, fi non ceditur, diffentiendo frœnetur. „ Quæ duo aliena fuiffe à Paradifo ante pecca„ tum, dubitare quis poffit? Nam neque illa ho„ neftas faciebat aliquid indecorum, nec illa feli„ citas patiebatur aliquid impacatum. Oporte„ bat itaque, ut ifta carnalis concupifcentia nulla „ ibi effet omnino, quando concupiebatur virgi„ nis partus.

Lib. 3. *de Genefi ad Litt.* c. 13. „Neceffarium „ fuit hoc in homine repetere: *Crefcite, & multi„ plicamini*, ne quifquam diceret, in officio gig„ nendi filios ullum effe peccatum, ficut eft in li„ bidine five fornicandi, five ipfo conjugio im„ moderatius abutendi.

Ibid. l. 9. c. 3. „Si quæritur, ad quam rem „ fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud pro„ babiliter occurrit, quam propter filios pro„ creandos.

Et c. 5. „Non invenio ad quod adjutorium fa„ cta fit mulier viro, fi pariendi caufa fubtrahatur.

Et c. 6. „Non video, ad quod aliud adju„ torium mulier facta fit viro, fi generandi cau„ fa fubtrahatur, quæ nihilominus quare fubtra„ hatur ignoro. Unde enim meritum virginitatis „ habet, nifi quia ifto jam tempore continendi „ ab amplexu, cum ex omnibus gentibus San„ ctorum largiffima fuppetat copia, percipiendæ „ fordidæ voluptatis libido non fibi vendicat, „ quod jam fufficiendæ prolis neceffitudo non „ poftulat? Denique utriufque fexus infirmitas „ propendens in ruinam turpitudinis recte exci„ pitur honeftate nuptiarum, ut quod fanis pof„ fit effe officium, fit ægrotis remedium. Ne„ que enim, quia incontinentia malum eft, ideo „ connubium, in quo vel incontinentes copu„ lantur, non eft bonum; imo vero non pro„ pter illud malum culpabile eft hoc bonum, fed „ propter hoc bonum veniale eft illud malum; „ quoniam id, quod bonum habent nuptiæ, & „ quod bonæ funt nuptiæ, peccatum effe nun„ quam poteft. Hoc autem tripartitum eft, fi„ des, proles, Sacramentum. In fide attendi„ tur, ne præter vinculum conjugale cum altero „ vel altera concumbatur. In prole, ut aman„ ter fufcipiatur, benigne nutriatur, religiofe e„ ducetur. In Sacramento autem, ut conjugium „ non feparetur.

Huc referendum, quod fupra cap. 5. dixerat, Deum jam in Paradifo quædam ordinaffe ex prævifione peccati. „Cur, inquit, non coierunt „ (primi parentes) nifi cum exiffent de Paradifo? „ Cito refponderi poteft, quia mox creata mu„ liere, priufquam coirent, facta eft illa trans„ greffio. Poteft etiam dici, quia nondum „ jufferat Deus, qui fecundum fuam præfcien„ tiam difponebat omnia, in qua & eorum ca„ fum procul dubio præfciebat; unde jam mor„ tale genus propagandum effet humanum.

Ibid. cap. 9. „Propter quid aliud quæfitus „ eft fœmineus fexus adjutor, nifi ut ferentem „ genus humanum natura muliebris tanquam ter„ ræ fœcunditas adjuvaret?

Lib. contra mendacium cap. 7. „Intereft „ plurimum, qua caufa, quo fine, qua intentio„ ne quid fiat. Sed ea, quæ conftat effe pecca„ ta, nullo bonæ caufæ obtentu, nullo quafi bo„ no fine, nulla velut bona intentione facienda „ funt. Ea quippe opera hominum, ficut caufas „ habuerint bonas feu malas, nunc funt bona, „ nunc mala, quæ non funt per feipfa peccata. „ Sicut victum præbere pauperibus, bonum opus „ eft, fi fit caufa mifericordiæ cum recta fide. „ Sicut concubitus conjugalis, quando fit caufa „ generandi, fi ea fide fiat, ut gignantur regene„ randi: Hæc atque hujusmodi fecundum fuas „ caufas opera funt bona vel mala; quia eadem „ ipfa, fi habeant caufas malas, in peccata ver„ tuntur. Velut fi jactantiæ caufa pauper pafci„ tur, aut lafciviæ caufa cum uxore concumbitur; „ aut filii generantur, non ut Deo, fed Diabolo „ nutriantur.

Lib. Quæftionum ex Matthæo quæft. 17. „ Generalem juftitiam non violat quis, nifi quis „ libidine tranfgreffus fuerit placitum focietatis „ humanæ, ficut eft furtum, rapina, adulterium, „ inceftus, & hujusmodi; aut naturam, ficut eft „ contu-

„ contumelia, cædes, homicidium, concubitus „ masculorum aut pecorum; aut modum in concessis, sicut est, superbum amplius verberare, „ quam oportet; vel superfluum edere, vel bibere amplius, quam oportet: cum ipsa conjuge concumbere amplius, quam oportet, & similia.

Lib. 2. *de Consensu Evangelistarum* c. 1. „ Exemplo hoc (Mariæ & Josephi) magnifice insinuatur Fidelibus conjugatis, etiam servata pari „ consensu continentia posse permanere vocarique conjugium non permixto corporis sexu, „ sed custodito mentis affectu; præsertim quia „ nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu „ carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est.

Lib. *de Continentia* c. 12. „ Quidam per incontinentiam se continent, velut si mulier contineat à marito, quia hoc juravit adultero. — „ Quidam non attingunt uxores suas, dum per „ magicas artes pervenire ad uxores moliuntur „ alienas. O mirabilem continentiam, imo vero nequitiam! Si enim vera esset continentia, „ magis ab adulterio, quam propter adulterium „ perpetrandum carnis concupiscentia debuit à „ conjugio continere. Hanc quippe concupiscentiam carnis relaxare solet continentia conjugalis, ejusque frœnis hactenus moderamen „ imponere, ut nec in ipso conjugio immoderata licentis diffluatur, sed custodiatur modus, „ aut infirmitati conjugis debitus, cui hoc non „ secundum Imperium præcepit, sed secundum „ veniam concedit Apostolus; aut filiis procreandis accommodatus, quæ non fuit causa „ miscendæ invicem carnis & patribus quondam „ & matribus Sanctis. Id autem faciens continentia, id est moderans, & quodammodo limitans in conjugibus carnis concupiscentiam & „ ejus inquietum atque inordinatum motum certis quodammodo finibus ordinans bene utitur „ hominis malo, quem facit & vult perficere bonum.

Lib. *de bono viduitatis* c. 4. „ Videri, etiam „ conjugalem pudicitiam, & thori Christi matrimonialem fidem Donum esse, & hoc à Deo „ (juxta illud: Unusquisque proprium donum „ habet à Deo 1. Cor. 7.) ut illud, quod ultra „ liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenus concupiscentia „ carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale sit propter nuptiarum bonum. Non enim de conjugio, quod copulatur liberorum procreandorum causa, & fide „ pudicitiæ conjugalis, & indissolubili, quamdiu „ ambo vivunt, matrimonii Sacramento, quæ „ omnia bona sunt; sed de illo immodico carnis „ usu, qui in infirmitate conjugum agnoscitur, „ & interventu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus: *Secundum veniam dico, non secundum imperium.*

Et cap. 8. „ Apostolus cum dixisset, bonum „ esse illis si sic permanserint, sicut & ego, addidit: *Quod si se non continent, nubant.* Hoc enim „ dixit, ut effrænatæ libidinis malum non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cum exciperetur honestate nuptiarum.

Expositione in Epist. ad Gal. Ad illa verba: *Dicite mihi &c.* „ Sara diu deserta est à concubitu viri propter cognitam sterilitatem. Non „ enim tales homines, qualis erat Abraham, ad „ explendam libidinem utebantur fœminis, sed „ ad successionem prolis.

Lib. 5. *de Civit. Dei* cap. 6. „ Tanta naturæ „ vis est, ut cum conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non possit. Unde „ necesse est, eadem esse in geminis momenta „ conceptus.

Lib. 15. contra Faustun. c. 7. „ Præceptum, „ non mœchaberis, ita violatis, ut hoc maxime „ in conjugio detestemini, quod filii procreantur; ac sic Auditores vestros, dum cavetis, „ ne fœminæ, quibus miscentur, concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis. Ducunt enim „ eas ex lege matrimonii tabulis proclamantibus, „ liberorum procreandorum causa; ex vestra lege metuentes, ne particulam Dei sui fordibus „ carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem fœminis impudica conjunctione miscentur: filios autem inviti suscipiunt, propter „ quod solum conjugia copulanda sunt.

Ibid. l. 19. cap. 26. „ Matrimonium ex hoc „ appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat, quod vobis „ odiosum est.

Ibid. l. 22. c. 30. „ Sicut lex æterna, id est „ voluntas Dei, conservando naturali ordini „ consulens, non ut satiandæ libidini serviatur, sed ut saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari sinit; sic econtrario perversa „ lex Manichæorum, ne Deus eorum, quem ligatum in omnibus feminibus plangunt, in conceptu fœminæ arctius colligetur, prolem ante „ omnia devitari à concumbentibus jubet.

Ibid. lib. 22. cap. 48. „ Credant, non frustra tam magnum honorem sanctitatis tributum quibusdam viris etiam plures uxores habentibus (nempe Patriarchis) nisi quia fieri „ potest, ut imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium, „ ex providentia generandi leges impositas non „ permittat excedere. — Sicut fieri potest, ut „ homo ad concubitum non ingrediatur voluntate generandi, sed luxuriandi libidine rapiatur, & tamen nascatur homo, bonum Dei opus de fœcunditate feminum, non de turpitudine vitiorum; ita sancti Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur „ non concupiscentia percipiendæ voluptatis, „ sed providentis propagandæ successionis; ac „ per hoc non illos libidinosos faciebat multitudo uxorum. Sed quid de viris loquar, cum „ ipsas fœminas satis elucet, nihil aliud in concubitu appetisse quam filios?

Idem lib. 22. cap. 61. „ Consulta æterna lex „ illa, quæ ordinem naturalem conservari jubet, „ perturbari vetat, non nisi propagationis causa „ statuit hominis concubitum fieri; & hoc non „ nisi socialiter ordinato connubio, quod non „ pervertat vinculum pacis; & ideo prostitutio

„ fœmi-

„ fœminarum non ad subſtituendam prolem, ſed „ ad ſatiandam libidinem propoſitarum, divina „ atque æterna lege damnatur.

Ibid. lib. 31. cap. 5. „Vos, quod carnes diabolus operetur, eas tanquam immundiora Dei „ veſtri vincula exhorrentes abjicitis. Auditoribus autem veſtris ſecundum veniam hæc edenda conceditis; ſicut quibuſdam concedit „ Apoſtolus ſecundum veniam non omnem concubitum, conjugalem etiam, qui fit ſola cauſa „ generandi, ſed eum, qui fit per incontinentiam „ ſed tamen cum conjuge. Neque enim conceditur ſecundum veniam niſi peccatum; hoc „ vobis de omni carnium cibo ſentitis; hoc & „ veſtros Auditores docetis; ſed illis, quod ſit „ ignoſcendum, propter quod vobis neceſſaria „ miniſtrant, ut dixi, conceditis, non dicentes „ non eſſe peccatum, ſed peccantibus veniam „ largientes; vos autem ab omni tali tanquam „ immunda contagione abſtinetis.

Ibidem c. 6. „Vos eum præcipue concubitum deteſtamini, qui ſolus honeſtus & conjugalis eſt, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ ſe gerunt, liberorum procreandorum „ cauſa, unde vere non tam concumbere, quam „ nubere prohibetis. Concumbitur enim etiam „ cauſa libidinum, nubitur autem non niſi filiorum. — Videtis ergo multum intereſſe inter „ hortantes ad virginitatem (Catholicos) & (vos) „ prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui ſolus proprie nuptialis eſt, vehementius accuſando.

Lib. 2. *contra adverſarium legis* cap. 11. „Ipſe „ eſt (Deus) qui dixit: Non concupiſces: nec „ ſicut iſte criminatur, indixit ſeptenas ſingulis „ nuptias, ſed propagandi cauſa connubia caſta „ permiſit. – Ipſe eſt, qui maſculum & fœminam „ propagandi generis cauſa nuptiali caſtitate conjunxit.

Lib. *de bono conjugali* cap. 3. „Bonum conjugii, quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, cur ſit bonum merito quæritur. Quod „ mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Alioquin jam „ non diceretur conjugium in ſenibus, præſertim „ ſi amiſiſſent filios, vel minime genuiſſent. „ Nunc vero in bono, licet annoſo conjugio, & „ ſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem; quia quanto meliores ſunt, „ tanto maturius à commixtione carnis ſuæ pari „ conſenſu ſe continere cœperunt, non ut neceſſitatis eſſet poſtea non poſſe quod vellent, „ ſed ut laudis eſſet primum noluiſſe, quod poſſent. Si ergo ſervatur invicem fides honoris „ & obſequium debitorum ab alterutro ſexu, etiamſi langueſcentibus & prope cadaverinis utriuſque membris animorum tamen rite conjugatorum tanto ſincerior, quanto probatior, & „ tanto ſecurior, quanto placidior caſtitas perſeverat. Habent etiam id bonum conjugia, quod „ carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamſi vitioſa eſt, ad propagandæ prolis redigitur honeſtatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis: deinde quia reprimitur, & quodammodo verecundius æſtuat „ concupiſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus: intercedit enim quædam gravitas „ fervidæ voluptatis, cum in eo ipſo, quod ſibi „ vir & mulier adhæreſcunt, pater & mater eſſe „ meditantur.

Ibid. cap. 5. „Solet etiam quæri, cum maſculus & fœmina, nec ille maritus nec illa uxor „ alterius, ſibimet non filiorum procreandorum „ ſed propter incontinentiam ſolius concubitus „ cauſa copulantur, ea fide media, ut nec ille „ cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum „ nuptiæ ſint vocandæ. Et poteſt quidem fortaſſe non abſurde hoc appellari connubium, ſi „ uſque ad mortem alterius eorum id inter eos „ placuerit, & prolis generationem, quamvis non „ ea cauſa conjuncti ſint, non tamen vitaverint, „ ut vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam opere „ aliquo malo agant, ne naſcantur. Cæterum ſi „ vel utrumque vel unum horum deſit, non invenio, quemadmodum has nuptias appellare „ poſſimus. Etenim ſi aliquam ſibi vir ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam vel honoribus vel facultatibus ſuis inveniat, quam comparem ducat, ipſo animo adulter eſt, nec cum „ illa quam cupit invenire, ſed cum iſta cum qua „ ſic cubat, ut cum ea non habeat maritale conſortium. Unde & ipſa hoc ſciens ac volens „ impudice utique miſcetur ei, cum qua non habet fœdus uxorium. Verumtamen ſi ei fidem „ thori ſervet, & cum ille uxorem duxerit, nubere ipſa non cogitet, atque à tali opere prorſus continere ſe præparat, adulteram quidem „ fortaſſis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus „ uxor non eſt, miſceri ſciat? Jam vero ſi in illo concubitu quantum ad ipſam attinet, non „ niſi filios velit, & quidquid ultro cauſam procreandi patitur, invita patiatur, multis quidem „ iſta matronis anteponenda eſt, quæ tametſi non „ ſunt adulteræ, viros tamen ſuos plerumque „ etiam continere cupientes ad reddendum carnale debitum cogunt, non deſiderio prolis, ſed „ ardore concupiſcentiæ ipſo ſuo jure intemperanter utentes, in quarum tamen nuptiis bonum eſt hoc ipſum, quod nuptæ ſunt. Ad „ hoc enim nuptæ ſunt, ut illa concupiſcentia „ redacta ad legitimum vinculum non deformis „ & diſſoluta fluitaret, habens de ſeipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem de nuptiis autem „ indiſſolubilem fidei ſocietatem; de ſeipſo progreſſum immoderate coeundi, de nuptiis modum caſte procreandi. Etſi enim turpe eſt „ libidinoſe uti velle marito, honeſtum eſt tamen, nolle miſceri niſi marito, & non parere „ niſi de marito.

Ibid. cap. 6. „Sunt item viri uſque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum. Jam in ipſa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non ſecundum „ imperium præcipit, ſed ſecundum veniam concedit Apoſtolus, ut etiam præter cauſam pro-

 „creandi

„ creandi sibi misceantur; & si eos pravi mores „ ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen „ ab adulterio seu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed „ propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi „ conjugati non solum ipsius sexus sui committendi fidem, liberorum procreandorum causa, „ quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem „ excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, „ mutuam quodammodo servitutem, ut si & alteri eorum perpetua continentia placeat, nisi „ ex alterius consensu non possit, & ad hoc enim „ uxor non habet potestatem sui corporis, *sed „ vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*, ut & quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis & incontinentiæ „ causa expetit vel ille de matrimonio, vel illa „ de marito, non sibi alterutrum negent, ne per „ hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum. Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet „ culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori venialem habet culpam; adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam: ac per hoc „ melior est quidem ab omni concubitu continentia, quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi.

Et cap. 7. „ Sed quia continentia illa meriti amplioris est; reddere vero debitum conjugale nullius est criminis; exigere autem ultra „ generandi necessitatem culpæ venialis; fornicari vero vel mœchari puniendi criminis, cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi „ quærit, unde amplius honoretur, conjugi faciat, unde damnetur (si faciendo divortium „ dat alteri ansam mœchandi.) -- Quæ si ita sunt, „ tantum valet illud sociale vinculum conjugum, „ ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa „ causa procreandi solvatur.

Et cap. 9. „ Sane videndum est, alia bona „ nobis Deum dare, quæ propter seipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia: alia quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut „ doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium, „ concubitus. Horum enim quædam necessaria „ sunt propter sapientiam, sicut doctrina; quædam propter salutem, sicut cibus, potus & somnus; quædam propter amicitiam, sicut nuptiæ, vel concubitus; hinc enim subsistit propagatio humani generis, in quo societas amicabilis magnum bonum est. His itaque bonis, „ quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad „ hoc, propter quod instituta sunt, utitur, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc utitur, propter quod „ data sunt, bene facit -- per hoc bonum est nubere, quia bonum est filios procreare, matremfamilias esse. -- Ex quo colligitur, primis temporibus generis humani, maxime propter populum Dei propagandum, uti debuisse isto non „ propter se expetendo, sed propter aliud necessario bono nuptiarum. Nunc vero, cum ad „ ineundam sanctam societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritalis cognationis „ exuberet, etiam propter filios solos connubio „ copulare cupientes, ut ampliore continentiæ „ bono potius utantur, admonendi sunt.

Et cap. 10. „ Unde mihi videtur, hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere. -- Non nuptias secundum veniam „ concedit Apostolus: Nam quis ambigat, absurdissime dici, non eos peccasse, quibus venia „ datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non „ sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant, si tamen non sit „ ita nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum „ usum, qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis & „ solus ipse nuptialis est; ille autem, qui ultra „ istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur: & hunc tamen „ non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt, quod honestum est, quam „ quod inhonestum est; id est, quod est nuptiarum, quam id, quod non est nuptiarum, hoc „ eis authore Apostolo secundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices „ nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non à se avertant, vel non abstinendo „ quibusdam diebus, ut orationibus vacent, & „ per hanc abstinentiam sicut per jejunia commendent preces suas vel immutando naturalem usum in usum, qui est contra naturam, „ quod damnabilius fit in conjuge. Nam cum „ ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis fit in uxore, in meretrice damnabilis, iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. -- Decus ergo conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides; hoc „ est opus nuptiarum; hoc ab omni crimine defendit Apostolus -- exigendi autem debiti ab „ alterutro sexu immoderatior progressis conjugibus secundum veniam conceditur.

Et cap. 13. „ Illis temporibus (V. T.) officio propagandi nuptias copulabant, non victi „ libidine, sed ducti pietate -- plures (conjuges) „ castius habebant, quam nunc unam quilibet istorum, quibus videmus, quid secundum veniam concedat Apostolus: habebant enim eas „ in opere generandi, non in morbo desiderii, „ sicut gentes, quæ ignorant Deum. Quod tam „ magnum est, ut multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa, si „ matrimonio copulentur. Nempe multos habemus utriusque sexus continentes, expertos „ nuptias, quem tandem audivimus inter familiaria colloquia indicantem nobis, nunquam se „ conjugi esse commixtum, nisi sperando conceptum? Quod ergo præcipiunt conjugatis A-

„ postoli,

„ postoli, hoc est nuptiarum; quod autem ve-„ nialiter concedunt, aut quod impedit oratio-„ nes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.

Et cap. 16. „Quod est cibus ad salutem ho-„ minis, hoc est concubitus ad salutem generis, „ & utrumque non est sine delectatione carnali. „ Et quod est in luxuria ventris & gutturis illici-„ tus cibus, hoc est in libidine nullam prolem „ quærente illicitus concubitus. Et quod in ci-„ bo licito nonnullis immoderatior appetitus, „ hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.

Et cap. 17. „Ipsæ nuptiæ in omnibus genti-„ bus eadem sunt filiorum procreandorum cau-„ sa, qui, qualeslibet postea fuerint, ad hoc ta-„ men institutæ sunt nuptiæ, ut ordinate hone-„ steque nascantur. — Quamvis utrorumque „ (modernorum, & Patriarcharum) nuptiæ, in „ quantum nuptiæ sunt, quia procreandi causa „ sunt, æqualiter bonæ sunt, hi tamen homines „ conjugati illis hominibus conjugatis non sunt „ comparandi. Habent enim isti, quod illis pro-„ pter honestatem nuptiarum, quamvis ad nu-„ ptias non pertineat, secundum veniam conce-„ datur, id est, progressum illum, qui excedit „ generandi causam vel necessitatem, quod illi „ non habebant.

Et cap. 25. „Nostros, qui conjuges habent, „ quantum possumus, admonemus ne animus „ carnalibus motibus acquiescat, eosque in con-„ cubitum ultra generandi necessitatem prolabi „ aut progredi sinat, quantum ordo naturæ, quan-„ tum morum consuetudo, quantum legum scita „ præscribunt.

Lib. 2. *de adulterinis conjugiis*, cap. 11. & 12. „ Si causa incontinentiæ non sunt excusanda a-„ dulteria, quanto minus excusantur procrean-„ dorum causa filiorum? Illi quippe infirmitati, „ hoc est, incontinentiæ voluit Apostolus sub-„ veniri honestate nuptiarum, nam utique in-„ continentia vitium est, conjugium autem non „ est vitium. Et ideo fit per hoc bonum, ut il-„ lud veniale fit malum. Cum sint ergo nuptiæ „ causa generandi institutæ, ea causa fiebant à „ patribus, qui tantum officio generandi fœmi-„ nis miscebantur. — Tunc ergo etiam propter „ propagationem filiorum in nuptias descende-„ bat officio; nunc autem vinculum nuptiale in-„ continentiæ subvenit vitio, ut ab eis, qui se „ non continent, non per turpitudinem stupro-„ rum, sed per honestatem conjugiorum fiat pro-„ pagatio filiorum. Cur ergo non dicit Aposto-„ lus: *Si filios non habet, nubat?* Quia scilicet hoc „ tempore continendi ab amplexu non est neces-„ se filios propagare. Et quare dicit: *Si se non continet, nubat?* Utique propterea, ne per eam „ incontinentiam cogatur adulterare. Si ergo se „ continet, nec nubat, nec generet. Si autem „ se non continet, licite nubat, ne turpiter ge-„ neret, aut turpius concumbendo non generet: „ quanquam hoc, quod ultimum dixi, nonnulli „ faciunt etiam licite conjugati. Illicite namque „ & turpiter etiam cum legitima uxore concum-„ bitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod „ faciebat Onan filius Judæ, & occidit illum pro-„ pter hoc Deus. Propagatio itaque filiorum „ ipsa est prima & naturalis & legitima causa nu-„ ptiarum, ac per hoc, qui propter incontinen-„ tiam conjunguntur, non sic debent temperare „ malum suum, ut bonum exterminent nuptia-„ rum, id est, propaginem filiorum. De incon-„ tinentibus quippe loquebatur Apostolus, ubi „ ait: *Volo juniores nubere, filios propagare.* Cum „ dicebat: *Volo juniores nubere*, hoc utique mone-„ bat propter ruinam incontinentiæ fulciendam. „ Sed ne forte ab eis sola carnalis concupiscen-„ tiæ cogitaretur infirmitas, cui tantummodo es-„ set opere connubii serviendum, nuptiarum au-„ tem vel contemneretur vel negligeretur bo-„ num, continuo subjunxit; *filios procreare, ma-„ tresfamilias esse.* Qui vero eligunt continere, „ melius utique aliquid eligunt, quam est nuptia-„ rum bonum, hoc est, generatio filiorum.

Lib. 1. *de peccatorum meritis* cap. 29. „Bonum „ conjugii non est fervor concupiscentiæ, sed „ quidam licitus & honestus illo fervore utendi „ modus, propagandæ proli, non explendæ li-„ bidini accommodatus: voluntas ista, non vo-„ luptas illa nuptialis est. Quod igitur in mem-„ bris corporis mortis hujus inobedienter move-„ tur, totumque animum in se dejectum conatur „ attrahere, & neque cum mens voluerit, exur-„ git, neque cum mens voluerit quiescit, hoc est „ malum peccati, in quo nascitur omnis homo. „ Cum autem ab illicitis corruptionibus refræna-„ tur, & ad sola generis humani supplementa or-„ dinate propaganda permittitur, hoc est bonum „ conjugii, per quod ordinata societate nascitur „ homo.

Et lib. 3. cap. 12. „Hoc (de menstruata non „ attingenda in conjugio præceptum) Ezechiel „ inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè ac-„ cipienda sunt.

Lib. 2. contra Pelagium & Cœlestium cap. 33. „ Sic autem argumentantur Pelagiani, dicentes: „ Ergo malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei „ homo, quem generant nuptiæ. Quasi nuptia-„ rum sit morbus concupiscentiæ, in quo uxores „ diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus „ prohibet; ac non potius pudicitia conjugalis, „ qua in bonos usus ordinate filios procreandi „ redigitur libido carnalis. — Utrumque propa-„ gatur, & natura & naturæ vitium, quorum u-„ num est bonum, & alterum malum: illud de „ conditoris largitate sumitur; hoc de originis „ damnatione attrahitur.

Et cap. 34. „Bonum ergo sunt nuptiæ in o-„ mnibus, quæ sunt propria nuptiarum. Hæc „ autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pu-„ dicitiæ, connubii Sacramentum. Propter or-„ dinationem generandi scriptum est: Volo ju-„ niores nubere, filios procreare, matresfamilias „ esse.

Et cap. 38. „In stirpe damnata tenet homi-„ nem generatio carnalis, unde sola liberat rege-„ neratio spiritalis; ideo regeneratis parentibus „ non nocebit, nisi cum ea male utuntur, non „ solum in omnibus illicitis corruptelis, verum „ etiam in ipsis conjugibus, quando non propa-„ gandi voluntate operam creandis filiis impen-„ dunt, sed lasciviendi voluptate exsaturandæ li-„ bidini inserviunt. Quod propter vitandas for-

„ nica-

„ nicationes maritis & uxoribus ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut orationibus vacent, secundum veniam, non secundum imperium concedit Apostolus: Evidenter quippe, dum tribuit veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa procreandorum fieri filiorum per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: qui licet sine bestiali motu, de quo natura erubescit, fieri non potest, tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.

Lib. 1. *de Nuptiis & Concupiscentia* cap. 4. „Copulatio maris & fœminæ gerandi causa bonum est naturale nuptiarum; sed isto bono male utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quanquam in nonnullis animalibus rationis expertibus, sicut in plerisque alitibus & conjugiorum quasi quædam confœderatio custoditur, & socialis nidificandi solertia, vicissimque ovorum dispertita tempore fovendorum, & nutriendorum alterna opera pullorum, magis eas videri faciunt agere, cum coeunt, negotium substituendi generis, quam explendæ libidinis. Eodem ergo modo concupiscentiam carnis in usum justitiæ convertunt Fidelium nuptiæ: habent quippe intentionem generandi regenerandos. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis.

Et cap. 8. „Non solum igitur conjugatus fidelis vase non utatur alieno, quod faciunt, à quibus uxores alienæ appetuntur; sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendum est, tanquam prohibuerit Apostolus conjugalem, hoc est, licitum honestumque concubitum, sed ut iste concubitus non sit voluntatis, sed necessitatis. --- Illo concupiscentiæ malo utitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æstuantem frænat, & cohibet, neque nisi propagini consulens relaxat, atque adhibet, ut spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non ut spiritum carni sordida servitute subjiciat. Sic patres sanctos ex Abraham & ante Abraham usos fuisse conjugibus neminem oportet dubitare Christianum; quando quibusdam etiam plures habere concessum est, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis. Nam si Deo illa numerositas conjugum propterea non displicuisset, ut copiosius se libido jactaret, ita etiam sanctæ fœminæ servissent plures singulæ: quod si aliqua faceret, quid eam nisi concupiscentiæ turpitudo compelleret, ut plures viros haberet, quando ista licentia plures filios non haberet?

Et cap. 12. „Quamvis conjugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non sit ipse peccatum, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati.

Cap. 14. „Verum in conjugatis, ut hæc optanda & laudanda (nempe continentiæ perpetuæ exempla) sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est, in fornicationes vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum etiam illi concubitus conjugum, qui non fiunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ serviunt, in quibus jubentur non fraudare invicem, ne tentet eos Satanas propter intemperantiam suam, non quidem secundum imperium præcipiuntur, tamen secundum veniam conceduntur. Ubi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se non continent, debitum ab altero carnis exposcunt non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neque enim etiam ille concubitus, quo servitur concupiscentiæ, sic agitur, ut impediatur fœtus, quem postulant nuptiæ.

Et cap. 15. „Sed tamen aliud est, non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non causa propagandæ prolis concumbitur, nec tamen hujus libidinis causa propagationi prolis obsistitur sive voto malo, sive opere malo.

Idem lib. 2. cap. 35. „Ostendit, si concupiscentia foret naturalis hominis conditio, etiam in paradiso futurum fuisse usum conjugii in gravidis, quod est alienum à ratione. Absit enim, inquit, ut beatitudo illa posset, aut in loco illo non habere, quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod nollet, ac per hoc, si motus libidinis voluntatem præveniret, voluntas continuo sequeretur, uxorque ab hoc nunquam absens esse debebat, sed sive conceptura, sive jam gravida illico admoveretur; & aut proles seminaretur, aut voluptas naturalis & laudabilis expleretur, & periret semen hominis, ne appetitus tam bonæ concupiscentiæ fraudaretur. Quid si & ille usus contra naturam forsan delectaret? --- Si hinc erubuerit, & dixerit, tantum ordinem in his rebus esse potuisse, ut nunquam carnis concupiscentia voluntatem illorum hominum præveniret, sed cum ipsi vellent, tunc illa consurgeret; tunc antem vellent, quando ad seminandos filios opus esset, ita ut nullus feminis irritus esset jactus, nullus fieret concubitus, quem non sequeretur conceptus & partus ad nutum servienti libidine; hoc si dicit, dicat saltem per

„ illo-

„ illorum (Adami & Evæ) inobedientiam etiam „ ipsam (libidinem) esse vitiatam.

Lib. 2. contra Julianum cap. 7. „ Neque, „ quod ego commemoravi, secundum Apostolum veniam concedi, ubi procul dubio notatur, etsi ignoscitur culpa, saltem verbotenus „ attingere voluisti.

Cap. 9. „ Qui (Ambrosius) nuptiarum bonum, & causa propagandi generis humani divinitus institutum agnovit.

Et cap. 10. „ Sine peccato semper essemus, „ donec sanaretur hoc malum (concupiscentiæ) „ si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed „ quibus ab illo rebellante, etsi non lethaliter, „ sed venialiter, tamen vincimur, in his contrahimus unde quotidie dicamus: Dimitte nobis „ debita nostra. Sicut conjuges quando modum „ generationi necessarium causa solius voluptatis excedunt. De hac lege peccati, quæ alio „ modo etiam peccatum vocatur, quæ repugnat „ legi mentis, attestantur etiam Sancti Cyprianus, „ Hilarius, &c.

Et cap. 9. „ Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptismate? nisi quia „ mortuum est in eo reatu, quo nos tenebat. „ Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quod fit reatu primi „ hominis factum, & quod nos trahere nititur „ ad peccatum.

Ibid. lib. 3. cap. 14. „ In conjugibus, inquis, (concupiscentia) cum honestate exercetur. Ergone à conjugibus non frænatur hoc „ malum. Prorsus cum libitum fuerit, sternunt „ se conjuges, & invadunt, quandocunque titillaverit; nec ad horam cubandi iste appetitus „ differtur, sed tunc videtur legitima esse corporum commixtio, quando istud naturale tuum „ bonum fuerit sponte commotum? Si talem duxisti vitam conjugalem, desine te tuis experimentis in disputatione committere, & de aliis „ potius, quemadmodum sit ducenda vel docenda, perquire. Si vero & pudicitia conjugalis, „ & propter immoderata in ipso quoque connubio volutabra libidinis frænat hanc pestem, „ quid est, quod dicis: *in conjugibus cum honestate exercetur*, quasi honestus sit appetitus iste „ semper in conjuge, & nihil ei saltem secundum veniam, sicut dicit Apostolus, concedatur?

Et cap. 16. „ Omnino in genere suo nuptiæ bonum sunt, sed ideo bonum, quia fidem thori servant, quia prolis suscipiendæ „ causa sexum utrumque commiscent, quia impietatem separationis exhorrent. Hæc sunt „ bona nuptialia, quibus nuptiæ bonum sunt, „ quæ sæpissime diximus esse potuisse, etiam si „ nemo peccasset. Post peccatum autem accessit eis non de felicitate, sed de necessitate certamen, ut suo bono pugnent etiam ipsæ contra concupiscentiæ malum, ejus malo utentes „ in propagatione prolis. Illud vero quis neget „ malum, nisi qui non audit Apostolum monentem: Hoc autem dico secundum veniam; quando conjuges non prolis suscipiendæ, sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt, hoc non laudatur, sed ignoscitur in „ comparatione mali pejoris intervenientibus & „ deprecantibus nuptiis.

Ibid. lib. 3. cap. 21. „ Sanctarum virginum „ non gloriosa ego, sed gloriosiora dicere malui. „ Habet enim palmam de hujus mali subjectione, „ quamvis minorem pudicitia etiam conjugalis. „ Belligerat enim etiam ipsa contra carnalem „ concupiscentiam, ne limites thori nuptialis excedat. Et si tantas vires habet ista pudicitia „ conjugalis, ut faciat, quod præscribunt tabulæ „ matrimoniales, in ipso quoque thoro conjugali conflictu fortiori belligerat, ne ultra quam „ generandis filiis satis est, etiam ipsum conjugis „ corpus attrectet. Talis pudicitia nec menstruatis nec gravidis utitur fœminis, nec ejus „ ætatis, qua certum est, eas jam concipere non „ valere. Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cum speratur „ generationis effectus. Si quid vero fit in conjuge, non quidem contra naturam, sed tamen „ quod tabularum matrimonialium limitem transeat, veniale apud Apostolum reperitur.

Et cap. 23. „ Non enim copula nuptialis, „ sicut putas, propter carnis concupiscentiam, „ sed propter bonum, quod de isto malo fit, instituta est.

Ibid. lib. 4. cap. 1. „ Exultas, quod teste Apostolo dixerim, donum Dei esse pudicitiam „ conjugalem. -- Non itaque parvum donum „ Dei est, ita frænari hoc malum, ut ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantum regenerandorum serviat filiorum.

Et cap. 2. „ In eo, quod dixi, bonum conjugale, etiamsi non habetur, à Domino esse „ poscendum, visus sum tibi dicere, pro concumbendi viribus supplicandum. Sed ego pro „ ipsa pudicitia conjugali dixi rogandum Deum, „ in qua est concumbendi non liber usus, sed licitus modus. Nam homo si concumbere non „ potest, potius non quærat uxorem, quandoquidem Apostolica sententia, ubi ait: *Si se non „ continet, nubat*, remedium voluit esse nuptias „ contra morbum concupiscentiæ. Hoc autem „ remedium est, non ut sit concupiscentis, si „ non est, sed ut non rapiat ad illicita.

Et cap. 4. „ Amor fruendi creaturis sine amore Creatoris non est à Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non est „ nisi à Deo. Per hunc amorem Creatoris bene „ quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus est, ut bonum „ beatificum sit & pudicitia conjugalis, ut sit ejus „ intentio quando utitur conjugis carne, non in „ voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis; Si autem vicerit, & propter se ipsam, non „ propter filios propagandos, fieri aliquid extorserit, & voluptas veniale peccatum sit propter „ nuptias Christianas.

Ibid. lib. 5. cap. 9. „ Tantum excessum libidinis (in conjugibus) identidem culpas, ipsam „ laudare non cessas. Nec attendas malum esse, „ cui ne limitem necessitatis excedat, cogitur „ temperantia repugnare. Quamvis tu, quod „ monuit Apostolus, ne in morbo desiderii suum „ vas

„ vas quisque possideat, non de conjugio, sed de „ fornicatione accipiendum putaveris, atque ita „ temperantiæ totam honestatem de concubitu „ conjugum abstuleris, ut nemo sibi videatur in „ morbo desiderii suum vas possidere, quantacunque libidine in uxoribus genitalibus potuerit insanire. Si enim ullum ibi tenendum existimares modum, potuisti & illic concupiscentiæ reprebendere excessum. – Sicut & (Paulus) secundum veniam concedit, quamvis cum „ conjuge, non utique illum prolis, sed qui fit „ voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant Christiana conjugia, non te, qui vis in „ eis, quam defendis, nunquam frænari concupiscentiam, sed quotiescunque se commoverit, „ satiari avidam, regnare securam. Hunc audiant, inquam, Fideles Christi, qui sunt connubio colligati, ut ex consensu temperent, quo „ vacent orationi; & cum ad idipsum redeunt „ propter intemperantiam suam, noverint etiam „ inde dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra. „ Quod enim secundum veniam, non secundum „ imperium à tanto Doctore dicitur, utique ignoscitur, non jubetur.

Et ibid. lib. 5. cap. 12. „ Ego, quia liberorum procreandorum causa uxores esse ducendas honestas consentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas, præter fidem, & „ prolem, cujus generandæ causa sexus uterque „ miscendus est, adverti etiam tertium bonum „ (Sacramenti.) – Si aliter, nisi per concubitum, proles posset procreari,& tamen concumberent conjuges, apertissime libidini cederent, „ atque illo malo uterentur male. Cum propter „ quod sexus ambo instituti sunt, nisi eorum „ commixtione non nascitur homo, propter hoc „ mixti conjuges illo malo utuntur bene. Si autem de libidine etiam quærunt voluptatem, venialiter male.

Et cap. 16. „ Nos dicimus, illud esse contra „ voluntatem, ut caro concupiscat adversus spiritum, non illud, ut spiritus adversus carnem. „ Per quam concupiscentiam bonam fit, ut nisi „ causa generandi non utantur conjuges carnis „ libidine, ac sic malo utantur bene; qui usus „ bonus mali facit honestum concubitum, vere „ que nuptialem. Voluptatis autem causa, non „ prolis, facit concubitum culpabilem, sed in „ conjuge venialem.

Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 16. „ Quo malo (concupiscentiæ) propter bonum „ generationis filiorum bene utuntur pudica conjugia. Solius autem carnalis voluptatis causa „ libidini consentire (id est, præeuntem sequi) „ peccatum est, quamvis conjugatis secundum „ veniam concedatur.

Et lib. 3. cap. 5. „ Alius habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem „ operatur, non tamen ita, ut ille bene moratus „ (Christianus) incontinentiam suam sustentat „ honestate nuptiarum, conjugii carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verum etiam voluptatis, quamvis „ cum sola uxore concumbit, quod conjugatis „ secundum veniam concedit Apostolus; injurias tamen non patienter accipit -- nempe iste, „ qui moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem, secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus Deum laudat, „ atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem recte factorum, de hac vita liberandus & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat. Quare, nisi „ propter fidem? quæ licet sine operibus neminem salvat, tamen per ipsam etiam peccata solvuntur.

In Psal. 80. „ Sunt homines omnino contemptores sæculi hujus, non bærent dilectione „ aliqua terrenis operibus, sancti, casti, continentes. – Sunt autem alii, qui rebus infirmitati concessis inbærent aliquantum dilectione. „ Non rapit villam alienam, sed sic amat suam, „ ut si perdiderit, conturbetur. Non appetit „ uxorem alienam, sed sic inbæret suæ, sic miscetur suæ, ut modum non ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreandorum causa „ -- isti babent ligna, fœnum, stipulam super „ fundamentum, sed rerum concessarum, non illicitarum. -- Si talis es, -- salvus eris, cum ardere cœperit, quod ædificasti, sic tamen quasi „ per ignem. Nemo enim super fundamentum „ boc ædificans adulteria, blasphemias, sacrilegia, idololatrias, perjuria, putet se salvum fu „ turum per ignem, quasi ista sint ligna, fœnum, „ stipula, sed qui ædificat amorem terrenorum „ super fundamentum regni cœlorum, id est, super Christum, ardebit amor rerum temporalium, & ipse salvus erit per idoneum fundamentum.

Lib. *de decem Chordis* cap. 11. „ In ipsis concessis peccata sunt. Cum ipsa uxore, si excæditur concumbendi modus procreandis liberis „ debitus, jam peccatum est. Ad hoc enim ducitur uxor: nam id etiam tabulæ indicant, ubi „ scribitur, *procreandorum liberorum causa*. Quando tu uti uxore amplius, quam necessitas procreandorum liberorum cogit, volueris, jam „ peccatum est; & ipsa talia peccata quotidianæ „ eleemosynæ mundant. In ipsis alimentis, quæ „ utique concessa sunt, si forte excedis modum, „ & amplius accipis, quam necesse est, peccas. „ Quotidiana sunt ista, quæ dico, sed tamen peccata sunt.

Homil. 50. inter 50. *de necessitate pœnitentiæ*: enumerans varias causas agendæ pœnitentiæ, dicit: „ Si Dei Ministri, quanto magis cætera multitudo quotidianam debet agere pœnitentiam? „ qui quamvis à flagitiis immunes esse debeant, „ tamen propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctissima vincula tam „ multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi, quam luto oblinire videantur. – „ Hinc est etiam illud: In idipsum estote, ne vos „ tentet Satanas propter incontinentiam vestram. „ Quod ut peccatum demonstraret esse, sed infirmitati concessum, subjecit statim: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Sola enim generandi causa est inculpabilis sexus utriusque commixtio.

Serm. 34. *de diversis* cap. 7. 8. 9. & 10. enumerans varia peccata addit: „ Quæ peccata homines quando faciunt, putant se non peccare, „ quia

„quia nulli hominum nocent. Qui seipsos corrumpunt voracitate, ebrietate, respondent, cui quid rapui? -- Unam rem commemoravi, ut videatis, quomodo peccent, qui seipsos corrumpunt, cum sibi innocentes videntur. Sed quoniam in ipsa fragilitate vitæ hujus difficile est, ut homo non excedat modum aliquantulum in his rebus, quibus ad necessitatem utitur, adhibendum est illud remedium: *Dimitte nobis debita nostra*. -- Si tua (uxore) intemperantius usus fueris, nunquid nocere videris alicui, quia uteris tua? Sed eoipso concesso (quod non noceas alteri) immoderatius utendo corrumpis in te templum Dei. Nemo te accusat extraneus. Sed quod responsum dabit Deo conscientia tua dicenti per Apostolum: *Ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desideriorum, sicut gentes, quæ ignorant Deum?* Quis est autem habens uxorem, qui eo modo utatur uxore, ut non excedat legem liberos procreandi? ad hoc enim data est, convincunt te tabulæ, quæ scribuntur in matrimonio. Pactus es, quemadmodum duceres: sonat tibi Scriptura pactionis, *liberorum procreandorum causa*. Si modum excesseris, contra illas tabulas facies, & contra pactum. Quærit in te Deus integritatem templi sui, & non invenit: non quia tua usus es; sed quia immoderate usus es. Nam & vinum de apotheca tua bibis, & tamen si sic bibis, ut inebrieris, non quia re tua usus es, ideo non peccasti: donum enim Dei convertisti ad corruptionem tuam. Quid ergo? certe manifestum est, & renuntiat omnium conscientia; quia difficile est, sic uti rebus concessis, ut non aliquantulum excedatur modus. Quando autem excesseris modum, offendis Deum, cujus templum es.

Serm. 53. *de diversis* cap. 13. & 14. „Qui uxoris carnem amplius appetit, quam præscribit limes ille, *liberorum procreandorum causa*, contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conspectu omnium attestantium, & recitatur, *liberorum procreandorum causa*, & vocantur tabulæ matrimoniales. Nisi ad hoc dentur, ad hoc accipiantur uxores, quis sana fronte dat filiam suam libidini alienæ? Sed ut non erubescant parentes, cum dant, recitantur tabulæ, ut sint soceri, non lenones. Quid ergo de tabulis recitatur? *Liberorum procreandorum causa*. -- Erubescat & maritus aliter accipere; si erubescit pater aliter dare. -- Nunquid hoc non est peccatum, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: *Hoc autem dico secundum veniam*. -- Qui liberorum procreandorum causa habent uxores magni viri, quales fuisse patres legimus, si eis posset præstari, ut haberent filios sine concubitu, nonne ineffabili gaudio tantum beneficium amplecterentur? Duo sunt opera carnalia, quibus constat genus humanum, in quæ duo opera prudentes & sancti ex officio descendunt; imprudentes autem in ea per cupiditatem ruunt. Primum est, quod pertinet ad sumenda alimenta. -- Ad manducandum & bibendum quam multi voraciter irruunt. -- Hos ad mensam non adducit nisi concupiscentia carnis, non indigentia refectionis. Itaque isti cadunt in escam & potum. Illi autem, qui descendunt ex officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant, sed ideo comedunt, ut vivant. -- Usque ad eum modum carnale opus expetite, ut filios procreetis; & quia non aliter potestis habere filios, ad illud cum dolore descendite.

VIII.

S. FULGENTII.

Anno 500.

In Epistola 1. quæ inscribitur: *De conjugali debito*, sic habet: „Dicis, conjugalem tuam pene usque ad extremum nuper ægrotasse periculum, & sicut plerumque contingit, accepta manus impositione pœnitentiam secundum morem, quem habet Christiana Religio, peregisse. Verum quia postmodum plenam accepit corporis sospitatem, fragilitatem carnis allegans, ætatis insuper juvenilis incontinentiam confiteris. Et in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem consideras, majestatemque formidas, velut nauta locorum ignarus, & fluctibus ventisque jactatus, dum periculorum incerta præcaves, nostra tibi responsione demonstrari flagitas portum, ubi animæ possis vitare naufragium. Tenor ergo interrogationis tuæ me compellit, duo non segniter consideranda pensare, scilicet non solum quid in se conjugalis admixtionis qualitas habeat, sed etiam quid in unaquaque re pollicitatio voventis exposcat. Igitur culpabilis usus non in conjugali concubitu, sed in concumbentium reperietur excessu. Neque ex commixtione maris & fœminæ, sed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus conjugalis. In conjugibus ergo excessus jure reprehenditur; nuptialis tamen dignitas collati sibi divinitus honoris munere non privatur. Ideo Paulus quorundam infirmitatem videns tanquam parieti inclinato & maceriæ impulsæ non neglexit consolationis destinam supponere. *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat, similiter autem uxor viro*. Non vocaret Apostolus debitum, nisi legitime sciret esse reddendum; nec juberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua reposcentis exactio. Hujus igitur potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittetur excessus. Justitia vero utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris & viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri: nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis hujus proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis

„ ptialis honestas modum, sine qua non potest in „ carne peccati naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. Quocirca si conjugalis usus eatenus „ temperetur, ut non æstuanti libidini animus „ serviat, sed proventum nascituræ prolis attendat, & cum nata fuerit, diluendam celerius spirituali generatione non negligat, non deputatur „ fidelibus conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio. Conjugatus ergo, si thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulum intemperantius excedat, non solum scilicet generationem quærens, „ sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit. Talis autem culpa citius bene operanti atque oranti remittitur, „ quia ipsi conjugi servat maritalis charitas fidem, „ in qua non potest maritalis infirmitas custodire „ temperiem. Retenta ergo thori fides maculam „ diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem „ carnis suæ miscetur uxori; quia etsi præfixum „ concumbendi modum transit, tamen conjugalem terminum non excedit: & licet contrahat „ carnalis infirmitas culpam, impetrat tamen nuptialis integritas veniam. Accipit ergo talis „ indulgentiam, non pro eo, quod ab una debitum conjugale plus quam oportet exigit, sed „ quia una legitima accepta contentus alteram „ non requirit: si tamen non desunt misericordiæ opera, quæ tantum valent in Religione „ Christiana ut non solum qui conjugiis utuntur, „ sed etiam virgines ad prœmium virginitatis pervenire non possint, si opera misericordiæ charitatisque neglexerint. Si quis vero intentus „ operibus bonis tantam servaverit in uxore temperiem, ut filiorum procreandorum causa tantummodo misceatur uxori, multa lande talis „ procul dubio est dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus. —

Cap. 9. „ Si continentiam unus vestrum sine „ alterius vovit assensu, temerarie se vovisse agnoscat, & debitum conjugi redhibeat. Verumtamen ut omnia vestra honeste fiant, in „ redditione conjugalis debiti sic infirmitatem „ carnis excipiat usus conjugalis, ut non caro libidini serviat, sed animi virtus adjuta divinitus „ carnalis concupiscentiæ fræna restringat. Negotium namque substituendæ prolis ita debet à „ conjugibus peragi, ut subserviente verecundia, „ dum se ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modestiam simul naturalis honestatis „ Deo adjuvante custodiat.

Et cap. 10. „ Præ omnibus autem meminerint conjugati, semper orationibus atque eleemosynis insistendum: nec velint jugiter in ipsa „ carnis infirmitate jacere, sed festinent gradum „ vitæ potioris ascendere; & ut ad virtutem continentiæ perveniat animus, magis magisque carnalis concupiscentiæ comprimatur excessus, ut „ dum Deo adjuvante illum superaverint gradum, in quo conjugalis infirmitas veniam postulat, celsiorem laudabiliter possint obtinere, „ in quo continentiæ virtus palmam vitæ melioris exspectat.

IX.

S. GREGORIUS M.

Anno 590.

Lib. 32. Moralium in cap. 40 Jobi c. 17. dicit: „ Paulus, dum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut majora „ declinarent, dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque uxorem habeat.* Et quia tunc solum „ conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum „ non pro explenda libidine, sed pro suscipienda „ prole miscentur. Ut hoc etiam, quod concesserat, sine culpa quamvis minima non esse „ monstraret, illico adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, non secundum imperium. „ Non enim est sine vitio, quod ignoscitur, & „ non præcipitur. Peccatum profecto vidit, „ quod posse indulgeri prævidit. Sed cum in „ dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.

Hom. 36. in Evang. „ Quamvis bonum sit „ conjugium, atque ad propagandam sobolem „ providentia divina constitutum; nonnulli tamen non per hoc fœcunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis; & idcirco per rem „ justam significari non incongrue potest res injusta. Hoc loco S. Gregorius agit de excusatione invitati ad cœnam, dicentis: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Idem in Pastorali part. 3. c. 28. „ Admonendi sunt conjuges, ut suscipiendæ prolis se meminerint causa conjunctos, & cum immoderatæ admixtioni servientes propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non exeant, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Unde necesse est, ut crebris exhortationibus moneantur, ut defleant, quod pulchram copulæ „ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc „ est, quod peritus medicinæ cœlestis Apostolus „ non tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta monstravit, dicens: *Propter fornicationem unusquisque suam habeat uxorem.* Qui enim fornicationis metum præmisit, profecto non stantibus præceptum contulit, sed ne fortasse in terra ruerent, lectulum cadentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdidit: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Quibus dum „ in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur, paulo post subdidit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur. Sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, „ sed hoc quod est licitum sub moderamine non „ tenetur. Quod bene Loth in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit; sed tamen „ Segor veniens nequaquam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere „ est illicita carnis incendia declinare. Altitudo „ vero montium est mundities continentium. Vel „ certe quasi in monte sunt, qui & jam carnali „ copu-

„ copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam nulla carnis „ voluptate solvuntur. Sed quia multi sunt, qui „ scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in „ conjugio positi usus solummodo debiti jura „ conservant, exiit quidem Loth Sodomam, sed „ tamen mox ad montana non pervenit; quia „ jam damnabilis vita relinquitur, sed adbuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ „ fugientem salvet infirmum, quia videlicet cum „ sibi per incontinentiam miscentur conjuges, & „ lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur; quia „ conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus „ mira est, sed tamen à suppliciis secura. Unde „ idem Loth ad Angelum dicit: Est civitas hic „ parva, & salvabor in ea. Juxta ergo Segor dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur, „ quia conjugalis vita nec à mundo longe dissita „ est, nec tamen à gaudio salutis aliena. Sed „ tunc in hac actione vitam suam conjuges „ quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt.

Lib. 1. Epist. 24. „ Paulus in Paradisum ducitur, & tamen ad cubile carnalium mentis „ aciem revocat, & cum sanctum conjugium „ creandorum sit causa liberorum, aliquid etiam eis & de voluptate largitur dicens: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.*

Lib. 12. Epist. 31. ad Augustinum Angliæ Apostolum. „ Ad uxoris concubitum vir ejus accedere non debet quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios suos „ quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis „ mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum. Quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque „ quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad „ nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus „ transierit, viris suis non debent admisceri. „ Quippe quia & sine partus causa, cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri „ prohibeantur. -- Quia ipsa licita commixtio „ conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est, quia „ voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. „ Non enim de adulterio, sed de legitimo matrimonio natus fuerat, qui dicebat: *In iniquitatibus conceptus sum.* In quibus tamen verbis „ non ipsam admixtionem conjugum iniquitatem „ nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima, „ & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur; „ sicut sæpe irascendo culpas insectamur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus, & „ cum rectum sit quod agitur, non est tamen „ tunc approbabile, quod in eo animus perturbatur. -- Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis; & carnis admixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis ergo „ sua conjuge non cupidine voluptatis raptus, „ sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu Ecclesiæ, „ seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque mysterio suo est relinquendus judicio; „ cum vero non amor procreandæ sobolis, sed „ voluptas dominatur in opere commixtionis, „ habent conjuges etiam de sua commixtione „ quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta „ prædicatio, & tamen de ipsa concessione animum concutit. Nam Paulus (dicit): Hoc dico secundum indulgentiam. Non enim indulgetur, quod licet & justum est. Quod „ enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit.

X.

S. ISIDORUS.

Anno 630.

Lib. 2. de Officio Ecclef. cap. 19. „ Illæ sunt „ certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt, neque enim sic „ institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant, „ sed tantum ut fructum propaginis quærant. „ Nam & ipsæ dotales tabulæ indicant, quod causa procreandorum liberorum ducitur uxor. „ Quando ergo quisque luxuriose amplius vivit, „ quam necessitas procreandorum liberorum cogit, jam peccatum est. Unde necesse est, ut quotidianis eleemosynis ac precibus intercedant, qui „ thori conjugalis pudicitiam frequentius per incontinentiam commaculant.

Lib. 2. Sententiarum cap. 40. „ Quosdam „ conjugale decus non pro gignendis liberis delectat, sed hoc pro turbulenta carnis & libidinosa consuetudine appetunt; sicque bono male „ utuntur.

XI.

POENITENTIALIA.

I.

Pœnitentiale Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui floruit sæculo septimo circa annum 680, editum in *Delectu Actorum Ecclesiasticorum* tom. 2. cap. 11. *de Quæstionibus Conjugiorum* sic habet: „ Vir abstineat se ab uxore sua quadraginta dies „ ante Pascha & usque in Octavas Paschæ. Mulier tribus mensibus abstineat à viro suo, quæ „ concepit, ante partum, & post tempus purgationis, hoc est quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Idem in Capitulis pœnitentialibus c. 32.

In tribus Quadragesimis, & in die Dominico & quarta Feria & sexta conjugati se continere debent; nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor, id est, à quo die filius in utero motum fecerit, usque ad partum. A partu post triginta dies, si filius, si autem filia, post quinquaginta sex.

II.

Pœnitentiale Venerabilis Bedæ, qui vixit fæculo octavo circa annum 730. c. 2. *de fornicatione* fic habet: „ *Uxoratus contineat fe* 40. *dies ante Pafcha*, „ *vel Natale Domini*, & *omni die Dominico*, & *quar*„ *ta & fexta Feria à Conceptione manifefta ufque poft* „ *natam fobolem: vir contineat fe ab uxore per tres men*„ *fes*. Ibidem c. 10. *de Abftinentia Mulierum*. Mu„ lier abftineat fe à viro fuo, antequam pepere„ rit; & poft partum 40. dies. Qui autem nu„ pferit his diebus, decem dies pœniteat, vel 30, „ vel 20.

III.

Pœnitentiale Halitgarii, Archiepifcopi Cameracenfis, qui fcripfit fæculo nono circa annum 820, illudque ex variis Pœnitentialibus collegit ad inftantiam Ebonis, prius Rhemenfis, dein Hildefienfis Epifcopi, lib. 4. de Quæftionibus Conjugiorum c. 24. fic habet: *Vir abftineat fe ab uxore fua* 40. *diebus ante Pafcha in Octavas Pafchæ. Mulier tres menfes debet fe abftinere à viro fuo, quando concipit, ante partum. Et poft tempore purgationis*, 40. *diebus & noctibus five mafculum five fœminam pepererit*.

IV.

Pœnitentiale Rhabani Mauri, Archiepifcopi Moguntini, qui fcripfit circa annum 830. lib. 3. cap. 34. eadem verba ponit, quæ Pœnitentiale Halitgarii.

V.

Pœnitentiale Andegavenfe antiquum, in quo, ubi ponit decreta Romanorum Pontificum, ultimus comparet Gregorius III. Succeffor Petri fæculo octavo, apud Marinum de Pœnit. Tit. *Quibus diebus abftinere oporteat à propria conjuge?* fic habet: *Qui uxores habent, contineant fe ab eis* 40. *dies ante Pafcha, & Natale Domini, & omni Dominica, &* 4. *&* 6. *Feria. Et à Conceptione manifeftata ufque poft natam fobolem vir contineat fe ab uxore, id eft, tres menfes.*

VI.

Pœnitentiale Romanum, editum ab Antonio Auguftino Tarraconæ 1581. & Venetiis 1584. & in *Delectu Actorum Ecclefiafticorum* Lugduni 1738. Tit. 3. c. 20. fic habet: *De fornicatoribus. Concubuifti cum uxore tua die Dominico? Quatuor dies pœniteas. Si concubuifti cum uxore tua, poftquam infans motum in utero fecerat, vel faltem quadraginta dies ante partum, vel in tempore purificationis fuæ, vel menftruo tempore, decem dies pœniteas.*

Ibidem Tit. 7. cap. 9. fic habet: *Ex Concilio Eliberitano. Quibus temporibus viri ab uxoribus abftinere debeant. In tribus Quadragefimis anni, & Die Dominica, & in quarta Feria, & in fexta Feria conjugales fe continere debent; nec illis diebus copulari, quamdiu gravata fuerit uxor; id eft, à quo die filius in utero motum fecerit ufque ad partum; à partu poft triginta tres dies, fi filius eft; fi autem filia, poft fexaginta quinque.* Obfervo, hunc Canonem per errorem tribui Concilio Eliberitano, in quo nil horum reperire eft. Sed nec continetur in Concilio Ilerdenfi, celebrato anno 524, cui eum tribuit Burchardus. Verofimile eft, imperitum aliquem Canonum collectorem has lacinias affuiffe genuino Pœnitentiali Romano, & quod prius obfervatum fuerat de prohibita celebratione nuptiarum in Quadragefimis & diebus Feftis vel jejunii, fenfim ab Ecclefiæ Magiftris ac Pœnitentiariis translatum fuiffe ad ufum conjugii.

VII.

Pœnitentiale Reginonis, qui vixit fæculo nono exeunte. Exhibetur apud Morinum *de Pœnit.* fub titulo: *Excepta à Reginone ex Pœnitentiali Theodori Archiepifcopi & Bedæ Presbyteri.* Inter interrogationes pœnitentis fic habet: *Nupfifti cum uxore tua retro? Si fecifti*, 40. *dies pœniteas. Nupfifti die Dominico? tres dies pœnitere debes. Nupfifti cum uxore tua* (gravida)? 40. *dies pœniteas. Coinquinatus es cum uxore tua in Quadragefima? Si hoc fecifti, annum unum pœniteas. -- Hoc enim cavere debet, ut viginti dies ante Natalem Domini, & Pentecoften, & omni die Dominica, & poft Conceptionem manifeftatam vir contineat fe ab uxore.*

VIII.

Pœnitentiale ex Burchardo, qui vixit fæculo decimo, editum à Stevartio Ingolftadii 1608. Ex lib. 8. Burchardi inter Statuta Canonum de Officio Sacerdotum continetur & ifte: *In tribus Quadragefimis anni, & die Dominico, & in* 4. *&* 6. *Feria conjugati fe debent continere; nec illis diebus copulari, quamdiu fuerit gravida uxor; & à quo die infans in utero motum fecerit, ufque ad partum: à partu poft* 33. *dies, fi filius eft; fi autem filia* 156. Forte fcribendum, 66. In Canone notatur, hunc Canonem defumptum effe ex Concilio.

IX.

Pœnitentiale Auguftanum. Manufcriptum, quod reperi in Bibliotheca Cathedrali Auguftana, cujus character & alia figna referunt fæculum decimum. Hujus fragmentum edidi in meo Opere Dogmatico *de Indulgentiis* Cap. 5. fic habet: *De abftinentia viri vel fœminæ poft manifeftatam Conceptionem.* „ Uxoratus fe contineat XL. dies ante Pa„ fcha & Pentecoften, ante Natale Domini, & „ omnem Dominicam noctem, quarta & fexta „ Feria, & à conceptione manifeftata ufque poft „ natam fobolem. Vir autem fe contineat ab u„ xore tres menfes. Mulier abftineat fe à viro, „ quando concepta eft, tres menfes, antequam „ pariet, & poft partum XL. dies. Qui autem „ nupferit his diebus, XL. dies pœniteat, aut XXX. „ aut XX. In omnibus his Pœnitentialibus ob„ fervandum, quod *nubere cum uxore* fumatur pro „ concubitu.

XII.

B. PETRUS DAMIANUS.

Anno 1065.

Lib. 1. Epift. 15. „ Hortatur Alexandrum II. „ ad corrigendas nonnullas fui temporis cor„ ruptelas, in quibus etiam ponit ufum conjuga„ lem

„ lem cum prægnantibus. Sic habet: Totus „ mundus hoc tempore nihil eft aliud, nisi gula, „ avaritia, atque libido. -- Quis enim fæcularium „ ferat, si vel triduo per hebdomadam jejunare „ præcipias? -. Cuncta languorum genera simu„ lant, ut quod potissimum metuunt, languorem „ jejunii non incurrant. Sed cum tantopere non „ exigenti naturæ, sed impatienti gulæ defer„ viunt, velint nolint, libera libidinis fræna la„ xantur. Venter enim atque pudenda contigua „ sibi sunt affinitate contermina, & cum ille sine „ temperantiæ discretione reficitur, illa protinus „ ad contumelias excitantur. Cibi scilicet ilices „ sunt libidinum, & immoderate percepti proprii „ humoris exuberantiam mox ad pudenda trans„ mittunt. -- Qui videlicet humores dum con„ gesti pruriunt, & titillant, importunius expe„ tunt, ut per coitum effluant. Hinc eft, quod „ plurimi, dum lege permissam ineundi conjugii „ novere licentiam, nullam reddendi conjugalis „ debiti exhibent disciplinam; nec usu uxoriæ „ commixtionis temperantes utuntur, dum non „ gignendæ proli, sed ingenitæ deserviunt volu„ ptati: Ii plane non mariti, sed prolectarii; non „ conjuges, sed potius amatores, sic ad intempe„ rantiam coitus tempus omne continuant, ut u„ xoribus fuis, quod turpe dictu eft, nec prægnan„ tibus parcant; & castitatis regulam violare ho„ mines nequaquam erubescant, quam circa præ„ gnantes fuas & animalia muta custodiunt. Vi„ de, o homo, canem, si caniculam, postquam „ concepit, aggreditur: aspice buculam, vel cer„ te equam, si post conceptum à fuis maribus in„ sectantur. Ignorant quippe coeundi libidinem, „ cum deesse fibi gignendi conspiciunt faculta„ tem. Cum ergo tauri, canes, & cætera bestia„ rum genera fœtibus fuis reverentiam præbeant, „ soli homines, quorum Doctor de Virgine na„ tus eft, ut vota fua libidinis expleant, parvu„ los fuos, qui ad Dei formantur imaginem, ne„ cantes obterere non formidant. Hinc eft, quod „ nonnullæ mulieres ante pariendi tempus abor„ tiunt, aut certe mutilata vel læsa eorundem „ parvulorum tenera adhuc membella reperiunt. „ Et hoc modo dum ad libidinis incentiva ferun„ tur præcipites, ante parricidæ sunt quam pa„ rentes, & quod valde periculosum eft, dum „ hæc vitio naturæ peccantis adscribunt, sese tam „ flagitiosi reatus obnoxios non agnoscunt. Ve„ rumtamen & hoc aliquando non ignorant; sed „ dum lucrantur ignorantiam populi, dissimulant „ hoc Sacerdotibus confiteri. Barrus, qui & E„ lephas dicitur, unice diligere castitatis mundi„ tiam perhibetur, & eatenus execratur obscœna „ libidinum, ut cum ad propagandum genus coi„ re compellitur, vultum post terga retorqueat, & „ ita quodammodo naturæ coactus imperio, nol„ le se atque erubescere quod agit, oftendat. Be„ stia ergo quælibet ad hoc solummodo coit, ut „ gignat; homo solus ad hoc gignit, ut coeat. „ Pecoribus igitur summa concumbendi partus; „ hominibus vero summa gignendi concubitus. „ Apes sobolem successuræ posteritatis enutriunt, „ ut virgines perseverent. Itaque rationis ex„ pertia filium Virginis imitantur; & homines, „ quibus utique natus eft, luxuriæ volutabro de„ lectantur. Quis enim feminibus femina super„ jactat? Quis agrum vernantium scilicet sege„ tum decore vestitum sulcandum vomeribus ju„ dicat? Mittit prius falcem, et cum ager vacat, „ fatio mox segetes germinatura succedat, alio„ quin si femini semen ingeritur, forte continget, „ ut non dicam ex utroque, sed ne de utrolibet „ quidem proventus copia colligatur.

XIII.

GRATIANUS.

Cum plerique Doctores fæculo XIII. XIV. XV. & XVI. collectionem Gratiani, in qua sententias SS. Patrum in ordinem digessit retro sibi pro norma sumpserint, sequitur, ea, quæ suo *Decreto* intulit, repræsentare magna parte sensum & praxin Doctorum Ecclesiæ. Itaque Gratianus in suo *Decreto* part. 2. C. *Si causa* 33. qu. 4. sic ex Ambrosio habet: *Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quia & dies Festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus juxta legem cessari temporibus debere demonstrant.*

Idem cap. *Origo* 32. qu. 4. ex Hieronymo: *Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa Reipublicæ & generis humani uxoribus jungi & filios procreare, imitentur saltem pecudes; & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.*

Idem cap. *Non solum.* 32. qu. 7. ex Isidoro: *Sunt quædam quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinenter libidini serviunt, quas ego nec mutis pecoribus comparaverim. Pecora enim cum conceperint ultra non indulgent maribus copiam sui.*

CLASSIS II.

Testimonia Patrum, aliorumque Scriptorum veterum, qui nullum alium finem matrimonii, nisi procreationem prolis admittunt.

I.

JOSEPHUS.

Anno 70.

Hic celebris Scriptor Gentis Judaicæ apud Eusebium l. 8. Præpar. Evang. cap. 8. Reipublicæ Hebraicæ formam sic describit: *De nuptiis vero quid? Eam tantum consuetudinem, quam cum matre natura concedit, lex nostra probat, modo tamen ea prolis suscipiendæ causa ineatur.*

Hoc testimonium Josephi, ab Eusebio l. c. relatum, propterea etiam servit ad traditionem perpetuam Ecclesiæ Catholicæ in hoc puncto fulciendam, quia primi Christiani quoad dubia Juris naturalis patiebantur se facile dirigi ab observantiis Gentis Judaicæ. Addo, ipsum Apostolum ad hunc morem Hebræorum, Christianorum probabilius respicere, dum in Epistola ad Hebræos cap. 13. scribit: *Honorabile* (sit) *connubium in omnibus.* Neque enim honore aut præmio est dignum cum prægnantibus.

Obser-

Observo etiam, ab Eusebio textum præfatum Josephi allegari ex ejus libro: *De Moysaica Reipublicæ forma.*

Idem Josephus tamen hanc observantiam specialiter adscribit lib. 2. de Bello Judaico cap. 2. Essenorum cuidam Collegio, ubi sic habet: *Est autem Essenorum etiam alterum Collegium, cibos quidem, & mores, legumque similia cum prioribus habens; distat vero opinione conjugii. Maximam siquidem vitæ hominum partem, successionem scilicet amputare eos, qui abstineant nuptiis arbitrantur* (sicut prius genus Essenorum) *Nihilominus tamen cum tanta ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum.* At si constanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonio adsciscunt. *Nemo tamen eorum cum prægnante concumbit, ut ostendant, quia non voluptatis nuptias, sed causa inierint liberorum.* Ex hoc colligo, legem abstinendi à prægnantibus pertinuisse quidem pro omnibus, sed ab hoc genere Essenorum exactius fuisse observatam.

II.

JUSTINUS MARTYR.

In Apologia ad Antoninum pium respondens ad calumnias Gentilium, quasi Christiani celebrent ædipodis concubitus mores Christianorum sic describit: *Quin omnino vel matrimonium non aliter contrahimus, nisi liberorum creandorum atque educandorum gratia; vel conjugium detrectantes perpetuo nos continemus.*

III.

TERTULLIANUS.

Anno 200.

In lib. 1. ad uxorem *de unis Nuptiis*, cap. 2. scribit: „Non abnuimus, conjunctionem viri & „ fœminæ benedictam à Domino, ut sciremus, „ generi humano & replendo orbi, & instruendo „ sæculo excogitatam, atque exinde permissam.

Et cap. 3. „Prohiberi nuptias nusquam legimus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono i„ sto melius sit, accipimus ab Apostolo, permit„ tente quidem nubere, sed abstinentiam præfe„ rente, illud propter insidias tentationum, hoc „ propter angustias temporum. Qua ratione u„ triusque pronunciationis inspecta, facile digno„ scitur, necessitate nobis concessam esse nuben„ di potestatem. Quod autem necessitas præstat, „ depretiat ipsa.

Cap. 4. „Disjunctis matrimonio duæ spe„ cies humanæ imbecillitatis, necessarias nuptias „ faciunt. Prima quidem potentissima, quæ ve„ nit de concupiscentia carnis; sequens de con„ cupiscentia sæculi; sed utraque repudianda est „ à servis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renun„ tiamus. Carnis concupiscentia ætatis officia „ defendit, decoris messem requirit, gaudet de „ contumelia sua; dicit virum necessarium sexui, „ ut authoritatis & solatii causa, vel ut à malis „ rumoribus tuta sit. Et tu adversus consilia „ hæc ejus, adhibe Sororum nostrarum (virgi„ num Christianarum) exempla. -- Cæterum sæ„ cularis concupiscentia causas habet gloriam, cu„ piditatem, ambitionem, insufficientiam, per „ quas necessitatem nubendi subornat. Hæc pro„ cul à Fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vi„ tæ. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ ne„ cessarium est, quam perseverare.

Cap. 5. „Adjiciunt quidem sibi homines cau„ sas nuptiarum de solicitudine posteritatis. Sed „ id quoque penes nos odiosum est. Quamvis „ in textibus hucusque relatis Tertullianus jam „ contra Catbolicos defendat suum errorem de „ illicito secundarum nuptiarum usu, cum tamen „ hoc loco argumentetur tanquam ex communi„ bus utrique parti principiis, colligitur, eandem „ quoad hæc generalia principia mentem fuisse „ Catholicis.

Ibid. lib. 2. cap. 3. ubi reprobat matrimonia fidelium cum infidelibus, ex eo ostendit inconvenientiam, quia Gentiles utuntur matrimonio sine necessitate, econtra Religio jubet illo uti solum causa necessitatis. „Gentilis, inquit, obser„ vando gentilia exhibebit gentilem formam, „ blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonii se„ creta maculosa; non ut penes sanctos officia „ sexus cum honore ipsius necessitatis tanquam „ sub oculis Dei modeste & moderate transigan„ tur.

Idem lib. *de anima* cap. 7. conatur ostendere, semper cum semine in coitu aliquid animo effluere; quod licet sit erroneum, ostendit tamen, ex mente Tertulliani non esse licitum coitum sine intentione procreandi prolem. „In concubitu, inquit, „ scimus & animam & carnem simul fun„ gi, animam concupiscentia, carnem opera, ani„ mam instinctu, carnem actu. Unico itaque im„ petu utriusque toto homine concusso despumat „ in semen totius hominis, habens ex corporali „ substantia humorem, ex animali calorem. De„ nique in illo ipso voluptatis ultimæ æstu, quo „ genitale virus expellitur, nonne aliquid de ani„ ma quoque exire sentimus, atque adeo marce„ scimus, & devigescimus cum lucis detrimento; „ -- Cum in primordio duo diversa limus & fla„ tus unum hominem coegissent, confusæ sub„ stantiæ ambæ jam in uno semina quoque mi„ scuerunt, atque exinde generi propagando for„ mam tradiderunt, ut & nunc duo, licet diver„ sa, etiam unita pariter effluant. Quod autem „ hoc loco Tertullianus loquatur de anima ratio„ nali, manifestum est ex c. 36. ubi ex instituto „ probat, animam rationalem esse ex traduce, & „ portionem carnis, quæ ex Adam sumpta est, „ jam fuisse animal rationale; *Si*, inquit, *non ut „ carnis, ita & anima ex Adam tradux fuisset in fœmina, & ipsam* (illam carnis portionem) *afflatus „ Dei animasset.*

IV.

ATHANASIUS.

Anno 320.

In Epistola ad Ammum Monachum loquens de excretionibus naturæ, præsertim spermaticorum meatuum, sic scribit: „Cæterum (adversa„ rii)

„rii) verum organorum usum, quæ à Deo facta „sunt, peccato carere asserens. Ita loquentes „interrogationis modo compescamus. Qualem „ergo usum, precor, nominas? Legitimumne „illum, quem Deus permisit, cum crescere & „multiplicari, terramque replere jussit; quem & „ipse Apostolus probavit, cum honorabiles nu„ptias lectumque impollutum appellavit? an va„gum illum & effusum furtimque & libidinose „perceptum? Atqui cæterarum rerum, quæ in „vita fiunt, differentiam esse aliquam videmus, „v. g. cum cædem facere non liceat, in bello „tamen hostem trucidare lege non permissum „modo, sed cum laude ita constat esse conjun„ctum, ut honoribus magnis, qui in eo strenue „aliquid gesserint, decorentur. Potest ergo idem „alia atque alia ratione opportune concedi, pro„hiberique. Quod sane non dispari considera„tione in maris & fœminæ congressu debet intel„ligi. Beatum enim non negarim, qui in ipso „ætatis flore matrimonio legitime junctus, natu„ræ ad liberorum procreationem inservit; Quod„si ad libidinem abutitur, non vides, quomodo „paratam mœchis & adulteris pœnam evitare „queat.

V.

GREGORIUS NAZIANZENUS.

Anno 360.

Carmine 2. In laudem Virginitatis n. 225. „Au„dite legem, quam generi humano Nu„minis æterni soboles fixit, nempe hominem „producat ut homo, natosque creando sibi pro„roget ævum.

Et Carmine 56. ad Olympiadem.

„Connubii legem dederat patris unica proles,
„Ferret opem ut nobis, manibus quos finxerat ipse,
„Ut dum alii abscedunt, alii veniuntque, trahatur
„Vita fugax hominum, violenti fluminis instar,
„Ob mortem instabilis, stabilisque ob pignora rursum.

Idem Orat. 31. „Connubium moderatis ex„pedit, non petulantibus, & libidine perditis, „(ἀπλήστοις, inexplebilibus) quique plus æquo „carnem colere in animum inducunt. Cum ma„trimonium nihil aliud est, quam & con„junctio, & prolis ac successionis cupiditas, „tum bonum est matrimonium. At cum car„nis molem inflammat, & spinis circumdat, „vitiique quasi via invenitur, tum ipse etiam di„co: non expedit nubere.

VI.

S. BASILIUS.

Anno 361.

Homilia in *Ebriosos* num. 3. *Dixerim, temulentos rationis magis esse expertes, quam ipsa pecora. Siquidem quadrupedia omnia & bestiæ certos ac constantes ad coitum motus impetusque habent; quorum vero animum temulentia occupat, & quorum corpus calor præter naturam accedens implet, hi omni tempore & omni hora ad impuros turpesque complexus concitantur, atque ad voluptates.*

Cum ex præcedentibus SS. Patrum textibus, quos in Classe prima posui, constet, tempore D. Basilii vulgatissimum fuisse, animalia abstinere à coitu cum prægnantibus, dubitari nequit, S. Doctorem ad eam observantiam reducere temulentos.

VII.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Anno 390.

De *Adoratione* lib. 15. „Nuptiæ honorabiles „sunt illæ, si liberorum procreationi inser„viant, nec culpandus Christianus, qui illis legi„time utitur; non tamen id continentiæ laudi„bus æquari poterit. Scribit autem ad conjuga„tos Paulus: *Nolite separari ab invicem, nisi forte* „*ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum* „*in idipsum revertimini, ne tentet vos Satanas propter* „*incontinentiam vestram.* His porro verbis adjun„xit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non se*„*cundum imperium.* Vides igitur, eum veniam „dare conjugio junctis? Qui igitur fieri potest, ut virtus sit, cui venia medetur?

CLASSIS III.

Textus Theologorum veterum, inter hos plerique coitum cum gravidis absolute sine distinctione, saltem aperta, condemnant. Alii vero id limitant, nisi incontinentia, seu vehemens concupiscentia invito libero arbitrio exorta urgeat eaque aliis mediis convenienter reprimi nequeat.

I.

PETRUS LOMBARDUS.

Magister Sententiarum lib. 4. dist. 31. & 32. exacte insistit doctrinæ & verbis S. Augustini, dist. 31. sic habet: „Cum hæc tria bona in ali„quo conjugio simul concurrunt, ad excusatio„nem coitus carnalis valent. Quando enim ser„vata fide thori causa prolis conjuges conve„niunt, sic excusatur coitus, ut culpam non ha„beat. Quando vero deficiente bono prolis, si„de tamen servata conveniunt causa inconti„nentiæ, non sic excusatur, ut non habeat cul„pam, sed venialem. Unde Augustinus: Con„jugalis concubitus generandi gratia non habet „culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed ta„men cum conjuge, propter thori fidem venia„lem habet culpam. Item. Hoc quod conju„gati victi concupiscentia utuntur invicem ultra „necessitatem liberos procreandi, ponam in his, „pro quibus quotidie dicimus: Dimitte nobis „debita

„ debita nostra. Item Hieronymus. Qui di-„ cunt, se causa humani generis uxoribus jungi, „ imitentur saltem pecudes, & postquam venter „ uxoris intumuerit, non perdant filios, nec a-„ matores se uxoribus exhibeant, sed maritos. -- „ Sed si concubitus, qui fit causa prolis, culpa „ caret, quid dicit Apostolus, secundum *indul-„ gentiam?* Sed indulgentia alia est *concessionis.* E-„ gerat Apostolus de nuptiis & de carnali coitu, „ & ad utrumque retulit illud: *Hoc autem dico se-„ cundum indulgentiam.* Indulgentur autem nu-„ ptiæ secundum concessionem, & concubitus „ nuptialis, qui fit tantum causa prolis. Concu-„ bitus vero, qui est præter necessitatem gene-„ randi, ob incontinentiam indulgetur secun-„ dum *permissionem*, quia ibi est aliqua culpa, sed „ levis; ideoque non jubetur, nec conceditur, „ sed permittitur, quia non est laudabilis, sed ve-„ nialis. De hoc Augustinus sic ait &c. -- Ex „ his ostenditur, quod conjuges, qui causa pro-„ lis tantum conveniunt, vel qui exigentibus de-„ bitum reddunt, defendit à peccato sanctitas „ conjugii.

Dist. 32. „ Conjuges sibi invicem debitores „ sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio. „ Debent enim sibi conjugati non solum ipsius „ sexus commiscendi fidem liberorum procrean-„ dorum causa, verum etiam infirmitatis invicem „ excipiendæ ad illicitos concubitus devitandos „ mutuam quodammodo servitutem, ut etsi al-„ teri eorum continentia placeat, nisi ex alterius „ consensu non possit. Quod adeo verum est, „ ut etiam quod non filiorum procreandorum, „ sed infirmitatis & incontinentiæ causa expetit „ ille vel illa, non sibi alterutrum negent, ne per „ hoc incidant in damnabiles corruptelas. Red-„ dere enim debitum conjugale nullius est crimi-„ nis; exigere autem ultra generandi necessita-„ tem, culpæ est venialis.

II.

S. RAYMUNDUS.

Anno 1230.

In Summa lib. 4. §. 13. *de Matrimon.* postquam egerat de tribus bonis matrimonii, nempe fi-dei, prolis, & Sacramenti, dicit: „ Valent hæc „ bona ad excusationem peccati, si servata fide „ thori causa prolis conveniant conjuges. Un-„ de nota, quod aliquando commiscentur conju-„ ges causa suscipiendæ prolis, aliquando causa „ reddendi debitum; aliquando causa inconti-„ nentiæ sive vitandæ fornicationis; aliquando „ causa exsaturandæ libidinis. In primo & se-„ cundo casu nullum est peccatum. In tertio est „ veniale; in quarto mortale.

III.

ALBERTUS MAGNUS.

Anno 1440.

Mens Alberti Magni bene inspecta videtur in omnibus quoad præsentem articulum insi-ste re vestigiis Petri Lombardi, cujus textum sem-per ponit pro fundamento. In 4. dist. 31. art. 21. ex instituto quærit, *quando coitus sit bonus?* Ad hoc declarandum observat, quinque posse esse motiva coeundi: potest enim motivum coeundi esse 1. *natura*, quæ naturali instinctu movet ad conservationem generis humani: 2. *virtus*, quæ movet ad procreandam prolem in ordine ad fi-nem supernaturalem, v. g. conservationem po-puli electi, ad promovendam pietatem, aut red-dendum debitum justitiæ: 3. *libido:* 4. *libido cum natura*, id est, simul cum intentione procreandæ prolis: 5. *natura cum gratia*, id est, intentio pro-creandæ prolis simul cum intentione virtutis ad finem supernaturalem. In primo motivo agno-scit ex suo genere nullum peccatum; in secun-do & quinto meritum; in tertio & quarto intra limites matrimonii peccatum veniale. Cum er-go hæc divisio Alberti Magni sit adæquata, ne-cesse est, ut comprehendat omnia motiva possi-bilia concubitus conjugalis; adeoque etiam mo-tivum vitandæ incontinentiæ in coitu cum uxo-ribus gravidis, & cum hoc motivum referri non possit ad primum, secundum, aut quintum; ne-cesse est, ut referatur ad tertium vel quartum, in quo agnoscit peccatum veniale. Hinc Thomas Sanchez infra in Classe tertia referendus ultro Al-bertum cedit nostræ sententiæ. Verba Alberti l. c. sunt sequentia: „ *Quando coitus est bonus?* Cum „ tria possint esse moventia simplicia in coitu, & „ duo composita, eo quod tertium (id est, aliud „ motivum compositum) esse non possit, quæra-„ tur de coitu secundum quodlibet moventium, „ utrum sit bonus vel malus; & quantum bonus „ est, & quantum malus est? Est enim movens „ *natura*, quæ speciem salvare desiderat; & ite-„ rum movens *bonum matrimonii:* item, est mo-„ vens *libido*, quæ sunt simplicia. Est autem mo-„ vens *natura cum gratia*, & *natura cum libidine*, quæ „ sunt duo moventia composita. Sit ergo *primo* „ movens *natura*. -- Dicendum, quod nullum „ peccatum est, quando natura sic movet. -- „ Ulterius quæritur *de matrimonii bono* movente. „ Videtur enim, quod movere non possit, quia „ malum est, quod est malo permixtum; sed bo-„ num nunquam movet ad malum; ergo nec „ movet ad bonum malo permixtum; sed omnis „ coitus est malo concupiscentiæ permixtus. Er-„ go bonum nunquam movet ad coitum. In „ contrarium hujus est, quod dicitur Tobiæ 3. „ Virum cum timore, non cum libidine accipias. „ Ergo timor Dei & amor posteritatis movet ad „ coitum. Item, id quod imperat Deus specia-„ liter apparitione Angeli, fit virtute & bono „ movente ad ipsum: Tale autem est cognitio „ uxoris aliquando v. g. in conceptione Joannis „ Baptistæ. -- Dicendum, quod objectiones non „ concludunt nisi de malo culpæ, non de malo „ pœnæ, (nempe concupiscentiæ) de quo est „ permixtum in coitu matrimonii. Ulterius „ quæritur *de libidine* movente. Videtur enim „ hoc semper esse peccatum mortale. -- In con-„ trarium hujus est, quod concubitus qui fit cau-„ sa libidinis satiandæ, ponitur in quotidianis & „ levibus peccatis hic in Litera ab Augustino; „ ergo non est mortale peccatum. -- Dicendum, „ quod si libido sequitur rationem, non est mor-

„ tale

„ tale peccatum. Si autem libido prævenit & „ dominatur, tunc est mortale peccatum. Ulterius quæritur de isto actu, quo *libido* movet *cum natura*. Videtur enim, quod hoc sit semper, „ eo quod in omni actu concumbendi est concupiscentia. -- Dicendum, quod non semper libido movet cum natura, quia sicut dicit Augustinus, libido est placentia boni commutabilis; hæc autem non semper movet concumbentem, sed potius bonum æternum, vel naturale quandoque. Ulterius quæritur de illo „ concubitu, qui fit ex *natura* & *bono matrimonii* moventibus. Ille enim videtur esse actus optimus, quia duplici perfectione perfectus, scilicet naturæ & moris; ergo talis actus est meritorius. Item quidquid habet speciem boni „ virtutis, est ordinatum ad felicitatem; sed omnis talis actus est meritorius; ergo & iste. „ In contrarium autem hujus est, quod dicit Apostolus; quod impedimentum est Dominum obsecrandi. Sed nihil talium est meritorium, „ ergo nec coitus matrimonialis. -- Ad id quod objicitur in contrarium, dicendum, quod hoc „ dicitur ratione adjuncti, & non ratione actus, „ quod sit impedimentum.

„RESPONSIO. (generalis) Dicendum, quod „ omnia ista quinque possunt esse moventia per „ intentionem; quia coiens potest moveri intentione boni naturæ, vel pietatis & Religionis, vel „ justitiæ, vel delectatione libidinis simul & naturæ, vel bono pietatis simul & naturæ. Sed „ cum sola libido movet, est ulterius distinguendum. Quia aut movet fervens extra honestatem matrimonii, & concessionem? tunc quodammodo adulter est; aut fervet intra metas „ honestatis & concessionis matrimonii? & tunc „ veniale dicendum est, ut patet ex verbis Augustini in Litera positis. Similiter cum libido „ movet cum natura; aut libido præit & natura „ sequitur? tunc est gravius peccatum, sed non „ mortale: aut libido sequitur? & tunc est minus.

Hæc sufficere possunt ad declarandam Alberti mentem, quam & plura alia loc. cc. dist. 31. & dist. 32. confirmant; præsertim, quod non amplius instituat specialem quæstionem; an liceat tempore imprægnationis petere debitum? sed tantum; utrum eo tempore liceat reddere debitum? Per hoc enim insinuat, illam quæstionem de petitione debiti cum gravida fore superfluam. Hoc tamen non obstante possent sequentia objici.

1. Ubi art. 22. disputat de dicto S. Hieronymi: *Imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios &c.* in fine addit: *Ad hoc hortatur, non præcipit Hieronymus.*

2. Dum art. 24. disputat, an in propria uxore possit esse usus contra naturam, & num sit peccatum mortale, hanc sibi format objectionem. In quibusdam per accidens impeditur communis modus; quia propter grossitiem ventrum conjungi non possunt: & bene conjungerentur, si mulier retrorsum contra virum incurvata disponeretur; cum igitur propter pinguedinem debitum in alterius corpore non amiserint, videtur, quod sine peccato hoc modo conjungi possunt. Similiter contingit quandoque apostemari ventrem mulieris, vel esse prægnantem, ita quod anterius non est applicabilis viro; videtur ergo, quod nullus illorum usuum est contra naturam. Ad has objectiones respondet: „ Dicendum, in „ tali casu bene licet, quia aliter convenire non „ possunt.

3. In art. 27. ubi quærit, an omnis coitus sit peccatum? format sibi hanc objectionem: Omnis actus frustratus sine essentiali & naturali, vanus & malus est; sed omnis concubitus, qui sit causa delectationis, est hujusmodi; ergo omnis talis est vanus & malus; ergo peccatum. Ad hoc respondet: „ Dicendum, quod iste actus „ non semper sine frustratur; quia *habet finem* „ *medicinæ*, & fidei thori & Sacramenti; quia horret separationem. Ad probationem dicendum, „ quod iste actus est naturæ & hominis; & secundum quod est matrimonii actus, magis accipit ut hominis actus quam ut naturæ; & ideo „ sufficit ei finis hominis; objectio autem procedit, ac si sit naturæ tantum.

RESPONDEO ad 1. Verum esse, quod juxta Albertum M. D. Hieronymus illa scribat per modum adhortantis, & non per modum præcipientis; sed in ipsa adhortatione monstrat deordinationem actus, quæ sufficit ad constituendum peccatum veniale sine speciali præcepto. Hinc Albertus in hoc ipso articulo docet, eum, qui cum prægnante coit, *non peccare mortaliter*. Si non agnosceret saltem peccatum veniale, debuisset dicere, *eum non peccare*. Videtur Albertus eodem modo, quo ejus discipulus S. Thomas, loqui circa peccata venialia, quod nempe sint deviatio rationis *præter legem* seu præceptum, non *contra legem*.

AD 2. DICO. Albertum tantum velle dicere, in tali casu non peccari contra naturam, neque committi speciale peccatum ratione ejusmodi congressus præposteri. Imo cum in objectione ponantur tres casus, nempe pinguedinis, apostematis, & prægnationis, & Albertus in Responsione tantum respiciat ad duos casus, dubitari potest, an non tertium casum silentio prætererire voluerit. *Ad duo*, inquit, *dicendum, quod in tali casu bene licet.*

AD 3. DICO. Ibi Albertum non loqui de actu frustraneo, sed de intentione frustranea ejus, qui non intendit procreationem prolis, sed alium finem v. g. remedium concupiscentiæ; hinc in hoc ipso textu monet, talem coitum simul esse actum naturæ & hominis; & eatenus sufficere, ut intentio coeuntis feratur ad actum, in quantum est actum hominis; natura enim operatur per se suum finem etiam sine intentione hominis. Hanc esse mentem Alberti, colligitur etiam ex eo, quia objectio ultima hujus articuli expresse id urget, omnem coitum esse peccatum veniale, *qui non fit cum intentione generandi*, videlicet explicita, quod Albertus negat, dummodo actus sit aptus ad generationem in iis circumstantiis, in quibus ponitur. Videtur tamen tacite ad intentionem generandi referre actum, *qui habet finem medicinæ*, puta in ordine ad bonum prolis.

IV.
GUILIELMUS PARISIENSIS.
Anno 1240.

De Sacrament. Tit. *De Sacramento matrimonii*, §. *Nunc autem.* „Quia commixtionis seu seminationis finis debitus & proximus est fructus „prolis; manifestum est, si isto fine privata fuerit, ipsam esse malum. — Qui jactat semen tritici vel alterius grani in agro non intentione „ut fructus inde succrescat; sed alia aliqua quacunque ex causa, quantum in eo, non solum „non seminat, sed semen dispergit, & disperdit, „& agro pariter & semine abutens. — Peccatum „est declinatio à rectitudine; quare declinare à „rectitudine usus debiti, sive à debito usu peccare est.

§. *Procedamus autem.* „Cum vis generativa „non sit nisi propter fructum prolis ex institutione Creatoris, nec opus generationis, quod „non est nisi via ad fructum, debet esse nisi propter ipsum. Intorquere ergo ipsum in alium „finem abusio est contra ordinationem Creatoris.

Ibidem quæst. 3. sic scribit: „Tertia quæstio, „quæ non mediocriter movit & movet adhuc sapientes Saracenorum & nonnullorum Judæorum, hæc est. Cum toto tempore graviditatis propter inutilitatem seminationis abstinendum sit viris ab uxoribus; illo enim tempore „inutiliter seminaretur proles; similiter tempore enixionis seu purgationis ex parte, eo quod „periculose seminaretur; manifestum est, ad „modicum tempus concessum esse uxorum propriarum usum; toto ergo residuo temporis necesse est, otiosam esse vim generativam in eis, „& incontinentiæ patere periculis, nisi quemadmodum seminato uno agro seminatur alius, sic „& una prægnata impraegnetur & alia. In quo „respondemus eis, quia frœnanda est concupiscentia carnis & moderanda propter pericula „spiritualia, quæ supra tetigimus (v. g. quod „continuo usu concupiscentia ita in servitutem „redigat hominem, ut si mulier defuerit, superari vix possit; &, ubi adfuerit, ad spiritualia „assurgere non sinat.) Moderanda est etiam „propter prolem, quæ propter hoc nascitur uberior, robustior, & modis omnibus laudabilior. Ipsa enim frequentia hujusmodi seminationis semen humanæ generationis diminuit „tam substantia quam virtute. Nec negamus, „incontinentiæ semper imminere pericula maribus & fœminis, quamdiu fervet concupiscentia. Sed ea habere scimus matrimonii fortissima præsidia; nec dubitamus ullatenus: illis „præsto esse divinæ gratiæ & virtutis auxilia, „qui propter Dei honorem & gloriam contra „carnis illecebras statuerint pugnare.

V.
ALEXANDER DE ALES.
Anno 1240.

In 3. parte quæst. 35. membro 8. sic scribit: „Ex „his relinquitur, quod coitus conjugalis licitus est triplici de causa, videlicet causa prolis, „& secundum hoc est in officium multiplicandæ „naturæ. Item causa reddendi debitum; & secundum hoc est opus justitiæ. Item causa fornicationis vitandæ, & secundum hoc est in remedium concupiscentiæ. Sed quæritur, utrum „remotis his tribus causis scilicet prolis habendæ, & debiti reddendi, & fornicationis vitandæ prohibeatur coitus conjugalis isto præcepto, quo prohibetur coitus illicitus? (nempe „sexto præcepto, de quo ibi agitur). Solutio. „Coitus conjugalis alius est licitus, alius permissus, alius prohibitus. Licitus, sicut dictum est, „est coitus conjugalis triplici de causa. Permissus vero est coitus ex fragilitate seu infirmitate carnis proveniens, in quo quæritur conjugalis delectatio, sed sub Deo, ut Dei amor „præponatur illi delectationi, & iste coitus venialis est, quamvis non fiat causa prolis, nec „reddendi debitum, nec vitandæ fornicationis, „sed causa delectationis talis in conjuge propria, „& non in aliena. Unde dicitur juxta authoritatem Augustini & Apostoli. *Institutio conjugii extra Paradisum facta est, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur conjugii.* (Can. „32. q. 2.) & Aug. *Usus naturalis, si ultra modum „prolabitur, in uxore quidem est veniale; in meretrice „vero damnabile.* Prohibitus conjugalis coitus „est, qui ex voluntate subdita libidini contra „honestatem conjugii, & ordinem rationis procedit; ut illud, quod fit ad satiandam libidinem per meretricias blanditias, secundum quem „modum dicit Hier. *Nihil fœdius quam uxorem amare, quasi adulteram.*

„Ad illa, quæ dicit Augustinus, (in ipsa immoderata exactione debiti carnalis veniam concedit Apostolus, ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur,) patet, quod intelliguntur secundo modo. Tamen ad pleniorem „intelligentiam notandum, quod libido voluptatis aliquando prævenit voluntatem, aliquando „prævenitur. Cum prævenit, cum distinctione „quæ prædicta est, coitus ex illa parte procedens est permissus. Cum vero prævenitur libidine à voluntate, ut scilicet cum quis de industria utitur calidis & incentivis; vel cum in „selpso excitat motus libidinis propter satietatem libidinis seu delectationis, coitus est prohibitus & illicitus.

„Sed quæritur, utrum ex aliis causis sit prohibitus coitus conjugalis? Ad quod sic Augustinus. Coitus contra naturam semper illicitus est. Ergo ex modo indebito, hoc est, innaturali est illicitus coitus conjugalis. Item Isidorus. Sunt mulieres, quæ sicut animalia „absque ulla discretione indesinenter libidini „serviunt. Has ergo nec mutis pecudibus comparaverim; pecora enim cum concipiunt, ultra non indulgent maribus copulam sui. „Ergo coitus cum conjuge post conceptum est „contra rationem; ergo illicitus & prohibitus. „Item Hieronymus. Qui debent causa Reipublicæ & generis humani uxoribus conjungi, imitentur saltem pecudes, ut postquam venter „uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.

„Ergo

„ Ergo coitus cum uxore propinqua partui est illicitus. Item. Ad mulierem, quæ patitur „ menstrua, non accedes. Ergo tempore menstruorum coitus est illicitus. Item. Hieronymus, quod tempore, quo vescuntur carnibus Agni, abstinendum est. Item dixit Urias, „ non sibi licere dormire cum uxore sua, quamdiu Arca Domini erat in castris. Ex quibus „ relinquitur, quod illicitus est coitus conjugalis „ in solennitatibus & temporibus jejuniorum.

„ Contra (objicitur). Secundum Jus naturale quilibet potest uti re sua. Cum ergo uxor „ sit viri, potest ea uti ut vult; ergo in ea delectari, dum tamen sub Deo, quocunque modo „ vult. Item. Uxor non habet potestatem sui „ corporis, sed vir. Ergo vir potest uti corpore uxoris, quando vult & quomodo vult. Si „ distinguatur, sicut solet distingui, quod est differentia in coitu conjugali in petendo & reddendo; in omnibus prædictis casibus peccatum est in petendo, & non in reddendo, si petat affectu satiandæ libidinis, vel modo, vel statu, vel tempore indebito. *Contra* (objicitur): „ Dicitur consentire, qui manifesto facinori desinit obviare. Cum ergo ille, qui reddit tempore indebito, non obviet, consentit; ergo „ prævaricatur. *Solutio.* Concedendum, sicut „ præostensum est, quod coitus conjugalis est „ prohibitus, cum est propter satiandam libidinem per meretricias blanditias; & cum est præter naturalem modum, tum in statu prohibito, „ ut cum uxore vicina partui, vel existente in „ fluxu menstruorum, tum in tempore inhibito.

„ Ad illud ergo, quod objicitur, quod quilibet potest uti re sua; verum est, ad illud, ad „ quod conceditur.

„ Ad aliud vero quod objicitur, dicendum, „ quod in omnibus prædictis casibus peccat petendo. In reddendo autem distinguendum est; „ quia aut petit conjugaliter, aut meretriciliter.

„ Idem parte 2. quæst. 149. membro 1. ubi „ quæritur, quando concubitus conjugalis debite & sine peccato fiat? sic resolvit. Dicendum est secundum Augustinum *De bono conjugii*. „ Debent sibi conjugati non solum sexus sui commiscendi fidem procreandorum liberorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo servitutem. Secundum hoc est ergo dicendum, quod tribus „ de causis fit convenienter concubitus conjugalis; vel causa prolis procreandæ, vel causa debiti reddendi, vel causa vitandæ fornicationis.

„ Ibidem membro 2. quærit, quando conjuges in concubitu mortaliter, aut venialiter peccent? *Resolutio.* Dicendum, quod aliquando „ est veniale peccatum, aliquando mortale in „ concubitu inordinato viri cum conjuge. Si enim illa delectatio sit sub Deo, veniale peccatum est.

„ OBJICITUR I. Ex variis textibus D. Augustini, quod omnis concubitus conjugalis secundum quamcunque differentiam, quantumcunque sit inordinatus secundum finem, modum, locum, tempus, personam, dummodo „ servetur usus naturalis, tantum sit peccatum „ veniale.

„ *Respondet Alensis hoc modo.* Quod primo objicitur, quod universaliter sit peccatum veniale, dicendum est, quod *non nisi veniale*, large accipitur non tantum pro eo, quod est in genere veniale, sed pro eo, quod est *veniabile*, „ (quamvis sit peccatum mortale). Sicut dicitur de illo peccato, quod est ex infirmitate, „ quod ipsum est veniabile sive remissibile, quia „ habet aliquam causam allicitivam, propter „ quam in parte excusatur, licet sit in genere „ mortale; & hoc patet, si recte attendantur intentiones illarum authoritatum (Augustini).

Ex his omnibus textibus Alexandri colligitur, concubitum mariti cum uxore gravida ex causa vitandæ fornicationis, quando libido prævenit libertatem, eaque aliis mediis compesci nequit, nullum esse peccatum; quod ipsum videtur insinuare part. 2. quæst. 149. membro 2. in Responsione ad objectionem ex Hieronymo de gravidis, in quibus non est vehemens periculum partus. *Ad illud*, inquit, *quod objicitur de petente concubitum à muliere vicina partui, dicendum est, quod si præsumitur vehementer de periculo partus, peccat mortaliter. Si vero sit causa vitandæ fornicationis* (sine illo periculo) *eo quod in partu progreditur secundum motum libidinis, peccat venaliter. Augustinus: Sunt viri usque adeo incontinentes, ut nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidum gerunt, vitium est hominum, non nuptiarum.*

VI.

D. THOMAS.

Anno 1250.

In 4. Sent. dist. 31. quæst. 2. art. 2. sic habet: „ Dicendum, quod sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum & sanctum; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt „ actum matrimonii honestum, quantum ad illa „ duo bona, quæ ipsius actus respiciunt. Unde „ quando conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, „ quæ ad fidem pertinent, totaliter excusantur à „ peccato. Sed tertium bonum (Sacramenti) „ non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius ut dictum est; unde facit ipsum „ matrimonium honestum, non autem actum ejus, ut per hoc actus absque peccato reddatur, „ quia alicujus significationis causa conveniunt. „ Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis „ procreandæ, & debiti reddendi: alias autem „ semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

„ OBJICITUR I. Quia natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum intendere, quia bona matrimonii „ pertinent ad gratiam vel virtutem. Sed quando aliquis solo naturæ appetitu movetur ad actum prædictum, non videtur esse peccatum; „ quia nullum naturale est malum, cum malum „ sit

„ fit præter naturam, & præter ordinem. Ergo „ actus matrimonialis potest excusari etiam fine „ bonis matrimonii.

„ 2. Ille, qui utitur conjuge ad fornicationem „ vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere. Sed talia non peccat, ut videtur, quia ad hoc est matrimonium concessum „ humanæ infirmitati, ut fornicatio vitetur 1. „ Cor. 7. Ergo etiam fine bonis matrimonii potest actus ejus esse excusatus.

„ 3. Ille, qui utitur re sua ad libitum, non „ facit contra justitiam, & fic non peccat, ut videtur. Sed per matrimonium uxor efficitur „ res viri, & e converso. Ergo si se invicem ad „ libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum.

„ 4. Illud, quod efficitur bonum ex genere, „ non efficitur malum, nisi ex mala intentione „ fiat. Sed actus matrimonii, quo quis fuam „ cognoscit, est ex genere bonus; ergo non potest malus esse, nisi mala intentione fiat. Sed „ potest bona intentione fieri, etiamsi non intendatur aliquod matrimonii bonum, puta, „ cum quis per hoc salutem corporalem intendit „ servare, aut consequi. Ergo videtur, quod „ etiam fine matrimonii bonis actus ille possit „ excusari.

„ Ad primum dicendum, quod oportet, quod „ intentio naturæ, qua prolem intendit, referatur actu vel habitu (id est, virtualiter) ad intentionem prolis prout est bonum Sacramenti, „ alias staretur in creatura, quod fine peccato „ esse non potest. Et ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur à peccato omnino, nisi in quantum motus „ naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad „ prolem, in quantum est bonum Sacramenti. „ Nec tamen fequitur, quod motus naturæ fit „ malus, fed quod fit imperfectus, nisi ad aliquod „ bonum matrimonii ulterius ordinetur. Ad secundum dicendum, quod si aliquis per actum „ matrimonii intendat vitare fornicationem in „ conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc „ est aliqua redditio debiti, quod ad bonum fidei „ pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem „ in se, fic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est „ matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

„ Ad tertium dicendum, quod una debita „ circumstantia non sufficit ad hoc, quod actus „ fit bonus, & ideo non oportet, quod qualitercunque quis re sua utatur, usus fit bonus, fed „ quando utitur re sua, ut debet, secundum omnes circumstantias.

„ Ad quartum dicendum, quod quamvis intendere fanitatis conservationem non fit per „ se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo fanitas intendatur, quod „ non est ad hoc de se ordinatum: sicut qui „ ex Sacramento Baptismi tantum falutem corporalem quæreret: & similiter est in proposito actu matrimoniali.

VII.

S. BONAVENTURA.

Anno 1250.

In 4. *Sent. dist.* 31. *quæst.* 2. fic habet:

QUÆSTIO II.

An coitus conjugalis causa fornicationis vitandæ possit esse fine omni peccato veniali?

„ CONCLUSIO. Conjugalis coitus ad vitandam fornicationem in se est peccatum veniale; in uxore autem vitandam nullius est „ criminis.

„ RESPONDEO *ad Argum.* Dicendum, „ quod qui coit causa fornicationis vitandæ, aut „ hoc est in se, aut in altero. Si in altero, ut „ reddat debitum, hoc est puræ justitiæ, hoc est „ fidei, & est de bonis matrimonii: recte ideo „ omnino à culpa excusatur. Qui vero coit „ causa fornicationis vitandæ in se, in hoc femper peccat venialiter, quia aut pulsatur à carne; aut non pulsatur? Ex quo tamen non „ vult procreare prolem, nec compellitur debitum reddere, aliqua superfluitas est ibi, & ideo „ peccat. Et si tu objicias, quod licet homini „ bibere, ne fitiat; sic etiam fine peccato coire, „ ne fornicari appetat; non est simile, quia hic „ est motus naturæ; in coitu non; nec etiam „ necessitatis; & hoc dicit Magister in sequenti „ distinctione: Reddere debitum conjugale nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ est venialis.

„ *Contra* (objicitur) per Augustinum. Infirmitas carnis excipitur per bonum matrimonii, „ ne cadat in foveam peccati; fed cum coit causa fornicationis vitandæ, infirmitas carnis movet. Ergo.

„ *Item*, ratione videtur, quia qui utitur aliquo „ ad illud, ad quod est, potest hoc facere fine „ peccato; fed conjugium est propter fornicationem vitandam. Ergo.

„ *Item.* Majus bonum est continentia, quam „ proles. Ergo magis licitum & debitum est amare continentiam, quam prolem. Sed qui „ coit amore prolis procreandæ, potest fine peccato. Ergo & qui amore continentiæ servandæ.

„ *Item.* Qui coit amore continentiæ servandæ in altero, non peccat, ut cum reddit debitum uxori, ne in fornicationem labatur. Ergo si non debet esse magis solicitus de aliena „ continentia, quam de fua, patet &c.

„ 1. Ad illud, quod objicitur ex Augustino, „ dicendum, quod foveam peccati vocat peccatum mortale.

„ 2. Ad illud, quod objicitur, quod ad hoc „ est &c. Dico, quod ad hoc est secundum indulgentiam, non secundum imperium, & ideo „ veniale peccatum, & in hoc ordinatur.

„ 3. Ad illud, quod objicitur de continentia, quod majus bonum est, dico quod continentiam servare contingit fine hoc, fed non „ prolem procreare.

„ 4. Ad

„ 4. Ad illud, quod objicitur, quod continentia servanda est in altero sine culpa, dico, „ quod non est locus à minori, sed à majori, quia „ ibi est actus justitiæ, ratione cujus tenetur & „ excusatur, non ratione amoris continentiæ.

VIII.

RICHARDUS A MEDIAVILLA.

Anno 1290.

In 4. dist. 32. q. 2. „ Quæritur, utrum liceat „ reddere vel exigere debitum tempore im- „ prægnationis? Respondeo, quod si sine peri- „ culo abortus vir potest carnaliter copulari suæ „ uxori prægnanti, & sibi tenetur debitum red- „ dere, & ab ea potest exigere sine peccato mor- „ tali, quia concubitus matrimonialis non tan- „ tum est in officium, sed etiam in remedium; „ & mulier prægnans frequenter plus appetit „ concubitum, quam quando non est prægnans; „ si autem non potest cum ea carnaliter copula- „ ri sine periculo abortus, tunc non debet sibi „ reddi debitum nec ab ea exigi.

„ *Contra*. (objicitur) Quamdiu mulier potest „ imprægnari, sibi potest debitum reddi; sed „ mulier prægnans potest adhuc alium fœtum „ concipere; sicut dicit Avicena lib. 9. de Ani- „ malibus cap. de formatione Embrionis. Ergo „ mulieri prægnanti potest debitum reddi, & ab „ ea exigi. Dicendum, quia raro accidit, ut mu- „ lier imprægnetur super imprægnationem, & „ quando hoc accidit, abortitur ut in pluribus, „ secundum quod dicit Avicena ibidem.

IX.

RAINERIUS.

Anno 1300.

In Panteologia Tit. *Matrimonium*. Cap. 11. „ Bo- „ na matrimonii prædicta (proles, fides, Sa- „ cramentum) excusant actum matrimonii à pec- „ cato duobus modis. Primo, quia per actum „ matrimonii fit, ut actus, qui de se esset pecca- „ tum, non fit peccatum. Secundo excusant, „ quia quod alias esset peccatum mortale, fit ve- „ niale. Unde solum duobus modis conjuges „ cum conveniunt ab omni peccato excusantur; „ absque enim omni peccato conveniunt, scilicet „ cum conveniunt causa prolis procreandæ, & „ causa debiti reddendi.

Ibid. cap. 12. „ Actus matrimonii est deme- „ ritorius venialiter, quando quis accedit causa „ incontinentiæ vitandæ in seipso, vel causa li- „ bidinis fruendæ & habendæ, sistentis intra limi- „ tes matrimonii, puta quando vir delectationem „ quærit in sua uxore tantum & modo legitimo.

Ibid. cap. 13. „ Octo modis actus matrimo- „ nii est peccatum. Primo accedere ad conju- „ gem causa fornicationis vitandæ est peccatum „ veniale. Ubi nota, quod si aliquis accedit ad „ conjugem intendens fornicationem vitare in „ conjuge, non peccat, cujus ratio est, quia hoc „ est quædam redditio, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si accedit ad conjugem intendens „ vitare fornicationem in se, venialiter peccat, „ cujus ratio est, quia ubicunque in actu conju- „ gii bonum matrimonii est motivum actus con- „ jugil, omnino excusatur à peccato; ubi vero „ est aliud motivum, non excusatur omnino. „ Unde cum in actu matrimonii, qui fit causa for- „ nicationis vitandæ, fit aliud motivum à bonis „ matrimonii, scilicet aliqua incontinentia, non „ excusatur omnino, quin sit ibi veniale pecca- „ tum. Hæc beatus Thomas 4. Sent. d. 32. art. 2. „ in sol. 2. arg. Secundo accedere ad conjugem „ causa sanitatis acquirendæ vel conservandæ, „ est veniale peccatum. Quod tali ratione o- „ stendo. Ille, qui indebito modo intendit sa- „ nitatem acquirere & conservare, peccat. Sed „ accedens ad uxorem causa sanitatis acquirendæ „ vel conservandæ, indebito modo sanitatem in- „ tendit; ergo venialer peccat, v. g. sicut qui ex „ Sacramento Baptismi tantum quæreret corpo- „ ralem sanitatem. Ibid. Beatus Thomas. Ter- „ tio accedere ad uxorem causa delectationis „ consequendæ, semper est peccatum, ubi nota, „ quod quærere delectationem in conjuge con- „ tingit duplici modo; aut in conjuge sistendo „ intra limites matrimonii, quando cum altera „ muliere non quæreret, & tunc est peccatum „ veniale, aut in conjuge ut in muliere extra li- „ mites matrimonii, quando etiam si non es- „ set uxor idem quæreret, & tunc est pecca- „ tum mortale. Quarto accedere ad uxorem „ imprægnatam est peccatum mortale, cum „ probabiliter timetur de periculo abortus: alias „ est peccatum veniale. Hoc Beatus Thomas in „ expositione litteræ.

X.

PETRUS DE PALUDE.

Anno 1330.

In 4. dist. 31. qu. 2. art. 1. sic habet: „ „ Tertia „ conclusio est de excusatione per bonum fidei; „ bonum enim fidei excusatur ab omni peccato, „ quando aliquis pro nulla voluptate sui reddit „ debitum conjugi petenti, malens continere, „ quando scit inde prolem non posse sequi pro- „ pter sterilitatem alterius vel imprægnationem „ vel hujusmodi. Et in hoc casu reddendo non „ peccat, sed reddere tenetur; quia nullus pec- „ cat faciendo id, ad quod tenetur; alias pecca- „ ret & non peccaret; sed tenetur reddere, nisi „ aliud obsistat. Ergo reddendo non peccat; „ cum & hoc Apostolus præcipiat dicens: Vir „ uxori debitum reddat; similiter & uxor viro; „ unde & Ecclesia ad hoc compellit, si petatur: „ non peccat autem, qui legis authoritate petit. „ Et ad hoc reducitur, si quis cognoscat uxorem „ causa vitandi in ea fornicationem vel turpio- „ rem actum.

„ Quantum ad secundum est hic dubium cir- „ ca excusationem per bonum fidei, quando con- „ jux petit debitum à conjuge non propter pro- „ lis generationem; nec propter hoc, quod il- „ lum retrahat ab adulterio vel pejori, & sic pro- „ pter fornicationem vitandam in seipso, non in „ altero.

„ altero. Circa hoc sunt duæ opiniones: Una, „ quod sic petere semper est peccatum. Alii di- „ cunt oppositum; propter hoc sic videtur di- „ stinguendum, ut sint duæ conclusiones. Quia „ aut ipse cognoscit uxorem causa vitandi in se „ fornicationem, quamvis possit aliter vitare, sed „ magis vult isto modo delectabili vitare, quam „ alio non delectabili, puta, quia domando car- „ nem vel fugiendo aliarum consortia vel non „ loquendo solus cum sola; & sic posset facili- „ ter evitare, sed magis vult cum voluptate quam „ sine illa; & tunc peccat venialiter, quia præ- „ fert voluptatnm carnis absorbentem rationem „ ei, quod servat usum rationis, & æque attin- „ git ad finem; sicut si homo sitiens æque potest „ saturare vel satisfacere necessitati naturæ bi- „ bens vinum limphatum minus delectabile, quod „ non lædet caput, & eligit statim extinguere si- „ tim vino forti, quod est magis delectabi- „ le, quod inebriabit eum vel in toto, vel in „ parte; peccat enim non ratione finis, sed ra- „ tione medii incompetentis. Et hæc est prima „ conclusio; & in isto sensu vera est prima opi- „ nio. Secunda conclusio est, quod si ipse ideo „ actum illum exercet ad vitandum in seipso for- „ nicationem, non quia delectabilior, sed quia „ non potest pro tunc alio modo melius eam vi- „ tare, ita quod voluptas in nullo movet eum, „ sed solum amor vitandæ fornicationis, quam „ pro tunc non potest melius vitare, quia neces- „ se babet diu loqui in secreto & loco suspecto „ alii mulieri, & expertus est, de ea se sæpe ten- „ tatum; licet, quando semel usus est actu illo, „ ad multos dies refrigeratus non tentatur, tunc „ nullum peccatum est, si proles non speratur, „ quia tunc illa semper præmittenda esset. Hoc „ autem reducitur ad bonum fidei, quo contine- „ tur, non solum debitum reddere, sed etiam ad „ aliam non accedere: unde si propter hoc petit „ debitum à sua, ne indebitum exigat ab extranea, „ propter fidelitatem hoc facit, & bono fidei de- „ servit. Et hæc est secunda conclusio, & in hoc „ sensu vera est secunda opinio. Et per istam „ distinctionem potest responderi ad omnes ra- „ tiones secundæ opinionis contra primam, sicut „ patebit in sequenti articulo, ubi illæ ponen- „ tur.

„ Illi de secunda opinione videntur contra „ primam adducere sex rationes. Primo ergo ar- „ guunt sic. Plus tenetur quis sibi quam aliis; „ sed indistincte propter vitandam fornicationem „ in conjuge petens debitum non peccat; ergo „ multo minus propter vitandam in se. Dicen- „ dum, quod homo tenetur plus peccatum vita- „ re, quam alium à peccato retrahere; sed plu- „ ribus modis potest se à peccato retrahere, quam „ alium; unde sicut vir, qui potens se ipsum ali- „ ter cohibere magis ad hoc eligit voluptatem „ absorbentem, quam aliud sobrium reddens, „ peccat; sic si mulierem, quam includendo vel „ aliter poterat cohibere, magis vult cum sua „ voluptate cohibere, non est dubium, quod pec- „ cat; quia non nisi propter voluptatem præfert „ hoc medium alii medio magis consono rationi „ & æque valenti ad finem. Sed si vir timens in „ uxore etiam inclusa alias damnabiles corrupte- „ non putans eam aliter melius cohiberi quam „ per actum, quem non ipsa petit propter hoc „ solum debitum petit, non peccat; sicut nec in „ seipso. Et similiter, quia uxor non habet vi- „ rum corrigere, si virum de aliis tentatum, & „ inter alias debentem conversari, propter hoc „ solum impetat, ut ipsum cohibeat, simpliciter „ excusatur. Secundo dicunt, quod non potest „ dici, quod vitare fornicationem in alio perti- „ neat ad redditionem debiti plus, quam vitare „ in seipso, quia reddere debitum est, quando pe- „ titur expresse vel interpretative, quando illam „ scit tentari de seipso. Sed quando non petit „ debitum ab isto, nec tentatur de isto, sed spe- „ cialiter de alio, tunc si cognoscatur, non est „ redditio, sed pure petitio, sicut & si pro se pe- „ tat. Dicendum, quod verum est, quod non „ plus debet vitare homo in alio, quam in seipso „ nec ad redditionem pertinet hoc vel illud, nisi „ prout reddere large bonum fidei respicit. Ad „ bonum enim fidei pertinet, quod neuter aliam „ copulam requirat, & mutuam copulam non re- „ spuat. Si ergo mutua copula alias non quæra- „ tur, sed ne alia requiratur, ista expetitur vel „ pro se, vel pro alio in casu, quo non apparet „ melius vitanda, quam per istum modum, tunc „ fidelitas excusat. Sexto. Quando principa- „ lis finis non est possibilis, licitum est intendere „ finem secundarium; sed finis principalis matri- „ monii est liberorum procreatio, secundarius „ autem est vitatio fornicationis magis in seipso „ quam in alio. Unde Apostolus: Propter for- „ nicationem vitandam habeat unusquisque suam, „ & unaquæque virum suum. Unde si senes & „ steriles, qui prolem habere non possunt, pro- „ pter fornicationem vitandam contrahunt, non „ peccant. Licet autem ad illum finem conve- „ nire ad quem licet contrahere. Ergo sicut li- „ cet contrahere & per consequens petere debi- „ tum propter prolem, ubi est possibilis, sic ubi „ illa non est possibilis, sicut licet contrahere „ propter fornicationem vitandam in seipso, pro- „ pter hoc licet convenire & debitum petere. „ Non sic autem licet convenire propter sanita- „ tem, quia illa non est finis matrimonii nec prin- „ cipalis, nec secundarius. Unde etiam si homo „ non posset aliter sanari, nisi cognoscendo uxo- „ rem, non propter hoc deberet cognoscere; „ sicut nec propter hoc liceret baptizari. Di- „ cendum, quod propter finem secundarium li- „ cet convenire, quando principalis non spera- „ tur, nec secundarius melius aliter haberi po- „ test. Nam si aliter haberi potest sine detri- „ mento rationis, & quæritur cum detrimento „ rationis propter voluptatem, culpa est.

Ibid. qu. 3. art. 3. „ Sciendum, quod quan- „ docunque voluptas quæritur, semper veniale „ est. In speciali possunt notari sex casus, in „ quibus actus conjugalis est tantum veniale. „ Primus, quandocunque præcedit aliqua deor- „ dinatio rationis, puta petere tempore sacro, & „ si respectus sit ad delectationem, gravis est cul- „ pa; si ad lubricum vel infirmitatem suam, cu- „ jus est sibi conscius vel conscia, veniale. 2. „ Petere causa delectationis infra limites tamen, „ semper est veniale, sicut comedere propter vo- „ lupta-

„luptatem. 3. Petere causa fornicationis vitan- „dæ. 4. Causa infirmitatis vitandæ. 5. Si, „quando incepit petere vel reddere bona intentione, postea mutet intentionem. 6. Quandocunque aliud intendat, quam ad quod ordinatur conjugium, scilicet vel ad prolem, vel ad „reddendum debitum.

Ibid. dist. 32. art. 3. „Semper est peccatum „petere debitum utrique indifferenter (id est, „tam marito quam uxori) tempore conceptus & „partus, quia & bruta continent: Elephas enim „ad imprægnatam non accedit. Et quidem si „probabiliter timetur de abortu tempore conceptus, & instante partu ne puer opprimatur, „esset peccatum mortale scienter petere vel reddere, alias non est peccatum reddere, sed veniale petere.

XI.

ASTESANUS.

Anno 1330.

In Summa Astesana lib. 8. tit. 10. artic. 4. „Quæritur, utrum liceat debitum petere vel exigere tempore imprægnationis? Respondeo, si sine periculo abortus vir potest carnaliter copulari suæ uxori prægnanti, tenetur debitum reddere, & ab ea potest exigere sine peccato mortali, quia concubitus matrimonialis non tantum est in officium, sed etiam in remedium, & „mulier prægnans frequenter plus appetit concubitum, quam quando non est prægnans.

Ibid. tit. 9. art. 2. sic scribit: „Sequitur videre de bonis matrimonii, in quantum habent excusare conjugalem copulam à peccato. Circa „quod distinguendum est, quod ad conjugalem „actum aut inducit virtus, & hoc vel justitiæ scilicet, ut debitum reddatur, vel Religionis, scilicet ut proles ad Dei cultum procreetur? Et „sic non est peccatum. Aut ad ipsum movet libido sistens intra bona matrimonii, scilicet volendo nullo modo ad alium accedere, & sic est „peccatum veniale secundum communiorem, licet quidam dicant, quod ibi nullum fit peccatum Et hujus opinionis videtur fuisse Alexander. Secundo modo cognoscit illam, quia „non potest continere propter nimium fervorem fomitis, & tunc est peccatum veniale. Magistri tamen prædicta communiter sumunt pro „eodem. Quidam etiam dicunt, quod differt, „cognoscere uxorem causa incontinentiæ, & causa libidinis satiandæ; quia in primo casu prævenitur hoc agens à voluptate; in secundo vero prævenit voluptatem & provocat eam. In „primo horum duorum peccat venialiter. In „secundo, ut dicit Hug. peccat mortaliter. Et „hoc notat Hug. 25. qu. 5. Sed ego credo, quod „etiam possit esse sine mortali, dummodo sistat „infra finem matrimonii. In omnibus tamen „his est secundum opinionem communem peccatum veniale licet in ultimo gravius. Et possunt omnes isti modi reduci ad tertium & quartum modorum, quos ponunt communiter Magistri. Si quis dicat, quod liceat homini bibere ne sitiat; ergo & similiter coire, ne fornicari appetat. Respondetur, quod non est simile; quia ibi est motus naturæ & necessitatis; „in coitu vero non nisi motus naturæ.

XII.

PISANUS.

Anno 1335.

In Summa, quæ vocatur *Pisanella*, Tit. *Debitum*, sic habet: „Quæritur, utrum conjugalis actus „sit peccatum? Respondeo secundum Raymundum, si conjunguntur causa suscipiendæ prolis, non habet culpam. -- Si vero conjunguntur causa reddendi debitum, adhuc non est peccatum. In his ergo duobus casibus non est peccatum. Quod verum est, si rectitudo intentionis postea aliquatenus non mutetur, hoc est, „quod in executione ipsius actus nulla voluptatis delectatione teneatur. Sed ut dicit Gregorius 33. qu. mor. Vir cum propria valde difficile est, ut stans in igne nesciat ardere. Potest autem contingere ex singulari dono Dei, „& non aliter. Si vero (conveniunt) causa remedii, ut qui continere non possunt, sic est peccatum veniale. At aliqui dixerunt, hoc casu „nullum esse peccatum, ut notat Glossa in c. „*quidquid* 32. qu. 2. & Glossa Raymundi in tit. *de matrimonio*. Sed ut dicit Glossa Raymundi ibidem; hoc expresse est contra dictum Augustini 25. dist. §. criminia, ubi inter alia venialia „ponit; quoties excepto filiorum desiderio uxorem suam cognoverit. Supple, & causa reddendi debitum, quasi dicat, exceptis his duobus „casibus in usu matrimonii semper peccatur faltem venialiter. Et ita est veritas, ut notatur „in Summa Confessorum (Joannis de Friburgo) „lib. 4. tit. 2. qu. 37. Et est intelligendum hoc, „quando quia stat intra limites matrimonii videlicet quod hoc cum alia non faceret; nam tunc „est veniale; secus si excedit fines matrimonii, „ita etiam, ut si non esset sua uxor, faceret idem: tunc est mortale. -- Ex quo bene investiganti apparebit, quod facilius est Religioso „inter regulariter viventes omnimodam castitatem servare, quam conjugibus in usu matrimonii à mortali se custodire, quia conjuges sunt „secus libidinis ignem, & ignis solet ardere, quodcunque lignum apponatur.

„Quæritur, utrum liceat debitum reddere „vel exigere tempore prægnationis? Respondeo secundum Petrum (de Palude) si potest esse sine periculo abortus, reddi debet, & etiam „potest sine peccato mortali exigi: quia usus matrimonii non est tantum in officium, sed etiam „in remedium. Et ita quando non imminet periculum, non exigere tali tempore est consilii. „Sed tamen omissio hujus consilii non videtur „sine peccato veniali, cum uxore jam gravida „debitum peti non possit nisi ratione incontinentiæ, quæ saltem includit peccatum veniale, præsertim cum illo tempore causa prolis inhibeatur „usus matrimonii dicto c. si causæ & 32. qu. 4. „origo.

XIII.

CONCILIUM BENEVENTANUM PROVINCIALE.

Anno 1374.

Tit. 10. cap. 31. *de actu conjugali* sic scribit: „Aliquando commiscentur conjuges causa „prolis suscipiendæ; aliquando causa reddendi „debitum, aliquando causa incontinentiæ sive vi„tandæ fornicationis; aliquando causa exsatu„randæ libidinis. In primo & secundo casu, nul„lum est peccatum; in tertio est veniale; in „quarto mortale. Sed nec propter sanitatem „corporalem cognoscenda est uxor. Tempore „impraegnationis, si sine periculo abortus fieri „possit, & potest debitum à gravida reddi & et„iam exigi sine peccato mortali, alias non.„ Ita Libellus Synodalis.

XIV.

GERSON.

Anno 1400.

Part. 2. *in Compendio Theologicæ Veritatis*. De matrimonio §. an tempore prægnationis debeat reddi debitum conjugale? „De tempore impræ„gnationis dicitur, quod propter periculum non „debet in tempore impraegnationis uxor cogno„sci. Unde si vir eo tempore moveatur ad coi„tum, debet ratione talem motum propter ti„morem prædicti periculi refrænare; maxime „quatuor primis mensibus. Si tamen vir dicto „tempore cognoverit, non propter hoc peccat „mortaliter. Verum etiam quia mulier illo tem„pore maxime coitum appetit, si ipsa petat, & „ipse vir exactus reddat, sic reddens levius pec„cat, exigens vero gravius, uterque tamen ve„nialiter tantum.

XV.

S. ANTONINUS.

Anno 1450.

In Summa part. 3. Tit. 1. cap. 20. §. 4. sic scribit: „Quartus casus (in quo non est licitus coitus) „est ratione abortus tempore conceptus vel par„tus, si probabiliter timetur. Sed pro majori „declaratione hujus sciendum secundum Petrum „& Richardum in 4. quod tempore prægnatio„nis reddere debitum non est peccatum; & red„dere debet, si non est periculum abortus. Po„test etiam exigere in dicto casu absque morta„li; quia matrimonium non solum est in offi„cium, sed etiam in remedium. Sed ubi esset „periculum probabile abortus, nec debet exigi „nec reddi; alias esset mortale secundum Pe„trum de Palude. Qui etiam dicit, quod pete„re debitum tali tempore est semper veniale, si „tamen non sit periculum abortus; & maxime „mulieri, quia secundum Medicos impraegnatæ „magis appetunt coitum. Sed valde reprehensi„bile est, ut homines non contineant tempore „conceptus, quod bestiæ faciunt. Nam Elephas „ad impraegnatam non accedit. Et Plinius dicit, „quod tempore conceptus cervæ fœminæ à mari„bus discedunt, donec à partu purgentur.

Ibid. §. 11. „Videndi sunt casus, in quibus „actus conjugalis est peccatum veniale. Et sunt „sex casus secundum Petrum de Palude. Primus „est, quando præcedit aliqua deordinatio ratio„nis, puta petere in tempore sacro; & si respe„ctus sit ad delectationem, gravior est culpa, ve„nialis tamen; si ad lubricum & infirmitatem „suæ mentis, cujus est conscius, est minus ve„niale. Secundus est petere causa delectationis „intra limites tamen matrimonii semper est ve„niale, sicut comedere propter voluptatem. „Quod enim cibus ad salutem hominis seu indi„vidui est necessarius, hoc coitus est ad salutem „generis, dicit Augustinus. Tertius est, cum „fit causa infirmitatis vitandæ, quia quamvis li„ceat utrumque seorsim appetere, non tamen u„num propter alterum. Quartus, quando inci„pit petere vel reddere bona intentione, sed po„stea mutet intentionem, ita, ut nunc vellet „causa delectationis. Quintus, quandocunque „aliud intendit, quam id, ad quod ordinatur con„jugium, scilicet vel ad prolem, vel ad redden„dum debitum. Sextus est, quando hoc agit „causa vitandæ fornicationis, licet hac intentio„ne contrahere non sit etiam veniale. Sed cir„ca hoc, ut dicit Petrus de Palude, sunt duæ o„piniones. Una est, quod petere causa vitandæ „fornicationis in se, non in altero, semper est „peccatum: quia omnis superabundantia passio„nis est peccatum. Alii simpliciter dicunt, quod „non est peccatum. Richardus in 4. utramque „ponit & naturam præfert. Petrus vero de Pa„lude utramque concordat seu salvat: aut enim „talis cognoscit uxorem causa fornicationis vi„tandæ in se, quamvis possit alio modo vitare „menti occurrente; sed magis vult isto modo „delectabili vitare, quam modo non delectabili, „ut domando carnem, fugiendo consortia inci„tantia & hujusmodi, quæ posset faciliter vitare, „sed vult cum voluptate vitare; & sic est venia„le: aut ille exercet talem actum ad vitandam „fornicationem, non quia delectabilior, sed quia „tunc non potest alio modo melius eam vitare, „ita quod voluptas non movet eum, sed amor „vitandæ fornicationis, quam pro tunc non po„test melius vitare, puta, quia habet loqui in „secreto alii mulieri, de qua expertus est se ten„tari, & hujusmodi; & tunc nullum est pecca„tum, si proles non speratur, quia tunc semper „esset præmittenda illa intentio; & sic verifica„tur secunda opinio, quæ dicit, non esse pecca„tum.

Ibid. §. 5. „Tempore menstruorum distin„guendum; quia si innaturalis & quasi continuus „sit hujusmodi fluxus, non interdicitur petitio „vel redditio debiti; quia quando infirmitas con„tinua vel diuturna, periculum esset conjugatis „aliquibus prohibere. Tunc etiam mulier con„cipere non potest secundum quosdam, & sic „non timetur proli; unde tunc est veniale pe„tere, cum non speretur proles; imo nec „veniale, si fiat propter fornicationem in „se

„ se vel in alio; & in hoc concordant Docto-„ res.

XVI.

BARTHOLOMÆUS DE CHALMIS.

Anno 1460.

In suo Interrogatorio pœnitentium Tit. *de Conjugatis* inter alia sic interrogat: „ Si debita intentione cognovit uxorem: nam si causa suscipiendæ prolis & ad Dei gloriam educandæ, „ aut causa reddendi debitum, nullum est peccatum secundum omnes Doctores. Si vero causa remedii seu vitandæ fornicationis non solum „ in se, sed etiam in conjuge, veniale est.

XVII.

JOANNES DE FRIBURGO.

Anno 1490.

In Commentario ad Summam S. Raymundi editam Avenione 1715. lib. 4. *de Matrimonio* §. 11. sic habet: „ Nunquid cognoscere uxorem prægnantem, aut post partum ante purificationem, „ est peccatum mortale? Credo, quod non, sed „ qui exigit, venialiter peccat.

Idem l. c. §. 13. loquens de marito exigente debitum ab uxore non prægnante ex motivo non labendi in fornicationem sic scribit: „ Quidam „ dicunt, nullum esse peccatum in hoc casu „ (quando conjuges miscentur causa incontinentiæ, sive vitandæ fornicationis) nam ad bonum „ finem utitur conjugio. Sed contradicit Aug. „ 25. dist. l. *unum orarium*, ubi dicitur, peccatum „ veniale esse, quoties excepto filiorum desiderio uxorem suam quis cognoverit. Sed forte „ respondent, quod aliud est cognoscere uxorem „ causa incontinentiæ, & aliud causa vitandæ „ fornicationis: ut cognoscere causa incontinentiæ sit cognoscere, quia non potest continere „ propter nimium fervorem fomitis, & virtutis „ concupiscibilis, & tunc est peccatum veniale. „ Cognoscere vero causa vitandæ fornicationis „ sit cognoscere ut non tentetur de fornicatione „ cum non sua; non ut quærat voluptatem in „ coitu cum uxore, sed ne labatur cum alia. Et „ tunc forte nullum est peccatum. Sed secundum hoc essent quinqne causæ coeundi cum uxore: Magistri tamen non consueverunt distinguere nisi quatuor, & reputant pro eadem, „ cognoscere causa incontinentiæ, & causa vitandæ fornicationis.

XVIII.

ANGELUS DE CLAVASIO.

Anno 1480.

In Summa Angelica Tit. *Debitum* sic scribit, num. 40. „ Quæritur, utrum actus matrimonialis sit peccatum? Respondeo, secundum Alexandrum *in 3. part. Summæ in 6. Præcepto*, quod „ non. Sed sit peccatum secundum eundem 2.

D. Amort Tract. de Sacram. Matrim.

„ 2. de adulter. quando privatur istis circumstantiis. Prima dicitur recta intentio, puta quia „ excedit fines matrimonii facturus cum quacunque alia. --- Secunda dicitur causa. Nam ex „ triplici causa sine peccato exigitur & redditur: „ prima prolis procreandæ: Secunda debiti reddendi: Tertia fornicationis vitandæ. Communiter tamen tenetur, quod sit peccatum veniale exigere causa fornicationis vitandæ in se. Vide Gloss. in cap. *quidquid* 32. q. 2.

Ibid. num. 33. „ Quid de exigente tempore „ partui vicino? Respondet Richardus *in 4 dist.* „ 32. *art.* 3. *q.* 2. Quod si sine periculo abortus „ vir potest carnaliter copulari suæ uxori prægnanti, potest exigere sine mortali, & mulier „ sibi tenetur reddere. -- Adverte quod majus est „ periculum abortus in principio conceptus. Ratio est, quia quamvis secundum Avicennam „ matrix mulierum post imprægnationem claudatur, tamen ex delectatione movetur aliquando „ & aperitur, & sic materia nondum perfecte coagulata disperditur, & effunditur. Et ideo hic „ vituperat accedentem ad prægnantem in dicto „ c. *origo*. Non tamen erit peccatum mortale, ex „ quo nondum est formatus, si hoc non intendit.

XIX.

SYLVESTER.

Anno 1500.

In Summa Tit. *Debitum* n. 13. sic habet: „ Undecimo quæritur, in quibus casibus actus conjugalis sit peccatum veniale? Et dico, quod in „ sex, secundum Petrum de Palude in 4. dist. 31. „ *Primo*, quando procedit aliqua ratio nia deordinatio, sed non tanta ut sit mortalis; puta si petatur tempore sacro. *Secundo*, si petatur ex voluptate, intra tamen limites matrimonii sistendo, etiamsi se provocent. Et hoc expresse dicit Augustin. & tenet communis Schola. *Tertia*, si fiat causa vitandæ infirmitatis. Et idem „ S. Thomas. *Quarto*, quando quis exigere vel „ reddere incipit bona intentione; sed deinde „ mutatus jam vult hoc causa delectationis. *Quinto*, quandocunque aliud intendit quam finem „ conjugii, id est, prolem vel debitum. *Sexto*, „ quando hoc agit causa vitandæ fornicationis. „ In quo tamen, ut idem dicit, sunt duæ opiniones, una quod semper sit peccatum, si fit causa „ vitandæ fornicationis in se; alia quod simpliciter non sit peccatum. Quarum prima dicit verum, quando aliter posset facile vitare, puta „ abstinendo. Secunda vero (vera est) quando „ quis aliter melius vitare non potest, ut quia habet loqui secrete cum muliere, de qua sibi timet.

XX.

PETRUS DE SOTO.

Anno 1550.

Lib. *de Institutione Sacerdotum* Lect. 16. sic scribit: „ Conatus matrimonii, sicut & usus ipse delectationis causa peccatum veniale semper est apud Augustinum. Ubi quoniam æquo durius

„ mul-

multis hoc videtur, nonnullis etiam falsum, est diligenter considerandum. Quamvis enim non de mortali, sed veniali peccato quæstio sit, non tamen ob id parvipendenda est, sicut nec negligenda, maxime in doctrina sanctitatis matrimonialis status. Igitur, qui vitandæ fornicationis causa aut contrahit matrimonium, aut utitur contracto, timens videlicet, conscius infirmitatis suæ, incontinentiam, ne in alia graviora peccata labatur, multis non videtur ulla ratione peccare, maxime, inquiunt, cum secundarius finis matrimonii à Paulo etiam ostensus, præsertim post peccatum, sit vitatio fornicationis. Unusquisque, inquit, propter fornicationem suam uxorem habeat. Sed huic obstat Augustini ratio. Cum enim conjugium ex bonis illis sit, quæ propter aliud, non propter se expetenda sunt, à natura videlicet ordinatum ad conservationem duntaxat speciei, quæ generatione fit; non est enim matrimonium, sicut vita aut sapientia, quæ propter se amantur, sed sicut doctrina & cibus, quæ propter illa; uti vero re à natura ad aliquem finem instituta, non propter quod à natura instituta est, peccatum est, inquit Augustinus, quia manifesta abusio. Igitur matrimonio ultra generationis necessitatem & præter illam uti ob quamcunque aliam causam peccatum est. Hoc vero peccatum non quidem mortale, sed veniale est, quod, inquit Augustinus, Paulus secundum veniam concedit. Sic enim illum locum intelligit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; ubi Augustinus *veniam*, habet pro, *indulgentiam*. Unde ille ait: peccatum esse, cui venia conceditur. At vero contrahere matrimonium peccatum non est; igitur, inquit ille, secundum veniam concedit, propter vitandam fornicationem contrahere, cum scilicet concupiscentiæ libidinis & delectationi consentitur, sed in matrimonio. Itaque propter fornicationem vitandam contrahere, quod ex Paulo citabatur, finis est matrimonii, sed venialis; quod, inquit Augustinus, non est nuptiarum malum, sed propter nuptias accipit veniam. Cui rationi quid respondeatur, non videmus. Qui ob delectationem comedit, peccat venialiter ad minimum, aliud quærens in cibo, quam ad quod datus est. Excedit igitur, & rectæ rationis limitem transgreditur. Ita de matrimonio & de usu, atque eodem modo de cæteris omnibus aliis finibus matrimonii dicendum est; ut si vel propter divitias, vel amicitias affinitatis, aut alias causas contrahatur; si præponantur ista proli & cæteris bonis, inordinatio est. Si tamen hæc nonnihil moveant, sicut pulchritudo & reliqua omnia, ita ut non contrahendi omnino causa sint, sed tantum hoc agant, ut potius cum hac quam cum illa contrahatur, nullum peccatum est. Nec enim in Jacob reprehenditur quod prætulerit Rachaelem Liæ. Ducendæ uxoris causa venerat, idque sancte, ob generationem & divinam promissionem; interim tamen præferebat pulchriorem. Hæc itaque propria peccata sunt contrahentium matrimonia. Jam de usu ipso & actu matrimonii quid sentiendum sit, ex his, quæ diximus de contractu, magna ex parte intelligi potest. — Quicunque actus peccatum est, quando non habet debitas circumstantias. Quia igitur prima circumstantia actuum finis est, hæc primo est consideranda. Atque ita Cajetanus (in summa) hoc ponit primum caput. De quo, quod ex supradictis sequitur, statuamus ut certum, solo fine & intentione generationis vel reddendi debitum, licitum esse actum matrimonialem. Probavimus supra & quidem sufficienter ex Augustino, solum generationis causa licite contrahi matrimonium. Ex quo etiam probatur, & usum ejus ob eam causam esse licitum. Sed quia post contractum matrimonii est uterque alteri obligatus; hic finis est sufficiens, ut actus sit bonus, cum scilicet solum ut satisfiat consorti, matrimonio aliquis conjugatorum utitur. Ita relinquuntur hi duo fines, post contractum matrimonium, ad quos usus ejus ordinatur. Igitur si delectationis causa fiat usus matrimonii, peccatum est. — Ob vitandam igitur fornicationem in se quidem, aut ob alia majora peccata vitanda matrimonio uti extra generationis finem, veniale etiam esse peccatum, convincitur supradicta ratione, quia videlicet, qui id agit, utitur re præter naturæ ordinem. Ita de cæteris omnibus finibus dicendum est: semper peccatum est, cum aliud quæritur, quam naturalis finis, nunquam tamen mortale, nisi finis ipse in se mortalis sit. — Ad prægnantem accedere non dubium est peccatum esse, quod Hieronymus ut naturæ contrarium reprehendit; & Augustinus inter nimios excessus computat. Sunt, inquit, adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Verum extra periculum prolis non judicetur mortale.„ Authoritas hujus Petri de Soto summopere æstimanda est, fuit enim primarius Theologus Pontificius in Concilio Tridentino; & ejus Liber *de Institutione Sacerdotum* in nostra Diœcesi Augustana pro norma præscripta fuit à Cardinale Othone Truchsessio.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Authoritas S. Chrysostomi, & aliorum Patrum, qui matrimonium tanquam remedium facillimum contra tentationes concupiscentiæ commendant. Hoc autem esset falsum, si usus conjugalis cum gravidis esset illicitus ex motivo præcavendi tentationes carnis.

RESPONDEO: A Patribus commendari matrimonium duntaxat in remedium concupiscentiæ *prævenientis liberum arbitrium*, seu *involuntariæ*; non vero in remedium concupiscentiæ *subsequentis liberum arbitrium*, seu *voluntariæ*. Sic D. CHRYSOSTOMUS in Epist. ad Ephes. C. 1. Hom. 2. scribit: *Dic, quæso, quænam necessitas nos ducit ad admittendum adulterium? Certè, inquis, tyrannis libidinis? Quare, dic mihi, non licet tibi tua uti uxore, & libidinem sedare & compescere? Atqui ad coitum fortasse impellit necessitas? Ut hanc autem aut illam ames, non est necessitatis. Quamobrem noli accusare concupiscentiam.* Et in Psal. 50. *Ne dicas, quonam pacto facere possum, ut à scortatione abstineam? Ego tibi expono, qua ratione id possis. Ardet concupiscentia?*

At

At uxorem habes. Et quanam ratione, inquis, hoc vulnus curabo? Fruere uxore tua. Fruar uxore mea? Maximè.

DICES: D. CHRYSOSTOMUS usum conjugii permittit non solum in remedium concupiscentiæ *prævenientis* liberum arbitrium, sed etiam *subsequentis* liberum arbitrium. Ergo data responsio non sufficit.

Ant. prob. ex variis ejus textibus. Nam *in primis* observat; usum matrimonii à Deo permitti ad præveniendas tentationes Dæmonis. *Dein* docet, primarium matrimonii finem esse remedium concupiscentiæ præveniendæ, secundarium vero finem esse generationem prolis. In l. de Virginitate C. 18. sic scribit: *Matrimonium institutum quidem est causa liberorum procreandorum, sed multo magis ad restinguendum naturæ ardorem. Atque id Paulus testatur dicens: Propter fornicationem suam unusquisque uxorem habeat, non ob liberorum procreationem; rursumque convenire jubet, non ut multorum prolium parentes fiant. Sed cur? Ne vos tentet, inquit, Satanas. Ac progressus, non dixit: Sin optant liberos: sed quid? Qui se non continent, matrimonium contrahant. Principio duplicem hanc occasionem matrimonium habebat; sed omni orbe repleto unus duntaxat prætextus est reliquus, nequitiæ & libidinis abolitio.* Et C. 39. denuo scribit: *Paulus dicit: Quod si se non continent, contrahant matrimonium; satius est enim matrimonium contrahere, quàm ardere. Vides, per se nusquam suspici matrimonium, sed propter fornicationem, tentationes, atque intemperantiam. — Non dixit, sin libidinis vim ullam sentiunt, sin transversi aguntur. Nihil ejusmodi, quod eorum est, qui aliquid dignum venia patiuntur. Sed quid? Si se non continent; quod eorum est, qui propter ignaviam elaborare nolunt.*

RESPONDEO:

Ad 1. n. ant. Non enim D. Chrysostomus scribit, *usum matrimonii* permitti ad præcavendas tentationes, sed *matrimonium*, hoc est, matrimonialem contractum, permitti ad præcavendas tentationes. Ista duo D. Chrysostomus bene distinguit; nam ubi *de usu* matrimonii sermo est, eos venia dignos, & à reprehensione immunes pronuntiat, qui coeunt *ad compescendam concupiscentiam prævenientem.* Econtra eos vituperio ac reprehensione dignos declarat, qui coeunt, vel coire volunt ad compescendam concupiscentiam *subsequentem* ad liberum matrimonium. Id ex ejus textibus proximè subjungendis manifestum fiet.

Ad 2. dist. Docet Chrysostomus primarium matrimonii finem esse abolitionem libidinis, respiciendo *ad finem institutionis divinæ*, qua Deus hoc Sacramentum instituit; vel respiciendo *ad finem contrahentis.* tr. respiciendo ad finem operis, seu rei institutæ. n. Sicut enim alius finis est *operis*, alius *artefacti*, alius *Reipublicæ* artefacta & artifices ordinantis; ita contingit in matrimonio, ut ex parte Dei matrimonium instituentis ab initio fuerit *duplex finis*, procreatio prolis, & abolitio libidinis, dein verò repleto orbe ex parte Dei juxta D. Chrysostomum finis primarius fuit abolitio libidinis, ac secundarius procreatio prolis. At vero ipsius *operis* finis primarius semper manet procreatio prolis. Hanc esse mentem D. Chrysostomi patet ex isto *Libro de Virginitate*, quem scripsit Antiochiæ ante susceptum Presbyteratum. Nam in eodem l. C. 9. ait: *Matrimonium est iis, qui rectè eo uti velint, continentiæ portus, naturam efferari non permittens; nam legitimo coitu, quasi scopulis quibusdam objectis, eoque sustinendis libidinis fluctibus, nos in summa tranquillitate collocat ac tuetur.* Et C. 18. *Matrimonium institutum est ad restinguendum naturæ ardorem.* Et C. 25. *Si apud conjuges flamma altius quandoque eluctetur, eam protinus succedens congressus reprimit.* Hæc ostendunt, usum conjugii solùm esse licitum ob concupiscentiam, independenter à libero arbitrio exortam, seu *prævenientem* liberum arbitrium. De coitu autem ob intemperantiam, seu concupiscentiam *subsequentem* liberum arbitrium, hoc est, in se vel in sua causa voluntariam, expresse docet, quod sit reprehensibilis, quamvis non sit *suppliciis*, puta, inferni dignus, nec sit peccatum mortale. Ibidem C. 34. sic habet: *Paulus inquit: Convenite, ne vos Satanas tentet; ac volens ostendere, non totum Satanæ tentationi deberi, sed nostræ etiam ignaviæ plurimum, principaliorem causam addit, inquiens: Propter vestram intemperantiam. Quis non id audiens erubescat? Quis non intemperantiæ notam effugere moliatur? Neque enim cohortatio hæc ad omnes pertinet, sed ad valde projectos. Quod si, inquit, tam es servus voluptatum, si tam præfractus, ut semper in Venerem effusus atque inhians sis, congredere sanè cum uxore. Non est igitur permissio hæc probantis ac commendantis, sed irridentis ac condemnantis. Nam nisi voluptuariorum mentem egregiè tangere voluisset, intemperantiæ vocem non adhibuisset, quæ vehemens est, & vituperium continet. Cur enim non dixit: Propter vestram imbecillitatem? Quod ea vox magis ignoscentis esset, illa intemperantiæ summam ignaviam denotantis.* Supra etiam C. 18. dixerat, eos, qui coeunt, *quia vim libidinis sentiunt, & transversi aguntur, aliquid venia dignum pati;* sed non eos, qui voluntariè non continent.

OBJICITUR 2. Si usus matrimonii cum gravidis non esset licitus ex motivo reprimendæ concupiscentiæ voluntariæ in causa; sequeretur 1. eum non posse licitè uti conjugio, qui per curiosum aspectum objecti lascivi, per colloquia lasciva, per spectacula amatoria, per comessationes & compotationes, per lectionem rerum amatoriarum, &c. fuisset causa motionis libidinosæ. Sed hoc non potest dici. Ergo. Min. prob. Etiam ex hac sententia sequerentur morbi hysterici in matre, prolibus nocivi, & corruptio seminis retenti in marito. 2. Sequeretur; matribus prægnantibus semper fore licitam petitionem debiti, si laborent concupiscentia; quia illis & proli semper foret periculosa suppressio emotæ concupiscentiæ; econtra eam petitionem debiti maritis rarò fore licitam; quia in viris suppressio concupiscentiæ, nisi *frequenter & diuturno tempore* fiat, rarò creat periculum corruptionis seminis. 3. Sequeretur, conjugatos debere vivere in perpetua anxietate, an concupiscentia seu motus carnis, ad quos compescendos nti vellent matrimonio, non sint voluntarii in causa. 4. Si pro

 hac

hac sententia servirent textus D. Augustini, & aliorum Patrum in probationibus adducti, probaretur nimium; in iis enim habetur pro peccaminoso actu conjugii, etiamsi fiat ex motivo reprimendæ concupiscentiæ prævenientis, eò quod cedatur libidini.

RESPONDEO

Ad 1. Eum, qui præbuit causam tentationi carnis ad coeundum cum gravida, posse prius elicere dolorem retractativum sui peccati; sicque posse uti conjugio; quia usus matrimonii interveniente tali attritione desinit esse culpabilis malitia causæ, utpote jam retractata; nec potest dici; eum esse peccaminosum ratione novæ voluntarietatis; eò quod potuerit reprimi motus concupiscentiæ. Si enim motus concupiscentiæ facile supprimi poterit sine periculo corruptionis seminis, concedo, quod coitus cum uxore gravida in hoc casu sit peccatum veniale. Ceditur enim in hoc casu libidini, hoc est, libidinosæ propriæ voluntati, ex qua causabantur tales motus libidinosi, & quidem ultrò, quia, ut ponitur in casu, illi motus facile poterant supprimi sine periculo nocumenti inferendi tam patri quàm novæ proli suo tempore procreandæ ex corrupto semine. Si autem motus concupiscentiæ non poterit facile supprimi sine periculo nocumenti, datur quidem nova voluntarietas, sed non datur nova culpabilitas seu imputabilitas, utpote post retractationem prioris malitiæ non amplius tali motu concupiscentiæ substante prohibitioni novæ divinæ. In hoc sensu etiam CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. 5. Cap. 1. negat tantùm, quod concupiscentia *in renatis sit verè ac propriè peccatum*, quia nempe per Baptismum destructum est ipsum formale peccati originalis, nempe malitia originalis, à qua processit, prout ostendi in Tractatu de Peccato Originali.

Ad 2. n. a. Quamvis enim maritis *minus*, & *rariùs* noceat suppressio seu retentio emoti in corpore feminis, quàm uxoribus, non tamen sequitur, quod periculum nocumenti ex corrupto semine in maritis, præsertim juvenibus fervidæ naturæ, prorsus *rarum* sit. Ad summum ex hac objectione sequitur; quod maritis *rariùs* periculosa sit suppressio concupiscentiæ, quàm uxoribus; & consequenter quod illis suborta tentatione seu motu concupiscentiæ non adeo gravi *longe rariùs* licita sit petitio debiti circa gravidas, quàm uxoribus, nisi ipsa *petitio* debiti interdum fiat per modum *redditionis*, quando maritus advertit, quod verecunda uxor signis suam voluntatem declaret, sed non audet explicitè exigere debitum.

Ad 3. n. a. Si enim motus concupiscentiæ sint adeo vehementes, ut semen jam emoveatur in partibus corporis, possunt elicere actum contritionis seu detestationis saltem conditionatæ de voluntarietate causæ, si quæ intervenisset culpa, sicque licitè uti matrimonio, prout in Responsione *ad* 1. dictum est.

Ad 4. n. a. Argumentum enim meum est à *majori ad minus*. Si enim D. Augustinus & alii Patres ac Theologi veteres fuerunt adeo severi, ut damnarent omnem coitum cum uxoribus gravidis peccati venialis, etiamsi fiat ex motivo sedandæ concupiscentiæ *prævenientis* liberum arbitrium; multo magis ille coitus erit peccatum veniale, si fiat ex motivo sedandæ concupiscentiæ *subsequentis* liberum arbitrium.

RESPONDEO 2. Non esse evidens, quod *omnes* illi Patres, aut ipsemet D. AUGUSTINUS *constanter* damnaverint talem coitum, quando concupiscentia *præveniens* nec est voluntaria in causa, nec compescibilis sine periculo nocumenti in ordine ad perfectam generationem prolis conceptæ aut concipiendæ. De hoc enim casu nec loquuntur explicitè, nec cogitarunt forte. Imo D. Augustinus, qui more suo concupiscentiam & ejus effectus vocat *peccatum*, in quantum est voluntaria voluntarietate originali aliena, intelligendo per hunc modum loquendi ipsum *materiale peccati*, prout in Tract. *de Peccato Originali* ostensum est, etiam in hac materia forte solùm vocat talem coitum *peccatum materiale*, de se nunquam eligibile *motu proprio*, nec directè nec indirectè, quia alioquin, si sine periculo prolis impediri posset, conjuges exigentes debitum meritò dicerentur cedere libidini. Vide Cupetiolum V. *Concupiscentia* C. 3. n. 36. & V. *Matrimonium* §. 2. ubi putat, D. Augustinum ex Græco Textu, ubi in Apostolo conceditur tali usui *venia*, severiorem iniisse viam; dum econtra in Vulgata conceditur *Indulgentia*.

DISSERTATIO I.

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

De matrimoniis filiorumfamilias sine consensu parentum initis.

„ Jure communi Cæsareo, irrita fiunt matrimonia, inita à Filiisfamilias, sine consensu parentum, uti probant textus in *Princip. Inst. de Nuptiis*, & *in l. Nuptiæ* 2. *ff. de Ritu Nuptiar.*, in quorum primo habetur: *Si filiifamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum sunt in potestate; nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio suadet, in tantum, ut jussus parentum præcedere debeat*; & infra: *Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur*; in altero dicitur: *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, quorumque in potestate sunt.* „ Eqnidem non ignoramus, Cujacium *in lib.* 35. *Pauli ad edictum, ad l.* 2. & 10. *de ritu nupt.* & „ Dionysium Godefridum in *l. Filius, ff. de ritu nupt.* contendere, per præfatas leges, non irritas, sed solùm illicitas decerni nuptias, quas filiifamilias contrahunt, invitis, aut insciis, nec consentientibus parentibus, sub quorum sunt „ pote-

„ potestate; Neque Nos præterit, hanc opinio-
„ nem fulciri auctoritate Pauli J. C., qui *lib. 2.*
„ *sent. tit.* 14. scripsit: *Eorum, qui in potestate Patris*
„ *sunt, sine voluntate ejus, matrimonia jure non contra-*
„ *huntur, sed contracta non solvuntur: Contemplatio e-*
„ *nim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.*
„ Verum non ita sentiunt alii eruditi viri, quibus
„ prædictorum Juris Textuum verba, adeo per-
„ spicua videntur, ut indubitanter asserant, per
„ illa infirmari conjugia filiorumfamilias, qui-
„ bus paternus consensus non adjecerit vires:
„ Quinimo Vinnius *ad lib. I. Instit. tit. X.* perpen-
„ dens verba illa Justiniani, *ut jussus parentis præ-*
„ *cedere debeat, hæc insuper adnotavit: Jussus, id est*
„ *consensus aut potius assensus parentis in nuptiis filiorum*
„ *adeo necessarius est, ut etiam præcedere debeat, neque*
„ *ratihabitione patris retro legitimè fiant, nimirum cum*
„ *ratihabitio in iis tantùm locum habeat, quo non statim,*
„ *ipso jure nulla sed aliquo modo consistunt, aut pendent.*
„ Quod vero attinet ad locum ex Paulo J. C. al-
„ legatum, hac ipsa de causa, quod scilicet aper-
„ tè contradicat citatis legibus, quas certissimum
„ est, Imperatorem Justinianum ex ejusdem Pau-
„ li J. C. sententia, inseruisse Corpori Juris, à se
„ promulgati, non immeritò suspicantur pleri-
„ que, quos sequitur Juenin *Tract. de Sacrament.*
„ *Dissert.* 10. *q.* 5. *art.* 2. illum non esse Pauli, sed
„ Aniani cujusdam, qui Theodosianum Codicem,
„ tempore Alarici, Gothorum Regis, notis illu-
„ stravit. Nec mirum, tantam ab Imperatoribus
„ tributam potestatem parentibus, in Filiorum
„ nuptias; adhuc enim remanebant rudera illius
„ immoderatæ potestatis patriæ; quæ, Auctore
„ Romulo, diu viguerat apud Romanos, cujus ra-
„ tione, *licebat parentibus loris cædere filios, carcere*
„ *coercere, in agros ad opera rustica vinctos amandare,*
„ *venundare, denique interficere,* quod totidem ver-
„ bis refert Dionysius Halicarnassæus *lib.* 2. *pag.* 46.
„ hinc teste Lactantio *Instit. lib.* 4. *cap.* 3. filii di-
„ cebantur servire patri; quinimo liberorum
„ conditionem, in quibusdam, fuisse duriorem,
„ conditione servili, observant idem Lactantius,
„ & Servius *ad Virgil. Æneid.* 11. *v.* 143. Quam-
„ vis porro hæc parentum in filios immoderata
„ jura, quæ certe barbariem sapiebant, cultiori-
„ bus Romanæ Reipublicæ temporibus, fuerint
„ valde imminuta; nihilominus tamen Justinia-
„ ni ætate, tantam parentes retinebant in filios
„ potestatem, ut idem Imperator §. 2. *Instit. de pa-*
„ *tria potestate* affirmaverit, *nullii alii sunt homines,*
„ *qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos ha-*
„ *bemus.* Quocirca, cùm Leges Cæsareæ viribus
„ carere voluerint, matrimonia à servis contra-
„ cta, non consentientibus dominis, quorum sub-
„ sunt dominio; mirum non est, earumdem edi-
„ cto, fuisse robur ademptum conjugiis, à filiis-
„ familias celebratis, sine consensu, sub quorum
„ potestate existunt.

„ Utrasque Civiles Leges, tam videlicet, quæ
„ servorum, tam quæ filiorumfamilias, solo con-
„ trahentium consensu, inita matrimonia infrin-
„ gebant, quondam ratas habuit Ecclesia: Ete-
„ nim S. Basilius *Epist.* 199. *Canonica* 2. *ad Amphi-*
„ *lochium, Can.* 42. (*tom.* 3. *oper. pag.* 296.) ait: *Ma-*
„ *trimonia sine iis, qui potestatem habent, fornicationes*
„ *sunt. Neque ergo, vivente patre, neque hero, qui con-*
„ *veniunt, extra reprehensionem sunt, quemadmodum si*
„ *annuant cohabitationi, quos penes hujus rei est arbi-*
„ *trium, tunc firmitatem conjugii accipit cohabitatio.*
„ Et Concilium Aurelianense IV. anni 541. *Can.*
„ 22. (*tom.* 2. *Collect. Hard. Col.* 1439.) *Ut nullus*
„ *per imperium potestatis filiam competere audeat alie-*
„ *nam, ne conjugium, quod contra parentum voluntatem*
„ *impie copulatur, velut captivitas judicetur: sed sicut*
„ *est prohibitum, non admittatur. In his, qui perpe-*
„ *traverint, excommunicationis severitas, pro modo pia-*
„ *culi, imponatur.* Et Can. 24. loquens de conju-
„ gio servorum, decrevit: *Quæcumque mancipia,*
„ *sub specie conjugii, ad Ecclesiæ septa confugerint, ut*
„ *per hoc credant, posse fieri conjugium; minime eis li-*
„ *centia tribuatur, nec talis conjunctio à Clericis defen-*
„ *datur*, & paucis interjectis, eumplectens tam
„ servorum, quam filiorumfamilias, matrimonia
„ clanculum, & propria auctoritate, inita, addit:
„ *De qua re decernimus, ut parentibus, aut propriis do-*
„ *minis, prout ratio poscit personarum, accepta fide ex-*
„ *cusati, sub separationis promissione, reddantur; post-*
„ *modum tamen parentibus, aut dominis libertate conces-*
„ *sa, si eos voluerint, propriæ voluntate conjugare;*
„ Concilium Cabillonense II., anni 813. *Can.* 30.
„ relato à Gratiano *in Can. ult.*, XXXIX. *q.* 2.
„ postquam dixit: *Nobis visum est, ut conjugia ser-*
„ *vorum non dirimantur*, hanc statim limitationem
„ adjecit: *Ubi legalis conjunctio fuit, & per volunta-*
„ *tem dominorum.* Ac denique, ut alia præterea-
„ mus, quæ ad rem congessit Gonzalez *in cap. fin.*
„ *de Conjugio Servorum, num.* 3. *& seqq.* Ahyto E-
„ piscopus Basileensis *in suis Capitularibus, sæculo*
„ *IX. editis* (*apud Harduin. tom.* 4. *col.* 1244.) *Can.*
„ 21. edixit: *Ubi verò mancipia, non unius, sed di-*
„ *versæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus u-*
„ *trisque dominis, hujusmodi copulatio rata non e-*
„ *rit.*

„ Verumtamen postea consultius visum est
„ Ecclesiæ, præfatas civiles leges, pluribus sæcu-
„ lis à se, aut approbatas, aut toleratas corrige-
„ re, & abrogare, statuitque, ut deinceps nuptia-
„ rum validitas à solo penderet Contrahentium
„ consensu, nequaquam autem à nutu eorum,
„ sub quorum dominio, vel potestate Contra-
„ hentes existunt, quod generatim sancitum le-
„ gimus *in Cap. Cùm locum, de sponsal. & matrim.* 1.
„ *in cap. licet; & in cap. Tua, de sponsa duorum;* spe-
„ ciatim verò de servis, rescripsit Hadrianus Pa-
„ pa ad Archiepiscopum Salisburgensem *in cap.*
„ *Dignum, de conjugio servorum: Nec inter servos ma-*
„ *trimonia debent ullatenus prohiberi, &, si dominis*
„ *contradicentibus, & invitis contracta fuerint, nulla*
„ *ratione sunt, propter hoc, Ecclesiastico judicio dissol-*
„ *venda;* ac tandem de filiisfamilias, post alias
„ Sanctiones indicatas ab Juenin *cit. Dissert. X.*
„ *quæst.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. definivit Tridentinum
„ *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* ubi anathema-
„ te perculit, *qui falsò affirmant, matrimonia à filiis-*
„ *familias, sine consensu parentum contracta, irrita es-*
„ *se, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

„ Quamobrem non licet hodie easdem civi-
„ les leges, jamdiu ab Ecclesia rescissas, excita-
„ re, earumque obtentu, firmitatem adimere,
„ aut servorum, aut filiorumfamilias connubiis,
„ quibus domini, vel parentes non annuerunt.
„ Quod autem affirmat Bœhmerus *Jur. Eccles.*
„ *Prote-*

,, *Proteſtantium*, *lib.* 4. *tit.* 9. §. 6., nempe in Po-
,, merania, Weſtphalia, & Boemia, ubi adhuc
,, remanent veſtigia antiquæ ſervitutis, & etiam
,, hodie reperiuntur *homines proprii*, hoc eſt exi-
,, ſtentes ſub dominorum proprietate, iſtorum
,, connubia non aliter eſſe valida, quàm ex do-
,, minorum conſenſu, aut eſt accipiendum de
,, ſervorum conjugiis, quoad effectus civiles,
,, aut non eſt admittendum à Catholicis, illis in
,, Regionibus degentibus, qui ſanctioribus Ec-
,, cleſiæ Legibus reguntur. Intra fines pariter
,, pœnarum civilium concluditur edictum, à
,, Chriſtianiſſimo Rege Henrico III. in Comitiis
,, Bleſenſibus anni 1579. *art.* 40. promulgatum,
,, atque à Ludovico XIII. anni 1629. & 1639.
,, renovatum, quo nulla, & invalida declaran-
,, tur matrimonia, à filiisfamilias contracta, ſine
,, conſenſu parentum; illud ſiquidem verbum
,, *invalida non eſſe aliter explicandum*, *quàm per ſolam*
,, *relationem ad contractum civilem*, ejuſdem Ludo-
,, vici nomine, Clero Gallicano reſponderunt
,, Regii Commiſſarii, ut habetur *tom. III. Rerum,*
,, *& Decretorum Cleri Francici*, teſtaturque Love-
,, tus, in Pariſienſi Senatu Conſiliarius *tit.* 6.
,, *Litt. M.* ſcribens: *Nullitas matrimonii proveniens*
,, *ex defectu conditionum*, *quas requirit articulus* 40.
,, *Bleſenſis Conſtitutionis*, *nullatenus attingit ipſum Sa-*
,, *cramentum*, *quod nihilominus in iſto matrimonio exi-*
,, *ſtit*: *non agitur de Sacramento matrimonii*, *aut ejus*
,, *eſſentialibus cæremoniis*; *ſed de validitate conventio-*
,, *num matrimonialium*, *de acceſſoriis matrimonii*, *de*
,, *dotis validitate*, *& communitote inter virum & uxo-*
,, *rem*, *quæ conditiones non dependent ex Theologicis*
,, *Deciſionibus*, *ſed ex dictis in Parlamento verificatis.*
,, Idem oſtendit Iſaacus Habertus Epiſcopus Va-
,, brenſis *in Libro de Juſtitia Connubialis Edicti* à
,, Ludovico XIII. conditi, ubi hæc habet: *Non*
,, *multum laborandum eſt*, *de conciliandis Regiis Edi-*
,, *ctis cum Eccleſiæ ſententia*: *nullo ſiquidem Edicto*,
,, *matrimonia filiorumfamilias invalida*, *ac nulla eſſe*,
,, *abſque conſenſu parentum*, *tutorumve*, *conſtitutum eſt*,
,, *etſi hic error multis impoſuerit. Prohibita quidem*
,, *ſunt*, *ſed invalida*, *& nulla eſſe*, *haudquaquam defi-*
,, *nitum. Unde etiam Deceſſorum ſuorum veſtigiis in-*
,, *ſiſtens Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus*, *ea iterum*
,, *prohibuit*, *ac auſterius interdixit*: *invalida tamen*, *ac*
,, *nulla eſſe*, *contra Tridentinæ Synodi Decretum*, *ac*
,, *Theologorum unanimem in Regno ſuo ſententiam*, *mi-*
,, *nimè ſanxit.* Idem tradit Cabaſſutius *in Theor.*
,, *& Prax. Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 6. *&* 7.,
,, ubi Brodeum carpit, quod Regium Edictum,
,, ad ipſam etiam Sacramenti rationem protraxe-
,, rit. Idem docet Gerbaſius in Libro, quem in-
,, ſcripſit: *Tractatus pacificus &c. pag.* 504. Idem
,, Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral.*
,, *tom.* 6. *lib.* 2. *de Sacram. matrim. cap.* 2. *art.* 3.
,, *prop.* 1. Quocirca neſcimus, qua ratione Jue-
,, nin *cit. Diſſert. X. cap.* 3. *art.* 2. metuerit, ſuum
,, calculum adjicere tot Doctorum Gallicano-
,, rum ſententiæ, Regia etiam Declaratione fir-
,, matæ, & decidere noluerit, an re vera in Gal-
,, lia, matrimonia inita à filiisfamilias, ſine con-
,, ſenſu parentum, ſint valida quoad ſubſtan-
,, tiam, etſi civilibus effectibus deſtitui, nemo
,, dubitet. Neque extra inſtitutum vagati ſu-
,, mus, dum hæc prolixius enarravimus: ſiqui-
,, dem verebamur, ne Epiſcopi, prædicti Jue-
,, nin, aliorumque, contra communem ſapien-
,, tiorum Galliæ Doctorum ſenſum, idem ſcri-
,, ptitantium, auctoritate decepti, non audeant,
,, in ſuis Synodis declarare, matrimonia à filiis-
,, familias, invitis, ac inſciis parentibus contra-
,, cta, etſi illicita, valida tamen eſſe, ac proinde
,, integrum non eſſe Contrahentibus, quamdiu
,, eorum alter ſuperſtes eſt, alias nuptias inire,
,, quam profecto Synodalem Declarationem, ad
,, conſulendum animarum ſaluti, non ſolùm uti-
,, lem, ſed maximè neceſſariam, reputamus.

DISSERTATIO II.

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

De valore & diſſolutione matrimonii à Judæis vel aliis Infidelibus ante ſuam converſionem ad Fidem Catholicam initi.

,, Verum, quod plus negotii interdum faceſ-
,, ſit Epiſcopis, eſt matrimonium ab He-
,, bræis in Infidelitate contractum, & con-
,, ſummatum, de quo diſputatur, an & quan-
,, do, per converſionem alterutrius conjugis ad
,, Chriſtianam Fidem, dirimatur. Certum eſt,
,, Infidelium conjugium, ex privilegio in Fidei
,, favorem, à Chriſto Domino conceſſo, & per
,, Apoſtolum Paulum 1. *ad Cor. cap.* 7. promul-
,, gato, diſſolvi, cum conjugum alter Chriſtia-
,, nam Fidem amplectitur, renuente altero, in
,, ſua Infidelitate obdurato, cohabitare cum con-
,, verſo, aut cohabitare quidem volente, ſed
,, non ſine contumelia Creatoris, hoc eſt non
,, ſine periculo ſubverſionis conjugis fidelis, vel
,, non ſine execratione Sanctiſſimi Nominis Chri-
,, ſti, & Chriſtianæ Religionis diſplicentia; ex
,, hoc verò ſit, integrum non eſſe conjugi con-
,, verſo, tranſire ad alia vota, prius quàm Infi-
,, delis interpellatus, aut abſolutè recuſaverit
,, cum eo cohabitare, aut animum ſibi eſſe o-
,, ſtenderit, cum illo quidem cohabitandi, ſed
,, non ſine Creatoris contumelia, uti colligitur
,, ex celeberrima Decretali Innocentii III. *in Cap.*
,, *Quanto*, *de divortiis*, notantque Sanchez *de ma-*
,, *trim. Lib.* 7. *Diſp.* 74. *num.* 12. Salmanticenſes
,, *Tract.* 9. *de matrim. cap.* 4. *num.* 48. Cardinalis
,, de Lauræa *de Matrim. Diſp.* 16. *num.* 198. Cle-
,, ricatus *de Sacram. Matrim. Deciſ.* 11. *num.* 24.
,, At quandoque evenit, conjugem infidelem in
,, longinquas abiiſſe Regiones, aut ita latitare,
,, ut interpellari nequeat, & tunc dubitatur, an
,, interpellatione omiſſa, ut interpellari nequeat,
,, fas ſit converſo alias inire nuptias. Affirmant
,, plerique, qnibus adſtipulantur Sanchez *cit. loc.*
,, *num.* 14. Genuenſis *in Prax. Cur. Archiep. Nea-*

,, *polit.*

„ *polit. cap.* 27. *num.* 20. Riccius *in Prax. part.* 1. „ *resolut.* 241. 1. alii ex adverso, inter quos Pon- „ tius *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 48. *num.* 22., in eo re- „ rum statu, necessariam putant dispensationem „ Summi Pontificis, cujus est declarare, in qui- „ busnam circumstantiis desinat obligare præce- „ ptum divinum, quo prædicta interpellatio, an- „ te rescissionem matrimonii, videtur injuncta; „ atque huic posteriori sententiæ in quadam cau- „ sa Florentina discussa 17. Januarii 1722. adhæ- „ sit Sacra Congregatio Concilii, cujus judicio „ Nos omnia subjecimus rationum momenta, „ quæ à dissidentibus inter se Doctoribus, in u- „ tramque partem afferuntur, uti legere est „ *tom.* 2. *Thesaur. Resolut. pag.* 117. *& seqq.* Nec „ Sedes Apostolica difficilem se præbet eam pe- „ tentibus dispensationem, quam urgens causa „ suadeat concedendam: etenim, sicut in præ- „ fata causa Florentina animadvertimus, Gre- „ gorius XIII. locorum Ordinariis, Parochis, & „ Presbyteris Missionariis Societatis Jesu, in An- „ gola, Æthiopia, & Brasilia degentibus, po- „ testatem fecit dispensandi cum quolibet con- „ juge, qui Christianæ Religioni nomen dedit, „ ut novum possit matrimonium inire, omissa in- „ terpellatione alterius conjugis infidelis, quem „ constat legitimè interpellari non posse; & „ Nos ipsi, ad Petri Cathedram evecti, faculta- „ tem concessimus Apostolico Nuntio, Vene- „ tiis commoranti, ut in simili rerum eventu, „ possit ab ejusdem interpellationis onere rele- „ vare conjuges conversos, existentes in loco „ pio Catechumenorum, ejusdem Civitatis Ve- „ netiarum, quod habetur in nostra Constit. III. „ nostri Bullar. tom. 1.

„ Sed alia hinc oritur controversia, de tem- „ poris momento, quo rescindatur fœdus con- „ nubii, de quo fermo est: plerique Doctores „ sentiunt, interpellato conjuge infideli, eo- „ que, aut expresse abnuente legitimè cohabi- „ tare cum Fideli, aut intra terminum sibi in- „ terpellatione præfixum, nihil respondente, „ dissolutum statim censeri vinculum conjugii, „ quo erant ambo constricti: alii arbitrantur, „ tum primùm dirimi, cùm conjux conversus „ alteras nuptias contrahit; ab istius autem „ controversiæ decisione, alterius pendet eno- „ datio difficultatis, de qua non semel contigit „ in Ecclesiasticis Foris disputari. Fingite, Ti- „ tium Hebræum Christianam Fidem amplecti; „ postquam fuit Baptismate ablutus, uxorem „ suam Næviam, quam in Judaismo pertinacem „ reliquit, interpellet, an velit secum cohabi- „ tare, sine Creatoris contumelia; Nævia aut „ expresse renuat, aut intra præfinitum sibi tem- „ poris intervallum, nihil respondeat: aliud „ deinde matrimonium cum Hebræo viro con- „ trahat Nævia, Titius autem Christianus cæli- „ bem statum eligat: Fingite rursus, post ali- „ quot annos, Næviam, cum suo secundo vi- „ ro, ad Christianam Fidem converti, colente „ adhuc Titio cælibatum; gravis statim excita- „ tur quæstio, an Nævia redire debeat ad Ti- „ tium suum primum virum, an potius perma- „ nere cum secundo. Hujus autem quæstionis „ decisio ab alia pendet, quam antea propone- „ bamus: Etenim si matrimonium Titii cum „ Nævia rescissum fuit, statim ac Nævia inter- „ pellata renuit cum Titio legitimè cohabita- „ re, uti opinantur Doctores primæ senten- „ tiæ, validè profectò potuit eadem Nævia „ alteri se copulare viro, eum quo propterea „ perseverare debet, etiam cum ambo Chri- „ stianorum Sacris sunt initiati; at si matri- „ monium, in Infidelitate contractum, tunc „ solùm dissolvitur, quando conjux conver- „ sus aliud conjugium init, uti existimant Do- „ ctores secundæ sententiæ, cùm Titius, in „ casu, aliam non duxerit uxorem, illegiti- „ mum certe fuit novum matrimonium à Næ- „ via, nondum à priori vinculo soluta, con- „ tractum, atque idcirco cum Christianam Fi- „ dem amplectitur, tenetur ad primum virum „ redire. Verùm cùm res contigerit Floren- „ tiæ anno 1726. & de ea disceptaretur in sa- „ cra Congregatione Concilii Nos, pro no- „ stro, quod tunc gerebamus, Secretarii mu- „ nere, Dissertationem elucubravimus, qua „ luculenter ostendimus, ex enuntiatis senten- „ tiis, posteriorem esse, tam inter antiquos, „ quàm inter recentiores Theologos, & Cano- „ nistas, ferè communiter receptam, ex quo „ conclusimus, virum Hebræum, de quo res „ erat, quique cum secunda uxore, quam, „ juxta præmonstratum casum, duxerat, Ba- „ ptismum petebat, post illud susceptum te- „ neri redire ad primam, jampridem Christia- „ nam factam, & adhuc perseverantem innu- „ ptam; & Sacra Congregatio ne latum qui- „ dem unguem à nostra sententia recessit, eoque „ libentius eam est amplexata, quod, Nobis pa- „ riter suggerentibus, compererit, ita, consen- „ tiantibus Theologis, in consilium adhibitis, „ fuisse ab eadem definitam anno 1679. & 1680. „ in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat; „ quæ omnia legenda sunt in *Thesaur. Resolut.* „ *tom.* 3. *pag.* 346. *&* 352. *ac seqq.*

„ Alter ejusdem causæ articulus, Sacræ Con- „ gregationis discussioni tunc quoque proposi- „ tus, indecisus remansit: quærebatur itidem, „ an saltem jus esset Summo Pontifici, primum „ matrimonium, in infidelitate contractum, & „ consummatum, suprema sua auctoritate rela- „ xandi, veniamque concedendi conjugi, tardius „ ad fidem converso, ut, in prædictis rerum cir- „ cumstantiis, posset cum secunda uxore perma- „ nere. Opportuna etiam de hac, longè utique „ graviori, quæstione, fuit à Nobis exarata Dis- „ sertatio, quæ extat *tom.* 4. *cit. Thesaur. Resolut.* „ *pag.* 30. *& seqq.* in qua plures allegavimus Do- „ ctores, hanc potestatem Pontifici asserentes, „ simulque contendentes, eam reipsa exercuisse „ S. Pium V. & Gregorium XIII. sicut in cit. Dis- „ sertatione fuse habetur, sed Sacra Congrega- „ tio satius duxit, à sententia ferenda se abstine- „ re, quoniam, etiam data Pontifici potestate „ rescindendi prius vinculum conjugii, in infide- „ litate contracti, nihilominus, quod Nos Sacræ „ Congregationi insinuare non prætermisimus, „ merito dubitabatur; num cæ adessent gravissi- „ mæ causæ, quæ necessariæ sunt, ut per Apo- „ stolicam dispensationem dirimatur. Itaque E- „ pisco-

„ piscopus Diœcesi præsidens, in qua, ob admixtionem Christianorum cum Hebræis, interdum „ casus occurrant, de quibus disseruimus, utiliter de iisdem sermonem instituet in sua Synodo: salubriter in ea formam inferet interpellationis à conjuge converso, alteri faciendæ, „ in sua persistenti perfidia, quam formulam integram refert Clericatus *cit. loc.*; prudenter denique suis Parochis doctrinam tradet, à Sacra „ Congregatione Concilii approbatam, & quando, „ dùm quam dijudicare debeant, an & quando, „ per conversionem alterutrius conjugis ad Christianam Fidem, alter in infidelitate relictus libertatem nanciscatur à vinculo matrimonii, „ quo erat obstrictus. Severè autem prohibebit, ne maritus Hebræus ad Fidem conversus „ mittat ad uxorem in sua persistentem infideli-„ tate libellum repudii, juxta ritum Judaicum, „ ut hac ratione det illi libertatem transeundi ad „ alia vota: Hunc enim detestabilem abusum, „ Judaica utique superstitione infectum, Nos „ proscripsimus, nostra Constitutione, quæ incipit: *Apostolici Ministerii*, edita die 16. Septembris 1747. in 2. tomum nostri Bullarii inferenda. Frustra vero, & incassum hæc constituerentur, aut pertractarentur in Synodo Diœcesis, à qua Hebræi coguntur perpetuò exulare, „ nec proinde inquam in ea casus eveniunt, „ de quibus hactenus.

DISSERTATIO III.

Super Abusu libelli Repudii Conversorum à Judaismo ad Fidem Catholicam.

Benedictus Episcopus,

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Apostolici Ministerii munus Nobis licet „ immerentibus commissum assiduè Nos „ excitat, atque impellit, ut sollicito studio, ac vigili cura, abusus, pravasque consuetudines, siquas in Ecclesia Dei, vel hominum „ infirmitate, vel malitia, certò novimus irrepsisse, Pastoralis Providentiæ solicitudine „ compescamus, congruisque adhibitis remediis, „ quo citius fieri potest, aboleamus.

§. I.

Judæi ad fidem conversi, si habent uxorem in Judaismo, illam quandoque repudiant. Repudium in veteri Testamento permissum, sed in nova Lege gratiæ absolutè vetitum.

„ Nuper quidem Nobis relatum est, certisque „ probationibus manifestò comprobatum, „ quòd aliqui Hebræorum, qui ad Christianam „ Fidem conversi uxorem habent renuentem „ Christianam veritatem amplecti, minimè dubitant, posteaquam ejurata Judaica perfidia sacro lavacro abluti sunt, & solemni professione „ se ad Christi Fidem adstrinxerunt, reverti sacrilego ausu ad Judæorum Castra, seu Vicum, „ vulgò *il Ghetto*, ibique Rabbinico ritu, Judaicis superstitionibus, damnandisque observationibus, libellum repudii uxoribus concedere, „ vel etiam extra Judæorum domicilium, coram „ Notario Testibusque Christianis, eumdem libellum repudii uxoribus dare, ut liberam eis „ nubendi alteri viro potestatem faciant. Moyses quidem in Deuteronomio *cap.* 24. ita scriptum reliquit: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus „ propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, „ & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.*

„ Utrum verò hæc duntaxat indulgentia quædam fuerit ad majus malum evitandum, adeò „ ut qui daret, acciperetque repudium liber quidem à pœna esset, non autem à culpa; an autem dispensatio potius esset à Deo concessa ob „ cordis Hebræorum duritiam, adeo ut qui libellum repudii mitteret, & quæ missum reciperet, „ & à culpa, & à pœna exemptus foret, eisque „ minimè vetitum esset ad aliud matrimonium „ validè, ac licitè contrahendum procedere, diffident inter se veteres, recentioresque Theologi, cùm alii primam, alii alteram opinionem „ sequantur. Verùm quidquid hac de re sit, illud certum est, quod Redemptor Noster Jesus „ Christus Dei Filius interrogatus quid censeret „ de libello repudii, quem Moyses permiserat, „ respondit, ut legitur in Evangelio apud Matth. „ *cap.* 19. & apud Marc. *cap.* 10. *Quoniam Moyses „ ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic: dico autem „ vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob „ fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui „ ipsam duxerit, mœchatur;* Sermonemque suum „ ita conclusit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non „ separet.* Ex his autem verbis per legitimam „ consequentiam inferunt Theologi, in præsentiarum non amplius licere Hebræis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii, „ matrimonii vinculum amplius dissolvi, eo quod „ Jesus Christus illud ad suum primævum statum „ redegit, nempe ad indissolubilitatem, non Lege nova condita, sed duntaxat sublata veteri „ indulgentia, seu dispensatione super prædicta „ indissolubilitate concessa. Quæ cùm ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter Hebræos conjuges, qui ambo in eadem Judaica „ perfidia permanent, certè ferri, ac tolerari nul-

„ lo

„ lo modo debet, ut Hebræus ad Fidem conversus, & sacro Baptismate ablutus, libellum „ repudii uxori, quæ in Hebraica pervicacia remanet, Judaico more, ac ritu concedat.

§. II.

Hinc Pontifex decernit, quid Hebræus conversus interpellet uxorem Hebræam, eaque renuente, possit contrahere cum Christiana.

„ Quamobrem ut in posterum omnia debito ordine, & laudabili modo, ac ratione „ fiant; volumus, ac decernimus, ut Hebræus „ ad Fidem conversus, si uxorem Hebræam habet, eam more solito interpellet, an etiam „ ipsa converti, & cohabitare velit sine contumelia Creatoris: Renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere, „ juxta verba Beati Apostoli Pauli *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* „ Ut benè jam ante animadvertit clar. mem. „ Prædecessor Noster INNOCENTIUS III. „ in sua Decretali, quæ incipit: *Quanto, de divortiis.*

§. III.

De Theologorum quæstione, quando dissolvatur Matrimonium Infidelium ob conversionem unius ex conjugibus. Circa quam nil Pontifex statuere intendit, sed solùm statuit ut supra.

„ Quæritur à Theologis, & Canonici Juris „ Consultis, quando solvatur matrimonium „ contractum ab Hebræo cum Hebræa, quæ se „ convertere recusat; & quando Conversus novum matrimonium cum muliere Christiana, & „ quando Hebræus cum Hebræa contrahere possit. Quod ad Conversum attinet, quidam volunt, præcedens matrimonium dissolvi quoad „ vinculum, statim ac infidelis renuit Fidem Christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium præfixum in interpellatione, quæ „ illi facta est, nullum responsum præbet. Alii „ verò putant, matrimonium solvi, quando Conversus aliud matrimonium celebrat cum Christiana: Quæ opinio in præsenti communior est „ inter Theologos, & Canonici Juris peritos, & „ in praxi eam sequitur Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo, quod pertinet ad uxorem, quæ in Hebraica superstitione perseverat, aliqui censent, quod ea in pœnam suæ perfidiæ semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec & quousque Maritus Christianus factus vivit: Alii verò putant, nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si Maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transiverit: ubi „ verò Conversus matrimonium iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, „ quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore Christianæ Fidei, quam ad Christum conversus amplectitur; & ideo rectè affirmari posse, datum esse directè, & per se fideli, indirectè verò, & per accidens infideli. „ Sed quidquid sit de hujusmodi Controversiis, „ quæ inter Theologos, & Juris Canonici Professores disceptantur; de quibus nihil Nos desinire intendimus, singulas eorum Sententias „ eo loco, quo sunt, relinquentes; Cùm Nostra mens, & voluntas nequaquam sit aliquid „ nunc definire de matrimonio, quod à muliere „ Hebræa contrahitur, posteaquam nolle se Christianæ Fidei nomen dare declaravit: Sed solùm motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis tenore præsentium volumus, „ intendimus, ac jubemus, ut cùm aliquis Hebræorum Christianam veritatem amplexus fuerit, non prætermittatur interpellatio mulieri „ more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad „ Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel à Nobis, vel à Romanis „ Pontificibus Successoribus Nostris, non censeatur hujusmodi interpellatio omittenda, ùt „ videre licet in Nostra Constitutione: *In supremâ*, data die 16. Januarii anno MDCCXLV., „ quæ est CXVII. *in Tom. I.* Nostri Bullarii; imo „ expresse vetamus, prohibemus, ac interdicimus, ne Conversi quovis tempore, & quovis „ modo, sive in Judæorum domicilio, nempe „ *Ghetto*, Rabbinico ritu, sive extra, coram Notario & Testibus Christianis, libellum repudii „ uxoribus, quæ interpellatæ recusant se convertere, aut, omissa vigore dispensationis ejusmodi interpellatione, quia ex probabili conjectura creditum est, minimè se ad Christi Fidem „ conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant, & possint.

§. IV.

Pœnæ contra delinquentes. Declarat, quod dictum est de Marito erga Uxorem, intelligendum esse etiam de Uxore erga Maritum.

„ Et quoniam ut plurimum contingit, ut leges „ debitam executionem non consequantur, „ nisi Sanctio pœnalis contra eas transgredientes „ accedat; hac Nostra in perpetuum valitura „ Constitutione, motu, scientia, ac potestate „ pari mandamus, ac præcipimus, ut omnia Tribunalia, ac Judices competentes, habita notitia, aliquem ex Hebræis conversis, post susceptum Baptismum, libellum repudii intra ipsum „ Judæorum domicilium, Rabbinicis superstitionibus adhibitis, uxori non conversæ dedisse, „ statim in eum sine ulla cunctatione, tanquam „ in Judaizantem, solitis pœnis animadvertant; „ & insuper contra ipsam Judæorum Universitatem in casu prædicto procedant manu regia „ mulctam ab ea exigentes centum Scutorum au„reo-

„ reorum, cujus tertia pars in præmium accusatori tribuatur, quod verò supereſt, conceſſum, & addictum ipſo jure per hanc Noſtram Conſtitutionem intelligatur Piæ Domui Catechumenorum in illis Civitatibus, in quibus ea reperitur, ubi autem hujuſmodi Catechumenorum Domus non extat, remaneat liberæ diſpoſitioni Epiſcoporum, & Ordinariorum, ut eam pecuniam pauperibus Chriſtianis pro eorum arbitrio, & conſcientia tribuant. Sin autem ad Tribunalium, ſeu Judicum competentium cognitionem pervenerit, quod Converſus libellum repudii extra Judæorum domicilium, ſeu *Ghetto*, dederit coram Notario, & Teſtibus Chriſtianis, pari modo cum tanquam Judaizantem debita pœna afficiant, minori tamen, qua plecti debet, qui intra ipſum *Ghetto* Rabbinicis ſuperſtitionibus libellum repudii ſcripſerit. Item procedatur contra Notarium Chriſtianum, & dictam Hebræorum Univerſitatem, ſine cujus ſcientia, & procuratione hujuſmodi damnabilia negotia non transfiguntur, & pro rata parte mulctentur centum Scutis aureis, exigendis, diſtribuendis, applicandiſque, ut ſupra dictum eſt; tum etiam Teſtes Chriſtiani pœna arbitraria, etiam corporis afflictiva, pro prudenti Judicum arbitrio puniantur. Præterea, etſi libellus repudii, juxta hebraicum morem, ac ritum, ſolùm à Marito uxori mittatur, non autem permiſſum ſit uxori, ut illum Marito præbeat, nihilominus, quia nobis compertum eſt, eſſe aliquos, qui exiſtimant etiam à Muliere Marito dari poſſe, ut omni in futurum dubitationi, ac quæſtioni, quæ exoriri poſſet, occurramus, hac Noſtra præſenti volumus, ac declaramus, ut omnia, & ſingula, quæ à Nobis ſuperius de marito ad Fidem converſo, remanente ejus uxore in Judaica ſuperſtitione, diſpoſita ac ſtatuta ſunt, etiam in caſu uxoris ad Chriſtum converſæ, remanente marito in infidelitate, locum omnino habeant, atque obtineant, & ab omnibus prorſus ſerventur, & cuſtodiantur.

§. V.

Derogatio contrariis.

„ Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, dictis Hebræis, eorumve Univerſitatibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi aliàs pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, nec non formas, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad reliqua in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI.

Publicationem præſentium decernit.

„ Volumus autem præſentes Literas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, in Acie Campi Floræ, atque in Platea, quæ Judæorum nuncupatur, per Curſores Noſtros publicari, earum exemplis inibi affixis, ac dimiſſis, ac poſt hujuſmodi publicationem, & elapſum terminum ſuperius præſcriptum, cunctos, & ſingulos, quos concernunt, perinde arctare, atque afficere, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in judicio, & extra illud haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. VII.

Sanctio pœnalis.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ voluntatis, inhibitionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, decimo ſexto Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno octavo.

D. Card. Paſſioneus.

O. A. M. D. G.



